FOR REFERENCE

Do Not Take From This Room

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N.Y.

240.184
M 53
v. 15

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.



# THEOLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS
AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J. P. MIGNE,

**BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,**

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

BR60 .T44 1837 v.15 c.2
Theologiae cursus
completus, extractatibus
omnium perfectissimis

US.

APPENDICES AD DECALOGUM.— PRÆAMBULA AD JUSTITIAM. — DE RELIGIONE HEBRÆORUM SUB LEGE NATURALI. — DE NOACHIDARUM PRÆCEPTIS. — DE MORALIBUS, CÆREMONIALIBUS ET JUDICIALIBUS LEGIS MOSAICÆ PRÆCEPTIS. — DE CANONIBUS ET CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS. — DE DECRETALIBUS. — DE PRÆCIPUIS ECCLESIÆ FESTIS. — DE JURIS NATURÆ ET GENTIUM PRINCIPIIS ET OFFICIIS. — DE JUSTITIA ET JURE — DE RESTITUTIONE.

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM.
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.

1858

Property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105

BR60
.T44
1837
v.15
c2

# AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

GOLDHAGEN.

Deletema Biblico-Philologicum de Religione Hebræorum sub lege naturali. *Col.* 9

NATALIS ALEXANDER.

Dissertationes de Noachidarum præceptis; — De præceptis moralibus, cæremonialibus et judicialibus, seu forensibus, legis Mosaicæ; — De Canonibus et Constitutionibus Apostolicis; — De novem Canonibus concilii Antiocheni Apostolorum; — De Epistolis decretalibus veterum Pontificum Romanorum, usque ad Siricium. 31

BENOIT XIV.

*Appendicula :* De præcipuorum Ecclesiæ festorum numero et institutione. 347

SUAREZ. — GUARINI.

Juris naturæ et gentium principia et officia, ad christianæ doctrinæ regulam exacta et explicata. 375

LESSIUS.

De Justitia, Jure et speciebus Juris in genere. 445

LYONNET.

*Appendix prima* ad tractatum de Justitia et Jure. 8

VOGLER. — EDITORES.

*Appendix secunda* ad Jus et Justitiam, seu Juriscultor theologus circa obligationes restitutionis in genere theorico-practice instructus. 1007

INDEX RERUM. 1265

Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

# HERMANN GOLDHAGEN VITA.

Goldhagen (Hermann), è societate Jesu, Maguntiæ natus est, anno 1718. Variâ multiplicique doctrinâ litteras amplexus, eruditionis altissimæ famâ dignatus est. Vitam omnem in explanandis litterarum rudimentis consumpsit, priscos sermones dissertationibus illustrans, Scripturas sacras et historiam commentis annotans tum Latino, tum Germanico idiomate compositis, alter in extraneâ regione Petavius. Ordinis sui clades mœsto quidem, sed inconcusso animo pertulit, Monachiumque exul invisit. Ibi ærumnas piis exercitationibus ingenuarumque artium studio allevans, consiliarii ecclesiastici urbis munere amplificatus, obiit, anno 1794, ætatis suæ septuagesimo octavo. Inter multiplicia ejus opera quibus scriptoris classici laudem est adeptus, notantur sequentia : *Rhetorica explicata et applicata ad eloquentiam civilem et ecclesiasticam ; Meletema biblico-philologicum de religione Hebræorum sub lege naturali ; Lexicon græco-latinum recensens græca themata.*

Annotationes quæ Meletemati P. Goldhagen infra intercalantur, auctorem habent P. Zaccariam; à textu facillimè distinguuntur, eò quòd angustius inter lineas detur spatium.

# Appendices ad Decalogum,

## NECNON PRÆAMBULA AD JUS ET JUSTITIAM.

### MELETEMA BIBLICO-PHILOLOGICUM

## DE RELIGIONE HEBRÆORUM

### SUB LEGE NATURALI.

### Præmotio chronologica.

. Ordine ut, quæ dicturi sumus procedant, juvat priores epochas, quæ ab orbe condito usque ad Messiæ adventum intercesserunt, pro systemate quod commodius videtur, ante designare (1). Annorum itaque numerum, qui ab rerum primordio ad æram usque christianam, sive ad eum annum quo natus creditò ponitur Jesus Christus, quater mille conficere datur, per certa intervalla sive epochas ita partior.

§ 2. I. Ab rerum primordio ad diluvium versale fluxerunt anni. . . . . 1656

. Usque ad annum quo Deus evocavit Abrahamum. . . . . 2083

III. Usque ad profectionem Israelitarum ex Ægypto, sive ad *legem Mosaicam*. . . . . 2513

IV. Usque ad templi Hierosolymitani dedicationem à Salomone celebratam. . . . . 3000

V. Usque ad solutam Babylonicam captivitatem . . . . . 3468

VI. Usque ad communem Christi natalem . . 4000

§ 3. 1° Tantùm spatii sufficit cùm ad seriem sacræ historiæ aptè digerendam, tùm ad ea componenda et rectè illiganda, quæ circa fide dignas Chaldæorum, Ægyptiorum, atque Sinensium antiquitates afferuntur.

(1) Systema chronologicum modò summatim propositum quare commodius videatur, nonnulla, quæ adnotare libet, persuadent

Luculenter id præstitit episcopus Armacanus Usserius in excellenti opere : *Annales veteris et novi Testamenti*. Pluresque sunt alii, qui idem laudabili studio ostendere conati sunt. Consule, si lubet, egregium Chronicon P. Jacobi Tirini S. J.

§ 4. 2° Ex rotundo ejusmodi numero, qualis est quater millesimus, memoria fructum capit longè optatissimum ; præsertim quia idem minores alios penè sui similes, et quidem præcipuis in epochis complectitur ; age enim, detrahe à 4000 circiter quingentos annos, et continges ferè epocham captivitatis Babylonicæ ; si iterùm 500 auferas, pervenies ad Templum à Salomone dedicatum : rursùs abscinde 500, et versaberis circa epocham datæ legis Mosaicæ, etc.

§ 5. 3° Perantiqua Judæorum παράδοσις, cui et Patres Ecclesiæ non inviti subscripserunt, salutarem Messiæ adventum ad annum conditi mundi 4000 referre amat ; ita enim aiunt : *Sex millibus annorum stabit mundus, duobus millibus inane ; duobus millibus Lex ; duobus millibus Messiach. Isti sunt sex dies hebdomadæ coram Deo. Septimus dies Sabbathum æternum est. Mille anni ante oculos tuos tanquàm dies.* Psalmo 89.

§ 6. Curiositatem non infelicem sapit, quod Cabbalistæ in mysteriis primi Geneseos vocabuli בראשית exquirendis diligentissimi circa tempus venturi Messiæ evolverunt ; præterquàm enim quòd ea vox, dùm alia puncta vocalia substituis, legi *baraschit* et explicari possit *dabo filium*, h. e., Messiam ; suis etiam litteris,

quæ Hebræorum more numerorum rationem habent, peculiarem ac planè commodum reddit numerum ; sc. 4000, quo nempe anno Deus Pater Filium daturus mundo esset, imò enim inde sumunt litteras numero centesimo majores, quales sunt ד 200, ש 300, ת 400 ; secundò ex singularum litterarum appellatione itidem tales numeros eruunt sequenti methodo :

| | |
|---|---|
| *Beth* hebr. בית ob ת reddit. . . . . | 400 |
| *Resch* hebr. ריש ob ר 200 et ש 300. . . . . | 500 |
| *Aleph* hebr. אלף ob ף finale. . . . . | 800 |
| *Schin* hebr. שין ob ש 300, et ן finale 700. . . | 1000 |
| *Jod* hebr. יד quia minus est numero 100, vacat. | |
| *Thau* hebr. תו ob ת. . . . . | 400 |
| Adde tres litteras superiore numero 4° recensitas, nempe ob ר. . . . . | 200 |
| ob ש. . . . . | 300 |
| ob ת. . . . . | 400 |
| Summatim collecta efficient. . . . . | 4000 |

§ 7. *Scholion.* Qui natalem Christi secundùm istas chronologiæ rationes definit, haud ægrè concedit quòd æra, quæ Christi natales verè afficit, toto biennio, triennio, vel quadriennio antevertat *æram vulgarem Dionysianam :* huic tamen insistere mavult quàm cum Baronio et Onuphrio loco movere consules Romanos in fastis descriptos, et seculo tot annos eximere.

## EROTEMATA PHILOLOGICA.

### Praenotio.

Lex naturalis dicitur nobis ratio divina vel voluntas Dei ordinem conservari jubens, perturbari vetans. Scilicet rerum omnium auctor Deus (quod nobis initio dari postulamus) mentes hominum potentiâ suâ conditas imperio voluntatis suæ gubernat, iisdemque divini vultûs sui lumen quasi facem accendit, et imprimit, ex cujus luce intelligant, atque adeò sentiant, *tribulationem et angustiam in omnem animam hominis operantis malum ; gloriam autem et honorem et pacem omni operanti bonum,* quicumque demùm illi sint, Judæi an Græci, culti aut barbari, divinitùs obventura : quamvis qui metu aut præmio instet, nemo ullus inter homines sit. Rom. 11, 9, 10.

EROTEMA PRIMUM.

*Lex naturalis quid pro fundamento statuit vel requirit?*

§ 8. Resp. Deum esse ens scilicet primum ac necessarium, per se existens, et à nullâ sui causâ dependens ; à quo tamen tanquàm à principio rerum universitas habet quod sit et perduret. Triplici potissimùm nomine signatur ab Hebræis *Adonai* Dominus, *Elochim* Deus, et *Jehovah* qui est ; quanquàm ab enuntiando hoc nomine reverentiæ causâ abstinerent. Atque hanc primam de Deo reverà existente veritatem, quam non nisi impius in controversiam trahit, Hebræi ante legem Mosaicam cùm in suâ naturâ tùm in rebus cæteris amplis quasi characteribus expressam legebant, et in explorato habebant. Utinam autem hæc, quæ vivimus tempora, tristis illa necessitas non exacerbaret, calamum stringendi adversùs ea humani generis prodigia, et pestilentes magistros, qui religionis fundamenta subruere, ac Deum ipsum è mundo, si fieri posset, tollere nefandis artibus allaborant ! sed quia impietas velut sublato vexillo passim grassari pergit, operæ pretium facturum me arbitror, si invictis ac novo fortassis modo propositis argumentis primariam de Deo existente veritatem demonstratum eam.

§ 9. Argumentum I. Ex PRIMO OMNIS RATIOCINATIONIS PRINCIPIO posito in eo quod cogitemus ; ex hoc enim certissimè infero : *Cogito, ergo existo.* At simul inde necessariò inducor ut affirmem *existere Deum ;* nam eodem tempore quo cogito, pariter adverto illud quod in me cogitat esse aliquid, quod mihi ipsi non debeam, quod nec meæ facultatis fuerit idem mihi primitùs donare, nec potestatis idem mihi conservare. Jam verò alterâ ex parte certum est quòd idem habere non potuerim ab ente aliquo me inferiore, cujusmodi est materia ; *hæc enim non cogitat ;* vis cogitandi naturæ ejusdem repugnat, cùm è contrario humanæ animæ nihil æquè naturale ac proprium sit, quàm cogitandi facultatè pollere. Necessariò igitur consequitur quòd eam cogitandi vim acceperim à potentiâ entis me superioris et præstantioris ; ab eâdem enim cogitandi facultate convictus sum de eo quòd ipse existam, et simul quòd eamdem debeam enti me superiori, cujusmodi materia esse nequit. Atque hoc Ens me superius ac præstantius id est quod dico Deum.

§ 10. Argumentum II. Ex IPSA DIVINITATIS IDEA à Creatore nobis impressâ ; omnes enim homines sociati cum aliis communi quodammodo pacto inter se nullo non tempore convenerunt, ut præcipuam hanc, quæ fundamenti loco esset, veritatem agnoscerent, *esse mentem aliquam quæ universum administraret.* Neque persuasio ejusmodi ad præjudicia referri potest ; mansit enim et conservata est, etsi plurimæ intercesserint societatum mutationes, e. g., *confusio populorum, diversissimæ animorum propensiones et educationis rationes ;* nulla autem gens, nulla natio est quæ non agnoscat existere aliquod numen ; ac quanquàm maxima hominum pars aberraverit ab eo, quodnam illud numen sit, consensêre tamen omnes esse potentiam aliquam rerum omnium dominam. Atque communis hic sensus tribui educationi nequit, inest enim et advertitur, ut primùm quis ratione uti velit. Equidem interdùm evenit, exteriores ut sensus, et quam dicimus, imaginandi vis repugnent primæ isti de existente Deo veritati, propterea quòd oculis ille subjectus non sit ; at enim ratio, quâ præditi à naturâ sumus, facilè, si quis ad eam animum advertat, silentium illis imperat, omniaque sensuum et specierum animo ab his impressarum ludibria fugat ac dissipat.

§ 11. Argumentum III. Ex NATURA CORDIS HUMANI, cujus desideriis prorsùs satisfacere res hujus terræ nulla potest. Experimur profectò vacuitatem cordis nostri omni etiam honorum, divitiarum ac illecebrarum cumulo expleri nullatenùs posse : ultra spatia temporis sua homo desideria porrigit, atque ex ipsâ quam infinitam sentit cordis sui aviditate cognoscit, felicitatem infinitam, quò aspirare queat, propositam sibi

esse; quod nequit cognitione assequi, ad modestiam et demissionem ejus facit; quod assequitur, placet equidem, non item explet; illudque ipsum quod non cognoscit excitat inflammatque ejus animum, simulque instruit istam animi humilitatem perpetuam non fore, multò quid majus ac terrenis præstantius esse, ad quod conditus sit. Jam verò si talem immortalitatis aviditatem, si eam infinitam ad infinitum capacitatem in sese deprehendit homo, necessariò quoque erit primum, quod illam homini indidit, principium. Igitur necessariò existit primum illud principium, quod est Deus.

§ 12. Argumentum IV. Ex ANIMÆ ET CORPORIS CONJUNCTIONE, quæ sanè, quomodò se habeat, nostræ mentis aciem longissimè excedit: quâ demùm ratione nobismetipsis obtemperemus, dùm moveri corpus nostrum volumus, ipsi ignoramus. Quantùm ænigmatis in eâ cogitationis ad motum harmoniâ? quòd occasione motûs in corpore existat cogitatio, et vicissim, quòd occasione cogitationis continuò sequatur motus in corpore, nemo unus vel sensu assequetur vel verbis explicabit. At enim ex hoc ipso luculenter conficit homo animum suum, cujus natura vim mentis superat, ab infinitâ quâdam sapientiâ procreatum esse, quæ hanc animam, hoc corpus ita condidit, interque ea quæ nullam ad se rationem habent, inexplicabilem hanc consensionem induxit.

§ 13. Argumentum V. Ex LEGE NATURALI, quam cordibus nostris infixam advertimus. Notiones enim boni et mali intùs in animis nostris ferimus; ex naturâ nobis insunt, ab educatione non derivantur. Inde scilicet fluit quod sepositâ vel exclusâ quâcumque humanæ legis cognitione, interiùs persuasi convictique simus, nefarium planè scelus esse, atrox quidquam aut crudele in amici aut innocentis caput machinari vel statuere. Profectò prodigia nobis, et monstra hominum, quorum adeò memoriam detestamur, videntur illi qui horridis hujusmodi facinoribus humanitatis jura violârunt. Jam istas boni malique notiones, quas nec mutare possumus nec extinguere, ecqua demùm alia causa, quod aliud principium nobis tam altè impressit, nisi prima quædam justitia, infinitæ Sapientiæ intelligentia, suprema voluntas ordinem servari imperans, hoc est, ipsissimus Deus?

§ 14. III. et V. argumenti explicatio uberior. Ex AMORE JUSTITIÆ ET DESIDERIO GLORIÆ, quæ in nobis inesse ipsi videmus et experimur; nemo enim tam sine fronte impius erit, qui omnem legem naturalem inficietur, et scelera virtutibus paria putet; quin imò audacissimus quisque, ubi contra communes boni malive notiones offendit, se ipse reum intùs agit, omnesque occultando facinori conatus impendit. Insuper *desiderium gloriæ* tam altè nobis insidet, ut perpetuos quodammodò ejusdem clamores in nobis ipsi percipiamus; quid enim illa de propriâ excellentiâ opinio, publicæ existimationis aviditas, ambitio prærogativæ, sollicitudines, perturbationes ad læsionem amoris nostri proprii, emicantes passim spiritus, nisi miseriæ desiderii ad gloriam malè collocati? ipsi nobis fucum facimus, dùm aviditati gloriæ vanissimas res objicimus, quarum vacuitatem nostro damno experimur: altiora ei sunt proposita, quàm ut infimis hisce rebus exsaturetur. Jam verò fac Deum non esse, jam nullus erit homini justitiæ sensus, nullus ad gloriam stimulus; ille enim secum perpetuò infert, et insinuat onus officii, quo homo obligatur: at unde hoc onus, nisi foret supremus rerum omnium arbiter, qui legem imponit, terrorem imprimit, et conscientiæ loquitur? Et illa *insaturabilis gloriæ cupiditas*, cùm in terris non inveniat quo expleatur, nonne bonum præ omnibus excellentissimum et infinitum postulat, ut ne frustra hominem torquere dicatur?

§ 15. Aerem verberant *Athei*, si ex reconditâ barbarie nonnullas gentes protrahere laborant, quæ bonum ac malum juxta æstimârint, quibus pulchrum est, senes ipsos parentes jugulare, et humanis victimis idolo litare. Nego enim et pernego ullum fuisse aut nunc esse populum ratione pollentem, qui prima principia ita ignoraverit, ut, e. g., *nullo sensu ad beneficia, ad humanitatem afficeretur, qui nullâ infelicium commiseratione tangeretur*. Si qui verò in parentes aut idola malè pii fuerint, annon hoc idem ex virtutis cujusdam instinctu facere se putârunt? Nempe virtutis limites ultra quàm par est, protulerunt, voluêre brevi fato longis parentum miseriis occurrere, deosque summâ, quam ex præjudiciis suis metiebantur, religione venerari; in quo profectò satis ostenderunt insitas sibi justi injustique notiones esse, sed præjudicatis quibusdam opinionibus obscuratas; quarum si quis tenebras discussit, continuò ad unam legis naturalis semitam redierunt. Miserandos profectò impiorum conatus, qui in horridis barbarorum tesquis umbrâ venantur, quas meridiano soli offundant!

§ 16. Argumentum VI. Ex SENSU DOLORIS, cui homines sunt obnoxii; hic enim facit ut luculento protinùs testimonio asserant revera Deum esse, ad cujus præsidium nullo exteriùs monente confugiunt. Anima certè non impertit acerbissimum illum doloris sensum, quo, ubi igne aut ferro corporis partem adusseris, cruciamur: nec enim in nostrâ potestate est hoc doloris sensu carere; multò autem minùs adscribi materiæ hoc poterit; hæc enim ex naturâ suâ, ut planissimè demonstratum non semel est, vim sentiendi nullam habet. Quis igitur humanæ naturæ, ubi valida quædam in partes corporis impressio facta fuerit, tam vivum ad ima statim ossa delabentem doloris sensum indidit, nisi Deus quidam potentiæ infinitæ, qui quos creavit pro libitu periclitatur, ipsoque sensu instruit, summam virium ad puniendum penes se esse? Ejusdem porrò rationis sunt cæteræ quas in animâ sentimus affectiones, v. g., *timor* ac *terror* homini naturales, qui, quâcumque etiam explicatione usus fueris, totidem sunt elevationes creaturæ ad Creatorem. Ubi vita versatur præsenti in periculo, continuò Divinitatis opem, nemine docente, implorat homo: scilicet terrore ad Deum ducitur, suoque ex corde discit esse Deum.

§ 17. Argumentum VII. Ex SPECTACULO UNIVERSI ORBIS; hoc enim ubi oculis usurpamus, diffusas ubique admirabilis Sapientiæ notas quasi manu tenemus. Sanè si attentiùs contemplamur singularum partium inter se connexionem, omnium, quæ in naturâ sunt, operum harmoniam; admirandos nexus, quibus cœli in vasto mundi sinu rotantur, tam raros astrorum motus, et ordines, immensam lucidissimorum corporum magnitudinem, prodigiosam eorum à nobis distantiam, etsi pro nostris commodis facta sint; certum solis cursum nostris unicè usibus aptum, lunæque

luminum varietatem tum crescentis tum senescentis; fertilitatem terræ longis seculis nondùm exhaustam, quin imò recentem et vegetam ad incredibilem fructuum frugumque varietatem nobis in annos singulos suppeditandam; altitudinem et latissimam maris diffusionem; humani corporis singularumque ejus partium, si probè examinentur, inexplicabilem structuram, quæ item in reliquis ritè ordinatis corporibus animantium, et plantarum rarà specie elucet; hoc tam magnum, inquam, spectaculum, quod tam admirabile videtur, si quis contempletur, an vel momento hæsitabit, esse sapientiam aliquam infinitam horum omnium effectricem, quæ quid aliud esse possit, nisi Deus?

§ 18. Argumentum VIII. Ex MOTU RERUM CREATARUM; hæ enim cùm moveantur, necesse est primam esse causam motûs; nulla quippe res motum ex sese habere potest, ac si quid movetur, ab altero moveatur oportet.

§ 19. Argumentum IX. Ex IPSA DEI NATURA, hoc est, quòd Deus existat necessariò, nullâque à re dependeat; *est Ens à se*; cætera quippe omnia quæ sunt, ex contingenti habent quòd sint; poterant enim ac etiam non poterant existere: at verò Deus ex solâ, quam de ipso formamus, notione existit necessariò; nam fieri non potest ut aliam de Deo notionem animo comprehendamus quàm entis infinitæ perfectionis; hanc ipsam verò dùm concipimus, simul ac præ reliquis complectimur quòd re ipsâ Deus existat, utpote primam omnium perfectionum.

§ 20. Argumentum X. Ex REVELATIONE, hoc est, quòd se Deus certis et nulli dubitationi obnoxiis notis atque signis cognoscendum hominibus dederit. Convinci de eâ potest quisquis argumenta de religionis Christianæ veritate solerti examine ponderaverit; hæc enim omnia revelatione tanquàm religionis istius fundamento innituntur. Jam verò quid ipsa religio in basi omnium argumentorum collocat, nisi primam illam de existente Deo veritatem? quam ipsam et lex naturalis, quâ Hebræi ante legem Moysi à Deo traditam vivebant, principe loco ponit et citra longas quæstiones assumit. Itaque à prolixiore, hâc tamen tempestate non inutili, digressione ad scopum revertimur.

EROTEMA II.

*Quæ generatim sunt illa quorum lex naturalis homines admonuit.*

§ 21. Resp. 1°. Cùm lex naturalis per ipsum rationis lumen à Deo impressum hominibus promulgetur *, quo æternam ejus voluntatem agnoscunt, bonumque juxta ac malum discernunt (§ 14) internâ conscientiæ voce identidem monente et clamante **, *primò* omnium inducit hominem ad agnitionem Dei tanquàm Creatoris (§ 9, 10 et 12), et summi boni sui (§ 11 et 13), maximè ut ejus ad auxilium præsenti in discrimine confugiat (§ 16), ex quo conficit, deberi Deo *religionem, cultum, amorem, reverentiam, obedientiam*, etc. (11, 14 et 16) ***.

§ 22. * In quem sensum adducunt quod exstat Psalmo 4, 7: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine*, recta scilicet ratio instar radii cœlestis, quo supremus legislator æternam suam voluntatem in tempore scribit in cordibus nostris, mentique humanæ, rasæ velut tabulæ, imprimit. (§ 13).

§ 23. ** Hùc pertinet effatum doctoris gentium, Roman. 2, 14: *Cùm enim gentes, quæ legem* positivam divinam *non habent, naturaliter* Gr. φύσει scil. naturâ duce, *ea quæ legis* naturalis *sunt, faciunt, ejusmodi* sive tales *legem* positivam *non habentes, ipsi sibi sunt lex*, quatenùs scilicet legem naturalem per lumen rationis à Deo in cordibus suis descriptam gerunt (§ 13), quod ipsum Apostolus adjungit: *Qui ostendunt opus legis* naturalis *scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientiâ eorum*, Gr. συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, sc., duo in animis hominum disciplinæ moralis principia vigent, alterum est *lumen rationis*, quo bonum à malo dignoscimus, alterum *conscientia*, ex cujus testimonio vel suffragio intelligimus utrùm quod agimus justum injustumve sit. Unde l. c. sequitur? *et inter se invicem cogitationibus accusantibus*, dùm malè agitur; *aut etiam defendentibus* et approbantibus, dùm rectè operamur. Sc. in tribunali cujusque conscientiæ bona probantur; jugis enim rectè factorum comes est interior quædam oblectatio; mala damnantur, dùm aberrantem à virtutis semitâ conscientiæ stimuli urgent ac torquent. (§ 14.)

§ 24. *** Semel cognito Deum revera esse, summo jure, cui intercedere nihil potest, adstringitur homo, ut ei qui se creavit honorem et cultum tribuat. Quod enim sumus, ab ejus beneficio habemus; penes ipsum est plura in nos bona conferre, nostrasque miserias sublevare: illi igitur nostram admirationem, fiduciam, preces et gratiarum actionem nullo non tempore debemus. Homini enim lumine naturali, quod *rationem* dicimus, prædito incumbit, rectè eodem uti eique se morigerum præstare. Illo docente legem naturalem, hoc est, officii sui rationes agnoscit, simul intelligit vitio sibi verti, si iisdem desit.

§ 25. Resp. 2°: Lex naturalis instigat hominem ad curam privati boni sui, se nempe ac vitam suam ut tueatur, deinde et illa quæ ad se quâvis ratione aut necessitudine spectant, cujusmodi sunt *familia*, *bona famæ ac fortunæ*, etc. Unde consequuntur *temperantia, prudens amor, ordinata et æquabilis vitæ ac morum compositio, providentia.* Istis enim ac similibus virtutibus omninò opus est, ut se ac sua rectè moderetur, ut opus auctorem commendet, ut dignam Deo Creatore et ultimo fine, dignam homine vitam exigat.

§ 26. Resp. 3°: Lex naturalis jubet attendere ad bonum generale societatis, ex quo oriuntur *charitas* in alios, *justitia*, *misericordia*, *fidelitas*, *gratus animus*, etc., pessimè enim vita socialis haberet, si virtutum illa officia negligere, si contraria illis facinora impunè admittere fas esset *.

§ 27. * In præceptis quæ naturali lege dictantur, unum maximè cognitum et pro iis quæ inde fluunt latissimè diffusum est. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* quare, qui alteri calamitatis aliquid struunt, aut injuriæ quidquam vel damni inferunt, cùm hæc à se abstineri velint, in legem naturalem peccant: quam simul ignorare nequeunt, dùm, quæ in alios admittunt, sibi irrogari nolunt. Unde et Deus Isaiæ vocibus peccatores appellat: *Redite, prævaricatores ad cor*, Isaiæ 46. Quam verborum vim ut peccatores sentirent, sic ex eis sciscitatur Augustinus: Quis vos docuit nolle ne quis bonis vestris manus adferat, ne quis vos ipsos malè habeat, aut durius quidquam in vos statuat? sed num putas te solum talia pati nolle? *Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo?* Et Enarratione in Psalm. 59: *Nemo est qui audeat dicere, bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, bo-*

*num perjuriunt, nullus prorsùs hominum. Nam, qui illa etiam faciunt, clamant mala hæc esse quando patiuntur.*

EROTEMA III.

*Quibus potissimùm rebus homines ante diluvium lege naturali viventes quam erga Deum religionem definiebant?*

§ 28. Resp. 1° : Basin dicendorum ante supponimus in exploratâ eorum veritate, quæ Moyses et alii post eum scriptores theopneusti de mundi origine et vario hominum statu in sacris Scripturis enarrant. Mei hìc instituti est, evidentissima argumenta operosè persequi, quibus αὐθεντία Pentateuchi, et universi sacri codicis adversùs Hobbesium, Peirerium, Spinosam, aliosque impios omnis revelationis osores, et malignos eorum conatus defenditur. Eam sibi operam pridem desponderunt viri celeberrimi, ac inprimis doctissimus Petrus Daniel Huetius in nobilissimo opere *Demonstrationis Evangelicæ*, in quo apodictìcè et mathematicè divinæ Scripturæ γνησιότητα et antiquitatem à calumniis Atheorum vindicat. Arctiùs ratiocinatio illa adstringi non potuit, totaque ita conserta est et contexta, resque aliæ ex aliis nexæ et inter se aptæ colligatione necessariâ ita cohærent, ut nullis divelli argumentis, ratione nullâ labefactari queant, nec assensum lector possit abnuere; præsertim si animum, ut auctor et res ipsa postulat, adhibeat studiosum veritatis, non contumacem, tantùmque ibi demonstratis adjungat fidei, quantùm aliis rebus solet adjungere, quæ paris roboris rationibus nituntur. Sophismata porrò, fraudes et cavillationes, quibus scriptores impii fucum hodiè incautis facere conantur, magnificè eludunt ac triumphantium ritu proterunt, qui hâc ætate in Gallià hanc sibi partem sumpserunt. Ejusmodi sunt : *La Religion vengée, ou Réfutation des auteurs impies, par une société de gens de lettres*, à Paris. It. *Lettres Critiques ou Analyse et Réfutation de divers Écrits modernes contre la Religion*, etc., ac similes magno numero laureatæ pagellæ.

§ 29. Resp. 2° : Religionem suam homines ante diluvium viventes constituebant, 1° in DOGMATIS, et quidem primariis de Deo, ut auctore naturæ, conservatore, ultimo fine, qui et benè gesta et præmio se digno adficeret, et impia facinora certis suppliciis vindicaret. Ex quo simul animas hominum à morte superstites, et immortales fore intelligebant, simul et Deum sibi timendum, amandum omnique cùm exteriore tùm interiore cultu prosequendum esse agnoscebant. (§ 11, 16, 21, 24.)

§ 30. 2° In OFFICIIS RELIGIOSIS interni et externi cultùs, per *amorem Dei* super omnia, et *dilectionem proximi* ad Deum; cognito enim, homines cæteraque omnia ab infinità Dei bonitate, sapientiâ ac potentiâ profluxisse, planissimè cùm ex rationis lumine, tùm ex majorum παραδόσει intelligebant, eum rebus creatis omnibus infinito excessu præcellere et ab homine rationis compote præponendum esse*. Eisdem ex principiis manabat amor ille, quo cæteros omnes naturâ ipsis similes, et ab eodem præpotenti Deo ad suam similitudinem conditos tanquàm fratres prosequerentur, non tantùm omnem ab iis injuriam abstinentes, sed et verâ singulos charitate propter Deum complectentes. Interiorem proinde affectum externis quoque officiis contestari, et solebant et amabant; adversùs Deum nempe *precibus*, *laudibus*, *votis*, *victimis*, et varii generis sacrificiis : *Holocaustis*, quidem, ut agnitionem supremæ in Deo excellentiæ, cui se penitùs submitterent, testatam facerent : *Eucharisticis*, ut gratos se cumulatissimis Dei in se beneficiis exhiberent : *Impetratoriis*, quibus Dei opem in tot naturæ, peccato depravatæ, periculis flagitarent; ac demùm *Propitiatoriis*, ut sua adversùs Deum peccata expiarent **. Proximis autem quid deberent, ex ipso, quo in se ferebantur, amore existimare poterant. (§ 27.)

§ 31.* Longa Patriarcharum vita mirum quantùm profuit, ut quæ de mundi creatione, de primâ hominis conditione, lapsu et meliori spe, cæterisque Dei consiliis et prodigiis à protoplastis narrata fuerunt, recenti semper memoriâ vigerent, et in seros posteros proferrentur : juvat rem in tabulâ exhibere secundùm systema chonologicum. (§ 2.)

*Patriarchæ ante diluvium unà viventes.*

| | | NOE | LAMECH simul cum | MATHUSALEM simul cum. | ENOCH simul cum. | JARED simul cum | MALALEEL simul cum. | CAINAN simul cum. | ENOS simul cum. | SETH simul cum. | ADAM simul cum. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Adam. | | | | | | | | | | 800 |
| 2 | Seth | | | | | | | | | 807 | 695 |
| 3 | Enos | | | | | | | | 815 | 717 | 605 |
| 4 | Cainan | | | | | | | 840 | 745 | 647 | 535 |
| 5 | Malaleel | | | | | | 850 | 775 | 680 | 582 | 470 |
| 6 | Jared | | | | | 962 | 895 | 845 | 750 | 652 | 540 |
| 7 | Enoch | | | | 365 | 847 | 830 | 785 | 690 | 592 | 480 |
| 8 | Mathusalem | | | 969 | 904 | 784 | 735 | 685 | 590 | 492 | 380 |
| 9 | Lamech | | 777 | 708 | 643 | 523 | 474 | 424 | 329 | 231 | 119 |
| 10 | Noe | 600 | 595 | 526 | 461 | 341 | 292 | 242 | 147 | 49 | |

§ 32. ** Statum primo mundi ævo sacrificandi ritum satis docent exempla Abelis et Caïni, de quibus Scriptura, Genes. 4, 3, 4 : *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum; et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus; ad Cain verò, et ad munera illius non respexit.* Quem in locum S. Cyrillus, Cassianus, Procopius et semel iterùmque S. Chrysostomus asserunt fratres istos haud alio monitore ad sacrificandum accessisse, quàm naturali lumine quo noverant Deum, etsi nullius rei egeat, nostra tamen munera adeò non aspernari, ut iis etiam affici et honorari velit. Quibus adstipulatur S. Thomas 2-2, q. 81, art. 1, affirmans ex naturali ratione procedere ut homo rebus quibusdam sensui subjectis utatur, Deoque offerat in signum debitæ subjectionis et honoris ad eum modum, quo subditi dominis in agnitionem dominationis nonnulla de suis impendunt. *Hoc*, inquit, *pertinet ad rationem sacrificii; et ideò oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale, unde in quâlibet ætate et apud quaslibet hominum*

*nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio.* Notari præterea meretur, mentionem de Caïni et Abelis sacrificio non ideò Genes. l. c. fieri, quasi tum primùm cœperint sacrificia reddere; lectio enim fontis hebraici Gen. 4, 3, *factum est* (*mikez jamim*) *in fine dierum* jure accipitur de anni fine et post messem, ubi quotannis gratiarum agendarum causâ Caïn et Abel munera sua, et sacrificia Deo offerebant : quem morem cùm ex ratione tùm ex Adami exemplo hausisse videntur, atque ad posteros deduxisse; simul etiam aliis ex causis varia sacrificiorum genera, quæ deinceps lege divinâ certis ritibus facienda erant, celebrâsse. (§ 30.)

§ 33. 3° In MYSTERIIS QUIBUSDAM, dubitari enim nequit, ipsa naturæ jura perfectiorem in statum deducta, et beneficio divinæ gratiæ elevata fuisse, idque per ritus ac modos peculiares colendi ac implorandi Numinis ; per fidem et spem in venturum aliquando Messiam humani generis redemptorem **, tanquàm remedium peccati quod *originale* dicimus, imò etiam illius quod *actuale* appellamus; ubi scilicet perfecta in Deum charitas conjuncta fuerat, per rectè facta supernaturalis ac æterni præmii meritoria; per sempiterna îtem supplicia immortali animæ admissi sceleris reæ destinata ; denique per summa quædam religionis capita, e. g., *Anastasis* et *judicii universalis*, aliorumque similium, quorum non tam ita expressa extsant vestigia.

§ 34.* Ex eo quòd Scriptura sacra neminem in progenie filiorum Dei per Sethi lineam deductâ nominatim arguat, quin potiùs nonnullos præcipuâ laude cohonestet, satis argumenti præbetur asserendi, religiosum Dei cultum ex re et tempore constitutum ab his ac temperatum fuisse. De Patriarchâ Enos sacræ paginæ disertis verbis commemorant, Genes. 4, 26: *iste cœpit invocare nomen Domini*, non eò quòd antea homines religioni nullam navâssent operam (§ 30 et 32), sed potiùs quòd consuetum Dei cultum solemnitate ornârit, ritibus ac cæremoniis certam in formam redegerit, unusque inter plures auctor fuerit, ut qui *filiorum Dei* nomine censeri vellent, ad preces et sacrificia stato tempore convenirent. Quin imò, teste S. Augustino, l. 15 de Civit. Dei, cap. 18, vatem egit prædicens, *exoriturum populum qui secundùm electionem gratiæ nomen Domini invocaret.* Ecquis verò ambigat, non paucos ex illâ jam hominum multitudine ad tam præclari exempli imitationem sese composuisse, itaque paulatim confectam esse disciplinæ sacratioris formam in colendâ religione, et Sacris procurandis cum theologicâ eorum notitiâ quæ ad res divinas pertinent. Quo maximè facit diversitas lectionis in Hebraico Genes. 4, 26, *az huchal likro beschem Adonai, tunc cœptum est ad invocandum in nomine Domini*, sc., plures exemplo Enosi persuasi in eadem instituta consenserunt adeò, ut hoc sensu Chaldæus Paraphrastes videatur dicere h. l., *tunc inceperunt filii hominum invocare*, præsertim cùm verosimile sit, ab Enoso ritum colendi Numinis non solis verbis, quæ facilè in auras abeunt, aut aliorum ignorantiâ, oblivione, vel malitiâ perverti queunt, sed litteris, characteribus aut symbolis traditum et consignatum fuisse; negari enim illi ævo tot prærogativis ornato non debet, quod nostræ, aut Patrum memoriæ perfamiliare fuit.

§ 35.** Messiam olim venturum, homines illius ætatis, ii potissimùm, qui cogitationes suas ad Deum præ cæteris referebant, ignorare non poterant cum ex illis quæ ex doctrinâ Protoplastorum de muliere, quæ semine suo serpentis caput elisura esset, accepisse creduntur, tum ex renovatâ nonnunquàm ejusdem Redemptoris prædictione; ob eam namque spem, ut S. Epiphanius l. 1, advers. hæres. hæresi 30, cum aliis docet, *Lamech Mathusalæ* filius Genes. 5, 29, de Noemo sibi nato dixit: *Iste consolabitur nos ab operibus, et laboribus manuum nostrarum in terrâ cui maledixit Dominus.* Nempe alludens ad Hebraicum *Nuach* נוּח *quiescere* et prophetico afflatus spiritu filium suum appellat *Noe* sive *Noach*, quòd futurus esset pater *Messiæ*, verissimi pacificatoris, et lætissimi mortalium consolatoris, qui Noach et nunc parentes suos solaretur spe, mundum aliquando magis castigatum et justitiâ conspicuum futurum, atque illâ ætate erat; nempe quando is quem sub vocabulo *quietis* designat, *requiem nobis dabit à laboriosis operibus, hoc est, à peccatis nostris*, ut ait S. Epiphanius. Voluit insuper suavissima Dei benignitas ab ipsis quodammodò mundi incunabulis luculentam Messiæ figuram extare in iis quæ circa Abelem contigerunt; qui Matthæi 22 et Luc. 11, *justi* encomio per Christum celebratus est, quòd illum suâ in personâ figuraret, qui primus justitiæ et sanctitatis auctor est. 2. Natus siquidem est Abel orbe per peccatum Adami in deterius commutato; Messias verò terrarum orbe Idolomaniæ sordibus ac scelerum colluvie latissimè oppleto. 3. Evam non tam viventium quàm morientium matrem habuit Abel; meliorem Evam, veram viventium matrem Mariam sibi in parentem delegit Christus. 4. Abel ovium pastor quidni bonum pastorem, et animarum nostrarum episcopum designet? 5. Ille aut virgo fuit, aut creditus est, altum de ejus progenie silente Scripturâ; hic et virgo, et virginis filius, virginitatis auctor, sponsus et exemplum. Præterea Abel, sacrificium Deo præstantissimum obtulit, factus et ipse per martyrium hostia; atqui idem modo planè inexplicabili tam in cœnaculo, quàm in cruce summus Sacerdos noster immolavit, cujus etiam sanguis elatiori voce etiamnum hodie misericordiam apud Deum exorat, quàm sanguis Abel in fratricidam disertus fuit. Verumtamen num cui fidem superare videatur, sanctos ejus ævi Patriarchas divino lumine collustratos eo oculo in figuratum contuitos esse, quo nos figuram respicimus?

§ 36.*** Apostoli ad Hebræos doctrina his admodùm consentanea perhibet; *fide*, inquit cap 11, 4, *plurimam*, Gr. πλείονα, h. e., præstantiorem majorisque pretii *hostiam Abel, quàm Caïn, obtulit Deo*, sc. Fides viva, efficax et per actus latriæ, sacrificii, devotionis et charitatis operans ac præmia in cœlis proposita respiciens excitavit Abelem, ut amplioribus hostiis divinam rem conficeret. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem;* videlicet fides futuræ remunerationis stimulos addebat Henocho, ut ad studia clarissimarum fidei actionum magno animo incumberet, quibus *cum Deo ambulavit* tanquàm amicus cum amico, aut potiùs tanquàm servus cum domino jugi commercio conversatus, per quæ tanta sibi merita cumulavit, ut à Deo ex humano consortio abreptus et translatus in paradisum fuerit. At idem, teste S. Judâ Apostolo, vaticinium de supremo orbis judicio edidit, *dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*, etc., quod sive divinitùs Judæ inspiratum, sive continuatâ παραδόσει, ad notitiam Apostoli pervenerit, manifestè pro receptis apud Patriarchas dogmatis perorat. Adjicit demum Paulus, l. c.: *Fide Noe responso accepto* (χρηματισθεὶς, h. e., oraculo Dei admonitus) *de iis quæ adhuc non videbantur*, sc. de futuro orbis diluvio, *metuens* (gr. εὐλαβηθεὶς, h. e., Deum, cujus timorem alii abjecerant, reveritus) *aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum.* Ita enim verò *Noe, vir justus ac perfectus*, à Scripturâ prædicatus, justitiæ ac pœnitentiæ præconem se, et magistrum præbuit, impendentem humano generi divinam ultionem cum voce, tum missis quaquaversùm nuntiis vel epistolis denuntiavit, ipsosque centum et ampliùs annos hominibus salutari timore percellendis inexplebili charitate impendit. Jam verò tantis religiosi cultûs magistris, qui simul divinæ voluntatis interpretes, simul rerum futurarum præscii fuerant, quàm copiosâ religionis notitiâ imbui mundus et colluctrari poterat!

EROTEMA IV.

*Quibus modis homines post diluvium, ante legem Mosaicam viventes, religiosi erga Deum fuerunt?*

§ 37. Iisdem ferè, quibus ante diluvium, quamdiu scilicet ab avitâ majorum pietate, sano rationis instinctu, et doctrinâ religionis per manus quodammodò traditâ non desciverunt : quo autem pacto conservari ista ab ipsis mundi primordiis, et ad Abrahamum usque proferri possent, altera de Patriarchis post diluvium tabula ostendet.

*Patriarchæ post diluvium unà viventes.*

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 Sem. . . | 448 | | | | | | | | | |
| 2 Arphax . | 438 | 500 | | | | | | | | |
| 3 Sale . . . | 433 | 433 | 505 | | | | | | | |
| 4 Heber . . | 285 | 433 | 275 | 403 | | | | | | |
| 5 Phaleg. . | 253 | 253 | 253 | 253 | 253 | | | | | |
| 6 Reu . . . | 219 | 253 | 209 | 253 | 253 | 209 | | | | |
| 7 Sarug . . | 187 | 250 | 177 | 250 | 250 | 177 | 207 | | | |
| 8 Nachor. . | 148 | 148 | 147 | 148 | 148 | 147 | 148 | 148 | | |
| 9 Thare . . | 148 | 205 | 118 | 205 | 205 | 118 | 148 | 171 | 119 | |
| 10 Abraham | | 150 | | 118 | 175 | | | 18 | 41 | 75 |

THARE simul cum . . . . . 75

NACHOR simul cum . . . . . 119

SARUG simul cum . . . . . 148

REU simul cum . . . . . 207

PHALEG simul cum . . . . . 209

HEBER simul cum . . . . . 253

SALE simul cum . . . . . 403

ARPHAXAD simul cum . 505

SEM simul cum . . . 500

NOE simul cum . . 448

Sem itaque à Noemo omnia veterum Patriarcharum instituta totumque religionis σύστημα tam longo, quo unà vixerunt, spatio discere atque adeò oculis usurpare poterat, iisdemque præsidiis cum posteris suis communicare. Unde etiam à diluvio religiosum cultum exercebant.

§ 38. I. Sacrificius, primitiis, decimis. Sacrificandi quidem institutum tum ex naturali instinctu tum ab exemplo majorum et doctrinâ repetebant (§ 32). * De offerendis Deo *primitiis* sive primis fructibus in gratiarum actionem pro frugibus terræ, item de *parte decimâ* fructuum divino cultui impendendâ nihil lege naturali definitur; licet ut tam ista quàm illæ sacros in usus conferantur, naturali juri et rationi omninò consentaneum videatur. Decet sanè ut Deo, h. e., honori et cultui ejus, à quo in mortalium commoda liberali largitione tam multa effunduntur, et prima quæque et justa insuper portio ad qualem qualem beneficii recognitionem rependantur. Unde non solùm patriarchas, ** sed etiam gentiles huic se mori accommodâsse accipimus ***.

§ 39. * Gen. 8, 20. *Ædificavit autem* Noe, arcâ egressus, *altare* (heb. *mizbeach* à mactandis victimis dictum) *Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Gen. 12, 7, 8, Abraham in Chananitidem ex Haran progressus, primò *pervenit ad locum Sichem usque ad convallem* Mambre, quæ deinde *illustris* ob eximios ibi in Abrahamum collatos à Deo favores appellata est..... *ædificavit ibi altare Domino*, in quo scilicet victimas Deo obtulit gratiarum agendarum causâ, quòd Deus eam suis posteris regionem addixisset. Inde iter prosecutus est ŷ 8 ad montem, qui ad orientem erat civitatis *Luza*, deinceps *Bethel* dictæ, ac pari ibidem religione defunctus est, ædificando scilicet altare et coram suis ac extraneis verum Deum prædicando, laudando et oblatis ritè victimis celebrando. Quid porrò religiosissimus ille patriarcha gesserit, dùm ad Isaacum Deo immolandum se accingeret, scimus ex Gen. 22, dùm ad fœdus solemni ritu cum Deo percutiendum certa animalia et aves in sacrificium eligeret, ex Genes. 15. Actiones Melchisedechi sacerdotio proprias legimus Gen. 14. Jacob Genes. 28 lapidem *erexit in titulum*, hebr. *mazepha*, sive in monumentum ad memoriam rerum ibi gestarum tum apud se, tum apud posteros conservandam, cùm etiam in signum propositi, quo jam tum animo designabat altare eodem loco exstruendum, etc. Genes. 35, 14, *erexit titulum lapideum*, qui et monumentum esset factæ sibi à Deo promissionis, et simul altare, quo ad sacrificandum et libandum, h. e., ad libamina in honorem Dei effundenda utitur. Quibus ab exemplis pronum est conficere, quàm statæ illius ætatis religiones fuerint in excitandis ubique aris et pecudibus frugibusque vario ritu immolandis.

§ 40. ** Id primò ab Abrahamo factum esse ante legem Moysis, disertis verbis divina Scriptura tradit, Genes. 14, 20, *et dedit ei*, sc. Melchisedecho, *decimas ex omnibus* et quidem intuitu sacerdotii et ministerii publici; nulla enim alioquin vis esset argumenti Paulini ad Hebr. 7. Abrahæ avi exemplum concepto ad Deum voto secutus est Jacob Genes. 28, 22. *Lapis iste, quem erexi in titulum*, inquit, *vocabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi;* quo autem pacto voti se religione Jacob expedierit, an ipse dederit, an, ut putat Oleaster, posteros suos eâ lege voluerit adstringere, ut bonorum omnium decimas penderent iis quibus offerri Deus juberet, id verò Scripturæ testimonio definire non licet.

§ 41. *** Certè *Herodotus* in Clio testatur *Cræsum* ad Persarum regem *Cyrum* prolocutum : *Siste*, inquit, *ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, ut earum decimæ Jovi necessariò reddantur.* Similiter *Agis*, inquit *Xenophon*, *Delphos profectus est, ac decimam Deo obtulit.* Neque minùs de Latinis scriptum reliquit *Tullius* l. 1 de Nat. Deor. *Herculi*, inquit, *quisquam decimam vovit unquàm, si sapiens factus fuisset?* In more apud veteres Romanos positum quoque fuit, nemini fas esse, novas fruges aut vinum gustare antequàm sacerdotes primitias libâssent, ut Plinius refert l. 18, cap. 2.

§ 42. II. In officiis amandi et adorandi Deum (§ 30) quæ primùm mente et spiritu, tum externo corporis habitu et signo externo exequi decuit; quanquàm jure naturali definitum nihil exteriori in cultu fuerit *.

* Abraham viso et audito Deo cecidit pronus in faciem, Genes. 17, 2, sub schemate angelico adoravit in terram. Genes. 18, 2. Eliezer viso factæ præcationis effectu, inclinavit se et adoravit Dominum... procidens adoravit. Gen. 24, 26, 52.

§ 43. III. In lege referendæ gratiæ, spe et precatione (§ 24). Deus enim, rerum omnium conditor, vitæ humanæ administrator, ac mortalium supremus judex, cùm finem se excellentiorem nec habeat, nec habere possit, sua item est et omnium mentium plena summaque felicitas. Has leges altè sibi impressas multimodis testati sunt, qui post eluvionem vixêre *.

* Abraham et Jacob varias suas stationes peculiari numinis implorandi ritu nobilitârunt, in *Bethel*, Gen. 12, 8; in Bersabee, Gen. 21, 33. Jacob iisdem in mansionibus ac nonnullis vitam, victum, liberos, sua omnia Deo horum largitori gratus adscribit, Genes. 33, 9, 48, 15.

Ita Melchisedech ob victoriam ab hostibus Abrahami fortitudine relatam honorem Deo defert, Genes. 14, 19.

§ 44. IV. In VOTO AC JUREJURANDO. Nempe vota libera rerum præ aliis Deo gratiorum ad cultum juris naturæ permissum, non verò ullâ lege præceptum referuntur. Ejusmodi se voto obstrinxit Jacob iter in Mesopotamiam prosecutus, Gen. 28, 20. *Vovit etiam votum dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in viâ per quam ego ambulo..... erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei* *.

Porrò *jusjurandum*, quo divinam veritatem invocamus, quo omnis penè controversiæ finis quæritur, aut confirmatur, Hebr. 6, 16. Jure naturæ licitum justumque censetur, scilicet, si veri Dei nomine emittatur; certis tamen ritibus non utitur, sed humano arbitratu variis **.

§ 45. * Neutiquàm Jacobi verba eum in sensum accipi fas est, quasi ipsum *interiorem* Dei cultum, cujus religione nemo non adstringitur, voto certis conditionibus sibi imperaret, firmaretque; hic enim religiosi voti materiem nullo modo habet, et Jacobo aliunde status sanctusque fuit. Sed quem quis pro certo pollicerì ac confirmare potest, *externum* peculiari modo, loco ac tempore exhibendum cultum; is enim verò Jacobo votum nuncupanti propositus erat : promittit, altare ab se erectum eo in loco iri, in quo visio oblata ipsi esset, locum à se nomine *Bethel* (domus Dei) eorum, quæ ibi acciderant, in memoriam decorandum; et tandem se decimas bonorum omnium Deo præstiturum, si Deum sibi ac itineri suo liberaliùs faventem ac propitium habiturus esset. Hæc si ex animi sententiâ non succederent, damnari voti nolebat.

§ 46. ** Plura jurisjurandi à patriarchis editi exempla sacer codex profert. Abimelech, ne quid detrimenti ab Abrahamo sibi timendum esset, jurisjurandi ab eo religionem exigit, Gen. 21, 23, et quidem *Elohim* pariter cùm Laban mutuum de amicitiâ fœdus percutere cum Jacobo vellet, Genes. 31, 53, ipse quidem falsa numina cum vero Deo commiscens testes appellat *Deum Abraham, Deum Nachor, et Deum patris eorum*, sc. Thare; Jacob autem jurisjurandi vim religiosiùs colens per unum *Deum, quem timuit Isaac*, adjuravit. Idem filium suum Joseph, Gen. 47, 31, ut corporis sui exuvias in avito Patrum sepulchro terræ Chanaan conderet, jurejurando obligavit. Quid porrò eumdem inter Jacobum et Esavum, dùm ille hujus jus ex natalium prærogativâ emere cuperet, intercesserit, manifestum est ex Genes. 25, 33, non ita, quo ritu in jurando processerint. Ex maximè raro rituum genere æstimare illud debemus, quod Eliezer manu subter femur Abrahami positâ sacramento se obligârit, Gen. 24, 9. Μυστηριώδες quid habere id multis videtur et ad Messiam ex Abrahami progenie nasciturum, per cujus quoque nomen jurâsset, pertinere.

EROTEMA V.

*Utrùm ante legem Moysis data fuit hominibus lex aliqua positiva divina?*

§ 47. ℟ 1. Quòd si *legis* * nomine accipimus plurium legum multitudinem, prout ab uno legislatore traduntur in ordine ad instituendam, sive dirigendam aliquam rempublicam vel congregationem hominum secundùm peculiarem quemdam statum, pro certo ponendum est nullam ejusmodi legem ante Moysen exstitisse; communi enim et receptâ divisione omnem legem in *Veterem* et *Novam* partimur, ** neque ex Scripturæ testimonio repetere possumus peculiares de sacrificiis et sacramentis, de aliis religiosis ritibus aut moribus leges. Unde quidquid temporis ab Adamo ad Moysen usque lapsum est, *lege naturæ* comprehendimus, à quâ neutiquàm separamus *legem*, hoc sensu connaturalem, *** GRATIÆ sive *legem fidei ;* quippe secundùm ordinariam Dei providentiam, ut Suarez l. 1 de nat. legis in communi cap. 3, docet, nunquàm illâ potuit mundus omninò carere, cùm ex doctrinâ Apostoli Roman. 2, 3, *factores legis* semper potuerint divinæ gratiæ auxilio *justificari*.

* Eum in sensum Sacra Scriptura de lege sæpiùs loquitur. Sic Joan. 1, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Identidem apud Paulum in epistolis ad Romanos, præcipuè ad Galatas, eâdem notione accipitur, sicut etiam lex gratiæ tanquàm una lex ad Romanos 8, appellatur : *Lex Spiritûs vitæ.*

§ 48. ** Quidquid toto veteri Testamento continetur, *legis veteris* nomine designari multis ex Scripturâ locis ostendit S. Hieronymus Epist. ad Algasiam; id tamen nominis præcipuè tribui collectioni præceptorum discimus ex eo quòd lex dicatur *per Moysen data*, ipseque Christus illam divisionem instituat, ubi Luc. 24, 44, ait : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et psalmis de me.* Alteram verò *legem*, quam *novam* nominamus, promisit Deus Jeremiæ 31, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam :* eadem indicatur apud Isaiam 2 et Michæam 4 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem :* hæc demùm est *lex Fidei*, Roman. 3, *Gratia*, sive *lex Gratiæ*, Galat. 5.

*** Naturale quodam modo appellatur, quod cum naturâ concreatum est, semperque in illâ perseveravit; itaque lex illa Gratiæ semper humano in genere fulsit, nullo enim tempore id accidit ut in totâ hominum universitate, sive omni in Ecclesiâ lumen fidei deesset, aut supernaturali illâ lege divinâ homines penitùs carerent; quippe quâ destituti ad Cœlestem beatitatem efferre sese non potuissent.

§ 49. ℟. 2. Nonnulla sacra ex Scripturâ colligi videntur; quorum observatio ad alias quoque gentes manavit, quæ vel soli juri divino vel juri naturali et divino simul adscribere Patres ac interpretes solent. Ejusmodi sunt *perpetuus matrimonii nexus*, quo viro prohibetur uxorem repudiare et alteram ducere, Genes. 2, 24. * Fuga *polygamiæ* simultaneæ, ut ne vir simul cum pluribus uxoribus in matrimonio possit vivere, Genes. l. c. ** *Sabbathi*, sive diei septimæ cultus religiosior saltem jam tum designatus. ***

§ 50. * *Jure divino*, status conjugii ab ipso mundi primordio pactum seu vinculum nodavit *perpetuum* atque *indissolubile*, idque ratione universitatis hominum etiam paganorum, quippe et isti non minùs ac fideles submittere se divinis imperiis debent; quamobrem Deus, ut Christus, Matth. 19, asserit, Adamo matrimonii legem insinuat Genes. 2, 24. *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ;* quibus sanè verbis arctissima et individua significatur conjunctio, quam Hebræus voce *dafak, agglutinabitur*, Græcus voce προσκολληθήσεται emphaticè exponit. Unde permissio repudiandæ uxoris à Moyse subìn Judæis *ob cordis duritiam* facta ex plurium theologorum sententiâ ac præcipuè Estii in 4, dist. 33, Sect 9, eosdem coram divino judice culpâ liberos non præstitit, sed illâ solùm pœnâ quâ qui fidem conjugii violârunt lapidibus obruendi erant. *Ab initio autem non fuit sic*, inquit Servator, Matth. 19, 8, qui et sublatâ Moysis permissione matrimonii nexum primæ institutioni vindicavit. Hic porrò nexus, quatenùs *spectato jure naturæ* firmus et indissolubilis

existat, non unus est auctorum consensus; eam tamen perpetuitatem, *spectato naturæ statu*, naturæ rationali admodùm consentaneam esse, plurima possunt momenta persuadere. De quo ex professo disputant, qui de jure naturæ et gentium sanis è principiis argumentantur.

§ 51.**Polygamiam, quatenùs *juri naturæ* repugnet, haud pronum est definire: eamdem jure naturali prohibitam multi conantur evincere tum ex fine primario itemque secundario matrimonii, tum ex incommodo societatis humanæ; qui secùs opinantur, illis maximè, quæ Sacra Scriptura de laudatissimis olim viris polygamis offert, fortiter insistunt. Sed enim *spectato jure divino* ab incunabilis mundi conjugium, habitâ etiam ratione omnium hominum, *vinculum duorum* notavit; non enim dictum accepimus: *Adhærebit uxoribus*, sed UXORI; non *tres vel plures*, sed DUO *erunt in carne unâ;* itaque in *lege veteri* dispensatum cum Patribus ad multiplicandum populum fidelem fuit; in *lege novâ* autem polygamiam divino jure prohibitam, nemo catholicorum inficias ibit, asserente Trid. sess. 24, can. 2: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.*

§ 52.*** *Benedixit Deus diei septimo et sanctificavit illum*, Genes. 2, 3, sc. segregavit eum diem à cæteris, plurimas ei tribuendo prærogativas jam tum eo consilio, ut in Judæorum religione esset sacer et divino cultui dedicatus. Qui mos latissimè se diffudit. Insignis est locus R. *Gedaliæ* in Catenâ Cabalæ, quo in confesso apud ethnicos esse ait, universum orbem sabbathum celebrare. Insignis et ille Josephi, l. 2 contra Appionem: Οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων οὐδηντισοῦν, οὐδὲ βάρβαρος, οὗδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθνος οὐ διαπεφοίτηκεν. Nulla omninò urbs est vel Græcorum vel barbarorum, neque ulla gens ad quam non penetraverit mos celebrandi septimi diei, quem feriati traducimus. Vetustissimam sabbathi originem docet etiam Herodotus l. 2, uti observavit Grotius, de Verit. Rel. Christ. l. 1. Consentit Tacitus l. 5. Hist., sed falsam Judaici sabbathi originem prodit; scimus enim plerosque populos sacrum habuisse septimum diem, et die hoc mundi creationem absolutam existimàsse. Nolim tamen positivum Dei præceptum Adamo de sabbathi cultu datum inde deducere, cujus nullum sat certum in Scripturâ vestigium extat; præsertim cùm exploratum non sit, sabbathi diem ante Moysis legem solemniùs vel celebratum vel observatum fuisse.

§ 53. R. 3°. Verosimile est ante legem Moysis datum fuisse à Deo hominibus interdùm unum vel alterum præceptum peculiare, quod nempe pro divinæ voluntatis et sapientiæ consilio illius temporis rationibus accommodatum et opportunum erat. Mentionem de nonnullis sacræ item paginæ inferunt. 1°. Homini adhuc innocenti lex non comedendi de ligno scientiæ boni et mali, Genes. 2, 17, disertè proponitur. 2°. Ut ne *filii Dei*, h. e., oriundi è familiâ *Seth* matrimonio commiscerentur cum *filiabus hominum*, sive ortis ex familiâ Caini, Genes. 6. 3°. Ex communi theologorum doctrinâ datum hominibus, post peccatum Adami, fuit præceptum de usu alicujus sacramenti, quo possent non solùm adulti, sed etiam à labe peccati originalis purgari. 4°. Discrimen inter animalia munda et immunda repetimus ex Genes, 7, vel in ordinem tantùm ad sacrificia, si, quod communior sententia tenet, ab esu carnis ante diluvium sese abstinuerunt *; vel etiam in ordine ad cibum, si fortè, quod nonnulli autumant, carne tum vescerentur **. 5°. Post diluvium hominibus in lege naturæ etiamnùm viventibus duo nominatim præscripta legimus, nempe, Genes. 9: *Carnem cum sanguine non comedetis*; et Genes. 17: *** *Tu ergo custodies pactum meum... circumcidetur ex vobis omne masculinum.* ****

§ 54. * Etsi de lege quæ hominibus ante diluvium viventibus occisionum animalium aut carnis in cibos usu interdiceret, nihil explorati tenemus, potiori tamen ratione dicendum videtur, non tantùm religiosiores Sethi nepotes, sed et alios vel semper vel plerùmque ab edendâ carne abstinuisse: Sethianos quidem ac maximè Patriarchas religio major et temperantia ab alimento carnis satis superque avocârunt; alios quibus par religio ac severior disciplina non erat, fructus terræ tum sapidiores, vel certè nausea quædam ob multiplicem alimenti, quod à carne habetur, impuritatem, et ipsa ejus ævi simplicitas intra limites temperatissimi victûs continuerunt.

§ 55. ** Fieri facilè potuit ut Noe naturæ ductu, consuetudine aut parentum suorum institutione usum discernendi inter animalia haberet, in ordine potissimùm ad sacrificia; quam differentiam Moyses anticipato nomine significavit per discrimen mundorum animalium et immundorum, quamvis talia ex ritu legis non essent; nec fortassè omninò idem cum illo discrimine, quod postea *lege veteri* fuit sancitum.

§ 56. *** Lati hujus præcepti observatione videtur Deus non minùs experiri voluisse ac exercere hominis post diluvium obedientiam, quàm deterrere eum à fundendo humano sanguine; simul etiam sanitati hominis consulere, cui à sanguine copiosiùs et frequentiùs in cibum adhibito non leve incommodum accedit. Cæterùm cùm omne præceptum positivum legi naturæ superadditum lege novâ per Christum invectâ cessaverit, desiit pariter illud de sanguine non comedendo; farciminum alioquin usus aut suffocatorum, v. g., in columbulis non emisso sanguine jam nunc in prohibitis censeretur, quibus tamen fideles, conscientiâ nihil obstrepente, vescuntur. Quare, quæ, Act. 15, 20, 29, rursùm prohibentur, non omnes fideles omni tempore afficiunt, sed, vel eos tantùm, qui Judæis finitimi erant, vel tamdiù, donec Judæi cum gentilibus unam in Ecclesiam coaluissent, quæ conjunctio ut esset facilior, submovendum id maximè erat, quod Judæorum cum gentilibus conversationem et convictum impediret.

§ 57, **** Præcepto isto lex vetus inchoata fuisse quodammodò videtur, quæ scilicet à Deo singulari ratione anticipata per aliquod tempus fuit, quòd multiplicando populo, cui ex peculiari delectu danda deinceps lex erat, sufficeret. At enim cùm generale præceptum de usu cujusdam sacramenti sive signi antecederet, quod ad impetrandam à Deo, mediante fide Christi, remissionem peccati originalis valeret (§ 53), dici commodè potest, et istud generale per legem vel consuetudinem humanam fuisse determinatum, et illud de circumcisione determinationem prædicti generalis speciatim à Deo pro Israelis populo factam continuisse.

### EROTEMA VI.

*Quid de Noachidarum præceptis sentiendum est?*

§ 58. *Advertè:* Hebræorum magistri præcipuis in libris suis recensent præcepta quædam *Noachidarum*, quibus solis, utpote *juris naturalis Noachidæ* sive omnes gentes ab Hebræâ distinctæ tenerentur, cùm Hebræis tanquàm populo speciatim electo peculiaria per Moysen à Deo præcepta fuerint tradita. Majora atque illustriora septenario numero complectuntur, iisque ut se submitterent, adigebantur à Judæis *proselyti domicilii*, sive ii qui ex gentibus terram Israeliticam pacis vel alterius commodi causâ incolebant citra Judaismi professionem. Solent autem hoc ordine plerùmque recenseri.

I. *De cultu extraneo* sive de fugâ Idololatriæ et cujusvis superstitionis.

II. *De maledictione Nominis Sanctissimi.*

III. *De effusione sanguinis*, sive homicidio.

IV. *De revelatione turpitudinum*, sive illicito concubitu.

V. *De furto et rapinâ.*

VI. *De judiciis*, seu regimine forensi ac obedientiâ civili.

VII. *De membro animalis viventis non comedendo.* De quibus nunc procedit quæstio, ad quam

§. 59. ℟. Præcepta Noachidarum *imperfectam, incertam et mancam* juris naturalis disciplinam exhibent. 1° quia ex his non conficitur *principium omnibus certum*, ex quo naturæ præcepta vel *evidenter* fluant, vel saltem ad vim *demonstrationis* deduci et inferri queant. Tantine videatur Noachidarum auctoritas, quam nonnisi ex Hebræorum παραδόσει accipimus*, omnes ut populi persuaderi illa et ad parendum constringi possint? 2° Præceptis illis nonnisi *Hebræorum sensa*, non semper rationi aut veritati consentanea, continentur : ** et cur ex Hebræorum mente eisdem non alii, nisi *Proselyti domicilii* obligentur? 3° Ipsis in præceptis invenitur, quòd deficiant in necessariis, et aliunde permissis repugnent. An non enim è primis naturæ principiis constat, (§ 21) Deum *positivo cultu* colendum esse atque amandum? quid igitur priora duo horum præceptorum solùm in iis versantur, à quibus declinandum est? Cur septimo præcepto inhibetur, quod, Deuteronomii 14, 21, permitti gentibus intelligitur? *Quidquid morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Dei es.*

§ 60. * Certiùs ista præcepta ex Jobi commentariis petiisset Joannes Seldenus, famosus Angliæ jureconsultus, qui seculo elapso hanc Noachidarum disciplinam ex Hebræorum documentis eruit et orbi proposuit. Luculenta enim eo in libro ante legem Mosaicam conscripto vestigia sex priorum præceptorum exstant, e. g., I. De *cultu extraneo*, cap. 31, 26 : Si vidi solem... et lætatum est in abscondito cor meum... quæ est iniquitas maxima, etc. II. *de Blasphemiâ*, cap. 1, 5 : Ne fortè peccaverint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis. III. *de Homicidio*, cap. 31, 29 : Si gavisus sum ad ruinam ejus, etc. IV. *de Adulterio*, ibid. ŷ 9 : Si deceptum est cor meum super muliere : et cap. 24 : Oculus adulteri observat caliginem : it. cap. 31, 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. V. *De Furto* ibid. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges : it. cap. 31, 7. VI. *de Judiciis*, cap. 27 : Quando procedebam ad portam civitatis... Pater eram pauperum.

** Auctore Seldeno, l. 5, cap. 6, *de Jure naturali et Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, fornicationem jure naturali licitam putabant : quod sanè erratum est tum ex propositione damnatâ ab Innocentio XI : *Fornicatio non est mala secundùm se, sed solùm ut prohibita à Deo :* tum ex gravibus solidarum rationum momentis, de quibus P. Schwarz S. J. de Jure Naturæ, l. 1, tit. 4, de officio hominis erga seipsum.

EROTEMA VII.

*Quibus modis homines ab avitâ religione ad idololatriam desciverunt?*

§ 61. ℟ I. Impensa idolis et falsis numinibus veneratio, ac generatim omnis cultus impius, superstitiosus, sacrilegus originem suam variis è causis trahere poterat; *prima* tamen et *potissima* non longiùs arcessenda, sed ipso ab homine in pejora prolapso repetenda citra controversiam est. Quid enim humani cordis depravatio, rerum ante gestarum oblivio, præsentium ignoratio, fastus, audacia, mala cupiditas, ardens studium in res sensibus subjectas, brutæ affectiones, effrenis proci alicujus amor, præpostera patris in filium, sponsæ in maritum dilectio, intemperata subditorum in principes, filiorum in patres pietas, vilis adulatio, nimia donorum in rebus ac personis effulgentium admiratio, quid, inquam, hæ similesve causæ vel solæ vel simul junctæ efficere faciliùs poterant, quàm ut mentibus offunderetur caligo, habita de rebus cœlestibus cognitio excideret, et innata hominibus de Numine idea illùc paulatim detorqueretur, ut quos mortales immoderatiùs amabant et æstimabant, eisdem divinos demùm honores impenderent.

§ 62. ℟ II. Peculiares causas varii varias assignant; ac inprimis auctor libri *Sapientiæ* præcipuos idololatriæ fontes ostendit, cap. 13, 14, 15, inter quos ponitur 1° *supervacuitas* sive vanissima ambitio, de quâ S. Athanasius : Hominum ambitione idololatria in mundum inducta est. 2° *Furiosus amor* in defunctos, filiorum in parentes, subditorum in reges.* 3° *Fabrica imaginum* ac *statuarum.*** 4° *Ignorantia Dei et fraus dæmonum;* quæ summatim complexus *Cornelius* à Lap. sic effert : Idolum ergo finxit defunctorum amor et ambitio, provexit adulatio et metus principum, firmavit fraus dæmonum, splendor idolorum, tot seculorum error et usus. ***

* Sapient. 14, 15 : *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem; et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquàm Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia... Tyrannorum imperio colebantur figmenta, et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè abessent, è longinquo figurâ eorum allatâ, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum qui aberat, tanquàm præsentem colerent suâ sollicitudine.*

** Sapient. 14, 18 : *Provexit autem ad horum culturam, et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens placere illi qui se assumpsit, elaboravit arte suâ, ut similitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tanquàm homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt.*

*** Sapient. 14, 21 : *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt... ŷ 16, deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquàm lex custoditus est* (1).

EROTEMA VIII.

*Quam in ætatem idololatriæ initium est referendum?*

§ 63. ℟ I. Non improbabile existimatur idololatriæ principium à conceleratis hominibus, qui ante generalem eluvionem vixerunt, repetendum esse. Rab-

(1) Confer Bannerii Mythologiam t. 1; Fourmontii *animadversiones*, P. Turneminii programma quoddam ad fabulas explicandas in Trivultianorum Patrum litterariis Ephemeridibus propositum.

bini crimen superstitiosi cultûs Caini posteris objiciunt. * Consentiunt iisdem scriptores Orientales; denique hominum ejus ætatis conditio et effrenis peccandi licentia rem videntur persuadere.

* Opinioni suæ, malè accepto verborum sensu, accommodant, quod, Genes. 4, 26, de Enos Scriptura commemorat, idque ex Hebraico ita reddunt : *Tunc cœptum est profanari nomen Domini*, illo scilicet idolis communicato; sed perperàm hoc sensu explicari ostensum est (§ 34), ampliùsque aliorum interpretum versiones edocent; legunt enim cum S. Hieronymo Septuaginta: *Hic speravit invocare nomen Domini*. Itaque firmius opinionis suæ momentum statuerent ex corruptione morum ac impietate, quæ in progenie *Caini* sive in *filiis hominum* omnia humana divinaque jura violavit et pessumdedit; de quâ Scriptura testatur, *cunctam cogitationem cordis fuisse intentam ad malum omni tempore, et omnem carnem corrupisse viam suam super terram;* quidni et atheismus et idolomaniæ scelus invaluisset? (§ 61) (1).

§ 64. ¶ II. Solemnis epocha fusæ per orbem idololatriæ figenda esse videtur ad Babelicam linguarum confusionem; cùm enim homines hâc pœnâ divinitùs mulctati quaquaversùm dilaberentur *, atque adeò ab iis, penès quos castior Dei cultus etiamnùm perstitit, longiùs disjuncti essent, facilè accidit, ut ex amore creatarum rerum caligo mentis incresceret, verique Dei cognitionem paulatim extingueret. Dùmque inter ea aliqualis de altiore quodam numine idea retineretur, et ipsa ex se sat rudis rerum exteriorum per sensus illapsarum imaginibus commisceretur, eò suâ quasi sponte vel certè urgente cordis depravatione (§ 61) processerunt, ut quidquid vim se movendi aut excellentiæ quidquam vel potestatis præ se ferret, notione divinitatis insignirent, et impio demùm cultu prosequerentur (§ 62.) **

§ 65. * *Josephus*, Antiq. l. 1, cum Patribus plerisque videtur tenuisse, tam rapidos progressus idololatriam eâ ætate fecisse, ut brevi primas ubique obtineret; quòcumque enim Abrahami tempore oculos convertamus, nihil utique, nisi superstitionem et idololatriam offendemus. Affirmari tamen summâ veri specie poterit, idololatriam sensim et per gradus ad fastigium eluctatam esse, ut, qui omnium primi infami hoc scelere se contaminârunt, longè abfuerint ab eâ insaniâ, ad quam deinde lapsu temporis cæci mortales evaserunt : nec arbitramur totam simul idolomaniam ejusdem regionis crimen fuisse, quin potiùs singulæ singulos deos et religionem corruptis suis moribus aptam fabricârint.

§ 66 **. Nullo satis certo et historico documento adstrui potest, quis idololatrici sceleris auctor reipsà fuerit. Volunt nonnulli facinus illud repetendum esse ex *Cham* filio Noe; ejus certè progenies diris à Noemo devota à legum naturalium semitâ celeriùs deflexit, et per illuviem scelerum in suos propagatam rationis lumen penè extinxit. Sunt, qui id criminis malint referre ad *Chanaan* filium Chami; ac, si fides S. Epiphanio, *Sarug* avus *Thare* primus omnium post diluvium idololatriam invexit. Communior tamen sententia, cui et PP. Ambrosius, Hieronymus, Cyrillus, Eusebius adstipulantur, auctorem ejus nominat Nemrodum seu Belum *virum superbum et arrogantem*, uti à S. Cyrillo vocatur. Illam verò, quæ in statuis regnat, adscribere malunt *Nino*, qui primus ad Beli patris idolum *auctoritate publicâ* reis asylum concessit.

(1) Auctores in hanc rem benè multos appellat P. Alphonsus Nicolai, tom. 3 Lectionum Biblicarum

EROTEMA IX.

*Quibus rebus vel personis divini honores præ cæteris sunt primò attributi?*

§ 67. ¶ 1° : Jure merito viri liberali doctrinâ politissimi arbitrantur, *solem*, *lunam et sidera* omnium prima fuisse, quibus numen aliquod suo cultu dignum insidere mortales credidêre. Admirabilis enim, quo rutilabant, fulgor, vis et majestas, et derivata inde in universum terrarum orbem commoda tanti penès ipsos valuerunt, ut Auctoris potentiam obliti, divinitate ipsa et cultu donarent. 2° Maluerunt alii vetustissimâ idololatriâ in Numen consecratos fuisse *spiritus*, quos in astris morari et ingentia mortalibus beneficia conferre dicebant; maximè autem *dæmonas*, quorum vexationes tristi experientiâ notaverant, quo sensu verum est illud Lucretii :

*Primus in orbe deos fecit timor.*

3° Degeneratum post hæc ad *animas et genios*, ad *heroes*, ad *clarissimos* quoscumque *viros* in Deorum numero habendos. 4° Nec minùs in *elementis* aliquid humano majus venerabantur; potissimùm in *igne*, cujus cultum à Nemrodo subjectis eidem populis traditum fuisse volunt, indeque diutissimè apud Persas obtinuisse, à quo nec hodiè variis in locis discessum est. 5° *Mox manuum opera*, *aurum*, *lapides*, *animalium figuras* deorum nomine decorabant. 6° Eò demùm impietatis et insaniæ proruerunt, ut non erubescerent, *muta animantia*, *dracones*, *serpentes*, *herbas*, *frutices*, quid? quòd ipsa deorum *scelerata facinora*, suaque *vitia* divinis mactare honoribus, Rom. 1. Quo monstruoso errore effectum illud est, ut compressis conscientiæ monitis immania quævis scelera, à quibus vel natura abhorret, ex religionis regulâ et instituto patrarentur. Atque ita omnis paulatim vera Religio extincta concidit, fœdissima verò errorum illuvies totum penè terrarum orbem inundavit atque oppressit.

EROTEMA X.

*Quâ ratione factum, ut ne Religio vera penitùs extirparetur?*

§ 68. ¶ I. Benignè providit Deus, ut in familiâ et posteritate Semi, etsi inter Chaldæos idololatras commorante, ac maximè in domo Thare, qui fuit Abrahami parens, sana Religio unà cum Dei unius cultu non omninò intercideret. Hoc probabiliùs adstruere licet ex testimonio Achioris, Judith, v. 6 : *Populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primùm in Mesopotamiâ habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terrâ Chaldæorum.* Ex sententiâ S. Augustini, l. 16 de Civ. Dei : *una Thare domus erat, in quâ unius Dei veri cultus, solaque Hebræa lingua remanserat..... proinde, sicut per aquarum diluvium una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum, per universum mundum, una remanserat domus Tharæ, in quo custodita erat plantatio civitatis Dei.* Ex facilitate, in unâ saltem familiâ hæreditarias et quasi domesticas Patriarcharum traditiones usque ad Abraham, Isaac et Jacob, imò usque ad Moysen propagandi; id quod sequenti è schemate constat.

TABULA *traditionis hæreditariæ et domesticæ ab Adamo usque ad Moysen.*

| | Natus anno mundi | Vixit annos | Mortuus anno mundi |
|---|---|---|---|
| ADAM vixit annos 143 simul cum | 1 | 930 | 930 |
| MATHUSALA vixit annos 98 simul cum | 687 | 969 | 1656 |
| SEM vixit annos 50 simul cum | 1558 | 600 | 2158 |
| ISAAC vixit annos 33 simul cum | 2108 | 180 | 2288 |
| LEVI vixit diù cum | 2255 | 137 | 2392 |

Amram nepos Levi, quem citra dubium viderat, quia idem hic Amram pater est Moysis nati post annos tantùm 41, à morte Levi.

§ 69. Inde conficitur, quòd Adam, Mathusala, Sem, Isaac, Levi, et Amram pater Moysis sese per succedentes generationes viderint, ac de omni orbis conditi historiâ primâque Patrum religione vicissim informârint; ista quippe ad propriam ipsorum familiam pertinebant, eo potissimùm tempore, quo nullæ, quibus in familiari consuetudine occupari possent, historiæ extabant. *

§ 70. ℣ 2° : Post duo annorum millia cœpit Deus è medio corruptissimorum mortalium genere unum sibi populum segregare, cujus caput et omnium credentium patrem constituit Abrahamum ortum è familiâ Heberi, quem etiam è Chaldæâ in terram Chanaan, futuram veræ religionis et Abrahami filiorum sedem evocavit. * Eidem magnificam deinceps promissionem de Jesu Christo è semine suo olim prodituro, per quem omnibus gentibus afferenda salus esset, fecit, factamque ejus filio Isaaco et nepoti Jacobo iteravit. Ex Jacobo, qui à pugnâ cum angelo Israel dictus est, duodecim prognati sunt filii, capita duodecim tribuum apud Hebræos, qui ob nomen Israel Jacobo inditum, Israelitæ, ob Judam Jacobi filium, cujus è tribu stirps regia, et ipse Messias nasciturus erat, Judæi appellantur. Atque hoc in populo supra ducentos annos in Ægypto, quò Jacob cum filiis descenderat, commorante, soboleque multò copiosissimâ vehementer aucto, casta Religio cum lege naturali, et majorum traditionibus conservata stetit ac floruit (§ 68).

§. 71. * Ab isto transitu, qui hebr. dicitur *Eber*, sive quòd antea Abram trans (hebr. *Eber*) Euphratem moraretur, *Hebræorum* derivatum esse nomen, probabiliùs arguitur. Atque hoc nomine primus appellatus est Abram occasione belli cum rege Sodomæ, ejusque fœderatis, quando scilicet eidem nuntius de Loth capto et abducto allatus fuit, Genes. 14, 13 : *Et ecce unus, qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo.* Adhæsitque id nominis Abrahami et Jacobi posteris omnibus, usquedùm decem tribus, discessione ab Roboamo factâ, regnum Samariæ constituerent.

Tantùm de Religione Hebræorum usque ad legem mosaicam, et annum mundi 2513.

* Sententiæ de conservatâ in domo Thare verâ religione non officit, quod legitur Josue, 24, 2 : *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham et Nachor* (*sc.* τοῦ Nachor), *servieruntque diis alienis ;* nam probabiliùs posteriora hæc verba generatim ad : *Patres vestri ab initio*, referenda sunt, quorum plures pessimo Chaldæorum exemplo ad profana Sacra traducti fuerunt. Ac si quid etiam labis ex idololatrarum consortio Tharæ adhæsit, nec id acceptam à piis parentibus, Sem, Sale, et Heber, religionem extinxisse, nec cum Abramo communicâsse videtur.

# DE NOACHIDARUM PRÆCEPTIS Dissertatio.

AUCTORE NATALI ALEXANDRO (1).

I. *Noachidas* vocant Hebræi, id est, Noe filios, gentes omnes ab Hebræâ distinctas ; *præcepta* verò *Noachidarum*, juris naturalis præscripta quibus homines adstringuntur universi, et quibus solis cæteræ gentes tenentur Dei mandatis ; cùm Hebræi ut peculiaris Dei populus præcepta etiam peculiaria à Deo per Moysem tradita, et in mosaicâ lege scripta sibi vendicent. Juris autem naturalis capita alia majora atque illustriora, alia minora seu obscuriora commemorant. Majora atque illustriora septenario numero complectuntur. Duo supremi Numinis cultum et honorem ; quatuor hominum inter se convictum moresque spectant. Septimum crudelitatem erga alia animalia prohibet. Hoc ordine recenseri plerùmque solent.

*I. De cultu extraneo.*

*II. De maledictione nominis Sanctissimi.*

*III. De effusione sanguinis*, seu *homicidio.*

*IV. De revelatione turpitudinum*, seu *illicito concubitu.*

*V. De furto ac rapinâ.*

*VI. De judiciis*, seu *regimine forensi ac obedientiâ civili.*

*VII. De membro animalis viventis non comedendo.*

Priora sex in ipsis rerum initiis homini à Deo imperata esse aiunt, velut *primordialem legem, et matricem omnium præceptorum Dei*, quemadmodùm ea, quæ primis parentibus à Deo præscripta sunt, vocat Tertullianus, lib. *Adversùs Judæos*, cap. 11. Septimum

(1) Vide Natalis Alexandri vitam, supra, tom. VI Theologiæ, col. 9-10.

ad Noachi tempus revocant, cui et universis in illo hominibus prohibuit Deus, ne *carnem cum sanguine* comederent, Genesis 9, vers. 4. Hæc recensentur in Beresith Rabba, Parasch 34, à *Maimonide* in Halach Melakim, cap. 9; R. Jebuda Ben Samuel in Sepher Cozri, part. 3, § 73, et aliis Hebræorum magistris. Ad horum capitum professionem à Judæis adigebantur *Proselyti Domicilii*, non *Proselyti Justitiæ*. Proselytos Domicilii vocant, qui ex gentibus ad incolatum seu pacem in territoriis israeliticæ ditionis fruendam admittebantur, citra judaismi professionem. Proselytos verò Justitiæ, qui circumcisione et judaico baptismate initiati, et ad populum Hebræum aggregati, mosaicam legem ritusque judaicos profitebantnr. Minorum seu obscuriorum juris naturalis capitum numerus neque omninò certus, neque adeò certæ semper de eis apud Hebræos sententiæ. Horum genus duplex est: alterum eorum quæ majoribus atque illustrioribus sive ut prævia atque antecedentia, sive ut consequentia commiscentur, quemadmodùm propagationis generis humani, et contractûs matrimonialis jura cum præcepto de revelatione turpitudinum : dominii, atque obligationis, promissionisque circa illud versantis jus in furti interdicto : pœnarum modus in judiciis, et cætera, quæ Talmudici appendices vocant septem illustriorum ac majorum præceptorum. Alterum genus eorum est, quæ universis quidem hominibus ab auctore naturæ Deo data sunt, et in ipsis mentibus insculpta, ut parentùm honor : ad eorum nihilominùs observationem pœnâ civili Gentiles in ditionis suæ territoriis commorantes non adigebant Israelitæ, sed tantùm suadebant. De his omnibus fusè *Seldenus* in libris *De jure Naturæ et Gentium, juxta disciplinam Hebræorum.*

II. *Cultûs extranei* nomine, idololatria, et quodvis superstitionis et sacrilegii genus intelligitur. Quæ naturæ lege ita prohibita sunt, ut nulla in his ignorantia homines à peccato excusare valeat, imò ignorantia omnis hujus capitis atque officii peccatum simul sit ac pœna peccati. Ut enim docet Apostolus ad Romanos, 1 : *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentûm.* Et ad Ephesios 4, vers. 17 : *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum ; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Unde et Psalmo 78, vers. 6, rex Vates ita Deum compellat : *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt ; et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Atque, ut disertè ait Tertullianus, Apologetici 17, « hæc est summa delicti nolentium reco- « gnoscere, quem ignorare non possunt. »

Cultûs extranei interdictum Ægyptiis commune cum Hebræis fuit, sed nomine tenùs, significatione planè diversâ. Ægyptii enim cultûs extranei nomine ritus omnes à majoribus non traditos execrabantur; Hebræi omnem idololatriam ac superstitionem quâ divinus honor creaturis tribuitur. Ægyptii Deos adorabant, alios cœlestes et æternos, ut vocabant, terrestres et mortales, ut Diodorus Siculus exponit; cœlestes, scilicet solem, lunam, spiritum, ignem, terram, oceanum, aerem; terrestres, propter animi solertiam et beneficentiam, immortalitatem adeptos, ut Osiridem, Isidem, etc., ac præterea diversi generis animalia, boves, hircos, feles, crocodilos, etc. Hebræi unum Deum, cœli et terræ creatorem ac moderatorem supremum colebant, quem pariter colebant è gentibus viri pii et fideles. Nationis utriusque in religione discrimen expressit Tacitus, lib. 5 Historiæ, his verbis : « Corpora condere, quàm cremare, è more Ægyptio ; « eademque cura, et de infernis persuasio : cœlestium « contra, Ægyptii pleraque animalia effigiesque com- « positas venerantur : Judæi mente solâ, unumque nu- « men intelligunt, profanos qui Deûm imagines mor- « talibus materiis in species hominum effingant ; « summum illud æternum, neque mutabile, neque in- « teriturum. Itaque nulla simulacra urbibus suis, ne- « dùm templis sunt. »

At, inquit Marshamus, *Ægyptii per Nomorum suorum animalia, venerabantur Dei in res omnes potestatem, quam singuli Deorum declarârunt*, ut loquitur *Porphyrius*, lib. 1, 5 *De Abstinentiâ*, § 9; idemque testatur *Maimonides* de idololatris in More Nevochim, part. 1, cap. 36 : « Nemo, inquit, eâ sententiâ cultu « extraneo utitur, ac si aliud non esset numen præter « id quod colit. Neque enim cuipiam in mentem ve- « nit, statuam ex metallo, saxo, ligno confictam esse « ipsum cœli terræque creatorem et gubernatorem ; « sed ita colunt, quatenùs rei alicujus imaginem induit, « quæ velut intermedia sit inter ipsos et Deum. »

Verùm etsi ita se habuisset Ægyptiorum theologia, etsi ea mens fuisset eorum, qui apud ipsos sapientes et prophetæ audiebant, ipsorum tamen ritus ac religionem omnem extranei cultûs omnibus naturæ jure prohibiti nomine non fuisse execrandam minimè probarent, siquidem cultum uni Deo debitum creaturis tribuebant, illasque pro diis saltem medioxumis habebant, ut ipse Marshamus fatetur. Quod verò Maimonides ait, Spiritûs Sancti refellitur oraculo, Sapientiæ 14 : *Per manus autem quod fit idolum*, inquit, *maledictum est, et ipsum, et qui fecit illud : quia ille quidem operatus est : illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est... Acerbo luctu dolens pater, citò rapti filii fecit imaginem ; et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquàm Deum colere cæpit ; et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. Deinde intervenientc*

*tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquâm lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figurâ allatâ, evidentem imaginem regis quem honorare volebant, fecerunt, ut illum qui aberat, tanquàm præsentem colerent suâ sollicitudine. Provexit autem ad horum culturam et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia..... Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tanquàm homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.*

Opponitur etiam Marshamo locus ille Mercurii Trismegisti in Asclepio, à S. Augustino laudatus, libro 8 de Civitate Dei, cap. 23 : « Et quoniam, inquit, de « cognatione et consortio hominum deorumque nobis « indicitur sermo, potestatem hominis, ô Asclepi, « vimque cognosce. Dominus, inquit, et Pater, vel « quod est summum, Deus, ut effector est deorum « cœlestium, ita homo fictor est deorum qui in tem- « plis sunt humanâ proximitate contenti.... Ita huma- « nitas semper memor naturæ et originis suæ in illâ « divinitatis imitatione perseverat; ut sicuti Pater ac « Dominus, ut sui similes essent, Deos fecit æternos, « ita humanitas deos suos ex sui vultûs similitudine « figuraret. » Hìc cùm Asclepius, ad quem maximè « loquebatur, ei respondisset, atque dixisset : Statuas « dicis, ô Trismegiste? Tum ille : » Statuas, inquit, « ô Asclepi, videsne quatenùs tu ipse diffidas? Sta- « tuas animatas sensu et spiritu plenas, tantaque fa- « cientes et talia, statuas futurorum præscias, eaque « sorte, vate, somniis, multisque aliis rebus prædi- « centes; imbecillitates hominibus facientes, easque « curantes, tristitiam lætitiamque pro meritis. An « ignoras, ô Asclepi, quòd Ægyptus imago sit cœli, « aut, quod est verius, translatio aut descensio omnium « quæ gubernantur atque exercentur in cœlo; ac si « dicendum est veriùs : Terra nostra mundi totius est « templum? Et tamen quoniam præscire cuncta pru- « dentem decet, istud vos ignorare fas non est : Fu- « turum tempus est quo appareat Ægyptios incassùm « piâ mente Divinitatem sedulâ religione servâsse; et « omnis eorum sancta veneratio in irritum casura « frustrabitur. »

Refellitur præterea Marshamus ex Clementis Alexandrini loco, lib. 6. *Stromatum*, quem ipse profert pag. 241 : « Ægyptii, inquit, peculiarem quamdan « philosophiam exercent : illam maximè ostendit sa- « cra eorum processio. Primus enim procedit cantor, « ex musicæ symbolis unum aliquod gestans. Dicunt « illum ex libris Mercurii duos accipere debere; quo- « rum unus hymnos Deorum, alter regiæ vitæ ratio- « nes continet. Post cantorem procedit horoscopus in « manu habens horologium et palmam, astrologiæ « symbola. Hunc oportet semper in ore habere astro- « logicos Mercurii libros, qui sunt quatuor... Deinceps « progreditur scriba Sacrorum, pennam habens in « capite, et in manibus librum ac regulam, in quâ est « et atramentum ad scribendum, et juncus quo scri- « bunt. Illum oportet scire, quæ hieroglyfica vocan- « tur, et cosmographiam, et geographiam, et ordinem « solis et lunæ et quinque planetarum, et chorogra- « phiam Ægypti, et descriptionem Nili, et descriptio- « nem apparatûs sacrorum, locorumque eis consecra- « torum, et mensuras, et quæcumque in sacris sunt « necessaria. Prædictos sequitur stolistes, cubitum « justitiæ tenens, et calicem ad libandum. Hic omnia « noscit quæ ad disciplinam pertinent, et victimarum « sigillationem. Sunt autem decimi (libri) qui ad « Deorum suorum honorem pertinent, et religionem « Ægyptiacam continent, nempe de sacrificiis, de pri- « mitiis, de hymnis, de precibus, de pompis, de diebus « festis, et ejusmodi. Post omnes prodit propheta, « hydriam apertè gerens in sinu, quem sequuntur qui « panes emissarios portant. Hic, ut præfectus sacro- « rum, libros decimos ediscit, qui sacerdotales vo- « cantur, nempe de legibus, de Diis, et de universâ « sacerdotum disciplinâ. »

III. Secundum *Noachidarum præceptum* vetat *maledictionem nominis Sanctissimi*, sive blasphemiam, à quâ abstinendum naturæ lex gentes omnes docuit. Hermippus, in Vitâ Pythagoræ, scitis quibusdam istius sectæ hoc adjicit : *Ab omni abstinere blasphemiâ.* Hinc illud Socratis apud Platonem in Philebo : « Reveren- « tia verò mihi semper erga deorum nomina est, non « humana quædam, sed maximum quemque timorem « exsuperans. » Hinc præclarum illud Platonis moni- tum, libro undecimo de Legibus. « Æquum profectò « est deorum nomina non facilè inquinare, nec ea « hùc atque illùc devolvere : sed omnia, quæ ad deos « pertinent purè castèque servare. » Plutarchus in *Quæstionibus*, dictum aliquod ex Platonis Thæteto ce- lebrans, non joco illud ab eo prolatum hinc probat, quòd nominis in eo divini meminisset. « Neque enim, « inquit, adhibuisset Dei nomen dicto non serio. »

IV. Tertium *Noachidarum præceptum* effusionem sanguinis, sive *homicidium* prohibet : quod præceptum, Genesis 9, instauratur his verbis : *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Hugo Grotius, *Annotationibus in Genesis* 9, et lib. 1 *de jure belli et pacis*, cap. 2, § 5, et lib. 2, cap. 20, § 8, jus talionis his verbis indicari perperàm asserit, quod, aucto humano genere et in gentes distributo, meritò solis judicibus permissum est. Errat sanè vir eruditus; nunquàm enim cui- quam mortalium licuit privatâ auctoritate alium pu- nire, vel illatas sibi injurias vindicare, ut Deus ipse testatur, Deuteronomii 32, 35, Roman. 12, 19 : *Mihi*, inquit, *vindicta; ego retribuam.* Præcepto etiam di- vino : *Non occides*, quod supremus Legislator omnium hominum cordibus inscripsit, doctrina illa Grotii pa- lam adversatur. Hujus enim præcepti non hic solum- modò sensus est, neminem innocentem occidendum

esse, sed ne reos quidem occidendos esse ab iis, quibus Deus, vel magistratus, peculiari præcepto ultionem non mandavit. Eam autem legem non occidendi quemquam privato ausu, hominum cordibus impressam, Deus confirmavit, his verbis Cainum fratricidam compellans, Genesis, 4, 15 : *Omnis qui occiderit Cain, septuplùm punietur.* Consule quæ de lege talionis habet S. Augustinus, lib. 13 contra Faustum, cap. 25.

V. Quartum Noachidarum præceptum spectat *revelationem turpitudinum,* seu concubitum illicitum. Connubia certè fratrum cum sororibus tam uterinis quàm germanis à gentibus penè omnibus incestuosa habita sunt. Ægyptios, *præter communem aliorum hominum morem*, cum sororibus matrimonium inire solitos, Diodorus Siculus observat, lib. 1. Plato, lib. 8 *de Legibus*, talia conjugia vocat *nequaquàm sancta, sed Deo invisa.* Scripsit Seneca : *Matrimonia deorum jungimus, et ne piè quidem, fratrum scilicet et sororum.* Ovidius, Metamorphoseon lib. 9 :

. . . . . *Dii nempe suas habuêre sorores;*
*Ut Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit :*
*Oceanus Tethin, Junonem Rector Olympi.*

Philo Judæus, libro *de Legibus specialibus, ad sextum et septimum Decalogi præceptum*, eâ de re ita disserit : « Deinceps præcipitur ne sororem quidem esse ducendam. Honestum sanè præceptum, atque aptum « continentiæ. Quamvis Atheniensis Solon hoc observat « in uterinis tantùm sororibus eodem patre prognatis « relinqui liberum. Contra Lacedæmoniorum legislator « uterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis. At Ægyptius, ridens utriusque simplicitatem et semiperfecta placita, laxavit libidinem, et « duxit in corporibus animisque insanabile malum intemperantiæ, permissâ licentiâ ducendi sorores, sive « per alterutrum parentem, sive per utrumque cognatas, majores pariter et minores, æqualesve, ne gemellis quidem exceptis; quas natura ipso natali sejunxit, intemperantia verò societate copulavit insatiabili, et malè copulatâ juncturâ. Quas leges abominatus Moses ut alienissimas à benè constitutâ republicâ, « et incitantes ad omnem turpitudinem, modis omnibus prohibuit congressum cum sororibus, utrumque « sive alterum tantùm parentem communem habentibus. »

Apud Persas sero Cambysis exemplo introducta sunt sororum conjugia. Responderunt ei Jurisconsulti, *nullam se invenire legem, quæ sororem fratri nubere sinat.* Ita refert Herodotus, lib. 3, cap. 31 : « Persæ verò, et inter eos potissimùm, qui sapientiam profiteri videntur, Magi cum matribus matrimonia contrahunt », ut refert Sextus Empir. Pyrrh. lib. 3, cap. 24. Hinc illud Catulli, epig. 91 :

*Nam Magus ex matre, et gnato nascatur oportet.*

Antiochus Soter Stratonicem novercam deperiens exemplo execrando illam à patre in uxorem accepit. Hæ aliæque turpitudines, et libidinum furiæ in corpora, in sexus, nec non adulterium et fornicatio, Noachidarum jure, seu lege naturali prohibitæ sunt. Quæ cùm apud gentes obscurata esset, quas *tradiderat Deus in desideria cordis earum, in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis*, ut ait Apostolus, ad Romanos 1 ; de quibus ibidem subdit : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula, amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum commutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Cùm, inquam, apud ethnicos plerosque lex illa de revelatione turpitudinum, seu de concubitu illicito, obscurata esset, illam Deus instauravit, Levit. 18. Dixi, apud ethnicos plerosque legem illam fuisse obscuratam. Nam conjugia et commixtionem cum matre, filiâ vel sorore pro illicitis ac nefariis, ex ipsis Græciæ moribus habita fuisse constat ex Ocello Leucano, Pythagorico philosopho, lib. 2 Περὶ τῆς πάντος φύσεως, c. 4 : « Oportet etiam, inquit, instituere hujusmodi mores, qui in Græcis civitatibus legitimi ac recepti sunt, nimirùm neutiquàm cum matre, filiâ, aut sorore concumbere. » Quod Jamblichus in *Vitâ Pythagoræ*, cap. 31, confirmat, et Euripides in Andromache. « Hujusmodi est, inquit, omne barbaricum genus. Pater enim filiæ, et filius matri miscetur; soror item fratri : et per cædem carissimi vadunt. » Et Simplicius, Comment. ad Epicteti cap. 47 : « Jam cùm lex et consuetudo sororis et fratris consuetudine interdicat : appetitiones non secùs ac ab ipsius naturæ imperio suppressæ, ita prorsùs sunt immobiles, nisi fortè aliquos furoris intemperies et diræ scelerum ultrices agitârint. »

VI. Quintum *Noachidarum præceptum* furto et rapinâ interdicit. Præceptum istud omnium hominum animis à naturæ auctore inditum est. *Furtum naturali lege prohibitum est admittere*, ait Paulus jurisconsultus, l. 1, d. *de Furtis.* Et Ulpianus l. *Probrum*, d. De verborum significatione : *Furtum*, inquit, *et adulterium naturâ turpe est.* Euripides :

*Namque odit ipse vim Deus : nec divites*
*Nos esse rapto, sed probè partis cupit.*
*Spernenda, si non jure veniat, copia est.*
*Communis æther hominibus, tellus quoque,*
*In quâ ampliare cuique sic fas est domum,*
*Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*

Soli Ægyptii circa furtum legem habuerunt *perquàm singularem*, teste Diodoro Siculo, lib. 1; apud eos scilicet sodalitium aliquod furum institutum erat, cujus ἐργάσια et quasi *opificium* erat furari. Integrum cuique erat, modò vellet, ei se sodalitio et opificio addicere, eâ lege ut *nomen suum profiteretur apud principem furum*, sponderetque rem furto surreptam protinùs ad illum delaturum. Furti autem manifestus non modò nullâ pœnâ plectebatur, sed *quarta pars pretii* ipsi jubente lege cedebat, nonnisi tribus partibus justo possessori sua repetenti redditis.

VII. Sextum *Noachidarum præceptum* judicia spe-

etat, seu regimen forense et obedientiam civilem, quæ, naturâ magistrâ, seu naturæ potiùs auctore instituta est, ut ordo inter homines servaretur. De his plura Seldenus ex Hebræorum commentariis.

VIII. Septimum *Noachidarum præceptum* de membro animalis viventis non comedendo, post diluvium accessisse docent Hebræi, idque his verbis interdictum volunt, Genesis 9, 3 : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum : quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* At Noachidis, seu gentibus cæteris ab hebraeâ, vetitum non fuisse sanguinis esum, colligitur ex Deuteronomii 14 : *Quicquid morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini Dei tui es.* Carnem tantummodò ab animali vivente discerptam prohibitam gentibus volunt, veluti exsectos agni testiculos, quia id signum est crudelitatis. Crudarum carnium esum ethnicis olim in Bacchanalibus solemnem ipsis exprobrat Clemens Alexandrinus, in Protreptico. *Bacchi*, inquit, *orgiis celebrant Dionysium Mœnolem, crudarum carnium esu sacram insaniam agentes : et cæsarum carnium divulsionem peragunt coronati serpentibus.* De iisdem Arnobius lib. 5 contra Gentes : *Caprorum*, inquit, *reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.*

IX. Priorum sex præceptorum vestigia extant in libro Job, ante legem Mosaicam conscripto. 1° De cultu extraneo, c. 31, 26 : « Si vidi solem cùm fulgeret, et « lunam incedentem clarè, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore « meo. Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra « Deum Altissimum. » 2° De blasphemiâ, c. 1, 5 : « Cùmque in orbem transsisent dies convivii, mittebat « ad eos Job, et sanctificabat illos, consurgensque di« luculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat « enim : Ne fortè peccaverint filii mei, et benedixerint « Deo in cordibus suis. » 3° De homicidio, c. 31, 29 : « Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et « exultavi quòd invenisset eum malum. Non enim dedi « ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledi« cens animam ejus. Si non dixerunt viri tabernaculi « mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur? » 4° De adulterio, ib. vers. 9 : « Si deceptum est cor meum « super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus « sum. Scortum alterius sit uxor mea, et super illam « incurventur alii. Hoc enim nefas est, et iniquitas « maxima. » Et c. 24 : « Oculus adulteri observat cali« ginem, dicens : Non me videbit oculus et operiet « vultum suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die « condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subitò « apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis : et « sic in tenebris quasi in luce ambulant. Levis est su« per faciem aquæ : maledicta sit pars ejus in terrâ, « nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calo« rem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos « peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia : dul« cedo illius vermes : non sit in recordatione, sed con« teratur quasi lignum infructuosum. » Et c. 31, v. 1 : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem qui« dem de virgine. Quam enim partem haberet in me « Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excel« sis? » De furto ibid. « Alii terminos transtulerunt, « diripuerunt greges et paverunt eos. Asinos pupillo« rum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem « viduæ. Subverterunt pauperum viam, et oppresse« runt pariter mansuetos terræ... Agrum suum non « demetunt; et vineam ejus, quem vi oppresserint, « vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta « tollentes, quibus non est operimentum in frigore... « Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pau« perum spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque « vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. Inter acer« vos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus « sitiunt. De civitatibus fecerunt viros gemere, et « anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire « non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt « vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus. Mane « primo consurgit homicida, interficit egenum et pau« perem; per noctem verò erit quasi fur. » Et c. 31, 7 : « Si declinavit gressus meus de viâ, et si secutum « est oculos meos cor meum, et si manibus meis « adhæsit macula. Seram, et alius comedat, et proge« nies mea eradicetur. » 6° De judiciis, c. 27 : « Quando « procedebam ad portam civitatis, et in plateâ para« bant cathedram mihi : videbant me juvenes et abs« condebantur, et senes assurgentes stabant. Princi« pes cessabant loqui, et digitum superponebant ori « suo... Auris audiens beatificabat me, et oculus videns « testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberâssem pau« perem vociferantem, et pupillum cui non esset ad« jutor; benedictio perituri super me veniebat, et cor « viduæ consolatus sum. Justitiâ indutus sum : et ve« stivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo. « Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram paupe« rum; causam, quam nesciebam, diligentissimè in« vestigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus « illius auferebam prædam. »

## DE PRÆCEPTIS MORALIBUS LEGIS MOSAICÆ

# Dissertatio.

(AUCTORE EODEM.)

DE EXTENSIONE, ET ORDINE PRÆCEPTORUM DECALOGI.

PROPOSITIO. — *Omnia præcepta legis naturæ, necnon omnia præcepta moralia veteris Legis, in Decalogo continentur, vel ad illum revocantur. Sic autem ordinata sunt Decalogi præcepta, ut tria ad primam tabulam, septem ad alteram pertineant.*

1. Primam propositionis hujus partem S. August. attingit, q. 140 in Exodum. « Cùm tam multa, inquit, « locutus sit Deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moysi « lapideæ, quæ dicantur tabulæ testimonii futuræ in « Arcâ. Nimirùm omnia cætera quæ præcepit Deus, « ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis con- « scripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quæ- « rantur, et benè intelligantur. Quomodò hæc ipsa « rursùs decem præcepta ex duobus illis, dilectione « scilicet Dei et proximi, in quibus tota lex pendet, et « Prophetæ. » Ex lib. 19 contra *Faustum*, cap. 26. « Si Christus ubi quibusdam antiquis sententiis propo- « sitis, adjunxit : Ego autem dico vobis; neque pri- « morum hominum legem hoc verborum additamento « adimplevit, neque illam quæ per Mosen data est, « quasi contrariorum oppositione destruxit : sed potiùs « omnia ex Hebræorum lege commemorata ita com- « mendavit, ut quidquid ex personâ suâ insuper loque- « retur, vel ad expositionem requirendam valeret, si « quid illa obscurè posuisset, vel ad tutiùs conservan- « dum quod illa voluisset. Vides quàm sit aliter intelli- « gendum quod ait : Non se venisse legem solvere, sed « adimplere. Scilicet ut non quasi semiplena istis ver- « bis integraretur, sed ut quod litterâ jubente propter « superborum præsumptionem non poterat, suadente « gratiâ propter humilium confessionem impleretur, « opere factorum, non adjectione verborum. Fides « enim, sicut Apostolus ait, Galat. 5, 6, per dilectio- « nem operatur. Unde idem dicit, Roman. 13, 8 : Qui « enim diligit alterum, legem implevit. Istam charita- « tem quia veniens Christus, per Spiritum S. quem « promissum misit, in manifestatione donavit, quâ illâ « charitate justitia legis posset impleri : Propterea « dixit : *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Hoc est « novum Testamentum, quo huic dilectioni hæreditas « regni cœlorum promittitur, quod in figuris veteris « Testamenti pro temporum distributione tegebatur. « Unde idem dicit : *Mandatum novum do vobis, ut vos « invicem diligatis.* Itaque vel omnia, vel penè omnia, quæ monuit seu præcepit, ubi adjungebat : *Ego au- « tem dico vobis*, inveniuntur et in illis veteribus libris. »

II. Idem docet S. Thomas 1-2, q. 100, art. 1 : « Cùm, « inquit, moralia præcepta sint de his quæ pertinent « ad bonos mores; hæc autem sunt quæ rationi con- « veniunt; omne autem rationis humanæ judicium « aliqualiter à naturali ratione derivatur : necesse est « quòd omnia præcepta moralia pertineant ad legem « naturæ, sed diversimodè. Quædam enim sunt, quæ « statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis iju- « dicat esse facienda, vel non facienda; sicut, *honora « patrem tuum, et matrem* : et, *non occides; non fur- « tum facies* ; et hujusmodi sunt absolutè de lege na- « turæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori considera- « tione rationis à sapientibus judicantur esse obser- « vanda; et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen « indigeant disciplinâ, quâ minores à sapientioribus « instruantur, sicut illud : *Coram cano capite consurge, « et honora personam senis*; et alia hujusmodi. Quædam « verò sunt ad quæ judicanda ratio humana indiget in- « structione divinâ, per quam erudimur de divinis, si- « cut est illud : *Non facies tibi sculptile, neque omnem « similitudinem. Non assumes nomen Dei tui in vanum.* »

III. Articulo verò tertio ejusdem quæstionis ita dis- serit : « Præcepta Decalogi ab aliis præceptis legis « differunt in hoc, quòd præcepta Decalogi per se ip- « sum Deus dicitur populo proposuisse : Alia verò « præcepta proposuit populo per Moysen. Illa ergo « præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam « homo habet per se ipsum à Deo. Hujusmodi verò « sunt illa, quæ statim ex principiis communibus pri- « mis cognosci possunt modicâ consideratione, et ite- « rùm illa quæ statim ex fide divinitùs infusâ innote- « scunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computan- « tur duo genera præceptorum, illa scilicet quæ sunt « prima et communia, quorum non oportet aliquam « editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione na- « turali, quasi per se nota : Sicut quòd homo nulli de- « bet malefacere, et alia hujusmodi. Et iterùm illa « quæ per diligentem inquisitionem sapientum inve- « niuntur rationi convenire : Hæc enim proveniunt à « Deo ad populum mediante disciplinâ sapientum. « Utraque tamen horum præceptorum continentur in « præceptis Decalogi, sed diversimodè. Nam illa quæ « sunt prima et communia, continentur in eis, sicut « principia in conclusionibus proximis. Illa verò quæ « per Sapientes cognoscuntur, continentur in eis sicut « conclusiones in principiis. » Evidentiùs autem innote- scet prior illa pars propositionis nostræ ex Decalogi explicatione mox subjungendâ.

IV. Alteram propositionis partem expendit sanctus Augustinus, quæstione 71 in Exodum. « Quæritur, in- « quit, decem præcepta legis quemadmodùm dividenda « sint : Utrùm quatuor sint usque ad præceptum de « Sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent : sex autem « reliqua, quorum primum est, *honora patrem, et ma- « trem*, quæ ad hominem pertinent : an potiùs illa tria « sint, et ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor « esse, separant quod dictum est : *Non erunt tibi dii « alii præter me* : ut aliud præceptum sit : *Non facies « tibi idolum*, etc., ubi figmenta colenda prohibentur. « Unum autem volunt esse : *Non concupisces uxorem « proximi tui : Non concupisces domum proximi tui*, et « omnia usque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, « et ista septem, unum volunt esse, quidquid de uno « colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter il- « lum pro Deo colatur : Hæc autem extrema in duo « dividunt; ut aliud sit : *Non concupisces uxorem « proximi tui*; aliud : *Non concupisces domum proximi « tui.* Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, « quoniam hoc Scriptura testatur. » Priorem divisionis rationem Judæi sequuntur, Josephus lib. 3 Antiquit., cap. 4 : Philo lib. de Decalogo, et ex Christianis in- terpretibus Origenes Homiliâ octavâ in Exodum, auc- tor Synopsis Scripturæ sacræ apud sanct. Athanasium, auctores Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, sub venerandis S. Ambrosii, et S. Hiero- nymi nominibus editorum, Hesychius in Leviticum. At hanc meritò improbat S. Augustinus, loco mox

laudato. « Mihi tamen videtur, inquit, congruentius « accipi tria illa et ista septem, quia et Trinitatem « videntur illa quæ ad Deum pertinent, insinuare di- « ligentiùs intuentibus. Et reverà quod dictum est : « *Non erunt tibi Dii alii præter me*, hoc ipsum perfe- « ctiùs explicatur, cùm prohibentur colenda figmenta. « Concupiscentia porrò uxoris alienæ, et concupiscen- « tia domûs alienæ, tantùm in peccando differunt, ut « illi quod dictum est : *Non concupisces domum proxi- « mi tui*, adjuncta sint et alia, dicente Scripturâ : *Ne- « que agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam « ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque « omnes pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt.* « Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris « alienæ à concupiscentiâ cujuslibet rei alienæ, quando « utrumque sic cœpit : *Non concupisces uxorem proxi- « mi tui, non concupisces domum proximi tui*, et huic « cœpit cætera adjungere. Non autem cùm dixisset : « *Non concupisces uxorem proximi tui*, huic connexuit « alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, « neque servum ejus, et cætera : sed omninò apparent « hæc esse conjuncta, quæ uno præcepto videntur « contineri, et discreta ab illo ubi uxor nominata est. « Illud autem ubi dictum est : *Non erunt ibi Dii alii « præter me*, apparet hujus rei diligentiorem executio- « nem esse in iis quæ subjecta sunt. Quò enim perti- « net : *Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum, « quæcumque in cœlo sunt sursùm, et quæcumque in « terrâ deorsùm, et quæcumque in aquâ sub terrâ; non « adorabis ea, neque servies illis*, nisi ad id quod dictum « est : *Non erunt tibi Dii alii præter me?* »

Et Sermone 9, de decem Chordis, cap. 5, 6 et 7. « Decalogus legis, inquit, decem præcepta habet : Quæ « decem præcepta sic sunt distributâ, ut tria perti- « neant ad Deum, septem pertineant ad homines. « Tria ad Deum, quæ jam dixi : Unus est Deus noster, « ei nullam similitudinem debemus facere, et non for- « nicari post Deum, qui unus est : Quia Deus et Chri- « stus Filius Dei unum est cum Patre. Et ideò non « debet à nobis accipi in vanum, ut putemus eum fa- « ctum, id est creaturam aliquam, per quem facta sunt « omnia : Quia ipse unus Deus Pater est, et Filius, et « Spiritus Sanctus. In Spiritu S., hoc est, in dono Dei, « requies nobis sempiterna promittitur. Inde modo « pignus accepimus. Sic enim dicit Apostolus, 2 Cor. « 1, 22 : *Qui dedit nobis pignus Spiritum.* Si pignus « accepimus, ut incipiamus in Domino et in Deo no- « stro tranquilli esse, ut simus in Deo nostro mites, « simus in Deo patientes, erimus etiam in illo unde « pignus accipimus, in æternum quieti, quod erit Sab- « batum Sabbatorum, propter ipsam requiem perti- « nentem ad donum Spiritûs Sancti. Tertium itaque « præceptum de Sabbato, quod diximus, quod car- « naliter Judæi celebrant, nos spiritaliter agnoscamus. « Nam quia Spiritus Sanctus dicitur, propterea septi- « mum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia « opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi « habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi « dicitur : *Requievit Deus ab operibus suis.* Non enim « fatigatus erat Deus ut diceretur : *Requievit Deus ab « operibus suis :* sed in illo verbo tibi laboranti requiem « promisit, ut quia fecit omnia bona valdè, et sic di- « citur, *Requievit Deus*, intelligas etiam te post bona « opera requieturum, et sine fine requieturum. Nam « dies superiores habent vesperam : Septimus iste « dies non habet vesperam : ubi Deus sanctificavit « requiem. Dicitur ibi, *factum est mane*, ut inciperet « ipse dies : Non dictum est, *factum est vespera*, ut « finiretur dies : Sed dictum est : *Factum est mane*, ut « fieret sine fine dies. Sic incipit ergo requies nostra « quasi mane, sed non finitur, quia in æternum vive- « mus. Ad hanc spem quicquid facimus, si facimus, « Sabbatum observamus. Ipsa est tertia chorda hujus « decalogi, id est, Psalterii decachordi : in tribus « enim chordis ad Deum pertinent præcepta.

« Tota lex in duobus præceptis est, in dilectione « Dei, et dilectione proximi. Ad duo itaque præcepta, « id est, ad dilectionem Dei, et proximi pertinet De- « calogus. Ad primum præceptum tres chordæ perti- « nent, quia Deus est Trinitas. Ad alterum verò præ- « ceptum, id est, ad dilectionem proximi, septem « chordæ, quomodò vivatur inter homines. Nam ipse « numerus septenarius, tanquàm septem chordarum, « incipit ab honore parentum, *honora patrem tuum, « et matrem tuam.* Ad parentes enim suos homo ape- « rit oculos, et hæc vita ab eorum amicitiâ sumit exor- « dium. Quisquis autem suis parentibus non defert « honorem, quibus parere poterit? *Honora patrem tuum, « et matrem tuam.* Et dicit Apostolus, Ephes. 6, 2 : « *Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est man- « datum primum.* Quomodò primum, quando quartum « est mandatum, nisi quia in septenario numero est « primum? Ad dilectionem proximi primum est in al- « terâ tabulâ. Nam ideò duæ tabulæ legis datæ sunt. « Deus enim famulo suo Moysi in Monte duas tabulas « dedit, in quibus duabus tabulis lapideis conscripta « erant decem præcepta legis, tria in unâ tabulâ, ad « Deum pertinentia; septem in alterâ tabulâ, ad pro- « ximum. In alterâ ergo tabulâ primum est : *Honora « patrem tuum, et matrem tuam.* Secundum : *Non « mœchaberis.* Tertium : *Non occides.* Quartum : *Non « furaberis.* Quintum : *Non falsum testimonium dices.* « Sextum : *Non concupisces uxorem proximi tui.* Sep- « timum : *Non concupisces rem proximi tui.* Hæc jun- « gamus illis tribus ad dilectionem Dei pertinentibus, « si in Psalterio decem chordarum volumus cantare « canticum novum. » His gemina sunt quæ habet idem S. doctor, enarratione 2 in psalmum 32, ad illa verba : *Confitemini Domino in cytharâ, in Psalterio decem chor- darum psallite illi.* Et epistola 60, aliàs 119, cap. 11.

V. S. Augustini sententiam approbat S. Thomas 1-2, quæst. 100, articulo 4. « Sed quia, inquit, facere « sculptile, vel similitudinem non est prohibitum, « nisi secundùm hoc, ut non colantur pro diis (nam « in tabernaculo Deus præcepit fieri imaginem Cheru- « bim, ut dicitur Exod. 25), convenientiùs Augusti- « nus ponit sub uno præcepto : *Non habebis deos « alienos;* et, *Non facies sculptile.* Similiter etiam con-

« cupiscentia uxoris alienæ pertinet ad concupiscen-
« tiam carnis. Concupiscentia autem aliarum rerum
« quæ desiderantur ad possidendum, pertinent ad con-
« cupiscentiam oculorum. Unde etiam Augustinus po-
« nit duo præcepta, de non concupiscendo rem alie-
« nam, et uxorem alienam, et sic ponit tria præcepta
« in ordine ad Deum, et septem in ordine ad proxi-
« mum : et hoc melius est. »

Idem sanctus doctor, articulo 5, præcepta Decalogi convenienter numerari ostendit hoc ratiocinio : « Si-
« cut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad
« quamdam communitatem humanam, ita præcepta
« legis divinæ ordinant hominem ad quamdam com-
« munitatem seu rempublicam hominum sub Deo.
« Ad hoc autem quòd aliquis in aliquâ communitate
« benè commoretur; duo requiruntur, quorum pri-
« mum est ut benè se habeat ad eum, qui præest
« communitati. Aliud autem est ut homo benè se ha-
« beat ad alios communitatis consocios et compartici-
« pes. Oportet igitur quòd in lege divinâ primò ferantur
« quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; et
« inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad
« alios proximos simul convenientes sub Deo. Principi
« autem communitatis tria debet homo : Primò fidelita-
« tem, secundò reverentiam, tertiò famulatum. Fideli-
« tas quidem ad Dominum in hoc consistit, ut honorem
« principatûs ad alium non deferat; et quantùm ad hoc
« accipitur primum præceptum, cùm dicitur : *Non ha-*
« *bebis Deos alienos.* Reverentia autem ad Dominum re-
« quiritur, ut nihil injuriosum in eum committatur; et
« quantùm ad hoc accipitur secundum præceptum, quod
« est : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*
« Famulatus autem debetur Domino quantùm ad re-
« compensationem beneficiorum, quæ ab ipso perci-
« piunt subditi; et ad hoc pertinet tertium præ-
« ceptum de sanctificatione Sabbati in memoriam
« creationis rerum.

« Ad proximos autem aliquis benè se habet, et spe-
« cialiter, et generaliter. Specialiter quidem quantùm
« ad illos quorum est debitor, ut eis debitum reddat :
« et quantùm ad hoc accipitur præceptum de hono-
« ratione parentum. Generaliter autem quantùm ad
« omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque ope-
« re, neque ore, neque corde. Opere quidem infer-
« tur nocumentum proximo, quandoque quidem in
« propriam personam, quantùm ad consistentiam per-
« sonæ, et hoc prohibetur per hoc quod dicitur : *Non*
« *occides.* Quandoque autem in personam conjunctam,
« quantùm ad propagationem prolis, et hoc prohibe-
« tur, cùm dicitur : *Non mœchaberis.* Quandoque au-
« tem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque,
« et quantùm ad hoc dicitur : *Non furtum facies.* No-
« cumentum autem oris prohibetur, cùm dicitur :
« *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimo-*
« *nium.* Nocumentum autem cordis prohibetur, cùm
« dicitur : *Non concupisces.* Et secundùm hanc etiam
« differentiam distingui possint tria præcepta ordinan-
« tia in Deum, quorum primum pertinet ad opus, unde
« ibi dicitur : *Non facies sculptile.* Secundum ad os;
« unde dicitur : *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*
« tertium pertinet ad cor : Quia in sanctificatione
« Sabbati, secundum quod est morale præceptum,
« præcipitur quies cordis in Deum. Vel, secundùm
« Augustinum, per primum præceptum reveremur
« unitatem primi principii : per secundum, veritatem
« divinam : per tertium, ejus bonitatem, quâ sancti-
« ficamur, et in quâ quiescimus sicut in fine. »

## DE CÆREMONIALIBUS PRÆCEPTIS LEGIS MOSAICÆ

# Dissertatio.

( AUCTORE EODEM. )

### ARTICULUS PRIMUS.

*De rituum Mosaicorum divisione et rationibus.*

PROPOSITIO PRIMA. — *Veteris legis cæremoniæ convenienter dividuntur in sacrificia, sacramenta, sacra et observantias.*

I. Constat hujus divisionis ratio ex eo quòd cæremoniarum nomen his quatuor commune sit. Sacrificia namque cæremoniæ dicuntur Numerorum 15, 24. *Offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant.* De ordinatione ministrorum, quod veteris legis sacramentum erat, Levitici, 7, 35, dicitur : *Hæc est unctio Aaron, et filiorum ejus in cæremoniis Domini.* De Sacris, Exodi 38, 21, dicitur : *Hæc sunt instrumenta Tabernaculi Testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis levitarum.* Ad observantias denique spectat quod ait Dominus *Salomoni* 3 Regum 9, 6 : *Si autem aversione aversi fueritis vos, et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea et cæremonias meas, quas proposui vobis... Auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis.*

II. Hanc divisionem præclarè explicat S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 101, art. 4, hoc posito principio quòd *Cæremonialia Præcepta ordinantur ad cultum Dei.* In quo quidem tria considerari possunt. 1. *Ipse cultus;* 2. *Cultores;* 3. *Instrumenta colendi.* Cultus ipse speciatim consistit in *sacrificiis*, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta cultûs pertinent ad *sacra*, sicut tabernaculum, altare, arca fœderis, vasa, vestes sacerdotales, solemnitates. In cul-

toribus verò duo spectari possunt, scilicet eorum institutio ad cultum divinum, quod fit consecratione quâdam vel populi, vel ministrorum; id autem præstant *sacramenta*. 2. Spectari potest singularis eorum conversatio, seu ratio vivendi et agendi, quâ distinguuntur ab his qui verum Deum non colunt, ad quam pertinent *observantiæ* in cibis, vestimentis, et aliis hujusmodi. Ad sacrificia revocantur oblationes et munera, de quibus Apostolus ad Hebræos 5, 1 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Sacrificia quidem et sacramenta multò magis *sacra* erant quàm instrumenta divini cultûs, sed hæc ob relationem ad cultum religiosum, commune nomen sibi proprium fecerunt; cùm proprium, quo designarentur, non haberent. Tandem quæ spectabant conversationem populi Deum colentis, communis *observantiarum* nomen retinebant cùm *sacra* dici convenienter non possent, quia relationem immediatam ad cultum Dei non habebant, sicut Tabernaculum, vasa, cæteraque divini cultûs instrumenta; sed consectaria quædam erant cæremoniarum, quatenùs populum cultui Dei magis idoneum præstabant.

Propositio II. — *Cæremonias Mosaicæ legis ratione destitutas qui dixerit, se ipsum ratione destitutum probat.*

Propositionis hujus veritas elucescit ex testimonio, quo *David* præcepta Domini cohonestat, psalmo 18, 9, 10 : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : Præceptum Domini lucidum, illuminans oculis.... Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* Quod sanè dici non posset, nisi justitiæ et sapientiæ regulis omninò consentanea essent, et ob singulares quasdam rationes divino consilio dignas edita, populoque Hebræo tradita.

II. Secundò, Deo, qui *omnia in sapientiâ fecit*, ut dicitur psalmo 104, 24, et de quo Celsus apud Origenem libr. 5, solius philosophiæ lumine illustratus ait : *Deus est omnium quæ in rerum naturâ sunt, ratio; et proinde tam nihil potest sine ratione, quàm sine se ipso facere :* Deo, inquam, injuriam facit, qui aliquas ipsum leges tulisse, aliqua præcepta condidisse asserit, quorum nullæ rationes extent. Quod enim aiunt nonnulli, leges cæremoniales αὐτοκρατορίας ostendendæ gratiâ à Deo latas, sive ut summum imperium in servilem Hebræorum gentem ostenderet, probari mihi non potest. Summum namque Dei imperium aliunde satis manifestum est, ut ad illud demonstrandum legibus merè arbitrariis non fuerit opus. Accedit, quòd ejus bonitati et sapientiæ magis conveniat ut leges dederit, quarum exquisitæ sint rationes. Ut enim eleganter ait nuperus auctor : « Leges sine ratione non « tam principe justo, quàm tyranno moroso dignæ « sunt. Leges sine ratione subditos pariunt sine ho- « nore, obsequium sine corde, culpam sine pudore. « Neque sapientiæ divinæ sensus animæ naturaliter « insitus opinari patitur eum leges ullas rationis ex- « pertes ferre voluisse. Nam legis ratio est ipsa legis « anima, maximè fidelis legis interpres obedientiæ « mensura et conciliatrix; illius autem defectus legem « ducit in odium primò, deinde in contemptum etiam « et desuetudinem. »

III. Tertiò, rituum Ethnicorum à tenebrarum principe inventorum proprium fuit ut ratione destituti essent; contrarium itaque de ritibus Mosaicæ legis à Deo ipso præscriptis est asserendum. Arnobii testimonio lib. 7, adversùs gentes ratiocinium istud nititur : « Si quæcumque, inquit, ab hominibus fiunt, « maximèque in sacrâ debent habere suas causas, nec « sine ratione est, quidquam in negotiis omnibus et « in omni administratione faciendum; edisserite nobis « et dicite quæ sit causa, quæ ratio, ut ritibus hisce « Deos propitietis. Et infra : Nisi ratio cur quid fiat « in sacris ostendatur, et expositam sui causam ha- « beat; non jam illud errori objiciendum est ludicro, « sed, ut dicatur expressiùs, insaniæ, dementiæ, cæ- « citati. »

IV. Quartò, idem probat Scholarum Christianarum Princeps S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 102, art. 1, præclarâ hâc ratione. « Cùm sapientis sit or- « dinare; ea quæ ex divinâ sapientiâ procedunt, opor- « tet esse ordinata, ut Apostolus dicit ad Romanos « 13. Ad hoc autem quòd aliqua sint ordinata, duo « requiruntur : Primò quòd ordinentur ad debitum « finem, qui est principium totius ordinis in rebus « agendis; secundò, ut id quod est ad finem sit pro- « portionatum fini; ex quo sequitur quòd ratio eorum « quæ sunt ad finem sumitur ex fine. Manifestum est « autem quòd præcepta cæremonialia, sicut et omnia « alia præcepta legis, sunt ex divinâ sapientiâ insti- « tuta. Unde dicitur Deuteronomii 4, 6 : *Hæc est vera « sapientia, et intellectus coram populis.* Unde necesse « est dicere quòd præcepta cæremonialia sint ordinata « ad aliquem finem, ex quo eorum rationabiles causæ « assignari possint. »

V. Objicies, Christianæ legis præceptis hunc honorem servatum, ut rationalia dicantur, Epistolæ ad Romanos 12, 1 : *Rationabile obsequium vestrum.* Doctrinæ Evangelicæ proprium esse ut lac rationale nuncupetur; 1 Petri 2, 2 : *Rationabile sine dolo lac concupiscite :* Quibus innuere per antithesim quamdam videntur Apostoli, Judæorum ritus ratione destitutos fuisse, nec quidquam extra Dei voluntatem et summam auctoritatem habuisse, quo illorum obsequium, studiumque demereri possent. Idem innuit Glossa interlinearis ex *Haymone* Halberstatensi desumpta, in illud Epistolæ ad Ephesios 2 : *Legem mandatorum decretis evacuans :* Id est, inquit, *evacuans legem veterem quantùm ad carnales observantias, decretis, id est, præceptis Evangelicis quæ ex ratione sunt.* At si observantiæ veteris legis ex ratione erant, frustra evacuarentur per rationalia novæ legis decreta. Præterea, discrimen esse fatendum est inter Moralia et Cæremonialia præcepta, quòd illa summâ cum ratione condita sint : actus enim humanos Morales dici à ratione, nemo nescit; ista ergo ratione destituta esse et ex

mero supremi legislatoris arbitrio pendere consequens est.

Respondet S. Thomas observantias veteris legis, omnesque ritus Mosaicos, sine ratione institutos dici posse, si absolutè spectentur. Sic rationem ex se nullam habuit prohibitio vestis ex lanâ et lino contextæ. Præcepta namque et instituta cæremonialia bonitate nativâ non gaudebant. Unde Ezechielis 20, 25. Dominus ait : *Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent.* Sed tamen relativè spectata bonitatem et rationem habebant. At decreta novæ legis, quæ præcipuè consistunt in fide et dilectione Dei, et omnia præcepta Moralia, ex ipsâ naturâ suâ rationem habent : hominum quippe naturæ et rationi per se consentanea sunt, eosque bonos efficiunt. Unde Ezechielis cap. laudato vers. 21, Deus ipsis ait : *Quæ cùm fecerit homo, vivet in eis.*

Objicies secundò : Plurimas esse Mosaicæ legis cæremonias et observantias, quarum hucusque ratio à viris perspicacissimis et sagacissimis assignari non potuit. Verisimile autem non est, si quæ sunt hujusmodi cæremoniarum et observantiarum, seu præceptorum eas præscribentium causæ et rationes, eas ita obscuras esse, ut omnium oculos effugiant.

Confirmatur ex auctore Hebræo libri *Ikkarim* sive *De fundamentis legis*, qui Dei legem in tres partes dividit : « Prima pars, inquit, continet præcepta ad Dei « scientiam vel intellectum originem suam referentia. « Secunda continet præcepta quæ Deus ex beneplacito suo instituit; eaque proveniunt ex Dei absolutâ « voluntate, atque indicant Deum esse eum qui vult. « Vocatur autem hæc, STATUTA, atque continet omnia præcepta quorum ratio ignota est, exempli gr., « prohibitionem esûs carnis suillæ, amictum heterogeneum, præceptum de non serendo diversa semina, de immolandâ vaccâ rufâ, et similia quæ omnia sunt ex decreto et arbitrio legis Dei, et sunt « mandata ex ipso beneplacito, etc. »

Respondetur : Non sequi quòd nullæ sint legum cæremonialium rationes, etsi pleræque sint, quarum assignare rationem hucusque nemo homo potuerit, sed solùm quod arcanæ sint, obscuræ, et apud ipsum legum conditorem Deum reconditæ, humanâque industriâ vix unquàm eruendæ. Nihilominùs præceptorum omnium cæremonialium ratio assignari potest, si generatim spectentur, imò etiam si singulatim ritus quilibet ac observantia consideretur : quamvis singulæ ritûs cujuslibet partes et circumstantiæ rationem ut plurimùm nullam habeant præter summam omnipotentis legislatoris auctoritatem. Id S. Thomæ verbis exprimere malim, quàm meis. Prima Secundæ, quæstione 102, art. 2 ad 3. « Sicut, inquit, in legibus humanis dictum est, quòd in universali habent ratio« nem, non autem quantùm ad particulares conditiones, « sed hæ sunt ex arbitrio instituentium : ita etiam « multæ particulares determinationes in cæremoniis « veteris legis non habent aliquam causam litteralem, « sed solam figuralem : in communi verò habent etiam « causam litteralem. » Idem asserit *Maimonides* in *More Nevochim*, p. 3. (quem librum edidit contra eos qui præcepta legis Mosaicæ nullas certas ob causas ac rationes à Deo data esse, suo tempore contendebant.) « Oblatio hostiæ, inquit, magnam habet utilitatem; « sed quòd hostia una debeat esse agnus, alia aries, « et quòd numerus ipsarum sit certus et definitus, « ejus ratio nulla dari potest; et qui laborat alicujus si« milis circumstantiæ rationem reddere, is meo judicio « est amentissimus, neque absurditates à se removet, « sed potiùs sibi auget. Is enim æquè longè abest à « veritate, qui credit istiusmodi particularia habere « rationes, atque is qui credit totum præceptum nul« lam habere utilitatem. At scito, quòd sapientia re« quirat, vel si mavis, quòd necessitas postulet, ut « talia in præceptis existant, quæ nullam rationem ha« bent; et quòd res quasi impossibilis sit in lege ut « hujus classis res aliqua in illâ non existat. Modi hujus « impossibilitatis sunt isti. Si dicas : Quare illa obla« tio debet esse agnus, et non aries? Eadem quæstio « mansisset, si loco agni positus fuisset aries : nam « necessariò species aliqua esse debuit. Ità si quis di« cat : Quare debent esse septem agni, et non octo? « Idem quæri posset, si fuissent, octo, vel decem, vel « viginti... Tu itaque hoc retine quòd cùm sapientes « nostri passim dicunt, omnia præcepta suas habere « causas, intelligendum id sit de usu sive fine præce« ptorum generaliter, non verò de singulis illorum « partibus et circumstantiis. »

PROPOSITIO III. — *Cæremonialia Præcepta ob eam præcipuè causam Hebræis Deus tradidit, ut eos ab idololatriâ averteret. Eaque vel ipsorum rituum ratio est, quos è Gentium Moribus in legem transcriptos nonnulli perperàm ac falsò asserunt.*

I. Prima pars istius propositionis probatur ex Ezechielis cap. 20, ubi Deus populo in memoriam revocat idololatriam, quâ, dùm in Ægypto degerent, se ipsos contaminârunt; deinde recenset leges morales quas iis ex Ægypto recens egressis dederat; postea gentis illius contumaciam refert quâ leges illas divinas spernens, in superstitiones Ægyptiacas relapsa est; tùm subdit se eis dedisse *statuta non bona*, per quæ non viverent, id est, leges cæremoniales, per se vitam non afferentes, sed ad frangendam duræ cervicis populi contumaciam aptissimas omnemque tollendam occasionem ad impios Ægyptiorum, vel aliarum gentium ritus deflectendi. « Si judicas eos, si judicas, fili homi« nis, abominationes patrum eorum ostende eis. Et « dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : In die quâ « elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe do« mûs Jacob, et apparui eis in terrâ Ægypti, et levavi « manum meam pro eis, dicens : Ego Dominus Deus « vester, in die illâ levavi manum meam pro eis, ut « educerem eos de terrâ Ægypti, in terram quam « provideram eis, fluentem lacte et melle.... Et dixi « ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum « abjiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui : Ego Do« minus Deus vester. Et irritaverunt me, nolueruntque me audire : Unusquisque abominationes oculo« rum suorum non projecit, nec idola Ægypti reli-

« querunt : et dixi ut effunderem indignationem meam « super eos, et implerem iram meam in eis, in medio « terræ Ægypti. Et feci propter nomen meum, ut non « violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant, « inter quas apparui eis, ut educerem eos de terrâ « Ægypti. Ejeci ergo eos de terrâ Ægypti, et eduxi « eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, et judicia « mea ostendi eis quæ faciens homo vivet in eis... Et « irritaverunt me domus Israel in deserto, in præce- « ptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projece- « runt, quæ faciens homo vivet in eis : et sabbata « mea violaverunt vehementer : dixi ergo ut effun- « derem furorem meum super eos in deserto, et « consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne « violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in « conspectum earum... Iterùm levavi manum meam « in eos in solitudine, ut dispergerem eos in nationi- « bus, et ventilarem in terras ; eò quòd judicia mea « non fecissent et præcepta mea reprobâssent, et sab- « bata mea violâssent, et post idola patrum suorum « fuissent oculi eorum. Ergo et ego dedi eis præce- « pta non bona, et judicia in quibus non vivent. »

Præcepta illa non bona, et judicia vitam non afferentia, Deum Israelitis dedisse manifestum est, ut eos ab idololatriâ averteret. Illa porrò præcepta esse leges cæremoniales, constat cùm ex antithesi quam inter ipsa et præcepta moralia, in quibus homo vivet, Deus instituit, tùm ex interpretatione Patrum, qui locum illum sic explicant, et propositionis nostræ veritatem approbant.

II. Ita S. Justinus Martyr in dialogo cum Triphone Judæo, p. 140 : « Itaque sacrificia à vobis non recipit « Deus, neque primitùs tanquàm penuriâ laborans, « hæc præcepit vobis, sed propter delicta vestra. Nam « et Templum quod vocatur Hierosolymitanum, non « veluti indigus, vel domum, vel aulam suam fassus « est ; verùm ut ibi quoque in illum intenti simulacra « ne coleretis... Quòd si ista ad hunc modum non « fuerimus professi, eveniet nobis ut in absurdas inci- « damus cogitationes, quòd non idem Deus tempori- « bus Enochi, et aliorum omnium fuerit ; qui neque cir- « cumcisionem, quam in carne non habebant, neque « sabbatum servaverunt, neque alia insuper quæ Moses « fieri mandavit : aut quòd non eadem eorumdem jussa « semper genus omne hominum exsequi voluerit. « Quæ sanè ridicula et stulta ad profitendum esse ap- « parent. Per causam verò et culpam hominum pec- « catorum, Deum qui idem semper est, ista et his si- « milia sanxisse, si profiteamur, eum ipsum perhu- « manum, et futurorum præscium, et locupletem, et « justum, et bonum esse (ut est) decreverimus. »

Idem p. 336 et 337. « Nam sine observatione sabbati « qui nominati modò sunt justi omnes Deo compla- « cuerunt, et post illos Abraham, atque ejus liberi « cuncti, ad Mosen usque ; sub quo injustus et erga « Deum ingratus populus vester apparuit, vitulo in « solitudine fabrefacto. Unde Deus ad populum illum « se accommodans, hostias quoque offerre tanquàm « nomini suo præcepit, ut ne simulacra coleretis... « Quin et sabbata peragere vos jussit, ut Dei recorda- « remini. Nam et verbum ejus hoc significat dicens : « *Ut cognoscatis me esse Deum Redemptorem vestrum.* « Jam et à cibis quibusdam ut vos abstineatis, vobis « mandavit, ut etiam inter edendum et bibendum vo- « bis versaretur Deus, promptis admodùm et procli « vibus ad deficiendum à notione ejus. Idem p. 265 « Propter duritiam cordis populi vestri cunctas hujus- « modi sanctiones Deum per Mosen vobis tulisse in- « telligitis : ut per complura ista instituta, in actione « omni ob oculos vobis esset Deus ; ac neque injustè « facere, neque impiè agere occiperetis. »

III. Ita S. Hier. Commentario in Ezechielis cap. 20 : « Potest, inquit, et hoc dici quòd ante offensam De- « calogum acceperint, post idololatriam verò et bla- « sphemiam multiplices legis cæremonias, ut Deo po- « tiùs offerrent victimas, quas dæmonibus offerebant, « et comparatione sacrilegii, levius fieret, quod non « erat per se bonum, et nequaquàm malum, quia Deo « offerebatur. » Tum demùm Deum Cæremonialia præcepta Judæis tradidisse S. Hieron. innuit, cùm fœdus de Deo vero colendo violâssent, et vitulum aureum adorâssent ; idque legislatorem optimum maximum præstitisse ut eos ab Idololatriâ averteret. Id ex Apostoli verbis ad Galatas 3, 19, confirmatur. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est*, etc., quibus verbis indicat interprete Theophilacto : « Legem non « esse præcipuè ac primo consilio datam, quemadmo- « dùm promissiones ; sed veluti obiter additam ob « multas transgressiones, ut aliquod saltem cohibe- « ret. »

IV. S. Aug. Epistolâ 82, aliàs 19, cap. 4, laudata Ezechielis verba de cæremonialibus Mosaicæ legis præceptis exponit : « Cur autem non dicam præcepta « illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non « in eis homines justificantur, nec tamen mala, quia « divinitùs præcepta sunt tempori personisque con- « gruentia, cùm me adjuvet etiam prophetica senten- « tia quâ dicit Deus se illi Populo dedisse præcepta « non bona? Fortè enim propterea non dixit mala, sed « tantùm non bona, id est, non talia, ut illis homines « boni fiant, aut sine illis boni non fiant. »

V. S. Cyrillus Alexandr., libro 9 adversùs Julianum, p. 322 et 323, Ezechielis locum eodem modo explicat, et nostræ propositioni subscribit. « Cùm Is- « raelitæ, inquit, nondùm satis firmam in Dei cogni- « tione mentem haberent, ab officio suo citò discede- « bant, et ad deficiendum à Deo valdè proclives erant, « et instigare non cessabant ; vitulum quippe conflâ- « runt, ac dicere ausi sunt : *Hi Dii tui, Israel, qui* « *eduxerunt te de terrâ Ægypti.* Proindeque iis, ceu « levibus ac rudioribus, obscura lex data est, quæ per « typum vix ad rerum verarum intellectum eveheret, « necdùm tamen sanctæ vitæ iter manifestè panderet. « Quòd autem Deus legem in litteris, et umbris posi- « tam Israeli desipienti et peccati reo, ac recti nescio « ceu adhuc infantibus tulerit ; accipies ab ipso per « Isaiæ vocem ita dicente : *Et levavi manum meam su-* « *per eos in deserto*, etc. *Et ego dedi eis præcepta non*

« *bona, et justificationes, in quibus non vivent in eis.* « Decebat enim eos qui à benevolentiâ Dei resilierant, « et conflati vituli rei tenebantur, Dei consortio prorsùs excidere, et in Gentium regionibus vagari omni « misericordiâ orbatos. Cùm autem bonus sit, et sapientissimi Mosis preces respiceret, legitima quidem « eis dedit ad eos erudiendos, sed non bona, sicut ipse « ait, neque certè vitam eis qui illa impleverint præstare valentia. Non bona autem Præcepta quidem? « Si veritatis nimirùm decus respicias. Veritas enim « figuris incomparabiliter præstat. Siquidem fictitium « non est Israelitas nullum planè cœpisse fructum ex « eo quòd panibus non fermentatis vescerentur : Deum « tamen iis qui nequitiæ fermentum abjiciunt, et perpurgatum cor habent, nec impuri aut profani quicquam appetunt, tanquàm singulare munus largiri, « ut æternæ vitæ sint participes. » Isaiam pro Ezechiele laudat S. Cyrillus ex memoriæ lapsu viris maximis interdùm contingente.

VI. Theodoretus commentario in Ezechielem, hunc locum : *Dedi eis præcepta non bona, et justificationes, in quibus non vivent in ipsis*, explicans, aliorum interpretatione rejectâ, suam adstruit proposito nostro congruentem. « Quidam igitur, inquit, hæc de idolorum cultu dicta acceperunt, dedi, pro permisi, intelligentes; sed perspicuum est nequaquàm eos eorum quæ dicta sunt sententiam percepisse; impiam « enim idolorum religionem nemo rectè sentiens non « bonam dixerit, sed admodùm malam. Non ergo sapientiæ fons, pietatis legislator, impietatis accusator, « extremam impietatem non bonam appellavit, quam « malitiæ terminum vocat. Alia igitur hæc innuit oratio. Cùm enim dederim, inquit, justificationes ipsis, « *quas faciet homo, et vivet in eis* (et per hoc intelligit « decem verba legis, à quibus migrârunt ipsi, atque « ea sine ullo metu aspernari perseveraverunt), aliis « eos præceptis obstrinxi, ac veluti affixi, quæ vitam « nullam ipsis ministrare poterant, sed suâ observatione et in ipsis occupatione id efficiebant, ut necessarias leges illas violare desisterent. Per hæc autem innuit præcepta de leprâ, de ossibus cadaveris « et morticinio, et de aliis hujuscemodi, et crebras « propter hæc expiationes, et sacrificia quæ pro his « offeruntur. In his enim observandis illis occupati, « non ampliùs necessarias illas et utiles leges poterant « aspernari. Idcircò non dixit dedisse se illis mala præcepta, sed non bona. Neque enim vitium edocebant, « neque virtutis ipsa per se erant efficientia; sed crebrò ad sacrum Dei templum adventare, et Deo præstò esse cogebant. Qui enim se pollutum credebat, « is ad expiationem accurrebat; ad quam cùm pervenisset, in Dei memoriam redibat; atque hæc ipsa « memoria impiam mentem exterminans, divinas leges observandas persuadebat. Ipsa igitur per se non « bona, quæ divino consilio haud consentiebant, sed « eorum quibus lex imponebatur, imbecillitati congruebant : Non tamen ipsa pulchra neque necessaria, ad bona et necessaria ducebant »

VII. Secundò eadem veritas probatur aliorum Patrum, seu scriptorum ecclesiasticorum suffragiis, extra oraculi Ezechielis commentationem ipsi subscribentibus; scilicet ex Eusebio Cæsareensi, lib. 1 Demonstrationis Evangelicæ, cap. 4, ubi de veteri Testamento sic loquitur : « Illud enim lapsis à majorum « pietate Judæis, vitamque Ægyptiacam ac mores « æmulantibus, et ad errorem colendi multos Deos, « superstitionemque Gentium, quæ simulacra venerabantur, declinantibus, legis loco impositum est, « ut et eos qui ceciderant excitaret, et mutuis inter « ipsos doctrinis confessos atque prostratos erigeret. « Et cap. 6 Mosis interea lex ingressa quasi puerilium « imperfectarumque animarum curatrix quædam, et « gubernatrix, aut etiam medici cujusdam instar, « gravi Ægyptiacoque morbo laboranti universæ Judæorum nationi tradita est. Nam quia cum Ægyptiis « versantes post sanctorum patrum mortem, Ægyptiacorum morum similitudine allecti erant, et in multorum Deorum superstitionem deciderant, adeo quidem ut Ægyptiis amplius nihil habere, et illis in « omnibus similes, tum in errore simulacrorum, tum « in aliis quoque facinoribus evasisse viderentur : Meritò quasi ex profundo malorum ipsos hauriens « Moyses, ab impiâ Deorum multitudine amovit, et ad « opificem universi Deum reduxit perfectiorum illorum vitam, quasi in ingressibus et vestibulis, pro « primo gradu pietatis objiciens..... Deinde quasi imperfectis illis simulacrorum cultu interdicto, per « quædam arcana seorsùm signa, ut Religionem quam « ipse probabat complecterentur, edicens, sacrificiis « et quibusdam corporalibus cæremoniis, unum supra « omnia Deum ut colerent, præcepit. »

VIII. Idem asserit S. Joannes Chrysost. Enarratione in cap. 1 Isaiæ : « Eæ victimæ, inquit, non sunt à « principio institutæ; sed ita ut essent ratio quædam « instituendi Judæos, et illinc avocandi ad aliam con« versationem. Illi verò cùm se totos occuparent in « istis cæremonialibus, neglectis interim quæ urgebant necessariò, dixit Deus se deinceps ejus cæremonias legis non admittere : *Neque veneritis ut appareatis mihi*, si accesseritis, inquit, ad templum meum. « *Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris?* Et quidem « totus ille libellus qui Leviticus dicitur, de iisdem « hostiis conscriptus est, de his sedulò sanciens. Rursùs in Deuteronomio, in aliis item plerisque locis « multæ de his interspersæ leges sunt. Quo igitur « sensu hic ait : *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* « Ut discas, quòd illa voluntas Dei non fuerit principalis, aut prægrediens : sed ab illorum infirmitate « sumpsit exordium, quæ de his est, legislatio. Quem« admodùm enim mulierem semel viro conjunctam « nolebat ab ejus communione divelli, cupiens tamen « graviora mala excidere, nimirùm, ne dùm cavet interdicto viris à se eam excludere, huc necessitatis « adigantur ut invisas ac domi existentes jugulent : « quod minus erat malum, ob hoc fieri permisit. Ita « sanè et hìc interdicto cavit, ne victimas immolarent « dæmonibus : Ea tamen passus est sibi offerri, ut « quod cupiebat, rectà proveheret ac perficeret. » Et

infra, cæremonialia præcepta cum moralibus comparans, hæc habet : « Mandatorum hæc quidem propter « se fiebant, illa verò alias ob causas jubebantur, ut « fierent : sicut est hoc, Deum novisse, ne homicidium « committerent, ne adulterarentur; et quæcumque « talia per legem sanciebantur propter utilitatem ex « eorum observatione prodeuntem. Atqui immolatio, « incensi oblatio, observatio Sabbati, et quæcumque « ejusmodi è Religione sunt, non ut hæc ipsa simplici « quâdam ratione fierent; quin potiùs ut per harum « assiduam commentationem curamque abducerentur « à cultu dæmonum. »

IX. Suffragatur iterùm S. Cyrillus Alexandr. epistolâ ad Acacium, de Capro Emissario scriptâ, disertè asserens : « Universorum Deum ad evertendum « Gentilium errores, qui multos Deos colebant, eo- « rumque illuminationem qui in tenebris sedebant « priscis illis legem suam per Moysen tulisse. »

X. Istorum Patrum sententiæ subscribit S. Thomas, Primâ Secundæ, quæstione 102, art. 2, ubi inter rationes litterales præceptorum cæremonialium hanc primo loco recenset, quòd data sint *ad vitandum Idololatriæ cultum*. Articulo verò 3, ait : « Secundùm « quod sacrificia ordinabantur ad cultum Dei, causa « sacrificiorum dupliciter accipi potest. Uno modo, « secundùm quòd per sacrificia repræsentabatur or- « dinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur sacri- « ficium offerens. Ad rectam autem ordinationem « mentis in Deum pertinet, quòd omnia, quæ homo « habet, recognoscat à Deo tanquàm à primo princi- « pio, et ordinet in Deum tanquàm in ultimum finem, « et hoc repræsentabatur in oblationibus et sacrificiis : « Secundum, quòd homo ex rebus suis quasi in reco- « gnitionem, quòd haberet ea à Deo, in honorem Dei « ea offerebat, secundùm quod dixit David, 1 Parali- « pomenon 29 : *Tua sunt omnia, et quæ de manu tuâ « accepimus, dedimus tibi...* Alio modo, ex hoc quòd « per hujusmodi retrahebantur homines à sacrificiis « idolorum. Unde etiam præcepta de sacrificiis non « fuerunt data populo Judæorum, nisi postquàm de- « clinavit ad idololatriam, adorando vitulum conflati- « lem. Quasi hujusmodi sacrificia sint instituta, ut « populus ad sacrificandum promptus, hujusmodi sa- « crificia magis Deo quàm idolis offerret. Unde dici- « tur, Jeremiæ 7 : *Non sum locutus cum patribus ve- « stris, et non præcepi eis, in die quâ eduxi eos de terrâ « Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum.* »

XI. Accedit ad nostræ propositionis confirmationem Maimonidis, inter Hebræorum magistros doctissimi suffragium, in More Nevochim, p. 3, cap. 29 : « Nôsti, « inquit, ex pluribus Scripturæ locis, quòd prima legis « nostræ intentio sit idololatriam tollere, memoriam « illius, et omnium quæ illi adhærent, aut hominibus « ad illam vel minimam occasionem præbent de- « lere. »

XII. Probatur pars altera propositionis, quòd scilicet illi ipsi ritus, quos ex gentium moribus in legem transcriptos viri quidam eruditi contendunt, ob eam rationem in eumque finem sint instituti, ut Judæos à peregrinis ad patrios mores, et ab idolis ad veri Dei cultum sensumque revocarent : Primò ex ipsorummet hujus opinionis auctorum confessione, qui fatentur ethnicorum ritus nonnisi emendatos, et Dei sapientissimi limam passos, Deum in Mosaicam legem transtulisse, et per ἀνγκαταβάσιν illam Israelitas à gentium idolis, et cæremoniis sensim et suaviter avocare studuisse. Ita loquitur Spencerus in Præfatione lib. 3 *de Legibus Ritualibus Hebræorum*.

XIII. Secundò, id omninò probant Patrum, seu aliorum scriptorum Ecclesiasticorum testimonia, quibus ceu sententiæ suæ patronis gloriantur, scilicet S. Hieronymi, Commentario in cap. 5 S. Matthæi, dicentis : « Hoc quasi parvulis erat lege concessum, ut, « quemadmodùm victimas immolabant Deo, ne eas « idolo immolarent, sic et jurare permitterentur in « Deum : non quòd rectè hoc facerent, sed quòd me- « liùs esset id honoris Deo exhibere, quàm dæmoni- « bus. » Et Commentario in cap. 4 ad Galatas : « Ar- « guit illos Apostolus, inquit, quia dies festos et tem- « pora Judæorum observare vellent, sicut antea idolis « fecerant. Nam Judæis illi dies idcircò concessi sunt, « ne eos amore festivitatis idolis exhiberent. »

XIV. S. Joannis Chrysost. homiliâ 6 in S. Matthæum : « Ne igitur opineris, inquit, Deo indignum, « quòd magi per stellam vocantur. Hoc enim modo « omnes Judæorum cæremonias, omnesque ritus, et « sacrificia, atque purificationes, et neomenias, et ar- « cam, templumque ipsum reprobabis. Siquidem hæc « omnia originem à Gentium ruditate traxerunt. Sed « Deus ob deceptorum salutem, per ea ipsa se coli « passus est, per quæ illi dæmones ante coluerant, « aliquandiù illa in melius inflectens, ut eos paulatim « et à consuetudine suâ reduceret, et ad philosophiam « perduceret altiorem. »

XV. Beati Theodoreti sermone 7, *de Sacrificiis*, ubi cùm falsos gentium Deos victimarum nidore, velut coquos delectari præmisisset, subjungit : « Hæc au- « tem et ipsi fortassè, in verum ac sempiternum Deum « retorquere audebunt; quippe qui de sacrificiis in « divinâ Scripturâ latas leges audiunt, Legislatoris au- « tem consilium prorsùs ignorant. Israelem enim lon- « ginquum tempus in Ægypto versatum, pravisque « indigenarum moribus imbutum, et idolis ac dæmo- « nibus immolare ab illis edoctum, et ludis choreis- « que, ac musicis organis oblectari, harum rerum in « habitu constitutum liberare volens, sacrificare qui- « dem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque « falsis Ægyptiorum Diis, sed sibi soli Ægyptiorum « Deo offerre. Deorum siquidem in numero bovem « olim habebant Ægyptii, et ovem, et capram, et co- « lumbam, et turturem, et alia quædam ex iis quæ « non esculenta erant, sed immunda vocabantur. Ne « itaque indignarentur, tanquàm à moribus illis pe- « nitùs exclusi, falsis quidem Diis sacrificare vetuit, « sibi autem ea immolare jussit, quæ ab eis dudùm « adorabantur... Haud itaque victimarum indigens « Deus, nidorisque appetens sacrificia illa instituit, « sed ut ægrorum affectibus mederetur. Ita et musica

« instrumenta passus est esse, non quòd illorum con-
« centu oblectaretur, sed ut idolorum errorem paula-
« tim aboleret. Nam si ut primùm ab Ægyptiorum
« potestate liberati sunt, perfectas eis leges objecis-
« set, resiliissent prorsùs, frenumque respuentes ad
« pristinam labem recurrissent. »

XVI. S. Cyrilli Alexandrini, quem ante Theodoretum laudare debueram, lib. 16 *de Adoratione*, ubi hæc habet : « Gentilium dementissima natio, suas consue-
« tudines secuti, et more mutarum pecudum viventes,
« promittebant comam, dæmoniis eam nutrire pro-
« fessi. Atque alius quidem nymphis, quas orcadas
« appellabant, alius fluvio, cùm visum esset, offere-
« bant; atque religionis loco ea res habebatur. Sapien-
« tissimus itaque Moses, imò per Mosem Deus cùm
« intelligeret, non facilè Hebræos, quos in Ægypto
« mores imbibissent, deponere posse, similes ritus in-
« stituere decrevit, sensim eos à priscis erroribus
« disjungens. Quibus ritibus non dæmones ultra, sed
« Deum omnipotentem quasi sub umbrâ et figurâ co-
« lerent. Ob eam rationem legem de sacrificiis tulit,
« illasque cruentas victimas haud admodùm libenter
« accipiebat. »

XVII. Probatur tertia pars propositionis : Quòd scilicet viri quidam eruditi falsò ac perperàm asserant, Deum plerosque ritus ethnicorum in legem cultumque suum transtulisse : Primò ex ipsis Dei verbis, qui se ritibus ab iis, quos ethnici, et inter alios Ægyptii, in honorem numinum suorum frequentabant, diversis coli velle non semel significat Israelitis, Deuteronomii cap. 12, 30, 31, 32, 33. *Cave*, inquit, *ne imiteris eas, postquàm te fuerint introeunte subversæ, et requiras cæremonias earum, dicens : Sicut coluerunt gentes illæ Deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino : Nec addas quicquam, nec minuas.* Et Levitici 18, 2, 3, 4 : *Ego Dominus Deus vester : juxta consuetudinem terræ Ægypti, in quâ habitâstis, non facietis : et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester.* Præterea, leges cæremoniales eo consilio Deus Israelitis dedit, ut earum observantia, veluti pariete intergerino eos à gentium communione ac moribus omninò separaret, ut docet Apostolus ad Ephesios 2, 14, 15, ubi de Christo sic loquitur : « Ipse enim est pax nostra qui fecit utràque unum,
« et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias
« in carne suâ; legem mandatorum decretis evacuans,
« ut duos condat in semetipso in unum novum homi-
« nem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno
« corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias
« in semetipso. » Hocne vero consilio congruebat, ut gentium ritus non paucos, *quos ineptias nôrat esse tolerabiles*, ut Spencerus loquitur, in sacrorum suorum numerum adoptaret? Tertiò, Deum leges cæremoniales condidisse ad abolendam idololatriam, satis superque probavimus : An verò gentium mores in legem transferre ad eum finem consequendum conveniens fuisset? Certè rituum similitudo tam facilè Judæos ad cultum idolorum, quàm gentes ad cultum veri Dei allicere potuisset. Tertiò, legales cæremonias Deus instituit, ut Christi et mysteriorum ipsius figuræ essent, ut docet Apostolus, Epistolæ ad Colossenses cap. 2, 16, 17 : *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum : Corpus autem Christi.* Conveniensne fuisset ut Deus ex dæmonis officinâ, ex ethnicorum superstitione lineamenta mutuaretur, quibus Christi salvatoris, mysteriorum ejus, atque rerum spiritualium ad regnum et fideles ejus pertinentium figuras et imagines adumbraret? Quartò, ritus plerique omnes, quos à gentibus ad Hebræos derivatos Spencerus asserit, vel è Patriarcharum moribus manâsse manifestum est, ut ritum primitiarum ac decimarum Deo offerendarum, de quo Genesis, 4, 3, 14, 20, 18, 22. Altarium ac titulorum in Dei honorem erigendorum, eaque olei effusione dedicandorum, et sacrificiorum oblationem, de quibus Genesis, 8, 20; 12, 7, 8, 13, 18; 15, 9; 22, 3; 28, 17, 18, 22; 31, 54; 35, 14. Vel ritus hujuscemodi ab Hebræis traductos ad gentes longè verisimilius videtur, dæmone divini cultûs æmulo victimarum frequentium cæremonias, templorum religiones, lustrationum exercitia, festorum solemnitates, aliasque cæremonias Mosaicæ legis contaminante, interpolante, et ad idolorum cultus transferente. Sanè auctores omnes, quorum testimoniis probare nititur Spencerus ritus plerosque Mosaicæ legis è moribus gentium esse derivatos, longè recentiores sunt Mosis ætate. Cùm enim ad ritus particulares descendit, ut hypothesim suam exemplis firmet, alios auctores non laudat quàm gentium historicos, poetas, philosophos, qui fidem licet faciant rîtus illos ætate suâ inter gentes usitatos fuisse, non tamen ante Mosis tempora. Argumentum à Mosis antiquitate petitum invicti esse roboris tam contra eos qui ritus legis Mosaicæ ex moribus gentium derivatos contenduut, quàm contra eos qui plerasque historias à Moyse in Genesi scriptas, et fabulis gentium ab ipso interpolatas impiè olim asseruerunt, patet ex loco illo Origenis, lib. 4 contra Celsum : « Et quoniam putat Mosem, quæ scribit de
« Turri, confusioneque liguarum, depravâsse ex
« Aloidarum fabulâ, et ad Turrim suam transtulisse;
« equidem dixerim, Aloæi filiorum ante Homerum in
« litteris meminisse neminem, at quæ de Turri Moses
« prodidit, antiquiora esse non tantùm Homero, ve-
« rùm etiam primis græcarum litterarum inventori-
« bus. Uter igitur alterius scripta depravavit, scri-
« ptorne Aloidarum fabulæ, historiam Turris; an is
« qui de Turri, et linguarum confusione meminit,
« Aloidarum fabulam? Certè incorruptis auditoribus
« apparet, quòd Moses sit Homero antiquior. Sic et quæ
« de Sodomis, et Gomorrhis propter peccatum igne
« deletis Moses narrat in libro Geneseos, Celsus com-
« parat cum Phaetontis historiâ, in eumdem iterùm

« impingens lapidem ob non servatam antiquitatem « Mosis temporum. Nam hi qui de Phaetonte fabu- « lantur, videntur Homeri ætate posteriores, quo « Moses fuit tantò antiquior. » Simili adversùs Marshamum, et Spencerum utimur argumento. Auctores omnes, quorum testimoniis probare nituntur legis Mosaicæ ritus plerosque inter gentes olim usitatos, et à Deo ex moribus gentium in legem cultumque suum translatos, longè remoti sunt à mosaicorum temporum antiquitate. Ex ipsis itaque colligi non potest ritus illos ante Moysen in usu fuisse gentium illarum. Facessant itaque hoc in argumento Herodotus, Pausanias, Diodorus Siculus, Lucianus, Plutarchus, Apuleius, Macrobius, Homerus, Martialis, Ovidius, Virgilius, poetæ omnes, quorum nominibus ac sententiis opus suum eruditus Spencerus implevit. Hi enim de ritibus, ut dixi, in Sacris gentium, de quibus scribebant, suâ ætate frequentatis testes idonei esse possunt, non de ritibus ante Mosis tempora usurpatis. Denique Tacitus, libro 5, Historiæ, Marshami et *Spenceri* opinionem jugulat his verbis : «Moses, quò sibi in posterum gen- « tem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris « mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ apud « nos sacra. Rursùm concessa apud illos, quæ nobis « incesta... Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate « defenduntur. Cætera instituta sinistra, fœdâ pravi- « tate valuêre. »

XVIII. Sed age, Spenceri argumenta expendamus. Primum petit ex illis S. Pauli verbis, Act. 13, ubi de Israelitis agens : *Deus*, inquit, *per quadraginta annos mores eorum toleravit in deserto.* Ibi verò per mores quos Deus tulit, intelligendæ videntur consuetudines aliquæ, pueriles magis quàm profanæ, quarum nonnullas ad tempus sustinuit, alias autem in sacrorum suorum classem transtulit.

Respondetur, arbitrariam prorsùs esse Spenceri interpretationem. Mores Israelitarum, quos Deus sustinuit in deserto, frequentes fuêre defectiones ad cultum idolorum, legis divinæ violationes, murmurationes in Deum et Moysen, infra meritum punitæ, ut docet Deus ipse apud Ezechielem, cap. 20, 13, et seq. *Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis : et Sabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto*, etc. *Et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos : Nec consumpsit eos in deserto.* De iis moribus loquitur S. Paulus, propter quos Deus se Judæorum nationi quadraginta annis offensum fuisse ait per Davidem, Psalmo 94, 9, 10, 11. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto : Ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas.* Sanè si quos gentium mores pueriles magis quàm profanos Deus in legem suam transcripsisset, hos approbâsse potiùs, quàm tolerâsse diceretur.

XIX. Secundum argumentum petit Spencerus ex iis locis, quibus olim institutionum legalium observatio præcipuè nitebatur. Observat nimirùm in locis plerisque, quibus Deus de præcipuæ notæ ritibus et institutis agit, eum vocibus *permittentem et dirigentem*, potiùs quàm *præcipientem et adhortantem* indicantibus uti. Exodi 20, 25 : *Si altare lapideum facere velis mihi, non ædificabis è sectis lapidibus.* Levitici 1, 2 : *Si quis è vobis obtulerit oblationem Domino, offeretis de pecoribus*, etc. Numerorum 7, 61 : *Si quispiam voverit votum ad separandum se Domino, se à vino*, etc. Ex quibus colligit, ritus illos permissos potiùs fuisse, quàm præceptos, et à seculi consuetudine magis quàm Dei voluntate, et intentione primariâ derivatos.

Respondetur cæremonias omnes, quæ divinâ lege continentur, à Deo præceptas, non permissas tantummodò fuisse, ut constat ex Deuteronomii 5, 31, 32, ubi Deus Moysen his verbis compellat : *Tu verò hìc sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et cæremonias, atque judicia : quæ docebis eos, ut faciant ea in terrâ quam dabo illis in possessionem. Custodite igitur et facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis : Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Cap. 6, 1 : *Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis in terrâ, ad quam transgrediamini possidendam.* Et ex postremis Levitici verbis : *Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.* Et ea ipsa loca quæ Spencerus profert, præceptum, non meram permissionem aut tolerantiam notant, quamvis præcepta illa hypothetica sint, non absoluta. Si quis altare lapideum Deo erigeret, quod liberum erat (poterat enim de terrâ facere) præcepto divino tenebatur ad illud extruendum ex impolitis lapidibus. Si quis sacrificium offerret statis temporibus, vel pro suâ devotione, præcepto adstringebatur ad eas victimas offerendas, quas Deus lege præscripserat. Si quis voto Nazaræatus se obstrinxisset, quod liberum erat, abstinere ex Dei præcepto tenebatur à vino, et omni potu quod inebriare potest.

XX. Tertium argumentum arcessit Spencerus ex Epistolâ ad Galatas 4, 3 : *Cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Elementa enim mundi, ritus interpretatur Israelitis cum mundo communes, videlicet templa, aras, victimas, aliosque mores, qui à gentibus ad Judæos per demissionem quamdam Dei venerant.

Respondetur Mosaicæ legis cæremonias et observantias, elementa mundi, ob eam rationem quam affert Spencerus ab Apostolo non appellari, sed *elementa* quidem vocari propter earum ruditatem et imperfectionem, metaphorâ sive à naturâ, sive ab arte petitâ. Mundi autem elementa, quia terrena erant, sensibilia, è mundo sumpta, et ex illis rebus, quas mundani homines cum iis quoque communes habebant; præsertim verò ex diebus, mensibus, annis, et temporibus, quæ solis, et lunæ cursu perficiuntur :

vel quia Deus mundum, id est, homines in mundo constitutos erudire volens, à tenuibus illis principiis exorsus est, pietatis scholâ ipsis veluti adhuc pueris pædagogi disciplinâ instituendis, in uno duntaxat mundi angulo apertâ. Addiderim, hunc locum optimos interpretes de gentibus, non de Judæis interpretari, et *mundi elementa*, cœlum, terram, solem, sidera intelligere, eos demùm *qui naturâ non sunt dii*, quibus gentes olim serviebant, antequàm Evangelii lumine collustrarentur. In eorum itaque personâ loqui sanctum Paulum, quibus ad evangelizandum missus erat, cùm ait : *Sub elementis mundi eramus servientes.* Unde et postea subdit, vers. 8, 9, 10 : *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodò convertimini iterùm ad infirma et egena elementa, quibus denuò servire vultis? Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.* Hanc postremam interpretationem tradit sanctus Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas. Priorem sanctus Joannes Chrysostomus, et Theodoretus; utramque S. Hieronymus proponit : « Elementa mundi, inquit, cœlum et terram, et ea quæ intra hæc « sunt, plerique appellata putant : Quòd videlicet solem, lunam, maria, sylvarum, et montium Deos, « et sapientes Græciæ, et barbaræ nationes, Romanique omnium superstitionum semina venerentur. A « quibus, cùm Christus venerit, liberamur, intelligentes ea creaturas esse, non numina. Alii elementa « mundi, legem interpretantur Moysi, et eloquia Prophetarum; quòd per hæc quasi initia et exordia litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium « est, suscipiamus..... Ab his elementis, postquàm « venerit temporis plenitudo, redimimur, ad majora « gradientes, adoptionem recipimus filiorum..... Potest igitur (ut diximus) Mosi lex, et prophetæ pro « elementis accipi litterarum, quòd per eas syllabæ « jungantur, et nomina, et non tam suî, quàm alterius rei utilitate discantur, ut possimus orationem « legere contextam, in quâ sensus magis, et ordo « verborum, quàm litterarum principia considerantur. « Quod autem legem, et prophetas, elementa mundi « interpretati sumus, mundus pro his qui in mundo « sunt accipi solet, eodem Paulo dicente : *Deus erat « in Christo mundum reconcilians sibi.* Et in Evangelio : *Et mundus per eum factus est, et mundus eum « non recepit.* » Hos interpretum reverà coryphæos Spencerus consultiùs sequeretur, quàm Grotium ingenio suo in Scripturæ Sacræ interpretatione liberiùs indulgentem; quem tamen hoc nomine cohonestare ipsi placuit.

XXI. Quartum argumentum sumit Spencerus ex testimonio Origenis, lib. 5, contra Celsum. Cùm enim Celsus arrogantiæ maximæ Judæos argueret, quòd primas sibi sanctitatis et favoris apud Deum partes sumerent, ob circumcisionem, abstinentiam à carne porcinâ, morem in excelsis immolandi, et hujusmodi alia, quæ tamen Ægyptii, Colchi, Persæ, aliique priores usurpâssent in hunc modum, egregiè respondet Origenes : « Quòd si quis rectâ mente ad contemplandum legislatoris consilium, examinet collata « instituta ejus gentis cum reliquarum moribus, quibus hodièque utuntur, nullum hominum genus magis admirabitur, ut quod repudiatis omnibus rebus « inutilibus, solus recipit utiles. » Quibus verbis fatetur Origenes, Deum mores sacros à Gentibus, sed cum delectu accepisse.

Respondetur, Origenem nihil minùs dicere quàm quod ipsi Spencerus affingit. Id unum asserit, in Judaicæ religionis ritibus nihil inutile, nihil superstitiosum fuisse, nihil obscœnum. Subdit enim : « Ideò « nulla fuerunt apud eos vel scenicorum, vel athletarum, vel circensium certamina; non feminæ vendentes florem ætatis cuivis volenti seminare incassum, et naturæ humanæ seminibus illudere.... « Mihi certè persuasum est, eos dignè appellatos Dei « peculium, qui contempserunt omnem divinationem « vanâ spe lactantem homines, et malorum dæmonum « potiùs, quàm melioris Naturæ inventum, quærendo « veram futurorum præscientiam in sanctis animis « propter insignem puritatem capacibus divini Spiritûs. » Imò Judaicæ religionis sacra gentium sacris longè dissimilia fuisse docet. « Velit nolit Celsus, « inquit, altiorem sapientiam tenent Judæi, non solùm « quàm vulgus, verùm etiam quàm hi qui habentur « pro philosophis. Namque philosophiæ studiosi post « graves illas suas disputationes prolabuntur ad simulacra et dæmones : Judæorum autem vel postremus « ad solum Deum Optimum Maximum respicit; et « meritò hâc de causâ sibi placent, aliorum ut impurorum et impiorum devitantes consuetudinem. Atque « utinàm non contra legem peccâssent, occisis primùm « prophetis, dein Jesu per insidias sublato! Haberemus exemplum civitatis cœlestis, quam Plato conatus « est quidem effingere, cæterùm non videtur hoc ita « præstitisse ut Moses, cæterique Prophetæ post eum, « formantes genus electum, gentem sanctam, Deo dicatam, purèque educatam procul omni superstitione. « Quoniam autem Celso libuit sacra Judæorum quibusdam gentibus communia facere, agendum dispiciamus quid sit hoc quoque. Putat de cœlo dogma « nihil differre ab opinione de Deo; aitque Judæorum « more Persas Jovi sacra facere in celsissimis montium : non videns quòd Judæi, quemadmodùm unum « Deum sciebant, ita unicam sanctam precationis domum, unum altare holocautomatum, et sacri suffitûs aram unicam, unumque Dei summum Sacerdotem. Nihil igitur commune Judæis erat, altissimos « montes, eosque plures conscendentibus Sacrorum « causæ longè dissimilium sacrificiis Mosaicis, quæ « ad quamdam similitudinem et umbram cœlestium « peragebantur à sacerdotibus Judæorum, in arcano « intellectum legitimorum sacrorum enarrantibus, et « quidnam significaretur per ea. »

XXIII. Quintum argumentum Spenceri ex Eusebii testimonio sumptum, lib. 1 Demonstrationis Evangelicæ, cap. 6, causam ejus non promovet, cùm id unum afferat, Deum *congruentem Israelitarum moribus legem*

*promulgâsse*, quam vocat imperfectam, *et quasi parvulis et infirmis accommodatam observantiam :* comparatè scilicet ad religionem christianam, et observantiam legis evangelicæ.

XXIV. Sextum argumentum adornat Spencerus ex S. Joanne Chrysostomo, Homiliâ 6 in Mathæum, cujus testimonium superiùs descriptum est. Sed nec ipse Spencerus eloquentissimo Patri in omnibus credendum putat; ægrèque fert, quòd de rituum planè omnium antiquioribus temporibus apud Judæos obtinentium origine tam decretoriam sententiam tulerit. Nam ægrè creditur, inquit, circumcisionem, Sabbatum, festum Paschatis, et alia nonnulla Judæorum instituta, huic origini tribuenda esse. Sacrificia certè, quæ gentium ruditati et mori inoleto Sanctus Chrysostomus accepta refert, à Patriarchis, Deo procul dubio docente, oblata, Scriptura sacra commemorat; adeòque ex gentium moribus in Mosaicam legem translata dici verè non possunt. An verò Chrysostomus ipse id non agnoscit, divino scilicet afflatu homines, dùm sola vigeret lex naturæ, edoctos de sacrificiis Deo immolandis? Audiatur, homiliâ 17 in Genesim : « Iterùm dico, « et dicere non cessabo, non quia Deus sacrificiis indiget, sed vult et per hæc ostendi gratum animi affectum ..... Neque Cain doctorem habuit aliquem, « neque Abel suggestorem et consiliarium : sed uterque conscientiæ suæ magisterio, et sapientiâ divinitùs humano generi suppeditatâ, ad hanc oblationem « incitatur. » Et homiliâ 26 in Genesim : « Et ædificavit « Noe altare, et accepit de omnibus pecoribus mundis. « Considera iterùm diligenter ex præsentibus verbis, « quomodò in naturâ nostrâ conditor omnium inseruit « certam virtutis scientiam. Unde enim justo venissent? « Nullus erat alius quem videbat, et à quo discebat. »

S. Hieronymus sententiæ Spenceri nullatenùs favet. Ejus loca ex Commentario in S. Matthæi cap. 5, et in cap. 4 ad Galatas excerpta, probant duntaxat Deum leges cæremoniales Judæis dedisse, ut eos à profanis gentium ritibus ac moribus avocaret, ac idololatriam in populo illo peculiariter à Deo electo aboleret. Illa S. Hieronymi testimonia descripta superiùs habes, num. 13. Aliud addit Spencerus ex Epistolâ ejusdem sancti doctoris ad Evagrium, ubi ait : « Ante circumcisionem sacerdotio functum Melchisedech; ut non « gentes à Judæis, sed Judæi à gentibus sacerdotium « acceperint. » Sed frustra locum illum S. Hieronymi vir eruditus ostentat, cùm de gentibus profanis ac idololatriæ addictis S. doctor non loquatur, sed de gentibus verum Deum colentibus, nec tamen ex Abrahami genere ortis. Quanquàm vix propugnari queat vel illo sensu S. Hieronymi propositio, siquidem Abraham, antequàm Melchisedech occurrisset, veteres Patriarchæ Abrahami majores sacerdotio functi sunt, et sacrificia Deo obtulerunt.

XXV. A Theodoreto suppetias quærit Spencerus, sed locus Theodoreti excerptus è sermone 7 *de sacrificiis*, et supra, num. 15, descriptus, sacrificia quidem ab ethnicis frequentata probat, sed non ex lutulentis illis fontibus in Judaicam religionem à Deo derivata, imo ab eo præscripta, et instituta ad idololatriam abolendam. Ait autem conveniens non fuisse, ut Deus ab Ægyptiorum servitute liberatis perfectas leges statim traderet, quia nondùm evangelicæ philosophiæ capaces erant. Hanc ob causam illum sacrificia instituisse, quibus non indigebat, et quæ propter se ipsa non volebat. « Nam si, inquit, ut primùm ab Ægyptiorum potestate liberati sunt, perfectas eis leges objecisset, resiliissent prorsùs, frenumque respuentes, « ad pristinam labem recurrissent. Si enim rebus hoc « modo dispositis, sæpenumerò id facere conati sunt, « quid non ausi fuissent, Deo illis statim ab initio « evangelicam philosophiam imperante? Quòd verò « Deus nec sacrificiis egeat, nec musicis instrumentis « ipsum audite per Prophetas loquentem : *Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, etc. His enim verbis pariter omnia rejecit, quæ « jussa fuerant offerri .... Eo ipso edocens divinam « naturam re nullâ indigere. *Quod ubi multis confirmavit, ita concludit* : Quod igitur de his rebus in Lege « præceperat, illorum infirmitatis fuit, non indigentiæ « ipsius, aut voluntatis. »

XXVI. Fateor S. Cyrillum Alexandrinum, cujus locum supra, num. 16, descriptum habes, in eâ fuisse sententiâ, quam ejus verba præ se ferunt, et Spencero de Nazaræatûs origine suffragari. Verùm cùm de re suâ ætate tot seculis antiquiore loquatur, ejusque opinioni nec Scriptura sacra, nec Traditio, nec humana Historia, nec ratio fidem adstruant, ab eo dissentire, salvâ nominis ejus reverentiâ, nobis liberum est. Ejus namque testimonio non obstante, semper incertum est, an mos ille Gentilium comam promittentium, eamque dæmoniis nutrientium, aut nymphis vel fluvio offerentium, tam antiquus fuerit, et apud eas Gentes, quibuscum Israelitis Mosis temporibus intercessit commercium, tunc receptus, ut Legis de Nazaræatu ferendæ occasionem dare Deo potuerit. Si quid in re tam obscurâ conjecturis tribui potest, feliciùs fortè conjicit, qui Deum sacram de Nazaræatu legem opposuisse asserit Zabiorum, id est, Chaldæorum, finitimorumque populorum ethnicorum moribus, qui « omnia quæ separantur à corpore, ut pili, ungues, « sanguis, pro immundis habebant : unde tonsores « omnes iis immundi erant, quia sanguinem et pilos « tangunt. Quicumque novaculam super carnem suam « transire sinebat, lavare se cogebatur in aquâ fontanâ, clarâ, limpidâ. » Ita refert Maimonides in More Nevochim p. 3, cap. 47.

XXVII. Ritus Mosaicæ legis plerosque à Gentibus ad Hebræos derivatos fuisse rationibus verisimilibus probare Spencerus aggreditur. Primam petit à primariis rituum Mosaicorum circumstantiis, scilicet ab eorum inutilitate et infirmitate, instituendi tempore, multitudine, pompâ et splendore, instituendi modo, et simplicitate. Eorum inutilitatem, et infirmitatem probant Apostoli verba ad Hebræos 7, 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem : Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 9, 9. *Juxta quàm munera et hostiæ offe-*

*runtur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Ratio autem ferre nequit Deum tot ritibus omni virtute vacuis, et hominem externum tantùm exercentibus, Ecclesiam cultumque suum onerare voluisse; nisi quòd Hebræorum populus, immani veterum omnium zelo ductus, dæmoni per eos cultum deferre voluerit, si minùs Deo licuisset. 2° Id confirmat institutionis tempus. Ritus enim illi plerique per annos bis mille veris Dei cultoribus incogniti fuerunt, et sub Mosis tempora primùm in leges abierunt. Quid itaque dicendum, nisi quod novi mores, leges et ritus novos postularent, et Deus jam rem haberet cum pertinaci gente ab antiquis moribus minimè dimovendâ. 3° Ipsa rituum Mosaicorum multitudo argumento esse potest, eorum non paucos à seculi moribus ansam et originem accepisse. Quid enim Deus *elementa* tot *infirma et egena* in legem cultumque suum accipere dignaretur, nisi quòd eorum plurimos, utpote more veteri confirmatos, Judæi moris antiqui tenaces arctiùs amplecterentur? 4° E rituum eorum pompâ et splendore argumentum etiam non pœnitendum elicitur. Cur enim cultum tam splendidum et elegantem repentè Deus instituit, nisi ut religionem ad puerilis populi gustum attemperaret, qui è longo cum Ægyptiis usu, cultum multo cum negotio et pompâ præstitum summo desiderio et admiratione prosequeretur? Ipse ritus Mosaicos instituendi modus huic sententiæ non parùm præsidii præbet. Cur enim Deus horum rituum minutias accuratè adeò præscripsit, iisque detrahi vel addi vetuit, nisi ut Hebræorum ritus Gentium affines circumstantiis quibusdam peculiaribus ab iis discernerentur? 6° Rituum aliquorum simplicitas probat ipsos non à Deo primùm, sed à mundi nascentis ruditate genus et originem derivâsse, ut oblatio primitiarum in honoris divini testimonium, Dei tabernaculum incolentis circumgestatio, pilorum consecratio in capitis Deo devoti testimonium, cultus Deo præstitus in novilunio, epuli ex oblatis participatio ad communionem, et familiaritatem cum Deo indicandam, etc.

XXVIII. Respondetur his viri eruditi argumentis plus inesse fuci rhetorici, quàm ponderis. Deum rationes suas habuisse, sapientiâ suâ dignas, quibus adductus est ut tot ritus, quamvis ex se inutiles et infirmos, utiles tamen ad finem, propter quem illos instituebat, consequendum præscriberet, scilicet ad abolitionem idololatriæ, ad conservandum divinorum beneficiorum memoriam, ad excellentiæ divinæ sensum hominum animis imprimendum, ad designandam dispositionem mentis Dei cultoribus necessariam. (Quæ rationes sunt litterales.) Ad Christum, ejusque mysteria delineanda et figuranda, ac populi christiani mores instituendos, ad statum futuræ gloriæ designandum. (Quæ rationes mysticæ sunt.) Ita S. Thomas, 1-2, q. 102, art. 2, Deum tot ritus instituisse, ut superbi populi ferociam jugo difficillimo subigeret, ut rudem ac lascivientem severi veluti pædagogi disciplinæ subjiceret. Ut filium contumacem, sub *tutoribus ac curatoribus, usque ad tempus præfinitum* constituens, in officio contineret. (Ad Galatas 4, 1, 2, 3.) Ut paulatim ad Evangelicam perfectionem homines disponeret. « Propterea, inquit S. Gregorius Nazianzenus, oratione 42, nobis adjumenti « causa lex datur, velut materia quædam inter « Deum atque idola interjecta, ab his quidem « nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paulùm quiddam primò indulget, ut majus accipiat, « sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis « inserat, ac postea, cùm commodum fuerit, ipsa « quoque sacrificia de medio tollat, mirâ sapientiâ « per tacitas subtractiones animos nostros sensim « immutans, atque ad Evangelium traducens, jam ad « obediendum exercitos et assuefactos. Sic igitur at- « que his de causis lex scripta introducta est, ad « Christum nos colligens; atque hæc sacrificiorum « est ratio. Et ut sapientiæ Dei profunditatem, at- « que impervestigabilium ipsius judiciorum divitias « intelligas, ne ea quidem mysterii prorsùs expertia « et inutilia, et in nudo ac simplici sanguine defixa « reliquit. Verùm magna illa, et quantùm ad primam « naturam immactabilis (ut ita loquar) victima lega- « libus sacrificiis immixta est; illa, inquam, non exi- « guæ cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum « tempus, sed totius mundi nunquàm intermoritura « expiatio. » Rituum Mosaicorum splendorem et pompam quod spectat, ideò Deus cultum tam splendidum et elegantem instituit, ut Israelitæ Majestatis divinæ sensu magis afficerentur, et ad reverentiam Deo præstandam excitarentur, ejus excellentiæ singulari convenientem. « Habet enim hoc humanus affectus, in- « quit sanctus Thomas, 1-2, quæst. 102, art. 4, ut ea « quæ communia sunt, et non distincta ab aliis, mi- « nùs revereatur; ea verò quæ habent aliquam excel- « lentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur et « revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo ino- « levit, ut reges et principes, quos oportet in reve- « rentiâ haberi à subditis, et pretiosioribus vestibus « ornentur, et, etiam ampliores et pulchriores habita- « tiones possideant. Et propter hoc oportuit ut ali- « qua specialia tempora, et speciale tabernaculum, « et specialia vasa, et speciales ministri ad cultum « Dei ordinarentur: ut per hoc animi hominum ad « specialem Dei reverentiam adducerentur. *Uno verbo*, « totus exterior Dei cultus ad hoc præcipuè ordina- « tur ut homines Deum in reverentiâ habeant. » Rituum porrò sacrorum minutias Deus præscripsit, ne Judæi ad idololatriam proclives ritum aliquem superstitiosum in cultum divinum adsciscerent. Proinde ritibus à se præscriptis aliquid addi vel detrahi severè prohibuit. Aliquorum denique rituum simplicitas non probat illos à gentium ruditate originem duxisse, cùm aliquos à priscis Patriarchis frequentatos ex Scripturâ sacrâ certum sit, ut primitiarum oblationem, epuli ex oblatis Deo victimis participationem, etc. Alios verò Deus, ob fines sapientiæ suæ propositos, etiam instituerit ac præceperit, ut tabor-

naculi constructionem, de quâ Exodi 26, 30 : *Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est*, etc.

XXIX. Argumentum alterum ad opinionem suam probandam ducit Spencerus ex affinitate, quæ inter Hebræorum et Ægyptiorum præcipuè ritus intercessit. Unde factum est autem quòd Ægyptii et Hebræi cætera divisi maximè regionibus, linguis, studiis, legibus, cultûs objectis, toto cœlo ab invicem separati, rituum tam similium usu conspirarent? Nulla ratio suppetit alia hujus convenientiæ, nisi quòd Deus ritus Ægypti plurimos, splendore præsertim aliquo plebem fascinantes, Israelitis, qui per multas annorum vices cum Ægyptiis vixerant, concessit et conservavit, ne populus ille, moris antiqui tenax, sacris novis aut rudibus offensus, à legis institutis ad Ægypti superstitionem resiliret. Ægyptos enim verò ritus aliquos ab Hebræis accipere voluisse, probabile non videtur. Primò quia Ægyptii, diù ante Mosis tempora, cæremonias suas, quà sacras, quà civiles habuerunt, nec verisimile est ipsos instituta patria rejicere voluisse, ut ad gentis Israeliticæ, sanguine servili, ut aiebant, prognatæ, mores se conformarent; præsertim cùm ipsam, præ cæteris orbis incolis, odio et contemptu maximè prosequerentur, teste Josepho, lib. 1 contra Appionem; et non apud Ægyptios tantùm, sed et alias è vicinià gentes, Judæi bipedum vilissimi ac despicacissimi haberentur. Accedit quòd Ægyptii veteres, rituum suorum tenacissimi, aliarum gentium ritus aspernarentur, teste Herodoto, cap. 78 libri 2 : *Contenti*, inquit, *moribus patriis, nullum alium asciscunt.* Et cap. 91 : *Græcanicis institutis uti recusant, nec aliorum hominum legibus ullo pacto uti volunt. Et hoc Ægyptii quidem omnes observant.* Denique philosophi antiqui ad Ægyptum tanquàm celeberrimam scientiæ divinæ simul et humanæ scholam se contulerunt, ut testantur Herodotus, lib. 2, cap. 50 et 51; Diodorus Siculus, Plutarchus, Diogenes Laertius, Eusebius, lib. 2 et 10 Præparationis Evangelicæ, et Josephus lib. 1 contra Appionem. At philosophi illi ad Judæos potiùs quàm ad Ægyptios se contulissent, si novissent Ægyptios Judæorum æmulos fuisse, et libris aut sacris Judaicis sacra pleraque sua derivâsse.

Respondetur, affinitatem tantillam Judaicorum et Ægyptiorum rituum inde profectam, quòd Ægyptii ritus aliquos Hebræorum in sacra sua transtulerint. Id enim verò ut præstarent, effecêre cùm illorum de Abrahamo, Josepho, Mose existimatio, tùm Religionis Judaicæ tot miraculis confirmatæ fama, tum rituum Judaicorum splendor, ac frequens nationis utriusque commercium, Salomonis præsertim temporibus. Quàm venerandum Ægyptiis fuerit Abrahami nomen, testis est Nicolaus Damascenus apud Eusebium, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 16. « Cùm « Ægyptiorum, inquit, eruditissimis familiariter uteretur, novum ipse non ad virtutem modò suam, verùm etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem adjunxit. Nam quòd Ægyptii discrepantibus moribus delectati, suos ipsimet aliorum alii ritus elevarent, mutuoque propterea odio tenerentur, ille cum singulis ita seorsim agebat, ut quicquid suis quique de rebus ac placitis disputarent, id totum ipse respueret, et ab omni veritate vacuum esse demonstraret. Quo factum est, ut in quotidianis eum mutuisque congressibus, tanquàm sapientissimum, nec singulari tantùm intelligendi vi præditum, sed etiam ad persuadendum aliis quicquid probandum suscepisset, potentissimum admirarentur. » Quanta verò fuerit Ægyptiorum erga Josephum veneratio, ejus in illos merita, cum sacerdotibus affinitas, secundus à rege dignitatis honorisque gradus, auctoritasque summa facilè persuadent. *Rex* enim *constituit eum Dominum domûs suæ, et principem omnis possessionis suæ; ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.* An verò verisimile non est Ægyptios, quorum oculi in Josephum defixi erant, qui ipsum venerabundi audiebant, ritus aliquos ex illius religione accepisse, et sacrorum suorum superstitioni addidisse? Quid dicam de Moyse? Quem Egyptiis ita *mirabilem ac divinum* visum esse *ut eum sibi vendicaverint, ac Heliopolitem unum sacerdotum* fuisse finxerint, Josephus testatur, lib. 1 contra Appionem. Quem præclaris in rempublicam meritis *non modò populorum amorem sibi conciliâsse, verùm etiam parem superis honorem à sacerdotibus facilè impetrâsse*, scripsit Artapanus, referente Eusebio, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 27. Quid legum Israelitis à Deo per Moysen datarum famam longè latèque vulgatam prædicem? Quod Moyses ipse prædixerat Deuteronomii 4, 6, 7, 8. *Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna... Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodiè ante oculos vestros?* Judæos bipedum vilissimos et despicatissimos habitos fuisse apud Ægyptios, vicinasque gentes Josue temporibus quis dixerit, qui terrore nominis sui, et famâ miraculorum in eorum gratiam à Deo editorum Palæstinam finitimaque regna impleverunt, reges potentissimos debellârunt, veteribusque colonis è possessione suâ pulsis rempublicam florentissimam constituerunt? De quibus, cùm nondùm Jordanem trajecissent, Rahab Jerichuntina mulier exploratoribus dicebat, Josue 2, 9 et seq.: « Novi quòd Dominus tradiderit vobis terram : etenim « irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes « habitatores terræ. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas Maris Rubri ad vestrum introitum, quando « egressi estis ex Ægypto : et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon, « et Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in « nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim « Deus vester ipse est Deus in cœlo sursùm, et in « terrâ deorsùm. » Jam verò quantùm sub Davide et Salomone floruerint res Hebræorum, nemo nescit Historiæ sacræ haud prorsùs imperitus, cùm sapien-

tissimi regis nomen longè latèque celebraretur, cùm *regina Saba, auditâ ejus famâ in nomine Domini*, ejus sapientiam demirata est, Deumque laudavit qui tantum regem Israelitis dedisset : *Sit*, inquit, *Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eò quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum.* Cùm templi ab eodem rege conditi magnificentia novum Judaicis sacris splendorem, novum religioni apud vicinas gentes decus ac auctoritatem conciliavit : cùm ex parte impletum est quod idem Salomon prædixit, *alienigenas de terrâ longinquâ* Jerosolymam ad invocandum nomen Domini *venturos*, 3 Regum 8, 41. His certè temporibus Ægyptios, quibus cum Israelitis frequens fuit commercium, cùm Salomon regis Ægypti filiam in matrimonium duxisset, aliquos Judaicæ religionis ritus ad sua sacra transtulisse, haud incredibile est. Satis eorum in avitâ superstitione retinendâ obstinatio inde comprobatur, quòd, immutatâ profanæ religionis suæ substantiâ tenues duntaxat fugientis veluti veritatis pietatisque umbras amplexi fuerint, ut eleganter ait nuperus auctor. Nec solùm ex frequentibus congressibus cum Judæis, sed ex eorum etiam libris sacrorum ritus aliquos, cùm Egyptiacam, tùm cæteras gentes derivâsse, inde fit verisimilius, quòd ex eis fabularem quoque theologiam suam interpolârint. Eorum enim numen supremum nomen Jovis à depravato Jehovæ nomine mutuatum creditur ; Phœnicum Taautum, qui et Thoth Ægyptiis, ex Hebræorum, Tohu formatum non absimile verò est : Bel è Belsamen, id est, *Dominus*, factum videtur Mercurius, Typhon, Baccus, Osiris, Vulcanus, alia Ægyptiorum aliarumque gentium numina, ex historiâ sacrâ ab ipsis, dæmone suggerente, interpolata, ipsos hausisse viri eruditi demonstrârunt, et inter alios eruditissimus præsul Daniel Huetius in Opere illo incomparabili Demonstrationis Evangelicæ. Eliæ quadrigas, quibus in cœlum raptus erat, fabulæ de solis quadrigis ; et ignis qui coram Domino jugiter ardebat, Vestæ, id est, divæ flammæ numini ortum dedisse creditur. Hinc Machabæorum 1, c. 3, 48, de Judæis dicitur : *Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Hinc Tertullianus, Apologetici cap. 47 : « Omnia adversùs veritatem de ipsâ veritate « constructa sunt, operantibus æmulationem istam « spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujusmodi salu« taris disciplinæ subornata ; ab his quædam etiam « fabulæ immissæ, quæ de similitudine fidem infirma« rent veritatis, vel eam sibi potiùs evincerent. » Quid plura ? Gentes legis Mosaicæ ritus plerosque fuisse imitatas, testis est Josephus, lib. 11 contra Appionem. « Populi multi, inquit, à longo tempore cultum no« strum æmulantur. Neque est civitas Græcorum « usquàm aut Barbarorum, nec ulla gens ad quam se« ptimanæ, in quâ vacamus, consuetudo minimè per« venerit ; et jejunia, lucernarum etiam accensiones, et « multa circa cibos, quos nobis comedere nefas est, « ab exteris observantur... Unusquisque, si suam re« gionem domumque conspiciat, his quæ dicuntur à « me, credere non recusabit. » Denique gentium philosophi Judæos adierunt, consuluerunt, ex eorum theologiâ et legibus plurima in sectas suas librosque traduxerunt, Pythagoras præsertim, Plato, Aristoteles, Hecathæus Abderita. De Pythagorâ et Platone ait Aristobulus Judæus apud Clementem Alexandrinum, lib. 1 Stromatum, et Eusebium, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 6 : « Plato ipse quoque reipublicæ « nostræ leges et instituta sectatus est, à quo partes « eorum singulas curiosè ac diligenter inspectas et « excussas esse constat. Nam ab alio quodam ante « Demetrium, adeòque ante Alexandri ac Persarum « imperium conversa Græcè fuerant, non ea modò « quæ dùm ex Ægypto Hebræi cives nostri educeren« tur, sed etiam quæcumque illis singularem ad famam « insignia contigerunt, tum quemadmodùm eâ regione « potiti sint, adeòque legis universa complexio. Quare « nemini dubium esse potest, quin multa inde lauda« tus philosophus excerpserit : plurimarum enim re« rum scientia floruit, quemadmodùm et Pythagoras, « qui et ipse permulta nostris è legibus in sectæ suæ « præcepta traduxit. » Hermippus vetustissimus Vitæ Pythagoræ scriptor à Josepho, lib. 1 contra Appionem, et Origene, lib. 1, contra Celsum laudatus, testatur Pythagoram multa eorum, quæ Judæis recepta sunt, in suam philosophiam transfudisse. Pythagoræ placita ac præcepta de imagine Dei annulo non inscribendâ, de morticinis non comedendis, de sacris nudis pedibus faciendis, de frugiferis arboribus non succidendis, aliaque, quantam cum Mosaicis institutis affinitatem habeant, cuivis, non planè imperito, compertum est. Hunc circumcisum fuisse Clemens Alexandrinus et Theodoretus referunt, quod incredibile non puto, siquidem ipsum, dùm peregrinaretur, *cunctis tam Barbarorum quàm Græcorum mysteriis initiatum*, asserit Diogenes Laertius. Quod nonnullis ansam præbuit existimandi Pythagoram ex Judæis genus duxisse, *ex quorum disciplinâ derivavit etiam magisterii præcepta* (inquit S. Ambrosius, lib. 3, epistolâ 20). De Platone pervulgatum illud est Numenii Pythagorici à Clemente Alexandrino et Eusebio memoratum : *Quid enim aliud est Plato, quàm Moses Atticâ linguâ loquens ?* Et S. Ambrosius, in Psalmum 118, hæc habet : « Clamat per « Isaiam Dominus : *Consolamini populum meum*..... « *Quia recepit de manu Domini duplicia peccata.* Discite « unde Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratiâ, in « Egyptum profectus, ut Mosis gesta, legis oracula, « prophetarum dicta cognosceret, audivit consolatio« nem populi, qui supra peccati modum videbatur « fuisse unitus : et hunc locum quâdam adopertum « dote verborum in dialogum transtulit quem inscri« psit de Virtute. Clearchus Peripateticus Judæum « quemdam, qui cum Aristotele versatus est, abs sese « visum esse commemorat. » Apud Clementem Alexandrinum, lib. 1 Stromatum, et Eusebium, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 5 et 6. De Hecathæo Abderitâ scribit Origines, lib. 1 contra Celsum : « Extat et « Hecathæi historici de Judæis liber, in quo adeò pro« bat hujus gentis sapientiam, ut Herennius Philo in

« suis de Judæis Commentariis primùm dubitet an hu-
« jus Historici id scriptum sit ; deinde addat : Siqui-
« dem ejus est, videri eum correptum Judæorum per-
« suasionibus, probâsseque eorum placita. » Sed etsi Judæam prisci illi philosophi non adierint, consuetudinem habere cum Judæis et Judæorum proselytis per alias regiones diffusis poterunt. Mosis enim scripta (innuit Origenes ibidem) « multos etiam alienos à
« Judæorum ritibus ad credendum moverunt; nimi-
« rùm quia, sicut in ipsis continetur litteris, primus
« earum legum lator fuit Deus, hujus mundi conditor,
« qui eas Mosi tradidit. Par enim erat ut totius mundi
« opifex, post leges toti mundo impositas, vim eis ad-
« deret, quæ valeret ubivis gentium. » Ex his omnibus fit verisimillimum, Ægyptios, aliasque gentes ab Hebræis accepisse ritus nonnullos, qui in ipsorum regionibus inveniuntur affines ritibus Mosaicæ legis.

XXX. Objicit rursùs Spencerus Deum varia privilegia Judæorum genti ob seculi morem indulsisse, exempli gratiâ, oracula et prophetias, ne ad oracula vel ariolos ethnicorum confugerent, et multò feliciùs cum idololatris quàm se ipsis actum existimarent. Id probat primò ex Philone, lib. 1 de Monarchiâ, ex Maimonide, Præfatione in Seder Zer, et Origene, lib. 1 et 3 contra Celsum : indeque colligit Deum, cùm legem traderet, ad Israelitarum ingenium et morem se attemperâsse, et ritus nonnullos, quibus è longo usu pertinaciter adhærebant, iis indulsisse.

Respondetur, utut Deus se Israelitarum infirmitati attemperaverit, oracula et prophetias ipsis concedendo, ut eos à dæmonibus consulendis averteret, inde non sequi Deum prophetias è moribus gentium in Religionem Judaicam traduxisse, quia nec tunc primùm, cùm lex data est, concessa est à Deo prophetia, nec ob eum duntaxat concessa finem, quem assignat Spencerus, sed ad populum Dei erudiendum, ad voluntatem Dei denuntiandam, ad confirmandam veritatem, et conservandam puritatem religionis, variasque corruptelas exscindendas; ad Christi mysteria, et Ecclesiæ fundationem et propagationem prædicendam. Ut illis tantò faciliùs homines fidem præberent, quantò certiùs ante prædicta, et secundùm quod prædicta erant evenisse nôssent (ut frequenter inculcat S. Augustinus). Nec laudata à Spencero testimonia quicquam aliud probant, quàm Deum optimum prophetas et oracula Judæis concessisse ut eos in officio contineret, ne ad ariolos et oracula ethnicorum confugerent : quanquàm hæc unica non fuerit, et adæquata illius beneficii causa. « Quoniam, inquit Philo,
« à naturâ insitum sit hominibus prænoscendi futura
« desiderium, et ideò multi se ad aruspicinam simi-
« lesque divinandi artes applicant, earumque usus
« severè interdicitur. Promittit autem lex, modò pie-
« tatem sincerè colant, exoriturum prophetam ali-
« quem, qui vaticinetur correptus Numine. » Ita verò Maimonides : « Deus, prophetas mittendo, fecit ne
« opus haberemus astrologis, divinis et ariolis, quo-
« niam illos consulere possumus de rebus nostris, vel
« simul universis, vel divisim singulis. Hoc est quod
« dicit Scriptura : Quia gentes istæ, quas tu expellis,
« præstigiatores et divinos audiunt, ac tu non sic :
« Dedit tibi Dominus Deus tuus prophetam è medio
« tui. » Ita demùm Origenes, lib. 1 contra Celsum :
« Admittendum necessariò, inquit, etiam Judæos ha-
« buisse suos prophetas ; siquidem continendi erant
« in datis sibi legibus, et in acceptâ fide Creatoris, ne
« à fide deficerent ad gentium Deos. Ergo gentibus
« cognitionem futurorum petentibus ex oraculis, au-
« spiciis, auguriis, ventriloquis, aruspicibus, Chal-
« dæis genethliacis, quæ artes omnes apud Judæos
« sunt vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent è fu-
« turorum præscientiâ, certè impulsi humanâ quâdam
« futura cognoscendi libidine contempsissent res suas
« ut nihil divinum in se habentes, nec alium post
« Mosem prophetam recepissent, nec sermones etiam
« mandâssent litteris, transfugissentque ad oracula
« gentium, aut ipsi conati fuissent apud se simile ali-
« quod instituere. Quamobrem nihil absurdi est, etiam
« de fortuitis quibusdam prophetas ejus gentis re-
« spondere solitos, quò satisfacerent talium rerum
« cognoscendarum cupidis : sicut Samuelem de asinis
« perditis, et de morbo regii pueri illum de quo in 3
« libro Regnorum scriptum est. Alioqui quomodò po-
« tuissent ii qui legi Judaicæ patrocinabantur incre-
« pare aliquem volentem idolorum oracula consulere,
« sicut legitur Elias Ochoziam increpans : « An eò quòd
« non sit Deus in Israel, vos itis in Baal ad consulen-
« dum Myicæum deum Accaronitarum? » Itaque quamvis Deus legem tradens, et sacrificia, aliosque ritus instituens, infirmitatis Israelitarum rationem etiam habuerit, et legalium cæremoniarum tam multiplicem apparatum ipsis præscripserit, ut eos in cultu suo jugiter occupatos, obsequiisque suis magis adstrictos contineret, ne ad idolorum cultum deficerent, non inde sequitur Deum ex gentium moribus, et superstitione sacrificia et alios ritus in legem cultumque suum transtulisse.

XXXI. Postremum argumentum ducit Spencerus ex eo quòd quælibet mundi reformatio morum quorumdam antiquorum toleratione perficiatur ; quòd Christus, Apostoli, et Ecclesiæ primitivæ præsides, Judæorum et Gentilium ritus et instituta nonnulla retinuerunt, quæ suâ naturâ indifferentia fuerant et usu longo invaluerant, ne rebus tantùm novis studere, et turbarum movendarum occasionem captare viderentur. Hâc œconomiâ erga Anglos recens ad christianam fidem conversos usus est S. Gregorius Magnus, cujus extat de fanis idolorum apud ipsos non destruendis, sed vero Deo consecrandis, et antiquis ipsorum moribus nonnullis tolerandis, epistola 61, lib. 9 : Quia « duris
« mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse
« non dubium est ; et ei qui locum summum ascen-
« dere nititur, necesse est ut gradibus vel passibus, non
« autem saltibus elevetur : sic Israelitico populo in
« Ægypto Dominus se quidem manifestavit : sed sa-
« crificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in
« cultu proprio reservavit, et eis in sacrificio suo im-
« molare præcepit. Quatenùs cor mutantes, aliud de

« sacrificio amitterent, aliud retinerent. Adeò ut etsi « ipsa essent sacrificia quæ immolare consueverant, « Deo tamen et non Idolis immolantes, jam ipsa sa- « crificia reverà non essent. »

Addit Spencerus lenem hanc et quasi insidiosam mores novos inducendi methodum magnam sapientiæ speciem præferre; siquidem à naturâ ita comparati sumus, ut blandè circumveniri malimus, quàm apertè cogi, et lenitatem quamvis fallacem, quàm vim manifestam libentiùs admittamus. Hanc methodum politicos sæpè, et centies exemplo suo comprobâsse; cùm enim in regno novis omnibus reverà student, vetera solent officiorum et privilegiorum nomina inviolata relinquere. Hinc Taciti illud : *Arcanum novi statûs, imago antiqui.* Sapientiæ itaque et pietati consentaneum est existimare Deum ritus aliquos antiquos tolerâsse; et pertinacem populum ad cultum novum leniter, et sub externâ veteris specie perducere studuisse.

Respondetur argumentum illud Spenceri à morum quorumdam antiquorum toleratione in quâlibet Ecclesiæ reformatione, minimè probare quid præstiterit Deus, cùm Israelitis legem dedit, sed quid facere potuerit. Quin gentium ritus aliquos à superstitione repurgatos in cultum suum transferre potuerit, et quin, id si fecisset, convenientissimum fuisset ejus sapientiæ, non inficiamur : sed negamus id fecisse, quia ritus illos Judaicæ religionis, à Deo in lege Mosaicâ præscriptos à Gentibus ante Mosaica tempora frequentatos esse non constat, neque ex Scripturâ sacrâ, ex traditione, aut humanæ historiæ monumentis, quæ ante Mosis ævum nulla sunt, id probatur. Sacrificia quidem apud gentes in usu fuisse ante Mosen certum est, et Deum illa in cultu suo instituisse; at ex divinâ religione moribusque Patriarcharum, non ex superstitione ac moribus Ethnicorum illa in suum cultum adoptavit. Diabolus, Dei æmulus, divinos honores suffuratus fuerat, cæcos homines ad sacrificia sibi offerenda induxerat; Deus quod suum erat ab inimico vindicavit, sacrificia sibi uni offerenda populo suo imperavit.

Ex politicorum verò artibus divinam sapientiam metiri quàm indignum est! Iis non indiget qui omnia potest, et in manibus suis corda hominum habet, ea quorsùm vult flectens omnipotentissimâ potestate : *Attingensque à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.* Non enim consilia Dei consiliis hominum similia sunt, nec viæ ejus viis hominum affines. Ineptè quis sibi fingat illum ad Taciti regulas attendisse, aut illis se conformâsse, cùm legem populo suo dedit. Auctoritate suâ usus est, eamque Israelitis frequenter proposuit, ut eos ad præceptorum suorum observantiam alliceret, his verbis identidem repetitis : *Ego Dominus Deus vester.* Novam denique rempublicam, novam religionis ac sacrorum formam instituit ac excitavit, non ex rituum Ethnicorum ruderibus, sed ad exemplar à sapientiâ suâ conceptum, et Moysi in monte sancto monstratum, ut secundùm illud omnia componeret. Neque Israelitæ fidem Deo obstringentes, ab ipso petierunt ut affectibus ipsorum indulgeret, ut ritus Gentium aliquos illis permitteret; sed nullâ quæsitâ ratione præter adorandam Domini voluntatem, unâ voce responderunt : *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus,* Exod. 19, 8 et 24, 3.

## ARTICULUS II.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS SACRIFICIORUM.

### § 1. *De sacrificiorum ratione.*

PROPOSITIO. — *Sacrificia Israelitis non solùm permisit Deus, sed præcepit; illa tamen non expetivit, tanquàm iis indigens, aut quasi per se ei grata ac jucunda essent; sed aliarum rerum gratiâ, scilicet ad idololatriam abolendam, ad Christi sacrificium adumbrandum, ad spiritualia sacrificia, quæ exigebat ab hominibus, significanda.*

I. Probatur prima pars (contra Spencerum, lib. 2 *De Legibus Hebræorum ritualibus*, Dissert. 2) ex libro *Levitici*, quo sacrificiorum leges continentur, et iis verbis conceptæ sunt, quæ meram concessionem non sonant, sed imperium. Unde hâc sententiâ liber ille finitur, cap. 9 : *Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.* Primitias sacrificiorum pro se ipso ac populo Aaron Deo jubetur offerre. *Tolle* (inquit Moyses) *vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum et offer illos coram Domino. Et ad filios Israel loqueris : Tollite hircum pro peccato, et vitulum, atque agnum anniculos et sine maculâ in holocaustum; bovem et arietem pro pacificis; et immolate eos coram Domino..... Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium Tabernaculi, ubi cùm omnis multitudo astaret, ait Moyses : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Facite, et apparebit vobis gloria ejus. Et dixit ad Aaron : Accede ad altare, et immola pro peccato tuo; offer holocaustum, et deprecare pro te, et pro populo, cùmque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.* Peractisque sacrificiis cùm Moyses et Aaron populo benedixissent, *apparuit gloria Domini omni multitudini, et egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare,* Exod. 40. Erecto Tabernaculo, et altari holocausti, *Aaron obtulit in eo holocaustum et sacrificia, ut Dominus imperaverat.* Tandem prospera quæque Deus promittit observantibus *præcepta* sua, *cæremonias*, atque *judicia* omni tempore; non observantibus pœnas comminatur. Porrò in cæremoniarum numero primum locum obtinent sacrificia.

Præterea, quæ ad supremum Dei dominium recognoscendum, profitendumque illum esse primum principium, et ultimum finem hominis et creaturarum omnium, ordinata sunt, non solùm à Deo permissa, sed instituta et præcepta credere par est. Is autem primarius fuit sacrificiorum finis, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. 102, art. 3 : « Et quia pertinet ad rectam « ordinationem mentis in Deum *quæ per sacrificia re-* « *præsentabatur, et ad quam excitabantur offerentes*, ut « mens humana non recognoscat alium primum au- « ctorem rerum nisi solum Deum, neque in aliquo « alio finem suum constituat; propter hoc prohibeba- « tur in lege alicui alteri sacrificium offerri nisi Deo, « secundùm illud Exodi 22 : *Qui immolat diis, occide-*

« *tur, nisi Domino soli.* » Ob eum finem antiqui Patriarchæ à primâ mundi origine sacrificia Deo obtulerunt, in quibus *odoratus est odorem suavitatis*, id est, ea pergrato habuit, ut interioris quod ipsi offerebant sacrificii signa. Cùmque fide facerent, secundùm illud Apostoli ad Hebræos 11 cap. : *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo*, certum est nonnisi revelante et per interiorem afflatum præcipiente Numine, id præstitisse. Solus enim Deus docere potuit modum ritumque quo se vellet coli, ut in re simili Tertullianus ait, lib. de Oratione : *Deus solus docere potuit ut se vellet orari.* Præterea mundorum tantùm animalium ad sacrificia præparatio à Noacho jussu Dei, Genesis 7, 2, et 8, 20, ἐμπυρισμὸς sive inflammatio sacrificii igne cœlitùs emisso frequenter facta, quæ honorificum erat Dei approbantis testimonium ; præceptum Abrahæ datum à Deo de Isaaci oblatione in holocaustum, et arietis pro ipso immolatio, Genesis 22 ; præscriptum ipsis à Domino sacrificium vaccæ triennis, capræ trimæ, et arietis annorum trium, turturis quoque et columbæ ; sacrificii à Christo in cruce offerendi adumbratio per vetera illa sacrificia, de quibus S. Augustinus, lib. 20 contra Faustum, cap. 18, ait : « In victimis pecorum, quas offerebant Deo, sicut re tantâ dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit : » Hæc, inquam, omnia probant sacrificandi ritum non ex instituto et arbitrio humano, sed à præcepto divino, non quidem positivæ legis, sed naturalis, originem suam in Patriarcharum religione derivâsse.

Neque vult aliud sanctus Joannes Chrysostomus, Homiliâ 12, ad populum Antiochenum, dicens : « Quòd igitur homo peccatum esse malum jam sciret, demonstravit Adam ; quòd autem virtutem esse bonum etiam sciret, rursùm Abel manifestavit. Non enim ab ullo discens, neque legem de primitiis hoc disserentem audiens, sed à suâ conscientiâ doctus, sacrificium illud obtulit. Propterea non descendo ad posteros sermones, sed circa priores homines versor, quando nondùm litteræ, neque lex, neque Prophetæ, neque Judices, sed solus Adam cum filiis erat ; ut discas quòd in naturâ bonorum et contrariorum scientia priùs erat reposita. Unde enim dicit Abel quòd bonum esset offerre, quòd bonum Deum venerari, et in omnibus gratias agere ? »

Neque etiam alia mens est auctoris Responsionum ad Orthodoxos inter S. Justini Martyris Opera editarum, cùm ad quæst. 83 respondet : « Nemo eorum qui irrationalia victimam Deo sacrificârunt ante legem, divinâ id jussione fecit ; quamvis pateat Deum hanc recepisse, acceptione ejus sacrificantem sibi placitum esse indicantem. Quod autem Abrahæ præcepit, ut animantia trima, item arietem acciperet, quem pro Isaaco offerret, non eò est factum quò oblatione ejus delectaretur, sed hoc tum usus tulit, futura præmonstrans. Porrò quòd Noe præceptum sit de irrationalibus Deo offerendis, nullibi apparet. » Id unum vult auctor ille, nullâ tunc lege positivâ præceptum hominibus fuisse, ut bruta animantia Deo in sacrificium offerrent, nec suâpte naturâ victimas hujusmodi à Deo quæsitas fuisse ; sed non negat quin interno Numinis futura præmonstrantis, id est, Christi sacrificium jam illorum sacrificiorum ruditate significantis, ac delineantis afflatu, ac imperio in primorum hominum cordibus insonante, ac eorum doctrinâ et traditione ad posteros traducto sacrificandi ritus institutus firmatusque fuerit.

Hæc denique mens fuit auctoris Constitutionum Apostolicarum, lib. 6, cap. 22, asserentis : « Abelem, Noe et Abraham, atque alios deinceps, non jussos, sed naturali aliquo instinctu et lege motos, sponte suâ, è grato favoris divini sensu victimas Deo obtulisse. » Sacrificia enimverò ex rebus quibusdam sensibilibus offerre Deo lex naturæ jubet, quamvis determinatio sacrificiorum ex institutione divinâ vel humanâ sit. « Naturalis, inquam, ratio dictat homini quòd alicui superiori subdatur, propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi ; et quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini, secundùm naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat secundùm suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad alia exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideò ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundùm similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideò oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale. » Sic ratiocinatur S. Thomas 2-2, quæst. 85, art. 1.

II. Probatur altera pars propositionis, scilicet Deum sacrificia non expetivisse aut præcepisse ut iis indigentem, aut quasi ipsi per se grata ac jucunda essent, vel primariâ voluntate ea vellet, sed voluntate duntaxat consequenti, et propter aliud, scilicet propter fines in ipsâ propositione explicatos. Hanc autem probat primò Davidis Oraculum Psalmo 39, 7 : *Sacrificium et oblationem noluisti ; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulâsti ; tunc dixi : Ecce venio.* Quem locum sic reddit Apostolus, septuaginta Interpretes secutus, ad Hebr. 10, 5 : *Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptâsti mihi ; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio.* Hujus loci sensus non est, Deum sacrificandi ritum nullo modo voluisse aut præcepisse Israelitis, ut Spencerus contendit, sed solùm ipsum sacrificia vetera non instituisse velut propter se expetenda, sed rei alterius gratiâ : maximè verò ad significandum Christi sacrificium, ut explicat S. Augustinus Enarratione in hunc Psalmum : « Antiqui enim, inquit, quando adhuc sacrificium verum, quod Fideles nôrunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras fu-

« turæ rei ; multi scientes, sed plures ignorantes. « Nam Prophetæ et sancti patriarchæ noverant quod « celebrabant; cætera autem multitudo iniqua carna- « lis sic erat, ut fieret de illâ quod significaret poste- « riora ventura : et venit sublato illo sacrificio primo, « sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum, « cæterarumque victimarum ; noluit illa Deus. Quare « illa noluit? Quare primò voluit? Quia illa omnia « quasi verba erant promittentis, et verba promissi- « va, cùm venerit quod promittunt, non jam enuntian- « tur. Tamdiù quisque promissor est, donec det : cùm « dederit, mutat verba. Non dicit adhuc : Dabo quod « se daturum dicebat, sed dicit : Dedi ; mutavit ver- « bum. Quare illi primò placuit hoc verbum, et quare « illud mutavit? Quia temporis sui verbum fuit; et « pro tempore suo placuit. Quando promittebatur, « tunc dicebatur. Cùm autem datum est quod pro- « missum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt « completiva. Sacrificia ergo illa, tanquàm verba pro- « missiva, ablata sunt. Quid est, quod datum est com- « pletivum? Corpus quod nôstis, quod non omnes « nôstis, quod utinam qui nôstis, omnes non ad judi- « cium noveritis. Videte quando dictum est; Christus « enim ille est Dominus noster, modò loquens ex « membris suis, loquens ex personâ suâ. *Sacrificium*, « inquit, *et oblationem noluisti*. Quid ergo? Nos jam « hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit. « *Corpus autem perfecisti mihi*. Ideò illa noluisti, ut « hoc perficeres ; illa voluisti antequàm hoc perfice- « res. Perfectio promissorum abstulit verba promit- « tentia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondùm im- « pletum est quod promissum est. Hoc promittebatur « quibusdam signis ; ablata sunt signa promittentia, « quia exhibita est veritas promissa. »

Adde ejusdem regis prophetæ oraculum ps. 49, Deum ita Judæos alloquentem inducentis : « Deus, « Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguam te. « Holocausta autem tua in conspectu meo sunt sem- « per. Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de « gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ « silvarum, jumenta in montibus, et boves, etc. Num- « quid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem « hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, « et redde altissimo vota tua..... Sacrificium laudis « honorificabit me. »

III. Confirmatur ex cap. 1 Isaiæ, vers. 2, ubi Deus his verbis Judæos alloquitur : « Quò mihi multitudi- « nem victimarum vestrarum? Dicit Dominus : Ple- « nus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, « et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum « nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis « quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in « atriis meis? » Quæ verba S. Joannes Chrysostomus in expositione psal. 49 contra Judæos, *qui potiore virtutis parte contemptâ, salutis spem in eis reponebant*, dicta interpretatur, ea cum versibus 8, 9 et 10 ejusdem psalmi conferens. « Atqui, inquit, permulta dicta sunt « de sacrificiis ; sed non hæc decernit, tanquàm hæc « velit principaliter ; sed ad infirmitatem eorum se « demittit. Jeremias quoque dicit : *Cur mihi fers thus « ex Sabâ, et cinnamomum ex terrâ longinquâ?* Omnes « denique prophetæ hoc nihil magni esse dicunt. Quo- « circa ipse quoque incipiens sic dicit : *Deus tuus ego « sum ;* ex eo ostendens ipso esse indignam hanc co- « lendi rationem. Deum non fumo, nec nidore, sed « per optimam vitæ institutionem, incorpoream, et in « mente sitam, colere et honorare oportet. Sed non « sic externorum Dæmones, imò etiam hæc requirunt, « et hoc videtur ostendere quidam poeta apud Græ- « cos, dicens : *Hoc enim nos sortiti sumus munus.* « Deus autem noster non sic ; ipsi enim humanum « sanguinem sitientes, et eos ad has cædes volentes « paulatim pellicere, hæc petebant assiduè. Ipse au- « tem cùm vellet eos paulatim ab occisione brutorum « abducere, hâc demissione usus est, et permisit sa- « crificia, ut sacrificia tolleret. *Non accipiam de domo « tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam « meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, « et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo « agri mecum est.* Vides quomodò paulatim erigit eo- « rum mentem, qui in terras defixi et curvi sunt, ex- « cæcatam eorum mentem aperiens, et ostendens se « hæc jussisse, non quòd eis egeret, nec lege sanxisse « quòd ea admitteret. Si enim, inquit, ita coli vellem, « cùm omnem terram quæ sub sole est dominatu ob- « tineam, et omnia creaverim, procurarem ut mihi « lauta et opipara fierent sacrificia! » Confer enarra- tionem in cap. 1 Isaiæ, ubi Deum leges de sacrificiis in Levitico et Deuteronomio sanxisse docet, eaque voluisse, non tamen voluntate primariâ et principali. *Quo igitur sensu hic ait :* Quis quæsivit hæc de manibus vestris? *Ut discas quòd illa voluntas Dei non fuerit principalis*, etc. Lege totum locum Articulo superiori, propositione 3, num. 8.

Huic interpretationi concinit S. Hieronymus commentario in cap. 1 Isaiæ : « Hostiæ ergo, inquit, et « immolatio victimarum non principaliter à Deo quæ- « sita sunt, sed ne idolis offerrentur : et ut de carna- « libus victimis quasi per typum et imaginem ad spi- « rituales hostias transiremus. Dicendo autem se « hostias non quæsisse, ostendit, quia Lex spiritualis « sit, et omnia quæ Judæi carnaliter faciunt, à nobis « impleri spiritualiter. »

IV. Eamdem veritatem suffragiis suis Patres confirmant : S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, p. 236. « Quòd, inquit, propter peccata populi « vestri, et simulacrorum cultum, minimè gentium « autem quòd istiusmodi oblationibus vestris ei sit « opus, hæc itidem fieri sanxerit, accipite quomodò « de his loquatur per Amos unum ex duodecim : *Num « hostias et victimas obtulistis mihi in solitudine, domus « Israel?* etc. Ac rursùs per Jeremiam : *Congregate « carnes vestros et victimas, et comedite. Quia non de « victimis et libationibus præcepi patribus vestris, quo die « apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ « Ægypti.* Et rursùm per Davidem in 49 psalmo : « *Audi, populo meus, et loquar tibi, Israel, et testificabor « tibi : Deus, Deus tuus sum ego. Non de sacrificiis tuis*

« *arguam te. Holocausta tua in conspectu meo sunt sem-* « *per. Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gre-* « *gibus tuis hircos*, etc. Itaque sacrificia à vobis non « recipit; neque primitùs, tanquàm penuriâ laborans, « hæc præcipit vobis : sed propter delicta vestra. Nam « et Templum, quod vocatur Hierosolymitanum, non « veluti indigus vel domum vel aulam suam fassus « est : verùm ut ibi quoque in illum intenti simulacra « ne colereti. » Et p. 292, sic Tryphonem interrogat : « Oblationes et victimas ob penuriamne suam « Deus offerre Patres vestros jussit, an propter duri- « tiam cordis eorum, proclivesque ad simulacrorum « cultum animos ? » Respondet Trypho : « Hoc ipsum « nos similiter confiteri cogunt sacræ Litteræ. »

V. S. Irenæus lib. 4, cap. 28. « Verbum, inquit, « sine invidiâ utilitatem præstabat eis qui subjecti sibi « erant, omni conditioni congruentem et aptam legem « conscribens. Sic autem et populo tabernaculi factio- « nem, et ædificationem templi, Levitarum electio- « nem, sacrificia quoque et oblationes, et monitiones, « et reliquam omnem legis statuebat deservitionem. « Ipse quidem nullius horum est indigens. Est enim « semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem « suavitatis, et omnes suaveolentium vaporationes ha- « bens in se, etiam antequàm Moyses esset. Facilem « autem ad idola reverti populum erudiebat per mul- « tas advocationes, præstruens eos perseverare, et « servire Deo, per ea quæ erant secunda ad prima « advocans; hoc est, per typica ad vera ; et per tem- « poralia ad æterna; et per carnalia ad spiritualia, et « per terrena ad cœlestia..... Itaque lex et disciplina « erat illis, et prophetia futurorum. » Idem cap. 29 : « At ubi conversi sunt in Vituli factionem, et re- « versi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis « cupientes esse, aptam concupiscentiæ suæ accepe- « runt reliquam servitutem (nimirùm servitutem legis « quâ coercerentur) à Deo quidem non abscindentem, « in servitutis autem jugo dominantem eis. Quemad- « modùm et Ezechiel Propheta causas talis legis datæ « reddens ait : *Et post concupiscentiam cordis sui erant* « *oculi eorum : et ego dedi eis præcepta non bona, et* « *justificationes, in quibus non vivent in eis.* »

VI. Tertullianus lib. 2, adversùs Marcionem, c. 18: « Sacrificiorum quoque onera, inquit, et operationum, « et oblationum negotiosas scrupulositates nemo re- « prehendat, quasi Deus talia sibi propriè desidera- « rit, qui tam manifestè exclamat : *Quò mihi multitudi-* « *nem Sacrificiorum vestrorum? Et quis exquisivit ista* « *de manibus vestris?* Sed illam Dei industriam sentiat, « quâ populum pronum in idololatriam et transgres- « sionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstrin- « gere, quibus superstitio seculi agebatur, ut ab eâ « avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti ne « simulacris faciendis delinqueret. » Capite quoque 22, Deum sacrificia quidem voluisse et præcepisse ait, sed non propter se. « Diximus, inquit, de sacrificiorum « rationali institutione ; avocante scilicet ab idolis ad « Deum officia ea quæ sic rursùs ejecerat, dicens : Quò « mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? hoc « ipsum voluit intelligi, quòd non sibi ea propriè exo- « gisset. Non enim bibam, inquit, sanguinem tauro- « rum ; quia et alibi ait : Deus æternus non esuriet, « nec sitiet. Nam etsi ad oblationes Abel advertit, et « holocausta Noe odoratus est libenter, quæ jucundi- « tas sive viscerum vervecinorum, sive nidoris arden- « tium victimarum? Sed animus simplex et Deum me- « tuens offerentium ea quæ à Deo habebant, et pabuli « et suavis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, « non quod fiebant exigenti, sed illud propter quod « fiebant, ob honorem scilicet Dei. Si cliens diviti aut « regi nihil desideranti, tamen aliquid vilissimi mu- « nusculi obtulerit, quantitas et qualitas muneris in- « fuscabit divitem aut regem, an delectabit titulus of- « ficii? At si cliens ei munera ultrò, vel etiam edicta « ordine suo offerat, et solemnia regis observet, non « ex fide tamen, nec corde puro, nec pleno circa cæ- « tera quoque obsequia, nonne consequens ut rex ille « vel dives exclamet : Quò mihi multitudinem mune- « rum tuorum? Plenus sum. Et solemnitates, et dies « festos, et vestra sabbata odit anima mea? Vestra di- « cendo, quæ secundùm libidinem suam, non secundùm « religionem Dei celebrando, sua jam, non Dei fecerant: « conditionalem idcircò et rationalem demonstravit re- « cusationem eorum quæ administranda præscripserat.

VII. Origenes, Homiliâ 17 in numeros : « Quoniam, « inquit, et lex Dei de sacrificiis præcipit, et ritum « sacrificandi tradit filiis Israel, requiratur fortassis, « cur hæc cum dæmoniis dictata videantur, etiam « Deo jubeantur offerri. Et erit quidem simplex et cita « responsio, ut quemadmodùm aliàs ostendimus, quòd « libellum repudii dari non Dei voluntatis fuit, qui quod « conjunxerat, noluit separari, sed Moyses hæc pro- « priè ad duritiam cordis Judæorum scripsit : ita etiam « et de hoc videri possit, quia Deus (sicut per alium « prophetam dicit) *non manducat carnes taurorum, nec* « *sanguinem hircorum potat.* Et item ut alibi scri- « ptum est : *Quia non mandavi tibi de sacrificiis vel* « *victimis, in die quâ eduxi te de terrâ Ægypti.* Sed « Moyses hæc ad duritiam cordis eorum, pro consue- « tudine pessimâ quâ imbuti fuerant in Ægypto, man- « davit eis : ut qui abstinere se non possent ab immo- « lando, Deo saltem, et non dæmoniis, immolarent. » Huc usque benignis oculis opinionem Spenceri intueri videtur Origenes, imò et eam fulcire, dùm sacrificia cum libello repudii comparat, quem imperatum non esse, sed permissum duntaxat Judæis ad duritiam cordis certissimum est. Sed ex iis quæ subdit, liquidò constat ipsum huic responsioni, quam simplicem et citam dicit non omninò inhærere : siquidem aliam affert rationem cur instituta sint à Deo legalia sacrifi- cia, scilicet idololatriæ destructionem : sicut mors Christi ad mortem sive abolitionem peccati volita est. Quemadmodùm ergo Christi mortem non solùm permisit, sed voluit ac prædefinivit Deus ut mortem peccati destrueret, ita sacrificia non solùm permisit, sed præcepit, ut idololatriam everteret. « Videndum tamen, « est, inquit, ne fortè sit et aliqua sacrificandi Deo oc- « cultior ac secretior ratio. Ne fortè, inquam, sacrifi

« cia quæ Deo offeruntur, ad destructionem fiant eo-
« rum sacrificiorum quæ dæmonibus immolantur : ut
« quia per illa vulnerantur animæ, per ista sanentur :
« sicut et ii confirmant qui medicinæ peritiam gerunt;
« serpentum namque venena depelli medicamentis ni-
« hilominùs confectis ex serpentibus, perhibent. Ita
« ergo et sacrificiorum dæmoniacorum virus per sacri-
« ficia Deo oblata depellitur : sicut et mors Jesu mor-
« tem peccati credentibus non sinit dominari. Et qui-
« dem donec tempus patiebatur, sacrificia sacrificiis
« opponebantur : ubi verò venit perfecta hostia, et
« agnus immaculatus, qui tollit mundi tolleret pecca-
« tum, sacrificia illa quæ singillatim offerebantur Deo,
« jam superflua visa sunt, cùm unâ hostiâ omnis dæ-
« monum cultura depulsa sit. »

VIII. S. Epiphanius lib. 1 adversùs Hæreses, hæresi 42, quæ est Marcionitarum, p. 360, Edit. Paris. « Cùm
« igitur dicit : *Non præcepi illis;* et idem tamen in lege
« Moysi præcipit : *Quilibet filiorum Israel, si offerat*
« *sacrificium de bobus aut ovibus, masculum immacula-*
« *tum offerat.* Ac rursùm : *Si agnum.* Item : *Si pecca-*
« *verit populus, offeret vitulum;* his omnibus grata sibi
« fuisse sacrificia declarat, quæ tum pro salute po-
« puli istius oblata sunt : non quòd illis indigeret, aut
« admodùm cuperet; sed ut ad eorum se imbecillita-
« tem, et anticipatam humanæ mentis opinionem ac-
« commodaret, atque ut à plurimorum cultu numinum
« ad unius Dei cognitionem, illorum animos traduce-
« ret. Etenim quoniam in sacrificiis vehementer defixa
« ipsorum mens erat, tanquàm pietatis hæc essent of-
« ficia, quæ idolis pro expiatione suâ ac salute præsta-
« rent : simul ne ob consuetudinem extorqueri subitò
« sibi omnia ista molestiùs ferrent; suo in nomine
« fieri ista aliquando tempore voluit, quo à plurium
« Deorum inani cultu annuas illas cæremonias ad ob-
« sequium suum transferrent : atque ut uno demùm
« cognito Deo, corroboratâque in illum fide nostrâ,
« deinceps ab eodem audiremus : *Numquid manducabo*
« *carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*
« Item : *Numquid quadraginta annis sacrificium obtulis-*
« *tis mihi in deserto, Domus Israel?* Quanquàm infi-
« nita jam erant oblata sacrificia; sed ut ostenderet
« sibi hæc oblata non fuisse, tametsi et acciperet ipse,
« et in nomine ejus offerrent. Quod quidem ob invete-
« ratam istiusmodi in rebus illorum consuetudinem
« est factum, donec à plurium Deorum usu paula-
« tim in unius cultum reformatos perduceret, et ab
« illo deinceps intelligerent, nihil hunc ejusmodi ri-
« tibus opus habuisse, nec habere : atque ita demùm
« per Christi sui adventum, totum illud sacrificiorum
« negotium circumscriberet; postquàm unicum ac
« singulare sacrificium antecedentia omnia consummâs-
« set, nimirùm Christi sacrificium : quoniam, ut scrì-
« ptum est, *Pascha nostra immolatus est Christus.* Hu-
« jus porrò sacrificii, et Paschatis, et doctrinæ pæda-
« gogus lex fuit, quæ per figurarum adumbrationes
« deduceret, et ad aliud disciplinæ genus conferret. »

IX. S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 2, adversùs Judæos, sacrificia quidem permissa Judaico populo, non imperata significat; sed permissionis vocabulum usurpat ad secundariam et consequentem voluntatem significandam. Sacrificia itaque propter se ipsa Deum non jussisse et voluisse docet eloquentissimus Pater; sed illa tamen voluisse ac præcepisse non negat alterius rei gratiâ, ut scilicet Judæos ad Idololatriam pro-pos veri Dei cultui adstringeret. Laudatis enim Isaiæ et Jeremiæ testimoniis, sic Judæos alloquitur : « Au-
« distis clarissimam vocem dicentem, quòd initio non
« postulaverit hæc de manibus vestris? Etenim si po-
« stulâsset, similiter et priscos illos omnes qui ante
« vos floruerunt, prius ad hoc vitæ institutum adegis-
« set. Quo igitur, inquit, consilio hæc modò præce-
« pit? Nimirùm vestræ morem gerens infirmitati. Et
« quemadmodùm medicus videns hominem febricitan-
« tem, morosum, minimèque sibi temperantem, si
« concupiscat frigidam bibere, ac minetur, ni accipiat,
« planè futurum, ut vel ad laqueum fugiat, vel è su-
« blimi se præcipitem det, dùm studet majus excludere
« malum, permittit quod minus est, cupiens illum à
« violentâ morte revocare : consimilem ad modum
« fecit et Deus, quoniam vidit illos insanientes, anxios,
« concupiscentes victimarum oblationem, jamque nisi
« acciperent quod desiderabant, paratos ut ad Idola
« se deflecterent, imò non solùm paratos, verùm
« etiam eò jam prolapsos, permisit immolationem
« victimarum. Atque ut sciatis hanc fuisse causam, vel
« ex ipso tempore declararetur id quod dico. Siquidem
« post festum quod impiis dæmonibus celebrârunt,
« tum demùm permisit illis immolationes pecudum,
« tantùm non dicens : Insanitis, et vultis immolare
« victimas, quin igitur mihi potiùs immolatis? Quan-
« quàm ne hoc quidem permisit ut perpetuò liceret;
« sed prudentissimo consilio quod permiserat rursùs
« eripuit. Et quemadmodùm si medicus ille postea-
« quàm indulsit appetitui laborantis, mox phialâ è suis
« ædibus allatâ præscribat, ut ex hâc solâ bibat aquam,
« deinde persuaso ægroto, clam iis qui ministrant
« præcipiat confringere phialam illam, ut eum clam
« nihilque suspicantem avocet ab illâ cupiditate bi-
« bendi frigidam : itidem fecit Deus permittendo sacri-
« ficia. Neque enim in ullo urbis loco permisit id fieri,
« nisi in unis Hierosolymis. Mox ubi per breve tempus
« sacrificâssent, diruit civitatem; ut quemadmodùm
« medicus fracto vase, ita Deus subversâ civitate, vel
« invitos illos abduceret à victimis. » Quod S. Chry-sostomus observat. Leges de sacrificiis datas Israelitis non fuisse, nisi post adorationem Vituli, observat et S. Hieronymus commentario in Ezechielis cap. 20 et post illos S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 102, art. 3. Ubi enim alteram sacrificiorum, quatenùs ordinabantur ad cultum Dei, causam litteralem esse dixit, ut per hæc homines retraherentur à sacrificiis idolorum, subdit : « Unde etiam præcepta de sacrificiis
« non fuerunt data populo Judæorum, nisi postquàm
« declinavit ad idololatriam, adorando vitulum confla-
« tilem : quasi hujusmodi sacrificia sint instituta ut
« populus ad sacrificandum promptus hujusmodi sa-
« crificia magis Deo quàm idolis offerret. Unde dicitur

« Jeremiæ 7 : Non sum locutus cum patribus vestris, « et non præcepi eis in die quâ eduxi eos de terrâ « Ægypti, de verbo holocautomatum et victimarum. »

X. S. Cyrillus Alexandrinus, libro *4 contra Julianum*, p. 126, Deum ostendisse ait, vetera *sacrificia rem usu necessariam non esse, et præter ejus fieri voluntatem* : principalem utique et primariam, non secundariam et consequentem; et prolatis ad hujus propositionis probationem Isaiæ et Jeremiæ testimoniis subdit : « Non enim cruore Deus indigebat : Neque verò tam crassum et materialem cultum requirebat : sed subtilem et spiritualem, qui nimirùm « spiritu constat, et omni virtute perficitur.... Quoniam autem ab Ægyptiorum cultu, fœdisque et impiis moribus, et execrandâ istorum superstitione abductus Israel vix ac ne vix quidem revocari poterat, quippe cùm infirmâ et imbecilli adhuc mente præditus esset, neque dùm impigrè ad tam excelsum iter eximiæ vitæ, et egregiorum operum cacumen eniti posset; apparet Deum instar pædagogi « lege per Mosem latâ, spiritali quâdam ratione primùm ab illo multitudinis Deorum errore ut recederent jussisse : permisisse interim suis, ut ex consuetudine prisci cultûs gratiarum actiones et sacrificia ritè sapienterque instituta offerrent, ut tanquàm in figuris et umbris veritatem præmonstrarent. Lex enim figuram habet veritatis, et per illam Christi Mysterium describitur. Scientiarum autem initia perfectâ eruditione semper carent, sensim verò ad id quod perfectum est provehunt... Atque, ut dixi, posteaquàm nobis opportuno tempore « Servator omnium Christus affulsit, abrogatæ quidem sunt figuræ, et verò cessavit umbræ utpote in « litteris infirmitas. Ipse enim per illam priscis hominibus adumbratus est. Ideò cruenta sacrificia « repressit, quasi veteribus singulari quodam consilio concessa, ut in iis exercitarentur, et instar « institutionis essent. Dixit enim Christus : *Spiritus « est Deus, et adorantes illum in spiritu et veritate, « oportet adorare.* »

Et libro 9, p. 307, Julianum objicientem inducit : si Deus cruentis sacrificiis minimè delectatur, *quomodò videtur ergo hæc præcepisse? Numquid certè Moses veteribus imposuit, cùm singulis legibus præponeret istud :* Hæc dicit Dominus? Si sacrificia Deum Israelitis non præcepisse, sed permisisse duntaxat S. Cyrillus sensisset, postulabat Juliani objectio, ut mentem eâ de re suam apertè declararet, idque ingenuè concederet adversario. At longè aliam viam init. Deum illa præcepisse fatetur, sed non ut per se expetenda; verùm ut Israelitas, perfectioris cultûs, spiritualis scilicet ac evangelici nondùm, capaces, velut infantes quibusdam elementis exerceret, et in typis veritatem meditari doceret, atque ad perfectionem pedetentim eveheret. « Ad hoc quoque, inquit, nos respondebimus : non erat mendax Moses, sed divinorum potiùs oraculorum sincerus ad« minister. Et lex quidem, quæ litterâ continebatur, « emendatrix erat insipientium, et magistra infantium (sic enim loquebatur in lege cum primis eruditus ille Paulus), et ceu quibusdam elementis ac disciplinarum notioribus principiis uti jubens, in « typis assuescere veritatis meditationi permittebat, « et in puerilibus exercitamentis interim versari. Vix « enim fieri poterat, ut Israelitæ, qui animum ad pietatem recens formatum habebant, adorationem et « cultum in spiritu ac veritate implere valerent, et « tam sanctæ ac purissimæ vitæ, evangelicæ nimirùm « perferre sudorem... At verò quòd accuratissima « illa benè vivendi ratio propemodùm intolerabile « Judæorum mentibus onus esset, ipse legislator docebit per vocem Isaiæ ita dicens : *Neque nôsti, neque scisti : neque ab initio aperui aures tuas. Sciebam enim quòd inobedienter rebellaturus esses.* « Tanto enim stupore, pervicacià et levitate laborabant veteres illi Israelitæ, ut cùm Moses à Deo legem acciperet, ac in monte versaretur, ad defectionem conversi sint, et vitulo divinos honores ausi « sint tribuere, hisque omnibus eum prosequi dicendo : *Hi sunt Dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terrâ « Ægypti :* cùm autem adeò infirmam et fragilem « mentem haberent, quo pacto disciplinam evangelicam suscepissent, ut loco spiritalis victimæ intellectualem cultum Deo consecrarent, et pro animantium cæde virtutum fragrantiam? Immolabant « igitur oves, boves, hircos, turtures et columbas. Sed « consideranda est, atque omni admiratione prosequenda singularis in hoc ratio divini consilii. Cùm « enim sacrificare permitteret, propterea quòd hæc « in Ægypto facere soliti essent, ac veluti pedetentim « ad perfectionem eveheret, sacrificandi modos adumbrabat, non eo ritu quo soliti erant, sed tam solerter sapienterque præparatos, ut et spiritalis cultûs « formam in se parerent. *Et infra :* Constituit quidem « per sapientissimum Mosem ritus umbratiles ac typicos, gnarus typos informandis eorum mentibus, « qui tum erudiebantur, idoneos esse; non ita tamen ut « in rebus adeò crassis perpetuò hærentes, spirituali « et intellectuali cultu exciderent, sed acceptâ in umbris rerum verarum prædictione, Dei obsecrandi « modum cum primis agnoscerent, ad rectè vivendi « semitam scitè et artificiosè pergentes. Quemadmodùm enim periti fabri ærarii formas imaginum, quas « facturi sunt, in cerâ liquefactâ priùs exhibent, non « ut eatenùs tantùm illorum ars progrediatur, sed « ut in ipsis eorum quæ mox facienda sunt, decus « prius eluceat : postquàm tamen ad exitum perductum opus erit, non jam artificem jure incusabimus, « quòd typos negligat : Simili, opinor, modo, posteaquàm Christus illuxit, qui est Veritas, et christianus « cultus introductus est, vanos esse typos jure statuemus; spiritualium quippe imagines erant. » Sicut ergo sculptor peritus vult formatque typos non quidem primariâ voluntate, et propter ipsosmet, sed consequenti et alterius rei gratiâ, scilicet imaginis in ære, vel in alio metallo, aut marmore, vel ligno sculpendæ : ita de Deo sacrificandi ritus legales instituente dicendum est, ex S. Cyrilli mente : vult illos, jubetque Deus aliarum rerum gratiâ, nempe ad abolendam

idololatriam, ad rudem populum erudiendum; ad Christi sacrificium præfigurandum. « Nos, inquit S. Cyrillus, p. 305, à legalibus non abstinemus, ut impuris, « sed potiùs tanquàm à typis ad veritatem progredimur. Nemini autem non manifestum est, id quod ad « figuram alterius assumptum est, non suî gratiâ esse, « verùm ut inferat spectantibus quamdam rei futuræ « prænotionem. At cùm spectatur veritas, tum nullius est usus. Lex autem Mosaica cùm veritatis « formam pariat, sancta quoque est ipsa; sancta est « enim veritas, id est, Christus, aut ejus mysterium. »

XI. Theodoretus, lib. De Græcarum Affectionum Curatione, sermone 7 de Sacrificiis, ubi Ethnicis objecit, ipsorum Deos victimarum nidoribus delectari et obsoniorum olfactu gustuque recreari, subdit: « Hæc « autem et ipsi fortassè in verum, ac sempiternum « Deum retorquere audebunt: quippe qui de Sacrificiis « in Divinâ Scripturâ latas leges audiunt, legislatoris autem consilium prorsùs ignorant. Israelem enim « longinquum tempus in Ægypto versatum, pravisque « indigenarum moribus imbutum, et idolis ac dæmonibus immolare ab illis edoctum, et ludis choreisque « ac musicis organis oblectari, harum rerum in habitu « constitutum liberare volens, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque falsis « Ægyptiorum Diis, sed sibi soli Ægyptiorum Deo « offerre... Ne itaque indignarentur, tanquàm à moribus illis penitùs exclusi, falsis quidem Diis sacrificare « vetuit, sibi autem ea immolare jussit, quæ ab eis dudùm adorabantur... Itaque sapientissimus Medicus « hoc remedii genus adhibuit Ægyptiæ ægritudini, ut « sacrificare quidem Judæis propter eorum imbecillitatem indulgeret, sed ea quæ priùs colebant immolare juberet, ut sacrificando discerent Deos non esse « quos tanquàm victimas ipsi mactarent. » Prolatis denique Davidis, Isaiæ, Jeremiæ, et Amosi Prophetarum oraculis subdit: « Alia quoque plurima hoc genus invenire est, quæ declarant Deum nec sacrificiis eguisse, « nec fumo vel nidore carnis, musicisque instrumentis « oblectatum, ea fieri jussisse, sed ut illorum infirmitati consuleret... Quæ enim latæ legis mens fuerit, « ipse qui legem tulit, per Prophetas Deus ostendit. » Observat autem Porphyrium, cùm illa Prophetarum oracula perlegisset, aliena à verâ pietate sacrificia esse ostendisse. In libris enim de Abstinentiâ ab animatis, Theophrastum induxit dicentem, « priscos homines « neque thus, neque ullas victimas solitos offerre, sed « pauxillum fœni, tanquàm genitalibus naturæ lanugi« nem, manibus altè sublatum, flammis imponere, et « hoc sacrificio apparentes cœlestes Deos excepisse. » Tum plurima in hanc sententiam persecutus: « Cùm « autem sacrorum, inquit, primitiæ ad multam iniquitatem hominibus processissent, execrabilis paulatim « usus victimarum inductus est crudelitatis plenissimus: ita ut quæ olim contra nos imprecationes susceptæ sunt, nunc videantur eventum consecutæ, « mactantibus hominibus, et aras Deorum cruore con« spergentibus. *Tum et post alia plurima*, Deos, *dicit*, « nullo pacto habendos eos esse, qui animalium victimis gaudeant: esse enim injustum, impium, ac sce« lestum sacrificare animalia; ideòque nec Diis gratum « esse. *Addit insuper*: Meritò Theophrastus animata « immolare eos prohibet, qui veram pietatem colere « studeant, multis ejusmodi utens rationibus. » Deinde ostendit quænam immolari conveniat. « Ea, inquit, « decet immolari, quibus immolandis neminem læse« rimus. Nihil enim æquè omnibus innoxium esse de« bet ac sacrificium. Abstinendum est itaque animali« bus in sacrificiis. » Plura ex Porphyrio eâ de re excerpta legi possunt apud Eusebium, libro 4 Præparationis Evangelicæ, cap. 11, 12, 14 et 15, istudque inter alia: « Ubi autem intellexerit adolescens, magnis « sumptibus, adeòque boum, ac cæterorum animantium « epulis Deos ipsos delectari, quî fieri queat, ut frugi « ac temperans esse velit? Idemque si acceptas esse « Diis hujusmodi victimas putaverit, quomodò in ani« mum inducat, sceleratè sibi facere non licere, qui « sacrificiis maleficia redimere se posse videat? Contra « verò si Deos nihil istis omnibus indigere sibi persuaserit, sed in eorum potiùs à quibus adeuntur mores « intueri, magnique sacrificii habere loco rectam de se « ipsis, deque rerum veritate sententiam, fierine po« terit, quin et temperans, et justus, et sanctus eva« dat? Enimverò cùm sincera mens, et animus ab omni « cupiditate vacuus optimæ Deorum primitiæ sint, non « alienum tamen ab iisdem fuerit, alia quædam ipsis « modicæ ac facilis impensæ libare, si tamen id non « dicis causâ, sed omni studio et prolixâ voluntate fiat: « siquidem isti Deorum honores, solemnibus apud vi« ros bonos præsidendi, assurgendi, ac discumbendi « rationibus similes putandi sunt, non vectigalium pen« sionibus. » Hæc rursùs ex eodem Porphyrio refert: « Porrò non Diis, sed dæmonibus cruenta sacrificia ab « iis oblata esse, qui Virtutes hoc in universo degentes « agnoverant; id verò Theologorum ipsorum fide ac « testimonio comprobatur; illudque præterea, ex iis« dem noxios alios esse, aliosque bonos, qui nihil in« commodi allaturi nobis essent. » Cap. 11 hæc ex eodem affert: « Ac Deo quidem rerum omnium principi, « nihil eorum quæ sensus attingit (quemadmodùm Sa« piens quidam præcipit) neque adolentes, neque con« secrantes: nihil enim ex materiâ conflatum est, « quod idem non ei qui ab omni materiâ sejunctus est, « impurum continuò fuerit. Quare ne ipsa quidem eum « deceat oratio, sive quæ cum voce conjungitur, sive « quæ latet interiùs, si perturbatione aliquâ mentis in« quinentur; sed potiùs casto silentio, sanctisque co« gitationibus de illo susceptis, eum religiosè venere« mur. Æquum enimverò est, ut vitæ cum eo simili« tudine conjuncti, sublimem ipsi ac cœlestem instituti « nostri rationem, velut sanctissimum sacrificium of« feramus, quæ simul etiam et hymni loco sit et sa« lutem nostram contineat. Sic ergo summi numinis « contemplatione, animo ab omni perturbatione vacuo « susceptâ, hujusmodi sacrificium peragitur. »

His affine est illud Apollonii Thyanæi, apud eumdem Eusebium, cap. 13 ejusdem libri: « Equidem inquit, « sic existimo, justis eum verisque religionis officiis

« Numen colere, sibique per se propitium illud ac se-
« cundum præ cæteris hominibus habere posse, si Deo
« quidem illi, quem Principem diximus, quique et
« unus est, et longo à reliquis intervallo sejunctus, se-
« cundùm quem utique cæteros cognosci necesse est,
« nihil unquàm sacrificârit, ignem non accenderit, nec
« eorum quæ sensibus usurpantur quicquam planè
« consecrârit; (utpote qui rei nullius indigeat, non
« modò nostræ, sed nec eorum etiam à quibus plurimùm naturæ dignitate superamur; cùmque adeò nihil sit eorum quæ à terrâ vel aere quoquo modo procreentur, aut alantur, non planta, non animal, quod, si tanti naturam numinis attendamus, non labis genus aliquod videatur): sed tantùm excellentem illam ac præstantem orationem ei semper obtulerit; (eam autem intelligo, quæ nequaquàm ore profertur), atque ab eo qui rerum omnium est Optimus, eò quòd similiter in nobis optimum est interprete, bona postulârit. Illud autem mens est, quæ nullius operam instrumenti desiderat. »

XII. Verùm missis philosophorum testimoniis, ad Patres revertamur, nostræque propositionis probationes S. Augustini suffragio quod maximam huic argumento lucem affert, concludamus. Legitur illud libro 10 de Civitate Dei, cap. 5: « Quis autem (inquit) ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei « esse necessaria, quæ in Sacrificiis offeruntur? Quod « cùm multis locis divina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare « sufficiat. *Dixit Domino, Deus meus es tu, quoniam « bonorum meorum non eges*, Psalm. 15, 2. Non solùm « igitur pecore, vel quâlibet aliâ corruptibili atque « terrenâ, sed ne ipsâ quidem justitiâ hominis Deus « egere credendus est, totumque quòd rectè colitur « Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim « fonti se quisquam prodesse dixerit, si biberit; aut « luci, si viderit. Nec quòd ab antiquis Patribus talia « sacrificia sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei « Populus legit, non facit, aliud intelligendum est, « nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ « aguntur in nobis ad hoc ut inhæreamus Deo, et ad « eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium « ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id « est, sacrum signum est. Unde ille pœnitens apud « prophetam, vel ipse propheta, quærens Deum pec-« catis suis habere propitium: *Si voluisses*, inquit, « *sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delecta-« beris. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor con-« tritum, et humiliatum. Deus non spernet*, Psalm. 50: « Intueamur quemadmodùm ubi Deum dixit nolle sa-« crificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non « vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sa-« crificium contriti cordis. Illo igitur quòd eum nolle « dicit, hoc significatur, quòd eum velle subjecit. Sic « itaque illa Deum nolle dixit, quomodò ab stultis ea « velle creditur, velut suæ gratiâ voluptatis. Nam si « ea sacrificia quæ vult, quorum hoc unum, cor con-« tritum, et humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis « sacrificiis significari, quæ vult sibi delectabilia de-« siderare putatus est, non utique de his offerendis in « lege veteri præcepisset. Et ideò mutanda erant op-« portuno certoque jam tempore, ne ipsi Deo deside-« rabilia, vel certè in nobis acceptabilia, ac non potiùs quæ his significata sunt, crederentur. Hinc et alio loco Psalmi alterius, 49, v. 12 et 13: *Si esu-« riero*, inquit, *non dicam tibi; meus est enim orbis « terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes « taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* tanquàm « diceret: Utique si mihi necessaria essent, non à te « peterem, quæ habeo in potestate. Deinde subjungens quid illa significent: *Immola*, inquit, *Deo sa-« crificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Item « apud alium Prophetam, Mich. 6; *In quo apprehen-« dam*, inquit, *Dominum, assumam Deum meum ex-« celsum? Si apprehendam illum in holocaustis, in vi-« tulis anniculis? Si acceptaverit Dominus in millibus « arietum, aut in denis millibus hircorum pinguium? Si « dedero primogenita mea, fructum ventris mei pro pec-« cato animæ meæ? Si annuntiatum est tibi, homo, bo-« num, aut quid Dominus exquirat à te, nisi facere ju-« dicium, et diligere misericordiam, et paratum esse ire « cum Domino Deo tuo?* Et in hujus Prophetæ verbis « utrumque distinctum est, satisque declaratum illa « sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus « significantur hæc sacrificia, quæ requirit Deus. In « Epistolâ quæ inscribitur ad Hæbreos: *Benè facere*, « inquit, *et communicatores esse nolite oblivisci: tali-« bus enim sacrificiis placetur Deo*, Hebr. 13, 16. Ac « per hoc, ubi scriptum est: *Misericordiam volo, et « non sacrificium;* nihil aliud quàm sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi; quoniam illud quod « ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri « sacrificii. Porrò autem misericordiam verum sacrificium est... Quæcumque igitur in ministerio Ta-« bernaculi, sive templi, multis modis de sacrificiis « leguntur divinitùs esse præcepta, ad dilectionem « Dei et proximi significandam referuntur. In his « enim duobus præceptis, ut scriptum est, tota lex, « et prophetæ. Matth. 22, 40. »

Ex hoc S. Augustini loco exponendus est alter ille à Spencero laudatus, ex libro 18 contra Faustum, cap. 6: *De sacrificiis animalium, quis nostrùm nesciat, magis ea converso populo congruenter imposita, quàm Deo desideranti oblata?*

Guillelmus Parisiensis libro de Legibus cap. 11, hypothesim Spenceri funditùs evertit. « *Septem*, in-« quit, de causis ante legem, et etiam sub lege, sa-« crificia sibi offerri voluit Deus, non solùm propter « consuetudinem idololatriæ, ut quidam opinati sunt. « Hæc enim causa in Cain, et Abel locum non habet. « Prima igitur ac præcipua causa fuit Dei honorifi-« centia seu veneratio. Omnis enim cultus Deo hono-« rificus est, quo ipse sibi serviri vult. Et propter hoc « altare sibi ædificari voluit... Talibus ergo mune-« ribus honorabatur Deus, non quidem pretiositate « ipsorum, sed electione, institutione, et acce-« ptione ipsorum à parte suâ, obedientiâ verò, et « devotione offerentium à parte ipsorum. Hæc igitur

« quinque honorifica efficiebant Deo hujusmodi sa-
« crificia, videlicet quæ ipse elegerat, instituerat et
« accepta habebat, quæ ei obedienter ac devotè offe-
« rebantur. Non enim coli voluit, neque colendus
« erat adinventionibus humanis, sed magis ritu ele-
« ctionis et institutionis suæ... Secunda causa, fuit
« justitiæ suæ et misericordiæ vehemens ac fortis
« impressio, quam sacrificia hujusmodi faciebant; eo
« enim ipso quòd ad mortem hujusmodi animalia offe-
« rebant mortique tradebant, se ipsos morte dignos
« ostendebant... In hoc verò quòd mors eorum morte
« animalium commutabatur, Dei misericordiam erga
« se expressè legere poterant, vel etiam legebant : et
« erat fortior atque magis penetrans, magisque impri-
« mens cogitationem ac rememorationem severitatis
« ac miserationis divinæ, hujusmodi operatio, quàm
« posset esse sermo... Tertia causa, divinæ benefi-
« centiæ recognitio, propter quod de ipsis donis ac
« datis suis partem reservabant, et offerebant Domino
« in recognitionem, quod de ejus benedictione et
« largitione omnia receperant, videlicet et quæ sibi
« retinebant, et quæ Domino offerebant sicut legitur
« Deuter. 25 : « Profiteor hodiè coram Domino
« meo, » etc. Quarta causa, offerentium sanctifica-
« tio. Expediebantur enim et emundabantur à con-
« taminationibus peccatorum per hujusmodi sacrifi-
« cia, faciente Dei virtute, et misericordiâ. Quinta
« causa, familiaritas ad Deum et appropinquatio :
« oblatio namque munerum, et participatio sacræ
« mensæ, multam fiduciam præstant appropinqua-
« tionis, et de familiâ Dei efficit participantes. Ejus
« enim censetur esse familia, à quo pascitur et de
« cujus mensâ vivit. Quare manifestum est hujus-
« modi sacrificia participantibus imprimere familiari-
« tatem et proximitatem ad Deum, dùm eos Dei
« commensales quodammodò efficiebant... Propter
« quod, cùm Deus non posset eis vice versâ come-
« dendo communicare, mittebat interdùm ignem de
« cœlo, qui partem suam sacrificiorum comederet,
« quasi vice ipsius. Sexta causa, adunatio sive unio
« populi Dei, videlicet, ut una domus fieret, et una
« familia ex multis personis. Unam enim familiam et
« unam domum litteralem maximè facit communio
« victualium; sic et unam familiam spiritualem,
« unamque domum maximè facit communio ciborum
« et potuum spiritualium... Septima causa fuit attra-
« ctio ad Dei cultum. Nihil enim magis aggregat ho-
« mines et convenire facit ad locum aliquem vel fa-
« ctum, quàm cibus et potus.... Voluit ergo sapien-
« tissimus et misericordissimus Deus, ut in domo
« suâ et altari esset communicatio cibi et potûs,
« ut communitas populi sui per hoc et illud attrahe-
« retur, et ibidem astrictiùs teneretur : voluitque
« hujusmodi sibi sanctificata esse, ut populus non
« tanquàm bona propria, sed tanquàm sacra illa su-
« meret, ut Deum tanquàm patremfamilias suum, à
« quo pascerctur et animaretur, agnosceret, et se ad
« sanctorum communionem seu participationem ad-
« missum videns, ab omni vitiorum contaminatione
« et maculâ conservaret... Clarum ex his, quòd ido-
« lolatria non dedit occasionem sacrificiis, cùm ante
« idololatriam sacrificia fuerint. »

§ II. *De sacrificiorum materiâ.*

I. Veterum sacrificiorum materia, vel animata fuit, vel inanimata. Ex animalibus munda tantùm, eorumque octo duntaxat species altari suo Deus admoveri jussit, scilicet oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, passeres et turtures, Levitici 1, 2, 10, 14, et cap. 14, 4, 5. Ratio autem cur his tantùm animalibus aditum ad altare suum Deus concesserit, multiplex est, litteralis, typica, et moralis. Hæc enim præ cæteris selegit : 1° quia præstò semper erant, et pari facilitate mensis et altaribus offerebantur. Secundò, ad vitandam idololatriam, quia gentes animantium omne genus diis suis immolabant : Soli equos, Marti lupos, Priapo asinos, Dianæ cervas, Cereri sues, Hecati canes. Ægyptii verò boves, oves, hircos ut numina venerabantur, seu ut sacros in numinun suorum honorem alebant, nec illa usquàm in sacrificium aut epulum mactabant. Quod à Theodoreto, quæstione 1 in Leviticum, observatum est. « Salutare, inquit, medicamentum illis comparavit. Nam ea sibi sacrificari jussit, quæ pro diis colunt ab Ægyptiis; de numero quidem quadrupedum, vitulum, et hircum, et ovem, è volatilibus autem turturem, et pullos columbarum. Nec ignoramus alia multa pro diis habuisse Ægyptios. Sed ex iis quæ pro diis colebant, mansuetoria sacrificiis addixit, reliqua verò appellavit immunda. Ut hæc quidem execrati tanquàm impura, in deorum numero non ponerent; illa verò, ut quæ ipsi sacrificarent, pro diis non haberent, sed eum solum adorarent, cui convenit hæc offerri. Quia verò nonnulli eorum locupletes erant, alii verò inopes, illis quidem vitulum, vel agnum, aut capram offerre præcepit; his verò par turturum, aut duos pullos columbarum. » Easdem rationes S. Thomas affert, primâ secundæ, quæstione 102, art. 3, in Resp. ad 2. « Ratio, inquit, conveniens fuit, quare ista animalia offerebantur Deo in sacrificium, et non alia : primò quidem ad excludendam idololatriam, quia omnia alia animalia offerebant idololatræ diis suis, vel eis ad maleficia utebantur. Ista autem animalia apud Ægyptios, cum quibus conversaverunt, abominabilia erant ad occidendum. Unde ea non offerebant in sacrificium diis suis. Unde dicitur, Exodi 8 : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Oves enim colebant, hircos venerabantur, quia in eorum figurâ dæmones apparebant. Bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Secundò, hoc conveniens erat ad prædictam ordinationem mentis in Deum; et hoc dupliciter: primò quidem quia hujusmodi animalia maximè sunt per quæ sustentatur humana vita; et cum hoc mundissima sunt, et mundissimum habent nutrimentum. Alia verò animalia vel sunt silvestria, et non sunt communiter hominum usui deputata; vel, si sunt domestica, immundum habent nutrimentum,

« ut porcus et gallina ; solum autem id quod est pu-
« rum, Deo est attribuendum. Hujusmodi autem aves
« specialiter offerebantur, quia habentur in copiâ in
« Terrâ promissionis. » Pisces verò à sacrificiis arce-
« bantur, inquit sanctus Thomas, quia, cùm in aquâ
« vivant, magis sunt alieni ab homine quàm cætera
« animalia quæ vivunt in aere, sicut et homo ; et ite-
« rùm pisces ex aquâ extracti statim moriuntur. Unde
« non poterant in templo offerri, sicut alia animalia. »

Ratio typica cur hæc animalia Deus offerri jusserit, est quòd ad Christum, cujus sacrificio præludebant, significandum accommodata præ cæteris essent. Bos enim Christi fortitudinem et labores, ovis innocentiam, hædus formam peccatoris, turtur arctam cum Deo conjunctionem, pulli columbarum mansuetudinem significabant. Hujus interpretationis auctores indicâsse sufficiat sanctum Cyrillum Alexandrinum, libro 15 de Adoratione in spiritu et veritate, Procopium in cap. 4, Bedam in cap. 1 Levitici, et sanctum Thomam hæc ex glossâ ordinariâ laudantem : *Christus in vitulo offeretur propter virtutem crucis, in agno propter innocentiam, in ariete propter principatum, in hirco propter similitudinem carnis peccati in turture ; et columbâ duorum naturarum conjunctio monstrabatur.*

Ratio moralis petitur ex cupiditatibus quas mactare, et virtutibus quibus animas nostras adornare debemus, ut nosmetipsos in sacrificium Deo gratum offeramus. Ut enim Origenes, homilià 2 in Leviticum : *Homo munus offert Deo vitulum, cùm carnis superbiam vicerit; ôvem, cùm irrationabiles motus insipientesque correxerit ; hædum, cùm lasciviam superaverit ; offert etiam par turturum, cùm non fuerit solus, sed mentem suam Verbo Dei velut viro conjugem sociaverit, sicut hoc genus avium unum dicitur et castum servare conjugium. Offert etiam et duos pullos columbarum, cùm et ipse intellexerit mysterium, quo oculi sponsæ sicut columbæ dicuntur ad plenitudines aquarum, et collum ejus sicut turturis.* His non absimilia apud Hesychium et Radulphum Flaviacensem legere est.

II. Animalia omni ex parte perfecta in sacrificium offerri lex jubebat. Pecudem omnem jugo tritam, senio confectam, testiculis læsam, mutilam, morbo denique vel vitio aliquo laborantem à sacris arcebat, Levitici 22, 21, 22, 23, 24, Deuteronomii 15, 21. Sacerdotes, qui in jugi sacro *cæcum, claudum et languidum* immolabant, Deus reprehendit, Malachiæ 1, 8, et 14. Philo Judæus, libro de Victimis, summam fuisse sacerdotum curam et diligentiam testatur in explorandis pecudibus altari destinatis, ne fortè vel minima celaretur labecula. Ita sanxit Deus, ut suæ majestatis auctoritatem tueretur, sacrisque reverentiam conciliaret ; utque offerentes doceret, his victimis Christum impollutum, innocentem, et à peccatoribus segregatum significari, pro ipsis aliquando immolandum, et illos interim cor immaculatum Deo offerre debere. Quâ de re sanctus Cyrillus Alexandrinus, lib. 15 de Adoratione in spiritu et veritate, pag. 520, ait : « Opportunè verò, ac necessariò præmonet lex, et « apertè testatur in his certè sacrificiorum generibus « immaculatas esse oblationes oportere : nam, quia è « sacrificiis quæ offerebantur, alia Christum ut pro no- « bis immolatum significabant, alia etiam nos præfigu- « rabant nostram vitam Deo propemodùm adolentes ; « hanc ob causam, inquit, ea immaculata esse de- « bere, nullaque corporis parte manca atque debilia : « immaculatus enim est Christus ; non enim fecit pec- « catum. Sed ne nos quidem accipiet Deus, dùm ad- « huc in maculis versamur, et peccatorum deformitate « laboramus. » Singula porrò vitia, ac labes quæ victimas Sacris inidoneas reddebant, ibidem tropologicè S. Cyrillus explicat, quem adeat studiosus lector, absque fructu non dimissurus. Audiendus etiam eâ de re S. Thomas, quæst. 102, art. 3, ad 7 : « Quia, inquit, « animalia maculosa solent haberi contemptui etiam « apud homines, ideò prohibitum est ne Deo in sacri « ficium offerrentur ; propter quod etiam prohibitum « erat, ne mercedem prostibuli, aut pretium canis in « domum Dei offèrrent. Et eàdem etiam ratione non « offerebant animalia ante septimum diem ; quia talia « animalia erant quasi abortiva, nondùm plenè con- « sistentia propter teneritudinem. »

Diabolum, Dei simiam, cultoribus suis similem in probandis victimis religionem inspirâsse constat ex Luciano, libro de Sacrificiis : « Illi, inquit, cùm im- « molant, primùm sertis coronant pecudem, multòque « ante explorant, num legitima sit, et sacrificiis ido- « nea, ne fortè mactent ex his, quæ religio repudiat. « Ægyptii, teste Chæremone, *ab altaribus removebant*, « quæ gemina, aut maculosa, aut versicoloria, aut for- « mæ præter naturam. Athæneus ex Aristotelis Sym- « posio : Nihil, inquit, mutilum Deo offerimus, sed in- « tegra et perfecta omnia. »

III. Quæ de mercede prostibuli et pretio canis in templum Dei non inferendis, ex Deuter. 23, 18, observat S. Thomas, paulò majori consideratione digna sunt. Prostibuli mercedem in domum suam Deus inferri vetuit, ut Judæos ab ethnicorum execrando more abduceret, qui donaria, pecunias, vestes elegantes, et alia violatæ pudicitiæ præmia diis suis eorumque templis consecrare solebant, ut constat ex Michææ 1, vers. 7 : *Et omnia*, inquit, *sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem : quæ de mercedibus meretricis revertentur.* Item ex Luciano, lib. de Deâ Syriâ, ubi refert, Ægyptios in terrâ Bybliorum inferias Adonidi peragentes, capita tondere solitos. « E mulieribus autem quæcumque tonderi nolunt, in- « quit, talem pœnam exsolvunt. Unum quidem diem « ad quæstum corpore faciendum foro præstant ; « forum autem illud solis peregrinis exhibetur : et « quod inde mercedis efferunt, hoc Veneri in sacrifi- « cium datur. » De Cypriis idem refert Justinus, lib. 22 Historiæ. « Mos erat Cypriis, inquit, virgines ante « nuptias, statutis diebus, dotalem pecuniam quæsitu- « ras, in quæstum ad littus maris mittere, pro reliquâ « pudicitiâ libamenta Veneri soluturas. » De Siccensibus Africanis idem narrat Valerius Maximus, lib. 2, c. 6 : « Siccæ, inquit, est fanum Veneris, in quod se

« matronæ conferebant, atque, inde procedentes ad « quæstum, dotes injuriâ corporis contrahebant. » De Phœnicibus idem testatur S. Augustinus, lib. 4 de Civitate Dei, cap. 10 : « An tres Veneres sunt, inquit, « una virginum, alia conjugatarum, alia meretricum? « Cui etiam Phœnices donum dabant de prostitutione « filiarum, antequàm jungerent eas viris? » Deus itaque mercedem prostibuli in templum suum inferri, lege latâ, vetuit, ut Judæos ab idololatriâ pariter et libidine abduceret, ut Sacrorum suorum puritatem præ Sacris gentium ostenderet, ut sacrarii sui dignitati et reverentiæ consuleret, turpe donum repudiando. *Nullius enim rei turpis merces decora est*, inquit Tertullianus, lib. de Habitu muliebri. Præ cæteris autem quæstus arte meretricià factus, infamis semper habitus est. Hinc Severus imperator, teste Lampridio in ejus Vitâ. « Lenonum vectigal, et meretricum, et exoleto- « rum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumpti- « bus publicis ad instaurationem theatri et circi de- « putavit. »

IV. Canis pretium quod spectat, à Deo pariter abominationis instar repudiatum, et à sacrario eliminatum, missis variis interpretum de hujus præcepti sensu sententiis, quas eruditè refellit Spencerus, lib. 2 de Legibus ritualibus Hebræorum, cap. 23, sect. 2, planissimus ille est, Deum pretium canis, si fortè venderetur, ut cum rebus aliis commutaretur, tanquàm rei vilissimæ pretium, imò tanquàm abominationem rejecisse : Primò, ut sanctuarii sui honori consuleret. Secundò, ut Ægyptiorum superstitionem sugillaret, qui canem præcipuâ quâdam veneratione prosequebantur, testibus Herodoto, lib. 2, cap. 67, Diodoro Siculo, lib. 1, Plutarcho in Iside, Strabone, lib. 17, et Juvenali, qui de Ægypto ait :

. . . . . *Illic*
*Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam :*

Ægyptiacæ hujus superstitionis ratio prima fuit Nili exundatio oriente caniculâ, ut observat Ælianus, lib. 10 de Animalibus, cap. 45. *Cùm stella canis exoritur*, inquit, *cum ipsâ pariter Nilus sese attollens irrigationem invehit, et in agros redundat, quapropter canem ut aquæ fertilis inductorem colunt.* Propterea, et canem animal, ut caniculæ symbolum, sacro cultu prosequebantur. Ratio altera erat, quòd *Anubis* sive *Mercurii* numinis eorum maximi symbolum et imago viva canis crederetur. Ægyptios namque *Anubim* suum sub imagine caput caninum habente venerari solitos, referunt Diodorus Siculus, lib. 1, Lucianus, lib. de Sacrificiis, et Servius in illud Virgilii, Æneidos 8 :

*Omnigenùmque Deùm monstra, et latrator Anubis.*

Isidi maximæ Ægyptiorum deæ cum *Anubi* seu *Mercurio* necessitudinem non minimam intercessisse, constat ex columnâ Ægyptiacâ Isidi erectâ, cum hâc inscriptione : *Ego Isis sum, Regina hujus regionis, à Mercurio erudita. Ego sum quæ in canis sidere exoritur*, etc. (refert Diodorus Siculus, lib. 2.) Isidem stu- colebant Ægyptii, ut probant illa Juvenalis :

. . . . . *Jamque expectatur in hortis,*
*Aut apud Isiacæ potiùs sacraria lenæ.*

Ipsi adeò prostitutionis præmium impuræ feminæ dicabant. *Anubi* verò seu *Mercurio* canis, animalis apud ipsos sacri pretium fortè devovebant. In superstitionis utriusque, seu jam obtinentis, seu prævisæ, execrationem Deus hanc legem tulit : *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris : quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.*

V. Materia sacrificiorum inanimata secundùm legem divinam erat, panis, simila, spicæ, vinum, sal, oleum, thus, Levitici 2, 1 : *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, et ponet thus.* Morem illum gentes in falsorum deorum sacris imitatæ sunt, ut constat ex illis Virgilii, 6 Æneid.·:

. . . . . *congesta cremantur*
*Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.*

Panis sacrificialis variis modis parabatur : in clibano, in sartagine, vel craticulâ coquebatur, oleo conspersus, absque fermento et melle, sale verò conditus, quo etiam victimas omnes aspergi lex jubebat, Levitici 2, 2 : *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Azyma sinceritatis, veritatis atque puritatis signa erant, 1 ad Corinthios 5, 7. Apud ethnicos, Flaminibus farinam fermentatam contingere non licebat, ut notat Servius ad 1 Æncidos. In sacrificio tamen pacifico, seu gratiarum actionis, panes fermentati offerebantur, Levitici 7, 13. De sale in sacrificiis omnibus adhibendo, lex habetur, Levitici 2 ; *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tuâ offeres sal.* Ritum illum dæmon Dei æmulus ad idololatricos cultus traduxit. Nulla enim Sacra apud ethnicos conficiebantur *sine molâ salsâ*, teste Plinio, lib. 31 Naturalis Historiæ. Quò spectant illa Ovidii. Fastorum 1 :

*Ante, Deos homini quod conciliare valeret,*
*Far erat; et puri lucida mica salis.*

Et illa Statii, Silv. 1 :

. . . . *Sæpè Deis hos inter honores,*
*Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.*

Hinc Plato salem Θεῷ γελὸν σῶμα, *corpus Deo amicum* appellavit. Falsò igitur scripsit Maimonides in More Nevochim, p. 3, Deum salis usum in sacrificiis suis præcepisse, ut se idololatris opponeret, qui sale in Sacris suis non utebantur. *Sal fœderis* appellatur ob diuturnitatem. Aptissimum itaque symbolum fuit ad immortalitatem Dei, cui sacrificium offerebatur, significandam, ad fœderis cum Deo initi et per sacrificium confirmati perpetuitatem exprimendam; ad incorruptæ mentis puritatem, quam à sacerdotibus, et iis quorum nomine sacrificia offerebant, Deus postulabat, designandam.

VI. *Minchæ* sacrificium, sive farrea oblatio triplex erat. Prima erat oblatio similæ, secunda panum, tertia spicarum virentium, de quâ, Levitici 4, 14 : *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in*

*morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est. De quâ adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, et olei, et totum thus.* De primitiis messis hordeaceæ altero Paschatis die offerendis, lex ista intelligitur. Primitiarum scilicet solemnior oblatio triplicis generis à Deo imperata est : 1° spicarum virentium hordei in Paschate; 2° panum ex similâ fermentatâ recentis tritici, in Pentecoste, quod tempus erat messis triticeæ in Palæstinâ, Levitici 23, 15, 17 ; 3° vitis et omnium frugum, in festo Tabernaculorum, Exodi 23, 16, 19. Nullam victimam sine similâ et vino Deus offerri jussit, Numerorum 15; 4, 5, 7, 10. Ratio cur Deus Minchæ sacrificium instituerit, multiplex afferri potest : Primò, ut pauperes, qui animalia sibi comparare non poterant, sacrificia non negligerent. Hanc rationem affert Theodoretus, quæstione 1 in Leviticum. Secundò, ut sacerdotibus de pane et annonâ provideretur. Hujus enim sacrificii pars maxima in usum sacerdotum cedebat. Tertiò, ut terræ fruges Deo se debere, ipsumque escam dare omni carni jugiter meminissent ac profiterentur. Quartò, quia sacrificium quasi sacrum epulum erat Dei cum hominibus. Unde victimæ vocantur *panes Dei*, Levitici, 21, 21, et 22 et 26, et *cibus Dei*, Numerorum 28, 2, secundùm Hebræum; et altare vocatur *mensa Dei*, Malachiæ, 1, 7, 12. Rationem litteralem et typicam farrei sacrificii affert S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, art. 3, ad 12 : « Dicendum, quòd lex in sacrificiis providere « voluit paupertati offerentium : ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem ; quam « qui habere non posset, saltem offerret panem ; et si « hunc habere non posset, saltem offerret farinam, « vel spicas. Causa verò figuralis est, quia panis significat Christum, qui est panis vivus, ut dicitur, « Joannis 6. Qui quidem erat velut in spicâ, pro statu « legis naturæ, in fide Patrum. Erat autem sicut simila « in doctrinâ legis Prophetarum. Erat autem sicut panis formatus, post humanitatem assumptam, coctus « igne, id est, formatus Spiritu Sancto in clibano uteri virginalis : qui etiam fuit coctus in sartagine per « labores, quos in mundo sustinebat : in cruce verò « quasi in craticulâ adustus. » Ex Hesychio hanc allegoriam hausit sanctus Thomas. De rebus reliquis inanimatis, quæ materia sacrificiorum erant, sic disserit doctor idem Angelicus in responsione ad 13 : « Ea quæ « in usum hominum veniunt de terrâ nascentibus, vel « sunt in cibum, et de eis offerebatur panis : vel sunt « in potum, et de his offerebatur vinum : vel sunt in « condimentum, et de his offerebatur oleum, et sal : « vel sunt in medicamentum, et de his offerebatur thus, « quod est aromaticum et consolidativum. Per panem « autem figuratur caro Christi : per vinum sanguis « ejus, per quem redempti sumus : oleum figurat « gratiam Christi : sal scientiam : thus orationem. »

VII. Panis et vini sacrificalem oblationem ex profanis gentilismi ritibus originem duxisse asserit, non probat Spencerus. Melchisedecus ante legem latam panem et vinum in sacrificium obtulit, Genesis 14, 18, non gentium certè profanarum ritu : *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* A Noacho panis et vini oblationem derivatam longè probabilius est. Noachum ab antiquis *Ogygem* dictum, notum est : quod nomen ex *Ogy* Hebraeâ voce, et per reduplicationem *Ogygi* ductum, *panis subcinericii in usus sacros factorem* significat, ut à viris eruditis observatum est. Imò patres antediluvianos è terræ frugibus sacrificia obtulisse vix dubitari potest. Licet enim de Caino duntaxat legamus, quòd ex *fructibus terræ obtulerit munera Domino*, Genesis 4, 3, nihilominùs cùm eo nomine oblatio ejus non sit à Deo repudiata, sed ob malitiam offerentis, verisimillimum est ipsum ab Adamo parente, Adamum verò à Deo edoctum, hæc in sacrificium Deo obtulisse. Hoc sacrificii genus, ut et alia sibi dæmon Dei æmulus arrogavit. Hinc Moyses, Deuteronomii 32, 38 : *Ubi sunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam ? De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum ?* Deus ad abolitionem idololatriæ illud lege latâ Israelitis præscripsit. Gentes vini parte aliquâ suis numinibus libatâ, partem residuam inter sacrificantes ebibendam distribuebant. At apud Hebræos vinum quantum erat in sacrificium effundebatur : sacerdotes aut sacrificantes illius participes non erant ; in aliquibus gentium sacris vinum nullum libabatur, nempe in Sacris Cereris, ut colligitur ex Plauto in Aulularià. At Deus in omni sacrificio sibi oblato vinum libari jussit, ne frumenti solius auctor ac præses haberetur. Ethnici non tantùm vino mero, sed de melle, lacte, mulso, vino mixto libabant, maximè in Ægypto et Alexandriâ, ut refert S. Hieronymus Commentario in cap. 45 Isaiæ. At lex Dei vinum tantùm generosum in sacrificium offerri jussit, Levitici 23, 13, Numerorum 15, 5, 7, et 38, 7.

VIII. Mellis usum à sacrificiis suis Deus ablegavit, Levitici 2, 2 : *Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domino. Primitias tantùm eorum offeretis, ac munera : super altare verò non imponentur in odorem suavitatis.* Falsissimum proinde est, quod de Judæis Syriam incolentibus scripsit Theophrastus, referente Porphyrio, lib. 2 de Abstinentiâ, § 26 : « Non vi« ctimas epulantur, sed eas integras per noctem com« burentes, multo melle et vino iis superfuso sacrifi« cium ociùs consumunt, ne qui omnia videt, facinus « hoc intueatur. » Vel Plutarchi testimonio refellitur, lib. 4, Symposiacon, cap. 5. Quanquàm graviorem ille calumniam in Judæos struxerit, eos ideò *mel in sacrificiis non offerre*, scribens quòd Bacchum colerent, et mellis admistione vinum corrupi videatur. Varias legis hujus rationes afferunt veteres. Quas exponit Theodoretus, quæstione 1 in Leviticum : « Prohibet quoque, « inquit, offerri mel ad altare, eò quòd apis, ut quidam « volunt, in locis impuris sedeat, et undecumque conti« ciendi mellis materiam coacervet. Nonnulli verò dixe« runt, inde nos instrui, ex propriis laboribus persolven« da esse sacrificia ex consilio Salomonis, quo dicitur : « *Honora Dominum ex justis laboribus, et præbe primitias « illi de tuis fructibus justitiæ.* At fructus apis à labore « nostro non procedit. Quæ quidem verba nihil accu-

« ratam continent. Siquidem mellis confectio non caret « hominum industriâ. Quidam enim colendæ terræ dant « operam, nonnulli curant oves, alii mercaturæ studeut, « alii verò melli conficiendo incumbunt. Quamobrem, « inquit, sub nomine quidem fermenti vetustatem ne- « quitiæ significari puto, mellis autem nomine voluptа- « tem prohiberi. » Mystica hæc ratio, non litteralis; quam nihilominùs alii Patres afferunt, et inter alios S. Hier., epist. 19 ad Eustochium. « Quoniam, inquit, « mel in Dei sacrificiis non offertur, nimia dulcedo ante « mutata est, et quâdam, ut ita dicam, piperis austeri- « tate condita. Apud eum enim nihil voluptuosum, « nihil tantùm suave placet, nisi quod in se habet mor- « dacis aliquid veritatis. Mellis nomine paganorum do- « ctrinam intelligit Hesychius, propter suavitatem ver- « borum et dulcedinem eloquii. » Rationem litteralem simul et mysticam affert S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 102, art. 3, ad 14. « Mel, inquit, non offereba- « tur in sacrificiis Dei, tum quia consueverat offerri in « sacrificiis idolorum, tum etiam ad excludendam om- « nem carnalem dulcedinem et voluptatem ab his qui « Deo sacrificare intendunt. » Veram legis hujus ratio- nem attigit S. Thomas, cum Maimonide sentiens, qui in *More Nevochim*, p. 3, cap. 46, ait Deum à sa- crificiis suis mellis usum ablegâsse, quòd *idololatriæ res dulces ad oblationes suas eligerent, easque melle in- ungere solerent.* Vix ullus fuit falsorum deorum, cui melle non libarent ethnici, et quem oblati mellis dulce- dine gaudere non crederent. Id de Mercurio testatur Antipater Sidonius, lib. 1 Anthologiæ, cap. 38 : *Facilis est Mercurius, ô pastores, qui lacte gaudet, et querno pla- catur melle.* De Baccho idem constat ex Ovidio, lib. 3 Fastorum :

*Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem*
*Gaudet, et à Baccho mella reperta ferunt.*

De Priapo pastor Astacus, apud Calphurnium, eclogâ 2:

*Roraniesque favos damus, et liquentia mella.*

De Jano idem docet Ovidius, lib. 1 Fastorum :

*Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,*
*Et data sub niveo candida mella cado?*
*Omen, ait, causa est ut res sapor ille sequatur,*
*Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.*

Nymphis mel et vinum fundi jubet Apollinis oraculum apud Eusebium, lib. 4 Præparationis Evangelicæ :

*Funde mel Nymphis, et Bacchi dona.*

Diis omnibus mel libari solitum asserit Pausanias in *Eliacis prioribus*, ubi, postquàm aras minimùm quinquaginta recensuit in Jovis Olympii templo variis numinibus erectas, et quasdam diis omnibus sacras, ait : *Semel quolibet mense, ad omnes quas recensuimus aras Elei sacra faciunt, vetusto quodam ritu thura et melle subactum triticum adolentes.* Persas in omnibus sacrificiis *libantes oleum cum lacte et melle mixtum* describit Strabo, lib. 15. Auctor Hymni in Mercurium mel vocat *deorum suavem cibum.* Et, quod caput est, Deus Judæis exprobrat, Ezechielis 16, 18, 19, quòd diis omnibus gentium mel obtulerint. *Fecisti tibi*, inquit, *imagines masculinas, et fornicata es in eis. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas : et oleum meum, et thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavi- tatis.* Diis præsertim inferis et heroibus fato functis melle libabant profanæ gentes. Sic Platoni facere so- lebant, Silio teste, lib. 13 :

*Duc prædicta sacris duro placamina Diti*
*Mella simul tecum, et puri per dona Lyæi.*

Idem melle placari Furias memorat :

*Inde tibi, Alecto, tibi, nunquàm læta Megæra,*
*Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentûm,*
*Fundunt mella super, Bacchique et lactis honorem.*

Apud Euripidem, fratrem Orestem, tanquàm mo- riturum, Iphigenia sic alloquitur : *Multum enim orna- tum tibi in sepulchro ponam, et montanæ flavæ apis delicias ex floribus manantes in rogum tuum injiciam...* Ut itaque Israelitas ab idololatriâ Deus abduceret, ut- que non minùs factis et ritibus quàm verbis *Deum viventem* se colere profiterentur, mellis usum in sacri- ficiis nomini suo oblatis lege latâ prohibuit.

§ III. *De sacrificiorum fine variisque speciebus.*

1. Triplex fuit sacrificiorum finis : Dei honos, su- premique ipsius Dominii agnitio ; peccati expiatio ; grati animi ob accepta beneficia significatio, novo- rumque à Deo postulatio. Hinc triplex sacrificiorum species : 1° Holocausta ; 2° Pacifica ; 3° Expiatoria, si ve, ut Scriptura sacra loquitur, *pro peccato*, Levitici 1, 3, 4, 5, 6 et 7. Holocaustum, à voce Græcâ, ὅλου καῦσον, id est, totum combustum, appellatum est, quòd in eo tota victima in Dei honorem consumeretur. Hoc ritu summum Dei dominium in res omnes significaba- tur ; et qui sacrificium offerebant, se totos esse Dei profitebantur. Holocausti ritus cap. 1, Levitici de- scribitur. 1° Masculum pecus offerri debebat, utpote perfectissimum. Id imitati Ægyptii sacerdotes, Chæ- remone teste, feminas recusabant. 2° Offerendum erat *ad ostium Tabernaculi testimonii*, quod ad idololatriam extirpandam à Deo præceptum est, ne, si quovis in loco sacrificare ipsis liceret, ad altaria gentium et idola deflecterent. Lex ista sacrificiis omnibus com- munis fuit ; cujus hanc rationem afferunt S. Joannes Chrysost., Expositione in Psalmum 121 et 134, et Homiliâ in Psalmum 95 ; Theodoretus, quæstione 56 in 3 Regum ; et Radulfus Flaviacensis, lib. 13 Com- mentariorum in Leviticum, cap. 1. Quæ ratio ex ipsâ Scripturâ eruitur, Levitici 17, 3, 4, 5 : « Iste est ser- mo, quem mandavit Dominus dicens : *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive ca- pram in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit ; quasi sanguinem fuderit, sic peribit de medio po- puli sui. Ideò sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino.* » Dæmones scilicet, latrones divini- tatis, ut vocat Tatianus, in montibus, fluminibus, lu-

cis, agris, sacrificio cuivis oblato se præsentes sistere solebant, ejusque honorem suffurari. Cui malo præsentissimum remedium Deus attulit, jubendo Israelitis ut ante ostium Tabernaculi, quò dæmon, utpote in locum Deo sacrum, obrepere non potuit, victimas suas immolarent.

Tertiò, offerens holocaustum imponebat manum capiti victimæ, tum ut hoc ritu significaret se victimam è manu suâ et potestate in jus Dei transferre, tum ut innueret se peccata sua imprecari et quasi imponere victimæ immolandæ, eamque pro se offerre. Manibus enim opera significantur. Hujus interpretationis fideijussorem habeo Eusebium, lib. 1 Demonstrationis Evangelicæ, cap. 10 : « Capiti, inquit, « victimæ unumquemque, dùm sacrificat, manus habere injectas imperat, et ad sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum atque detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibeat. Dicit igitur de unoquoque : *Adducet illud ante « Dominum, et imponet manus suas in caput muneris.* « Quod sanè in omni victimâ observatum est, cùm « aliter nullum sacrificium offeratur. Ex quibus utique verbis sermo divinus illud intelligi vult, humanarum animarum pretium, quæ sacrificarentur animalia exhiberi solita esse. Sic etiam Theodoretus, « Quæst. 1 in Leviticum : Qui verò victimam offerebat, imponebat super caput ejus manus, tanquàm « suas ipsius actiones, (manus enim actiones denotant) pro quibus nimirùm hostiam offerebat. » Licet enimverò holocaustum in honorem Dei, supremique ipsius dominii agnitionem primariò offerretur, secundariò tamen offerebatur etiam pro peccatis ad Deum placandum, Levitici 1, 3: *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum; ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.*

Quartò, sacerdotes sanguinem victimæ offerre debebant, super altare *fundentes per circuitum;* ut hoc ritu sanguinem pecudis pro suo sanguine, vitam ejus pro vitâ suâ, quam justissimus Deus ad expiandum peccatum repetere potuisset, Deo se exhibere profiteretur is qui sacrificium offerebat. *Anima* enim *omnis carnis in sanguine.* Hunc ritum profanæ gentes imitatæ sunt. Unde Lucianus, libro de Sacrificiis : *Sanguinem*, inquit, *aræ circumfundens.* Sanguinem in arâ fundi Servius etiam ait in 2 Georgicon.

Quintò, sacerdos, detractâ pelle victimæ, ipsam in frusta concidebat; eaque super altare composita comburebantur igne sacro, id est, cœlitùs in altare delapso, qui vigili sacerdotum curâ inextinctus perpetuò servabatur, Levitici 6, 12; ex quo Vestæ ignis apud ethnicos; de quo Virgilius in 2 Æneidos :

*Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Pellis detractio significabat omnia Dei oculis nuda et aperta esse. Ignis minimè vulgaris, nec à focis ad aram translatus, sed è cœlo delapsus, incomparabilem naturæ divinæ excellentiam testabatur, sacrisque singularem conciliabat reverentiam. De hoc igne plura ex Hebræorum scriniis deprompta legi possunt apud Buxtorfium, Exercitatione in Historiam ignis sacri.

Sextò, aves ritu peculiari immolabantur, Levitici 1, 14 : *Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare : et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris; vesiculam verò gutturis, et plumas projiciet super altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent; confringetque ascellas ejus, et non secabit, neque ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne superposito.* Non comburebantur, sed projiciebantur, quæ immunda erant, procul ab ambitu castrorum in quemdam locum mundum, in quem et cineres altaris reponi solebant. Ritus ille immolandi aves absque divisione, antiquior lege fuit, ab Abraham observatus, Genesis 15, 10. Theodoretus, Quæstione 1 in Levit. : « Volatilia porrò nec patriarcha « divisit, nec legislator dividi jubet. Nam qui mente « sunt volucres, Deum ex toto corde diligentes, non « partiuntur illam in terrena et cœlestia, sed totam « sursùm ferunt. » Totum ritum immolationis avium mysticè explicat S. Cyrillus Alexandr., libr. 16 de Adoratione in spiritu et veritate, p. 564, Edit. Regiæ Parisiensis. « Et aufertur quidèm, inquit, in iis avi« bus ingluvies, id est, vesica, cum pennis : projicitur « autem ut prorsùs inutilis; id verò signum est cla« rum, sanctorum vitam ipsis etiam corporeis voluptatibus esse superiorem, ita ut jam ne ventris quidem « ferè, quo cibi omnes deferuntur, usum desideret; « ejusmodi namque est hominum tolerantissimorum « vita, qui escas simul et ipsum quoque ventrem contemnentes, conficiunt carnem, et voluptates exstinguunt, et ab omnibus mundanis atque supervacuis « liberi sunt ac remoti. Id enim est pœnarum abjectio..... Alarum confractio figura est et specimen « quo indicatur sanctorum mentem non altè sapere, « neque in sublime volare, sed humilibus consentire, « et tanquàm inferiora quærere..... Porrò vitam suam « illos universam et integram Deo dicâsse, non ejus « partem iis quæ sunt mundi tribuisse, in eo significatur, quòd non dividuntur. »

II. Holocausti ritum diabolus, Dei æmulus, ad profanarum gentium sacra transtulit. Hinc illud Virgilii, 6 Æneidos :

*Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Ad quem locum Servius : *Ergo*, inquit, *solida viscera, holocaustum significat.* Hinc et illud Senecæ in OEdipode :

*Solidasque pecudes urit.*

Herodotus lib. 2 de Ægyptiis scribit : *Pecude ad aram adductâ, rogum accendunt, deinde vino superfuso, et Deo invocato mactant.* Et lib. 7 : *Emilcar eo tempore sacrum fecit, libavitque, tota victimarum corpora magno rogo imponens.* Sed profanæ gentes diis inferis ut omnia absumentibus holocausta immolabant : Israelitæ uni vero Deo, ut vitæ necisque domino. De his exstat insignis Theophrasti locus à Porphyrio laudatus, lib. 1 de Abstinentiâ, mendaciis licet calum-

nisque adversùs Judæos aspersus. « Et sanè, inquit, « si ex Syris Judæi, qui, quod institutum apud eos « jam inde ab initio hoc sacrificii genus fuerit, etiam- « nùm animantes immolant, eodem, quo ipsi ritu sa- « cra facere nos juberent, nunquàm eò nos adduci « pateremur. Nec enim cæsis victimis ad cibum uti « solent, sed integras ac solidas, et multo melle vi- « noque perfusas noctu flammis absumere; ac totum « sacrificium paucis aliquot horis peragere, utique ne « oculus ille omnia pervidens, indignum facinus aspi- « ciat. Deinde verò diebus illi singulis, dùm ejusmodi « sacris operam dant, cùm jejunio sese dedunt, tùm « de divino Numine, uti homines ipso genere philoso- « phos decet, toto illo tempore sermones inter se mis- « cent : noctu autem sidera defixis in cœlum oculis « contemplantur, suas interea preces atque vota Deo « nuncupantes. Hi enim non cæteras tantùm anima- « tes, sed etiam semetipsos primi omnium offerre « cœperunt, necessitate profectò, non cupiditate du « cti. » Hunc locum legere est apud Eusebium, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 2.

III. Secunda sacrificii species, *Hostia Pacificorum*, quæ scilicet offerebatur pro pace, id est, salute, incolumitate, prosperitate; pacem enim pro beneficio poni etiam Latinis docet Servius ad 4 Georgicon. Erat autem duplex : una gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, altera precationis pro beneficiis obtinendis. Rursùs, votiva quædam, oblata nempe ad solutionem voti quo quis obstringebatur; alia spontanea et meræ liberalitatis, ad affectùs pii testimonium oblata, Levitici 7, 12, 16. Hujusmodi sacrificia lege vetustiora fuisse certum est, cùm eorum mentionem Moses ex improviso faciat, Levitici 3, nunquàm facturus, nisi populo ante nota fuissent. Idque etiam probatur ex Jethronis facto, qui, ante datam in monte Sinai legem, holocausta et hostias Deo in castris Israeliticis obtulisse dicitur Exodi 18, 12, et postea *Aaronem et omnes seniores Israel* convivio excepisse *coram Deo*, juxta ritum pacificorum. Pacifica quæ à Græcis σωτήρια, id est, *salutifera* dicebantur, ad profanam gentium religionem dæmonis æmulatione translata sunt. Hinc illa Gratii in Cyneget. :

*Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,*
*Incola sancte, tuam.*

Et illa Virgilii, Georgicon 4 :

. . . . . *Tu munera supplex*
*Tende, petens pacem.*

IV. Hostia pacifica esse debebat ex bobus, ovibus, agnis, vel capris; masculus esset, an femina, perinde erat. Dividebatur in tres partes. Prima, scilicet adeps et sanguis Deo adolebatur, cum caudâ totâ, renibus et jecore. Quibus significabatur immolandas in Dei honorem cupiditates, quarum instrumenta sunt adeps, renes, jecur; et perseverantiam in Dei cultu, esse verum, quod ipsi offerre debemus, sacrificium. Secunda pars, scilicet pectus et armus dexter, cedebat sacerdoti. Tertia, nempe caro reliqua cedebat privatis qui obtulerant, de eâque licebat ipsis cum eorum uxoribus et liberis epulari, in signum amicitiæ cum Deo, Levitici 3 et 7. In hostiâ verò pro peccato, pars cedebat Deo, pars sacerdoti, nihil offerenti, ne de culpâ suâ lætari videretur. In holocausto, totum Deo cedebat. Istud triplicis hujus sacrificii discrimen explicat S. Thomas, Primâ Secundæ, quæstione 102, art. 38, ad 8, docetque divisionem victimæ pacificæ in tres partes significâsse, *quòd salus hominis procedit à Deo, dirigentibus ministris Dei, et cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur.* Rationem cur sacerdoti cederent pectus et armus dexter, tradit idem doctor Angelicus, eamque duplicem, litteralem unam, mysticam alteram. « De hostiis autem pacificis, inquit, in usum « sacerdotis cedebat pectusculum et armus dexter, ad « excludendum quamdam divinationis speciem quæ « vocatur spatulamantia, quâ scilicet in spatulis ani- « malium immolatorum divinabant, et similiter in osse « pectoris : et ideò ista efferentibus subtrahebantur. « Per hoc etiam significabatur quòd sacerdoti erat « necessaria sapientia cordis ad instruendum popu- « lum; quod significatur per pectus, quod est tegu- « mentum cordis : et etiam fortitudo, ad susten- « tandum defectus, quæ significatur per armum dex- « trum. »

V. Adipis et sanguinis cujusvis esu Israelitis lege latâ interdictum est, Levitici 3, 16, 17 : *Omnis adeps Domini erit, jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris : nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Confer cap. 7, 26 et 17, 10, 12, et Deuteronomii 12, 16 et 15, 23. Cujus quidem legis ratio multiplex affertur à S. Thomâ : « Prima fuit ad exclu- « dendum idololatriam. Idololatræ enim bibebant de « sanguine victimarum, et comedebant adipes secun- « dùm illud Deuteronomii 32 : *De quorum victimis* « *comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum.* « Secunda ratio est ad informationem humanæ vitæ. « Prohibebatur enim eis usus sanguinis ad hoc quòd « horrerent humani sanguinis effusionem. Unde dici- « tur, Genesis 9 : *Carnem cum sanguine non comedetis,* « *sanguinem enim animarum vestrarum requiram.* Esus « verò adipum prohibebatur eis ad vitandam lasci- « viam. Unde dicitur, Ezechielis 44 : *Quod crassum* « *erat occidebatis.* Tertia verò ratio est propter reve- « rentiam divinam : quia sanguis est maximè necessa- « rius ad vitam; ratione cujus anima dicitur esse in « sanguine : adeps autem abundantiam nutrimenti « demonstrat... Et ideò, ut ostenderetur quòd à Deo « nobis est vita et omnis bonorum sufficientia, ad « honorem Dei effundebatur sanguis, et adurebatur « adeps. Quarta ratio est quia per hoc figurabatur « effusio sanguinis Christi, et pinguedo charitatis ejus, « per quam se obtulit pro nobis. »

VI. A lege sanguinis esum prohibente differre paululùm videtur illa de non comedendo *super sanguinem*, Levitici 19, 26, secundùm textum Hebræum : Nam Vulgata nostra habet : *Non comedetis cum sanguine.* Veteres idololatræ, mactatâ dæmonibus victimâ, sanguinis partem comedebant, vel sanguinem in pelvim aut fossam effundebant, et ad illum convivandi causâ

frequentes conveniebant, ut, cùm dæmones, vel mortuorum umbræ sanguinem animalis immolati vescerentur, eorum gratiam usumque familiarem sibi conciliarent, et responsa de futuris eventis ab ipsis elicerent. Magico huic ritui legem illam Deus opposuit, teste Maimonide in More Nevochim, p. 3, cap. 46. « Scito, inquit, quòd licet sanguis immundus et impurus admodùm fuerit in oculis Zabiorum, tamen « ab illis comestus fuerit, eò quòd existimarent cibum hunc esse dæmonum, et quòd is qui eum comedit hâc ratione communicationem aliquam cum « dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo « conversentur, et futura ei aperiant, prout vulgus « dæmonibus ista attribuere solet. Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valdè durum et difficile videbatur sanguinem comedere (est enim res à quâ « naturâ homo abhorret). Hi mactantes bestiam aliquam, sanguinem ejus accipiebant, et in vase vel « fossulâ aliquâ colligebant; carnem verò mactatam, « circa illum sanguinem in circulo sedentes, comedebant, imaginantes sibi in hoc opere ipsis carnem « comedentibus, dæmones illum sanguinem comedere, et hunc ipsorum esse cibum : et hoc medio « amicitiam, fraternitatem et familiaritatem inter « ipsos contrahi, quia omnes in unâ mensâ edunt, « et uno consessu accumbunt. Præterea opinabantur « dæmones in somnio sibi comparere, futura indicare, « plurimùmque prodesse. » Comestionem ad animalis immolati sanguinem, de quâ Levitici 19, 26, divinationis ethnicæ ritum fuisse, colligitur ex legis istius conjunctione cum legibus aliis varias divinationis species prohibentibus : *Non comedetis super sanguinem;* vel (ut habet Vulgata) *cum sanguine. Non augurabimini, nec observabilis somnia.* Divinationis, inquam, ritus erat omnium pessimæ et maximè execrandæ, scilicet necromantiæ, quâ veteres idololatræ, sanguine in fossulam effuso, circa illum comedentes, manes aut mortuorum animas evocabant, illasque de rebus obscuris interrogabant. Quo de ritu Horatius, Serm. 1, Satyrâ 8.

> . . . *Pullam divellere mordicùs agnam*
> *Cæperunt, cruor in fossam diffusus, ut inde*
> *Manes elicerent, animas responsa daturas.*

Hùc etiam spectant illa Clementis Alexandrini, lib. 2 Pædagogi, cap. 1, ubi de idolothytis loquens : *Illa,* inquit, *mihi videntur execranda et abominanda, quorum sanguinem supervolant animæ ex Erebo nunc lumine cassæ.* Ejusdem nefandi ritûs S. Aug. meminit, lib. 7 De Civitate Dei, cap. 35, de hydromanciâ agens. « Quod genus, inquit, divinationis Varro à Persis dicit allatum, quo ipsum Numam, et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat : ubi « adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, « νεκρομαντείαν Græcè dicit vocari. »

De eodem Guillelmus Parisiensis, lib. de Legibus, cap. 8 : « Adeò, inquit, placuit sanguis dæmonibus aliquando, et apud aliquos idololatras, ut ne tangere « illum auderent, tanquàm partem diis consecratam, « et eis solis debitam. Propter quod et circa sanguinem, vel ante ipsum comedebant, diis suis sanguinem relinquentes : opinabanturque ex hoc sese « placere diis suis, quia ante vel circa sanguinem immolantium comedebant, putantes eâ horâ etiam « deos suos convenire ab bibendum sanguinem hujusmodi. Et ita in conspectu eorum de sacrificiis comedentes, diis sanguinem illum bibentibus communione forti ac fœdere indissolubili constringerentur.

De eodem S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, art. 6, ad 1 : « Generaliter, inquit, Judæis prohibitus est esus omnis sanguinis et adipis cujuslibet animalis; sanguinis quidem, tum ad vitandam « crudelitatem, ut detestarentur humanum sanguinem effundere; tum etiam ad vitandum idololatriæ « ritum, quia eorum consuetudo erat ne circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum « in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse. Et ideò Dominus mandavit « quòd sanguis effunderetur, et pulvere operiretur, « nempe Levitici 17, 10, 11, 12, 13, 14 : Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur « inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem « meam contra animam illius, et disperdam eam de « populo suo, quia anima carnis in sanguine est : et « ego illum dedi vobis, ut super altare in eo expietis « pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit. Idcircò dixi filiis Israel : Omnis anima ex « vobis non comedet sanguinem... Homo quicumque « de filiis Israel, et de advenis qui peregrinantur « apud vos, si venatione atque aucupio cœperit feram « vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terrâ. » Ritum illum idololatricum et magicum comedendi super aut juxta sanguinem perstringi ab Ezechiele prophetâ, cap. 33, 25, 26 non absque fundamento putat Spencerus, lib. 2 de Legibus Hebræorum ritualibus, cap. 11; sic habet propheta : « Hæc dicit Dominus Deus : Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis, numquid « terram hæreditate possidebitis? Stetistis in gladiis « vestris, fecistis abominationes, » etc. Scilicet cùm victimas diis inferis immolâssent, et sanguinem in fossam effudissent, oculos suos ad eorum idola, quæ immunditiarum nomine à Prophetâ designantur, cum fiduciâ tollebant, propitios sibi fore manes et mortuorum umbras sperantes, seque ab iis responsa elicituros. Porrò in gladiis suis stabant, quòd persuasum haberent necromantici mortuorum animas, quæ ad sanguinem bibendum vocatæ advolarent, mucronis stricti fulgore cohiberi et in fugam dari. Unde apud Homerum, lib. 12 Odysseæ, Tyresias vates ab Ulysse evocata, sic ipsum allocuta fingitur.

> *Sed retrocede à fossâ, et remove ensem acutum,*
> *Sanguinem ut bibam, et tibi vera dicam.*

Hùc spectant et illa Silii Italici :

> . . . . . *Contende tueri,*
> *Eductumque tene vaginâ interritus ensem.*
> *Quæcumque ante animæ tendunt potare cruorem,*
> *Disjice.*

VII. Tertia sacrificii species erat *hostia pro peccate*, eoque per ignorantiam commisso : quæ erat quadruplex, 1° pro peccato pontificis, quæ erat vitulus. 2° Pro peccato populi, ex eodem animalium genere. 3° Pro peccato principis, quæ erat hircus. 4° Pro peccato plebeii, quæ erat capra, vel ovis. Ritus sacrificii pro peccato pontificis aut totius populi, hic erat : adducebant vitulum absque maculâ ad ostium Tabernaculi, manus ipsi imponebant sacerdos in priori, seniores in posteriori sacrificio. Eo mactato, sacerdos hauriens de sanguine victimæ inferebat illum in tabernaculum testimonii. Intincto deinde in sanguine digito, septies eo aspergebat velum Sancti Sanctorum ; quo aspersionum numero perfecta expiatio significabatur. Eodem sanguine cornua altaris thymiamatis intingebat. Reliquum sanguinem fundebat in basim altaris holocausti in introitu Tabernaculi. Adipem, duos renunculos, et reticulum super eos positum juxta illa, adolebat super altare holocausti, ut in sacrificio pacificorum. Pellem verò cum carnibus, capite, pedibus, intestinis, fimo, efferebat extra castra, et comburebat in loco, ubi cineres effundi solebant. Ritus hic quasi tacita erat oratio, quâ pontifex Deum rogabat, ut sua vel populi peccata, seu pœnas ipsis debitas, cum vitulo mactato veluti efferret extra castra omninò abolenda, ne populo imputarentur, eique nocerent. Significabatur præterea, *peccatum à sacris septis alienum esse*, ait Theodoretus, quæstione 1 in Leviticum. Typicus etiam erat ritus ille, Christum significans extra civitatem, in loco separato immolandum. Unde Apostolus ad Hebræos 13, 11, 12, 13, ait : « Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Pro peccato sacerdotis et populi similem victimam lex præscribit, *docens quanta sit sacerdotii dignitas, quam universo populo parem fecit*, inquit Theodoretus. In sacrificio pro peccato principis, aut plebeii, victima non comburebatur extra castra, nec sanguis ejus inferebatur in tabernaculum, ut eo aspergeretur altare thymiamatis. Hi ritus Levitici 4 describuntur. Hostiarum pro peccatis ex silentio veritatis, immunditiâ, errore, juramento, item pro peccatis ex certâ scientiâ commissis, speciales ritus erant, cap. 5, et 6 Levitici descripti.

Qui sacrificia expiatoria pro peccatis suis offerebant, pœnitentiam debebant agere, et peccati confessionem edere his ferè verbis : *Ecce pœnitet me, et pudet me operum meorum. Nunquàm revertar ad istam rem.*

Qui duos turtures, vel duos pullos columbarum offerebat pro peccato ex oblivione juramenti commisso, cùm agnam sive capram comparare non posset, unum pro peccato et alterum pro holocausto offerre debebat. *Sacrificium* namque *pro peccato sine holocautomate non offerebatur*, inquit S. Aug., quæstione 4 in Leviticum. Sed prius offerebatur *pro peccato*, deinde holocaustum. Utrumque Christi figura erat : *Qui tum pro nobis mortuus est, tum in odorem suavitatis Patri ut holocaustum oblatus, et seipsum pro universorum vitâ pretium impendit*, inquit S. Cyrillus Alexandr. lib. 15 de Adoratione in Spiritu et Veritate. Non dividebantur hujusmodi *aviculæ*, ut significaretur *Christi mortem non divisionem invexisse, sed mutuam inter nos unitatem.* Tabernaculum avis sanguine respergebatur, quo significabatur *Christum sanctificare Ecclesiam suo sanguine.* Ita Sanctus Cyrillus.

Si nec turtures, nec pulli columbarum præ paupertate suppeterent, exiguam similam pro peccato offerebat peccator, sine oleo et thure. (Levitici 5, 2.) Cujus ritûs rationem Theodoretus affert : *Oleum enim lætitiam indicat, thus autem suavem odorem : quorum utroque privatum est peccatum.*

Qui spontè peccaverant, aut depositum acceptum denegaverant, aut injuriâ quâpiam illatâ proximo peccatum atrocius pejerando reddiderant, inprimis restituere tenebantur injuriam passis ea quæ iniquè abstulerant, et præter sortem quintam ejus partem ; deinde arietem offerre ad placandum Deum. (Levitici 6.) Quod Zacchæus præstitit. Reddidit enim, quæ rapuerat iniquè, quadrupla : deinde bonorum suorum dimidium dedit pauperibus.

In altari holocaustorum victimæ quoque pro peccato offerebantur, *ad consolationem offerentium, ut cognoscerent se non esse alienos à sanctis, cùm per pœnitentiam sanabantur.* Ita Theodoretus, quæstione 4 in Leviticum.

« VIII. Inter omnia sacrificia holocaustum erat « præcipuum, quia totum comburebatur in honorem « Dei, et nihil ex eo comedebatur. Secundum verò « locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quæ « comedebatur solùm in atrio à sacerdotibus in ipsâ « die sacrificii. Tertium gradum tenebant hostiæ pa« cificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur « ipso die, sed ubique in Jerusalem. Quartum locum « tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes « poterant etiam in crastino comedi. Ita S. Thomas, « primâ secundæ, quæstione 102, articulo 3, ad 10. « Rationemque affert hujus ordinis : Quia maximè ob« ligatur homo Deo propter ejus Majestatem ; secundò « propter offensam commissam ; tertiò propter bene« ficia jam suscepta : quartò propter beneficia spe « rata. » Carnes porrò victimæ Pacificorum in tertium diem servatas comedere nefas erat. Si quis comederet, irrita fiebat oblatio, nec proderat offerenti, ut dicitur Levitici 7, 18. Rationem legis Theodoretus affert, quæstione 6 in Leviticum. Vult eos, inquit, non solos epulari, sed etiam egenis de carnibus largiri. Idcircò primâ quidem et secundâ die de carnibus illis sumere jubet, quæ autem supersunt, igni mandari ; ut istâ necessitate compulsi, pauperes convivii sui socios habeant.

IX. Omne sacrificium sacerdotum igne penitùs consumendum erat, id est, omnis victima à sacerdotibus proprio nomine oblata. (Levitici 6, 23.) Rationem af-

fert Theodoretus, quæstione 3 in Leviticum : Id enim verò lex præcepit, *ut perfectum sacerdotem esse demonstraret, qui non oliquatenùs, sed totâm planè se dedicaverit Deo universorum.*

X. Quicumque carnes victimæ tetigerat, vel ejus sanguine fuerat aspersus sanctificabatur, et vestis illius lavabatur in loco sancto. (Levitici 6, 27.) Ad reverentiam sacris conciliandam lex ea pertinebat, interprete Theodoreto, quæstione 5 in Leviticum. « Reverentiam, inquit, illos docet, ac jubet rebus divinis assistere cum timore, et procul à sacris stare imperat. « Eum autem qui ausus fuerit appropinquare, et guttam sanguinis receperit, præcipit, templo assidere, « quasi suî dominus ampliùs non sit. Assidere, inquam, non ut sacra faciat, sed ut aliquo alio ministerio fungatur. Propterea vestimenta, quæ guttis « hujusmodi sanguinis respersa fuerint, lavari jubentur. »

## ARTICULUS III.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS SACRORUM.

#### § I. *De rationibus hujusmodi legûm.*

PROPOSITIO I GENERALIS. — *Ad reverentiam singularem Deo ejusque sacris, ac ministris conciliandam, necnon ad mysteria Christi significanda, latæ sunt leges cæremoniales Sacrorum.*

I. Hanc propositionem explicatione magis, quàm probatione indigentem illustrat S. Thomas primâ secundæ, quæstione 102, articulo 6 : « Totus, inquit, « exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinatur, ut « homines Deum in reverentiâ habeant. Habet autem « hoc humanus affectus, ut ea quæ communia sunt « et non distincta ab aliis, minùs revereatur : ea verò « quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab « aliis, magis admiretur, et revereatur. Et inde etiam « hominum consuetudo inolevit, ut reges et principes, « quos oportet in reverentiâ haberi à subditis, et pretiosioribus vestibus ornentur, et etiam ampliores et « pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc « oportuit, ut aliqua specialia tempora, et speciale tabernaculum, et specialia vasa, et speciales ministri « ad cultum Dei ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducerentur.

« Similiter etiam status veteris legis institutus erat « ad figurandum mysterium Christi. Oportet autem « esse aliquid determinatum, id per quod aliquid figurari debet, ut scilicet ejus aliquam similitudinem « repræsentet. Et ideò oportuit aliqua specialia observari in his quæ pertinent ad cultum Dei. »

Primam partem explicationis suæ fundavit procul dubio S. Thomas in lege illâ generali à Deo latâ, Levitici 19, 30 : *Sanctuarium meum metuite : Ego Dominus.* Ad quam legem attendens Maimonides in More Nevochim, p. 3, cap. 45, ait : *Nôsti quàm sollicitè et vehementer lex laboret magnificentiam et venerationem sanctuarii nobis persuadere.*

Alteram explicationis suæ partem fundavit doctor Angelicus in illo Apostoli loco ad Hebræos 8, 4, 5, ubi ait eos *qui offerebant secundùm legem munera, exemplari et umbræ deservisse cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar quod tibî ostensum est in monte.*

II. Idem S. doctor disserens de cortinis et pellibus quæ tabernaculum interiùs exteriùsque tegebant, in responsione ad 7 ait : « Horum operimentorum ratio « litteralis in communi erat ornatus et protectio ta« bernaculi, ut in reverentiâ haberetur.... Figuralis « autem ratio horum est quia per tabulas, ex quibus « construebatur tabernaculum, significantur Christi « fideles, ex quibus construitur Ecclesia. Tegebantur « autem interiùs tabulæ cortinis quadricoloribus, quia « fideles interiùs ornantur quatuor virtutibus. Nam in « bysso retortâ significatur caro castitate renitens : in « hyacintho, mens superna cupiens ; in purpurâ, caro « passionibus subjacens ; in cocco bis tincto, mens in« ter passiones, Dei et proximi dilectione præfulgens. « Per operimenta verò tecti designantur prælati et « doctores, in quibus debet renitere cœlestis conver« satio, quod significatur per pelles hyacinthinas ; « promptitudo ad martyrium, quod significant pelles « rubricatæ : austeritas vitæ et tolerantia adversorum, quæ significantur per saga cilicina quæ erant « exposita ventis et pluviis. » Hanc allegoriam glossæ ordinariæ debere se fatetur S. Thomas. Hæc verò ex Bedâ sumpta est, libro 2 de Tabernaculo.

III. In responsione ad 9 docet Deum sacrorum suorum honori prospexisse, jubendo ut Tabernaculum, arca, altaria, vasa, universaque supellex ad cultum tabernaculi pertinens, sanctificaretur, et unctione sacrâ à communi rerum cæterarum sorte eximeretur. Lex habetur, Exodi 30, 25 et seq. : *Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, et unges ex eo tabernaculum testimonii et arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum et utensilia ejus, altaria thymiamatis et holocausti, et universam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisque omnia, et erunt sancta sanctorum : Qui tetigerit ea, sanctificabitur.* Legis verò rationem breviter tradit S. Thomas loco mox laudato : « Sanctificatio, inquit, tabernaculi, et vasorum ejus « habebat causam litteralem, ut in majori reverentiâ « haberetur, quasi per hujusmodi consecrationem di« vino cultui deputatum. Figuralis autem ratio est, « quia per hujusmodi sanctificationem significatur « spiritualis sanctificatio viventis tabernaculi, scilicet « fidelium, ex quibus constituitur Ecclesia Christi. »

IV. Ad reverentiam sacrorum promovendam latæ sunt à Deo leges de variis immunditiarum speciebus, quæ homines ab aditu sanctuarii prohibebant, et quarum nonnullæ nonnisi cum multo laboris et temporis impendio tolli poterant, ut observat Maimonides in more Nevochim, p. 3, cap. 47. Hanc legalium pollutionum rationem affert sanctus Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 5 : « Istarum, inquit, im« munditiarum erat ratio et litteralis, et figuralis. Lit« teralis quidem, propter reverentiam eorum quæ ad « divinum cultum pertinent ; tùm quia homines pre-

« tiosas res contingere non solent, cùm fuerint im-
« mundi; tùm etiam ut ex raro accessu ad sacra ea
« magis venerarentur. Cùm enim omnes hujusmodi
« immunditias rarò aliquis cavere possit, continge-
« bat quòd rarò poterant homines accedere ad attin-
« gendum ea quæ pertinebant ad divinum cultum; et
« sic quando accedebant, cum majori reverentiâ et
« humilitate mentis accedebant. » Dei sanctuarium ædes omnes vulgares sanctitate, et excellentiâ longè antecellere cuivis colligere facile erat, cùm nullis nisi sollicitè purgatis ad illud accedere concessum esset.

V. Honori sacrorum pariter consuluit Deus, latâ lege de sacerdotibus insigni aliquo corporis vitio, et fœditate notatis à tabernaculi ministerio, et ingressu prohibendis, Levitici 21, 16, et seq.: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in occulo, si scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario, ita duntaxat ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.* Deus regum instar se gessit, qui ministros oris et corporis elegantiâ conspicuos eligunt ad conciliandam majestati suæ reverentiam; servos verò, quibus facies illiberalis est et deforme corpus, rejiciunt, ne majestas sua in conspectu plebis minuatur. Ita Deus sacerdotes fœdos et visu deformes à tabernaculi ministerio et ingressu prohibuit, ne plebeiis vix ultra superficiem penetrantibus minùs honorificè de ejus sanctuario sentiendi occasionem præberent. Sic enim affectum est vulgus, ut ob externam corporis speciem, personam et ejus officium plerùmque spernat, aut veneretur. Hinc Q. Curtius ait: « Plerisque gentibus ingens in corpore veneratio est, « magnorumque operum non alios capaces putant, « quàm quos specie egregiâ et eximiâ natura do- « navit. »

Ad sanctuarii reverentiam conservandam, et religionis honorem tuendum, lege etiam latâ à Deo sancitum est, ne quis altari ministraret, nisi è tribu Leviticâ, et Aaronis familiâ genus duceret, Exodi 38, 1; Numerorum 1, 51; 3, 38; 18, 4. Natalium enim verò claritas multùm venerationis conciliat iis, qui publica munera obeunt, et ad Ecclesiæ vel reipublicæ dignitates provehuntur. Ne igitur sacer ordo vilesceret, si ex infimâ plebe sacerdotes assumerentur, voluit Deus ut nemo sacerdotio fungeretur, nisi ex nobili Aaronis genere oriundus. Ad eumdem finem, latæ sunt leges de magnificis pontificis aliorumque sacerdotum vestibus, ut populus tam splendido præstrictus apparatu singularem sacris personis reverentiam exhiberet. Hoc ipsius legis verba perspicuè indicant, Exodi 28, 2, 3: *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.* Et vers. 40: *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, et balteos, et thiaras in gloriam et decorem.* De legum istarum fine S. Thomam loquentem audiamus, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 5, ad 10: « Intentio legis, inquit, erat inducere « ad reverentiam divini cultûs, et hoc dupliciter. Uno « modo, excludendo à cultu divino omne id quod po- « terat esse contemptibile. Alio modo, apponendo ad « cultum divinum omne illud quod videbatur ad hono- « rificentiam pertinere. Et si hoc quidem observaba- « tur in tabernaculo, et in vasis ejus, et animalibus « immolandis, multò magis hoc observandum erat in « ipsis ministris. Et ideò ad removendum contemptum « ministrorum, præceptum fuit ut non haberent ma- « culam, vel defectum corporalem: quia hujusmodi « homines solent apud alios in contemptu haberi. « Propter quod etiam institutum fuit, ut non sparsim « ex quolibet genere ad Dei ministerium applicaren- « tur, sed ex certâ prosapiâ secundùm generis suc- « cessionem, ut ex hoc clariores et nobiliores habe- « rentur. Ad hoc autem quòd in reverentiâ haberentur, « adhibebatur eis specialis ornatus vestium, et specialis « consecratio, et hæc est in communi causa ornatûs « vestium. »

VI. Typicam nihilominùs rationem affert S. Thomas cur à sanctuarii aditu, et ministerio sacerdotes corpore deformes arcerentur: « Nam, inquit, maculæ, « vel defectus corporales à quibus debebant sacerdo- « tes esse immunes, significant diversa vitia et peccata, « quibus debent carere. Prohibebatur enim esse cæcus, « id est, ne sit ignorans; ne sit claudus, id est, insta- « bilis, et ad diversa se inclinans; ne sit parvo, vel « grandi, vel torto naso, id est, ne per defectum di- « scretionis vel in plus, vel in minus excedat, aut « etiam aliqua prava exerceat; ne sit fracto pede, vel « manu, id est, ne amittat virtutem benè operandi, « vel procedendi in virtutem. Repudiatur etiam si ha- « beat gibbum vel ante, vel retrò: per quem signifi- « catur superfluus amor terrenorum. Si est lippus, id « est, par carnalem affectum ejus ingenium obscura- « tur. Repudiatur etiam si habeat albuginem in oculo, « id est, præsumptionem candoris justitiæ in suâ cogi- « tatione. Repudiatur etiam si habeat jugem scabiem, « id est, petulantiam carnis. Et si habuerit impetigi- « nem, quæ sine dolore corpus occupat, et membro- « rum decorem fœdat: per quam avaritia designatur. « Et etiam si sit herniosus, vel ponderosus: qui scilicet « gestat pondus turpitudinis in corde, licet non exer- « ceat in opere. » Hæc ex S. Gregorio Magno, 1. P. Pastorali, cap. ultimo, sumpsit S. Thomas, quoad sensum quidem, non quoad verba, ex S. Cyrillo Alexandrino, lib. 12, *de Adoratione in Spiritu et Veritate;* et Theodoreto, quæstione 30 in Leviticum. Varietatis etiam ac splendoris vestium sacerdotalium rationes mysticas affert S. Thomas, quas strictim attingemus inferiùs.

VII. Ad sacerdotalis ordinis et sacrorum reverentiam pariter spectat lex de sacerdotum matrimonio lata, quâ præceptum est ut virginem ducerent uxorem, non viduam, repudiatam, meretricem, aut ullam pudicitiæ suspectæ feminam, ne quid labis ac dedecoris hujusmodi conjugium sacris ministris affricaret, ex quo Sacra omnia in contemptum venirent, Levit. 21, 13, 14, 15 : « Virginem ducet uxorem : viduam autem, et repudiatam, et sordidam, atque meretricem « non accipiet, sed puellam de populo suo : ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ : quia « ego Dominus qui sanctifico eum. » Et 5, 7 : « Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec « eam quæ repudiata est à marito : quia consecrati « sunt Deo suo, et panes Propositionis offerunt. Sint « ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui « sanctifico eos. »

### § 11. *De Tabernaculi origine.*

Propositio II. — *Tabernaculum ex profanâ gentium religione originem non duxit, sed ex Dei sapientiâ et voluntate.*

Hujus propositionis veritas contra Spencerum probatur ex cap. 25 Exodi, v. 8. *Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum : juxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus : sicque facietis illud*, etc. Et v. 40 : *Inspice, et fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Et Actuum 7, 40 : *Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundùm formam quam viderat :* non secundùm formam quam viderat in Ægypto, aut quæ à gentibus idololatriæ deditis accepta esset, sed secundùm formam in sacro monte à Deo ostensam et præscriptam.

Confirmatur ex eo quòd Deus tabernaculum extrui jusserit, velut *Ecclesiæ Christi typum*, ut explicat S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9 et 10 *De Adoratione in Spiritu et Veritate.* Non est autem verisimile quòd ex profanis gentium religionibus Ecclesiæ typos Deus mutautus sit.

Objicit Spencerus, lib. 3 de Legibus ritualibus Hebræorum, dissertatione 1 Ægyptiis et aliis gentibus in more fuisse, Deorum imagines, aut eorum symbola, in thecis aut tentoriis collocata circumferre ; vel ut eos honore singulari colerent ; vel ut eos haberent individuos viarum et periculorum suorum comites. Cùm autem morem illum tollere non ita promptum esset, Deo visum esse ad seculi morem et modulum se demittere, in tabernaculo habitare, tabernaculum etiam ministris ejus circumferendum tradere. Id ex Amos prophetâ, cap. 5, v. 25, 26, probat : *Numquid hostias et Sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel ? Et portâstis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus.* Quem locum sanctus Stephanus protomartyr (Actuum 7) in concione ad Judæos profert : « Et vitulum fecerunt in diebus illis, « et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in « operibus manuum suarum. Convertit autem Deus, et « tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est « in libro Prophetarum : Numquid victimas et hostias « obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus « Israel ? Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus « Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare « eas. Et transferam vos trans Babylonem. » Ex quibus infert Spencerus tabernaculum Molochi, Dei tabernaculo principium tribuisse : cùm Deus ideò tabernaculum portatile fieri, et sacra præ foribus ejus offerri jusserit, ut Molochi ritus longo usu confirmatos ad cultum suum transferret.

Id confirmat Spencerus ex similitudine et affinitate, quæ inter tabernaculum testimonii, et tabernaculum Molochi intercessit. Verisimile autem non est Israelitas jam ad idola lapsos, Dei tabernaculum imitari, vel cùm tabernaculum archetypum præstò esset, aliud ad illius imaginem factum circumferre voluisse. Ratio itaque sentire cogit Ægyptios aut alias gentes non minùs Molochi tabernaculum quàm Molochi nomen et cultum primos excogitâsse ; et Deum Israelitis tabernaculum circumgestandum concessise, ut ritibus antiqui moris imaginem aliquam præferentibus, eos ad cultum suum alliceret et arctè devinciret.

Secundò id confirmat Spencerus ex eo quòd gentes Molochum adorâsse, et illius tabernacula circumgestâsse videantur, diù antequàm Israelitæ Deum tabernaculo mediante colerent. Molochi enim tabernaculum theca erat parvula templi formam et vicem gerens, quales erant ædiculæ illæ argenteæ Actuum 19 memoratæ, templi Ephesini formam exprimentes, et imaginem *Dianæ Sospitali* sacratam continentes. Templa verò hujusmodi tabernaculorum exemplaria, Mosis ætate vetustiora fuisse multis argumentis evinci potest. Testem alibi advocat Diodorum Siculum, lib. 1, memorantem Osirin perantiquum illum Ægypti Deum, Jovi et Junoni templum magnitudine et sumptu nobile : fana insuper duo Jovi aurea, majus cœlesti, minus ei quem Ammonem vocant dedicâsse : statuisse etiam Diis aliis templa aurea. Meminit etiam quatuor templorum ab antiquissimis Ægypti regibus incredibili magnificentiâ Heliopoli extructorum. Lucianus templum Deæ Syræ sacrum memorans ait : *Plerique à Deucalione structum dicunt hoc templum, eo scilicet Deucalione cujus ætate vis aquarum fuit maxima.* Ægyptios primos diis et aras, et simulacra, et templa statuisse scribit Herodotus in Euterpe, cap. 4. Artapanus apud Eusebium, lib. 9 Præparationis Evangelicæ, cap. 27 refert, domos universas et templorum pleraque in Ægypto corruisse, cùm Ægyptii grandine et terræ motu à Moyse affligerentur. Lysimachus apud Josephum, libro 1, adversùs Apionem, ait Moysen et ejus comites ubique *Deorum templa et aras in quas inciderent evertisse.* Hebræi veteres locum illum, *et in Deos eorum fecit Dominus judicia*, de templis in Ægypto tunc temporis eversis interpretati sunt. *Hebræi* (inquit S. Hieronymus ad Fabiolam scribens de 40 Mansionibus) *autumant quòd nocte quâ egressus est vo-*

*pulus omnia in Ægypto templa destructa sunt.* Ipsis nascentis idololatriæ incunabulis coæva fuisse templa, et sideribus primùm extructa fuisse, Maimonides asserit. Templa denique apud gentes profanas jam extructa fuisse Mosaicis temporibus Spencerus colligit ex Levitici 26, 30, ubi Deus ait : *Destruam excelsa vestra, et simulacra confringam.* Et Numerorum 33, 52 : *Confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate.* Hunc et alios locos ei cognatos in animo volvens Josephus Deum sic Israelitas alloquentem introducit l. 4 Antiquitatum : « Præterea lucos et aras, « et templa quotquot habent Canaanitæ ad unum tolli « jubeo, ferroque et flammis ita deleri, ut etiam me- « moria eorum omnis aboleatur. »

Denique contendit Spencerus dissertatione 6, sect. 4, tabernaculi fabricam gentis Israeliticæ voluntati et æmulationi magis quàm Dei voluntati vel præcepto adscribendam esse. Prima namque Dei verba de tabernaculo extruendo facta, inquit, permittentem potiùs quàm præcipientem sonare videntur, Exodi 25 : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel ut tollant mihi primitias : ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas.*

Respondetur prorsùs incertum esse an mos ille gentium Deorum imagines in tentoriis, aut ædiculis, seu templis portatilibus circumgestandi sit Mose antiquior vel coævus, cùm nullus auctor proferri possit Mose vetustior, aut Mosi suppar, qui rerum istarum fidem faciat. Ex Scripturâ autem sacrâ non constare an tabernaculum Moloch Israelitæ portaverint in deserto. Id non probare obscurissimum Amosi locum, aut protomartyris Stephani illum recensentis sententiam : imò potiùs ex iis colligi circumgestationem illam tabernaculi Moloch velut in pompâ factam in deserto non fuisse, quæ ad id tempus refertur quo Israelitæ *in Damascum*, ut ait Amos, vel in Babylonem, ut ait sanctus Stephanus, in pœnam hujus idololatriæ translati sunt. Præterea nullibi in Pentateucho tabernaculi Moloch ab Israelitis suscepti vel circulatim mentio occurrit, cùm tamen cætera ipsorum sacrilegia silentio Moyses non præterierit. Nec verisimile est ipsos tabernaculum Moloch circumferre potuisse, quo tempore veri Dei tabernaculum gestabant, et publico solemnique cultu prosequebantur, quin Moyses illud statim confregisset, in cineremque redegisset, ac zelo gloriæ Dei succensus in idololatras animadvertisset, sicut Vitulum aureum confregit, in cineres redegit, ejusque cultores delevit. Rem porrò tam memorandam in Historiâ sacrâ non prætermisisset. Longè ergo probabilius est diabolum divinos honores usurpantem idololatris inspirâsse ut tabernacula et ædiculas numinibus suis extruerent, ad similitudinem tabernaculi Mosaici. Quanquàm similitudo et affinitas, quam inter Molochi et veri Dei tabernaculum intercessisse ait Spencerus, non probetur. Mosaici enim tabernaculi formam, Exodi 25, 26, 27, descriptam habemus. Formam verò tabernaculi Moloch nullibi descriptam invenimus. Et tabernaculum in quo Deus coli voluit, factum est secundùm exemplar, quod Deus Moysi in monte sancto monstravit, non secundùm formam tabernaculi Moloch.

Templorum conditorum epocha incerta est. Quæ à Diodoro Siculo, Herodoto et Luciano de eorum initiis narrantur, dubitanter asseruntur, ex incertis vulgi rumoribus. *Excelsa*, de quibus mentio in Pentateucho, altaria potiùs fuêre, in montibus vel lucis excelsis extructa, quàm templa. Ut ut est, ad hujusmodi templorum instar non constructum est tabernaculum Dei viventis : siquidem templa Gentilium ab ultimâ penè rerum suarum memoriâ supra Heroum, quos in Deorum censum referebant, sepulcra condebantur, ut Heroum Animas circa eorum sepulcra (ut cæca gentilitas credebat) corporum suorum sensu et amore oberrantes, hospitio exciperent. Quâ de re legendi sunt Clemens Alexandrinus in Cohortatione ad Græcos, et Eusebius lib. 2 Præparationis Evangelicæ, capit. 6, ubi fusè probant, *sepulcra mortuorum esse, quæ Deorum templa nominantur.* Idem multis exemplis confirmat S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10 contra Julianum, p. 341 et 342. His consona sunt illa Prudentii verba, lib. 1 contra Symmachum.

*Et tot templa Deûm Romæ, quot in urbe sepulcra*
*Heroum numerare licet.*

Dei autem viventis tabernaculum, sive templum portatile, similem originem habuisse nemo dixerit. Regis maximi palatio quàm defuncti hominis monumento similius erat, ut explicat Rabbi Schem Toob, commentar. in More Nevochim Maimonidis. « Deus, « inquit, talem sibi domum condi jussit, qualis esse « solet domus regia. In domo regiâ hæc omnia quæ « diximus reperiuntur. Alii scilicet qui custodiant pa- « latium ejus. Alii qui fungantur officiis ad regiam « dignitatem pertinentibus, qui epulas instruant, alia « que faciant regia necessaria. Alii denique qui voce « quotidiè fidibusque canant. Est etiam in domo regis « locus ad cibos apparandos constitutus. Item locus « ubi odoramenta adolentur. Est etiam mensa in do- « mo ejus itemque conclave ipsi proprium, quo nemo « pervenit nisi qui ei secundus est, quosque in maxi- « mè charis habet. Eumdem ad modum voluit Deus « ut hæc omnia in suâ domo inessent, ne quâ in re ter- « rarum regibus concederet : est enim ille rex magnus, « ut his quidem rebus non indigeat. Verùm hinc facilè « elucet ratio victûs familiaris sacerdotibus, et Levitis « dati, utpote quem rex quisque ministris suis sup- « peditare solet. Atque hæc omnia eò spectabant, ut « intelligeret vulgus regem nempe Dominum exerci- « tuum inter nos versatum esse. Est enim ille rex « magnus, omnibusque gentibus metuendus. » Hinc Dei regisque nomina vero Deo in Veteri Testamento conjunctim sæpiùs attributa, ut Psal. 67, 25 : *Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.* Psal. 88, 19 : *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.* Psal. 94, 3 : *Quoniam Deus magnus Dominus et rex magnus super omnes Deos.* Psal. 97, 6 : *Jubilate in conspectu regis Domini.* Psalmo 43, 5 : *Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Psalmo 5,

2 : *Intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus.* Isaiæ 43, 15 : *Ego Dominus Sanctus vester, creans Israel rex vester.* Zachariæ 14, 16, 17 : *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum : et erit. Qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber.* Malachiæ 1, 14 : *Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.* Denique quamvis Molochi aut falsorum aliorum numinum thecæ, tabernacula, ædiculæ, seu templa portatilia in usu fuissent apud Ægyptios, Ammonitas, Moabitas, aliasve gentes, antequàm Deus ab Israelitis in tabernaculo coleretur, quod tamen Spencerus non probavit, minimè sequeretur Deum ad mores gentium se demisisse, cùm tabernaculum fieri jussit, aut ad Molochi tabernaculum respectum habuisse; sed potiùs tabernaculum extrui præcepisse formâ ac fine prorsùs dissimile, et cujus omnis apparatus esset veluti *Liber sapientiæ sublimioris, et rei gloriosæ ad quam ista referuntur* (ut ait Abarbanel); Deum, inquam, id præcepisse ad idololatriam destruendam, et Israelitas cultui suo arctiùs devinciendos, consultius colligitur cum Theodoreto, quæstione 60 in Exodum. « Quare, in- « quit, jussit construi tabernaculum? Rationem red- « didit ipse Dominus Deus dicens : *Et conficies mihi « sanctuarium, et apparebo apud vos. Faciesque juxta « omnia quæ ego demonstro tibi in monte, juxta simili- « tudinem tabernaculi, et juxta similitudinem omnium « vasorum ipsius.* Cùm enim dedisset legem in monte « Sinâ, verisimileque esset quosdam existimaturos « divinum numen loco circumscribi, jussit sibi con- « strui tabernaculum, ut inde apparens, doceret popu- « lum cultum pietatis. Sicut enim acceptâ ab eis terrâ « promissionis templum ædificari sibi jussit, legem « dedit celebrandorum ibi divinorum officiorum, ne « arbitrium suum secuti in his peragendis, prolabe- « rentur in erroneum cultum Dæmonum : ita peregri- « nantibus illis ac desertum transeuntibus, tabernacu- « lum ædificari præcepit, quod facilè transferri posset, « in quo preces et sacrificia offerrent. Et hæc eorum « gratiâ gesta sunt. Quia enim, cùm magnus ille Mo- « ses per multos dies in monte moraretur, Aaronem « ita sunt allocuti : *Fac nobis Deos, qui præcedent nos :* « et imagine vituli conflatâ, ducentes choreas clama- « bant : *Hi sunt Dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terrâ « Ægypti :* tabernaculum hoc fieri mandavit Deus, et « proficiscentibus illis præire jussit, et stationem ha- « bentibus subsistere : quo sacerdotes in eo sacrificia « peragere possent. » Quamvis autem primitiarum oblatio ad constructionem tabernaculi, Israelitarum voluntati à Deo relicta sit, constructio tamen templi illius portatilis Mosi à Deo præcepta est, ut ex laudatis Scripturæ Sacræ locis liquidò constat, et ex cap. 35, 29 : *Omnes viri et mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi.* Et ex cap. 38, vers. 21, 22 : *Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar, filii Aaron, sacerdotis : quæ Beseleel, Domino per Moysen jubente, compleverat.*

Quod ait Theodoretus, Israelitarum gratiâ præcepisse Deum tabernaculi structuram, magis explicat S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 102, articulo 4 ad 1. « Cultus, inquit, Dei duo respicit, scilicet Deum, « qui colitur, et homines colentes. Ipse igitur Deus « qui colitur nullo corporali loco clauditur : unde « propter ipsum non oportuit speciale tabernaculum « fieri, aut templum. Sed homines ipsum colentes « corporales sunt, et propter eos oportuit speciale ta- « bernaculum, vel templum instrui ad cultum Dei, « propter duo : Primò quidem, ut ad hujusmodi locum « convenientes cum hâc cogitatione quòd deputaretur « ad colendum Deum, cum majori reverentia accede- « rent. Secundò, ut per dispositionem talis templi, « vel tabernaculi significarentur aliqua pertinentia ad « excellentiam divinitatis, vel humanitatis Christi. Et « hoc est quod Salomon, dicit 3 Reg. 8 : *Si cœlum, « et cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis « domus hæc quam ædificavi tibi?* Et postea subdit : *Sint « oculi tui aperti super domum hanc de quâ dixisti : Erit « nomen meum ibi : ut exaudias deprecationem servi tui « et populi tui Israel.* Ex quo patet quòd domus san- « ctuarii non est instituta ad hoc quòd Deum capiat « quasi localiter inhabitantem, sed ad hoc quòd nomen « Dei inhabitet ibi, id est, ut notitia Dei ibi manifestetur « per aliqua quæ ibi fiebant vel dicebantur : et quòd « propter reverentiam loci orationes ibi fierent magis « exaudibiles ex devotione orantium. » Hæc Israelitarum fides fuit, gentium errori opposita, qui Deos suos templis et simulacris astrictos, et inclusos credebant, ut constat ex Menandro in Heniocho, id est, Auriga, scribente :

*Istos vagantes non probo foris Deos :*
*Nullus domum deserens in albo meo scribitur.*
. . . . . *Decet justum Deum*
*Domi manere, ut servet statuentes eum.*

Convenientius porrò fuisse statui populi Judaici, antequàm regem haberet, tabernaculum quàm templum, docet S. Thomas articulo mox laudato ad 2. Populo scilicet in deserto ambulanti, vel in terrâ Chanaam variis bellis cum finitimis gentibus impedito, templum ædificari non debuit, ob tres rationes à rabbi Moyse allatas : « 1. Ne gentes appropriarent sibi locum il- « lum. 2. Ne gentes ipsum destruerent. 3. Ne quælibet « tribus vellet habere locum illum in sorte suâ, et « propter hoc orirentur lites, et jurgia. Et ideò non fuit « ædificatum templum, donec haberent regem per « quem posset hujusmodi jurgium compesci. Antea « verò ad cultum Dei erat ordinatum tabernaculum « portatile per diversa loca, quasi nondùm existente « determinato loco divini cultûs. Et hæc est ratio lit- « teralis diversitatis tabernaculi et templi. » Rationem typicam subdit S. Thomas; per tabernaculum scilicet, quod erat mobile, *significatur status præsentis vitæ mutabilis;* per templum verò, quod erat fixum et

stabile, *significatur status futuræ vitæ, quæ omninò immutabilis est.* Vel per tabernaculum *significatur status veteris legis*, per templum autem à Salomone constructum *status novæ legis. Unde ad constructionem tabernaculi soli Judæi sunt operati : ad ædificationem verò templi cooperati sunt etiam gentiles, scilicet Tyri et Sydonii.*

### III. *De structurâ Tabernaculi, seu præcipuis illius partibus, Arcâ, Cherubim, Altaribus.*

I. Tabernaculi structuram partesque singulas non dicam exponere, sed vel describere, longioris foret operæ. Consulantur cum Exodi capitibus 25, 26, 27, 36, 37 et 38, Josephus lib. 3 Antiquitatum, cap. 5, 6, 7; S. Augustinus, quæstione 177 in Exodum; venerabilis Beda, et Richardus à S. Victore, lib. de Tabernaculo; Tostatus, commentario in Exodum; Ribera, lib. 1. de Templo; Villalpandus, tomo 2 in Ezechielem, in descriptione templi, aliique Scripturæ sacræ commentatores. Ego strictim, ut historicum et dissertatorem Ecclesiasticum decet, tabernaculi structuram secundùm præcipuas illius partes delineabo.

II. Tabernaculum tribus partibus constabat. Prima, quæ exterior erat *atrium;* secunda, *sancta;* tertia: *sancta sanctorum.* Atrium longum centum cubitis et latum quinquaginta, suis tabulis cortinisque cinctum, sub dio positum erat. Sancta quadrangula erant, longa viginti, lata decem cubitos, oppanso velo à sanctis sanctorum divisa, de quo Exodi 26, 31, 32, 33. Sancta sanctorum quadratæ erant figuræ, longitudinis et latitudinis decem cubitorum. Atrium bipartitum erat, unum exterius in quo stabant Laici, aliud interius, exiguo septo seu muro altitudinis trium cubitorum à priori divisum, ita ut oculis populi paterent quæ in eo agebantur. In hoc erat labrum æneum, factum ex speculis mulierum, quæ excubabant per vices in ostio tabernaculi; et altare holocaustorum. In labro æneo manus pedesque lavare tenebantur sacerdotes tabernaculum ingressuri, et ad altare, ut thymiama offerrent, accessuri. Lotionis hujus ritum negligentibus mortem lex comminatur: *Ne fortè moriantur* (Exodi 30, 21, 1). Ritus hic puritatem et innocentiam significabat, quâ sacris operam dare sacerdotes deberent. Hoc lustrationis genus gentiles imitati sunt, qui Deorum suorum templa ingressuri, se lavacro purgabant, ne coram iis conspurcati sisterentur. Hunc morem spectant illa *Euripidis in Jone:*

*Sed, ô Delphici Phœbi ministri,*
*Castaliæ limpidos*
*Ite ad gurgites, purâ verò aquâ*
*Abluti, ite in templum.*

III. In *sanctis*, quæ prima pars interior tabernaculi erat, continebantur : 1. Altare thymiamatis, obversum sancto sanctorum, et propitiatorio, ita ut in illud per hiatum in velo dividente relictum fumus thymiamatis ascenderet. 2. Ad latus dextrum hujus altaris erat candelabrum ductile de auro mundissimo, lucernis septem pariter aureis instructum. 3. Ad latus sinistrum mensa ex eâdem materiâ ex quâ altaria, scilicet ex lignis Setim, auro purissimo circumdata, et labio aureo per gyrum adornata, cui labio corona aurea duplex supereminebat. In sancta quotidiè ingrediebantur sacerdotes mane et vespere, ut thymiama adolerent, lucernasque vespere accenderent, manè extinguerent. In divinum honorem jugis adhibebatur in tabernaculo suffitus, nec non ad discutiendum nidorem ex animantibus, purgandumque aerem à fœtore, ne à tabernaculi aditu populus abhorreret, illudque ceu locum fœdum contemneret. Mystica significatio est, corda sursùm habenda. « Cùm enim ad eum sur- « sum est, cujus est altare cor nostrum, ejus Unige- « nito cum sacerdote placamur : ei suavissimum ado- « lemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sancto- « que amore flagramus : ei sacrificamus hostiam « humilitatis et laudis, in arâ cordis, igne fervidæ « charitatis, » inquit S. Augustinus lib. 10 de Civitate Dei, cap. 3.

IV. In mensâ duodecim panes azymi cum thure ponebantur, *Panis propositionis* propterea nuncupati, quòd essent in monimentum oblationis Domini. Singulis sabbatis mutabantur, usibusque sacerdotum cedebant. (Levitici 24, 5, 6, 7, 8, 9, et Matthæi 12, 4.) Duodecim erant pro numero tribuum Israel. Eo ritu significabatur sacerdotes templo ministrantes in templo victum habere debere. Eucharistiam adumbrabant, ut docent SS. Hieronymus in 1 Malachiæ, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4 Mystagogicâ, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4 in Joannem, pag. 390; Joannes Damascenus lib. 4, cap. 14 : Hesychius et Rupertus. Candelabrum ac mensam cum panibus in tabernacula posita Guillelmus Parisiensis ait : « Ut « offerentes et adorantes in Dei tabernaculo, ab ipso « vitam, lucem et nutrimentum se obtinere cognosce- « rent, et ex ejus servitio, quod in eodem tabernaculo « fiebat, ista sperarent. *Vel insinuare voluit* Deus se « esse Deum cui septem planetæ serviunt, et quia ipse « est dator escæ, non Ceres, et propter hoc non eis, « nec huic, sed ipsi soli serviendum. » Sed præcipua ratio ob quam mensam et panes propositionis Deus in tabernaculo poni jussit erat idololatriæ abolitio. « Quia verò, inquit idem Episcopus lib. de Legibus, « cap. 2, in sacris lunæ panes offerebantur, sicut su- « periùs ostendimus, est testimonio Jeremiæ de pla- « centis quæ fiebant reginæ cœli, adeòque dediti « erant hujusmodi servitio, quòd non sufficiebat eis « ut mulieres hæc agerent, imò filii colligebant ligna, « et patres succendebant ignem, et mulieres conspar- « gebant adipem, ut hujusmodi placentæ fierent lunæ: « non fuit facile eos subitò abripi ab hujusmodi con- « suetudine, et ideò factum est, præcipiente Deo, ut « saltem paululùm quasi per regenerationem abduce- « rentur ab illâ. Non enim facile fuit hujusmodi con- « consuetudini deditis non videre mensam panum in « tabernaculo Domini, quam videre consueverant, et « ipsimet implere in domo idoli. Quapropter posita « est mensa in tabernaculo Domini ad Aquilonem, « non directè ante ipsum oraculum; et iterùm pro- « hibitus est populus panes ponere in mensâ illâ,

« et de panibus etiam illis edere : soli enim sacer-
« dotes jussi sunt panes illos ponere, et solùm illis
« concessum est inde comedere. Vides ergo quòd istâ
« triplici dissimilitudine ab idololatriâ quasi regene-
« ravit eos Deus, et aliquatenùs elongavit, videlicet
« ipsâ positione et situ mensæ; item prohibitione po-
« nendi panes, et vescendi ex eis. Mensam enim con-
« sueverant videre directè ante idola, quibus in eâ
« panes offerebant. Amplius, super unumquemque
« panum illorum ponebatur patena aurea, et pugillus
« thuris, quales appositiones videre non consueve-
« rant in domibus idolorum. » Hanc rationem etiam tetigit S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 102, articulo 4 ad 6. « Mensæ autem, inquit, non ponebantur directè in medio ante propitiatorium, ad excludendum ritum idololatriæ. Nam gentiles in sacris « lunæ ponebant mensam coram idolo lunæ. Unde « dicitur Jeremiæ 7 : Mulieres conspergunt adipem, « ut faciant placentas reginæ cœli. »

V. In *sanctis sanctorum* erat *arca fœderis*, ex *lignis Setim*, intus et foris deaurata, coronâque aureâ circumdata. Ligna Setim 70 reddiderunt *ligna imputribilia ;* arboris fuisse genus spinæ albæ simile docet S. Hieronymus in cap. 3 Joelis, et in Michææ 6, 5. Lege Buxtorfium Historiæ *Arcæ fœderis*, cap. 4. Arcam operiebat *propitiatorium aureum*, quod et *oraculum* dicebatur, quia inde Deus responsa dabat Moysi et Aaroni, subindeque summis sacerdotibus ipsum consulentibus. Utrumque latus propitiatorii Cherubim aurei et productiles expansis alis tegebant, sese mutuò respicientes versis in propitiatorium vultibus. (Exod. 25.) Sancta sanctorum soli pontifici semel in anno pervia erant, septimâ die septimi mensis, quo festum expiationis celebrabatur. (Exod. 30, 10 ; Levit. 16, 2, 34, ad Hebræos 9, 7.) *Hoc significante Spiritu Sancto, nondùm propalatam esse Sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum.* Sancta sanctorum, supremi illius cœli figura erant, in quo Deus gloriam suam manifestat, in quo cœlestes spiritus faciem ipsius jugiter contemplantur, et in quod *Jesus Christus pontifex factus in æternum, per proprium sanguinem semel introivit, æternâ redemptione inventâ*, ut docet Apostolus. Cœlum per sancta sanctorum significari agnoscunt Josephus lib. 3 Antiquitatum, cap. 3 et 8, et Philo lib. de Vitâ Mosis ; Theodoretus, quæst. 70 in Exodum : *Pars interior tabernaculi, cœlestia referebat : unde vocata est sancta sanctorum. Quod verum esse testatur divinus Apostolus ita dicens :* « Non enim in manufacta sancta Christus introivit, exemplaria verorum. Sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui « Dei pro nobis. » *Et iterùm dùm de spe divinâ disputat, ista subjunxit :* « Quam sicut anchoram habemus « tutam ac firmam, et introeuntem usque ad interiora « velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus « factus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. » *Itaque pars illa intra velum præ se ferebat imaginem cœlestium, altera verò extra velum, terrestrium.* Nam in aulæo coccinum ignem, byssus tellurem, hyacinthus aera, purpura mare, septem lychni totidem planetas, panes duodecim totidem zodiaci signa et menses notabant. Quanquàm et alias haberent significationes mysticas. Lege S. Thomam Primâ secundæ, quæst. 102, art. 4 ad 5 et 6.

VI. In arcâ fœderis reconditæ erant tabulæ legis duntaxat, propter quod dicta est *Arca Testimonii* et *Arca Testamenti*, Exod. 25. *Ponesque in arcâ testificationem quam dabo tibi*, 3 Regum 8, 9. *In arcâ autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cùm egrederentur de terrâ Ægypti :* 2 Paralipomenon 5, 10. « Nihilque aliud in arcâ nisi « duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus « ex Ægypto. » Josephus, lib. 8 Antiquit., cap. 2, de arcâ loquens : « Continebat hæc nihil aliud quàm duas « tabulas lapideas quæ decem præcepta, Dei ore in « monte Sinâ prodita, insculpta eis conservabant. » Repugnare videtur Apostolus ad Hebræos 9, 3, 4. « Post velamentum autem, inquit, secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam « ex omni parte auro, in quâ urna habens manna, « et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ Testamenti. » Duplex tantùm via est Apostolum cum Moyse conciliandi. Prima, dicendo Apostolum scripsisse quod urna habens manna, et virga Aaronis erant in arcâ, quia juxta arcam erant, more loquendi solemni Scripturæ sacræ, quo aliquid in loco aliquo esse dicitur, quod juxta illum est. Sic Dominus ait Jeremiæ 35 de Rechabitis : « Et introduces eos in domum Do-« mini, in unam Exedram thesaurorum, et dabis eis « bibere vinum. » Sic et S. Joannes Evangelii cap. 10 : « Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomo-« nis. » Nec tamen Exedra thesaurorum, aut porticus partes erant templi, sed structuræ foris adjunctæ. Sic etiam accipiendum est quod in Evangelio legitur Christum ejecisse vendentes et ementes è templo, qui tamen in porticu templi, non in ipso templo negotiabantur. Et Lucæ 9 : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem :* quamvis non in urbe, sed prope eam cruci suffixus sit. Sic in urbe natus esse dicitur, et qui natus ad eam, hoc est, in ejus territorio. Sic in Jericho Jos. 10, 10, valet, ad Jericho ; in Gabaon, hoc est, prope Gabaon : in, hoc est, prope Kariathiarim, Jud. 18, 12. Hoc ergo sensu dictum fuerit à S. Paulo urnam auream habentem manna, virgam Aaronicam, et tabulas testamenti fuisse in arcâ : tabulas quidem ut intra arcam inclusas, virgam verò Aaronis, et urnam auream habentem manna, ut juxta positas, in tabernaculo, coram Domino, id est, coram arcâ, ut disertè habetur, Exod. 16, 33, 34. *Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantùm potest capere gomor : et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.* Et Numerorum 17, 4, Deus cum Moyse loquens de virgis principum duodecim tribuum, ait : *Ponesque eas in tabernaculo fœderis, coram testimonio* (id est, co

ram arcâ), *ubi loquar ad te.* Et 5, 10 : *Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in insignem rebellium filiorum Israel.* In capsâ scilicet arcæ adjacente, et lateri ejus exteriùs adhærente, sacra hæc monumenta deposita sunt, sicut et liber legis, de quo Deut. 31, 26 : *Postquàm ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium;* lege Buxtorfium, Exercitatione in Historiam arcæ fœderis, cap. 5. Secunda ratio conciliandi Apostolum cum Moyse hæc est, ut dicamus Mosis et Salomonis temporibus solas tabulas legis in arcâ exstitisse, sed, post Salomonis fortè tempora, sacerdotes cupientes virgam Aaronis, et urnam auream continentem manna, in secretiori tutiorique esse custodiâ illa in arcâ cum tabulis legis reposuisse cujus rei non inscius S. Paulus, traditiones majorum ad pedes Gamalielis edoctus, hæc tria in arcâ esse scripserit. Ita Theophylactus.

VII. Arcam, sacratissimum præsentiæ divinæ symbolum à sacris gentium cistis, quarum apud antiquos obvia frequensque memoria est, originem derivâsse asserit Spencerus, lib. 4 de Legibus ritualibus Hebræorum, dissert. 5. Nec tamen id firmis probat argumentis. Quæ enim profert ex Pausaniâ, Apuleio, Plutarcho, Theocrito, Tibullo, Catullo, Valerio Flacco, Ovidio, probant quidem Ægyptios, Phœnices, Græcos, Romanos, arcas, seu mysticas cistas in sacrorum suorum censu habuisse ; sed non probant cistas illas gentilitias in usu fuisse ante mosaica tempora. Omnes enim illi auctores à Spencero laudati qui de cistis hujusmodi, in orgiis falsorum numinum usurpatis, scripsêre, multis seculis Mose recentiores sunt. Longè verisimilius est diabolum Dei æmulum Ethnicis inspirâsse, ut arcas quoque, seu cistas mysticas, arcana quædam celantes, in suorum numinum sacris adhiberent, aut etiam solemni pompâ circumferrent. Pietas credere prohibet, arcam Domini à cistis Ethnicis natales accepisse, quæ nihil nisi quisquilias, vel magica quædam instrumenta, vel obscœnas imagines continebant, quales erant illæ quarum meminêre Plutarchus in Alexandro, Clemens Alexandrinus in Protreptico, et Synesius in Encomio Calvitii. Quàm levia sint argumenta Spenceri ducta ab arcæ pulchritudine et magnificentiâ, ab ejus coronâ, circumstantiis, fine, nomine, facilè intelligit quisquis illa paulò accuratiùs expendit. *In Junonis templo*, inquit, *arcam è cedro confectam, cum aureis et eboreis emblematis*, positam fuisse, testatur Pausanias lib. 5. Ægyptii *auream arculam*, teste Plutarcho, in sacris habuerunt. Apud Babylonios in Apollinis templo *auream miræ vetustatis arculam quandoque repertam*, veterum scriptis nos docet Cælius Rhodiginus, lib. 8 Antiquitatum, cap. 12. Igitur arca cedro et auro plurimo pariter illustris è gentium usu natales accepit. Quis non videat æquo et meliori jure concludi posse : Igitur cistæ Ethnicæ ex diaboli æmulatione, quicquid in Dei cultu splendidum erat, usurpantis, et ad suum cultum traducentis, originem acceperunt ?

Idem judicium ferendum est de altero Spenceri argumento. Gentiles, inquit, cistas, in Deorum suorum mysteriis usurpatas, coronis instruebant, teste Euripide in Jon., act. 5. *Video*, inquit, *arcam antiquam sertis coronatam et floribus;* et Oppiano lib. 4, ubi de Bacchi orgiis loquitur :

*Arcam porrò arcanam sacer chorus sublatam,*
*Coronantes, tergis imposuerunt asini.*

Arcæ igitur corona aurea à gentium moribus originem traxit : adeòque arcæ institutio ad eamdem originem referenda est.

Quin coronæ in usu gentium fuerint ante legem datam, pertinaciter non inficior : coronis reges utebantur, eorumque throni et regiæ his majestatis symbolis ornabantur : propterea Deus, ut se regem esse, ac Deum Israelis ostenderet, idque persuasum haberent Israelitæ, arcam, quæ ipsius thronus erat, coronâ instrui et ornari præcepit. Postea verò Ethnici, suggerente et instigante diabolo, simulacra sua, altaria, victimas, cistas coronârunt. Bacchum primum coronam capiti suo imposuisse, et postea coronæ usum ad sacra traductum, testatur Plinius, Historiæ naturalis lib. 16, cap. 4. « Antiquitas quidem, inquit, nulla nisi « Deo dabatur. Ob id Homerus cœlo tantùm eas, et « prælio universo tribuit. Viritim verò, ne in cer- « tamine quidem ulli. Feruntque primum omnium « Liberum patrem imposuisse capiti sui coronam ex « hederâ. Postea Deorum honori sacrificantes sum- « psêre, victimis simul coronatis. Novissimè et in sa- « cris certaminibus usurpata, etc. » Porrò Liberum seu Bacchum Moyse posteriorem fuisse certum est. Imò esse ipsum Mosen personatum doctissimus præsul Daniel Huetius in suâ Demonstratione Evangelicâ probavit. Arcæ itaque corona aurea à gentilium cæremoniis originem non traxit : multò minùs arca ipsa.

VIII. Arcæ, et cistarum ethnicarum discrepantes circumstantiæ, à quibus alterum argumentum ducit Spencerus, ejus assertioni fidem derogant. Deus in arcâ suâ nihil præter fœderis divini tabulas reponi voluit. Ex adverso nihil in arcis Ethnicis nisi fœderis cum dæmone initi sacramenta, nihil nisi quisquiliæ, aut res impudicæ, vel magica instrumenta, continebatur. Arca Dei viris solummodò, iisque è genere sacerdotali oriundis, bajulanda tradebatur ; nec quisquam alius tactu levissimo arcam violare potuit, nisi tantæ temeritatis crimen capite luiturus. Arcæ verò in gentilismi ritus usitatæ, per sacerdotes quidem nonnunquàm, per feminas autem non rarò ferebantur. Israelitæ cæremoniis sanctis, apertis et religionis congruis honorem arcæ Dei deferebant : gentiles autem arcas suas cæremoniis quibusdam magicis, et stuporem, potiùs quàm religionem incutientibus, coluerunt, teste Clemente Alexandrino in Protreptico, ubi de sacris Eleusiniis sermonem facit. Arcæ Dei extrema imaginibus aureis, Cherubim dictis, supra illius operculum alas explicantibus ornabantur : in mysticis autem gentilium cistis, simulacrum numinis alicujus gran-

diusculum, aut imagunculæ aliæ, ut plurimùm inclusæ latuêre. Deus unâ tantùm arcâ, prout et uno templo, et altari holocausti colebatur : sic autem ferebat gentium usus, ut arcas varias in cultûs sui cæremoniis usurparent. Igitur, inquit Spencerus, arca è gentilium moribus initia petiit. Ego verò contrarium omninò inde colligi existimo, et mecum, ut opinor, existimabunt omnes qui rectam rationem consulent : igitur arca è gentilium moribus initia non sumpsit, sed è sacro illo exemplari, de quo Deus ad Moysen, Exodi 25, 40 : *Inspice, et fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* At, inquit Spencerus, si gentiles tanquàm Judæorum simiæ, arcas in sacrorum suorum censum recepissent, verisimile est eos arcas suas, non tantùm ad arcæ Judaicæ figuram facere, sed ejus circumstantias omnes imitatione exprimere voluisse. Verùm hujus objectionis vanitas inde patet quòd diabolum non simia tantùm, sed corruptor divini cultûs semper exstiterit, et ritus sacratissimos, quibus Deus colebatur, æmulâ operatione ad sacra falsorum numinum traducens, ineptis, impuris, magicis, immanibus ritibus admixtis adulteraverit.

IX. Haud firmius est argumentum Spenceri à fine arcæ sumptum. Arca fœderis, inquit, nulli alii rei serviebat, quàm ad asservandam legem Dei duabus tabulis inscriptam : Gentium autem cistæ deorum symbola et instrumenta sacratiora continebant, ut sesamides, pyramides, lanas elaboratas, micas salis, draconem, vel serpentes, sphæras et figuras quasdam magicas, ut constat ex Clemente Alexandrino in Protreptico, et Synesio in Encomio Calvitii. Igitur arca finaliter spectata à cistis Ethnicis originem petiit. Ego verò contrarium omninò ex arcæ fine colligi arbitror. Arca auro propitiatorio obtecta, et duobus Cherubim desuper ornata, duasque tabulas divinæ legis continens, symbolum erat divinæ præsentiæ, gloriæ, potentiæ, majestatis. Hìc arca scabellum pedum Dei à Davide appellatur, psalmo 98 : *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Hinc Deum super Cherubim sedere passim ait Scriptura, in eodem Psalmo 5, 1 : *Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim, moveatur terra;* 1 Regum 4 : *Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim.* 4 Regum 19, 15 : *Ezechias ascendit in domum Domini, et oravit in conspectu ejus, dicens : Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim*, etc. Psalmo 79, 2 : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse.* Ex propitiatorio Deus à Moyse et Aarone consultus responsa dabat : unde et *Oraculum* vocatum est, Exodi 25, 22 : *Inde præcipiam, et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.* Israelitis per desertum iter agentibus, *cùm elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te à facie tuâ. Cùm autem deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitûs Israel.* Adde arcam insignem fuisse Christi typum, ut ostendit sanctus Cyrillus Alexandrinus, libro 4 in Joannem, pag. 587. « Nobis, inquit, typicè Emmanuelem ostendit dicens : *Et pones arcam testimonii, et tege arcam velamine.* In superioribus enim totius quodammodò arcæ figurâ Verbum comprehendimus. Erat enim domus Dei inhabitantis in ipsâ nimirùm sanctum Christi corpus : sed nihilominùs idem nobis quoque per arcam peculiariter designatur. Ex lignis enim imputribilibus constructa erat, ut intelligas ejus incorruptibilitatem. *Tota verò inaurata erat auro purissimo intrinsecùs et extrinsecùs.* Cuncta quippe pretiosa et regia sunt in eo, cùm divina, tùm humana, et *in omnibus ipse primatum tenet*, ut Paulus ait. Aurum autem præstantiam et excellentiam super omnia denotat. Constructa itaque arca ex lignis imputribilibus, et inaurata, divinam quoque legem reconditam habebat, ut typus esset Dei Verbi inhabitantis, et uniti sanctæ carni. Verbum enim Dei etiam lex erat, licet non hypostaticum, sicut Filius est. Tegitur autem velamine. Dei enim Verbum incarnatum cùm esset, multos latebat, corpore suo amictum, et sanctâ carne quasi velamine contectum, ita ut exinde nonnulli, divinam ejus majestatem ignorantes, modò lapidare aggrederentur, crimini dantes, quòd homo cùm esset, se ipsum Deum diceret ; modò nihil verentur dicere : *Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodò ergo dicit hic quia de cœlo descendit?* Joan. 6. Quòd ergo arcæ velum superinjectum esset, Jesum apud multos ignotum fore significat. Erat igitur etiam arca typus ipsius. Idcircò enim Israelitas illa quoque præcedebat in deserto, cùm Dei locum tunc impleret. Ipse enim erat ductor populi. Quod testatur psalmista dicens, Psalm. 67 : *Deus, cùm egrederis in conspectu populi tui, cùm pertransires desertum, terra mota est.* Arcâ enim præcedente, Deus utique præcedere dicitur..... Sed et circùm Hierichuntem per sacerdotes portata, ejus mœnia subruit, non machinis, aut arietibus admotis, sed tubis ac voce. Quod in Christo præterea verum esse comperimus. Ipse enim est, qui à sanctis viris portatur et omnem diaboli vim evertit non armis, sed clamore ac tubâ, hoc est, evangelicâ prædicatione et consensu omnium populorum in rectitudine fidei Dominum confitentis. » Denique ibi ostendit S. Cyrillus tabernaculum et omnia in eo contenta, typos Christi fuisse. « In circuitu verò, inquit, tendi tabernaculum præcipit, quo quæcumque in eo erant, comprehenderentur, ita ut unum illud tantùm cerneretur. Unus enim est in nobis Christus, et multis modis intelligitur : tabernaculum quidem propter velamen carnis ; arca verò divinam legem continens, ut Verbum Dei ac Patris ; item mensa, puta cùm vita sit, ac cibus ; candela, utpote lumen intelligibile ac spiritale ; altare thymiamatis, ut odor suavitatis in sanctificatione ; et altare oblationum, quatenùs est pro vitâ mundi victima. Sanctificantur autem in ipso altari omnia : totus enim est sanctus, quocumque modo Christus intelligatur. Præcunte igitur

« sancto tabernaculo, Israelitæ simul procedere et unà « conquiescere jubebantur ; Deo nos rursùs utiliter « monente, Ducem nobis itineris ad salutem assumen- « dum esse Deum Verbum propter nos incarnatum, « ejusque præceptis incunctanter parendo, ad vitam « æternam ascendendum. » Qui tabernaculum, ejus- que vasa, et arcam fœderis, oculis fidei ac pietatis consideraverit cum S. Cyrillo, is in Spenceri sen- tentiam non ibit, asserentis duntaxat, non probantis, arcam finaliter spectatam à cistis Ethnicis originem petiisse.

X. Argumentum denique Spenceri ab arcæ nomine et charactere ductum, nullius ponderis est. Illam in in Scripturâ sacrâ quandoque *arcam Dei*, nunc *arcam fœderis*, alibi *arcam testimonii*, aliquando *arcam fœderis Dei totius terræ*, dictam fateor : sed inde id factum per- peràm colligit, Spencerus, quòd diis aliis suæ essent cistæ, adeòque necesse esset ut arca Judaica peculiari aliquo titulo, et charactere ab arcâ quâvis aliâ deo alicui extraneo dicatâ discerneretur. Hocenim distinc- tionis et dignitatis epitheto insignita est, ut ab arcis vulgaribus, quibus, ad res domesticas alicujus pretii recondendas privati quique, seu Judæi, seu gentiles utebantur, discerneretur.

XI. De Cherubinis arcæ superpositis, deque eorum formâ et origine multa disputant viri eruditi. Formam quod spectat, ipsam in libris Mosis expressam non habemus. Josephus, libro 3 Antiquitatum, cap. 6, sic illos describit : *Cherubim sunt animantia volucria, novâ specie, nec unquàm cuiquam hominum visa : quæ Moyses in Dei solio viderat figurata.* Hebræi Cherubim simulacra fuisse volunt ad similitudinem puerorum formata. Unde vocis originem ex linguâ Chaldaicâ quidam petunt, in quâ *Rub* vel *Rabio* est *puer*, ut *Ke rub, quasi puer* dicatur. Alii *Cherubim* in vitulorum aut boum similitudinem totos effictos fuisse censent. Pro- babilior eorum sententia est, qui simulacra fuisse multiformia, id est, animalium diversorum species exhibentia, asserunt ; ita tamen ut hominis forma in iis emineret. Opinionem illam adstruit maximè prophe- tica visio Ezechielis, 1, 5, 6, 7, 8, 10 : « In medio ejus « similitudo quatuor animalium ; et hic aspectus eo- « rum, similitudo hominis in eis. Quatuor facies uni, « et quatuor pennæ uni. Pedes recti, et planta pedis « eorum quasi planta pedis vituli... Et manus hominis « sub pennis eorum in quatuor partibus... Similitudo « autem vultûs eorum : facies hominis, et facies leonis « à dextris ipsorum quatuor : facies autem bovis à « sinistris ipsorum quatuor ; et facies aquilæ desuper « ipsorum quatuor. » Et cap. 10, 7, 8, 14, 15 : « Et ex- « tendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, « qui erat inter Cherubim, et sumpsit, et dedit in « manus ejus qui indutus erat lineis... Et apparuit in « Cherubim similitudo manûs hominis subtùs pennas « eorum... Quatuor autem facies habebat unum : facies « una, facies Cherub ; et facies secunda, facies ho- « minis ; et in tertio, facies leonis ; et in quarto, facies « aquilæ : et elevata sunt Cherubim : ipsum est animal « quod vidcram juxta fluvium Chobar. » Et vers. 20 : « Ipsum est animal quod vidi super Deum Israel juxta « fluvium Chobar ; et intellexi quia Cherûbim essent. » Hos porrò Cherubinos Ezechielis formâ et specie non minùs quàm nomine, similes fuisse Mosaicis, ex eo colligitur quòd Ezechiel qui sacerdos erat, adeòque templi et arcæ figuras probè noverat, postquàm ad eorum figuras propiùs advertisset, hoc apertè testetur, dicens ; *Et intellexi quia Cherubim essent.* Cherubim ergo arcæ, quatuor facies, id est, quatuor formas, similitudines, aut φάσεις habebant (sic enim vocis hu- jus notio ibi sumenda, pro formâ et exteriore specie quæ sub aspectum cadit, non pro vultu, quasi fuerit vultus cujusque Cherubim quadriformis). Prima ho- minis, secunda leonis, tertia aquilæ, quarta vituli. Vultum itaque humanum, staturam etiam erectam et humanam, et manus hominis. Dorsa leonum jubis vestita, quaternas aquilarum alas, et vitulorum crura pedesque, Mosaici Cherubini, sicut et Prophetici ha- bebant.

Confirmatur ex Apocalypsis 4, 6, 7, ubi Cherubim horum animalium, sed discretorum formis expressi, sancto Joanni in visione exhibentur : *Et in medio sedis, et in circuitu sedis, et quatuor animalia plena oculis ante, et retrò. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.*

XII. Objiciet quispiam, Ezechielem binas tantùm, non quaternas facies cuivis Cherubino tribuere, cap. 41, 18, 19 : *Et fabrefacta Cherubim et palmæ ; et palma inter Cherub, et Cherub, duasque facies habebat Cherub : Faciem hominis juxta palmam ex hâc parte, et faciem leonis juxta palmam ex aliâ parte, expressam per omnem Domum in circuitu.*

Respondetur, prophetam aliis in locis supra lauda- tis quaternas Cherubinis facies tribuere, ibi verò ex illis quatuor illas tantùm referre, quarum altera, nempe hominis positu palmam respicit ; altera, leonis nimirùm, à palmâ alterâ prospicitur, cùm ex binis re- liquis animantium formis, altera utramque palmam ex æquo prospiciat, altera neutram. Alis enim, quas vo- cat aquilinas facies, uterque Cherubim utramque par- tem contingit, quæ illi proxima est : plantis verò pe- dum, quas bovis faciem appellat, pavimentum potiùs interius, quàm laterales palmas prospectant ; ut pro pterea binas tantùm facies, hominis, inquam, et leonis, commemoravit, quòd eæ ad dispositionem Cherubino- rum explicandam conducerent, quam potissimùm hoc loco explicare decreverat, alias duas silentio præter- miserit, quas latè initio suæ prophetiæ descripserat ita Ezechielem cum ipsomet conciliat Villalpandus tom. 2, p. 2, lib. 4, cap. 45.

Objici potest locus alter ex 3 Regum, capite 7, 29, ubi sacer historicus, cùm de basibus æneis loquere- tur : *Et inter cornulas*, inquit, *et plectas, leones, et bo- ves, et Cherubim.* Ex quibus colligi posse videtur, Cherubim à bobus et leonibus distincta fuisse, et qua- tuor animalium formis minimè conflata.

Respondetur cum Villalpando, cap. 43 libri mox laudati, eo in loco litteram *Vau*, nostræ conjunctioni

et respondentem notioni Hebræis communi, interpretativè usurpari, ut sensus sit : *Leones et boves sculpti erant ; et hoc est Cherubim.* Quòd enim humanâ formâ ac facie minimè caruerint, non multò post idem sacer historicus significavit, v. 36: *Sculpsit quoque*, inquit, *in tabulatis illis, quæ erant ex ære, et in angulis Cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.* Quòd autem nostra conjunctio *et* interpretativè plerùmque sumatur ut et vox *Vau* apud Hebræos, duobus exemplis probat Villalpandus. Primùm ex psalmo 115, vers. 17 : *Sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.* Offeram, inquam, Deo quasi sacrificium laudis, hoc est, nomen Domini invocabo. Ac si apertè testetur, laudabile Deo sacrificium esse sancti nominis ipsius invocationem. Secundò ex psalmo 4, vers. 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Cujus sententiæ sensus est : Sacrificate justum sacrificium, hoc est, sperate in Domino. His verbis indicans spem in Domino collocandam esse, hoc est, Deo debitum ac necessariò reddendum sacrificium.

XIII. Cherubinorum formæ symbolicæ erant ac typicæ : quatuor scilicet Dei, Cherubim insidentis, attributa significant, ab angelis participata et repræsentata. Species aquilæ significat Dei sapientiam (visûs enim acumine præstat aquila); species hominis significat Dei bonitatem, mansuetudinem et clementiam : species bovis Dei patientiam, et ad vindictam sumendam tarditatem : species leonis, Dei fortitudinem et potentiam. Significant verò in angelis, divinas illas dotes illorum naturam, atque ministerium spectantes. Forma aquilæ, cœlestis naturæ vigorem, agilitatem, nisum ad sublimia, perspicaciam incredibilem et sapientiam : forma hominis, bonitatem et charitatem erga homines. Forma leonis, robur ac potentiam Dei hostibus terribilem : forma denique bovis, constantiam, patientiam, firmitatem, assiduitatem in obeundo munere ipsis à Deo demandato. Lege sanct. Dionysium, libro de cœlesti hierarchiâ, cap. 15. Hìc autem observare operæ pretium est, Cherubinos, sive Mosaicos, sive Propheticos, non solùm secundi ordinis angelorum primæ hierarchiæ typos fuisse, sed omnium ordinum angelos adumbrâsse. Unde veteres hos cherubinos interdùm Seraphinos appellant, et Cherubim Ezechielis cum Seraphim Isaiæ conferentes, utramque visionem cœlestium Spirituum symbola exhibuisse asserunt. Legi potest Villalpandus, tom. 2 in Ezechielem, p. 2, lib. 4, cap. 36. *Cherubim* nomen *similitudinem cognitionis et scientiæ* significare veteribus persuasum fuit, Philoni Judæo, lib. 1 de Vitâ Mosis ; S. Dionysio, in libris de Ecclesiasticâ Hierarchiâ ; Clementi Alexandrino, libro 5 Stromatum ; S. Hieronymo, commentario in cap. 6 Isaiæ ; Theodoreto, in cap. 1 Ezechielis, ad 5, 14. Significat etiam ea vox potentiam et fortitudinem singularem, si ex Syriacâ linguâ Hebrææ affini ejus origo arcessatur. Favet Philo Judæus, libro de Profugis, ubi notat per Cherubim *potentiam ejus* qui est, *creatricem et regalem* designari. Idem asserit Theodorus apud Theodoretum, quæstione 40 in Genesim : *Cherubim*, inquit, *vocat illud omne quod potentiâ præditum est. Sic dicit*, Psal. 98 : Qui sedet super Cherubim, *hoc est, qui potenter regnat.* Et ascendit super Cherubim, et volavit, Psal. 17, *hoc est, advenit cum multâ virtute. Illud igitur :* Et statuit Cherubim, Genes. 3, *dixit, ut indicet potentem quamdam et terribilem visionem et formam, quasi quorumdam animalium, collocatam esse in ingressu Paradisi, quibus inde Adam arceretur.* Huic Theodori observationi suffragatur Procopius in Genesis cap. 3. Hinc Deus super Cherubim nunquàm in sacris litteris sedere dicitur, nisi cùm illius potentia et fortitudo celebranda venit : Psal. 79 : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. Excita potentiam tuam, et veni ut salvos facias nos.* Et Psalmo 98 : *Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim, moveatur terra.* Et Psalmo 17, quo David Dei potentiam celebrat, v. 2 : *Et ascendit super Cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum.* Quem locum ita reddit Chaldæa Paraphrasis : *Et visus est in robore suo super Cherubim levissimus, et adduxit potentiam suam super alas turbinis.* Cherubim itaque Deum, cujus veluti solium erant, infinitâ sapientiâ et potentiâ pollere indicabant, et angelos, quorum sacra erant emblemata, scientiæ et potentiæ divinæ participatione excellere.

XIV. Quod spectat Cherubinorum arcæ originem intolerabilis est Spenceri opinio, qui ipsos à symbolis et simulacris Ægyptiis originem accepisse propugnat, lib. 3 de Legibus ritualibus Hebræorum, dissertatione 5. Varias animantium formas in uno simulacro commiscendi consuetudinem in Ægypto obtinuisse fateor. Sed quæ inter Ægyptiaca illa simulacra, et Cherubinos arcæ affinitas? Illa falsorum numinum, ista angelorum emblemata erant, et symbola. Illis divinus cultus exhibebatur ; ista non ad cultum, sed ad ornatum et mysticam significationem in propitiatorio effingebantur. Illa ab arte diaboli : ista ex arte et sapientiâ Dei derivata, et ad similitudinem exemplaris Moysi in Monte ostensi, Deo jubente, expressa, Exodi 26 : « Duos quoque Cherubim aureos et productiles « facies ex utrâque parte oraculi. Cherub unus sit in « latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propi- « tiatorii tegant expandentes alas et operientes ora- « culum, respiciantque se mutuò versis vultibus in « propitiatorium, quo operienda est arca, in quâ pones « testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam et lo- « quar ad te supra propitiatorium, ac de medio duo- « rum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, « cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. »

Denique Ægyptiaca illa simulacra et hieroglyphica Mosis ætate antiquiora fuisse non probat Spencerus, cùm auctores longè juniores proferat, qui simulacrorum hujusmodi meminerunt. Profert scilicet Porphyrium, lib. 4 de Abstinentiâ, de sacerdotibus Ægypti sic loquentem : « Apud eos Deus aliquis ad collum usque « formâ humanâ effingebatur, facies autem illi avis ali- « cujus vel leonis, vel alterius animalis aptabatur : et « rursùs alius caput humanum habuit, cæteras autem

« partes aliorum animalium, in aliis nempe inferiores, « in aliis autem superiores. » Profert Apuleium, pompæ Ægyptiacæ cæremonias describentem, Methamorphoseon lib. 2. « Gerebat, inquit, alius gremio « suo summi sui numinis venerandam effigiem, non « pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem « ipsius consimilem, sed solerti ingenio repertam, « ipsâ etiam novitate reverendam. » Profert Eusebium, libro 3 Præparationis Evangelicæ, cap. 12, ubi simulacrum soli consecratum Elephantinopoli memorat, « quod sedens, ac cæruleo corpore imbutum, ipso « quidem corporis trunco virilem præ se ferens speciem, arietis verò caput habens, in eoque proprium « ac primarium insigne, hirci cornua. Ibidem lunæ « meminit, cujus symbolum homo est, accipitris vultum præferens, ac Tryphonem hippopotami specie « conformatum jaculo subigens. » Profert Clementem Alexandrinum, lib. 5 Stromatum, p. 561, dicentem : « Ideò Ægyptii ante templa ponunt sphingas, quia « doctrina, quæ de Deo, ænigmatica est et obscura. « Fortè autem quòd Deum oporteat amare et timere : « amare quidem, ut sanctis benignum et propitium : « timere autem, ut qui sit impiis justus inexorabiliter. « Feræ enim simul et hominis imaginem sphinx si- « gnificat. » Profert S. Gregorium Nazianzenum, oratione 2 in Julianum, quem deos et ritus Ægyptios honore prosequentem sic compellat, et per jocum irridet : « Unum solum in rebus tuis est, quod vene- « rationem mereatur, nimirùm honores illi qui apud « Ægyptios Nilo per Androgynos habentur, et Isides, « et Apides, cæteræque omnes bestiæ, ex diversis ge- « neribus conflatæ quas confingis et pingis. » Hæc certè testimonia non probant hujusmodi simulacra multiformia apud Ægyptios ante legem Moysi à Deo datam in usu fuisse, et Moyses Cherubinos arcæ ad morem imaginum et symbolorum Ægyptiorum efformâsse. Si quæ esset ergo Cherubinis arcæ cum Ægypti symbolis et hieroglyphis cognatio, ea in diaboli æmulationem refundenda esset, qui, ut divinum cultum sibi arrogavit, ita divini cultûs instrumenta, ritusque sacratissimos, cùm hos et illa corrupisset atque adulterâsset, ad idololatriæ pompam transtulit. Sicut verò inane est quod ex formâ Cherubinorum struit Spencerus ad hypothesim suam confirmandam, ita et quod ex fine petit argumentum. Quamvis enim Cherubim divinæ præsentiæ et majestatis symbolum essent, et ex propitiatorio quod alis suis obumbrabant, Deus ad Moysen loqueretur, non erant neque credebantur Dei sedes et habitacula, sicut simulacra in gentilium templis posita deorum sedes ab Ethnicis habebantur, quibus deos per magicos characteres et superstitiosam dedicationem includi credebant, et alligari, ut constat ex Porphyrio apud Eusebium, lib. 5 Præparationis Evangelicæ, cap. 15, ubi de Hecate sic loquitur : « Neque tantùm istos sibi characteres placere, verùm « etiam iis sese circumscribi, subjectâque imagine, « sacro veluti domicilio, contineri declaravit. Nec enim « terra, nisi sacra fuerit, deos ferre ac sustinere queat : « sacra autem illa est, quæ divinam capit imaginem : « eâque sublatâ, id quod in terris numen retinebat, « illicò dissolvitur. » Hinc illa Gentilium apologia apud Arnobium, lib. 6 : « Nos neque æra, neque auri « argentique materiam, neque alias, quibus signa « confiunt, eas esse per se deos et religiosa decerni- « mus numina; sed eos in his colimus, eosque vene- « ramur, quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus ef- « ficit habitare simulacris. » Hinc Pseudo-Trimegistus, in Asclepio, simulacra deorum corpora fuisse ait, qui magicis quibusdam consecrationibus ad corpora illa inhabitanda et animanda cogebantur, ut refert S. Augustinus, libro 8 de Civitate Dei, cap. 23. *Statuas*, inquit, *ô Asclepi, videsne quatenùs tu ipse diffidas? Statuas animatas sensu et spiritu plenas, tantaque facientes et talia, statuas futurorum præscias*, etc. Asseri certè absque temeritate et impietate non potest Cherubinos propitiatorii ad istorum simulacrorum imitationem, et ob similem finem expressos.

Ex Dæmonis igitur æmulatione, quadriformes arcæ Cherubinos non tam exprimere quàm interpolare in idololatrico cultu gestientis, originem traxerunt quadriformes genii, quos supremo numini *Hempta*, pro quo Plutarchus *Emet* dicit, stipatores et nuntios tribuebant, referente Kirchero, p. 3, Sphingis Mysticæ de Mumiis, cap. 4. Quorum primus Horus sub pueri formâ, mundi sensibilis geniale numen significat. Secundus caninâ facie, vigilantissimum Anubicæ seu Hermeticæ œconomicæ præsidem refert. Tertius vultu accipitrino, quem Thaustum vocant, cornu etiam Hammonis insignitus, solarem calorem, et in mundo inferiori fœcunditatem designat. Quartus leoninâ facie formidabilis, *Monphta*, id est, Hylæi mundi, sive totius humidæ naturæ moderatorem adumbrat. Audierant scilicet Ægyptii supremo Hebræorum Numini, qui *Deus Emet*, sive *Veritatis*, in propitiatorio arcæ fœderis thronum suum habenti, angelos adsistere, mandatorum ipsius in orbe universo administros, sub Cherubinorum emblemate, quorum facies erant quadriformes, hominis, leonis, bovis, aquilæ. Quamobrem et ipsi *Hemptæ* supremo, quod sibi finxerunt, numini, quadriformes genios velut stipatores sive administros adjunxerunt, quorum unus pueri formam, alter caninam faciem, tertius accipitris, quartus leonis vultum haberet.

XV. Altare holocausti *ex lignis Setim* construi, et *laminis æneis operiri* Deus jussit, Exodi 27 et 38, 1; altare verò thymiamatis ex lignis ejusdem speciei compingi, et *aureo purissimo* vestiri, Exodi 30, 1, 2, 3. Verùm intùs lapidea fuisse hujusmodi altaria, vel terrea, necesse fuit, secundùm Dei mandatum, Exodi 20, 24, 25 : *Altare*, inquit, *de terrâ facietis mihi, et offeretis super eo holocausta, et pacifica vestra, oves vestras, et boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei : veniam ad te, et benedicam tibi. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus : si enim lavaveris cultrum super eo polluetur.* » Templi Hierosolymitani altare ex lapidibus non sectis, sed impolitis ædificatum, testantur Hechatæus apud Josephum, lib. 1 contra Appionem, et

Philo Judæus, lib. de Victimas offerentibus. Unde et 4 Macchabæorum 4, 47, dicitur : *Et acceperunt lapides integros secundùm legem, et ædificaverunt altare novum secundùm illud quod fuerat priùs.* Legem de altari terreo, vel ex lapidibus tumultuario opere collectis, de iis præsertim altaribus intelligendam, quæ ob causam extraordinariam ad tempus aliquod struebantur, qualia à Moyse Exodi 24, 4, à Josue, Gedeone, Samuele, Eliâ, extra ordinem erecta sunt, viri censent eruditi : et ad ea præcipuè tempora respectum habere, quibus Israelitæ in deserto oberraverunt; ubi mutatæ subinde sedes iis altaria nova struendi necessitatem attulerunt. Hujus rationis auctor Theodoretus, quæstione 44 in Exodum : « Nemo, credo, « negabit, inquit, quin uterentur ferreo, qui ligna « tabernaculi concinnabant, itidem qui aurum, ar- « gentum, aut æs fabrifaciebant. Quòd autem et sa- « cerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, « excoriabant et dividebant, hoc quoque arbitror ex- « tra controversiam esse. Quærendum ergo nunc est « quo pacto ferrum non polluebat hæc universa, la- « pides autem sectos polluebat. Certum quidem est « quòd alia ex aliis adstruit. Etenim quia Israelitæ « quadraginta annos permanserunt in deserto, con- « tingenter abeuntes et loca mutantes, ideò vetat è « lapidibus fabrefactis altaria construi : ne cùm hi « terram promissam obtinuissent, in aris illis vicini « dæmonum sacrificia celebrarent. Idcircò præcipit « ex terrâ, aut è lapidibus, quales natura produxit, « altaria construi. Nam utrumque facilè dissolvitur. « Porrò lex ipsa docet post ædificatum templum non « licuisse alibi sacrificare. Si verò lex sacrificare ve- « tabat extra templum, eâdem ratione altare construi « prohibebat. Unde ad convincendos impios, cùm « Elias ille magnus in monte Carmelo sacrificare « coactus esset, lapides nativos composuit totidem « numero quot erant tribus, et super his victimam « obtulit, ut quàm citissimè dissolvi posset ædificium « illud, et nemo alius in eo loco sacrificium offerret. » Hanc legem de altari ex terrâ, vel ex lapidibus asperis rudibusque et ferro intactis construendo, Deum tulisse in remedium idololatriæ, *quia idololatræ tunc temporis altaria sua ex lapidibus cæsis ædificabant*, censet Maimonides in More Novechim, p. 3, cap. 45. Idemque docet S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 4, ad 7, et ante ipsum Guillelmus Parisiensis libro de Legibus, cap. 2. Quanquàm et Gentiles ipsi, dæmone Dei æmulo suggerente, altaria è terrâ, ceu viridi cespite, sive ex aspero et impolito lapide, numinibus suis frequenter extruxerint. Testis Apuleius, libro 7 de aureo Asino : *Aram*, inquit, *cespite virente Marti deo faciunt.* Testis Lucanus, lib. 9 :

. . . . *Erexit subitas congestu cespitis aras.*

Testis Tertullianus, Apologetici capite 25 : « Etsi à « Numâ concepta est curiositas superstitiosa, nondùm « tamen aut simulacris aut templis res divina apud « Romanos constabat. Frugi religio et pauperes ritus, « et nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de « cespite altaria, et vasa adhuc Samia, et nidor ex « illis, et Deus ipse nusquàm. » De lapidibus, solius naturæ manu formatis, vel truncis informibus ad aras construendas, vel simulacra Deorum effingenda adhibitis, testis est Arrianus in Peripl. p. 1, ubi urbis Trapezuntis memoranda referens : *Stant ibi adhuc aræ*, inquit, *quanquàm ex aspero et impolito lapide, quo fit ut litteræ illis incisæ minùs sint notæ atque illustres.* Testis Pausanias in Achaicis : *Apud Græcos*, inquit, *instituto vetere receptum erat, deorum honores lapidibus rudibus imaginum loco exhibere.* Testis Tacitus, lib. de Moribus Germanorum, quorum *lucos et nemora* postquàm commemorâsset : *His*, inquit, *simulacra Deorum addita, id est, statuæ è stipitibus rudibus et impolito robore.* Testis Lucanus Massiliæ obsidionem describens :

*Lucus erat longo nunquàm violatus ab ævo.*
*Arboribus suus horror inest : tum plurima nigris*
*Fontibus unda cadit, simulacraque mista Deorum*
*Arte carent, cæsisque extant informia truncis.*

XVI. Vetuit etiam Deus, ne ad altare suum per gradus ascenderetur, Exodi 20, 26 : *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Legem hanc temporariam tantùm fuisse, et peregrinationi Israelitarum in deserto accommodatam, quidam interpretes opinantur : siquidem altare templi Salomonici decem cubitos altum (1 Paralipomenon 4, 1) gradus necessariò habuit, quibus ad illud ascenderetur; et Ezechielis altare gradibus instructum fuisse, probant expressa prophetæ verba cap. 43, 17. Alii censent Judæos terram in circuitu altaris uniformiter in altum sustulisse, adeò ut sacerdotibus non per gradus, sed per tramitem leniter acclivem ad altare ascendentibus, omnis verenda denudandi metus et occasio tolleretur. Ita Josephus, lib. 4 Antiquitatum, cap. 8, Abulensis et Ribera : alii arbitrantur Deum gradus perpetuos altari immobiliter adhærentes vetuisse : sacerdotem verò sacris operantem, scabellum, pontem, aut fabricam aliquam ligneam pedibus suppositam habuisse. Ita Chaldaica paraphrasis Jonathanis, S. Augustinus, quæstione 113 in Exodum, Hugo cardinalis et S. Thomas. Alii existimant Deum non gradus omnes, sed gradus multos, altos, pompæ, non usui deservientes, in altaris sui structurâ prohibuisse, ut Judæos à gentilium ritu removeret, qui in altaribus sublimibus sacrificabant, quæ Scriptura vocat *Excelsa* simpliciter, et eo nomine execratur, Levitici 26, 30; Numerorum 33, 52; Ezechielis 6, 3; Osee 10, 8; Amos 7, 9. Volunt itaque nominis minimè obscuri interpretes, legem altare tantùm prohibere, ad cujus apicem gradibus altis, et cruribus operosè divaricatis ascendebatur, quale describitur à poetâ templum Junonis.

. . . . . *Donis opulentum et Numine Divæ,*
*Ænea cui gradibus surgebant limina.*

Ita Villalpandus in Ezechielis, cap. 43, et Pineda, lib. 7 De Rebus Salomonis, cap. 10. Favet ratio legi adjuncta : *Ne*, inquit, *reveletur turpitudo tua.* Fieri enim facilè potuit ut sacerdos in altum ascendens, nuditatem suam populo inferiori spectandam præberet, si

ventus paulò vehementior tunicæ demissæ lacinias attolleret, aut cruribus nimis explicatis feminalia sua rumperentur. Hoc igitur institutum fuit *ad excludendam idololatriam. Nam in sacris Priapi sua pudenda gentiles populo denudabant.* Verba sunt S. Thomæ, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 4 ad 7. *Peoris*, seu *Beelphegor*, qui et *Priapus*, cultum solâ pudendorum coram ejus idolo denudatione peragi potuisse, constat ex paraphrasi Chaldaicâ Jonathanis in Numerorum 25, 1, 2, ex Gemara et ex Maimonide in *More* Nevochim, p. 3, cap. 55. Idque innuisse videtur Osee, cap. 9, 10 : *Ipsi autem*, inquit, *intraverunt ad Beelphegor, abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

### § IV. *De vestibus sacerdotalibus, ac de Urim et Thummim.*

I. Sacerdotales vestes quædam erant sacerdotibus omnibus communes, aliæ summo sacerdoti seu pontifici propriæ. Exodi 28 describuntur, et à Josepho, lib. 3 Antiquitatum, cap. 8. Communes erant sacerdotum atque pontificum vestes : 1° *Linea feminalia*, usque ad genua et poplites demissa, quibus pudenda tegerentur. Horum superior pars sub umbilico vehementer adstringebatur, ut si, quando mactarent victimas, tauros et arietes traherent, portarent onera, cæterisque ministeriis incumberent, etiam fortè laberentur, et casu femora detegerentur, partes obscœnæ non apparerent. Ita sacerdotum honori et Sacrorum reverentiæ à Deo consultum est. Nam et sacerdotes ludibrio vulgi expositi fuissent, et sacra in contemptum abiissent, si spectaculum aliquod inhonestum in sacris contigisset. Refert Josephus hujusmodi feminalia ex bysso retortâ ob fortitudinem solere contexi, et postquàm incisa fuerint, acu consui : non enim posse in telâ hujuscemodi fieri.

II. Secundum indumenti genus erat *Tunica talaris, linea*, quam et Byssinam Josephus appellat. Hæc adhærebat corpori, et tam arcta erat, et strictis manicis, ut nulla omninò in veste ruga esset. Commoda hæc vestis erat ut sacerdotes sacra ministeria expeditè obirent. Solent, inquit S. Hieronymus, epistolâ 128 ad Fabiolam, « militantes habere lineas, quas « camisias vocant, sic aptas membris et astrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum vel ad præ« lia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare, « et quòcumque necessitas traxerit. Ergo et sacerdo« tes parati in ministerium Dei utuntur hâc tunicâ, ut « habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum « celeritate discurrant. » Lineas sacerdotum Hebræorum tunicas imitati sunt linigeri Isidis in Ægypto sacerdotes, de quibus Juvenalis, satyrâ 6 :

*Qui grege linigero circumdatus et grege calvo.*

Et Apuleius in Apologiâ : *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modò indutui et amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur.* Sacerdotes, qui Ammonis sacra in templo Gaditano procurabant, Silius Italicus ita describit, lib. 3 :

*Femineos prohibent gressus, ac limine curant*
*Setigeros arcere sues, nec discolor ulli*
*Ante aras cultus, velantur corpora lino.*

In aliarum etiam gentium sacra lineæ vestis usum invexit diabolus Dei æmulus. Deæ Syriæ sacerdotes veste candidâ ornatos sacris operam dedisse, testis est Lucianus, lib. de Deâ Syriâ. Junonis etiam famulas, illius sacra gestantes candidis vestibus velatas describit Ovidius.

*More patrum, Sanctæ velatæ vestibus albis,*
*Tradita supposito vertice sacra ferunt.*

Probabilitate certè caret Spenceri sententia, libro 3 de Legibus Hebræorum ritualibus, dissertatione 1, asserentis, lineam Hebræorum sacerdotum vestem ab antiquo gentium, aut Ægypti more deducendum esse. Nam sacerdotales vestes, symbola sanctitatis, Deum ex diaboli officinâ fuisse mutuatum, quis sibi persuadeat? Dei mandato sacerdotales vestes factas esse Scriptura sacra testatur, Exodi 38 : « Faciesque vestem sanctam Aaron « fratri tuo in gloriam et decorem. Et loqueris cunctis « sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ ut « faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus mi« nistret mihi. Hæc autem erunt vestimenta quæ fa« ciunt, etc., tunicam lineam strictam, etc. Facient « vestimenta sancta fratri tuo Aaron et filiis ejus, ut « sacerdotio fungantur mihi... Porrò filiis Aaron tu« nicas lineas parabis, et balteos et tiaras in gloriam « ac decorem. » Ad sacerdotum Ægyptiorum morem Deum respexisse, neque Scriptura, neque Patres asserunt. Lini feracissima fuit Ægyptus, lino Ægypti sacerdotes ipsaque numina ornabantur, fateor : sed non probat Spencerus, neque probare potest, ante Moysen Ægyptios vestem lineam in sacris adhibuisse. Herodotus, Apuleius, Plutarchus, Plinius, Juvenalis, Ovidius, Martialis de Ægyptiorum sui temporis more ac ritibus fidem faciunt, sed hujusmodi moris ac rituum originem non aperiunt, aut antiquitatem indicant. Auctores sunt denique Moyse longè recentiores. Quanquàm etsi Ægyptiis Moysis ætate jam in more fuisset lineæ vestis in sacris usus, id non probaret vestis sacerdotalis originem ex Ægypto derivandam esse : cùm à Patriarchis acceptum hunc ritum sit verisimilius, qui Deo intùs docente didicerint, quod dixit postea Plato : *Colorem album præcipuè decorum Deo esse ;* et hoc ritu significâsse puritatem animi et corporis quâ sacra tractari et administrari debent.

III. Tertium indumenti genus utriusque ordinis sacerdotibus commune, est baltheus seu zona, aut cingulum textum subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, et stamine byssino, ob decorem et fortitudinem, atque ita polymitâ arte distinctum, ut diversos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam inter umbilicum ac pectus hoc stringebant baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, et ex unâ parte ad crura dependens, cùm ad sacrificia cursu expeditiore opus erat, in lævum humerum retorquebatur. Sic illum describunt Josephus et S. Hieronymus. Hunc vestes lineas circa pectus cingendi morem Ægyptii quoque sacerdotes

imitati sunt, Apuleio teste, lib. 2 de aureo Asino, ita scribente : *Illa linea tunica mundale amicta, et rubeâ fasciolâ prontente, altiusculè sub ipsas papillas succincta*, etc. Ab Ægyptiis sacerdotibus hunc cingendi ritum Hebræos accepisse non probatur. Sacratiorem ac planè divinam ejus originem fuisse colligere est ex Apocalypticâ Visione, Apocalypsis 15, 6, ubi septem angeli de templo exeuntes describuntur *vestiti lino munao et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis*. Et Apocalypsis 1, 13, S. Joannes vidit in medio septem candelabrorum aureorum *similem Filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zonâ aureâ*. Ratio litteralis cur ita cingerentur sacerdotes erat, ut magis expediti essent ad sacra ministeria obeunda, et ne zona medium corpus stringens sudorem provocaret, et sacræ vestes impuræ et malè olentes ex attracto sudore redderentur. Quod indicare videtur illud Ezechielis 44, 17, 18, ubi sacerdotum vestes Deus describit : *Cùmque ingredientur*, portas atrii interioris, vestibus lineis înduentur... *Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore.*

IV. Quartum genus vestimenti sacerdotibus omnibus communis, est *Tiara*, seu rotundus pileolus. Non habebat acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegebat, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquebat ; atque ita in occipitio vittâ constrictus erat, ut non facilè laberetur ex capite. Erat autem byssinus, et sic fabrè opertus linteolo, ut nulla acûs vestigia extrinsecùs apparerent. Ita post Josephum S. Hieronymus.

V. Quintum indumenti sacerdotalis genus, pontifici proprium, erat *Tunica talaris, tota hyacinthina*, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, et in superiori parte, quâ collo induebatur, aperta, oris firmissimis ex se textis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumperetur. In extremâ parte, id est, ad pedes septuaginta duo erant tintinnabula, et totidem mala punica iisdem contexta coloribus. Inter duo mala punica unum tintinnabulum aureum interjacebat. Ratio legis redditur, Exodi 28, 15 : *Ut audiatur sonitus quando* Pontifex *ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur*. Ratio litteralis erat ut ad sanctuarii, Deique in sanctuario residentis reverentiam cùm pontifex ipse, tùm sacerdotes reliqui, Levitæ ac populus excitarentur. Typica, seu allegorica, ut Evangelii prædicatio per orbem universum significaretur, interprete S. Cyrillo, lib. 2 de Adoratione in spiritu et veritate, pag. 387. « Id quoque, inquit, symbolum est illius salutaris atque sapientis dispensationis, divinæ, inquam, atque Evangelicæ prædicationis quâ propemodùm universæ urbes circumsonant, cùm propter nos introivit in sancta sanctorum, æternâ redemptione inventâ summus ille sacerdos immaculata victima : *Unâ enim oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos*, Hebr. 11. Sunt autem minimè obscurum ænigma prædicationis quidem salutaris illa ex auro facta tintinnabula, urbium autem malogranata.... Ut enim urbs uno illa quidem extrinsecùs muro circumdatur, longè autem plurima intra se domicilia continet, eodem quoque modo malum granatum uno extrinsecùs putamine cingitur, sed interiùs grana subtilibus tunicis tanquàm muris inter se distinguuntur, ac propè dixerim, per domicilia colliguntur ... Tintinnabulum igitur singulis malogranatis adjunctum est : nam et unicuique urbi suus magister, qui divinarum disciplinarum scnitu atque concentu Salvatoris nostri in sancta sanctorum ingressum omnibus declaret. Impendebat autem mortis metus iis, quibus sacerdotis munere in tabernaculo fungi demandatum erat, nempe Aaron, nisi tintinnabula maximè circumstreperent. Est enim silentium doctoribus inprimis periculosum. Idque perspicuè illud est quod Paulus ait : VÆ ENIM MIHI EST, NISI EVANGELIZAVERO. » Rationem omninò moralem affert S. Hieronymus, Epistolâ 128 ad Fabiolam, de veste sacerdotum ; inquit : « Debet esse scientia et eruditio pontificis Dei ut et gressus ejus, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet, et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. Absque tintinnabulis enim et diversis coloribus, et gemmis, floribusque virtutum, nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere. »

A sacerdotis summi campanulis seu tintinnabulis originem accepêre sistra et crepitacula apud Ægyptios, aliasque gentes, dùm sacra falsis numinibus fierent, insonantia, suggerente dæmone Dei æmulo. Hinc Martialis Isidis sacerdotes *sistratam turbam* vocat. Ipsaque Ægyptus *terra cymbali orarum*, sive (ut habet Vulgata) *alarum* dicitur, Isai. 18, 1. Cymbalum autem orarum, ut observat Bochartus in Phaleg., lib. 4, cap. 2, phrasi Hebraeâ cymbalum est, cujus in lateribus sunt oræ seu margines, id est, sistrum. Sistrum enim est cymbali species non minùs tinnula quàm vulgare cymbalum. Hinc Ovidius, lib. 1 de Ponto, elegiâ 1 :

*Jactantem Pharia tinnula sistra manu.*

Et Apuleius, lib. 11 Metamorphoseon : *Æreis et argenteis, imò verò aureis et jam sistris argutum tinnitum constrepentes.*

Sed in eo differt sistrum à vulgari cymbalo, quod, cùm rotundum fuerit cymbalum, sistrum fuit ovali formâ cum certis oris seu marginibus, ex quibus appensa tintinnabula argutum strepitum concussu edebant. Sanè verisimiliùs, consultiùs ac religiosiùs ad æmulationem dæmonis hi Ægyptiorum seu gentium aliarum ritus referuntur, quàm à receptâ cultûs Ægyptiaci pompâ tanquàm primo exemplari cum Spencero deriventur. Hinc illud Plutarchi de sacerdote maximo Judæorum loquentis, Symposiacon lib. 4, quæstione 5 : « Multa tintinnabula dependent de veste, quæ inter ambulandum strepitum edunt, prout apud nos hodiè sonitibus utuntur inter sacrificia. »

VI. Sextum indumenti genus, soli pontifici conveniens, erat *superhumerales*, Hebræis *Ephod* dictum, Ephode simplicium sacerdotum longè pretiosius et

formâ præstantius. Istud enim simplex erat et lineum, ad cujus similitudinem parvulus Samuel, Levitici ordinis, Ephod indutus erat, ut narrat sacer historicus 1 Reg. 2, et David ante arcam Domini *accinctus* erat *Ephod lineo*, ut habetur 2 Reg. 6, 14. Ephod autem seu superhumerale pontificium, palliolum erat ex auro et hyacintho, et purpurâ, coccoque bis tincto, et bysso retortâ, opere polymito contextum, mirâ pulchritudine et fulgore præstringens oculos. Contra pectus nihil contextum erat, ut locus *Rationali* relinqueretur. In utroque humero singulos habebat lapides clausos et strictos auro : quos Aquila, Symmachus, Theodotio, et Latinus interpres *Onychinos* vocant : Septuaginta *Smaragdos ;* Josephus *Sardonicas*, cum Hebræo et Aquilâ cæteroquin consentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret. Singuli sculpti erant et cælati senis patriarcharum, à quibus Israel tribus appellatæ sunt, nominibus ; in dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores scripti erant ; *ut Pontifex ingrediens Sancta sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus erat Dominum, portaret in humeris*, inquit S. Hieronymus ; ut etiam patriarcharum virtutes in memoriam revocarent, cùm Pontifex, tùm populus, et illas imitari studerent, ut exponit Beda ; ut denique significaretur sacerdotem infirmitates populi tolerare debere compatientis charitatis affectu, ut exponit S. Thomas primâ secundæ, quæstione 102, articulo 5, ad 8.

VII. Septimum indumentum, mensurâ quidem parvum, sed cæteris sacratius, Hebraicè *Osen*, Græcè λόγιον, Latinè *rationale* appellatur. Pannus erat brevis, ex auro et quatuor coloribus textus, hoc est, iisdem quibus et superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum ; et duplex ne facilè rumperetur. Intexti erant ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii, per quatuor ordines. In primo ordine, sardius, topazius, smaragdus coruscabant. Ceraunium pro smaragdo Symmachus transtulit. In secundo ordine, carbunculus, saphyrus, jaspis. In tertio lyncurius, achates, amethystus. In quarto chrysolitus, onichinus, berillus. Lyncurium pro hyacintho positum, sanctus Hieronymus conjicit. In his lapidibus sculpta erant duodecim tribuum Israel nomina, in singulis singula. Sub horum nominibus et specie, virtutum vel ordo, vel diversitas indicabatur. Per quatuor rationalis angulos quatuor annuli aurei, quibus alii quatuor in superhumerali respondebant, ut vittis hyacinthinis, et catenis aureis rationale superhumerali necteretur, et quasi una textura videretur. *Rationale Judicii* vocatur, quòd cor ac pectus tegeret, ornaretque, *ubi rationalis facultatis est locus : in facultate enim rectè ac justè judicandi ratio continetur*. Lapides duodecim auro conclusi, in quibus universæ tribus describtæ, *sanctorum virorum figuram gerunt, qui tum spendorem habent, tum pretiosi sunt, et veluti lapides quidam electi, ac propemodum in Christi corde atque animo positi. Sunt enim planè digni qui commemorentur propter virtutis claritatem, dignitatemque sanctificationis*. Aureæ fimbriæ è rationali pendentes significant, *De sanctorum hominum cœtu maximum et infinitum rerum præclarè gestarum examen propè suspensum videri : ideòque David Ecclesiæ ornatum in fimbriis esse dicit*. Rationalis cum superhumerali connexio, significat, *Christo interposito mediatore, superis infera esse connexa :* Ipse enim est pax nostra, qui *fecit utraque unum*, ut Scripturæ tradunt, *et angelorum cœtui humanam naturam charitatis vinculo devinxit*. Ternorum lapidum per quatuor ordines dispositio, *orum qui in Christi corde ac memoriâ habentur, fidei firmitatem nobis adumbrat. Nam fidei signum est, quod terni et tanquàm in trinitate dispositi sunt ; firmitatis autem quòd eâ figurâ conformati, quæ quadrata esset, et paribus undique lateribus*. Ita S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2 de Adoratione in Spiritu et Veritate, p. 384 et 385.

VIII. Rationali Deus incidi jussit *Urim* et *Thummim*, ut habet textus Hebræus sic ad verbum translatus : « Et dabis ad pectorale judicii URIM et THUMMIM, et erunt super cor Aaronis, cùm ingressus fuerit coram Domino (id est, in Sancta Sanctorum), et portabit Aaron judicium filiorum Israelis super cor suum coram Domino jugiter (Exod. 28. 30) : » URIM *ignes* vel *lumina :* THUMMIN *perfectiones, integritates* significare, ferè convenit inter eruditos. Septuaginta Interpretes URIM et THUMMIM transtulerunt *Demonstrationem et Veritatem :* sic enim habet eorum Versio : Καὶ ἐπιτιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. *Et impones super rationale judicii demonstrationem et veritatem*. Chaldaica paraphrasis *Onkelosi* servat nativas voces *Urim et Thummim*. Aquila et Theodotion eas *per* φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις, id est, *illuminationes et perfectiones* interpretantur. Syriacus *Lucidum et perfectum* reddit : *Et pone super thoracem judicii lucidum et perfectum*. Arabs : *Et pones in thorace præparato dilucidationes et certitudines*. Vulgata nostra, URIM et THUMMIM reddit, *doctrinam et veritatem*. Sic enim habet : « Pones autem in rationali « judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore « Aaron, quando ingredietur coram Domino : et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. » Ex hâc versionum varietate non magis quàm ex Hebræo textu innotescit, quid illud sit quod Deus rationali apponi vel inseri jussit, et quod Moyses nominibus URIM et THUMMIM significavit. Cùm enim reliquarum omnium vestium sacerdotalium materia, forma, factura describantur accuratè Exodi 25, de his solis nihil hujusmodi expressis ac disertis verbis præscribitur : cæteras per artifices Deus fieri jubet : de his verò soli Moysi præcipit : *Et indes pectorali Urim et Thummim :* sive, ut habet vulgata versio : *Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem*. Cap. 39 Exodi, ubi recensentur singillatim pontificalia et sacerdotalia vestimenta à Beseleele et Oliabo secundùm mandatum Dei Moysi datum confecta, nulla URIM et THUMMIM constructi, vel contexti, aut insculpti, vel inscripti rationali mentio habetur. At Levit. 7, ubi consecratio Aaronis ceu pontificis describitur, v. 8, dicitur : *Et superimposuit ei pectorale, et indidit pectorali* URIM et THUMMIM. Sive, ut habet Vulgata : *Super-*

*humerale aptavit rationali, in quo erat doctrina et veritas.*

IX. De usu URIM et THUMMIM, eorumque notione generali, eruditi consentiunt. Certissimum Dei oraculum fuisse censent, per quod Deus in rebus gravibus, dubiis et inopinatis, Ecclesiæ vel Reipublicæ salutem spectantibus, à rege aut principe, vel Synedrio interrogatus, quæ facere oporteret, per summum sacerdotem revelabat. URIM ET THUMMIM in hunc usum divinitùs instituta fuisse, demonstratur ex Scripturâ sacrâ. Cùm enim Deus Moysi mox morituro præcepisset ut manum Josue duci populi designato imponeret (Numerorum 27) addit : « Et stabit coram Eleazaro « sacerdote, et omni multitudine : et dabit ei præcepta « cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat « eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si « quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Do« minum. » Textus Hebræus habet : « Et coram Elea« zaro sacerdote stabit, et interrogabit eum de judicio « URIM, juxta os ejus ingredientur, ipse et omnes filii « Israelis, et tota congregatio. » Abiathar sacerdotem Deum nomine Davidis per *Ephod* (quo nomine *Urim* et *Thummim* ab eo indivulsa intelliguntur) consuluisse narrat sacra Regum historia, lib. 1, cap. 23, 9, 10, 11, 12. *Cùm David rescisset*, inquit, *quia præpararet ei Saül clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem : Applica Ephod. Et ait David : Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quòd disponat Saül venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me : si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? Et si descendet Saül, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet. Dixitque David : Si tradent me viri Ceilæ et viros qui sunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus : Tradent.* Et cap. 30, 7, 8 : *Confortatus est autem David in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar sacerdotem : Applica ad me Ephod. Et applicavit Abiathar Ephod ad David, et consuluit David Dominum dicens : Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus : Persequere; absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam.* Lib. 1 Esdræ, cap. 2, narratur quòd cùm sacerdotes nonnulli recens è captivitate reduces, nomina sua in genealogiis reperire non potuissent, Esdræ mandato cautum sit, *ut non comederent de sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus* : sive (ut Hebræus textus habet) *donec extaret sacerdos cum* URIM et THUMMIM, id est, donec Deus oraculo determinaret utrùm è familiâ sacerdotali originem traxissent. Hunc usum *Urim et Thummim* confirmat Josephus, lib. 3 Antiquitatum, cap. 9, ubi Rationale à græcis Judaicæ religioni non infensis *Oraculum* vocari testatur. Idem confirmat summus Hebræorum consensus, qui omnes revelationis divinæ modos ad quatuor capita revocant : 1° *Spiritum sanctum*, cujus afflatu aliquis summis in negotiis et officiis derepente prodit, aptus ad loquendum, vel agendum ultra humanum modulum; 2° *prophetiam*, quæ et somnium et visionem complectitur; 3° *filiam vocis*, verbum scilicet de cœlo mediante angelo factum; 4° *Urim et Thummim*, quibus Deus personis publicis, de Ecclesiæ vel regni gravioribus negotiis ipsum consulentibus velut Deum ac regem Israelis, majestatis suæ placita declarabat, et de futuris eventis publicum bonum spectantibus certiores faciebat.

Ut autem de publicis duntaxat negotiis, à personâ publicâ, id est, rege, principe, vel duce, aut patre Domûs Judicii, id est, Synedrii præside, URIM et THUMMIM consuli potuisse tradunt, ne divini oraculi auctoritas vilesceret, ac in abusum traheretur : ita solo pontifice mediante, velut divinæ voluntatis nuntio et interprete ordinario ad *Urim* et *Thummim* datum fuisse aditum asserunt. Soli enim pontifici *Urim* et *Thummim* Rationali indita circumferre licebat. Id ex Talmud Joma, cap. 7 ex R. Levi Ben Gerson, ex Seder Olam, cap. 14, ex Abarbanele in Deuteronom. aliisque Hebræorum magistris, probat Buxtorfius in Historiâ URIM et THUMMIM, cap. 3. Id confirmatur ex illis verbis Deuteronomii 33, 8, quibus Moses tribui Leviticæ benedicens, ob Aaronis meritum URIM et THUMMIM perpetua adprecatur : *Urim et Thummim tua viro sancto tuo.* Ita quidem textus Hebræus, ubi Vulgata nostra habet : *Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo*, etc. Oraculum illud sub templo secundo defecisse tradunt Hebræi, quorum testimonia apud Buxtorfium, cap. 5, legi possunt. Salomonis temporibus conticuisse propugnat Spencerus, lib. 3 de Legibus Ritualibus Hebræorum, dissertatione 7, cap. 7, argumento præcipuè negativo, ex silentio Scripturæ petito, in quâ Deum post Salomonis tempora quandoque per prophetas, nunquàm per *Urim* aut *Thummim* de publicis negotiis consultum legimus. Id confirmat ex 2 Paralipomenon, cap. 34, 22, ubi Helcias pontifex Oldam prophetissam consuluit, cùm Josiæ regis animus in dubio hæreret, et ille aliique de rerum eventu solliciti inter spem metumque vacillarent. Neutiquàm autem credibile est, inquit Spencerus, Helciam consilia circa regni dubium impetrandi causâ Oldam adire voluisse, si rationalis oraculum suo saltem tempore non conticuisset. Hæc enim submissio pontificis officio locique sui dignitati minùs consentanea videtur. Verùm de re incertâ et obscurâ judicium suspendere consultius existimo.

X. Ratio litteralis cur URIM et THUMMIM Israelitico populo Deus dederit, multiplex afferri potest. Prima, ut Israelitas cultui suo magis adstringeret, qui ad oracula ariolosque gentium in vicinià habitantium, insitâ quâdam futurâ cognoscendi libidine confugissent, et consequenter ad earumdem ritus et idola defecissent, si sua ei defuissent oracula. Hanc rationem Origeni debemus, lib. 1 contra Celsum : « Gentibus, inquit, « futurorum cognitionem petentibus ex oraculis, aus« piciis, auguriis, ventriloquis, aruspicibus, Chaldæis, « Genethliacis, quæ artes omnes apud Judæos sunt « vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent è futuro« rum præscientiâ, certè impulsi humanâ quâdam fu« tura cognoscendi libidine contempsissent res suas « ut nihil divini in se habentes. Nec alium post Moysen « prophetam recepissent, transfugissentque ad oracula « gentium, aut ipsi conati fuissent apud se aliquid « simile instituere. » Secunda, ut divinæ præsentiæ

ac specialis providentiæ signum esset ac argumentum. Tertia, ut hoc oraculum divini imperii pignus esset ac testimonium. Cùm enim Deum de negotiis reipublicæ gravioribus consulerent, ipsum esse regem Israelis profitebantur, ut reverà erat. Unde Theodoretus, quæst. 14, in 1 Regum, Deum iratum fuisse ait, cùm regem petiisset populus : « Quoniam petitio erat præter legem « divinam. Dominus enim Deus et Dei et regis implebat munus. Propheta autem erat administer, et veluti « quidam præfectus, aut magister militum, aut tribunus plebis. » Quarta, ad conciliandam summo sacerdoti reverentiam, qui oraculorum divinorum nuntius esset ac interpres. Id Ethnicis imitandum suggessit diabolus Dei æmulus. Suos enim pontifices, quos Deorum alloquiis dignos præ cæteris existimabant, muneri Deos consulendi præposuerunt. Hinc Lucianus, lib. de Deâ Syriâ, sermonem faciens de Apollinis oraculo, ait : « Summus sacerdos supplex accedens, interrogat illum de omnibus in dubio positis. » Hinc Julianus, Epistolarum p. 237 : « Ego, inquit, quoniam « sacrorum patriorum factus sum pontifex, et oraculi « Didymæi præfecturam jam sortitus sum, edico tibi « ne quid eorum quæ ad sacerdotem magnum spectant totis tribus mensibus attingas. » Ratio verò typica URIM et THUMMIM erat adumbratio prophetica veri pontificis JESU CHRISTI mediatoris Dei et hominum, *per quem gratia et veritas facta est*, imò qui *veritas* est, et *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum;* et mysteria enarravit, utpote *unigenitus qui est in sinu Patris;* et *omnia quæ audivit à Patre*, apostolis suis, et per eos Ecclesiæ suæ *nota fecit.*

XI. De naturâ URIM et THUMMIM variæ sunt ancipitesque cùm Hebræorum, tùm Christianorum sententiæ. Quidam censent Oraculum illud nihil aliud fuisse quàm duodecim gemmas rationalis cum inscriptis duodecim patriarcharum nominibus. In eâ fuêre sententiâ R. Azarias in Meor Enaiim, cap. 50; Josephus, lib. 3 Antiquitatum, cap. 8 et 9; Nicolaus de Lyra, Tostatus Oleaster, Lipomanus, Ribera. Procopius in Deuteronomii 33 duos lapides fuisse censet, *claritatem* et *veritatem* repræsentantes. Anastasius Nicænus, quæstione 38 in sacram Scripturam, putat fuisse adamantem qui summo pontifice in sacra sanctorum intrante, si populus peccato pollutus esset, nigresceret; si Deus illum punire decrevisset sanguinei coloris efficeretur; si non peccâsset, albesceret ut nix : atque tempore Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ insigniter splenduisse. Arias Montanus, sententiæ Procopii adhærens, duos lapides lucidissimos fuisse existimat, à Deo immediatè productos, ac Mosi datos. R. Azarias his argumentis suam fulcit sententiam. 1. Quòd duodecim illæ gemmæ inditæ fuerint rationali, et ejus duplicationem repleverint, unde *Lapides implectionum* vocantur. 2. Quòd Moyses, Exodi 39, accuratè omnia vestimenta describens, rationalis quidem, sed Urim et Thummim nullatenùs meminerit : Levitici verò 8, ubi Urim et Thummim commemorat, de duodecim illis gemmis sileat. Quod argumento est Urim et Thummim nihil aliud fuisse præter gemmas ipsas rationalis. 3. Quòd notissimum sit responsum per Urim et Thummim datum, ex gemmis illis et litteris illarum egressum esse per lucem ex illis promicantem; unde *Illuminationes* dictæ sunt quasi *gemmæ lucentes.* 4. Maimonidem in hanc propendere sententiam ait, ex cujus suffragio maxima ipsi probabilitas accedat. 5. Addunt alii, cùm Moyses vestium sacerdotalium materiam et formam accuratissimè descripserit, illum pluribus etiam descripturum fuisse Urim et Thummim, si aliud à duodecim rationalis gemmis per illa intellexisset. Josephus, lib. 3 Antiquitatum, cap. 8, pontificium ornatum describens, gemmarum quidem in rationali fulgentium, Urim et Thummim nullam fecit mentionem. Cap. 9, ubi de rationalis oraculo agit, gemmas tantùm insolito fulgore radiantes commemorat : « Per duodecim gemmas, inquit, quas in pectore « pontifex insutas Esseni (id est, rationali) gestat, in « bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priùs « quàm exercitus se moveret, tantus fulgor ex eis « emicabat, ut toti populo facilè innotesceret adesse « Deum, opemque et auxilium suum invocantibus esse « allaturum. Quapropter Græci quotquot à nostrâ religione non abhorrent, cùm hoc miraculum pro « compertissimo habeant, ita ut negari non possit, « Essena vocant λόγιον, hoc est, oraculum. Desiit tam « Essen quàm Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequàm hæc commentaremur, irato Deo « propter legum suarum prævaricationem. » Hanc sententiam sugillat et ad fabulas rejicit sanctus Augustinus, quæstione 117 in Exodum, exponens illa verba : *Et impones super rationale judicii demonstrationem et veritatem.* « Sic autem habet : Quid sibi hoc velit, vel « in quali re vel metallo poneretur super rationale demonstratio et veritas, quoniam talia dicit fieri in « veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt, invenire « difficile est. Fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera « mutaretur, quando sacerdos intrabat in sancta; et « hoc esse quod ait : *Et afferet Aaron judicia filiorum Israel super pectus*, ostendens videlicet in illâ demonstratione et veritate, quid de illis judicaverit « Dominus. Quanquàm possit intelligi demonstrationem et veritatem litteris impositam super λόγιον. » Cum S. Augustino sentit S. Thomas Primâ Secundæ, quæstione 102, articulo 5 ad 8 et 9. « Judæi, inquit, « fabulantur, quòd in rationali erat lapis, qui secundùm diversos colores mutabatur, secundùm diversa « quæ debebant accidere filiis Israel : et hoc vocant « veritatem et doctrinam. » Antiqui tamen et doctissimi Patres hanc Hebræorum sententiam ut maximè probabilem adoptârunt. In eâ fuit S. Joannes Chrysostomus, oratione 4 contra Judæos. « E lapidibus, inquit, qui erant in pectore summi sacerdotis (id vocabant declarationem), relucebat fulgor quidam futura significans..... Itaque ne Judæi perfrictâ fronte « hominibus imputarent suarum rerum vastationem, « non solùm civitatem Deus passus est dirui ac templum vastari, verùm etiam illa quæ cœlitùs habebant « originem, è medio sustulit, videlicet ignem, vocem,

« è lapidibus reddi solitum fulgorem, et hujus generis « alia universa. » In eàdem sententiâ est Theodoretus, quæst. 60 in Exodum. « Supra pectus autem, inquit, « erat quod rationale vocabatur, tegens cor, partem « rationalem. Quod ipsum quoque duodecim lapides « habebat apparatos, diversis coloribus distinctos : at- « que ex his belli tempore cognoscebatur victoriane an « clades immineret, ut perspicuum est ex Historiâ « regnorum. Nam cùm alienigenæ coacto exercitu in- « vaderent populum Israel, ante confligere Saül non « est ausus, quàm victoriæ indicia perspexisset. *Appli- « ca*, inquit, *Ephod*. Deinde cùm victoriam futuram « animadvertisset, addidit, Exod. 28 : *Contrahe Ephod*, « et ita populum armari jussit. Propterea cùm dixisset « Deus omnium, *et impones rationale judicii supra pe- « ctus Aaron, et aptabis illud superhumerali*, subjunxit : « *Et impones illi demonstrationem et veritatem*. Ac de- « monstrationem quidem appellavit indicia, quæ inde « petebantur ; veritatem verò ipsam indiciorum certi- « tudinem. Cæterùm non est ignorandum, Dominum « sapientissimum per signa corporea studuisse com- « modo eorum, qui crassioris adhuc erant ingenii, nec « percipere ea quæ intellectualia sunt poterant. »

Hanc sententiam tantis licet nominibus roboratam ratio non levis concutit, ex ipso Scripturæ sacræ textu petita. Deus enim Urim et Thummim rationali jam perfecto et absoluto apponi jussit. At lapides inseri voluit, cùm adhùc rationale sub artificum manu versaretur. Istos à *Beseleel* vel sociis ; illa ab ipso Moyse. Postquàm enim Deus voluntatem suam de gemmis in rationalis palis includendis declarâsset Exodi 28, tandem addit v. 30 : *Et dabis ad pectorale judicii Urim et Thummim*. Sive, ut habet Vulgata : *Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino*. Nisi verò à gemmis diversum quid fuissent Urim et Thummim, ad quid novo mandato sanxisset Deus ut hæc in rationali ponerentur, cùm jam antea gemmas in illo disponi ac figi præcepisset ? Scio Hebræos ad majorem inculcationem id factum comminisci. Sed cur majori inculcatione opus in gemmis, quàm in reliquâ rationalis et Ephod, ac aliarum vestium sacrarum texturâ ? Cur etiam verbis obscuris et mysticis, non autem apertis et usitatis, contra communem hominum morem, res eadem inculcaretur ? Denique Siracides Ecclesiastici 45, 12, 13, ubi pontificis ornamenta describit, de rationali judicii, de Urim et Thummim, de gemmis insculpta tribuum nomina gerentibus, velut de rebus distinctis loquitur. « Stolam « sanctam auro et hyacintho, et purpurâ, opus textili, viri sapientis, judicio et veritate præditi : torto « cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in « ligaturâ auri, et opere lapidarii sculptis, in memo- « riam secundùm numerum tribuum. »

XII. Alii volunt URIM et THUMMIM fuisse scripturam vel sculpturam nominis tetragrammaton, cum certis quibusdam ejus per alia item nomina divina quadraginta duarum litterarum expositionibus, quas Moyses vel à Deo ipso scriptas, vel lapidibus insculptas acceperit, vel ipse ex divinâ revelatione scripserit, et duplicationi rationalis inseruit. Ita auctor libri Zochar, Targum Jonathanis in Exodi 28, R. Salomon, R. Levi Ben Gerson ; Nachmanides, Abarbanel, et alii rabbini nec non cabalistæ plures, qui observant nomen Dei tetragrammaton duodecim variationes admittere per litterarum transpositiones ; quæ omnes eamdem significationem *Essendi* retineant, sine ullâ mutatione, in argumentum unitatis et immutabilitatis essentiæ divinæ juxta illud Malachiæ 3, 6 : *Ego Dominus, non mutor* : ac proinde ejusdem etiam sint sanctitatis. Hæc duodecim nomina divina ab exteriore duodecim rationalis gemmarum parte fuisse iis insculpta : ita ut quemadmodùm ab interiori parte nomen tribûs, ita in parte aversâ nomen quodpiam Dei insculptum fuerit, cujusque tribûs quasi signaculum et sigillum : et divinorum illorum nominum virtute, quando sacerdos summus Deum per illa consulebat, et gemmas insolitum fulgorem emisisse, et ipsius sacerdotis animum illuminatum fuisse. De his Reuchlinus, lib. 3 de Arte Cabalisticâ, Buxtorfius in Historiâ URIM et THUMMIM, cap. 2. Addunt Talmudici, cùm pontifex Deum consuleret, facie in arcam obversâ, litteras illas divinorum nominum in rationali tunc temporis plus solito splendescentes, aut virtute divinâ protuberantes, Dei responsum exhibuisse. Hæc sententia speciosum figmentum est ; nullo Scripturæ sacræ, aut Patrum testimonio fulta est et cohonestata. 2. Incredibile est quòd in duodecim gemmis singularum tribuum nomina inscriptis, divina adhuc tot litterarum nomina insculpi potuerint. 3. Quomodò responsum quandoque prolixum, et eadem alphabeti elementa sæpè repetita postulans, per litteras, quæ semel duntaxat in rationalis verbis occurrebant, reddi potuit ? 4. *Urim* et *Thummim* in templo secundo non fuisse consentiunt Hebræorum magistri, quo tempore, inquit R. Azarias, nomen tetragrammaton adhuc ipsis notum erat. Si ergo *Urim* et *Thummim* nihil aliud fuêre quàm divini hujus nominis scriptura vel sculptura, cur *Urim* et *Thummim* non scripserunt, vel insculpserunt gemmis rationalis ?

XIII. Censent alii litteras ex nominibus divinis aut ex nominibus duodecim patriarcharum lucentes ac protuberantes oraculum non perfecisse Spiritum sanctum, quo sacerdos simul cum rationali induebatur et illuminabatur, ut nôsset quomodò litteræ sic lucentes vel prominentes combinandæ essent, ut hoc medio Dei consilium exploratum haberet, atque ad interrogata responderet. Ita Maimonides in More Nevochim, p. 3, cap. 45, R. David Kimchi in Judicum 20, et in 2 Regum 25. R. Bechai in Deuteronomii 32, 8. Quam sententiam Antonius Milieus in poemate cui titulus est Moses Viator, p. 1, lib. 13, non invenustâ musâ sic expressit :

. . . . . *Quoties de lege refert responsa sacerdos*
*Consultus, regnique vices et publica fata*
*Aut privata rogant dubiis in rebus egentes*
*Consilio, ac numen venerati ritè precantur ;*
*Pontifici adsistens summo præcordia pellit*

*Spiritus, et gemmas arcano illuminat igne,*
*Instigatque animi fibras, et facta recludit :*
*Tum linguam moderante Deo, certissima fundit*
*Effata, et procul omnis abest ambagibus error.*

XIV. Existimant alii URIM et THUMMIM imagines quasdam astrologicas fuisse. In eam sententiam unus Aben-Ezra propendet, quem R. Azarias meritò refellit. Divinum enim oraculum profanis hujusmodi figuris aut imaginibus, ad superstitiosam divinationem plerumque accommodatis constitisse, quis sibi persuadeat?

XV. Aliis incertum videtur quæ fuerint *Urim* et *Thummim* ratione materiæ et formæ spectata. Ita R. David Kimchi, in libro Schoraschim, R. Abraham Seba in Tzeror Hammor, et Aben-Ezra, quorum loca legere est apud Buxtorfium in historiâ Urim et Thummim, cap. 2.

XVI. Aliis probabilius videtur URIM et THUMMIM nihil aliud fuisse præter hæc duo verba : DOCTRINA et VERITAS, rationali inscripta, quemadmodùm laminæ aureæ, quam in fronte gestabat pontifex, inscriptum erat, SANCTUM DOMINO. Hæc opinio planior est et Scripturæ sacræ verbis magis conveniens, quibus perfecto rationali gemmisque, annulis et catenis aureis ornato, atque cum Ephode conjuncto, ita ut separari nequeant, additur : *Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem : quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Censent autem hujus opinionis vindices duas illas voces rationali inscriptas non fuisse divinum oraculum, sed indices oraculi : non instrumentum, sed causam moralem, vel conditionem sine quâ non fieret hoc genus revelationis ; summo sacerdoti Ephode et Ratonali, cui *doctrina* et *veritas* inscriptæ erant, induto, Deumque coram arcâ consulenti, Deum revelâsse placita sua quæ populo denuntiaret. Nec tamen id semper contigisse, sed cùm Deo visum est. Unde 1 Regum 28, 6, ubi de Saüle dicitur : *Consuluitque Dominum, et non respondit neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas;* pro his vocibus *neque per sacerdotes*, in hebræo habetur, *neque per Urim.* Hanc opinionem sequuntur Salianus in Annalibus ad annum 2544, § 550, Cornelius à Lapide, et alii recentiores. Sed ea recens non est, imò S. Augustini calculo comprobata. Quæstione 117 in Exodum, cujus verba supra descripta habes num. 11, et S. Thomæ, Primâ Secundæ, quæstione 102, articulo 5, ad 8 et 9. « In rationali, inquit, erant duo-
« decim lapides pretiosi, distincti per quatuor ordi-
« nes : in quibus etiam sculpta erant nomina filiorum
« Israel, quasi ad designandum quòd ferret onus to-
« tius populi, per hoc quod habebat nomina eorum in
« humeris ; et quòd jugiter debebat de eorum salute
« cogitare, per hoc quod portabat eos in pectore, quasi
« in corde habens. In quo etiam rationali mandavit
« Dominus poni doctrinam et veritatem : quia quædam
« pertinentia ad veritatem justitiæ et doctrinæ scribe-
« bantur in illo rationali. » Hanc probabilem censet S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2 de Adoratione in Spiritu et Veritate, quamvis ipsam quæstionem de Naturâ *Urim* et *Thummim* haud magni momenti esse putet. *Præterea*, inquit, *aliud quoddam ornamentum his duodecim gemmis adnecti præcepit, dicens :* « Et impones
« super rationale judicii manifestationem et veritatem ;
« et erit supra pectus Aaron cùm ingredietur in san-
« ctum coram Domino, et inferet Aaron judicia filio-
« rum Israel in pectus coram Domino in perpetuum. »
*Manifestationem igitur ac veritatem appellat ; non tamen apertè indicavit utrùm lapides fuerint, an velut in parvâ tabellâ eam inscriptionem fieri jusserit : memini etiam prophetæ dicentis :* « Quia dies multos sedebunt filii
« Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio et sine
« altari, et sine sacerdotio, et sine manifestationibus, »
Osee 3. *Sed sive lapides illi fuerint, sive tanquàm in aureâ tabellâ ea nomina descripta fuerint, id verò non nimiùm curiosè pervestigabimus : tantùm scire satis erit ea in figuram Christi esse posita, qui unà cum sanctis hominibus versatur.* « Ecce enim, inquit, Matth. 28,
« vobiscum sum omnibus diebus, et usque ad consum-
« mationem seculi. Veritas autem ac manifestatio
« Christus est : in eo enim Patrem cognovimus et ma-
« nifestavit nobis bonam ipsius voluntatem, et perfe-
« ctam, et beneplacentem, juxta Scripturas : ait enim
« Christus : *Jam non dicam vos servos, sed amicos ;*
« *quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis,*
« Joan. 16. Veritas est etiam aliâ ratione ille Emma-
« nuel : quia solus ipse secundùm naturam filius, et
« ut Deus ex Deo solus sanctus, solus Dominus ; at
« verò creatura per participationem atque imitatio-
« nem, id est, quodcumque ille esse intelligitur. Ad-
« est itaque Christus cum sanctis viris præsens, cùm
« tanquàm in manifestatione ac veritate intelligitur ;
« idemque causam nostram in conspectum Patris re-
« fert, semper vivens ad interpellandum pro nobis :
« id enim est, ut opinor, illud : *Et inferet Aaron ju-*
« *dicia filiorum Israel coram Domino in pectore suo in*
« *perpetuum.* »

XVII. Spencerus, lib. 3 de Legibus Ritualibus Hebræorum, cap. 3, dissert. 7, novam nuper opinionem invexit, multisque adstruere conatus est. Censet URIM, instrumentum concavum fuisse, decore fabricatum, sive simulacrum parvulum ad humanam similitudinem formatum, *Theraphim* antiquitùs appellatum, quod reconditum gestavit summus sacerdos intra concavas rationalis plicaturas, quo mediante Deus, aut angelus illius vocem et nomen gerens ad pontificis interrogata respondit, eique quid agendum, quid non agendum, quid præsens, quid futurum esset, voce formatâ revelavit. Cùm scilicet mos iste simulacra illa fatidica *Theraphim* in dubiis consulendi longè latèque per Gentes invaluisset, Deum veterem à *Theraphim* petendi oracula ritum, in pectorali *Urim* penè invariatum Israelitis ex indulgentiâ concessisse, ne in gentium semitas moris antiqui effræni desiderio præcipites agerentur. *Urim* igitur ejusdem cum *Theraphim* muneris, et fortè figuræ fuisse, sub nominis diversi larvâ simulacrum.

XVIII. Huic sententiæ Vistius, lib. 2 Ægyptiacorum, post Bonfrerium, in cap. 17 Judicum, et alios interpretes catholicos, rectè opponit *Theraphim* nun-

quàm à Deo in suo cultu approbata sed vetita fuisse, ut mera idololatriæ et superstitiosæ divinationis instrumenta. Id enim probat exemplum regis Babylonis, de quo Ezechielis 21, 21, legitur. « Stetit rex Babylonis « in bivio, in capite duarum viarum, divinationem « quærens, commiscens sagittas : interrogavit idola, « exta consulit. » Pro idolis, *Theraphim* habet Hebræus textus. Sicut et Zachariæ 10, 2, ubi Vulgata nostra habet : *Quia simulacra locuta sunt inutile.* Et 4 Regum 23, 24, ubi legimus in Vulgatâ nostrâ : « Sed « et Pythones et Ariolos, et figuras idolorum, et im- « munditias et abominationes, quæ fuerant in terrâ « Judâ et Jerusalem, abstulit Josias. » Pro figuris idolorum textus Hebræus habet *Theraphim*. Quem in locum R. David Kimchi ait : *Theraphim sunt imagines factæ ad cognoscendum ex iis futura.* Hæc simulacra nihil aliud quàm idola fuisse probat insuper Labani expostulatio cum Jacob, Genesis 31, 30 : *Cur furatus es Deos meos?* ipsiusque Jacob responsum vers. 32 : « Apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur co- « ram fratribus nostris : et quod Scriptura subdit : « Hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset « idola.... Cùmque intrâsset Laban tentorium Rache- « lis, illa festinans abscondit idola subter stramenta « cameli, et sedit desuper. » Pro idolis *Theraphim* in Hebræo habetur. Sed et magicarum artium instrumenta *Theraphim* fuisse fatentur Hebræorum magistri. Salomo Jarchius in 2 Regum 23, 24. « Theraphim « fuerunt imagines quæ loquebantur per artes magicas. « Qui faciebat eas, opus habebat respicere horam certam, et annum certum convenientiæ ad id. » Capitula R. Eliezeris et Targum Hierosolymitanum confecta fuisse tradunt ex capite mactati filii primogeniti, saleque et oleo conditi, cujus ori inserebatur lamina aurea dæmonis nomine insignis, coram quo ad parietem posito lampades accendebant, et procumbentes illud interrogabant, responsumque per dæmonem accipiebant. Non est ergo probabile Deum, cujus consilium fuit Israelitis ab idololatriâ et superstitionibus cæteris abducere, *Theraphim* adoptâsse in sacratiorem et mirabiliorem cultûs sui partem. Israelitæ enim ad idololatriam et quodvis aliud superstitionis proclives, ad *Theraphim* gentium profanarum consulenda, imò et adoranda, occasione datâ facilè defecissent, si tantam inter illam et sacrum URIM affinitatem observâssent, et URIM ejusdem muneris ac figuræ fuisset sub diversi nominis larvâ simulacrum.

XIX. Hypothesim nihilominùs suam Scripturæ sacræ testimonio confirmare nititur Spencerus, illo inprimis Osee 3, 4 : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim.* Per *Theraphim*, inquit, hoc in loco non gentium idola ad consulendum aut colendum comparata sunt intelligenda; sed *Urim* vel incuncula sacra, consiliorum divinorum nuntia, in ephode vel adjuncto pectorali ex præscripto divino reponenda. Rationi enim minimè consentaneum est Prophetam, flebilem gentis israeliticæ causam prædicturum, inter mala futura id quoque numerâsse, quòd carituri essent idolis. Rem bonam et licitam oportet esse, quam Deus minatur se ablaturum Israelitis, ut de peccatis eorum vindictam sumeret : alioqui eam auferre non pœnæ, sed beneficii loco ducendum esset. De quânam autem re bonâ et licitâ, ullâ cum veri specie, *Theraphim* hoc loco interpretari possumus, nisi de URIM Dei, ephodi tam sacro nexu cohærente? Unde Spiritus Sanctus de *Ephod* et *Theraphim* hoc in loco, tanquàm de rebus ejusdem familiæ loquitur : de aliis autem omnibus quasi nullo cognationis vinculo conjunctis, sed ab invicem naturæ diversitate longè separatis. Nam hæc omnia vocabulo illo disjunctivo *absque*, sic à se mutuò separantur : *Sedebunt filii Israel absque rege, et absque principe, et absque sacrificio, et absque altari, et absque ephod :* sed Ephod et Theraphim conjunctim, et quasi continuo spiritu legenda in hunc modum proponuntur, *absque Ephod et Theraphim.* Accedit quòd 70 Interpretes *Theraphim* hoc loco per δήλων, vel (ut aliqua legunt exemplaria) per δηλώσεις reddere consultiùs habuerunt. Iis verò vocabulis *Urim* aliis in locis solent exponere. Exodi 28, 26; Levitici 8, 8; Numerorum 27, 21; 1, Regum 28, 6. Aquila etiam et Theodotion *Theraphim* hìc loci per φωτισμοὺς transtulerunt, quo nomine et *Urim* explicant Levitici 8, 8. Vulgatus interpres pro Theraphim *Manifestationes* posuit, quo nomine summi sacerdotis *Urim* notare solet. S. etiam Hieronymus, Ephod et Theraphim de *instrumentis quibusdam habitus sacerdotalis* interpretatur. « Theraphim, inquit, propriè ap- « pellantur μορφώματα, id est, figuræ et simulacra : « quæ nos possumus in præsenti duntaxat loco, Che- « rubim et Seraphim, sive alia quæ in templi orna- « menta fieri jussa sunt dicere. Verùm quia Septua- « ginta δήλους interpretati sunt, pro quibus Aquila « φωτισμοὺς transtulit; et hæc ipsa sunt ἐν λογείῳ, id est, « in Rationali : hoc intelligimus, quod in pectore et « corde pontificis ἀλήθεια καὶ φωτισμοί, id est, veritas « esse debeat atque doctrina..... Hi sunt ergo multi « dies quibus infelix Synagoga et mulier adultera « hordeo pascitur, et sedet contracta, quia cum Chri- « sto stare non potest. Sine rege, de quo locutus est « Pater : *Suscitavi regem cum justitiâ*, Isai. 45. Sine « principe, vel ipso Domino Salvatore, vel certo pon- « tifice, de quo scriptum est, Exod. 32 : *Principi po- « puli tui non maledices.* Et sine sacrificio, et sine al- « tari. Subverso enim templo, et incensâ Jerusalem, « nec sacrificium, nec sacerdotium Judaica gens exer- « cere potest. Et sine Ephod, et sine Theraphim, id « est, instrumentis sacerdotalis habitus. » Huic explicationi favent S. Cyrillus Alexand. et Theodoretus, et 70 Interpretes secuti, *Theraphim* per *Manifestationes*, id est, per *Urim* et *Thummim* explicant.

Respondetur : Etsi hoc uno Scripturæ sacræ loco *Theraphim* nomine *Urim* et *Thummim* significetur, ut laudata illa Patrum doctissimorum trias explicat, perperàm inde colligere Spencerum, quòd *Theraphim* ejusdem cum *Urim* naturæ et figuræ fuerint, solo nomine differentia simulacra : sed solùm quòd *Theraphim* prædicendi munere, mediante dæmone iis insi-

dente, divini illius oraculi *Urim* et *Thummim* sanctitatem et miraculum mentirentur. Unde propheta, per catachresim, vocem usurpatam ad significanda oracula reddita à dæmonibus, transfert ad oracula quæ per sacerdotes reddebantur à Deo. Ita Bonfrerius, auctor a Spencero laudatus, commentario in cap. 17 Judicum. Secundò, nomine *Theraphim* in illo Osee loco simulacra fatidica idolorum intelligere nihil vetat; ut sensus sit, Israelitas, sive tempore Babylonicæ captivitatis, sive post Christi adventum usque ad finem mundi, futuros et sine *Ephode* sacro, cujus applicatione summi sacerdotes Deum consulebant, ejusque placita, vel oracula de futuris eventis populo denuntiabant; et sine superstitiosis *Theraphim*, id est, falsorum numinum incunculis, per quas etiam dæmon divinationem non minùs affectans quàm divinitatem, futurorum eventuum prædictione, et falsis oraculis, gentibus illudebat. Atque hic Judæorum status apprimè cum typo convenit, quo ad illum repræsentandum usus est Deus. Sicut enim sponsa prophetæ non solùm absque marito, cui legitimè nuberet, manere jubebatur, verùm etiam sine amatore quicum turpiter scortaretur, vers. 3 : *Dies multos expectabis me : Non fornicaberis, et non eris viro :* ita Judæi et sine vero Deo, et sine laribus ac penatibus, quibus inter gentes commixti assueverant, sine ullâ formâ Reipublicæ et Ecclesiæ, ne illius quidem, cujus corruptissimus olim status erat, sine altari et sacrificio, et tamen sine idolis, manent, in eoque statu manebunt, donec ad Christum, Davidis nomine à Prophetis significatum, sub finem mundi, convertantur. Vers. 5 : *Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David Regem suum : et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimum dierum.* Atque sub finem seculorum, et secundo Christi adventu imminente, hanc Prophetiam completum iri, et ad præsentem Judæorum statum ea quæ præcedunt, pertinere, S. Hieron. et S. Cyrillus Alexand. in suis commentariis disertè docent. Nec movere quemquam debet, quòd idolis carere malum non sit, atque adeò *Theraphim* jacturam in suppliciis à prophetâ non numerandam, si eo nomine idola, aut idololatricæ superstitionis instrumenta intelligenda essent. Etsi enim idolorum privatio malum non sit, ille tamen status, in quo nulla sit Reipublicæ et Ecclesiæ vel depravatæ forma, malus est. Præterea, quamvis carere idolis non sit per se et absolutè malum, respectivè tamen et comparatè malum est, illis nimirùm quibus idola bona videntur, et qui illa venerantur ut Numina. Pœnæ certè loco non potest non haberi, quod cum republicâ pessum eat gentis religio, hostesque non solùm de hominibus ac eorum fortunis, sed et de illorum diis triumphent. Hinc Deus Vitulum Bethelis per Salmanassarem ablatum iri comminatur. Osee 10, 5, 6 : *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit super eum populus ejus, et ædituі ejus super eum exultaverunt in glorià ejus, quia migravit ab eo. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori.* Sic Jeremias, 48, 7, vaticinatur, excisâ Moabitide, Chamos Moabitarum deum, ab hostibus in captivitatem abducendum. *Pro eo enim quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris : et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus, et principes ejus simul.* Et de Melchom deo Ammonitarum idem prædicitur Jeremiæ 49, 3 : *Clamâte*, inquit, *filii Rabbath, accingite vos ciliciis : plangite et circuite per sepes : quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus, et principes ejus simul.* Sic Ptolemeus Evergetes, victis Syris, Deos eorum transtulit in Ægyptum, ut prædictum fuerat à Daniele, cap. 11, 8 : *Insuper et Deos eorum, et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri, captiva ducet in Ægyptum.* Pœnæ igitur loco censeri possit respectu Israelitarum, non modò quòd rege et principe, altari et sacrificio, et ephode careant, sed et *Theraphim*, superstitiosis simulacris, vel idolis, quibus olim impensè fuerant addicti.

XX. Altero argumento longè infirmiore hypothesim suam probare nititur Spencerus, ex historiâ Michæ petito, Judicum 17, ubi sacer historiographus narrat matrem Michæ, viri Israelitæ, habitantis in Monte Ephraïm, argenteos aliquot nummos voto consecrâsse Deo : cujus voti religione ut se exsolveret, ducentos siclos tradidit argentario, ut exinde faceret *sculptile atque conflatile.* Micha autem fecit in domo suâ *ædiculam Deo*, et fecit *Ephod* et *Theraphim :* et aliquem primò ex filiis suis, deinde Levitam, qui forte in ipsum inciderat, assignato honorario, sacerdotem sibi fecit. Circa hanc historiam duo exponenda sibi sumit Spencerus, ut suam hypothesim ex eâ confirmet : primò, quæ fecerit Micha, deinde quo consilio ea fecerit. In his quæ fecit tria dissimilis naturæ instrumenta, omnia tamen in usum religiosum comparata observat. 1. Simulacra duo, *sculptile et conflatile;* quibus verisimile est ipsorum Cherubinorum formas atque numerum similitudine perfectâ expressisse. Reposita autem sunt in sacra Michæ ædicula, secundùm formam tabernaculi et cultûs Mosaici adornata. 2. *Ephod*, id est, vestem ambitiosam et splendidam, quâ sacerdos suus indutus, rebus divinis decore operam daret. 3. *Theraphim* quæ uti apud Osee, ita et in totâ hâc Michæ historiâ, ceu indivisi Ephodis comites consociantur. Quod argumento est, Michæ THERAPHIM loco URIM, quod *Ephodi* fœdere et lege perpetuâ devinctum fuit, in illius sacris obtinuisse. Consilium Michæ quod spectat, ait Spencerus non eo animo ædiculam suam instrumentis illis sacro usui destinatis instruxisse Micham, quasi à veri numinis fide cultuque secessum meditaretur : imò verò egregium studii sui in Deum et legem divinam documentum edidisse, quòd quamvis primogenitum suum, more majorum, in sacerdotem religiosè consecrâsset, sacerdotem tamen è gente Leviticâ oriundum quantivis conducere satiùs habuerit, quàm morem illum lege divinâ antiquatum revocare; et sibi, tanquàm eo nomine favoris divini securo, verbis illis impensè gratulata sit : *Nunc scio quòd benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.* Addit Spencerus, Deum dato è Theraphim

Michæ oraculo, ipsius pietati testimonium perhibuisse. Cùm enim Danitæ (quos dubius itineris sui eventus anxios habuit) Michæ Levitam *Theraphim* suis instructum adiissent, rogantes ut Deum loco suo consuleret, Judic. 18, 5, id ab eo responsi tulêre : *Ite in pace : Dominus respicit viam vestram et iter quò pergitis.* At quis sibi persuadeat, Danitas à Michæ *Theraphim* responsa divina exspectare, vel Deum inde reddere voluisse; modò Micha ea ethnicismi studio, vel à sancto Dei *Urim* planè diversa, fabricâsset?

Respondetur, totum illud Spenceri argumentum ruinoso niti fundamento. Falsò enim supponit Michæ factum ex religione ac pietate originem duxisse, et *Theraphim* ab eo fabricata idololatriæ instrumenta non fuisse. At totum illud quod à Michâ factum est, superstitionis et idololatriæ nomine damnandum plura suadent. Occasio facti fuit impotens Vetulæ superstitio, quæ ducentos argenteos execrando voto dicavit ad faciendum ex eis *sculptile et conflatile.* Id eo tempore factum est quo *non erat rex in Israel*, seu legitimus magistratus, qui sacrilegas in religione novitates auctoritate suâ coercere posset, *sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.* Fecerunt Micha et mater ejus, *sculptile et conflatile*, contra expressam Dei legem, Exodi 20, 4 : *Non facies tibi sculptile.* Deuteronomii 4, 15, 16 : *Custodite igitur sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ*, etc. Deuteronomii 27, 15 : *Maledictus homo qui facit sculptile aut conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito.* Exodi 34, 17 : *Deos conflatiles non facies tibi.* THERAPHIM à Michâ fabricata, quamvis à *sculptili* et *conflatili* antea nominatis distincta fuerint, auctore S. Hieronymo, epistolâ 130 ad Marcellam, tamen idola fuerunt, ut Vulgata nostra exponit. *Et fecit Ephod et Theraphim, id est, vestem sacerdotalem et idola.* Et cap. 28, 17 : *At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile, et Ephod, et Theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, Ephod et idola atque conflatile.* Et vers. 20 : *Acquievit sermonibus eorum, et tulit Ephod et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis.* Vers. 24, Michas Danitis respondet : *Deos meos quos mihi feci tulistis, et sacerdotem et omnia quæ habeo, et dicitis : Quid tibi est?* Vers. 31 : *Mansitque apud illos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo.* Quod Spencerus ait, Micham sculptili suo et conflatilii duos tabernaculi Cherubinos exprimere voluisse, purum putum figmentum est. Cultum Michæ superstitiosum et idololatricum fuisse confirmant Chaldaica paraphrasis et Syriaca versio. Illa enim de Michâ ait : *Et vir Micha illi domus erroris : et fecit Ephod, et similitudines.* Ista verò : *Vir enim iste Micha habebat fanum deorum, feceratque Ephod et pallium;* et quamvis in cultûs objecto non errâsset, haud leve crimen erat in privatis suis ædibus ea quæ publici cæteroquin cultûs erant peragere. Lex enim ea celebrari prohibet extra locum *quem elegerit Dominus*, Levitici 17 et Deuteronomii 12, id est, extra tabernaculum testimonii, vel templum olim Hierosolymis ædificandum. Cujus loci religionem vel bello vindicare quondam decreverant cæteræ tribus contra Rubenitas, Gaditas, et dimidiam tribum Manassis, qui illam violàsse videbantur, ædificato magno altari ad tumulos Jordanis. (Josue 20, 10.) Contra legem præterea peccavit Michas, quòd filium suum primò, deinde juvenem Leviticum, non Aaronici generis sacerdotem, sacris præfecit : cùm tamen jus sacrorum ad Aaronicos sacerdotes lex coerceat. Numer 3, 10 : *Dabisque dono Levitas Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus qui ad ministrandum accesserit morietur.* Hallucinatur itaque Spencerus cùm factum Michæ ex hâc circumstantiâ laude dignum putat. Denique Michæ exemplum totam tribum Dan ad idololatriam pertraxit. Ablatis enim sculptili et conflatili, Ephode, et Theraphim Michæ, ejusque sacerdote abducto : *Posuerunt sibi sculptile, et Jonatham filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo.* (Judicum 18, 30, 31.) Falsum porrò est quod tam confidenter asserit Spencerus, Deum per Theraphim Michæ consulentibus Danitis responsum dedisse. Id enim Scriptura sacra non dicit, longèque probabilius est Levitam illum mercenarium, qui profano sacerdotio fungebatur, qui legem Domini tam manifestè violabat, qui idolo serviebat, Dei nomine abusum, ipsis respondisse : *Ite in pacem : Dominus respicit viam vestram et iter quo pergitis. Sed etsi per Theraphim* id responsi Levitæ datum supponatur, et eventus prædictioni responderit, non sequitur divinum id fuisse oraculum. Quis enim nescit profana gentium oracula, et ariolos, interdùm vera prædixisse, vel dæmone futuros eventus pro suâ conjiciendi vi prævidente, vel permittente Deo, imò ordinante ut spiritus mendacii vera præsagiret, ad serviendum providentiæ suæ?

Non diffiteor S. Hieronymum, epistolâ 130 ad Marcellam, innuere Theraphim Michæ juxta aliquem sensum, *sacerdotalia ornamenta* posse intelligi : sed præterquàm quòd non est illa propria et nativa vocis hujus *Theraphim* significatio, ut ex ipso S. Hieronymo constat, qui ubique *Theraphim* vertit *idola* (excepto 1 Regum 19, 13, ubi *statuam* reddit), colligi inde non potest S. Hieronymum existimâsse URIM et THERAPHIM fuisse ejusdem muneris et formæ simulacra.

Hanc responsionem Theodoreti sustentabit auctoritas, qui hæc verba : *Fecit Micha Ephod et Theraphim*, explicans quæstione 24 in Judices, ait : « De Ephod sæpè « diximus quòd sit vestis sacerdotalis, et per eam si- « gnificabat Deus quid esset agendum. Theraphim au- « tem tale quidpiam erat dedicatum idolis, et non Deo. « Hoc enim hìc etiam docet historia : *Fecit enim*, in- « quit, *sculptile et conflatile.* Deinde subjungit : *Et* « *fecit Micha Ephod et Theraphim, et implevit unus fi-*

« *liorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.* Non « erat autem hic ex tribu Leviticâ, sed ex tribu « Ephraim. Docuit etiam causam cur legem est trans- « gressus. *In illis* enim, inquit, *diebus non erat rex in « Israel. Unusquisque faciebat quod gratum erat in ocu- « lis suis.* Tam multa mala conciliant nullum habere « rectorem aut magistratum ! » Et quæstione 25, Levitæ à Michâ conducti crimen multiplex his verbis exponit, quæ Micham ab idololatriâ absolvi non posse, contra Spencerum probant. « Cæterùm, inquit, viri « hujus multiplex fuit legis transgressio. Nam primùm « quidem cùm Deus fixisset tabernaculum in Silo, in « alio loco contra legem fungebatur suo munere. « Deinde manufactis idolis (hoc enim significat *scul- « ptile et conflatile*), offerebat sacrificia. Præterea in « alio quoque ausus est legem transgredi. Lex enim « prohibuit Levitis ne sacerdotali fungerentur munere, « sed jussit eos ministrare sacerdotibus. Et hanc ergo « legem est transgressus, cùm ausus sit fungi sacer- « dotio. Fuit etiam ingratus in eum qui ipsum colue- « rat, nam fraudis acceptis instrumentis secutus est « eos qui erant ex tribu Dan, et fuit conciliator erro- « ris in adorandis idolis. »

XXI. Tertium argumentum ad hypothesim suam firmandam petit Spencerus ex facto Gedeonis, qui *Ephod* sibi fecisse, idque in civitate suâ *Ophra* statuisse narratur, Judicum 8, 27. Quod *Ephod* solum non fuisse credibile est, sed cum *Theraphim*, et simulacris aliis *Cherubinorum* figuram et pompam æmulantibus conjunctum. Inaures enim aureas quæ Gedeoni, re benè gestâ contra Madianitas, prædii loco cesserant, ad aliquid aliud præter *Ephodem* conflandum fuisse dedicatas ingens auri pondus, mille scilicet à septingentorum aureorum, quo appensæ sunt vel æstimatæ, satis probat. Nam absonum est fidei, sacerdotem ullum tanti ponderis Ephode onustum potiùs quàm vestitum, religionis opera peragere potuisse.

Ut argumento suo majorem probabilitatem conciliet Spencerus, ad Arabicam versionem provocat, quæ hunc Judicum textum sic reddit : *Et conflavit illud Gedeon in simulacrum.* Hoc autem non sine consilio fecisse probant historiæ sacræ verba, interprete S. Augustino, quæstione 41 in Judices : *Dictum est enim :* Statuit illud Gedeon in civitate suâ ; *ut hinc intelligatur quid aureum factum fuisse. Non enim dictum est :* posuit, *sed* statuit : *quoniam ita erat solidum et validum, ut statui posset, hoc est, positum stare.* Hoc autem de simulacro, non de veste dici potest. Igitur verisimile est pontificis Ephod (exemplar ad cujus similitudinem sua omnia formavit Gedeon) imaginem unam et alteram intùs habuisse : adeòque URIM idem fuisse cum THERAPHIM.

Respondetur, probabile quidem esse Gedeonem ex auro tanti ponderis solùm *Ephod* non fecisse, sed et cætera, quæ ad ornamenta vel instrumenta sacrarii pertinerent, et Scripturam à parte totum significâsse ; sed nihil inde pro suis *Theraphim* exsculpet Spencerus. Neque ipsi S. Augustino ullo pacto favet. Sic enim solvit dubium quod moverat : « Hoc ergo illici- « tum cùm fecisset Gedeon, *fornicatus est post illud « omnis Israel*, id est, sequendo illud contra legem « Dei : ubi non frustra quæritur, cùm idolum non « fuerit, id est, cujusquam dei falsi et alieni simula- « crum, sed Ephod, id est, unum de sacramentis ta- « bernaculi, quod ad vestem sacerdotalem pertineret, « quomodò fornicationem Scriptura dicat populi ista « sectantis atque venerantis. Ideò scilicet quòd præ- « ter tabernaculum Dei, ubi erant ista, quæ ibi fieri « jusserat Deus, extra simile aliquid fieri fas non « erat. Ideò sequitur, et dicit Scriptura : *Et factum est « Gedeon, et domui ejus in scandalum ;* id est, ut ab of- « fenso Deo discederet ; quia et hoc quoddam genus « idoli quodam modo erat, quòd extra Dei taberna- « culum quodlibet manufactum pro Deo colcretur ; « cùm illa ipsa, quæ jussa sunt in tabernaculo fieri, ad « Dei potiùs cultum referrentur, quàm pro Deo ali- « quid eorum, aut pro Dei simulacro colendum habe- « retur. Quanquàm per Ephud vel Ephod, eâ locu- « tione quæ significat à parte totum, omnia possint « intelligi, quæ constituit Gedeon in suâ civitate, ve- « lut ad colendum Deum, similia tabernaculo Dei ; et « propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis hono- « ris insigne, quod sæpè Scriptura commemorat : ut « hoc sit peccatum Gedeon, quòd extra Dei taberna- « culum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus : « non quòd solido auro velut adorandum constituerit « Ephud, sed quòd ex auro ipso, quod esset de prædâ, « fecerit ea quæ pertinerent ad ornamenta vel instru- « menta sacrarii, quæ omnia per Ephud significata « sunt, propter excellentiam, ut dixi, vestis sacerdo- « talis. Nam et ipsum Ephud non quidem ex auro solo « fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sa- « cerdotalis vestis, verumtamen etiam aliquid auri « habet. Nam ex auro et hyacintho, et purpurâ, et « coccino, et bysso, ut fieret divinitùs imperatum est ; « sed quia hoc ita posuerunt 70 Interpretes, ut com- « memoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Ge- « deon, inferrent : *Et fecit illud Gedeon in Ephud ;* vi- « detur ita dictum, tanquàm ex toto illo quod com- « memoratum est, hoc factum esse credatur : cùm « possit etiam illìc intelligi locutio quæ significat à « toto partem, ut quod dictum est, *fecit illud in Ephud*, « intelligatur : fecit inde Ephud, vel : fecit ex eo Ephud ; « non scilicet illud totum consumens in Ephud, sed « ex illo quantùm sufficiebat impendens. Nam in illâ « interpretatione quæ ex Hebræo est, sic legitur : *Fe- « citque ex eo Gedeon* EPHOD. » Hæc S. Augustinus qui duobus modis hunc locum Judicum probabiliter exponi posse censet, primò ut non solùm Ephod, se et cætera sacrarii ornamenta Gedeon ex auro prædæ perfici curaverit. Secundò, ut in solum *Ephod* totum contulerit. Quod nequaquàm absonum fidei est, cùm *Ephod* non ad vestiendum sacerdotem, sed in monumentum victoriæ duntaxat de Madianitis singularis Dei beneficio reportatæ fecerit.

Posteriorem illam sententiam probabiliorem existimavit Theodoretus, quæstione 17 in Judices, ubi Gedeonis factum expendens, hæc habet : « Contra legem

« quidem erat quod factum fuit. Nam solis sacerdoti-
« bus Ephod uti licebat. Per illud enim revelabatur
« quid facto opus esset. Gedeonis tamen intentio mi-
« nimè vergebat ad impietatem; sed cùm esset prin-
« ceps et dux exercitûs, volebat cognoscere per Ephod
« quid agere deberet. At hoc populo conciliavit con-
« tagionem iniquitatis. *Fornicatus enim est*, inquit,
« *cunctus Israel post illud ibi : et factum est Gedeoni et*
« *domui ejus in scandalum.* Ephod autem interpreta-
« tus est in Exodo superhumerale, cui copulabatur
« Rationale. Per illud verò indicabatur futura in bello
« victoria. Quod clariùs cognoscitur ex historiâ Regno-
« rum. Cùm enim alienigenæ coegissent exercitum,
« præcepit Saül sacerdoti ut afferret Ephod : tum, ubi
« cognovisset hostes esse perturbatos, declaratamque
« victoriam : *Contrahe*, inquit, *Ephod*. Constat ergo
« texturam quamdam fuisse, quæ sacerdotibus cir-
« cumponebatur, prænuntiantem quid agere conveni-
« ret. » URIM verò Rationali inditum, nihil minùs fuisse
quàm THERAPHIM, confirmat idem Theodoretus, quæst.
33 in 1 Regum, ubi hunc locum explicans : « Augu-
« rium peccatum est, exacerbatio, iniquitas, et The-
« raphim dolorem et labores inducunt, » hæc habet :
« THERAPHIM posuit pro observatione. Quomodò enim
« Ephod dedicatum erat Deo, et per ipsum sciscitan-
« tibus significabatur quid agendum : ita per THERA-
« PHIM significabantur idolorum prædictiones. Ad illius
« enim imitationem hoc eis erat dedicatum. Hoc au-
« tem apertiùs declaravimus in libro Judicum. » THE-
RAPHIM itaque ad URIM et THUMMIM à profanis gentibus
expressa sunt, non URIM, et THUMMIM ad similitudinem
THERAPHIM.

XXII. Non leve causæ suæ præsidium ponit Spencerus in affinitate significationis nominum *Urim* et *Theraphim*. Observat scilicet *Urim* germanâ nominis notione non *lumina* propriè et primariò significare, sed *ignes flammantes*. Nomen verò *Theraphim* Hebraicum vel Chaldaicum esse, et pro *Seraphim*, levissimâ et sæpiùs usitatâ apud Chaldæos *Schim* in *Tau* mutatione, apud Orientalium nonnnullos usurpatum. Ex quibus colligit, imagunculis illis quæ angelorum symbola et quasi tripodes erant, nomen *Theraphim*, quasi Seraphim à gentibus inditum fuisse.

Respondetur, argumentum ab etymologiâ ductum, si ea incerta plurimùmque inter eruditos vexata, qualis ea est nominis *Theraphim* à *Spencero* assignata, debilissimæ duntaxat, nulliusque momenti conjecturæ loco habendum. Longè probabiliùs nomen *Theraphim* à voce Chaldaicâ *Theraph* derivatur, quæ significat *probris afficere* : idolis enim et idololatriâ nihil turpius, nihil probrosius. Hanc vocis hujus originem confirmant Hebræi in *Zohar* et in *Tanchuma*, ubi observant idola gentium *Theraphim* nominata fuisse propter ignominiam et fœditatem. Ita refert Buxtorfius in lexico Talmudico. Nulla ergo vocis istius cum Hebraeâ *Seraphim* affinitas est. Nec probabit unquàm Spencerus, simulacra illa ad memoriam angelorum celebrandam, vel ad eorum præsentiam significandam ab Hebræis conflata vel sculpta fuisse, quibus præter arcæ *Cherubim* omne aliud imaginis, vel symboli angelici genus in sacris ignotum fuisse certissimum est. Sanè angelos *Theraphim*, aut fatidicas illas imagines *Seraphim* usquàm vocatas, nec in Scripturâ, nec apud Patres, nec apud Hebræos, aut alios quosvis auctores legimus : quæ tamen nominum communicatio interdùm facta fuisset, imò sæpiùs (ut fert usus hominum), si *Theraphim* et *Seraphim* affinem significationem habuissent, illaque istorum symbola extitissent.

XXIII. THUMMIM à moribus Ægyptiorum originem duxisse asserit Spencerus, Hebræisque latum ad exemplar illius gemmæ, quam è collo suspensam gestabat Ægyptiorum pontifex. De quo Ælianus, lib. 14 Historiæ Variæ, cap. 34 : « Apud Ægyptios à primâ antiquitate,
« qui judicabant sacerdotes erant. Eorum princeps
« fuit qui cæteros ætate anteibat. Ille in omnes jus di-
« cebat. Eum autem esse oportebat omnium justissi-
« mum, et parcentem nemini. Gerebat autem de collo
« imaginem ex sapphiro, eaque imago Ἀλήθεια VERITAS
« dicebatur. » De eâdem Diodorus Siculus, lib. 1 : « Sum-
« mus judex gestabat in collo ex aureâ catenâ pendens
« è lapillis pretiosis simulacrum, cui Veritas nomen.
« Hoc autem veritatis simulacrum, judiciorum principi
« aptatum, causas cognoscendi auspicium fuit. » Verùm probabiliùs ac religiosiùs censebit, quisquis asseret Ægyptios URIM et THUMMIM Hebræorum aliquâ ex parte imitatos. Imaginem illam sapphirinam, titulo *Veritatis* inscriptam, Ægyptios pontifices ante Mosaica tempora è collo suspensam gessisse, fidem non faciunt Ælianus et Diodorus Siculus. Antiquiores historici, Herodotus, Manetho et Sanchuniaton, hanc silentio prætermittunt, quod argumento est ornamentum illud sacerdotale recentioris ævi apud Ægyptios inventum fuisse. Ægyptiorum pontifex bullam illam sapphirinam è collo pendentem gestabat : summus Hebræorum sacerdos *Urim et Thummim* pectorali seu rationali indita, vel in ejus duplicationibus (ut Spencero placet) abdita gerebat. Ille quà judex, iste quà pontifex hoc insigne præferebat. Ille ut merum ornamentum, hic ut oraculum : ille causas populi cogniturus et judicaturus : iste causas populi apud Deum acturus, illumque de publicis negotiis consulturus. *Thummim* itaque datum Hebræis ad exemplar sapphirinæ illius gemmæ, titulo *Veritatis* inscriptæ, quam à collo suspensam gestavit aliquando Ægyptiorum pontifex, perperàm ariolatur Spencerus. Multò prudentior, ut verior, observatio Grotii in lib. 1 de Veritate Religionis Christianæ, § 16, *Urim* et *Thummim*, oraculo quod ex pectorali summi pontificis effulgebat, verba facientis : *Imitati hoc*, inquit, *sed ut pueri virorum res imitantur Ægyptii.*

XXIV. Octavum ornamentum pontifici pariter proprium erat *lamina aurea* in quâ scriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, quod ineffabile apud Hebræos nuncupatur. Hæc pileolo lineo, et communi omnium sacerdotum in pontifice addita, vittaque hyacinthina in fronte constricta promicabat, ut totam pontificis pulchritudinem Dei nomen protegeret atque coronaret (inquit S. Hieronymus, epistolâ 128). Lamina illa in-

scriptum, Sanctum Domino, Scriptura testatur. Pro *Domino* ineffabile nomen Hebræus textus habet. Mitram pontificis insigne summæ potestatis fuisse Philo observat, lib. 3 de Vitâ Mosis : *Cidaris*, inquit, *pro diademate imponitur capiti, quia quantisper sacerdos honore suo fungitur et ministerio, non solùm privatis hominibus est eminentior, verùm etiam cunctis regibus.*

XXV. Mysticam vestium sacerdotalium significationem S. Hieronymus, epist. 128 ad Fabiolam, exponit ; profert primò allegoricam explicationem Hebræorum, Josephi, Philonis et aliorum : deinde moralem sensum elicit. « Secundùm Hebræos, inquit, « quatuor colores ad quatuor elementa referuntur, ex « quibus universa subsistunt. Byssus terræ deputatur, « quia ex terrâ gignitur ; purpura mari, quia ex ejus « cochleolis tingitur ; hyacinthus aeri, propter coloris « similitudinem ; coccus igni : et justum esse commemorant ut pontifex Creatoris non solùm pro Israel, « sed et pro universo mundo roget : siquidem ex terrâ « et aquâ in aere et igne mundus iste consistit ; et « hæc elementa sunt omnium. Unde primum vestimentum lineum terram significat ; secundum hyacinthinum, aerem in colore demonstrans : quia de « terrenis paulatim ad excelsa sustollitur ; et ipsa « vestis hyacinthina à capite usque ad talos veniens, « indicat aerem de cœlis usque ad terram fusum. « Mala autem punica et tintinnabula in inferioribus « posita, fulgura tonitruaque demonstrant, sive terram et aquam, et omnium elementorum inter se « consonantiam, et sic sibi universa perplexa, ut in « singulis omnia reperiantur. Quòd autem supradicti « colores auro intexti sunt, id significari volunt quòd « vitalis calor et divini sensûs providentia universa « penetret. Superhumerale, et duos lapides, vel smaragdinos, vel onychinos, qui desuper sunt, et utrumque humerum tegunt, duo hemisphæria interpretantur, quorum aliud super terram, aliud sub terrâ « sit : sive solem et lunam, quæ desuper rutilant. « Zonam illam, quâ sacerdotis pectus arctatur, et linea tunica, id est, terra constringitur, interpretantur Oceanum. Rationale in medio positum, terram « edisserunt, quæ instar puncti, licet omnia in se habeat, tamen à cunctis tollatur elementis. Duodecim « lapides vel zodiacum interpretantur circulum, vel « duodecim menses, et singulis versiculis singula assignant tempora, et his ternos deputant menses. « Pulchrè autem hoc ipsum quod in medio est, appellatur rationale. Ratione enim cuncta sunt plena, « et terrena hærent cœlestibus ; imò ratio terrenorum, « et temporum, caloris et frigoris, et duplex inter « utraque temperies, de cœli cursu et ratione descendit. Unde et rationale cum Ephod fortiùs stringitur. « Porrò quod dicitur in ipso rationali δήμωσις esse et « ἀλήθεια, id est, manifestatio atque doctrina vel veritas ; hoc ipsum significat quòd nunquàm in Dei ratione mendacium sit, sed et ipsa veritas multis signis « et argumentis monstretur hominibus, et usque ad « mortales veniat..... Super omnia cidaris et vitta « hyacinthina cœlum monstrat : et auri lamina, quæ « in fronte pontificis est, inscriptumque nomen Dei, « universa quæ subter sunt Dei arbitrio gubernari.... « Justum ergo erat ut pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret « cuncta indigere misericordiâ Dei ; et cùm sacrificaret ei, expiaretur universalis conditio, ut non pro « liberis ac parentibus, et propinquis, sed pro cunctâ « creaturâ, et voce et habitu precaretur. »

Moralem subinde sensum ex vestibus sacris elicit S. Hieronymus his verbis : « Legimus in Levitico juxta « præceptum Dei Moysen lavisse Aaron, et filios ejus. « Jam tunc purgationem mundi, et rerum omnium « sanctitatem baptismi sacramenta signabant. Non accipiunt vestes, nisi lotis priùs sordibus, nec ornantur « ad sacra, nisi in Christo novi homines renascantur. « Vinum enim novum in novis utribus mittitur. Quod « autem Moyses lavat, legis indicium est. Habent Moysen et prophetas, ipsos audiant. Et ab Adam usque ad « Moysen omnes peccaverunt. Præceptis Dei lavandi « sumus ; et cùm parati ad indumentum Christi tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste « lineâ, nihil in se mortis habente, sed totâ candidâ : « ut de baptismo consurgentes, cingamus lumbos in « veritate, et tota pristinorum peccatorum turpitudo « celetur. Unde et David : *Beati quorum remissæ sunt « iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Post feminalia et lineam tunicam induimur hyacinthino vestimento, et incipimus de terrenis ad alta conscendere. Hæc ipsa hyacinthina tunica à Septuaginta « ὑποδυτὴς, id est, subucula nominatur, et propriè « pontificis est, significatque rationem sublimium non « patere omnibus, sed majoribus atque perfectis. Hanc « habuerunt Moyses et Aaron, et prophetæ, et omnes « quibus dicitur : *In montem excelsum ascende tu qui « evangelizas Sion.* Nec sufficit nobis priorum ablutio « peccatorum, baptismi gratia, doctrina secretior, nisi « habuerimus et opera. Unde jungitur et Ephod, id « est, superhumerale, quod rationali copulatur, ut « non sit laxum, neque dissolutum, sed hæreant sibi « invicem et auxilio sint. Ratio enim operibus, et « opera ratione indigent ; ut quod mente percipimus, « opere perpetremus. Duoque lapides in superhumerali vel Christum significant, et Ecclesiam, duodecim apostolorum, qui ad prædicationem missi « sunt, nomina continentes ; vel litteram et spiritum, « in quibus continentur legis universa mysteria. In « dextrâ spiritus, in lævâ littera est. Per litteras ad « verba descendimus, per verba venimus ad sensum. « Quàm pulcher ordo, et ex ipso habitu sacramenta « demonstrans ! In humeris opera sunt, in pectore « ratio. Unde et pectusculum comedunt sacerdotes. « Hoc autem rationale duplex est : apertum et abscon « ditum, simplex, et mysticum, duodecim in se lapides habens, et quatuor ordines, quos quatuor puto « esse virtutes, prudentiam, fortitudinem, justitiam « et temperantiam, quæ sibi hærent invicem, et, dùm « mutuò miscentur, duodenarium efficiunt numerum : « vel quatuor animalia, quæ in Apocalypsi describun« tur plena oculis, et Domini luce radiantia mundum

« illuminant. In uno quatuor, et in quatuor singula. « Unde et δήλωσις et ἀλήθεια, id est, manifestatio, vel « doctrina et veritas, in pectore sacerdotis est. Cùm « enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens « est veritatem, quam in corde retinet, sermone pro- « ferre : et ob id in rationali veritas est, id est, scien- « tia, ut noverit quæ dicenda sint, et manifestatio « atque doctrina, ut possit instruere alios quod mente « concepit. Ubi sunt qui innocentiam sacerdoti dicunt « posse sufficere? Vetus lex novæ congruit : idipsum « Moyses, quod Apostolus. Ille sacerdotis scientiam « ornat in vestibus : iste Timotheum et Titum instruit « disciplinis. Sed et ipse vestimentorum ordo præci- « puus. Legamus Leviticum. Non priùs rationale, et « sic superhumerale, sed ante superhumerale, et dein- « ceps rationale. *A mandatis*, inquit, *tuis intellexi :* « priùs faciamus, et sic doceamus : ne doctrinæ au- « ctoritas cassis operibus destruatur. Hoc est quod in « prophetâ legimus, Osee 10 : *Seminate vobis in justi- « tiâ, et metite fructum vitæ : illuminate vobis lumen « scientiæ.* Primùm seminate in justitiâ, et fructum vi- « tæ æternæ metite : postea vobis scientiam vindicate. « Nec statim absoluta perfectio est, si quis superhu- « merale et rationale habeat, nisi hæc ipsa inter se « forti compagine solidentur, et sibi invicem connexa « sint : ut et operatio rationi, et ratio operibus hæ- « reat, et his præcedentibus doctrina sequatur et ve- « ritas.... Lamina aurea rutilat in fronte : nihil enim « nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scien- « tiâ coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacin- « thinis, sacrato baltheo cingimur : dantur nobis opera, « rationale in pectore ponitur : accipimus veritatem, « profert sermo doctrinam. Imperfecta sunt universa « nisi tam decoro currui dignus quæratur auriga, et « super creaturas Creator insistens regat ipse quæ « condidit. Quod olim in laminâ monstrabatur, nunc « in signo ostenditur crucis. Auro legis sanguis Evan- « gelii pretiosior est. Tunc signum, juxta Ezechielis « vocem, gementibus figebatur in fronte : nunc por- « tantes crucem, dicimus : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Lege et Theodoretum, « qu. 60 in Exodum, et S. Thomam, q. 102, art. 5 ad « 8 et 9. »

§ V. *De Solemnitatibus Veteris Legis.*

I. Festorum solemnium apud Hebræos institutionem et originem gentium moribus tribuit *Spencerus*, lib. 3 *de Legibus Ritualibus Hebræorum*, cap. 8, *dissertat.* 1, illamque ad Ægyptios refert. Testem laudat *Herodotum*, lib. 2, cap. 58 et 59, dicentem : « Ægyptii ex- « stiterunt principes conventus, et pompas et concilia- « bula factitandi, et ab eis Græci didicerunt. Cujus rei « hoc apud me argumentum est, quòd illa constet « priscis temporibus, Græcanica verò recens fuisse « instituta. Nec verò semel quotannis conventum « agunt Ægyptii, sed frequenter, tum alibi, tum præ- « cipuè ac studiosissimè in urbe Bubasti, in honorem « Dianæ. Secundo loco in urbe Busiri, in honorem « Isidis. » Id confirmat ex *Philone Byblio*, apud *Eusebium*, lib. 1 *Præparationis Evangelicæ*, cap. 9, dicente : « Barbarorum antiquissimos, Phœnices inprimis et « Ægyptios, à quibus cæteri deinceps populi morem il- « lum accepêre, in maximorum deorum loco eos ha- « buisse, qui res ad vitam agendam necessarias in- « venissent, quique beneficium aliquod in genus homi- « num contulissent. Eos nimirùm, quòd sibi plurimo- « rum bonorum auctores esse persuaderent, divinis « honoribus coluêre ; ac templorum usu, quæ jam an- « te constructa fuerant, hoc ad munus officiumque « traducto, columnas insuper, statuasque lignéas ip- « sorum nomine consecrârunt, eaque præcipuo reli- « gionis cultu prosecuti Phœnices, festos illis quoque « dies longè celeberrimos dedicârunt. » Filios *Jacob* Sichimitas adortos fuisse *observato die festo, quo Sichimitæ otio et epulis indulgebant*, scribit *Josephus*, lib. 1, cap. 19 ; *Lucianus*, lib. *de Deâ Syriâ*, de Ægyptiis scribit : *Primi quidem hominum, quos nos scimus, Ægyptii dicuntur, et Deorum notitiam percepisse, et templa constituisse, locosque et solemnes conventus indixisse.* Ex his colligit *Spencerus* festa solemnia Mosis legibus antiquiora fuisse, primùm apud Ethnicos usum et originem invenisse ; Deumque festa quædam in suo cultu instituisse, ut populo seculi moribus immerso nonnihil indulgeret, et publicis illis oblectationibus pueriles Hebræorum animos ad legem cultumque suum alliceret.

II. Verùm etsi festorum dierum celebrationem lege antiquiorem fuisse demus, et apud gentes profanas usitatam ante Mosaica tempora (quod tamen non probant *Luciani*, *Herodoti*, aut *Philonis Byblii* testimonia) ; non propterea consequens est dies festos Hebræorum institutionem ac originem suam gentium moribus debuisse. Longè credibilius est antiquos patriarchas festa solemnia habuisse, quemadmodùm et sacrificia, hunc ipsis fuisse morem certos dies designandi, quibus fideles in unum convenirent, et, profanis negotiis intermissis, uni Dei cultui et religionis actionibus vacarent ; hunc verò morem atque ritum filios et nepotes *Noe* in orbem universum propagâsse. Quidni etiam ante ortum idololatriæ festos quosdam ac solemnes dies in Ecclesiâ patriarcharum Dei cultui dicatos credamus, cùm dierum hujusmodi celebratio tam arcto fœdere cum religione connexa sit, ut nulla gens fuerit unquàm adeò barbara quæ cum aliquibus notitiæ Dei scintillis, et religionis specie, festa sua solemnia non haberet. Dæmon scilicet Dei æmulus, non solùm sacrificia sibi offerri, sed et festos dies dicari sub falsorum Deorum nominibus ambiit, cæcosque homines ad id induxit. Hanc *Strabo*, lib. 10 *Geographiæ*, p. 467, festorum originem ad naturæ ductum institutumque refert : Priorem autem esse naturam ac religionem, quàm idololatriam, nemo negaverit. *Commune*, inquit, *Græcis cum Barbaris est ut sacrificia inter feriandum celebrent...; idque naturâ sic dictante... Benè quidem dictum est homines tum maximè Deum imitari, cùm beneficia conferunt : rectiùs autem diceretur, cùm numina rectè colunt : id autem fit gaudendo, dies festos agitando, philosophando, musicam tractando.* Romani *ferias solemnesque conventus et statas à laboribus vacationes*,

sicut et Deos suos à Græcis accepère, teste *Dionysio Halicarnassensi*, apud *Eusebium*, lib. 2 *Præparationis Evangelicæ*, c. 8. Hinc illa dierum distinctio in dies *Festos*, *Profestos*, *et Intercisos*, cujus auctorem *Numam* laudat *Macrobius*, lib. 1 *Saturnalium*, cap. 16. *Festi* fuerunt Diis dicati. *Profesti* hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi. *Intercisi*, Deorum hominumque communes. Illorum enim dierum quibusdam horis fas fuit, quibusdam nefas jus dicere. *Feriarum* genera quatuor apud Romanos. Aliæ *Stativæ*, statis et constitutis diebus et mensibus ab universo populo celebrandæ et in festis annotatæ. Aliæ *Conceptivæ*, quæ quotannis à magistratibus et sacerdotibus concipiebantur in dies vel certos, vel etiam incertos. Aliæ *Imperativæ*, quas consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Aliæ denique *Nundinæ* quibus conveniebant rustici negotiis vel mercibus suis provisuri. De his *Hospinianus*, lib. 1 *de Origine Festorum*, cap. 1, et alii qui de festis Ethnicorum scripsère. Porrò sicut dies quosdam numinis cultui sacrandos naturæ lex homines docuit, ita his diebus huic uni rei vacandum, atque à profanis et ordinariis negotiis feriandum. Hinc legibus atticis sancitum est, tit. 1, lege 11 *de Populo Atheniensium, festo ne cuiquam sive privatim, sive publicè injuria fiat; neve habeatur concio de aliis rebus, quàm iis quæ ad festorum religionem pertinent.* Item Romanis legibus constitutum, ut festis diebus liberi litium et jurgiorum requietem, servi operum et laborum haberent, *Ciceróne* teste, lib. 2 *de Legibus :* « Feriis jurgia amovento : « eaque in famulis operibus patratis habento. » Sacerdotes apud Macrobium, lib. 1 Saturnalium, cap. 16, asserunt « ferias pollui quoties, iis indictis conceptis- « que, opus aliquod fieret. Præterea non licebat sa- « crorum regem, et flamines videre feriis opus fieri. « Atque ideò per præconem denuntiabant, ne quid « tale ageretur; et præcepti negligens mulctabatur. « Præter mulctam verò affirmabatur, eum qui talibus « diebus imprudens aliquid egisset porco piaculum « dare debere : prudentem expiare non posse, Scevo- « la pontifex affirmabat. » Cùm itaque ex communi fonte rationis mos ille ac ritus festos dies in numinis honorem celebrandi sit apud gentes omnes derivatus, frustra sunt, qui festorum originem ad Ægyptiorum, aliarumve profanarum gentium mores referant. Sed enim inter Judæorum et gentium festa magnum discrimen fuit, sive originem, sive numerum, sive ritum spectemus. Ethnici levibus de causis, plerùmque ridiculis et fabulosis, quales erant raptus *Proserpinæ*, planctus *Isidis*, casus *Adonidis*, et aliæ similes, dies festos indixerunt. Hebræis ad insignis alicujus beneficii, à Deo in gentem universam collati, memoriam recolendam solemnitates institutæ sunt. Insignis fuit apud gentes profanas, Græcos præsertim, festorum numerus : lex Mosaica Judæis præter sabbata, ter tantùm in anno festa publica solemniter celebranda præscripsit, Exodi 23, 14, 15, 16, 17 : *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solemnitates Azimorum custodies... Et solemnitatem messis Primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Ethnici festos dies integros otio, crapulæ et Veneri dicabant : Judæi sacris et religiosis actionibus. Hinc *Philo Judæus*, lib. 1 *de Cherubim*, ait : « Contemplare celebritates nos- « tras. Omittantur quæ apud Barbaras simul et Græcas « nationes per occasionem figmentorum fabulosorum « aliæ aliàs institutæ sunt, in nullum alium finem quàm « vanitatem pomposam fastuosamque. In omni festo « nostro, et celebritate opera miranda et palmaria « sunt, securitas, remissio, quies ab inferendis injuriis. « In festis verò Gentilium ebrietas, potatio, comes- « satio, deliciæ, oblectamenta, patentes januæ, per- « noctationes, indecentes voluptates, quotidianæ nu- « ptiæ, insolentiæ, exercitium intemperantiæ, insi- « pientiæ meditatio, studia turpitudinis, honestatis « pernicies, nocturnæ exercitationes ad cupiditates « inexplebiles, somnus diurnus, quando vigilandi « tempus est naturæ ordinis perversio. Tunc virtus « ridetur ut noxia, vitium tanquàm utile rapitur. Tunc « in contemptu sunt quæ oportet facere : quæ verò « non oportet, in pretio. Tunc musica, philosophia et « omnis eruditio, divinæ animæ divina reverà simu- « lacra, tenent silentium. At istæ artes, quæ suis le- « nociniis ventri et his, quæ sub ventre sunt, volup- « tatem conciliant, sese ostentant. Hæc sunt festa « istorum, qui se felices dicunt; quorum turpitudo, « quamdiù inter privatos parietes, locaque profana con- « tinentur, minùs peccare mihi videtur; ubi verò tor- « rentis in morem vastans omnia, vel in sacratissima « templa irrumpit, quicquid in his sanctum est ster- « nit continuò, faciens profana sacrificia, victimas « absque litatione, preces irritas, profana item mys- « teria simul et orgia, pietatem sanctitatemque fuca- « tam et adulterinam, castitatem impuram, et verita- « tem falsatam, cultum Dei superstitiosum, etc. » Quæ cùm ita sint, veteris legis solemnitates à profanarum gentium moribus originem duxisse, absque ratione asseritur : maximè cùm Pascha, Pentecostes, Scenopegia, festa fuerint Judaicæ peculiaria religioni, profanis gentibus ignota.

III. Non imus tamen inficias, quin festa solemnia populo suo celebranda Deus indixerit, non solùm ad divinorum beneficiorum commemorationem, sed maximè ut proclives ad idololatriam Judæos in officio contineret, atque à profanarum gentium superstitionibus cùm effreni licentiâ et obscœnitate, quibus se Deos promereri putabant, conjunctis avocaret. Non alia mens est *sancti Joannis Chrysostomi*, homiliâ *de Christo Pastore et Ove*, tom. 6, p. 269. « Quæcumque, « inquit, in veteri priscorum religione facta comme- « morantur, ad Christum ceu summam quamdam ten « dunt : sive prophetia, sive sacerdotium, sive re- « gnum, sive templum, sive thuribulum, sive velum, « sive arca, sive propitiatorium, sive mazna, sive « virga, sive urna : omnia, inquam, ad ipsum refe- « runtur. Jam enim antiquitùs Deus Judæis religionem

« sacrificiorum concessit, non quòd eâ oblectaretur, « et in eâ acquiesceret, sed quòd à Græcorum culti- « bus ipsos summovere cuperet. Ita cùm ipse hâc quâ- « dam moderatione ipsos ad ea perducat quæ ipse ve- « lit : quæ non vult, velut sibi grata præscribit. Cùm « enim, ut erat captus Judæorum, nondùm efficacem « illam vim Spiritus intelligere possent, sed consue- « tudine gentium in servitutem redacti essent, et circa « aras et sacrificia occuparentur, Deus dies illos fes- « tos etiam idolis colendis dicatos, hoc modo ad pie- « tatem ordine quodam instituendam, immutat atque « sustinet, quæ ipsi non placebant. Et quemadmodùm « bonus pater, cùm filium suum ludicris rebus occu- « patum conspiciat, à foro quidem ipsum arcet, domi « verò omnia illi, quæcumque velit, permittit, et dùm « ipsum in omni officio et decoro continet, lusûs in- « solentiam licentiamque coercet : sic etiam Deus, « cùm constituisset ipsos his publicis dierum festorum « conventibus ad pietatem conformare, permittebat « etiam illis sacra facere. »

Eadem mens est *Theodoreti*, quæstione 54 in Exodum : « Præcepit, inquit, diebus illis festis convenire « in templum divinum, ut beneficiorum divinorum « memoriam renovent, concordiam atque amicitiam « concilient : cùm festorum peramantes sint, sacris et « delubris dæmonum non delectentur, sed in tem- « plo Creatoris et bona suppeditantis, festivis fruantur « epulis. » Et quæst. 10 in Deuteronomium : « Por- « rò, inquit, sapientissimus Dominus istâ lege com- « plexus est, liberans eos ab errore falsorum deorum. « Etenim quia doctor impietatis, humano genere gu- « læ et voluptatum illecrebris subjugato, festis dæmo- « num ludicra permulta inseruit, solertissimus Do- « minus Israelem ab illo errore liberans, etiam de his « quæ pertinent ad festa leges scripsit, et sacrificia « permisit, et instrumenta musica toleravit, et jussit « epulari, talibus illectamentis idolorum impium cul- « tum amputans. »

IV. Septem solemnitates temporales, et unam continuam in veteri lege fuisse, ex *Numerorum* 28 et 29 colligit *sanctus Thomas* 1, 2, *quæst.* 102, *art.* 4, ad 10 : « Solemnitas continua erat oblatio jugis sacrificii. Sin- « gulis scilicet diebus manè et vespere immolabatur « agnus ; et per illud continuum festum jugis sacrifi- « cii, repræsentabatur perpetuitas divinæ beatitudi- « nis ; » Numerorum 18, 3 : *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocaustum sempiternum : unum offeretis manè, et alterum ad vesperum.* At id propriè festum non fuit. Nec ante solis ortum, nec post solis occasum, sed inter duas vesperas, ut loquuntur, juge sacrificium afferebant, ut nocturna gentium sacra, in mortuorum honorem fieri solita se penitùs repudiare, nec religionem suam quicquam commune cum diis inferis, aut cæremoniis eorum cultui propriis retinere eo ritu profiterentur. De diis inferis, quos *Milichios* vocant, verba faciens *Pausanias* in *Phocis*, eorum sacra lucifuga fuisse testatur : « His, inquit, nocturna fiunt sacra, in « quibus ante solis exortum carnes victimarum absu- « mere, eodem ipso in loco solemne habent. » Nocturna sacra *Principi tenebrarum* conveniebant. At Deo qui *lux est, et in quo tenebræ non sunt ullæ*, sacrificium offerri decebat à populo suo lucente sole.

Temporales solemnitates aliæ quâvis hebdomadâ, ut *Sabbatum* : aliæ singulis mensibus, ut *Neomenia* : aliæ singulis annis semel celebrabantur, scilicet *Pascha*, *Pentecoste*, *Festum Tubarum*, *Festum Expiationis*, *Festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum*, et *Festum Cœtûs* seu *Collectæ*. Quatuor illæ postremæ solemniter peragebantur mense septimo, qui quasi totus solemnis apud Hebræos erat, sicut et septimus dies, et instar unius festi censebantur. Festa Paschatis seu Azymorum, Pentecostes et Tabernaculorum, tria erant præcipua, quibus Israelitæ ad tabernaculum Domini in Silo, vel ad templum Jerosolymitanum, postquàm conditum est, convenire debuerunt, sacrificia oblaturi, Exodi 23, 14, et Deuteronomii 16, 16 : *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus*, etc.

V. *Sabbatum*, Judaicarum festivitatum caput, à Deo institutum est in creationis memoriam, Exod. 20, 8, 9, 10, 11, adeòque ad idololatriæ abolitionem. Si enim creationis opus memori mente Judæi tenerent, vix fieri potuit ut cultum, uni Creatori debitum, creaturis impenderent. Fidem creationis mundi, legis Mosaicæ fuisse fundamentum, ait Maimonides in More Nevochim, p. 2, cap. 30 : « Sententiam, inquit, de « æternitate mundi omnes legem nostram amplecten- « tes refugiunt : fundamentum enim legis nostræ est « quòd Deus hunc mundum creârit ex nihilo. » Hinc sabbati religio toties Judæis in lege inculcata. Hinc sabbati violatio pœnâ capitali punita, quòd creationis abnegatio quædam videretur, ut observat Aben-Esra in cap. 20 Exodi. De sabbato pluribus egimus dissertatione 2, in explicatione 3 præcepti Decalogi. Quia sabbatum à quiete nomen accepit, et quiete ab operibus sanctificabatur, et in quietis divinæ memoriam ab opere creationis institutum erat, et figura erat quietis Christi, fidelium hìc peregrinantium, sanctorum in cœlesti gloriâ cum Christo regnantium : omnia festa solemnia à Deo instituta, ob sacrum otium quod iis diebus pariter indictum erat, sabbata vocata sunt. Levitici 23, 32 : *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Et vers. 39, ubi de festo tabernaculorum agitur : *Die primo et die octavo erit sabbatum;* hoc est, primus et octavus dies festi et solemnes erunt. Hinc etiam annus septimus, ob indictam terræ quietem, *sabbatum terræ*, et *annus sabbaticus* appellatus est. Levitici 25, 4 : *Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini.* Fuit præterea sabbatum sabbatorum, seu annus septies septimus, *Jubilæus* appellatus, qui servis plenam à laboribus quietem afferebat : de quo Levitici 25, 8 : *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem*, etc.

VI. *Neomeniæ festum* ad divinæ gubernationis opus commemorandum institutum est, inquit S. Thomas. Hæc namque inferiora secundùm lunæ motum præcipuè variantur. Secundò in figuram etiam Ecclesiæ per Christum olim renovandæ, cum lunâ collatæ, Canticorum 6, 10, et Apocalypsis 12, 1, 4. Neomeniæ cum sabbatis et festis reliquis Deo in antiquâ lege consecratis conjunguntur, 2 Paralipomenon 2, 4 et 31, 3, 1; Esdræ 3, 5; Isaiæ 1, 13; Judith 8, 6. Inter *ferias Domini celeberrimas atque sanctissimas* quæ Levitici 23, recensentur, nulla fit *Neomeniæ* mentio, quia feriatio à laboribus hâc die præcepta Israelitis non erat, quamvis præscriptis sacrificiis solemnis esset, Numerorum 33, 11, 12, 13 : *In Calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos*, etc. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum.* Tantùm abest ut Neomeniæ solemnitatem à gentibus acceperint Judæi, ut Spencerus contendit, lib. 3 de Legibus ritualibus Hebræorum, cap. 1, dissertatione 4, ut potiùs novilunia sacrificiis in sui nominis honorem oblatis, buccinæ sonitu indictis, solemnia Deus esse jusserit ad idololatriæ abolitionem, ut Israelitæ religiosis officiis occupati, Deique beneficiorum memores, ad gentilium ritus in Neomeniis usurpari solitos non deficerent. Ita S. Thomas loco supra laudato : « Ideò celebratur hoc « festum in novitate lunæ, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum idololatrarum cultum, qui in « tali tempore lunæ sacrificabant. » Ita Maimonides in More Nevochim, p. 3, cap. 46 : « Ne quis cogitaret « de hirco Neomeniæ, quasi lunæ esset sacrificium, « sicut Ægyptii facere solebant sacrificantes lunæ in « singulis Neomeniis ; idcircò disertè dicitur de ejus« modi sacrificio : *Sacrificium pro peccato Domino*, « non verò lunæ. De hircis autem festorum principa« lium nequaquàm hoc timendum fuit : quia dies illi « non erant lunæ consecrati, nec signo aliquo natu« rali distinguebantur, sed ex instituto legis obser« vati : Neomeniæ verò non erant ex impositione le« gis, et consueverant gentes in illis lunæ sacrificium « offerre, sicut sacrificabant soli in ipsius ortu. Hâc « de causâ ergo novo loquendi genere usa est lex de « isto hirco, et dixit de eo : *Holocaustum Domino*, ad « auferendum cogitationes istas ex cordibus hominum « inveteratâ et exitiali istâ lue laborantium. » Græcos et Romanos sacrificia in noviluniis offerre, et vota nuncupare solitos, ut sibi fausta omnia insequenti mense evenirent, auctores antiqui testantur. *Libanius*, declamatione 8 *in Neomeniis : Lege civitatis ad id munus adstricti, sacrificamus.* Plutarchus in Vitâ Æmilii : *Æmilius, ut primùm renitescere lunam conspexit, ei juvencas undecim immolavit.* Clearchus apud Porphyrium, lib. 2 de bAstinentiâ, sect. 16, dicitur *tudiosè sacrificium peragere, quod singulorum mensium initio debebatur.* Macrobius, lib. 1 Saturnaliorum : *Romæ calendis omnibus pontifex rem divinam Junoni facit.* Demosthenes, orat. 1 in Aristog. : *In noviluniis omnes in Acropolim ascendentes, Deos precantur, ut civitati et sibimetipsis bona largiantur.* Lucianus in Icaromenip. Empedoclem sic alloquens : *Ubi primùm rursùs in Græciam devolâro, memor ero sacrificare tibi in fumario, atque in noviluniis ter ad lunam inhians vota facere.* Horatius, lib. 3, od. 23 :

*Cælo supinas si tuleris manus*
*Nascente lunâ, rustica Phidele.*

Tacitus lib. de Moribus Germanorum : *Coeunt*, inquit, *nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cùm nempe inchoatur luna aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.* His superstitionibus Neomeniæ solemnitatem Deus opposuit. Judæorum Neomenias *trigesima sabbata* vocat Horatius. Duplex porrò apud antiquos Novilunia putandi vel inchoandi ratio obtinuit : naturalis una et astronomica, ἀπὸ τῆς συνὶδου conjunctione luminarium : altera popularis, ἀπὸ τῆς φάσεος à primâ visione lunæ. Judæis autem à lunæ φασει Neomeniæ celebritatem auspicari mos erat, ut testantur Philo Judæus, lib. de Septenario et Festis, Maimonides, lib. Kiddush Hachodesh, cap. 5, § 2, et Abarbanel, lib. de Consecratione Novilunii. Qui Neomeniæ ritus, rabbinorum et scribarum traditione vel superstitione Mosaicæ legi superadditos, nósse cupit, legat Buxtorfium, Synagogæ Judaicæ cap. 22.

VII. *Festum Paschatis* 14 die primi mensis sacri, id est, Nisan, sub vesperam celebrandum, à Deo institutum est, in memoriam liberationis ex Ægypto, et in figuram veri agni Paschalis, scilicet Christi, in vesperâ legalium cæremoniarum et synagogæ Judaicæ, immolati. Solemnitatis istius continuatio, seu appendix erat *Festum Azymorum* 15 die ejusdem mensis Nisan, et sex diebus sequentibus celebratum : qui dies pares quidem erant quoad usum Azymorum et sacrificiorum oblationem, non quoad celebritatem; primus enim et septimus festi erant ac solemnes, adjunctamque habebant obligationem abstinendi ab omni opere servili : quinque reliqui erant profesti, Levitici 23, 5, 6, 7, 8; Numerorum 38, 16, 17 et seq. Hoc festum institutum est, ut memores essent Judæi panis afflictionis quem in Ægypto comederant, simul et liberationis suæ singulari Dei beneficio, propter quod gratum animum testarentur septem diebus continuis, id est, totâ mortalis hujusce vitæ septimanâ. Secundò, ut panem afflictionis et calicem amaritudinis, sive passionis Christi Domini significaret. 3° Ut manducationem carnis Christi, qui vere panis azymus est expers corruptionis, in adorando Eucharistiæ sacramento adumbraret. 4° Ut fermentum malitiæ et nequitiæ fugiendum intelligerent, sectandam verò sinceritatem, veritatem, conscientiæ puritatem per azyma adumbratam. Secundâ die Azymorum primitiæ messis, manipulus scilicet spicarum, et agnus immaculatus, anniculus in holocaustum offerebatur, in figuram Christi de quo Apostolus, 1 ad Corinthios 15, 20 : *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Lege postremam dissertationum nostrarum in 3 mundi Ætatem, in quâ fusè de Paschate egimus. *De Ritibus Judæorum* in celebrə-

tione Paschatis et dierum azymorum, legi Mosaicæ superadditis, legi potest Buxtorfius, Synagogæ Judaicæ cap. 17 et 18.

VIII. *Festum Pentecostes* die quinquagesimâ à secundâ die Azymorum, seu à die decimâ sextâ mensis Nisan, quo primus frugum manipulus erat ex præscripto legis offerendus, celebrandum Deus instituit. A secundâ illâ azymorum die septem hebdomades numerandæ erant, seu dies quadraginta novem completi : et tum quinquagesimus festus erat, ut constat ex Levitici 23, 15, 16, Deuteronomii 16, 9, ex Josepho, lib. 3 Antiquitatum, cap. 10, et ex praxi constante cujus fidem faciunt Hebræorum commentarii et Kalendarium. Hinc Hebræis *Festum Sabbatorum* seu *Hebdomadarum*, dictum est, Exodi 34, 22, et Deuteronomii 16, 10, 16, et *Solemnitas messis primitivorum*, seu *Festum Primitiarum*, Exodi 23, 16, et Levit. 23, 17, quia panes primitiarum triticeæ messis illâ die Domino offerebantur. Græci, Πεντηκοστή quasi *dies quinquagesima*. Quam appellationem et Ecclesia retinuit. Institutum hoc festum est in memoriam latæ legis in monte Sinai : in grati animi significationem pro fertilitate agrorum, ubertate messis, et quietâ Chanaanitidis possessione, in figuram missionis Spiritûs Sancti olim futuræ, *cùm complerentur dies Pentecostes*, Act. 2, 1, et primitiarum Ecclesiæ christianæ : in figuram denique sanctificationis nostræ seu novitatis vitæ, novorum fructuum, fidei, spei, charitatis, virtutum omnium, quos operatur missio Spiritûs Sancti. Ritum hujus festi celebrandi lex præscribit, Levit. 23, 15, 16, 18, 19 : *Numerabitis ergo ab alterâ die sabbati* (id est, à secundâ die azymorum : *Sabbatum* enim pro *Festo* sumitur, cujus mentio proximè facta est), *in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies ; et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis, in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos ; et erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino. Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. Cùmque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris.* Confer Deuteronom. 16, 9, 10, 11, 12.

IX. Festum *Clangoris Tubarum* in Neomeniâ mensis *Tisri*, seu anno civili ineunte celebrandum præscripsit Deus, in memoriam liberati Isaaci, et substituti arietis, cornibus dumeto hærentis, ut volunt Hebræorum magistri, quibus suffragatur S. Thomas : deinde ut clangore tubarum ad grati animi significationem pro fructibus et beneficiis anno præcedente à Deo collatis excitarentur. Tertiò, ad novi anni civilis sanctificationem. Quartò, ad indictionem festi solemnis *Expiationis*, die decimâ ejusdem mensis celebrandi. Quintò, ut hinc duceretur, annum sabbaticum et jubilæum, mense Tisri inchoandos, numerandi ratio. Sextò, ad Evangelicæ tubæ clangorem in novo anno gratiæ significandum. De istius festi celebratione præceptum exstat, Levitici 23, 23, 24, 25 : *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel : mense septimo, primâ die mensis erit vobis sabbatum memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum. Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino.* Item Numer. 29, 1 et seq. : *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in eâ, quia dies clangoris est tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem ; et in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem : et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.* De hoc festo intelligitur illud psalmi 80, 4 : *Buccinate in Neomeniâ tubâ, in insigni die solemnitatis vestræ : quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.* De Judæorum ritibus in clangore tubarum, lege Buxtorfium, cap. 24 Synagogæ Judaicæ. Ipsos buccinâ clangere ut Satanas perturbetur et confundatur recordatus, quòd in fine dierum, cùm magnâ tubâ clangetur, in æternum absorbendus sit tradunt R. Isaac Talmudicus in tractatu Roth Haschana, et Moses Kotsensis, cap. de 42 Præcepto. Causas morales hujus clangoris affert Maimonides tractatu de Pœnitentiâ, cap. 3. « Licet, inquit, clangor tubæ in « capite anni decretum sit Scripturæ, est in eo moralis allegoricusque sensus. Evigilate è somno vestro, qui dormitis. Qui sopore obruti estis, experiscimini è sopore vestro, et solliciti estote de operibus vestris, et revertimini per pœnitentiam, et recordamini Creatoris vestri. Qui veritatis immemores estis propter vanitates mundanas, quique totam vitam oberratis in rebus inanibus et ludicris quæ nihil proficiunt, attendite ad animas vestras, rectas facite vias vestras et opera vestra, et derelinquat unusquisque vestrûm viam suam malam, et animi cogitationes impias. » Hæc ex antiquis Midraschim desumpsit Maimonides, ut observat ipsius commentator.

X. *Festum Expiationis* decimâ die ejusdem mensis celebrandum Deus instituit, in memoriam Dei, populo adoratione vituli polluto ad Moysis preces propitii : tum in expiationem peccatorum omnium, quibus se Israelitæ toto anno inquinâssent. Quamobrem indictum jejunium, et afflictio animarum, Levitici 23, 26, 27 et seq. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : *Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum*

*Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hâc, peribit de populis suis : et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo : legitimum sempiternum erit vobis cunctis generationibus et habitationibus vestris. Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis.* Confer. Levitici 16, 26 et seq. Cæremoniæ quædam erant ejus festi propriæ respectu pontificis, Levitici 16 præscriptæ, quæ typi fuerunt expiationis peccatorum totius mundi per Christum faciendæ. 1. Antequàm in Sancta Sanctorum ingrederetur, quod hâc unâ die ipsi per legem concessum erat, vitulum piacularem offerre debebat pro suis, familiæque suæ peccatis, et arietem in holocaustum, id est, eos coram Domino sistere, ac devovere, subinde mactandos. 2. Duos hircos à populo accipere, piacularem pro ipsius peccatis victimam, et unum arietem in holocaustum. 3. Piacularia sacra facturus, vestibus communibus omnium sacerdotum, non splendidis illius solius pontificis propriis indutus esse debebat. 4. Duobus hircis, antè tabernaculum testimonii Domino devotis, inter utrumque sors mittenda erat, uter mactaretur Domino, vel ablegaretur in desertum. 5. Vitulum piacularem pro se, domoque suâ fusis ad Deum precibus debebat immolare Pontifex. 6. Incenso thymiamate in sanctuarium ingredi. 7. De sanguine vituli septies aspergere contra propitiatorium, ad Orientem. 8. Mactato hirco pro peccatis populi, septupla quoque sanguinis ejus aspersione digito facta, è regione oraculi, sanctuarium primo, tum tabernaculum testimonii lustrare. 9. Nemo homo in tabernaculo esse debebat, quando pontifex sanctuarium ingrediebatur. 10. Egrediebatur pontifex in sancta, et sanguinem vituli atque hirci piacularium super cornua altaris aurei per gyrum fundebat, digitoque septies aspergendo, illud ab immunditiis filiorum Israel expiabat. 11. Sanctuario, tabernaculo et altari thymiamatis emundatis, ad altare holocaustorum pergebat, et utrâque manu super caput hirci alterius viventis impositâ, confessione suâ imprecabatur capiti ejus omnia Israelitarum peccata, tradebatque homini ad id destinato emittendum in desertum. Qui piacularem hircum emiserat, lustratione indigebat, nec ingredi poterat in castra, nisi loto corpore et vestimento. 12. Pontifex vestibus lineis exutus, lotusque, ac pontificiis indutus, suum ac plebis holocaustum offerebat; Deumque pro se ac populo rogabat. 13. Vitulum et hircum pro peccato mactatos, quorum sanguis in sanctuarium illatus fuerat, mittebat extra castra, ut tam pelles, quàm carnes, et fimus eorum comburerentur. Qui autem illa comburebat, legalem contrahebat immunditiam, lotione vestimentorum et corporis expiandam. Hos ritus typicos fuisse, et passionis Christi, atque expiationis peccatorum totius generis humani per ejus sanguinem faciendæ ab eo, pontifice nostro simul et victimâ, figuras insignes docet Apostolus Epist. ad Hebræos, cap. 9, vers. 2 et seq. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ.....* Et infra : *Non enim in manu facta sancta Jesus introivit exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex, intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno : alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodùm statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium : sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. Et cap. 13, 2, 12, 13, 14. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Hic est hircus ille ἀποπομπαῖος *in quo Deus posuit iniquitates omnium nostrûm.* Imò hircus uterque typus Christi fuit, ut docet S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 9 contra Julianum. « Cerne, inquit, mysterium, etiam in capris duobus « rectè adumbratum. Caper enim, sive hircus, pro « peccatis sacerdotis et populi mactabatur ex præ« scripto legis. Cùm autem Christus pro peccatis no« stris immolatus sit, hirco comparatur. Ut enim ait « Isaias propheta 55, 6 : *Omnes sicut oves erravimus,* « *homo in viâ suâ erravit, et Dominus tradidit eum* « *pro peccatis nostris.* Duo siquidem hirci assumuntur, « non tanquàm duo Christi sint, aut duo, juxta non« nullos, filii, sed potiùs quòd oportebat eumdem et « immolari pro nobis, et mori quidem secundùm car« nem, vivere autem secundùm spiritum. » Et infra : « Descriptus autem est per utrumque Christus unus, « et moriens pro nobis secundùm carnem, et mortem « superans secundùm divinitatis naturam. Emittebatur autem in desertum, quâ solitudine et inculto « solo designatur gentium sterilitas. Hanc quippe ab « ipsis prophetis reperiemus ita quoque nominatam. « Scriptum est enim Isai. 35, 54 : *Lætare, desertum* « *sitiens, exultet desertum, et floreat quasi lilium.* Et « rursùs : *Lætare sterilis, quæ non paris : erumpe et* « *clama, quæ non parturis : quia plures filii desertæ,* « *quàm habentis virum.* » *Multò plures enim fuerunt qui crediderunt ex Gentibus, quàm qui ex Synagogâ Judæorum.* Alio modo figuram hircorum explicari posse S. Cyrillus ait, ut sicut oves typi sunt sanctorum, sic hirci figuræ peccatorum intelligantur (Matthæi 25, 34) : *Porrò apparuit nobis Dei unigenitus in specie nostrâ, et cum iniquis reputatus est : et si sensum legalium figurarum spectemus, hœdus inter hœdos, aut hircus inter hircos factus est. Jussit igitur lex hœdos aut hircos duos assumi, ut ex eo Christus intelligeretur sicut unus è nobis quoad ejusdem naturæ similitu-*

*dinem, et speciem nominis ad hominem, nempe capri ad caprum. Factus autem homo sicuti nos, mortem quoque nobis impositam subiit, hoc est, carnalem, ut nos morte et corruptione liberaret. Quod quidem ipsum videre possis etiam in binario illo hircorum numero impletum, quorum unus quidem immolabatur, et Deo in odorem suavitatis offerebatur : alter autem à mactatione liber dimittebatur. Mortuus enim est pro omnibus. Ille omnium dignissimus, et Christi mors solutio mortis fuit.* Legatur ejusdem Patris epistola ad Acacium episcopum, De Capro Emissario, p. 3, concilii Ephesini cap. 36.

Eamdem explicationem tradit Theodoretus, quæst. 22 in Leviticum : « Quemadmodùm, inquit, in purificatione leprosi, uno passere mactato, alter illius « sanguine tinctus liberabatur : ita duobus hircis oblatis « pro peccatis populi, unus sacrificabatur, alter emittebatur. Hæc verò typus erant Christi Domini, ita « ut hæc duo animalia non pro duabus personis acciperentur, sed pro duabus naturis. Cùm enim per « unum hircum adumbrari commodè non possent mortalitas simul et immortalitas Christi Domini (nam « hircus mortalis est solùm), necessariò duos offerri « jussit, ut ille qui mactabatur, carnis passibilem « naturam figuraret : qui verò solvebatur, divinitatis « indicaret naturam impassibilem..... Porrò nemo existimet ineptum, hircos præfigurare passionem Christi, « cùm ipsum magnus Joannes appellaverit Agnum : « sed perpendat potiùs quòd non pro justis tantùm, « sed etiam pro peccatoribus semetipsum obtulerit. « Hœdis autem Dominus comparavit cœtum peccatorum : *Statuet enim*, ait, *agnos à dexteris, hœdos « autem à sinistris*, Matth. 23, 33. Et in lege pro peccato offerebatur hœdus.... Hæc ergo prænuntiabant « terræ salutem : Judæos verò tanquàm infantes delectabat, quòd hircus peccata in desertum auferret : « quia reducebat illis in mentem scelus in deserto admissum, et inenarrabilem Domini benevolentiam, « per quam justis suppliciis evitatis, in terram promissam ingressi sunt. » Legatur et S. Thomas 1, 2, quæst. 102, art. 5. ad 6. Sed de hirco emissario dicemus iterùm articulo sequenti, ubi de Mosaicæ legis sacramentis agemus ; et Marshami ac Spenceri novam opinionem expendemus, qui hirci ἀποπομπαίου ritum ab expiatoriis Ægyptiorum sacris derivatum contendunt.

Festum expiationis pœnitentiæ et confessioni apud Judæos dicatum est. Tradunt rabbini Deum primo die anni singulos homines judicare, et pro variis meritis eos tribus libris inscribere : perfectè justos *Libro Viventium* : perfectè impios *Libro Mortis* : intermedios tertio libro. Qui in eo descripti fuerint, eorum judicium in diem decimum mensis, suspendi : si perfectam pœnitentiam egerint, justis ; sin minùs, impiis adnumerandos. Sic R. Schem Tob initio Draschot sive sermonum de pœnitentiâ, tractatus Thalmudicus Rosc Haschana de capite Anni, Maimonides, lib. De Pœnitentiâ, cap. 3, mense *Tisri*, novoque anno ineunte, novem diebus qui supersunt ad diem expiationis, pœnitentiæ, confessioni peccatorum, jejuniis reconciliationi cum læso proximo, rerum raptarum restitutioni, necnon corporis macerationi et verberationi sedulo incumbunt, ut justorum libro adscribi à Deo mereantur. Sed potissimùm pridiè hujus festi, et toto festo, austerum observant jejunium à vesperâ scilicet usque ad vesperam sequentem. Omnes omninò puberes, mares et feminæ, eodem modo jejunare tenentur. Mares, cum diem unum supra decimum tertium annum attigerunt ; feminæ, cùm unum diem supra undecimum annum assecutæ sunt. Ipsos infantes pro ætatis modulo abstinentiâ aliquâ horæ saltem alimentis assignatæ retardatione fatigant. Ab uxoribus abstinent, discalceati incedunt, à balneis, odoribus, unctionibus, lotionibus temperant ; ut constat ex Mose Cotsensi in lib. Semeg, tit. Hilcoth Hacckippurim ad præcepta 68 et 69, negativa ex libro Kiriath Sepher in explicatione præcepti 31, ex Orach Chaiim in decisionibus et moribus illius festi, aliisque Judæorum libris. Confessionem in primâ vesperâ festi hujus quisque edere tenetur, antequàm cibum capiat, *Ne fortè in cœnâ* ante confessionem suffocetur, inquit Maimonides, cap. 2 lib. De Pœnitentiâ ; sive *Ne mens ejus propter convivium conturbetur, ita ut non possit postea confiteri*, inquit R. Jacob in libro Orach Chaiim, sect. 607. Post cœnam, manè et pluries in die confessionem iterant. Decem confessiones fieri *in vicem decem pronuntiationum divini nominis, quas in die expiationis sacerdos magnus commemorat*, refert Moses Tranensis, cap. 2 decisionum de Pœnitentiâ. Multiplicis confessionis die expiationis faciendæ *Thalmud* Jerosolymitanum, et Babylonicum, in tractatu *Joma*, cap. ultimo, mentionem faciunt. De cujus etiam ritu plura ex rabbinorum commentariis deprompta legi possunt apud Buxtorfium, Synagogæ Judaicæ cap. 25, et apud Joannem Morinum, lib. 2 De Administratione sacramenti pœnitentiæ, cap. 22, et libro 9, cap. 35 et 36. Religiosiores Judæi pœnitentiæ dies ante festum expiationis anticipant, nonnulli quadraginta diebus, ut referunt R. Aser in fine tractatus De Anni principio, et R. Jacob in Orah Chaiim, sectione 581. De galli gallinacei oblatione piaculari, aliisque superstitionis Judaicæ in Expiationis festo ritibus legi potest *Buxtorfius* loco supra laudato.

XI. *Festum tabernaculorum*, die decimâ quintâ mensis *Tisri*, et sex diebus sequentibus celebrandum Israelitis Deus instituit in memoriam peregrinationis in deserto, et habitationis in tentoriis : nec non divinæ protectionis, tunc eos quasi umbra sua continuo tegentis. Ad cujus beneficii magis expressam commemorationem, in tabernaculis de frondibus et ramis arborum contextis, sub dio, per septem dies habitabant. Hinc festo nomen datum *Scenopegiæ*, sive *Tabernaculorum*. Secundò, in gratiarum actionem pro fructibus recens collectis. Tertiò, in figuram hujus mortalis vitæ, in quâ tanquàm in deserto probationum, et tanquàm in transitoriis tabernaculis habitamus, peregrinorum, aut militantium more, idque diebus septem, quibus totum vitæ tempus significatur. Quartò, in figuram Christi qui per incarnationem habitavit in

carne tanquàm in tabernaculo, Joannis 1, 14. Ritus hujus festi describuntur Levitici 23, 34. *A quinto decimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus : omne opus servile non facietis in eo. Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro.... Et habitabitis in umbraculis septem diebus... Ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terrâ Ægypti.* Singulis hujus solemnitatis diebus certa sacrificia lex præscribit Numerorum 29. De eodem festo hæc habentur Deuteronomii, 16, 13, 14, 15. *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de aream et torculari fruges tuas, et epulaberis in festivitate tuâ, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla ; levites quoque et advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus. Benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitiâ.* Confer. 2 Esdræ 8, 14, 15, 16, 17, 18. De ritibus hujus festi Judaicâ superstitione invectis plura ex rabbinorum commentariis legi possunt apud Buxtorfium, cap. 21 Synagogæ Judaicæ. Hujus festi meminit Plutarchus, et Judæis per calumniam impingit quod in Bacchi honorem illud celebrarent, libro 4 Symposiacon, quæst. 5. « Maximæ, inquit, et « perfectissimæ Judæorum solemnitatis et tempus et « modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi « vocant jejunium, id sic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant mensas, in quibus exp« positæ sunt omnis generis fruges : et sub tabernaculis desident potissimùm è palmitibus et hederâ « quæ contexuntur : et diem quæ festum antecedit, « tabernaculariam nominant. Paucis verò post diebus « aliam festivitatem non obscurè, sed omninò apertè « Baccho nuncupatam celebrant. Est etiam solemne « apud eos festum *Cradephoria* à palmitibus gestandis, « et *Thyrsoporia*, ubi thyrsos gestantes in templum « intrant. Quid intùs faciant, ignoro ; credibile est « Bacchi ab iis sacra peragi. Nam et tubis exiguis « sicut Argivi bacchanalibus utuntur ad evocationem « numinis : et alii progrediuntur citharis ludentes, « quos ipsi levitas appellant, sive à Lysio sive ab « Evio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. »

XII. *Festum convocationis*, seu *Collectæ*, octavâ die Scenopegiæ, seu festi tabernaculorum celebrandum Deus indixit. Complementum quoddam fuit prioris festi, eoque die populus ad sanctuarium convocatus est omni opere servili interdicto. Unde et festum *Retentionis*, et *interdicti* appellatum est, et *Collectæ*. Quia populus septem *Scenopegiæ* diebus absolutis, unâ adhuc die retineretur, ac prohiberetur ne quid operis faceret. Item quòd convocaretur, ad gratiarum actionem pro finitâ collectione frugum solemni ritu Deo faciendam : fortè etiam ad collectam pecuniariam in sacrificiorum sumptus, aliosque usus sacros. Collectionem omnium gentium intra Ecclesiam, vel collectionem electorum intra regnum cœlorum adumbrabat ; Levitici 23, 36, postquàm de festo tabernaculorum Deus sermonem fecit, *Dies quoque octavus*, inquit, *erit celeberrimus, atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim Cœtûs atque Collectæ. Omne opus servile non facietis in eo.* Hujus festi sacrificia præscripta sunt Numerorum 29, 35, 36, 37, 38. Hic dies vocatus est ab Hebræis *Hoshannah Rabbah*, quasi *maximus dies festi*. Solitus erat populus eâ die, et singulis etiam diebus festi præcedentis (ut testatur Maimonides in Hilchos Themidin, cap. 10) magnà solemnitate haurire aquam è fonte *Schiloh*, et deferre ad sacerdotes effundendam super altare cum vino, libaminis loco. Buxtorfius, cap. 21 Synagogæ, et Ligfootius in Joannem, observant ad hunc morem allusisse Christum Dominum, qui *In novissimo die magno Festivitatis* (tabernaculorum, sive in festo Cœtûs et Collectæ) *stabat, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

## ARTICULUS IV.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS SACRAMENTORUM VETERIS LEGIS.

I. *Cùm in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari possint homines, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibili consortio colligantur*, ut ait S. Augustinus lib. 19 contra Faustum, Judaicam religionem sacramenta sua habuisse consequens est. Hæc autem vel necessaria erant ad consecrationem seu institutionem populi, aut ministrorum in cultu Dei, ut *circumcisio* et *consecratio sacerdotum :* vel usu rerum sacrarum constabant, ut *agni paschalis manducatio*, quoad populum ; *oblatio victimarum, esus panum propositionis*, etc., quoad sacerdotes : vel necessaria erant ad removenda cultûs divini impedimenta, scilicet immunditias legales et peccata ; ut *purificationes*, ac *lustrationes*, et *sacrificia piacularia*, præsertim *vaccæ rufæ*, et *hirci emissarii*. Hanc sacramentorum veteris legis divisionem S. Thomæ verbis adstruo 1, 2, quæst. 102, art. 5. « Sacramenta, inquit, propriè dicuntur « illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam « consecrationem, per quam scilicet deputabantur « quodam modo ad cultum Dei. Cultus autem Dei « generali quodam modo pertinebat ad sacerdotes et « levitas, qui erant ministri cultûs divini. Et ideò in « istis sacramentis veteris legis, quædam pertinebant « communiter ad totum populum, quædam autem « specialiter ad ministros, et circa utrosque tria erant « necessaria. Quorum primum est institutio communiter, quæ quantùm ad omnes fiebat per circumcisionem, sine quâ nullus admittebatur ad aliquid legalium : quantùm verò ad sacerdotes, per sacerdotum « consecrationem. Secundò, requirebatur usus eorum « quæ pertinent ad divinum cultum : et sic quantùm « ad populum erat usus paschalis convivii, ad quem « nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exod.

« 12, et quantùm ad sacerdotes, oblatio victimarum, « et esus panum propositionis, et aliorum quæ erant « sacerdotum usibus deputata. Tertiò, requirebatur « remotio eorum, per quæ aliqui impediebantur à « cultu divino, scilicet immunditiarum. Et sic quan- « tum ad populum erant institutæ quædam purifica- « tiones à quibusdam exterioribus immunditiis, et « etiam expiationis à peccatis. Quantùm verò ad sa- « cerdotes et levitas, erat instituta ablutio manuum et « pedum, et rasio pilorum. Et hæc omnia habebant « rationabiles causas; litterales secundùm quòd or- « dinabantur ad cultum Dei pro tempore illo; et figu- « rales, secundùm quòd ordinabantur ad figurandum « Christum. »

§ 1. *De Circumcisione.*

*Circumcisio* primum veteris legis sacramentum à Deo instituta est Genesis 17, 10, 11, 12, 13, 14. Ejus præceptum Abrahamo datum, ab eoque executioni mandatum in se ipso, in Ismaele filio, et in servis omnibus. Lex circumcisionis renovata Levitici 12, 3. Litteralem circumcisionis rationem triplicem fuisse docet S. Thomas. Primò quidem et præcipuè instituta fuit *ad protestationem fidei unius Dei. Et quia Abraham fuit primus qui se ab infidelibus separavit, exiens de domo suâ, et de cognatione suâ, ideò ipse primus circumcisionem accepit. Et hanc causam assignat Apostolus ad Romanos* 4, 2. « Et signum accepit circumcisionis, si- « gnaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : Ut sit « pater omnium credentium per præputium, ut repu- « tetur et illis ad justitiam. *In hoc autem legitur fides « Abrahæ reputata ad justitiam, quia* contra spem in « spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, « secundùm quod dictum est : Sic erit semen tuum. « Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus « suum emortuum, cùm jam ferè centum esset anno- « rum, et emortuam vulvam Saræ. In repromissione « etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus « est fide, dans gloriam Deo : Plenissimè sciens quia « quæcumque promisit potens est et facere. Ideò et « reputatum est illi ad justitiam. » *Et ut hæc protestatio et imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt signum in carne suâ, cujus oblivisci non possent : unde dicitur Genesis* 17 : *Erit pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum.*

Secunda ratio *circumcisionis*, inquit S. Thomas, esse potuit *debilitatio concupiscentiæ*, ideòque partes libidini ministrantes Deus circumcidi jussit. Huic affinis est ratio Photii, epist. 205. « E gente, inquit, Chaldæâ « oriebatur Abraham, ubi matribus, filiabus et soro- « ribus de consuetudine impiâ carnaliter miscebantur. « Quocirca ne per patrios mores vel ipsemet pollueretur, vel ab ipso descendentes, circumcidebatur ei « præputium, quo sic aboleretur hujusmodi nefanda « turpitudo : atque ita accrescebat ei suæ propriæ « carnis circumcisio, ut divisio ab affinibus suis et « consanguineis, ac quantùm ad maritalem copulam « spectabat, aversio. Nam post circumcisionem, qui- « spiam è sanguine Abrahami ab hujusmodi nefandis, « vel furtim perpetrandis impediebatur. *Tertiam insti- « tutæ circumcisionis rationem* S. Thomas *affert*, su- « gillationem sacrorum Veneris et Priapi, in quibus « illa pars corporis honorabatur. *Phallalogia intelligit « in quibus* Dionysii phallum (sic enim virile mem- « brum ridiculi homines nuncupârunt) et adorabant « miseri et basiabantur cuncti qui orgia celebrabant : « rationem tamen ignorabant. Is verò qui Hierophan- « tes vocabatur, et hæc sciebat, et Osirin, et Typho- « nem, et Osiridis membra à Typhone concisa latè- « que dispersa, Isin præterea Osiridis sororem, quæ « magno illa studio collegit, solum autem ejus phal- « lum non invenit, atque hâc de causâ excitatum ejus « simulacrum ab omnibus adorari præcepit. » Ita refert lib. De curandis Græcorum affectionibus, Serm. 1, qui est *De Fide.*

Circumcisionis rationes quà litterales, quà typicas, Photius his verbis explicat in laudata ad Theodorum Hegumenum, epistola : « Tria præ se ferre videtur mihi « circumcisio : primùm, quòd tanquàm signum et si- « gillum Abrahami progeniem separaret, et à cæteris « gentibus distingueret. Secundùm, in se divini bapti- « smatis gratiam, et efficaciam per figuram prædica- « bat : veluti enim olim circumcisus per sigillum in « Dei populo censebatur, sic et baptizatus, Christi in « se sigillum expressum habens, adoptatus inscribi- « tur Dei filiorum albo. Tertiò, symbolum erat fide- « lium in gratiâ existentium, qui carnalium voluptatum et passionum insurrectiones tumultuosas exci- « sorio fidei sermone et asceticis laboribus abscindunt « et mortificant : non corpus scindunt, sed cor; nec « secundùm litteram, sed spiritum circumciduntur... « Certè erat necesse ut Abrahami progenies separa- « rètur · inprimis, ne permixta cæteris nationibus « illarum moribus paulatim abduceretur, factâ pieta- « tis cultûsque mutatione, et ita execrandis illarum « sacris inserviret. Secundò, ut promissionis divinæ « apparens et cuicumque intelligibilis finis et perfe- « ctio redderetur, Abrahami semine in innumerabi- « lem multitudinem multiplicato et excrescente. Quòd « si cum nationibus permixti mansissent, veritas pro- « missionis adimpleta non agnosceretur; nec multi- « tudo tantæ esset admirationi, uti si separatim age- « rent, et rempublicam privatam tuerentur. Tertiò, « quod ante alias causas censetur, quandoquidem Dei « dilecto et diligenti Deum Abrahæ pactum fuerat : *In « semine tuo benedicentur universæ mundi nationes.....* « ideò genus Abrahæ separatur, et à commixtione « eximitur aliarum gentium, ut creator et Dominus « naturam nostram ex illâ stirpe assumeret, et simi- « liter ac nos carnis et sanguinis particeps fieret; quò « pacti et promissi veritas omnibus numeris apud om- « nes consummaretur : nempe Christo Deo nostro, in « quo gentes omnes benedictionis per gratiam parti- « cipes fiunt, è lumbis illius per principia generatio- « nis humanæ descendente. »

Typicam rationem circumcisionis sic explicat S. Thomas, quæstione et articulo supra laudatis, ad 1 : « Fi- « guralis ratio circumcisionis erat : quia figurabatur « ablatio corruptionis facienda per Christum, quæ

« perfectè complebitur in octavâ ætate, quæ est ætas « resurgentium. Et quia omnis corruptio culpæ et « pœnæ provenit in nos per carnalem originem ex « peccato primi parentis, ideò talis circumcisio fiebat « in membro generationis. Unde Apostolus dicit ad « Colossenses 2 : *Circumcisi estis in Christo, circum-* « *cisione non manu factâ in expoliatione corporis* « *carnis, sed in circumcisione Domini nostri Jesu* « *Christi.* »

Origenes lib. 5 contra Celsum, circumcisionem institutam etiam fuisse docet ad cacodæmonis injurias ab iis qui hoc sacramento initiati essent, propulsandas. « Et fortassè, inquit, propter aliquem infestum « Judæorum genti angelum inventa est, qui posset in- « circumcisos lædere, circumcisos non item : Quod « colligi potest ex libro Exodi, ubi angelus ante cir- « cumcisionem Eleazari contra Mosen valuit : quo cir- « cumciso, irrita facta est illius potentia, quod non « ignorans Sephora, scrupo arrepto circumcidit suum « filium, effata secundùm vulgatam editionem : Ste- « tit sanguis circumcisionis mei pueri; secundùm He- « bræos verò, sponsus sanguinum tu mihi. »

De ritibus ac moribus Judæorum in circumcisione celebrandâ curiosi lectores consulant Joannem Buxtorfium Patrem, cap. 4 Synagogæ Judaicæ. De ipsius verò circumcisionis divinâ institutione et antiquitate legatur dissertatio nostra 6 in tertiam mundi ætatem.

§ II. *De Consecratione sacerdotum veteris legis.*

*Consecratio sacerdotum* veteris legis sacramentum erat, sacramentum ordinis in Ecclesiâ olim à Christo instituendum præfigurans. Consecrationis illius ritus Exodi 39 à Deo præscribitur; Levitici 9 à Moyse exercetur. Sacerdos igitur ille fuit, cùm et sacrificia obtulerit, et Aaronem ejusque filios, jubente Domino, consecraverit. Hinc illud Psalmi 98, 6 : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* At dignitas illa potestasque sacerdotalis in Moyse extraordinaria fuit, in quâ nemo ipsi successit. Ejus namque filii sacerdotes non fuerunt, sed levitæ duntaxat. 1 Paralipomenon 23, 15 : *Moysis quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi.* At Aaronis sacerdotium in ejus genere conservatum, et ad ejus filios transmissum est. Quidquid porrò fiebat in institutione vel consecratione sacerdotum, inquit S. Thomas Primâ Secundæ, quæst. 102, art. 5, *ad hoc pertinebat, ut ostenderetur eos habere quamdam prærogativam puritatis et virtutis et dignitatis.* Ideò in ministrorum inauguratione tria peragebantur, 1 purificatio, 2 consecratio, 3 applicatio ad sacri ministerii functiones. Purificatio ablutione et sacrificiis absolvebatur. Ablutionem lex præcipit Exod. 29, 4 : *Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis suis aquâ, indues Aaron vestimentis*, etc. Levitarum purificatio abrasione pilorum etiam peragebatur. Sacrificia vituli duorumque arietum, oblatio panum azymorum, crustulæ absque fermento, quæ oleo conspersa esset, laganorum quoque oleo litorum, imperantur Exodi 29, 1, 2, 3. Pontifex et sacerdotes inaugurandi victimis illis manus imponebant, ut pro se et loco suî ipsas mactari et immolari eo ritu significârent. Effundebatur vituli sanguis ad altare, cujus corpus eo perungebantur : adeps intestina operiens, cum reticulo jecoris, et duobus renibus super altare incendebatur; corpus reliquum extra castra comburebatur, quia piacularis erat victima.

Vitulus ille pro peccato oblatus Christi typus erat, interprete S. Cyrillo Alexandrino, lib. 11 De Adoratione in spiritu et veritate. « *Sicut enim* vitulus par- « vus jugo quidem adhuc insuetus est, sed ejus natu- « ræ tamen quæ jugo ferendo sit apta : *ita Christus* « simul extra jugum et sub jugo est : nam cùm se- « cundùm naturam Deus esset, factus est sub lege per « humanitatem. Vitulus igitur appellatus est Christus « sapienti consilio, ut in câdem re intelligatur à nobis « tum ejus Verbi divinitatem minimè assuetam esse « servituti; tum eam naturam quæ sub jugo esset, « quod ad ejus humanitatem attinet, subiisse. Immo- « latur autem tanquàm pro sacro tabernaculo, ac pro « iis qui sibi manus imposuissent (levitæ ii erant et « sacerdotes). Nam ille mortuus est pro Ecclesiâ, et « iis qui sunt illi per fidem consecrati. Sacram porrò « fuisse, et in sacrificii morem acceptam Deo ac Patri « Emmanuelis mortem ex eo videre licet, quòd san- « guis ad altare funditur, et ex eo perungitur, quòd « item adolentur intestina, quæ virtutum intimarum « et in animo reconditarum figuram gerunt, in quibus « spiritualis odor inest, neque ille simplex, cum in- « testina multiplicia sint, adeps, renes, pinna je- « coris. Comburitur autem reliquum corpus extra ca- « stra; nam extra portam passus est Christus. Quòd « autem igni corpus absumitur *significat* nullo modo « ejus passionem et mortem illi ignominiæ futuram, « sed præclarum gloriæ atque illustrem exitum habi- « turam : ignis enim specie divinitas intelligitur, cum « etiam in monte Sinai eâ formâ Deus descenderit. « Destructurus verò mortis imperium Christus dispen- « satoriè mortem subiit, ut à nobis tanquàm Deus « glorificaretur. »

Aries quoque prior Christi figura fuit, immaculati, et perfecti. Hic altari et tanquàm totus, et per membra cæsus imponebatur, ut Christi et membrorum ejus sacrificium repræsentaret. « Nos enim et singuli membra « Christi sumus, et universi unum corpus intelligi- « mur; totum porrò illum esse sacrum ac sanctum, « et labem impuritatis habere nullam, ablutio illa in- « testinorum optimè declarat. Simul autem offeruntur « caput et pedes, ut illam suaveolentiam sanctitatis, « quæ in Salvatoris nostri vita à principio usque ad fi- « nem fuit, ostendant. Aut fortassè melius est in men- « tis figuram caput accipere; incessus verò ejus quo « in actionibus efficiendis progredimur, pedes. In « Christo autem odorem spirant, et summâ puritate « præstant omnia tum cogitata, tum facta : neque enim « peccatum fecit : ob eamque causam hanc oblatio- « nem arietis et holocaustum incensum appellat : ne- « que enim ex parte sanctus aut sacer est. » Aries demùm alter eodem ritu immolatus, cujus sanguine pontifex, et sacerdotes, eorumque vestes tingebantur

et sanctificabantur, Christum pariter designabat. Vocatus est *Aries consummationis*, aut *consecrationis* ut habet Vulgata nostra : Quòd Christus *in omni rerum optimarum genere nos absolutos atque perfectos reddat, et per sanctificationes in spiritu, virtutibus insignes efficiat.*

Consecratio pontificis et sacerdotum hoc ritu peragebatur. 1. Abluti induebantur sacris vestimentis illorum dignitatem designantibus. 2. Pontifex oleo in capite perfundebatur, ut significaretur potestatem consecrandi ab ipso ad alios diffundi, sicut oleum à capite ad inferiora defluit. Quò spectat illud Ps. 132 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* 3. Minorum sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ ad sacrificia erant applicandæ. 4. Et de sanguine arietis immolati extremum auriculæ dextræ ipsorum tingebatur; ad significandam obedientiam legi Dei ab ipsis præstandam in sacrificiorum oblatione; et pollices manus eorum ac pedis dextri; ad significandam sollicitudinem, promptitudinem, alacritatem in executionem sacrificiorum. 5. Sanguine victimæ cùm ipsi, tùm eorum vestes aspergebantur, in memoriam sanguinis agni, quo veluti signo liberati sunt ex Ægyptiacâ servitute. Ita S. Thomas loco laudato. S. Cyrillus typum Christi his in ritibus agnoscit, cujus gratiâ sacris Novi Testamenti ministris, imò justis quibusvis hominibus, « aures adjicit benedictione plenas : illas nempe obtemperantes et faciles, « et ad ejus quidem dogmata excipienda paratas; insusurratas vero nugas, et execrandam nonnullorum « loquacitatem, qui veritatem oppugnant, et cum rectis « dogmatis libellum gerunt, minimè sustinentes : is « enim est aurium sanctarum fructus. Sanctæ sint « igitur aures, certæ veritatis et rectorum dogmatum « studiosis : id porrò Christi donum est, et cœleste « munus, et sancti illius sanguinis opus : nam omnes « res præclaras in ipso et per ipsum consequimur. « Ideòque et manus sanctificabatur, quæ est ad operandum et efficiendum apta; et pes, qui rectorum « gressuum evidens est signum ac nota. De sanctis « enim factis nobis gloriam parare oportet, et per « eam semitam incedendum, quæ nos ad ea omnia « quæ Deo placent compendiariâ viâ perducat, juxta « id quod canitur in psalmis : *Et converti pedes meos « in testimonia tua*, Psalm. 118. Et illud quod in libro « Proverbiorum 4 habetur : *Rectos gressus fac pedibus « tuis, et vias tuas dirige.* Genus igitur sacrum et electum sanctas aures habeat, manum similiter ac pedem, iis quos jam diximus modis, dextraque omnia « peruncta, et tanquàm summo loco, id est, in extremis. *Extremum enim*, inquit, *auris, et pedis, et manus* : omnis enim actio proba, strenua ac dextra est, « nihilque de vitio sinistrum habet, et usque ad extrema, id est, perpetuò seu ad finem usque porrigitur. Qui enim Deo consecrati sunt, eos in sanctificatione dextros esse, et perpetuò perseverantes « convenit. »

Offerebantur in consecratione sacerdotum, 1. vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron in conflatione vituli. 2. Aries in holocaustum, in memoriam sacrificii Abrahæ, cujus obedientiam pontifex imitari debebat. 3. Aries consecrationis, quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per sanguinem agni. 4. Canistrum panum in memoriam mannæ cœlitùs præstitæ populo.

Applicatio denique sacerdotum ad sacri ministeri functiones hoc ritu fiebat. Adeps arietis, armus dexter, torta panis crustula conspersa oleo, laganum de canistro azymorum super manus eorum imponebantur, ut ostenderetur ipsos accipere potestatem illa offerendi Domino. Exodi 29, 22, 23, 24. Septem diebus consecrationis ritus peragebatur, et vitulus piacularis per singulos dies offerebatur. Ut toto illo septiduo in tabernaculo manerent, ac die noctuque excubias agerent, à Deo præceptum est Levitici 8, 35. « Quam in « sacris locis sessionem, firmitatis atque permansio- « nis in sanctificatione symbolum quoddam esse voluit, « inquit S. Cyrillus Alexandrinus. Necesse est, ut qui « in hâc statione collocati sumus, aut præsto simus « Deo, firmi atque immobiles in virtute maneamus, ne « extra morum terminos, qui nos decent, egredia- « mur, aut è sacro sensu excedamus, sed semper propè « quodammodo simus, et apud Deum habitemus, juxta « illud quod est Prophetæ voce dictum : *Quærens quæ- « re, et apud me habita.* Hoc autem per septem dies « facere jussit Moyses, quâ in re septenarius numerus « id significat, esse nobis adnitendum ut omni tempore « Deo præsto simus. Idem enim est ac si dixisset sem- « per, ac si perpetuò. Intra tabernaculum verò manen- « tem præcepit servare custodias Domini, significans « illius assiduitatis quâ Deo assidemus, fructum esse « obedientiam et voluntatem exequendi quod ille præ- « cipiendum duxerit. Ad hunc igitur modum illi om- « nium Domino præsto esse debemus, cùm ille in rectè « factis languor in extremum malorum omnium desinat : « eam enim ob causam, ut existimo, adjunxit Moyses illa « verba : Ne moriamini. »

§ III. *De Paschalis agni manducatione.*

*Agni Paschalis manducationem*, quæ Judaici populi sacramentum erat, Exodi 12, à Deo institutum, ritusque illius explicuimus dissertatione singulari *de Agno Paschali*, quæ postrema est dissertationum nostrarum in 3 Mundi ætatem. Paschalis agni convivium figura erat sacramenti Eucharistiæ. Comedebantur ejus carnes, ad significandum esum corporis Christi, *Agni Dei qui tollit peccata mundi*, in sacramento. Caro agni assa igne manducabatur, ad significandum Christi passionem, vel charitatem. Comedebatur cum azymis panis, ad significandam puram conversationem fidelium sumentium corpus Christi, secundùm illud 1 ad Corinthios 5 : *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Lactucæ agrestes addebantur, in signum pœnitentiæ peccatorum, quæ necessaria est sumentibus corpus Christi. Renes autem accingendi sunt cingulo castitatis. Calceamenta pedum sunt exempla mortuorum Patrum. Baculi habendi in manibus, significant pastoralem custodiam. Præcipitur autem ut in unâ domo paschalis agnus comedatur, id est, in Ecclesiâ Catholicorum,

non in conventiculis hæreticorum. Hæc ex veterum commentariis deflorata in compendium colligit S. Thom. Primâ Secundæ, quæst. 102, Art. 5 *ad Secundum.*

Incircumcisis quibusque etiam proselytis, inquilinis, aut mercenariis hominibus, vel Judæis apostatis, esus agni paschalis non permittebatur; ab eoque prohibebantur et Judæi propter infectam circumcisionem cum liberorum tum servorum, ut explicat Maimonides libro De Sacrificiis, tractatu 1 De Sacrificio paschali, cap. 9: Lex exstat Exodi 12, 43, 44, 45, 46, 47, 48. *Dixitque Dominus ad Moysem et Aaron: Hæc est religio phase: omnis alienigena non comedet ex eâ. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. Advena. et mercenarius non edent ex eo. In unâ domo comedetur. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domino, circumcidetur priùs omne masculinum ejus: et tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.*

§ IV. *De panum propositionis et aliorum consecratorum esu.*

*Oblatio victimarum, esus panum propositionis, seu aliorum panum, carniumve consecratarum*, ad Sacramenta veteris legis pertinebant, Christique oblationem, et carnis ejus manducationem in adorando Eucharistiæ sacramento ceu præclari typi adumbrabant. Esus panum propositionis, *solis sacerdotibus* licitus, Levitici 24, 9; et Matthæi 12, 4, idque *in loco sancto.* Ab eorum et omnium sanctificatorum comestione immundos lex arcebat, Levit. 22, 3, 4, 5, 6, 7. Hinc sacerdotes, cùm ministerii sui vices obirent, a juribus connubii abstinere tenebantur, ut colligitur ex 1 Regum 21: *Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Et respondit David sacerdoti: «Equidem si de mulieribus agitur, continuimus ab heri et nudius tertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta.» Damonem Dei simiam et æmulum, similis castimoniæ ritum Ægyptiorum sacerdotibus, et plerisque aliarum gentium sacrificulis suggessisse, compertum est ex Cheremone stoico, Porphyrio, lib. 4 De Abstinentiâ, Ariano in Epicteto lib. 3, c. 21, Macrobio, lib. 1 Saturnalium, c. 23. Abstinentia à vino sanctificationis sacerdotum veteris legis pars fuit. Levitici 10, 8: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: Quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et prophanum, inter pollutum et mundum; doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Hanc abstinentiam imitati sunt Ægyptii sacerdotes Plutarcho teste. Isiacorum sacrorum candidatos abstinentiâ ab animantibus et vino se purificare jussos, refert Apuleius, lib. 11 aurei Asini, de se ipso scribens: *Illud planè præcepit sacerdos, ut decem continuis diebus voluptatem cibariam coercerem, neque ullum animal essem, et mvinius essem;* id est abstemius.

§ V. *De Purificationibus ac Lustrationibus, variisque legalium pollutionum speciebus.*

*Purificationes* ac *Lustrationes*, sacramenta erant in veteri lege ad removenda divini cultûs impedimenta, seu ad immunditias legales externasque abstergendas, à Deo instituta. Immunditiæ autem seu pollutiones legales aliæ personarum fuerunt, aliæ rerum. Personarum immunditiæ octo famosiores, in lege recensentur.

I. Prima immundities, erat puerperæ, Levitici 12. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Ipsa triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Hæc immundities oblatione agni anniculi in holocaustum, et pulli collumbæ sive turturis pro peccato, in pauperibus verò oblatione duorum turturum, aut duorum pullorum columbæ, unius in holocaustum, et alterius pro peccato, necnon oratione sacerdotis victimas illas immolantis, abstergebatur. *Ibidem*, 5, 6, 7, 8, inde profecta hæc immundities, quòd mulier *pariat ad corruptionem, et non eâ conditione sit quâ fuit statim atque à Deo accepit ut esset.* Deindè quòd *in carnali voluptate serantur qui gignuntur*, inquit, S. Cyrillus Alexandrinus, libro 15 de Adoratione in spiritu et veritate. Pollutio ex puerperio ex Hebræorum cæremoniis in gentium mores transiit. Quod tamen poetæ quidam et philosophi ut superstitionem irriserunt. Inter alios Euripides in Iphigeniâ Tauricâ culpat Dianam quasi nimis delicatam, quòd hominem puerperæ vel mortui tactu pollutum *altaribus ceu impium prohiberet suis. Mihi*, inquit, *ista divæ non placet sapientia.* Docuit Pythagoras puritatem *balneis et aspersionibus* comparari, et *purgatione à funere, et cubili puerperæ:* ut refert Diogenes Laertius in ejus vitâ. Notum illud Censorini: *Prægnans ante diem quadragesimum non prodit in fanum.* At in Chrysippi libris legebatur: *Ire ad templum rectà à puerperâ aut à mortuo, sine causâ culpatur.* Et Theophrastus in Characteribus inter superstitiosos mores refert: *Neque ad defunctorum justa, neque ad puerperam accedere* velle.

II. Secunda immunditiæ species erat immundities menstruatæ, mense redeunte sanguinis fluxum patientis. Hæc ab hominum commercio, rerum domesticarum tactu, præcipuè verò Tabernaculi aditu septiduò separabatur. Quisquis ad eam accessisset, diebus totidem immundus erat. Si eam aut lectum ejus tetigisset, aut vas ab ipsâ contaminatum, immundus erat usque ad vesperam. Quæ fluxum sanguinis aliàs patiebatur, tamdiù immunda erat, quamdiù hoc vitio laborabat. Quisquis eam, aut ejus stratum, vel sedile,

aut vas ab eâ fœdatum tetigisset, immundus erat usque ad vesperam; et corporis ac vestimentorum ablutione purificabatur. Mulieris verò immunditia abstergebatur oblatione duorum turturum, aut duorum pullorum columbæ, unius in holocaustum, alterius pro peccato; et precibus sacerdotis aviculas illas immolantis die octavo postquàm sanguinis fluxus cessaverat. (Levitici 15). Lege Maimonidem lib. de Sacrificiis, tractatu 5 de Indigentibus piaculi, cap. 1.

III. Tertia immunditiei species erat immundities hominis continuo penè seminis fluxu laborantis. Ab hoc morbo sanatus, septiduò post vestibus et toto corpore aquâ vivâ lotis, duobusque turturibus aut pullis columbarum oblatis uno in holocaustum, altero pro peccato, mundabatur. (Levitici 15). Lege Maimonidem loco suprà laudato, cap. 2 et 3.

IV. Quarta immunditiei species erat immundities concubitûs conjugalis : de quâ Judæi veteres legem illam interpretàntur Levitici 15, 16 : *Vir de quo egreditur semen coitûs, lavabit aquâ omne corpus suum; et immundus erit usque ad vesperum. Vestem et pellem, quam habuerit, lavabit aquâ, et immunda erit usque ad vesperum. Mulier cum quâ coierit lavabitur aquâ, et immunda erit usque ad vesperum.* Hinc illud Josephi lib. 2 contra Appionem : « Si quis ad concubitum cor- « ruptionemque transierit, immundus est. Oportet « autem etiam post legalem commixtionem viri mu- « lieres lavari. » Istius immunditiei et purificationis ritus ab Hebræis ad gentes transiit. Hinc illud Herodoti libro 1, cap. 198 : « Quoties cum uxore miscetur « vir Babylonius, adhibito thymiamati assidet, et ex « alterâ parte mulier idem facit. Quin etiam sub dilu- « culum abluuntur ambo, nullum vas priusquàm se « abluerint tacturi. Eadem et hæc Arabes faciunt. » Hinc et illa Plutarchi libro 3 Symposiacon, quæst. 6. « Nobis autem, si leges rectè colimus, cavendum est « ne ad templa et sacrificia accedamus, paulò ante « venereâ re usi. » Hinc illud Clementis Alexandrini apud Eusebium libro 10 Præparationis Evangelicæ, cap. 6. *Ægyptii nemini, qui non se ab uxoris congressu lustrâsset, patere templa voluerunt.*

V. Quinta immunditiei species erat immundities somnii, seu noctura pollutio, quæ à publico cœtu hominem totâ die arcebat, et sub vesperam eluebatur aquâ. Deuteronomii 23. *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquàm ad vesperum lavetur aquâ : et post solis occasum egredietur in castra.* Ritum illum imitati sunt Ægyptiorum sacerdotes, de quibus Cheremon apud Porphyrium, lib. 4 : *Si fortè in somnis polluerentur, illicò corpus lavacro lustrabant.*

VI. Sexta immunditiei species erat lepra; quo morbo affectus, ad arbitrium sacerdotis, ad quem lepræ cognitio ac judicium pertinebat, ab hominum consortio separabatur, dissutisque vestimentis, nudo capite, ore veste contecto, se contaminatum ac sordidum clamabat. Operosa erat hujus immunditiei purgatio. Leprosus judicio sacerdotis mundatus, duos passeres vivos pro se offerebat, et lignum cedrinum, vermiculumque, et hyssopum. Passerum alter immolabatur in vase fictili super aquas viventes : alter vivus, cum ligno cedrino, et cocco, et hyssopo, tingebatur in sanguine passeris immolati, quo leprosum septies aspergebat sacerdos, et passerem vivum dimittebat ut in agrum avolaret. Mox homo à leprâ mundandus, lotis vestimentis, pilis omnibus abrasis, abluto corpore, in castra vel civitatem recipiebatur, eâ tamen lege ut septem adhuc diebus extra tentorium suum vel domum maneret. Die septimo rursùs purificabatur abrasione capillorum, barbæ, superciliorum, omniumque pilorum totius corporis; et vestium totiusque corporis ablutione. Die octavo offerebat duos agnos et ovem anniculam absque maculâ, et tres decimas similæ, oleo conspersæ, in sacrificium : et seorsùm olei sextarium. Porrò agnorum alter offerebatur pro delicto, alter pro peccato, et ovicula in holocaustum. Peccatum est culpa quam quis sciens volens committit : delictum est culpa in quam quis per oblivionem, imprudentiam vel ignorantiam incidit. Sacerdos sanguine victimæ pro delicto immolatæ liniebat extremum auriculæ dextræ, et pollices manus dextræ, et pedes ejus qui à leprâ mundabatur. Mox de olei sextario in manum suam sinistram effundebat, intinctoque digito in eo, aspergebat coram Domino septies; quod autem reliquum erat olei in lævâ manu, fundebat super extremum auriculæ dextræ, et super pollices manûs, ac pedis dextri ejus qui mundabatur, et super sanguinem pro delicto effusum, et super caput illius. Sequebatur oblatio sacrificii pro peccato : totus demùm purificationis ritus oblatione holocausti absolvebatur. Pauperes agnum pro delicto, decimamque partem similæ conspersæ oleo, et olei sextarium, et duos turtures, aut pullos columbarum, unum pro peccato, alterum in holocaustum offerebant, eodemque ritu mundabantur, Levit. 14. Lege Maimonidem, libro de Sacrificiis, tractatu 5 de Indigentibus piaculi, cap. 4 et 5. Ritûs hujus mysteria Theodoretus explicat quæstione 19 in Leviticum. « Duo passeres, inquit, qui « in purificatione leprosi offeruntur, salutaris passio- « nis typum continent. Nam quemadmodùm ex pas- « seribus illis alter mactabatur, alter sanguine mactati « tinctus dimittebatur : ita Dominus Christus pro hu- « manitate leprâ inquinatâ crucifixus est, carne quidem « perferente mortem, divinitate verò passionem huma- « nitatis sibi accommodante. Jam verò sicut leprosus « reddebatur splendidus et purus, ubi adspersus fuis- « set sanguine passeris immolati mixto aquâ purâ, « cum ligno cedrino, hyssopo, et cocco retorto : ita « qui credit Christo Salvatori, sacrosancti baptismati « aquâ lustratus, peccatorum maculis abstergitur. « Porrò lignum cedrinum, quòd corruptioni minimè « est obnoxium, repræsentat divinitatem passionis « expertem. Coccinum verò retortum, humanitatem « ex animâ et corpore constantem. Hyssopus autem « calorem et suavem odorem Sancti Spiritûs. Per hæc « enim qui baptizantur, ab animæ leprâ liberantur. « Oleum autem quo inunguntur auris dextra et dexte- « ra manus, et pes dexter, innuit auditum quidem de-

« dicandum esse dextris sermonibus, manum autem « et pedem dextris operationibus. Immissum verò capiti, consecrationem mentis indicat. Porrò qui leprosus perdurabat, extra castra degebat, quemadmodùm is qui sine pœnitentiâ delinquit expellitur extra Ecclesiam. » Rationes magis litterales hujus ritûs affert S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 5. « Per ritum legis, inquit, leprosus « non emundabatur à maculâ lepræ, sed emundatus « ostendebatur. Et hoc significatur Levit. 14, cùm dicitur de sacerdote : *Cùm invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur.* Jam ergo lepra « mundata erat, sed purificari dicebatur, in quantum « judicio sacerdotis restituebatur consortio hominum, « et cultui divino, scilicet post septem dies. In primâ « autem purificatione offerebat pro se leprosus mundandus duos passeres vivos, et lignum cedrinum, et « vermiculum, et hyssopum; hoc modo, ut filo coccineo ligarentur passer et hyssopus simul cum ligno « cedrino : ita scilicet quòd lignum cedrinum esset « quasi manubrium aspersorii; hyssopus verò et passer erant id quod de aspersorio tingebatur in sanguine alterius passeris immolati in aquis vivis. Hæc « autem quatuor offerebat contra quatuor defectus lepræ : nam contra putredinem offerebatur cedrus, « quæ est arbor imputribilis : contra fœtorem hyssopus, quæ est herba odorifera : contra insensibilitatem passer vivus : contra turpitudinem coloris vermiculus, qui habet vivum colorem. Passer verò vivus advolare permittebatur in agrum, quia leprosus « restituebatur pristinæ libertati. Octavo verò die admittebatur ad cultum divinum, et restituebatur consortio hominum : primò tamen rasis pilis totius corporis, et lotis vestimentis, eò quòd lepra pilos corrodit, et vestimenta coinquinat et fœtida reddit. Et « postmodùm sacrificium offerebatur pro delicto ejus; « quia lepra plerùmque inducitur pro peccato. De « sanguine autem sacrificii tingebatur extremum auriculæ ejus qui erat mundandus, et pollices manûs « dextræ et pedis : quia in istis partibus primùm lepra « dignoscitur et sentitur. Adhibebantur etiam huic ritui tres liquores, scilicet sanguis contra sanguinis « corruptionem : oleum ad designandam sanationem « morbi : aqua viva, ad emundandam spurcitiem. »

Allegoricam rationem subjungit Angelicus doctor : « Per duos passeres significantur divinitas et humanitas Christi. Quorum unus, scilicet humanitas, immolatur in vase fictili super aquas viventes, quia per « passionem Christi aquæ baptismi consecrantur. « Alius autem, scilicet impassibilis divinitas, vivus « remanebat, quia divinitas mori non potest : et evolabat, quia passione adstringi non poterat. Hic autem passer vivus simul cum ligno cedrino, et cocco, « vermiculo et hyssopo, id est, fide, spe, et charitate « mittitur in aquam ad aspergendum; quia in fide Dei « et hominis baptizamur. Lavat autem homo per aquam « baptismi et lacrymarum vestimenta sua, id est, opera; et omnes pilos, id est, cogitationes. Tingitur autem extremum auriculæ dextræ ejus, qui mundatur, « de sanguine et de oleo, ut ejus auditum muniat con« tra corrumpentia verba. Pollices autem manûs dex« træ et pedis tinguntur, ut sit ejus actio sancta. »

VII. Septima immunditiei species, erat immundities funeris, ab iis contracta, qui mortuorum corpora, sepulcra, vel ossa tetigissent, aut eorum tentoria vel domos ingressi fuissent, vel exequias prosecuti, Numerorum 19, 11, 14, 16. Pollutio funebris ab Hebræis ad gentes ex dæmonis cacozeliâ manavit. Homines mortui tactu contaminatos à Dianæ sacris rejectos fuisse testatur Euripides in Iphigeniâ Tauricâ. Pythagoram se ipsum à funere reversum, tanquàm pollutum purgare solitum, refert Diogenes Laertius in ejus vitâ. Nonnisi post diem à pollutione funebri trigesimum aditus ad templum et sacra Ethnicis interdùm concedebatur, teste Luciano, lib. de Deâ Syriâ. Gentiles *funus persecuti redeuntes ignem supergrediebantur, aquâ aspersi*, ub observat Festus verbo, *Aqua*. Funebrem immunditiem abstergi aquâ lustrali, ritu singulari confectâ, ex cineribus scilicet vaccæ rufæ, Deo immolatæ, lex præcepit, Numer. 19 : *Vaccam rufam*, seu juvencam *integræ ætatis*, ut habet Vulgata nostra, *perfectam*, ut habet Hebræus textus, *absque maculâ*, jugum nondùm expertam, tradi Eleazaro sacerdoti Deus jubet. 2° Ipsam *eductam extra castra* ab illo immolari in conspectu omnium. 3° Ut intincto in illius victimæ sanguine digito, *aspergat contra fores tabernaculi septem vicibus.* 4° Ut *comburat eam cunctis videntibus*, et totam quanta est cremari curet. 5° Ut cum ipsâ juvencâ rufâ *lignum cedrinum, hyssopum, coccumque bis tinctum* sacerdos mittat in ignem, quo absumenda est. 6° Sacerdos, et qui piacularem illam victimam combusserit, immundi censentur usque ad vesperam, et aliâ aquâ corpus ac vestimenta abluere jubentur, ut immunditiam eluant. 7° *Vir munaus* eligitur qui vaccæ cineres extra castra in loco mundo effundat : quâ actione et ille immunditiam contrahit, ad vesperam usquè, vestimentorum ablutione abstergendam. 8° Deus vaccæ rufæ cineres cum aquis vivis misceri jubet, ut fiat aqua lustralis ad pollutionem funebrem expiandam. 9° Præcepit ut homines immunditiæ funebri inquinati, die tertio et septimo aspergillo hyssopi illis aquis tincto ab homine mundo aspergantur, necnon tentoria, vasa, vestimenta, et similia mortuo contaminata. 10° Die septimo expiati ad vesperam usque immundi remanebant, lotisque corpore et vestibus, sacrorum communioni, hominumque consortio restituebantur. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus*, inquit Deus, *peribit anima illius de medio Ecclesiæ; quia sanctuarium Domini polluit, et non est aquâ lustrationis aspersus. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum.* 12° Qui aquas illas aspergit, immundus censetur, et vestimenta sua aquâ purâ abluere tenetur. 13° Quisquis *aquas expiationis* tetigerit, immundus ad vesperam usque habetur. Singulas hujus ritûs partes ac circumstantias lex præscribit, Numerorum 19.

Vaccam immolari Deus jussit, primò ut Ægyptiorum superstitionem sugillaret, qui vaccas utpote Isidi

*sacras*, honore religioso prosequebantur, easque immolari nefas ducebant, ut referunt Herodotus, libro 2, cap. 41, et Porphyrius, lib. 2 de Abstinentiâ, cap. 11. Secundò, quòd victima piacularis esset pro peccato cultûs vaccarum, quo se olim Israelitæ in Ægypto contaminaverant. Victima autem pro graviori peccato oblata, vilioris fuit speciei ac sexûs, ut observat Maimonides in More Nevochim, part. 3, p. 486.

Cur vacca rufa potior esse debuerit, quàm alterius coloris, ne ipsi quidem Salomoni perspectum fuisse aiunt Hebræorum magistri. Marshamus in Canone Chronico, lib. 9, p. 213, et Spencerus, lib. 2 de Legibus ritualibus Hebræorum, cap. 15, sect. 2, ex Ægyptiorum more hujus rei rationem petunt. Ægyptii nimirùm in Typhonis sacris boves rufos immolabant, quòd Typhon rufi coloris fuisset. Ita refert Diodorus Siculus, libro 1 Historiæ. « Tauros equidem « sacros, inquit, majori in honore quàm cæteros deos « habent Ægyptii.... boves autem rufos immolare fas « est, quòd hunc colorem habuisse Typhon videtur, « qui per insidias Osirin oppressit. » Idem testatur Plutarchus in Iside : « Ægyptii, inquit, Typhonem co- « lore rufo fuisse existimantes, boum quoque nonnisi « rufos immolant, tum accuratam adhibentes obser- « vationem, ut si bos vel unum capillum album aut « nigrum habeat, non immolandum censeant. » Deus itaque Israelitis Ægyptiorum moribus assuetis immolationem vaccæ rufæ permisit. Hæc illius ritûs origo, inquit Marshamus. Vel, ut ait Spencerus, Deus bovem integrè rufum immolari voluit, ut diabolum injuriatum ageret, eamque victimam, quam ipse quasi propriam accepisset, Deus sibimetipsi vindicaret : vel, ut bovem, etiamsi rufus esset, se eodem quo et alia sacrificia loco, et pretio habere significaret : vel, ut Israelitæ bovem rufum olim Typhoni devotum, Deo consecrantes, se et omnia sua soli vero Deo vovere, clarè testarentur.

Verùm inanes sunt istæ conjecturæ. Primò enim Typhonis sacra, moremque illum boves nonnisi rufos immolandi, Mose antiquiora fuisse apud Ægyptios, nec ex Diodoro Siculo nec ex Plutarcho colligi potest, qui Ægyptiorum duntaxat cæremonias referunt, sed ad primam illarum originem non ascendunt : neque tam reconditæ vetustatis idonei testes esse possunt. Sanè Typhonem ipsum esse Moysen personatum dudùm à viris eruditis demonstratum est. Præterea, etsi constaret Ægyptios ab omni retrò antiquitate nonnisi rufos boves immolâsse, consequens non est Mosaicum vaccæ rufæ ritum inde arcessendum esse. Tertiò, si, ad sugillandam Ægyptiorum superstitionem boves rufos immolantium, vaccæ rufæ sacrificium Deus instituit, cur in hoc duntaxat sacrificio rufi coloris rationem habuit, et nusquàm in aliis sacrificiis boves rufos immolari præcepit? Quartò, falsum est quòd permittente tantum, non jubente Deo (ut asserit Marshamus) Israelitæ vaccam rufam Deo in piaculare sacrificium obtulerint. Erroris convincitur hæc sententia ex Scripturæ verbis, Numerorum 19, 1, 2, 21 : *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam..... Erit hoc præceptum legitimum sempiternum.* Quintò, Ægyptii boves rufos immolabant, non quòd pretiosiores eos, aut diis suis gratiores existimarent, sed in odium et execrationem Typhonis : at vaccam rufam Israelitæ immolârunt, quia Deo gratum hujusmodi sacrificium, utpote ab ipso præceptum, crediderunt. Sextò, vaccam illam piacularem, umbram fuisse, et figuram Christi, totumque illum ritum spiritalis nostræ per Christum purificationis typum fuisse, docet Apostolus, Epistolæ ad Hebræos 9, 13 : *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Vacca scilicet Christi typus fuit ratione fœcunditatis et lactis, sive nutrimenti. Rufus vaccæ color significabat sanguinem Christi, in horto Gethsemani, in prætorio Pilati, in cruce ad nostrorum criminum expiationem effusi, et quo totus ipse tinctus est. Designabat etiam hostium nominis ipsius sanguinem, quo vestes ipsius madefactæ et conspersæ sunt, Isaiæ 63 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ? Iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus : et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in irâ meâ. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta, et omnia indumenta mea inquinavi;* Apocalypsis 19, 13 : *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine : et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Denique rufus vaccæ piacularis color significat susceptionem nostrorum peccatorum à Christo ceu fidejussore nostro. Illa enim rubere dicunt ut coccinum, Isaiæ 1, 18 : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Vaccæ rufæ sacrificium typum Christi fuisse, docet S. Augustinus, quæstione 33 in Numeros. « De juven- « câ rufâ, inquit, cinerem ad aquam adspersionis, « eorumque mundationem qui mortuum tetigerint pro- « ficere, lex mundavit, nec tacere permittitur ; eviden- « tissimum enim signum in eâ novi Testamenti præ- « figuratur : nec satis dignè festinantes dicere de tanto « sacramento valemus..... Juvenca rufa carnem Chri- « sti significat. Sexus femineus est propter infirmita- « tem carnalem ; rufa est propter ipsam cruentam « passionem. Sine vitio dicitur hæc juvenca..... Erat « quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed « non caro peccati. *Dicitur injugis ; Caro enim Christi* « non est subjugata iniquitati, cui subjugatos inve- « niens liberavit, et eorum vincula disrupit. Super il- « lius quippe carnem non est positum jugum, qui po- « testatem habuit ponendi animam suam, et iterùm « sumendi eam. *Ad Eleazarum sacerdotem, non ad Aa- « ronem pontificem adduci jussa est, quo præfigura-*

« næ locutionis : eò quòd semen est verbum Dei. Per « immunditiam verò coitûs, et mulieris parientis, de- « signatur immunditia peccati originalis. Per immun- « ditiam verò mulieris menstruatæ, designatur immun- « ditia mentis per voluptates emollitæ. Universali- « ter verò per immunditiam contactûs rei immundæ « designatur immunditia consensûs in peccatum alte- « rius, secundùm illud 2 ad Corinthios 6, 17 : *Exite de « medio eorum, et separamini, et immundum ne tetige- « ritis.* Hujusmodi autem immunditia contactûs deri- « vabatur etiam ad res inanimatas. Quicquid enim « quocumque modo tangebat immundus, immundum « erat. In quo lex attenuavit superstitionem gentilium « qui non solùm per contactum immundi dicebant im- « munditiam contrahi, sed etiam per collocutionem, « aut per aspectum, ut rabbi Moyses dicit de muliere « menstruatâ. Per hoc autem mysticè significabatur « id quod dicitur, Sapientiæ 14 : *Similiter odio sunt « Deo impius et impietas ejus.* Erat autem et immun- « ditia quædam ipsarum rerum inanimatarum secun- « dùm se : sicut erat immunditia lepræ in domo et in « vestimentis. Sicut enim morbus lepræ accidit in ho- « minibus ex humore corrupto putrefaciente carnem « et corrumpente ; ita etiam propter aliquam corru- « ptionem et excessum humiditatis vel siccitatis fit « quandoque aliqua corrosio in lapidibus domûs, vel « etiam in vestimentis. Et ideò hanc corruptionem « vocabat lex lepram, ex quâ domus vel vestis immun- « da judicaretur : tum quia omnis corruptio ad im- « munditiam pertinebat ; tum etiam quia contra hu- « jusmodi corruptionem gentiles deos Penates cole- « bant : et ideò lex præcepit hujusmodi domos, in « quibus fuerit talis corruptio perseverans, destrui, et « vestes comburi, ad tollendam idololatriæ occasio- « nem. Erat etiam et quædam immunditia vasorum, « de quâ dicitur, Numerorum 19 : *Vas quod non ha- « buerit operculum et ligaturam desuper, immundum « erit.* Cujus immunditiæ causa est quia in talia vasa « de facili poterat aliquid immundum cadere, unde « poterant immundari : erat etiam hoc præceptum ad « declinandam idololatriam. Credebant enim idolola- « træ quòd si mures, aut lacertæ, vel aliquid hujus- « modi, quæ immolabant idolis, caderent in vasa vel « in aquas, quòd essent diis gratiosa. Adhuc etiam « aliquæ mulierculæ vasa dimittunt discooperta in ob- « sequium nocturnorum numinum, quæ Janas vocant. « Harum autem immunditiarum ratio est figuralis : « quia per lepram domûs significatur immunditia con- « gregationis hæreticorum. Per lepram verò in veste « lineâ significatur perversitas morum ex amaritudi- « ne mentis. Per lepram verò vestis laneæ significa- « tur perversitas adultorum. Per lepram in stamine « significantur vitia animæ. Per lepram verò in sub- « tegmine significantur peccata carnalia : sicut enim « stamen est in subtegmine, ita anima in corpore. Per « vas autem quod non habet operculum nec ligatu- « ram, significatur homo qui non habet aliquod vela- « men taciturnitatis, et qui non constringitur aliquâ « censurâ disciplinæ.

### VI. *De expiatione generali Israelitarum, et de hirco emissario.*

Expiatio generalis Israelitarum in solemni festo Expiationis hircis duobus peragebatur, de quibus fortè decernere debuit pontifex, uter Deo sacrum piaculare fieri, uter in solitudinem populi peccatis et maledictis onustum ablegari deberet, Levitici 16, 7, 8, 9, 10 : *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii : mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario : cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato : cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino ut fundat preces super eo, et mittet eum in solitudinem.* Textus hebraicus sortem unam *pro Domino*, sortem alteram *pro Azazele* imponi ait : hircum cui sors obvenerit *pro Domino*, immolari ut piacularem victimam pro peccato ; hircum cui sors obvenerit *pro Azazele*, sisti vivum coram Domino, ut per eum fiat expiatio ; et mittatur ad *Azazelem*, in Desertum. De hoc ritu articulo superiori, Numer. 10 egimus ; quædam in hunc articulum rejecimus quæ sunt observatione digna.

Hircis expiationem peragi Deus instituit, ut Ægyptiacam idololatriam eugillaret. Ægyptii enim Hircos præ cæteris animalibus impensè coluerunt, præcipuè Mendesii, ut testantur Herodotus, lib. 2, cap. 46, Diodorus, lib. 1 ; Strabo, lib. 17 ; Lucianus in Imaginibus, Plutarchus in Iside. Mulieres etiam tanquàm religione addictæ, sacris hircis fœdè se submittebant, testibus Pindaro, Herodoto, Strabone, Æliano, lib. 7, cap. 19, et Plutarcho in libro *Quòd bruta ratione utuntur*. Zabios, id est, veteres idololatras Orientis, dæmones sub hircorum formâ coluisse docet Maimonides in More Nevochim, libro 3, cap. 46. « Ex Zabiis, inquit, « quidam fuerunt qui dæmones colebant, et eos existi- « mabant habere formam hircorum. Unde etiam dæ- « mones *Seirim*, hoc est, hircos appellabant. Quæ « opinio Mosis ævo jam longè latèque in orbe diffusa « fuit, sicut ait, Levit. 17, 7 : « Et non sacrificabant ultra « sacrificia sua hircis, » id est, dæmonibus ita appel- « latis. » Hinc Ethnicorum theologia de Pane, Fauno, Silvano, Silenis, et Satyris, qui et ipsi hirci dicti sunt. Ut igitur Israelitas à Zabiorum et Ægyptiorum insanâ superstitione, cui olim dediti fuerant, Deus abduceret, hircis piaculum solemne fieri jussit.

Quid significetur nomine *Azazel*, cui in hircorum piacularium sortitione sors una tribuitur, magna lis est inter eruditos. Quidam ipsum absque interpretatione relinquunt, prout in Hebræo habetur. Ita Onkelos, Samaritanus, et plerique recentiorum : Aben-Esra in hoc nomine magnum aliquod mysterium contineri innuit, quod nemo possit capere ante annos virilitatis. Nonnullis Hebræis et Arabibus *Azazel* nomen est montis ad quem hircus emissus deducebatur, ut inde præceps ageretur. Ita Jonathan, R. Salomon, R. Saadias Gaon, Thalmudici in tractatu Joma, et Arabes, apud quos *Azaz* montem asperum significat. Sed hanc opinionem meritò rejicit Bochartus, Hierozoici lib. 1, cap. 54, tum quia Moses non *Azel*, sed *Azazelem* scri

« quit, impurus erat ex lege, qui tangeb atos defuncti. « Igitur purificatio convenit veritati, quia per Christum « est purgatio; impurum autem esse legi : lex verò « gratiam præfigurabat. Hi porrò erant immundi us- « que ad vesperam, id est, usque ad finem legis. Nam « diluculo similis est adventus Domini. *Sedentibus « enim in tenebris et in umbrâ mortis, lux orta est eis*, « sicut ait Isaias propheta. Et alibi dixit Deus : *Ti- « mentibus me orietur sol justitiæ, et sanctitas in alis « ejus*, Malach. 4. Et rursùs : *Ecce vir Oriens nomen « illi*, Zachar. 6. »

Ritum vaccæ rufæ explicat S. Thomas, rationesque illius litterales primùm, deinde mysticas affert, primâ secundæ, quæstione 102, art. 5, ad quintum. « Du- « plex, inquit, erat immunditia in lege. Una quidem « per aliquam corruptionem mentis vel corporis : et « hæc etiam immunditia major erat. Alia verò erat « immunditia ex solo contactu rei immundæ : et hæc « minor erat, et faciliori ritu expiabatur, nam im- « munditia prima expiabatur per sacrificia pro peccato « ( quia omnis corruptio procedit ex peccato, et « peccatum significat ) ; sed secunda immunditia « expiabatur per solam aspersionem aquæ cujus- « dam : de quâ quidem aquâ expiationis habetur Nu- « mer. 29. Mandatur enim ibi à Domino quòd acci- « piant vaccam rufam in memoriam peccati, quod « commiserunt in adoratione vituli. Et dicitur vacca « magis quàm vitulus; quia sic Dominus Synagogam « vocare consuevit, secundùm illud Osee 5 : *Sicut « vacca lasciviens declinavit Israel*. Et hoc fortè ideò, « quia vaccas in more Ægypti coluerunt, secundùm « illud Osee 10 : *Vaccas Bethaven coluerunt*. Et in de- « testationem peccati idololatriæ immolabatur extra « castra : et, ubicumque sacrificium fiebat pro expia- « tione multitudinis peccatorum, cremabatur extra « castra totum. Et ut significaretur per hoc sacrificium « emundari populus ab universitate peccatorum, in- « tingebat sacerdos digitum in sanguine ejus, et as- « pergebat contra fores sanctuarii septem vicibus : « quia séptenarius numerus universitatem significat. « Et ipsa etiam aspersio sanguinis pertinebat ad de- « testationem idololatriæ, in quâ sanguis immolatitius « non effundebatur, sed congregabatur, et circa ipsum « homines comedebant in honorem idolorum. Com- « burebatur autem igne : vel quia Deus Moysi in igne « apparuit, et in igne data est lex : vel quia per hoc « significabatur quòd idololatria totaliter erat extir- « panda, et omne quod ad idololatriam pertinebat : « sicut vacca cremabatur cum pelle et carnibus, san- « guine et fimo flammæ traditis. Adjungebatur etiam « in combustione lignum cedrinum, hyssopus, coccus- « que bis tinctus, ad significandum quòd sicut ligna « cedrina non de facili putrescunt, et coccus bis tin- « ctus non emittit colorem, et hyssopus retinet etiam « odorem, postquàm fuerit desiccatus, ita etiam hoc « sacrificium erat in consecrationem ipsius populi, et « honestatis et devotionis ipsius : unde dicitur de ci- « neribus vaccæ : *Ut sint multitudini filiorum Israel in « custodiam* : vel, secundùm Josephum, quatuor ele- « menta significata sunt ( igni enim apponebatur ce- « drus significans terram propter suî terrestreitatem ; « hyssopus significans aerem, propter odorem, coccus « significans aquam eâdem ratione quâ etiam purpurâ, « propter tincturas quæ ex aquis sumuntur ), ut per « hoc exprimeretur quòd illud sacrificium offerebatur « Creatori quatuor elementorum. Et quia hujusmodi « sacrificium offerebatur pro peccato idololatriæ, in « ejus detestationem, et comburens, et cineres colli- « gens, et ille qui aspergit aquas in quibus cinis po- « nebatur, immundi reputabantur : ut per hoc osten- « deretur quòd quicquid quocumque modo ad idolola- « triam pertinet, quasi immundum est abjiciendum. « Ab hâc autem immunditiâ purificabantur per solam « vestimentorum ablutionem. Nec indigebant aquâ as- « pergi propter hujusmodi immunditiam : quia sic es- « set processus in infinitum ; ille enim qui aspergebat « aquam immundus fiebat : et sic si ipse seipsum as- « pergeret, immundus remaneret. Si autem alius eum « aspergeret, ille immundus esset : et similiter ille qui « illum aspergeret, et sic in infinitum.

« Figuralis autem ratio hujus sacrificii est : quia « per vaccam rufam significatur Christus secundùm in- « firmitatem assumptam, quam femineus sexus desi- « gnat : sanguinem autem passionis ejus designat « vaccæ color. Erat autem vacca rufa ætatis integra, « quia omnis operatio Christi est perfecta, in quâ « nulla erat macula, nec portavit jugum peccati. Præ- « cipitur autem adduci ad Moysem ; quia imputabant « ei transgressionem legis Mosaicæ in violatione Sab- « bati. Præcipitur autem tradi Eleazaro sacerdoti : « quia Christus occidendus in manus sacerdotum tra- « ditus est. Immolatur autem extra castra, quia extra « portam Christus passus est. Intingit autem sacerdos « digitum in sanguine ejus ; quia per discretionem, « quam digitus significat, mysterium passionis Christi « est considerandum et imitandum. Aspergit autem « contra tabernaculum (per quod synagoga designatur) « vel ad condemnationem Judæorum non credentium, « vel ad purificationem credentium. Et hoc septem « vicibus, vel propter septem dona Spiritûs Sancti, « vel propter septem dies in quibus omne tempus in « telligitur. Sunt autem omnia quæ ad Christi incar- « nationem pertinent, igne cremanda, id est, spiri- « tualiter intelligenda. Nam per pellem et carnem « exterior Christi operatio significatur : per sangui- « nem subtilis et interna virtus exteriora facta verifi- « cans : per fimum lassitudo, sitis et omnia hujusmodi « ad infirmitatem pertinentia. Adduntur autem tria, « scilicet cedrus, quod significat altitudinem spei vel « contemplationis ; hyssopus, quod significat humili- « tatem vel fidem ; coccus bis tinctus, quod significat « geminam charitatem : per hæc enim debemus Christo « passo adhærere. Iste autem cinis combustionis col- « ligitur à viro mundo : quia reliquiæ Passionis per- « venerunt ad gentiles, qui non fuerunt culpabiles in « Christi morte. Apponuntur autem cineres in aquâ « ad expiandum : quia ex passione Christi baptismus « sortitur virtutem emundandi peccata. Sacerdos qui

« immolabat vaccam, et ille qui comburebat, et qui « colligebat cineres, immundus erat, et etiam qui « aspergebat aquam : vel quia Judæi sunt facti im- « mundi ex occisione Christi, per quam nostra pec- « cata expiantur : et hoc usque ad vesperum, id est, « usque ad finem mundi, quando reliquiæ Israel con- « vertentur ; vel quia illi qui tractant sancta, inten- « dentes ad emundationem aliorum, ipsi etiam anti- « quas immunditias contrahunt, ut Gregorius dicit in « Pastorali, et hoc usque ad vesperam, id est, usque « ad finem præsentis vitæ. » Conferatur illa S. Thomæ explicatio cum eâ quam tradit Guillelmus Parisiensis, libro de Legibus, cap. 10.

VIII. Octava immunditiei species erat immundities contactûs, quam contrahebat omnis qui personam vel rem immundam, nolens licet ac fortuitò, contigisset, Numer. 19, 22 : *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet : et anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperam.* Hæ verò immunditiæ lotione solâ vel aspersione abstergebantur.

IX. Non personarum tantùm, sed et rerum immunditiam observari sanxit lex Mosaica. Lecta enim, stragula, vasa, furni, aliaque omnia humanis usibus accommodata, menstruatæ, seminiflui, leprosi, mortui, reptilis contactu pollutionem quamdam contrahebant, et in ipsos homines diffundebant, Levitici 15, 4, 5, 6, 9, 10, 21, 22, 23, 26 ; Levitici 11, 29, 30 et seq.: *Hæc quoque inter polluta reputabantur de his quæ moventur in terrâ, mustela, et mus, et crocodilus, singula juxta genus suum, mygale, et chamælon, et stellio, et lacerta, et talpa : omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperam ; et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum polluetur, tam vas ligneum, et vestimentum, quàm pelles, et cilicia, et in quocumque sit opus, tingentur aquâ et polluta erunt usque ad vesperam, et sic postea mundabuntur : vas autem fictile, in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur, et idcircò frangendum est. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit : et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit. Et quicquid de morticinis hujusmodi ceciderit super illud, immundum erit : sive clibani, sive chytropodes, destruentur, et immundi erunt.* Lepræ contagio non solùm hominibus, sed etiam vestimentis et domibus adhærebat : quæ quidem in iis analogica tantùm lepra fuit. Vestimenta leprâ perseveranti contaminata igne comburi lex jubet, Levit. 13, 52, 57. Domus leprâ infecta septem diebus claudebatur mandato sacerdotis. Qui die septimo reversus, si lepram crevisse inveniret, jubebat erui lapides leprâ inquinatos, et projici eos extra civitatem in locum immundum : domum autem ipsam radi intrinsecùs per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem, in locum immundum, lapidesque alios reponi, alioque cemento liniri domum. Si lepra nihilominùs rediisset, domus dirui debuit, et lapides ejus, ligna pulvisque universus extra oppidum in locum immundum projici. Si lepra perseverans non esset, litis denuò parietibus domus purificabatur à sacerdote, hoc ritu : sumebat sacerdos duos passeres, lignumque cedrinum, et vermiculum, atque hyssopum : et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, aspergillum ex ligno cedrino et hyssopo compositum, cui alligatus erat funiculo coccineo passer vivus, tingebat in sanguine passeris immolati, aquis viventibus commixti, domumque septies aspergebat. Tum dimisso passere vivo, orabat pro domo, quæ hoc ritu mundabatur, Levitici 14.

X. Legales illæ immunditiæ institutæ sunt ad mores Israelitarum informandos, ad idololatriæ occasiones omnes removendas, ad reverentiam sanctuario conciliandam, ad jugem Dei memoriam conservandam, ad significandam immunditiem peccati, fœditatem libidinis, pravæ societatis contagium, occasionum proximarum pericula.

Veteres de his disserentes audiamus. Ad Israelitarum mores informandos, et jugem Dei memoriam conservandam leges illas omnes pertinere Tertullianus disertè asserit, lib. 2 adversùs Marcionem, cap. 19 : « Sed et in ipsis commerciis vitæ, inquit, et conver- « sationis humanæ domi ac foris, ad usque curam va- « sculorum omnifariam distinxit, ut istis legalibus « disciplinis occurrentibus undique ne ullo momento « vacarent à Dei respectu. Quid enim faceret beatum « hominem, quam in lege Domini voluntas ejus? Et in « lege Domini meditabitur die ac nocte. Quam legem « non duritia promulgavit auctoris, sed ratio summæ « benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, et « rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis ; « ut nihil de arcanis attingam significantis legis, spi- « ritalis scilicet et propheticæ, et in omnibus penè « argumentis figuratæ. Sufficit enim in præsenti, si « simpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam « reprobare debeat, nisi cui non placet Deo ser- « vire. »

XI. Theodoretus, quæstione 14 in Leviticum, legem de immunditiâ puerperæ latam explicans, ait eam ad mulierum quietem procurandam, et virorum incontinentiam refrenandam, latam esse : *Lex*, inquit, *impuritatis mentione appetitionem extinguit.*

Quæstione 15, de contagione lepræ sermonem faciens, legemque de leprâ latam exponens, ait : « Per « affectiones corporeas indicat morbos animæ : et per « ea quæ non spontè committuntur arguit spontanea. « Si enim naturalia quodammodò videntur esse im- « pura, multò magis ea quæ manant à voluntate. Porrò « varias lepræ species edisserit, quia sunt etiam pec- « catorum discrimina : lepræ quædam est origo, quo- « niam et origo peccati. Quemadmodùm itaque sacer- « dos lepram discernit, ita peccatorum animæ judi- « cem ipsum esse oportet. Leprosum autem dicitur « quod varietatem habet coloris : sic animam occu- « pans vitium leprosam ipsam efficit. Leprosum autem « nudato capite, et dissutis vestibus lex esse jubet, *ut* « *notus sit, et ne fiant impuritatis participes qui accedunt* « *ad illum.* Ita de peccantibus Apostolus dixit : *Sub-* « *ducite vos ab omni fratre inordinatè ambulante, et non* « *secundùm traditionem quam accepistis à nobis. Et si* « *is qui frater nominatur, aut fornicator, aut avarus, aut*

« *idololatra sit, aut ebriosus, aut maledicus, aut rapax,* « *cum hujusmodi non edite.* »

Cur autem et vestibus et domibus lepra tempore Mosaicæ legis adhæreret, deque illarum pollutione et purificatione lex à Deo lata sit, rationem reddit Theodoretus, quæstione 18. Id scilicet ad illorum, nostramque institutionem factum docet : « Complures illis Deus « tales præbuit instructiones. Nam et de leprosis do- « mibus sic ait : *Cùm ingressi fueritis in terram Chana-* « *næorum, quam ego do vobis, dabo etiam tactum lepræ* « *in domibus terræ possessæ à vobis*, etc. Ex his autem « docet plagas fuisse à Deo missas interdùm in vesti- « menta, interdùm in domos : quæ quidem inenarra- « bilem Dei benevolentiam demonstrant. Dùm enim « peccarent homines, vestimentis aut domibus plagas « infligebat, hoc pacto sanitatem conferens possesso- « ribus illarum. Cæterùm domui leprosæ similis est « domus Israel ; de quâ qui peccaverant, tanquàm in- « fecti leprâ lapides sublati sunt, aliquando per Assy- « rios, aliquando per Babylonios, interdùm per Mace- « dones. Et quia adhærenti leprâ laborabant, illorum « domum dirui funditùs jussit legislator. Impuri sunt « ergo qui introeunt in Synagogas illorum, quasi le- « prosam in domum ingrediantur. »

Quæstione 20, de hominis seminis fluxu laborantis immunditiâ disserens, ait « legem per naturalia nos « instruere de vitiis animi, et ex illis docere quàm « sint atrocia. Nam si fluxus naturalis impurus est, « multò magis contraria legi lascivia. » De immunditiâ concubitûs conjugalis ait Deum hâc lege docere moderationem in usu matrimonii et jubere. « Ut libero- « rum procreandorum causâ, non voluptatis gratiâ « hujusmodi copulatio fiat. Hanc ob rem eos qui per- « miscerentur impuros appellat, et purgari præcipit, « ut assiduitatem congrediendi cohibeat purificationis « occupatio. »

Quæstione 21, de immunditiâ menstruatæ agens ait legem de hujusmodi immunditiâ latam : « Ne quis cum « talibus commisceatur. Ferunt enim quidam con- « gressu gigni tabem et lepram, hâc superfluitate læ- « dente formata corpora ; propterea dicit illum im- « mundum qui talem mulierem attigerit. Paucis au- « tem harum legum causas patefecit, dùm ait : *Et* « *abstinentes facietis filios Israel, et non morientur pro-* « *pter immunditiam suam, cùm polluerint tabernaculum* « *meum, quod est inter eos*, Levit. 13, 31. Quòd si quæ « non spontè committuntur asserit polluere, patet « quia multò magis detestanda sunt voluntaria. Et hæc « quidem valdè congruebant illis, utpote maximè la- « scivis et nequiter libidinosis. Nam quod leve erat, « dùm prætermittitur, observatum paratiores efficie- « bat ad potiora. »

Quæstione 7, agens de immunditiâ contactûs, quæ Israelitas prohibebat ne carnibus victimarum Deo immolatarum vescerentur, ait : « Per hæc levia gravio- « res curat affectiones. Si enim legem naturalia pol- « luunt, multò magis ea quæ procedunt à voluntate, « quæ propriè dicuntur contra legem facta. »

Quæstione tandem 12, agens de immunditiâ rerum « Discimus, inquit, quantum malum sit peccatum, « cùm veram immunditiam illud conciliet. »

XII. Guillelmus Parisiensis, lib. de Legibus, cap. 6, Deum legem de mulieris menstruatæ immunditiâ tulisse ait, secundùm quosdam, ut Zabiorum, id est, idololatrarum ex Oriente antiquiorum, superstitioni modum et mensuram imponeret, populumque suum ab eorum moribus paulatim abduceret : « Mulier, in- « quit, menstruata immunda reputata est secundùm « quosdam, ex consuetudine et lege gentis Zabiorum, « quæ adeò eas execrebatur tempore menstruorum, ut « nonnisi igne purgari posse eas crederet. Et propter « hoc comburebantur vestimenta earum, et omne quod « tetigissent tempore menstruali. Quia verò ritus iste « ita inoleverat in Ægypto, et in terrâ promissionis, « non potuit ab eo averti ex toto populus Judæorum. « Et ideò legislator fecit super hoc quod in gente tam « duræ cervicis fieri potuit, mutans ritum simul et « mitigans, quem radicitùs extirpare nequivit. » Confirmatur ex Maimonide in More Nevochim, pag. 3, cap. 74 : « Consueto, inquit, et usitato more receptum « erat apud Zabios in partibus Orientis, ut mulier « menstruo laborans, separatim sit in domo aliquâ ; « ut loca in quibus ambulavit, comburantur ; et quis- « quis cum eâ locutus fuerit pro polluto habeatur, quin- « imò si ventus idem transeat super menstruatam, et « mundum aliquem, ut pro polluto habeatur. » Alteram legis hujus rationem affert Guillelmus Parisiensis, idololatriæ extirpationem. « Non est autem dubi- « tandum, inquit, quin idololatriæ quâ luna colebatur, « per istam immunditiam multùm detractum sit : cùm « fluxus menstruorum lunæ cursui deputaretur, et ita « hanc immunditiam referrent in lunam. Et propter « hoc addiscerent eam non esse colendam, cujus opere « pollutio esset et immunditia. Potuit autem esse, ut « mulieres menstruatæ cæteris mulieribus audaciùs « se lunæ cæremoniis immiscerent, reputantes se eo « ipso sacris hujusmodi digniores, quòd in ipsis luna « eo tempore manifestiùs operaretur. Potuit etiam esse « (et hoc credimus ex eis quæ de idololatriâ legimus) « quòd mulier menstruata aliquando ei immolata sit, « et quia sanguis menstruus crebrò in ejus sacrificiis « offerretur. Coli enim à mulieribus multâ aviditate « solebat luna, sicut legitur Jeremiæ 7 : *Mulieres asper-* « *gunt adipem ut faciant placentas reginæ cœli ;* regi- « nam cœli credebant lunam. Hæc igitur est una causa « propter quam eas immundas judicavit lex. Secunda « causa fuit, ut abstinerent viri à commixtione earum « diebus illis tum propter fœtum, ne corrumperetur, « et occasio daretur venenositate sanguinis illius, et « ne ex eâ fœditate fierent abominabiles viris. Tertia « causa fuit ipse menstruus sanguis, de quo multa « monstrifica faciebant malefici. Quarta, honor et re- « verentia Tabernaculi, in quo posset mulieribus fluxus « contingere, si ad id eo tempore admitterentur ; quâ « inquinatione nulla abominabilior fieri poterat Taber- « naculo. Quinta, horror sanguinis, quem in mentem « semper ingerere volebat Dominus filiis Israel in de- « testationum idololatriæ. Sexta causa, contagium et

« corruptelæ menstrui sanguinis, quæ tantæ infectio-
« nis est, ut etiam in speculo, in quo tempore illo
« mulier faciem inspexerit, fœculentiæ suæ manife-
« stum indicium imprimat. Manifestum igitur est quia
« et saluti animarum, et saluti corporum, et saluti
« partuum seu fœtuum, et ipsi sacramento matrimonii
« consultum est per legem, quâ menstruatæ immundæ
« sunt usque in tempus purgationis. »

Aliarum immunditiarum pollutionumque legalium causas explicare pergit Parisiensis episcopus. « Le-
« prosus, inquit, judicatus est immundus, et propter
« fœculentiam morbi, etiam propter ejus contagium,
« et propter honorem castrorum atque Tabernaculi, in
« quo potissimum intelligimus honorem Dei. Semini-
« fluus verò propter ipsam spurcitiam fluxûs, et propter
« abominationem idololatriæ venereæ, in quâ semen
« ipsum humanæ generationis miscebatur sacrificiis;
« et propter honorem castrorum, et etiam Taberna-
« culi. Horruit etiam lex, et horreri voluit fluxum
« humani seminis alibi quàm in opere humanæ gene-
« rationis, et hoc propter execrationem idololatriæ,
« et sodomiticas abominationes, quas omninò abolere
« et studiosissimè extirpare ostendit. Voluit et hono-
« rem haberi Tabernaculo et castris : propter quod
« nonnisi loti aquâ, etiam sacerdotes, tabernaculum
« intrare debebant.

« Immunditiæ verò irregularitatis meræ, quæ re-
« quirebant purificationem, multiplices erant; et ad
« hanc pertinet immunditia vasorum, sicut vas fictile,
« in quod aliquod ex nominatis octo reptilibus ceci-
« disset, aut quod aliquid de mortuis eorum tetigisset,
« et propter hoc frangendum, sicut legitur Levit. 11.
« Eodem modo et clibani...., in quo non aliud intel-
« ligi rectè potest, nisi prohibitio appropinquationis
« ad idololatriam. Ideò enim quia prohibiti sunt filii
« Israel tangere hujusmodi animalia, vel morticinia
« eorum, et prohibiti sunt necessariò immolare ea,
« vel comedere de immolatis. In hoc etiam quòd im-
« munda judicata sunt immunditia quæ prohibebat
« accessum ad Dei tabernaculum, etiam tangentibus
« ea, præcisa est etiam eisdem omnis species emun-
« dationis, et appropinquationis ad Deum per illa, et,
« quod plus est, ostensa sunt causâ divinæ offensionis
« et indignationis, non quidem propter se, sed propter
« idololatriam quæ de iis fiebat. Juxta hunc modum
« erat vas, quod non habebat operturam, nec ligatu-
« ram, sicut legitur Numerorum 19. Quia vasa hujus-
« modi habere consueverant idololatræ : et etiam cau-
« sâ honestatis et munditiæ corporalis. Quoniam faci-
« liùs custodiuntur munda, quæ habent operculum :
« et honestiùs tenentur atque contrectantur, quæ li-
« gaturam habent de se ut ansulam vel annulum. Po-
« terat etiam esse, ut alienas ligaturas adhiberent ido-
« lolatræ vasis suis, non sine aliquâ contaminatione
« idololatriæ; et vasa volebant carere operculis, ut
« aliquibus servitiis idololatriæ magis præstò essent :
« et ut ipsa reptilia idolis immolanda in ea irreperent,
« sicut mures, mustellæ atque lacertæ, et in eis inve-
« nirentur : sic enim inventa magis accepta credebant
« esse diis, utpote electa ab eis. Restant autem adhuc
« aliquæ reliquiæ idololatriæ istius. Credunt enim
« nonnulli insipientes, quædam numina nocturna fre-
« quentare domos, et vasa, quæ discooperta inveniunt,
« postquàm inde comederint vel biberint, denuò re-
« plere. Si autem cooperta vel clausa sive obstructa
« ea inveniunt, inde offendi, et ex hoc imminere infor
« tunium domui.

« Mortuos autem generaliter tam viros quàm mu-
« lieres immundos esse voluit lex, ut elongaret popu-
« lum Israel, et à ritu quem habebant fundandæ ido-
« lolatriæ, et ab operibus maleficis ac necromanticis,
« quorum multa legimus; et propter hoc qui tangeret
« mortuum, immundus esset, sicut legitur, Num. 19. »
His adde collationem insignium illorum locorum ex quibus moralis legis istius sensus innotescet, Ecclesiastici 34, 30 : *Qui baptizatur à mortuo, et iterùm tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Et Matthæi 8, 20 : *Dimittite mortuos sepelire mortuos suos.*

XIII. S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 5, ad quartum, rationes litterales et typicas legalium pollutionum exponit. « Istarum, inquit im-
« munditiarum erat ratio litteralis et figuralis. Littera-
« lis quidem, propter reverentiam eorum quæ ad di-
« vinum cultum pertinent : tum quia homines pretio-
« sas res contingere non solent, cùm fuerint immundi;
« tum etiam ut ex raro accessu ad sacra ea, magis
« venerarentur. Cùm enim omnes hujusmodi immun-
« ditias rarò aliquis cavere possit, contingebat, quòd
« rarò homines poterant accedere ad contingendum
« ea quæ pertinebant ad divinum cultum, et sic quan-
« do accedebant, cum majori reverentiâ et humilitate
« mentis accedebant. Erat etiam in quibusdam horum
« ratio litteralis, ut homines non formidarent accede-
« re ad divinum cultum quasi refugientes consortium
« leprosorum, et similium infirmorum, quorum mor-
« bus abominabilis erat et contagiosus. In quibusdam
« etiam ratio erat ad evitandum idololatriæ cultum :
« quia gentiles in ritu sacrificiorum suorum uteban-
« tur quandoque et humano sanguine et semine. Om-
« nes autem hujusmodi immunditiæ corporales puri-
« ficabantur vel per solam aspersionem aquæ, vel, quæ
« majores erant, per aliquod sacrificium, ad expian-
« dum peccatum, ex quo tales infirmitates continge-
« bant. »

« Ratio autem figuralis harum immunditiarum fuit :
« quia per hujusmodi exteriores immunditias figuraban-
« tur diversa peccata. Nam immunditia cadaveris cujus-
« cumque significat immunditiam peccati, quod est
« mors animæ. Immunditia autem lepræ significat
« immunditiam hæreticæ doctrinæ : tum quia hæreti-
« ca doctrina contagiosa est, sicut et lepra : tum quia
« nulla etiam falsa est doctrina, quæ vera falsis non
« admisceat : sicut etiam in superficie corporis leprosi
« apparet quædam distinctio quarumdam macularum
« ab aliâ carne integrâ. Per immunditiam autem mu-
« lieris sanguifluæ, designatur immunditia idolola-
« triæ, propter immolationem cruoris. Per immundi-
« tiam verò viri seminiflui designatur immunditia va-

« *est*, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros « hujus sacerdotii passionem Domini perventuram. « Ejici jubetur *extra castra* : sic et ejectus est Dominus « passurus extra civitatem *in locum mundum;* quia « Christus non habuit causam malam. *Occidi jubetur « in conspectu omnium* : sicut occisa est caro Christi in « conspectu eorum qui jam futuri erant in novo Testa- « mento Domini sacerdotes. *Aspersio septuplex sangui- « nis ipsius contra fores Tabernaculi*, testificatio est, « Christum secundùm Scripturas fudisse sanguinem « in remissionem peccatorum. Ideò contra faciem Ta- « bernaculi testimonii, quia non aliter declaratum est, « quàm fuerat divino testimonio pronuntiatum. Et « ideò septies, quia ipse numerus ad mundationem « pertinet spiritalem. *Victimæ concrematio in conspectu « sacerdotis* ad signum pertinet resurrectionis. Natura « est quippe ignis, ut in superna moveatur, et in eum « convertitur quod concrematur. Additum est in con- « spectu ejus, id est, sacerdotis : quia illis apparuit « resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdo- « tium. *Pellem ejus, carnes, sanguinem et fimum, flam- « mæ simul lex tradi jubet* : quòd non solùm substantia « mortalis corporis Christi, *nomine pellis, carnium et « sanguinis significata*, verùm etiam contumelia et ab- « jectio plebis, *per fimum adumbrata*, converteretur in « gloriam, quam combustionis flamma significat. »

Sacerdos lignum cedrinum, hyssopum et coccinum in ignem mittebat cum victimâ. « Lignum cedrinum « spes est quæ debet in supernis firmiter habitare. « Hyssopus fides, quæ, cùm sit herba humilis, radici- « bus hæret in petrâ. Coccinum charitas, quod fervo- « rem spiritûs igneo colore testatur. Hæc tria debe- « mus mittere in resurrectionem Christi tanquàm in « medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita « dita vita nostra, sicut dicit Apostolus : *Et vita no- « stra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. 38. « *Vestimenta sua, et corpus abluere Sacerdos jubetur*, « Lavatio vestimentorum et corporis quid est, nisi « mundatio exteriorum et interiorum? *Homo mundus « colligere debebat cineres juvencæ in locum mundum « extra castra*, Ps. 36, 37. Quid dicimus cinerem ju- « vencæ, et reliquias videlicet illius interfectionis et « combustionis, nisi famam quæ consecuta est passio- « nem resurrectionemque Christi? Quoniam sunt re- « liquiæ homini pacifico. Nam et cinis erat, quia velut « mortuus ab infidelibus contemnebatur : et tamen « mundabat quia et resurrexisse à fidelibus credeba- « tur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit, qui « in cæteris gentibus erant et non erant de consortio « Judæorum, ideò dictum existimo : *Et congregabit « homo mundus cinerem juvencæ;* mundus utique ab « interfectione Christi, quæ Judæos fecerat reos. *Et « reponet in locum mundum;* id est, honorabiliter tra- « ctabit ; tamen *extra castra* : quia extra celebrationem « Judaicæ consuetudinis honor Evangelicus claruit. « *Ex cinere illo fiebat* aqua aspersionis, *unde munda- « bantur à contactu mortuorum;* quod utique significat « ab iniquitate hujus moribundæ vel morticinæ vitæ. « *Qui cinerem juvencæ congregaverat censebatur im- « mundus* : quia et ii qui sibi videntur mundi in fide « christianâ se agnoscunt, quia omnes peccaverunt, « et egent glorià Dei, justificati gratis per sanguinem « ipsius. Hunc tamen vestimenta sua lavare dixit non « etiam corpus suum, quod illius cineris congrega- « tione et repositione in loco mundo, si hæc spirituali- « ter intelligantur, jam intrinsecùs vult intelligi fuisse « mundatum. Sicut Cornelius audiens et credens « quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, et ut « ante visibilem Baptismum cum suis qui aderant, ac- « ciperet donum Spiritûs Sancti : verumtamen nec vi- « sibile sacramentum contemni potuit, ut ablutus « etiam intrinsecùs lavaret quodammodò vestimenta « sua. *Sancitur* legitimum æternum *futurum* filiis Israel « et proselytis : *quo ostenditur* baptismum Christi, « quem significabat aqua adspersionis, et Judæis et « gentibus profuturum. *De singulis quibusque post « ablutionem dicitur*, et immundus erit usque ad ve- « sperum : quia omnis homo, post remissionem plenis- « simam peccatorum, permanendo in hâc vitâ contra- « hit aliquid unde sit immundus usque ad ejusdem vitæ « finem, ubi ei dies iste quodammodo clauditur, quod « significat vespera. » De vaccæ rufæ sacrificio idem sensit Theodoretus, quæstione 35 in Numeros. « Hanc quidem, inquit, offerri pro peccato populi lege « præcepit : præfigurat autem salutarem passionem, « quæ totius mundi peccatum abstulit. Sed vaccam « rufam offerri præcipit, ut corpus terrenum præno- « tet, quia nomen Adæ terram rubram significat, ex « quâ corpus ipsius formatum est. Quòd autem vacca « maculâ carebat, expertem peccati Christum Domi- « num innuit. Quòd vacca jugum subiisse non debet, « Christi libertatem subindicat : jugum enim denotat « servitutem. At Dominus, cùm ab eo postularetur di- « drachmum, dixit, Matth. 17: *Ergo liberi sunt filii.* Quòd « verò vacca mactatur extra castra, passionem Salvato- « ris extra portam peractam indicat. Sed hæc manife- « stiùs docet divinus quoque Apostolus in Epistolâ ad « Hebræos. Totam porrò vaccam unà cum pelle et re- « liquis cremari mandavit : quia Christi Domini omnia « erant munda. Lignum cedrinum crucis erat figura. « Sicut enim illud immune à corruptelâ, ita lignum « crucis vivificat. Coccinum autem typus erat sangui- « nis Dominici. Hyssopus etiam aderat, quia calor vi- « vificus dissolvit frigiditatem mortis. Eum tamen qu « cremavit vaccam impurum esse dicit usque ad ve- « sperum, ad eos denotandos qui Christum cruci- « fixerunt Dominum. Atque hujusmodi cinere aquâ « permixto circumspergi præcepit eos qui appropin- « quàssent mortuo, aut qui ejus ossa attigissent, aut « aliquo id genus alio essent polluti. *Et homo*, inquit, « *qui non fuerit purificatus, peribit anima illa de medio « Synagogæ, quia expiationis aquâ non fuerit lustratus.* « Ita Dominus in sacris Evangeliis ait, Joan. 3, 5 : « *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non « ingredietur regnum cœlorum.* »

Quæstione sequenti rationem reddit Theodoretus, cur tam cum qui aspergit, quàm aspersum lex immundum usque vesperam esse dicit. « Quoniam, in-

psit, et in Judææ topographiâ mons nullus est hujus nominis : tum quia si *Azazel* nomen montis esset, ve risimile est Mosen id significaturum fuisse, et montem *Azazel* dicturum sicut montes *Ararat*, montem *Abarim*, montem *Garizim*, montem *Galaad*, montem *Hermon*, montem *Oreb*, montem *Sion* dixit. Alii *Azazel* diabolum significare volunt. Ita Spencerus, lib. 3 De Legibus Ritualibus Hebræorum, dissertat. 8, sect. 2. Idque probat ex libro Enoch apocrypho in quo *Azalzel* (corruptè pro *Azazel*) inter angelorum lapsorum principes numeratur, et ex Origene lib. 5 contra Celsum, ubi de diabolo loquens : « In Levitico, inquit, piacularis hir- « cus, quem Hebraicæ litteræ nominant Azazelem, « non alius erat, sorte mittendus in desertum, malis « omnibus in caput ejus vertentibus. Nam qui propter « malitiam ad deteriorem partem pertinent, à Deo « deserti sunt. » Id confirmat ex antiqui poetæ Christiani carminibus in Marcum hæresiarcham; quæ ex S. Irenæo refert S. Epiphanius, hæresi 34, quos sic Latinos fecit Petavius :

*Hæc tu illa, Satanæ fretus auxilio patris,*
*Azazelisque mira designas ope,*
*Præcursor olli fraudis in Superos datus.*

Alia ex hujus etymologiâ nominis argumenta ducit debiliora Spencerus. At huic opinioni assentiri non possum, cùm inter plurima illa nomina, quæ diabolo in sacris litteris tribuuntur, *Azazel* non legatur, nec verisimile sit Mosen, aliosve scriptores sacros hoc nomine aliàs ne semel quidem antiquum humani generis hostem designaturos, si proprium illius esset. Secundò, ex rabbinorum deliriis hæc interpretatio profecta, quanquàm nec ipsi *Azazelis*, sed *Sammaelis* nomine diabolum designant. Hinc in capitulis R. Eliezer, cap. 45, legitur : « Quo die Deus legem dedit « impurus ille spiritus Sammael Deum ita alloquitur : « Domine totius mundi, qui mihi in omnes totius orbis « gentes potestatem dedisti, in solum Israelem nulla « mihi concessa potestas. Deus respondet : Tibi expia- « tionis die in illos potestas erit, si peccatum in illis « invenias : si verò peccati expertes sint, nihil erit « tibi juris in illos. Idcircò munera hoc expiationis die « Satanæ obtruduntur, ne Israelitarum oblationem in- « terpellet : *Unde dicunt* : Date munus Sammaeli in « die expiationum : sicut dicitur Levit. 16 : A cœtu « autem filiorum Israel accipies duos hircos, etc. Mit- « tetque Aaron super duos hircos sortes; sortem unam « Domino, et sortem alteram pro Azazele. Sors Do- « mini erat holocaustum; sors verò Azazelis erat « hostia pro peccato, et imponebantur ei omnes ini- « quitates Israelitarum, sicut dicitur : *Et portabit hir- « cus ille super se omnes iniquitates eorum.* Ubi ergo Sam- « mael populum Israelis absque peccatis hoc die com- « perit, dicit ad Deum : populum in terris habes « angelis cœlestibus similem.... Cùm Deus hæc à malo « angelo audit, illicò eorum peccata ipsis condonat « et preces eorum exaudit. »

Tertiò, Septuaginta Interpretes, Symmachus et Aquila, qui Hebraici nominis significatum apprimis noverant, *Azazelis* nomine hircum in desertum emissum intellexerunt. Septuaginta : Καὶ ἐπιθήσει Ἀαρὼν ἐπὶ τοὺς δύο σχιμάσους κληρούς, κλῆρον ἕνα τῷ Κυρίῳ, καὶ κλῆρον ἕνα τῷ ἀποπομπαίῳ. *Et imponet Aaron super duos hircos sortes : sortem unam Domino, et sortem unam emissario,* Καὶ τὸν χίμαρον, ἐφ' ὃν ἐπῆλεν ἐπ' αὐτὸν ὁ κλῆρος τοῦ ἀποπομπαίου στήσει αὐτὸν ζῶντα ἐναντι Κυρίου, τοῦ ἐξιλάσκεσθαι, ἐπ' αὐτοῦ ὥστε ἀποστεῖλαι αὐτὸν εἰς τὴν ἀποπομπήν, καὶ ἀφήσει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον. « Et hircum super quem « supervenit super eum sors Emissarii, statuet eum vi- « ventem ante Dominum, ad orandum super eum, ut « emittat eum in emissionem, et dimittet eum in de- « sertum. » Symmachus : Εἰς τράγον ἀπερχόμενον, *in hircum abeuntem.* Aquila : Εἰς τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον, *in hircum qui in desertum emittitur.* Sic etiam intellexit S. Hieronymus, cujus versio Ecclesiæ usu consecrata est : « Mittensque super utramque sortem, « unam Domino, et alteram capro emissario : cujus « exierit sors Domino, offeret illum pro peccato : cu- « jus autem in caprum emissarium, statuet eum vi- « vum coram Domino, ut fundat preces super eo, et « emittat eum in solitudinem. »

Antiqui etiam Patres versionem 70 Seniorum secuti, *Azazel hircum emissarium* interpretati sunt, et Juliani Apostatæ, atque aliorum quorumdam, qui *Azazel diabolum* intellexêre, interpretationem exploserunt et confutârunt : ut mirum sit eam Spencero placere potuisse. Ita S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 9 contra Julianum, p. 301. « Sortes verò et nomina hircis, uni « quidem Dominus, alteri verò Emissarius. Non enim, « ut ait præclarus ille Julianus, cuidam Averrunco et « Depulsori malorum dæmoni dimitti jussit eum qui « non esset immolatus, sed ipse potiùs dictus est illo « emissarius, quod nimirùm à mactatione dimissus, « quemadmodùm Dominus dictus est ille qui immola- « batur. Descriptus autem est per utrumque Christus « unus, et moriens pro nobis secundùm carnem, et « mortem superans secundùm divinitatis naturam. « Emittebatur autem in desertum, quâ solitudine et « inculto solo designatur gentium sterilitas. » Idem epistolâ ad Acacium Melitinæ episcopum, quæ exstat 3 P. concilii Ephesini, cap. 36, et De Capro Emissario est inscripta, ipsam, quam propugnat Spencerus, opinionem stultam et ridiculam vocat, egregièque refellit. « Omnis, inquit, Scriptura divinitùs inspirata utilis « est. Equidem his qui veritatis vim contemplari pos- « sunt, venustas ejus velut coruscum quoddam lumen « sese offert, mentemque ad cognitionem mysterii « Christi illustrat. Quorum verò mens non firmiter « incedit, sed quodammodo claudicat adhuc et puerili « est sensu, talibus etiam præcipuæ Scripturarum « speculationes reprehensibiles nonnunquàm et cul- « pandæ videntur. Atque hæc dico iis quæ pietas tua « scripserat, non sine attentione lectis. Nam aliqui ex « illis qui istic degunt, fortassè putârunt, alterum qui- « dem caprum vel hircum Deo, qui est super omnia, « ad sacrificium hostiamque deputari; alterum verò « execrando cuipiam et malo immundoque dæmoni in « desertum fuisse amandatum, atque hoc ipsum, per « sacram manum legisque decretum Id autem ex se

« omninò stultum est et ridiculum; meritòque dixerit « aliquis iis qui hujusmodi opinione tenentur : cur « non illud potiùs cogitatis? Nam quomodò universo- « rum opifex, qui omnem mentem ac sermonem ex- « cedit, solusque est secundùm naturam Deus et Do- « minus, Satanam apostatam, regni sui ac gloriæ ve- « luti socium consortemque admisisset? Cum per « quemdam sanctorum prophetarum illum clarè pro- « nuntiare audiamus : *Gloriam meam alteri non dabo*, « Isai. 42. Quòd si lex per sapientissimum Moysen « præcipit, ut quæcumque offerre quis voluerit, ea soli « Deo offerat : postea idem ipse qui legem hanc tulit, « manifesto oraculo sanxerit, ut gloria, quæ ipsi soli « maximè convenit, immundis spiritibus deferatur; « quî fieri potest, ut non suis ipse verbis contrarius « manifestè deprehendatur, cùm hoc ipsum quod in- « hibuerat, fieri jubeat?... Esset porrò divina illa in- « culpataque voluntas haud mediocriter culpabilis, si « posteaquàm illos è medio sustulerat, qui Deos alie- « nos adoraverant, Deus ipse rursùm, qui suis deser- « toribus succensuerat, pravam illam adversariamque « potestatem donis sacrificiisque honorari jussisset : « quam quidem adversariam potestatem nonnulli for- « tassè divinarum scripturarum vim interno occulto- « que mentis oculo minimè penetrantes, EMISSARIUM « nominatum esse dicent. Nos verò divinis oraculis « animum neque negligentem, neque segnem adhiben- « tes, sed diligentem et vigilantem, admirandam veri- « tatis pulchritudinem assequi enitemur. Dicimus igi- « tur, universorum Deum, cùm ad evertendum genti- « lium errores, qui multos Deos colebant, eorumque « illuminationem qui in tenebris sedebant, priscis illis « legem suam per Mosem tulisset, nunquàm passurum « fuisse ut ipsemet via et ostium, imò verò etiam « doctor ac magister, ad hoc ut impuri dæmones ho- « norarentur, existeret... Agedum igitur velamine le- « gis ablato, depositoque operimento quod Moysi fa- « ciem exteriùs adumbrat, ipsam nudam veritatem « contemplemur. Duos hircos offerri, et duas sortes « illis inscribi præcepit : voluit autem ut alter ex illis « nominaretur DOMINUS, alter verò EMISSARIUS. Nomina « itaque capris imposita, DOMINUS et EMISSARIUS. Desi- « gnatur autem per utrosque unus et solus filius et do- « minus Jesus Christus... His qui in terris erant lex « illa impendebat, ut mori necesse esset, idque tum « propter transgressionem in Adam, tum propter pec- « catum, quod ab eo ad nos usque tyrannidem suam « extendebat. Verum Dei Patris Verbum largum ad « benignitatem atque clementiam, factum est caro, « hoc est, homo nobis peccato obnoxiis conformis, et « sortem nostram subiit.... Nomen itaque capro im- « molato erat DOMINUS, sorteque mactabatur, et sancta « erat sacraque victima in typum Christi, qui non pro « seipso, sed pro nobis mortuus est sanguineque suo « Ecclesiam sanctificavit... In altero quoque, hoc est « in vivo ac dimisso hirco, eumdem spectemus, dùm « in eo quod secundùm humanam naturam patitur, « non patitur secundùm divinam; et dùm carne mo- « ritur, mortis victor evadit : neque, secundùm Ju- « dæorum amentiam, nobiscum in monumento re- « mansit, neque unà cum aliis ntra inferni portas « detentus fuit... Revivixit enim spoliatis inferis : et « ad supernum cœlestemque Patrem, locum uti « que hominibus inaccessum abscessit; peccatis nos- « tris in se susceptis, et propitiatio pro illis exi- « stens. » . . . .

S. Cyrillo Alexandrino consentit Theodoretus, quæstione 22 in Leviticum. « Præcipit, inquit, hircos « sorte distingui : et unum quidem sacrificari, alterum « autem in solitudinem mitti. Quod quidam non re- « ctè intelligentes, dæmonem quemdam emissarium « arbitrati sunt, quia dixit Exod. 10 : *Unum Domino*, « *et unum emissario*. Sed hoc præ nimiâ stoliditate « putaverunt. Quî enim fieri posset eum qui dixit : « *Non erunt tibi alii Dii præter me, et non adorabis* « *neque servies alteri Deo præter me*, dæmoni cuidam « parem dari jussisse victimam? Atqui conveniebat « illos advertere animum et cognoscere, Deum hir- « cum etiam illum, qui dimittitur, offerri sibi jus- « sisse. » Sumes enim, inquit, hircum vivum coram « Domino, ad exorandum super eum, et ut emitta- « tur in solitudinem. Hoc autem satis innuit, quod « hircus ipse dictus sit emissarius, ut qui emittatur « in desertum. Hoc enim ipsum denotant quæ se- « quuntur : *Et assumet hircus super se iniquitates ipso- « rum in desertum*. Symmachus porrò emissarium « interpretatur in hircum ascendentem ita ut emit- « tatur in emissionem : Aquila autem, in hircum « qui dimittitur in solitudinem. Non igitur Deo cui- « piam aut dæmoni mittebatur : sed ambo quidem « offerebantur Deo; sed unus mactabatur, alter autem « assumptis peccatis populi in solitudinem emitteba- « tur. »

Hircum ipsum emissarium dici, et nomen ἀποπομπαῖον in malo non esse accipiendum, sed sensum allegori- cum illius ritûs amplectendum, S. Augustinus confir- mat quæstione 55 in Levit. « De duobus hircis, inquit, « uno immolando, et alio in desertum dimittendo, « quem ἀποπομπαῖον vocant, solet esse disceptatio : et « à quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille « autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus « ideò confirmandus est, quia homo, in cujus manu in « eremum hircus dimittitur, cùm redierit, lavare jus- « sus est vestimenta sua et corpus suum aquâ, et sic « ingredi in castra, tanquàm et hoc sit indicium cur « in malo sit ille hircus accipiendus à cujus contagione « homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum et « qui alterius hirci vitulique acceperit carnes, et extra « castra combusserit; quæ ita de illo et de vitulo fieri « jubet, de quorum immolatorum sanguine fit adsper « sio, et sunt pro peccatis : ac per hoc non negligen- « ter istorum duorum hircorum distinctio in allegorica « significatione tractanda est. »

Huic sententiæ, quæ *Azazel* de hirco ipso emissario interpretatur, calculum suum adjiciunt R. Kimchius, aliique Hebræi, qui vocem illam confiatam esse cen- sent ex *Ez caper* et *Azaal*, *abiit*. » verbo Arabico *Azala*, quod *separare* et *recedere* est, formatum ab Arabibus

*Azazil*, quod χωρισμοὺς vel ἀναχωρήσεις *separationes* aut *recessus* et secessus significaverit : et ex *Azazil* Hebræos mutuatos suum *Azazel*, et eodem sensu usurpare, conjicit Bochartus. Ita hircorum unus rectè dicitur Domino fuisse servatus, nempe ut illi mactaretur et offerretur pro peccatis populi, alter servatur ad *Azazel*, πρὸς ἀναχωρήσεις, ut in locum deserti remotum et separatum deduceretur.

Cur autem hircus vivus cujus capiti sacerdos totius populi peccata imprecabatur, in desertum emitteretur, quærunt viri eruditi. Spencerus consequenter ad immanem illam et impiam opinionem, quâ hircum ad diabolum ablegatum fuisse contendit, *Azazelis* nomine significatum, hujus instituti rationem præcipuam fuisse asserit, quòd Mosis ætate desertum diaboli sedes et habitaculum penè proprium habebatur. « Prisci autem « ævi more receptum erat, inquit, ut quodvis animal « numini alicui devotum vel destinatum ad numinis « illius fines aut sedes amandaretur. » Huic conjecturæ coloris aliquid allinit Macrobii testimonium lib. 3 Saturnalium, cap. 7. « Veteres, inquit, nullum animal « sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines Deorum quibus esset sacrum. Animas verò sacratorum hominum Diis debitas æstimabant. Quemadmodùm igitur quod sacrum erat, et ad « Deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere « non dubitabant ; sic animas, quas sacras in cœlum « mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore quam« primùm illò ire voluerunt. Mori huic, aut saltem « rationi consentaneum erat, ut hircus Deo et altari « ejus sorte destinatus, ad illius quasi fines, altare et « sanctuarium afferretur ; hircus autem diabolo devo« tus et separatus, extra cœtus Israelis, ad fines quasi « diaboli, locos nempe desertos et ἀβάτους abigeretur, « inquit Spencerus. »

Alteram hujus ritûs rationem afferunt Bochartus, lib. 2 Hierozoici, cap. 59 ; Marshamus in Canone Chronico, pag. 207 et sequentibus, et Spencerus loco laudato, cap. 4 : quòd mos ille gentibus antiquioribus inolevisset, ut animalia Deo alicui sacra et devota liberè et sine custode in campos emitterentur, et Deum hâc in re se ipsum mori passim recepto accommodàsse. At hunc morem apud gentes profanas antiquiorem fuisse lege Mosaicâ haud certum est. Auctores quidem Græci et Latini moris istius fidem faciunt. Athenæus, lib. 7, cap. 7, « sacrum piscem, ut et « sacrum bovem, dimissione consecratum *refert*. *De « bove Jovi sacro ait* : Bos dimissione Jovi sacratus est « Milesiorum festum. » Epimenides, teste Diogene Laertio in ejus vitâ : « Athenas à peste liberaturus, « oves nigras albasque adduxit in Areopagum ; et inde « quòcumque vellent, discedere permisit. » De templo Hierapolitano loquens Lucianus, lib. De Deâ Syriâ, ait : « In atrio boves magni liberi pascuntur, et equi, « et aquilæ, et ursi, et leones. Neque homines lædunt, « sed sunt omnes et sacri et mansueti. » Superstitionem eamdem apud Indos viguisse testis est Plutarchus in Lucilli vitâ : « Boves, inquit, Dianæ Persicæ (quam « maximè colunt) sacratæ pascuntur : his ad victimam « solùm utuntur ; de cætero per regionem vagantur « liberæ, facem ferentes, insignia Deæ. » Græcos id in more habuisse confirmat Eusthatius in Odyssæâ μ. « Integra, inquit, mitium animalium armenta Græci dæ« monibus separabant, è quibus aliquod tangere, nefas « habitum. Interea et volucres sacrabant, Diis dimitten« tes, pavones scilicet et anseres, et hujusmodi alias « in historiâ memoratas. » Ad Romanos quoque morem illum manâsse testis est Suetonius in Julio Cæsare, ubi memorat equorum greges. « Quos in trajiciendo « Rubicone flumine consecraverat, ac vagos et sine « custode dimiserat. »

Arabes, cùm sub vero Ethnicismo viverent, antequàm scilicet Mahometi nomen dedissent, quædam jumenta et pecora puta camelos feminas, boves et capras Diis suis sic devovebant, ut referunt Bochartus et Procopius ; et pecudem ita devotam *auribus fissis relinquebant, ut liberè pasceretur. Et ipsis interdicta caro ejus, lac ejus, et equitatio ejus.* Ad hunc morem alludit Synesius, epistola 57 scribens : *In mundo bonâ cum spe vivebam, ut in sacro septo solutum animal.* Sed hujusmodi auctores, Mose tot seculis recentiores, fidem, ut dixi, non faciunt morem illum animalia in numinis alicujus honorem dimittendi, legem Mosaicam antiquitate superare. Longè verisimilius est ex hirci Ἀποπομπαίου, et passeris vivi dimissione in sacrificiis Dei Israel morem illum ad gentes manâsse, diaboli suggestione, qui Deum æmulatus, ejus cultum sibi arrogare, interpolare, et ritus in ejus sacris solemnes, ac lege illius institutos usurpare, et ad sacra sua profana, seu superstitiosum falsorum numinum cultum traducere modis omnibus studuit.

Hunc hircum in desertum emissum, quòd Christi figura esset extra civitatem pro peccatis nostris pulsi, sed tamen secundùm divinitatem à passione et morte liberi, et secundùm humanitatem ipsam à morte redivivi ; cujus mortis et resurrectionis fructus ad Ecclesiam ex Gentibus nomine deserti significatis collectam potissimum pervenit, lubentius cum S. Cyrillo asserimus lib. 9, contra Julianum Apostatam. *Descriptus est*, inquit, *per utrumque hircum Christus unus, et moriens pro nobis secundùm carnem, et mortem superans secundùm divinitatis naturam. Emittebatur autem in desertum, quâ solitudine et inculto solo designatur gentium sterilitas. Hanc quippe ab ipsis prophetis reperiemus ita quoque nominatam* (Isai. 54) : Plures filii desertæ quàm habentis virum. *Multò plures enim fuerunt qui crediderunt ex Gentibus, quàm qui ex Synagogâ Judæorum.* Dimissionem hirci in desertum Christi libertatem à mortis vinculis et imperio significâsse Theodoretus etiam observat quæstione 20 in Numeros ; ideòque Davidem Psalm. 67, 8, Christi Domini passionem, resurrectionem, et ad cœtos ascensionem his verbis prædixisse : *Deus, cùm egredereris in conspectu populi tui, dùm transires per desertum, terra commota est. etenim cœli distillaverunt.* Atque inquit Theodoretus : *Dùm Christus crucifigeretur, novimus terram esse commotam et petras confractas. Cœlum autem per solis obtenebrationem declaravit impietatis excessum. Desertum verò mortis erat*

*figurâ. Ob id enim dixit: Dùm transires per desertum.*

Si cui tamen placeat hircum Ἀποπομπαῖον emissum fuisse in desertum, et in terram abscissam et invisam, quia desertum dæmonum habitaculum censebatur, huic rationi non refragabor, modò cum Spencero non asserat illum diabolo devotum et separatum, ad diabolum ablegatum, satanæ traditum; sed ut habitatio dæmonum populo Dei odiosa esset, ut peccatores et peccata ad partem diaboli pertinere hoc ritu Deus significaret; ut idololatriam sugillaret; ut peccatorum desertionem à Deo exprimeret; ut populi peccata, quibus hircus ille velut onustus in terram tam remotam deducebatur, et emittebatur, velut in terram oblivionis perferri indicaret, et multo magis Christum, cujus hircus Ἀποπομπαῖος typus erat, longè fecisse à nobis omnes iniquitates nostras, et *peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*, 1 Pet. 24; illumque apparuisse, ut *peccata nostra tolleret*, 1 Joan. 3, 5. Has rationes Guillelmo Parisiensi erudito juxta et pio episcopo debemus, libro de Legibus, cap. 9. « De hirco verò emissario, inquit, quare in desertum emitteretur, hæ « causæ nobis juxta litteram videntur: Prima, quia « dæmones in desertis habitare videbantur, et adhuc « à multis creduntur, voluit Deus populo suo habitationem dæmonum reddere horrendam et abominabilem: et propter hoc hircum immunditias peccatorum portantem illùc emitti. Voluit etiam loca habitationis dæmonum; loca esse immunditiarum, et « peccatorum, ut, longè inde faceret filios Israel, quasi « diceretur hirco; illùc vade, illùc porta immunditias « peccatorum, ubi prius locus est earum. Voluit etiam « in hoc eis ostendere quòd peccatores et peccata pars « dæmonum sunt, juxta illud (psalm. 62): *Partes vulpium erunt* . . . . . Sciendum est autem ritum hunc « idololatriæ valdè fuisse contrarium, et dæmonibus « inimicum, qui nullum animal sibi offerri volebant « absque effusione sanguinis, aut combustione, aut aliquâ læsione. In hoc igitur ritu, quo præceptum est « emitti hircum integrum, aliquantum elongavit eos « ab idololatriâ. Voluit etiam eodem ritu ostendere « non esse locum peccatis nisi desertum, ut ex hoc « agnosceret populus Israel, et non esse admittenda « peccata in castris populi Dei; et ipsa peccata causas esse, quare ipsa loca populosa aut culta per iram « Dei deserta fierent. Oratio verò, quæ fundebatur super hircum, hujusmodi fuisse videtur: sicut tu ejiceris, et longè sis à populo isto, ita fiat de peccatis « eorum: vel, sicut tu liber, et sanus, et immunis et à « morte, et læsione evadis vel emitteris: ita liber et « immunis fiat populus iste à peccatis . . . Et hoc erat « dicere: imputet sacerdos capiti capri emissarii peccata populi, ut sicut tu in figurâ et significatione « super caput tuum portas peccata populi, et exportas « longè seorsùm ab illo, ita faciat Deus in veritate « peccata seorsùm longè à populo suo: et reverà fiebat ita, non quidem ex virtute quam haberet alterutter hircorum, sed omnipotentissimâ misericordiâ « Dei . . . . Ne obliviscaris autem quia deserta omnia « volebat Deus iis immunda et abominabilia reddere « per hircum emissarium, quia malefici et idololatræ « deserta propter hoc maximè frequentabant, ut audirent ibi responsa dæmonum, eisque ibidem immolarent, sicut et adhuc multi faciunt. Unde quidam « magus in libro suo de magicis dicit se transisse « causâ philosophandi ad loca destituta omni habitatore, habitâsseque ibi cum inhabitantibus lucem sex « lustris annorum, et ab iisdem didicisse quæ in eodem libro scripsit. Tum etiam propter faunos et satyros, qui in specie hircorum frequenter ibi hominibus « illudebant, et adhuc illudere non cessant. Voluit « etiam insinuare Deus in hirco emissario, ut quem« admodùm hircus emissarius absque custode relinquebatur in deserto, expositus bestiis deserti ad devorandum propter peccata quæ in figurâ portabat; « sic populus gravatus peccatis, à Deo custode ac defensore suo derelictus, bestiis malorum regnorum, « seu principum inimicarum nationum, quasi quibusdam bestiis diripiendus ac dilacerandus exponendus esset. Et in hoc prudenter eos admonebat, « ut declinarent immunditias peccatorum, si Deum « habere vellent custodem ac defensorem, juxta illud « Deuteronomii 32: *Dentes bestiarum immittam in eos;* et « quòd alter cremabatur, alter verò in desertum mittebatur, insinuabat quia peccatorum quædam fu« ganda erant et longè facienda à populo, videlicet « contagiosa maximèque declinanda: quædam verò « consumenda et conterenda, vindictâ, pœnitentiâ, « sacrificio. »

Hirci Ἀποπομπαίου ritum ab expiatoriis Ægyptiorum, aliarumve gentium sacris originem duxisse, absit ut cum Marshamo et Spencero asseramus. Nota sunt quæ de *Diis Averruncis*, Græcè Ἀποπομπαίοις, sive malorum depulsoribus gentiles fabulati sunt. Nota quæ *Zoroastres* Magus, et Persæ de *Oromaze Deo Lucido, et Arcimanio tenebricoso* finxêre. Nota quæ Chaldæi de planetis Diis beneficis et maleficis; quæ Græci de bonis et malis geniis, de bonâ sorte *Jovis Olympii*, et malâ *Ditis Averrunci* delirârunt. Notum illud Horatii de Apolline, lib. 12, od. 21, malorum (ut credebant) depulsore:

> . . . . . *Hinc miseram famem,*
> *Pestemque à populo et principe Cæsare,*
> *In Persas atque Britannos*
> *Vestrâ motus aget prece.*

Nota quæ de principiis contrariis, seu Diis aliis quidem bonorum, aliis malorum auctoribus Ethnici commenti sunt: quo de errore Plutarchus, libro De Iside et Osiride, hæc scribit: « Vetustissima proinde « à sacrarum professoribus rerum, et legum latoribus « derivata est opinio, auctore incognito, fide firmâ et « indelebili, non in sermonibus ea tantùm et rumoribus, « sed et in mysteriis ac sacrificiis tam Barbaris, quàm « Græcanicis exstans: neque casu ferri et à fortunâ « pendere hoc universum, mente ratione, ac gubernatore destitutum: neque unicam esse rationem, quæ « contineat id et dirigat, tanquàm clavum aut frena « moderans: sed cum permulta è bonis juxta malis

« que sint confusa, imò nihil hæc natura sincerum « (ut verbo dicam) proferat, non esse unum aliquem « Promum qui è duobus doliis vel nobis veluti aliquem « liquorem cauponis in morem distribuat, atque mis- « ceat. Ergo à duobus principiis contrariis, adversis- « que duabus facultatibus, quarum altera ad dexteram « et recta ducat, altera retrorsùm avertatur atque re- « flectat, cùm vitam esse mixtam, tum ipsum mundum « (si non universum, eum certè qui ad terram est, et « lunæ subjacet), inæqualiter ferri, variisque et omnis « generis motibus agitari. Si enim nihil absque causâ « fit, et mali causam bonum non præbet : necesse est « in naturâ ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem « suumque principium exstare. Atque hæc quidem sen- « tentia plerisque et iisdem sapientissimis probatur. « Existimant enim alii duos esse Deos quasi contrariis « deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera con- « ficiat. Alii eum qui est melior, Deum : qui deterior, « dæmonem dicunt. In quâ sententiâ fuit Zoroastres « magus. Is melioris nomen Oromazan, pejoris Arei- « manium perhibuit : illum maximè similem esse luci, « hunc tenebris et ignorationi.... Docuitque votivas « et pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolan- « das ; huic averruncandi mali causâ institutas et te- « tricas. Herbam enim quamdam Omomi appellatam, « in mortario tundentes, Ditem invocant et tenebras : « tum ádmixto lupi jugulati sanguine offerunt et abji- « ciunt in locum quo solis radii non pertingunt.... « Chaldæi planetas Deos faciunt, quorum duos benefi- « cos, totidem maleficos, reliquos tres medios affir- « mant et promiscuos. Græcorum opinio nemini ferè « ignota est quâ bonam partem Jovi Olympio, malam « Diti Averrunco adsignant. » Hujusmodi commenta ex Ægyptiorum theologiâ ortum habuêre, qui *Osiridem* bonum esse genium, *Typhonem* malum crediderunt. Fateor hunc errorem apud Ethnicos longè latèque pervagatum fuisse, ut testatur Arnobius libro 7 adversùs gentes. « Nam quod dici à vobis accipimus, « inquit, esse quosdam ex Diis bonos, alios autem « malos, et ad nocendi libidinem promptiores ; illisque « ut prosint, his verò ut noceant, sacrorum solemnia « ministrari : quânam istud ratione dicitur, intelligere « confitemur non posse. »

Verùm inde perperam colligitur sacrum expiationis Judaicæ ritum, et duorum hircorum piacularium oblationem, alteriusque Ἀποπομπαίου in desertum emissionem, ab Ægyptiorum, aliarumve gentium expiatoriis sacris originem duxisse, aut Deum ex victimis, quas Diis Averruncis Ethnici devovebant, et Ægyptii Typhoni, occasionem sumpsisse instituendi oblationem piacularem duplicis hirci. Nam errorem illum de Diis Averruncis, ac superstitiosum ipsos placandi ritum, errorem de duobus principiis contrariis, Osiridis et Typhonis sacra Moyse fuisse antiquiora, nec ex Arnobii, nec Horatii, aut Plutarchi testimonio probatur. Verisimilius est quòd viri eruditi demonstrârunt Typhonem esse Moysem ipsum personatum ; et Egyptiorum, aliarumque gentium profanarum theologiam ac ritus ex Mosaicis libris, Hebræorumque cæremoniis, diaboli cacozeliâ seu pravâ æmulatione adulteratis ex maximâ parte ortum habuisse. Id animadvertit Bochartus, quem Marshamo et Spencero oppono. Is enim libro 2 Hierozoici, cap. 54, de ritu impositionis manuum super caput hirci emissarii sermonem faciens, ait : « Hoc ritu iram Dei peccator deprecabatur, eam- « que immitti petebat in illius victimæ caput, quam suo « loco ponebat. Proinde hìc summus pontifex solemni « expiationis festo, totius Ecclesiæ personam sustinens, « jubetur, utrâque manu in hirci caput impositâ, Israe- « litarum omnia peccata confiteri, eoque ipso hircum « devovere, ut quicquid pœnarum in populum pro- « pter admissa peccata impenderet, in illum conver- « teretur. » Neque dubium quin inde apud Ægyptios manaverit similis ritus. De iis enim sic Herodotus lib. 2, cap. 39 : *Execrantur autem* ( victimarum ) *capita in hæc verba, ut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.* Addit, « per Ægyptum univer- « sam idem fieri circa capita pecudum immolanda- « rum : et inde esse quod nemo Ægyptiorum de ullius « animantis capite gustat » Ibidem observat Bochartus videri Græcos ad hunc hirci emissarii ritum allusisse, cum ad capras sylvestres imminentia mala amandabant. Hinc illud Adagium : Κατ' αἴγας ἀγρίας, *In capras feras.* Ut enim notat Erasmus, *Abominantis est sermo, et malum deprecantis, inque sylvestres capras avertentis ;* quod etiam probat ex Athenæi loco. Id confirmat Hesychius : *In capras agrestes*, inquit, *proverbium, quo morbi, et maximè comitialis, converti dicuntur in capras agrestes.* Et Suidas usurpari dicit, *per execrationem in feras capras mala convertere.* Hinc Palamedem, cùm luporum incursibus et peste Græcia vexaretur, Ulyssi consilium dedisse in hæc verba : *Supplicemus Apollini, Lycio et Phyxio ut has quidem feras suis ipsius tollat sagittis, pestem verò in capras vertat ;* refert Philostratus in Heroicis.

Si tamen quis id unum contendat, Deum ad exterminandum errorem de duobus principiis, aut de Diis Averruncis (si fortè tunc vel apud Ægyptios, vel apud alias gentes invaluerat), vel quem disseminandum à diabolo prænoscebat, etiam instituisse ut duplex hircus sibi ut soli Deo vero, unique bonorum auctori ac malorum depulsori omnipotentissimo, in atrio tabernaculi offerretur, me omninò repugnantem non habebit. Alia enim ad gentium errores confutandos et superstitiosos ritus averruncandos in lege et prophetis scripta sunt. Quo pertinet illud Jeremiæ de numinibus et idolis Ethnicorum loquentis, cap. 10, 4 : *Nolite ergo timere ea, quia nec mala possunt facere, nec bene.* Quem locum S. Hieronymus hoc illustrat commentario : *Solent enim*, inquit, *plerique gentilium dæmones colere, ne noceant, et alios exorare, ut præstent beneficia. Unde et illud Virgilianum est :*

*Nigram Hyemi pecudem, zephyris felicibus album.*

Errorem itaque gentium et hæreticorum de duobus principiis contrariis, antequàm oriretur, à Spiritu sancto in Scripturâ sacrâ damnatum duplicis hirci piacularis oblatione uni vero Deo et bonorum auctori et

pœnas hominibus ob peccata irroganti, et mala ob eorum pœnitentiam ab illorum capitibus misericorditer avertenti, etiam convictum lubens fateor; sed id Marshami et Spenceri hypothesim non juvat.

## ARTICULUS V.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS VETERIS LEGIS OBSERVANTIAS SPECTANTIBUS.

Observantiarum cæremonialium congruas rationes afferri posse, sive ex divino cultu, cui speciatim consecratus erat Israeliticus populus, sive ex spiritalium rerum ad vitam Christianam pertinentium significatione repetitas, docet S. Thomas primâ secundæ, quæstione 102, articulo 6. Harum observantiarum aliquæ solos sacerdotes, aliæ populum universum spectabant.

§ I. *De legalibus observantiis sacerdotes spectantibus, quoad matrimonia præsertim et funera.*

I. Sacerdotibus in uxorum delectu id ex lege observandum necessariò fuit ut meretricem, vel repudiatam à viro suo non ducerent, sed virginem. Levitici 21, 7, 13, 14, 15. « Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: « quia consecrati sunt Deo suo, et panes propositionis offerunt.... Pontifex virginem ducet uxorem : viduam autem, et repudiatam, et sordidam, atque « meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, « ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: « quia ego Dominus qui sanctifico eum. *Hujus observantiæ lex à Deo lata est*, inquit S. Thomas, « tum propter reverentiam sacerdotum, quorum dignitas quodammodo ex tali conjugio diminui videretur : tum etiam propter filios, quibus esset ad « ignominiam turpitudo matris. Quod maximè tunc « erat vitandum, quando sacerdotii dignitas secundùm « successionem generis conferebatur. » Id etiam significabat magnum illud sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ virgine, et cum animabus sanctis, de quâ Apostolus 2 ad Corinthios 11, 2 : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hanc legis istius rationem reddit S. Cyrillus Alexandrinus libro 12 de Adoratione in spiritu et veritate, p. 434. « Feminam quoque, inquit, sibi virginem ad « connubii societatem jungere debere apertè testatur : « ejectam verò ad connubium ineptam esse decernit. « Eaque figura est Judæorum Synagogæ; nam ab ejus « conjunctione illa repulsa est, de quâ per prophetæ « vocem dicit : *Quia ipsa non uxor mea, et ego non vir « ejus*, Osee 2. Despondit autem Paulus Christo Ecclesiam ex gentibus castam, maculæ et rugarum expertem, imò verò sanctam et immaculatam. Atque « hâc quidem ratione tum de Ecclesiâ ex gentibus « collectâ, tum verò de matre Judæorum verum esse « hoc ænigma comprobatur : neque ea figura parùm « elegans est. Sed si cui placeat propriè ad unumquemque hominem harum sententiarum vim accommodare, dicimus Christum cum profanis atque impiis « animis non posse conjungi, sed cum castissimis atque purissimis tanquàm cum virginibus versari spiritualiter, easque fœcundas reddere, ac sibi genere « junctas appellare. *Quicumque enim*, inquit, *fecerit « voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus fra- « ter et soror et mater est.* Matth. 7. »

Legem Mosaicam de sacerdotum connubiis in jus atticum suum Athenienses transfudisse colligitur ex Demosthene, qui in Neæram declamans, post Thesei tempora regem ab Atheniensibus factum ait sacrorum causâ tantum, additque : « Eum quidem regem populus suffragiis eligebat ex virtute præstantibus. Regem autem fecêre, ut uxor ejus civis esset, nec alteri viro cognita, sed quæ virgo nupsisset. »

II. Lex sacerdotibus vetuit ne mortui alicujus exequiis interessent, nisi genere conjunctissimorum; pontifici verò seu sacerdoti maximo, ut ab omni prorsùs luctu funebri, etiam patris vel matris abstineret. Iis denique prohibuit rasuram capitis, aut barbæ, vel incisiones carnis in luctûs funebris testimonium. Ratio litteralis legis istius est, prima, ne sacerdotes pollutione funebri sacris functionibus ineptos se redderent, et sacra negligerent, vel manibus impuris tractarent, sicque Dei nomen polluere viderentur; secunda, ut sacerdotes majorem reverentiam apud populum obtinerent, dùm non minùs moribus quàm dignitate ab eo separati viderentur, Levitici 21, 1, 2, 3, 4, 5, 6. *Dixit quoque Dominus ad Moysem : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantùm in consanguincis ac propinquis, id est, super patre et matre, et filio et filiâ, fratre quoque et sorore virgine, quæ non est nupta viro : sed nec in principe populi sui contaminabitur. Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt et ideò sancti erunt*, 5, 10, 11, 12. *Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, et ad omnem mortuum non ingredietur omninò, super patre quoque suo et matre non contaminabitur. Nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus.* Tertia ratio hujus legis fuit νεκρολατρείας extirpatio. « Malefici, et sacerdotes idolorum, « inquit S. Thomas, utebantur in suis ritibus ossibus « vel carnibus hominum mortuorum, et ideò ad extirpandum idololatriæ cultum præcepit Dominus, ut sacerdotes minores, qui per tempora certa ministrabant in sanctuario, non inquinarentur in mortibus « nisi valdè propinquorum, scilicet patris et matris, et « hujusmodi conjunctarum personarum. Pontifex autem semper debebat esse paratus ad ministerium « sanctuarii : et ideò totaliter prohibitus erat ei accessus ad mortuos, quantumcumque propinquos. » Ob eamdem rationem ipsis vetitum est ne capita aut barbam raderent, vel carnes inciderent, quia ritus illi in testimonium luctûs primùm usurpati, in religionem tandem abierunt, et cultûs mortuis præstiti pars magna facti sunt. Hinc Lucianus de sacerdotibus Deæ Syriæ devotis agens, ait : *Capita detondent, quemadmodùm Ægyptii, quando apud ipsos mortuus est Apis.* Hinc il-

lud Plutarchi in Iside loquentis de sacrificulis Ægypti : *Eorum capita in luctûs testimonium radi solita.* Id confirmatur ex Baruch 6, 30, ubi de Babyloniis et eorum idolis verba faciens, ait : « In domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita et barbam rasam, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicut in cœnâ mortui. » Adde illam S. Thomæ observationem primâ secundæ, quæstione 102, articulo 6 ad undecimum. « Præceptum etiam erat eis, inquit, ut non raderent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facerent incisuram, ad removendum idololatriæ ritum. Nam sacerdotes gentilium radebant caput et barbam. Unde dicitur Baruch sexto : *Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam.* Et etiam in cultu idolorum incidebant se cultris et lanceolis, ut dicitur 3 Regum 18. Unde contraria præcepta sunt sacerdotibus veteris legis. » Hanc legem quâ rasura capitis et barbæ sacerdotibus prohibetur paulò magis explicatam repetit Ezechiel propheta, cap. 44, 20 : *Caput autem suum non radent*, inquit, *neque comam nutrient ; sed tondentes attondent capita sua.* Sacrorum ministris ex æquo vetitum fuisse patet ne caput ad vivam cutem aut calvitiem raderent, et ne comam promissam et incultam gererent. Rasa enim et promissa vel neglecta cæsaries, luctûs funebris index erat : et idolorum sacerdotes alibi comati, alibi rasi incedebant, ut constat ex Herodoto lib. 2, cap. 36. « Deorum sacerdotes, inquit, alibi comati sunt, in Ægypto derasi. Apud alios ritus est, statim in funere proximi capita deglabrare : Ægyptii in funeribus sinunt capitis crines augescere, barbam tamen tondent. » Vestem lineam, et *rasuram* sacerdotum Isidis insignia fuisse testatur Plutarchus in Iside. Hinc *Grex Calvus* à Juvenali appellantur. Denique S. Hieronymus commentario in Ezechielis, cap. 44, scribit : « Quod sequitur, *caput suum non radent, neque comam nutrient*, perspicuè demonstrat, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis et Serapidis, non esse debere : nec rursùs comam dimittere, quod propriè, luxuriosum est, barbarorum, et militantium : sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur. »

III. Hujus observantiæ sacerdotalis circa funera funebresque ritus, typicas rationes affert S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 12 de Adoratione in spiritu et veritate, p. 450. Nec tamen litterales omittit. Sacerdotes vitæ innocentiâ et puritate à vulgo secretos prorsùs esse debere, nec peccatorem populum sequi, aut consensu suo, vel conniventia, criminum alienorum participes esse, sed flagitiosorum hominum societatem vitare debere, quantùm possent, ne illorum consortio contaminarentur, ea lex significabat. Secundò sacerdotum Aaronicorum sacrificia typi erant sacrificii Christi, quo mors dissolvenda erat : quamobrem indignum erat eorum ministerio, ut in civium suorum, aut propinquorum funeribus lugerent ; nisi patris et matris, filiorum, fratris et sororis virginis, quod ipsis indulsit supremus legislator, ne omnem humanitatis sensum exuisse, et pietatem parentibus debitam abjecisse viderentur. Quia verò summus sacerdos typus erat Christi, qui vita est, cui vivunt omnia, et in quo nec umbra est peccati, summum sacerdotem ab omni prorsùs funere abesse Deus voluit, nec patris etiam vel matris exequiis interesse, vel eos more populari lugere. S. Cyrillum eâ de re disserentem audiamus. « Maculam quidem, inquit, homini nullam prorsùs mors alterius hominis affert, si veram rationem exquiras, sed mors tamen corporis figura est illius mortis intimæ, cùm animæ intereunt ; quâ inquinari eum necesse est, qui vel voluntatis conjunctione, vel factorum similitudine propinquus fuerit. A mortuis enim operibus abscedere, et quàm longissimè disjunctos esse sanctorum hominum dignitas postulat : expeditque cum illis minimè congredi qui ejusmodi morbis affecti sunt. Scriptum est enim : *Qui tangit picem inquinabitur*, Ecclesiast. 13, 1. Perfacilè enim aliquid de alterius vitio trahet qui illius conjunctionem vitare noluerit. Dat tamen sanctificatis hominibus licentiam lex, ut in patre ac matre, liberis quoque ac fratribus, et iis qui se proximè contingunt, sine culpâ contaminentur, ad inanima cadavera propius accedentes, in quo naturæ veneratione, criminum eorum, quæ in figurâ erant, minimam rationem habuit, ne qui Dei intimi familiares essent, duri et superbi et inhumani viderentur ; cùm præsertim lex discrètè præcipiat : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut benè sit tibi.* Alio quoque modo ac ratione sanctificatis hominibus interdictum esse luctum diximus : nam quia vitæ sacri administri erant, et ad mortem dissolvendam Deo sacrificia offerebant (mortis namque dissolutio est Christi mors, ovibus ac bobus figurata) qui consequens fuisset ut luctu ex morte suscepto premerentur ?.... Permisit itaque lex ut sanctificati homines ad eos qui summâ cognationis necessitudine cum ipsis juncti essent, mortuos accederent. Sed huic rei modum imponit, neque redundantia officii id violari sinit, quod illos maximè decet, ne augustus ille sacerdotii honos minuatur ; prohibet enim ad aliorum hominum similitudinem tondere caput, et ad oris dedecus barbam radere, et nefaria illa gentilis insaniæ facinora, illæ, inquam, corporis incisiones, ut ne in mentem quidem veniant præcipit. Nam propinquis quidem jungi communione doloris, nihil absurdi est ; sed se prorsùs inhoneste gerere, deforme et non mediocris insaniæ. *Omnia enim*, inquit, *honeste et secundùm ordinem fiant*, 1 Cor. 14. Quin etiam Dei honorem ipsorum quoque parentum obsequio præferendum putare, ipse Salvator jussit his verbis : *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, Matth. 10. »

Et infra, idem S. Cyrillus legem summo sacerdoti circa funera impositam hunc in modum explicat. « Videlicet evidenter ut in figuris adhuc ipsum Emmanuelem etiam Christum, in Aaron appellatum : unctus est enim Spiritu, ut Scripturæ tradunt, cùm ipse perfectissimus esset sacerdos, ob eamque causam sacerdotii gloriam ejusmodi haberet ut amittere nos

« posset. *Neque enim*, inquit, *ponet de capite suo cidarim*, id est, habitum sacerdotalem non amittet : « dictum est namque illi omnium salvatori ac liberatori : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, Ps. 109. *Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes eò quòd morte prohiberentur permanere ; hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium : unde et salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum*, Hebr. 7. Ita enim « scripsit beatus Paulus. Igitur hoc ipsum quòd cidaris « non ponebatur de capite, sacerdotii dignitatem nunquàm ab eo removendam significat. Sed ne vestes « quidem scindet, inquit : hoc quibusdam in mortuis « facere moris est, id verò à Christo prorsùs alienum; « neque enim ullum ex morte dolorem pati vita potest; nihil enim prorsùs illi mortuum est, sed ipsa « est mortis dissolutio et interitûs eversio. Itaque ipse « quondam Salvator objurgavit eos qui Archisynagogi « puellam deflebant. *Recedite*, inquit, *ne flete; non est enim mortua puella, sed dormit*, Matth. 9; Luc. 8. « Erat enim absurdum profectò lacrymas pro mortuâ « puellâ profundere, cùm adesset omnium vita, Christus nempe. Quod si super Lazaro deflevit, ex benevolentiâ id factum dicimus, et divinæ fuisse benignitatis in nostris malis commiserationem : ipsius « enim naturæ mortis tyrannide violatæ misericordia « permovebatur, suisque lacrymis eadem ab illâ æruminâ liberabatur..... Nullo verò modo esse in « Christo profani aliquid obliquè significatur, in eo « quod dicitur recedendum esse summo sacerdoti à « funere, neque eum ad ullum omninò mortuum accedere debere, posthabendamque hâc in parte illam « in patrem et matrem ac fratres observantiam. Vide « autem quàm prudens fuerit ipsa lex, quàmque aptum « his sententiis decorum minimè parvipenderit : in « aliis enim sacerdotibus, naturæ verecundia commovebatur, permittebatque sanctificatis sacerdotibus in « mortuis qui summâ ipsis propinquitate atque cognatione juncti essent, sine ullâ criminis notâ consuetudinem sequi; et ne quid in umbrâ peccati admitteretur, « non valdè laborabat : eæ namque culpæ describebantur quæ ad nos spectarent, figuraque illa ad homines « pertinebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit « adjunctum : *In multis enim delinquimus omnes*, Jacob 3. Naturaque ipsa in nobis delinquendi morbo « laborat. At verò in summo sacerdote, id est, Christo « servata est, etiam in ipsâ figurâ, pura integraque « majestas, et illa in umbris ipsis quoque sinceritas, « ut ne pulchritudo veritatis tanquàm violata corrumperetur; alienus est enim ab impuritate Christus, et « peccati prorsùs ignarus, et ab omni contaminatione « remotus, imò verò splendoris atque puritatis cognitor, et in summâ sanctificatione positus. »

Spiritualem rationem legum illarum, de quibus agimus, affert etiam S. Thomas loco laudato : « Spiritualis, « inquit, ratio horum est : quia sacerdotes omninò « debent esse immunes ab operibus mortuis, quæ sunt « opera peccati. Et etiam non debent radere caput, id « est, deponere sapientiam; neque deponere barbam, « id est, sapientiæ perfectionem : neque etiam scindere « vestimenta, aut incidere carnes, ut scilicet vitium « schismatis non incurrant. »

Observantia illa ad gentes manavit. Sacerdos Cretensis apud Euripidem ritus suos describens ait : *Non attinges funereas res*. De sacerdotibus Ægyptiis Porphyrius, lib. 2 de Abstinentiâ, scribit : « Tum qui ibi « sunt sacerdotes et aruspices præcipiunt eis abstinere « à sepulcris et hominibus profanis, et à Venere et « ab omni conspectu fœdo ac funebri. » Sic flamen Dialis locum in quo bustum esset nunquàm ingrediebatur, mortuum nunquàm attingebat, ut refert A. Gellius, libro 10, cap. 15. *Moris Romani fuerat*, ut observat Servius ad 3 Æneidos, *ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus*. Testis est Tacitus, lib. 1 Annalium, *neque imperatorem auguratu et vetustissimis cæremoniis prœditum, attrectare feralia debuisse*.

### § II. *De observantiis populum universum spectantibus, et primò de ciborum discrimine.*

Observantiæ populum universum spectantes, aliæ ciborum discrimen ac delectum; aliæ utriusque sexûs apparatum, aliæ heterogeneorum commixtionem vel conjunctionem, sive in seminibus, sive in animalibus, sive in vestibus spectabant.

Lex de animalium discrimine et ciborum delectu lata est Levit. 11. *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis. Quicquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis... Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari, quàm in fluminibus et stagnis, comedetis. Quicquid autem pinnulas et squamas non habet eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis execrandumque erit, carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitis*, etc. Varias istius observantiæ rationes auctores ecclesiastici proferunt. Quidam Deum hoc ciborum discrimen statuisse volunt, ut populi sui valetudini prospiceret, dùm animalia ex rebus immundis nutrita, ut porcum, vel fœtida, ut talpas et mures, aliaque sub terrâ degentia; aut venenosa, ut stellionem, lacertam crocodilum, aut succum insalubrem præbentia, ob nimiam abundantiam humoris, vel siccitatis, ab illis attingi prohibuit. Si vetita sunt eis animalia ungulam continuam, non scissam habentia, ob terrenas quæ in iis abundant qualitates : et carnes animalium habentium multas fissuras in pedibus, ob redundantiam bilis et adustionem : ob hanc rationem, leonis, et similium, atque etiam avium quarumdam rapacium carnibus, Judæis interdictum est. Ob nimium verò humorem aves quædam aquaticæ, necnon pisces pinnulis et squamis destituti, ut anguillæ, et aliquæ hujusmodi, ipsis vetiti sunt. Animalia autem ruminantia, et ungulam findentia, munda et esui apta Deus pronuntiavit, necnon pisces pinnulis et squamis instructos, ob qualitatum temperiem, quæ succum efficit humano corpori salubrem et amicum. Hanc ratio-

nem calculo suo approbat S. Thomas primâ secundæ, quæstione 102, art. 6 ad primum. Ipsi præivit Anastasius Sinaita, quæstione 26. « Deus quidem, inquit, « fecit omnia valdè bona : at si ab hominum avaritiâ « et intemperantiâ assumantur ad id, ad quod non « sunt condita, jam non sunt bona : cùm enim diù « post promiscuè ad omnem esum ruerent, et cupidi- « tatem vescendi eo quod noxium erat, accenderent, « necessariò induxit Dei providentia mundorum et im- « mundorum discrimen. Nonnulla enim ex animanti- « bus terrestribus et aquatilibus, quæ copiosius habent « virus, omninò prohibuit. »

Alii Deum optimum maximum animalium et ciborum discrimen instituisse censent, « in detestationem ido- « lolatriæ : nam gentiles, et præcipuè Ægyptii, inter « quos Israelitæ erant nutriti, hujusmodi animalia « prohibita idolis immolabant, vel eis ad maleficia « utebantur. Animalia verò quæ eis sunt concessa ad « esum non comedebant, sed ea tanquàm Deos cole- « bant; vel propter aliam causam ab eis abstinebant. » Altera ratio est S. Thomæ loco supra laudato, ab antiquis Patribus accepta. Ita quippe Origenes, lib. 4 contra Celsum : « Unde hoc quoque, si quid aliud in « Mose admiratione dignum existimo, quòd conside- « ratis animalium differentiis, sive divinitùs doctus « quid cognationis cum quibus dæmonibus habeant « singula animalia, sive suâpte sapientiâ pervestigatis « eorum ordinibus, omnia pronuntiavit impura, è « quibus præsagia sumunt Ægyptii cæterique homines; « reliqua verò, quæ non sunt hujus generis, pura ferè « omnia : et in ordine impurorum censentur apud eum « lupus, vulpes, draco, aecipiter, aquila, et his similia. »

Ita Theodoretus, quæstione in Leviticum : « Nec « ignoramus alia multa pro Diis habuisse Ægyptios, « sed ex iis quæ pro Diis colebant, mansuetoria sa- « crificiis addixisse; reliqua verò appellavit immunda, « ut hæc quidem execrati tanquàm impura, in Deorum « numero non ponerent : illa verò ut quæ ipsi sacrifi- « carent, pro Diis non haberent, sed eum solum ado- « rarent, cui convenit hæc offerri. » Et quæst. 11 : « Cæterùm dùm animalia terrena, volatilia atque aqua- « tilia, bifariam partitus est, munda quædam et alia « nominans immunda suadet nobis ne quicquam horum « esse Deum putemus. Quo enim modo sanæ quisquam « mentis Deum nuncupàrit id quod aut tanquàm im- « mundum odio aversatur, aut quod verè Deo oblatum « tandem ipse comedit? »

Ita S. Basilius Seleucensis, oratione 6 : « Olim He- « bræi Ægypto relictà idololatriæ graveolentiam usque « adeò ferebant, ut debitum Dei cultum brutorum ve- « neratione commacularent. Nam apud Ægyptios su- « perstitionis insanitas pro lege obtinuit. Si quidem « apud ipsos Ibis Deus lege statuitur, et canis, et cum « istis crocodilus ad sacrificium offertur, et ovis ado- « ratur. Neque Hebræorum gens ab hâc ægritudine « deduci potuit; ipsa solitudo ægritudinem notificavit. « Vitulum enim, quod et in Ægypto factum, in de- « serto loco adorabant, et mare ipsorum gratiâ præter « naturam scindebatur, cùm interim populus ab impie- « tate non rescinderetur; sed morum progressu trans- « fugiebat in Ægyptum : hìc sapientissimè Deus me- « dicamentorum obicem opposuit malo, et brutorum « animalium naturam discernens edictis, quædam vo- « cavit munda, quædam appellavit immunda : ut hæc « tanquàm impura abominati, illa velut munda exe- « dentes, utrâque superstitione abstinerent, eva- « deretque legis edictum animæ medicamentum. Fert- « que Deus creaturarum injuriam nomine tenùs, ut « hominum morbum sanet, ut impediat idololatriam, « quæ usque ad animalia progreditur; et immundorum « nomenclationem fert in creaturis, ut purum ab im- « pietate custodiat hominum propositum. Hujusmodi « igitur distinctionis causa opinione recepta est. Ita- « que propterea quod mundum editur facilè evilescit; « et quod immundum lege dicitur appellatio venera- « tione spoliat. »

Aliis visum est illud ciborum discrimen à Deo institutum, ut Israelitarum intemperantiam coerceret, ac eos quibusdam abstinentiæ et temperantiæ rudimentis informaret. Ita Tertull. lib. 2 contra Marcionem, cap. 18. « Et si lex, inquit, aliquid cibis detra- « hit, immunda pronuntiat animalia quæ aliquandò « benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ « intellige, et frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ « cùm panem ederet angelorum, cucumeres et pe- « pones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul et « comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ pro- « spectum, quæ ferè ventri castigatione frigescunt. « Manducaverat enim populus, et biberat, et surrexe- « rat ludere. Proinde ut et pecuniæ ardor restinguere- « tur ex parte quâ de victûs necessitate causatur, « pretiosorum ciborum ambitio detracta est postremò, « ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, « paucis et non gloriosis escis assuefactus, et nihil de « lautioribus esuriturus. »

Ita Novitianus, epist. de Cibis Judaicis, cap. 4 : « Accesserunt, inquit, et aliæ causæ, quibus multa « à Judæis ciborum genera tollerentur : quod ut fie- « ret, immunda multa sunt dicta, non ut illa damna- « rentur, sed ut isti coercerentur servituri uni Deo, « quia ad hoc assumptos frugalitas decebat, et gulæ « temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse « vicina, imò, ut ita dixerim, consanguinea potiùs at- « que cognata : sanctitati enim inimica luxuria est.... « Ad coercendam ergo intemperantiam populi, reme- « dia sunt ista quæsita, ut quantùm luxuria deme- « retur, tantùm bonis moribus adderetur. Nam quid « aliud merebantur, quàm ut ne omnibus escarum « voluptatibus uterentur, qui divinis Mannæ epulis « vilissimos Ægyptiorum cibos præferre ausi sunt, « carnes jurulentas inimicorum atque dominorum ante « libertatem ponentes, digni sanè quos optata servitus « saginaret, quibus malè displicuerit et melior et liber « cibus? »

Ita S. Thomas loco supra laudato : « Tertia ratio « est, inquit, ad tollendam nimiam diligentiam circa « cibaria; et ideò conceduntur illa animalia, quæ de « facili et in promptu haberi possunt. »

Alii Deum ciborum discrimen instituisse docent, ut etiam inter edendum, et bibendum Israelitæ Dei meminissent, adeòque nunquàm ex eorum animis Dei notio et memoria excideret. Ita S. Justinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem, sic in illius personâ Judæos alloquens : « Quin et à cibis quibusdam ut vos « abstineretis, vobis mandavit, ut etiam inter eden- « dum et bibendum vobis ob oculos versaretur Deus « promptis admodùm et proclivibus ad deficiendum à « notione ejus. »

Alii Deum ciborum et animalium discrimen instituisse censent, et animalia quædam immunditiæ nomine à Judæorum mensis removisse, ut illa observantia indicaret ipsos gentem esse sanctam, Deoque sancto in peculium separatam, utque à profanis gentibus discernerentur, iisque nec sanguine, nec religione, nec usu familiari jungerentur. Ratio est ipsis Scripturæ Sacræ verbis petita, Levitici 11, 43, 44, 45 : *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terrâ Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Levit. 20, 24, 25, 26 : *Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos à cæteris populis. Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immundâ. Ne polluatis animas vestras in pecore, et avibus, et cunctis quæ moventur in terrâ, et quæ vobis ostendi esse polluta. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mihi.* Et Deuteron. 14, 2, 3, 20, 21 : *Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo ; et te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram : ne comedatis quæ immunda sunt... Omne quod mundum est comedite. Quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es.* Id ex Aristeâ confirmatur : « Cernis, « inquit, quid possint, et efficiant conversatio et con- « suetudo, quod homines ex conversatione improborum « depraventur, et fiant miseri per totam vitam... Hoc « diligenter contemplatus, utpotè sapiens legislator « noster, ne per illius impietatis communicationem « inficeremur, neve conversatione improborum depra- « varemur, circumsepsit nos legali sanctitate et puri- « tate cibi, potûs, tactûs, auditûs et visûs. »

Alii discriminis ciborum à Deo instituti rationes typicas, symbolicas, allegoricas reddunt, asseruntque Deum animalia quædam impura pronuntiâsse, et Judæorum mensis admoveri prohibuisse, ut certis animalium vetitorum generibus, quasi figuris, certa hominum vitia notarentur. Ita auctor epistolæ S. Barnabæ adscriptæ. « Ergo, inquit, non est mandatum Dei « ne manducent, sed Moses in figurâ locutus est illis. « Porcinam ergo ad hoc dixit : non eris conjunctus « hominibus talibus, qui cùm luxuriant obliviscuntur « Dominum suum. Porcus enim cùm manducat, Do- « minum non novit, cùm esurit, tunc clamat, et cùm « accepit, iterùm tacet. *Nec manducabis*, inquit, *aquilam, aut accipitrem, aut corvum.* Hoc dicit : Non ad- « junges te, nec similabis talibus hominibus, qui ne- « sciunt per laborem et sudorem sibi acquirere escam, « sed rapiunt alienam per suam iniquitatem, et obser- « vant quasi in simplicitate ambulantes quæ dispolient; « sic aves istæ solæ sibi non acquirentes escam, sed « pigræ sedentes quærunt quomodò alienas carnes de- « vorent, cùm sint pestilentiosæ per suam nequitiam. « *Non manducabis*, inquit, *murænam, nec polypum,* « *nec sepiam.* Non, inquit, similabis adhærens talibus « hominibus, qui in perpetuo impii, et judicati sunt « jam mortui. Hi enim pisces soli maledicti sunt, nor « natantes sicut reliqui, sed in imâ altitudinis terrâ in- « habitant, etc. »

Ita Origenes, homiliâ 7 in Leviticum : « Agnoscite, « inquit, quia figuræ sunt, quæ in divinis voluminibus « scripta sunt : et ideò tanquàm spirituales, et non « tanquàm carnales examinate. Omnis homo habet in « se aliquem cibum, ex quo qui sumpserit, siquidem « bonus est, et de bono thesauro cordis sui profert « bona, mundum cibum præbet proximo suo. Si verò « malus, et profert mala, immundum cibum præbet « proximo suo. Potest enim quis innocens et rectus « corde mundum animal ovis videri, et præbere au- « dienti se cibum mundum tanquàm ovis, quæ est ani- « mal mundum. Similiter et in cæteris. Et ideò omnis « homo, cùm loquitur proximo suo, et sive prodest ei « sermonibus suis, sive nocet, et mundum ei aut im- « mundum efficitur animal, ex quibus vel mundis uten- « dum, vel immundis præcipitur abstinendum. Si se- « cundùm hanc intelligentiam dicamus Deum omnipo- « tentem leges hominibus promulgâsse, puto quòd digna « videbitur divinâ majestate legislatio. Si verò adsi- « deamus litteræ, et secundùm hoc quod vel Judæis, « vel quod vulgo videtur, accipiamus quâ in lege scri- « pta sunt, erubesco dicere et confiteri, quia tales le- « ges dederit Deus... Decernit ergo ne manducentur « hujusmodi animalia quæ ex parte videntur esse « munda, et ex parte immunda ; sicut camelus, ex « eo quòd ruminat, mundus videtur, ex eo autem quòd « ungulas divisas non habet immundus dicitur. Post « hæc jam nominat leporem et herinacium ; sed et « ipsos dicit ruminare quidem, sed ungulas non divi- « dere. Alium verò ordinem facit eorum qui è contra- « rio ungulam quidem dividunt, sed non ruminant. « Primùm ergo videamus qui sunt isti qui ruminant « et ungulam dividunt, quos mundos appellat. Ego « arbitror illum dici ruminare, qui operam dat scien- « tiæ, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Sed « audi quomodò dictum est : *qui dividit ungulam, et* « *revocat ruminationem.* Revocat ergo ruminationem « qui ea quæ secundùm litteram legit, revocat ad sen- « sum spiritalem, et ab infimis et visibilibus ad invisi- « bilia et altiora conscendit. Sed si mediteris legem « divinam et ea quæ legis ad spiritalem intelligentiam « revoces, vita autem tua et actus tui non sint tales « ut habeant discretionem vitæ præsentis et futuræ, si « non ista competenti ratione discernas et dividas, ea-

« melus es tortuosus, qui cùm intellectum acceperis « ex meditatione legis divinæ, non dividis neque se- « gregas præsentia et futura, nec angustam viam à « viâ spatiosâ secernis... Hæc quidem generaliter « dicta sunt de animalibus. Illa verò quæ in aquis « sunt, quia dicuntur, siquidem habeant pinnas et « squamas, munda esse; si non verò habeant, im- « munda, nec edi debere; illud in his ostenditur, ut « si quis est in aquis istis, et in mari vitæ hujus, at- « que in fluctibus seculi positus, tamen debeat satis « agere, ut non in profundis jaceat aquarum, sicut « sunt pisces qui dicuntur non habere pinnas neque « squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, ut « in imis semper et circa ipsum cœnum demorentur, « sicut sunt anguillæ, et his similia quæ non possunt « ascendere ad aquæ summitatem, neque ad ejus su- « periora pervenire. Illi verò pisces, qui pinnulis ju- « vantur, ac squamis muniuntur, ascendunt magis ad « superiora, et aeri huic viciniores fiunt, velut qui li- « bertatem spiritûs quærant. Talis est ergo sanctus « quisque quia intra retia fidei conclusus, bonus pis- « cis à Salvatore nominatur : qui etiam mittitur in « vas, veluti pinnas habens, et squamas. Nisi enim « habuisset pinnas, non resurrexisset de cœno incre- « dulitatis, nec ad rete fidei pervenisset, nisi pinnis « adjutus ad superiora venisset. Quid est autem quòd « et squamas habere dicitur? Tanquàm qui paratus « sit vetera indumenta deponere. Hi enim qui squa- « mas non habent, velut ex integro carnei sunt et toti « carnales qui deponere nihil possunt. Si quis ergo « habet pinnas, quibus ad superiora nitatur, mundus « est. Qui verò non habet pinnas, sed in inferioribus « permanet, et in cœno semper versatur, immundus « est. Similiter autem de avibus : *Non manducabis*, in- « quit, *hæc, quia immunda sunt, aquilam, et vulturem*, « et cætera his similia. His etenim avibus semper mor- « tuorum corporum cibus est, et ex mortuis cadave- « ribus vivunt. Omnes ergo, qui hujusmodi vitam ge- « runt, immundi habendi sunt. Ego puto, et illos in « his nominari qui alienis incubant mortibus, et arte « quâdam vel fraude testamenta subjiciunt. Hujusmo- « di enim homines vultures et aquilæ meritò appel- « lantur, velut mortuorum cadaveribus inhiantes.

Ita Novationus, epistolâ de Cibis Judaicis, cap. 3 : « Quando irrationale animal ob aliquid rejicitur, ma- « gis illud ipsum in eo, qui rationalis est, homine « damnatur. Et si in eo, quòd ex naturâ aliquid habet « quasi inquinamentum, notatur, plus culpabile, cùm « illud contra naturam in hominem conqueritur. Ergo « ut homines damnarentur, pecora culpata sunt, sci- « licet, ut et homines qui eadem vitia haberent, æqua- « les pecoribus æstimarentur. Quo pacto factum est, « ut nec animalia damnarentur ab institutore suî cul- « pâ, et homines in pecoribus eruditi ad immaculatam « institutionis suæ possent redire naturam. Conside- « randum enim quomodò lex munda, et non munda « discernit : munda, inquit, et ruminant, et ungulam « findunt; immunda neutrum faciunt, aut ex duobus « unum aliquid; Omnia ista unus artifex fecit, et qui « fecit, ipse benedixit. Institutionem igitur mundam « utriusque conspicio, quia et qui instituit, sanctus « est, et quæ instituta sunt, culpam non habent, dùm « hoc sunt quod facta sunt. Crimen enim nunquàm « natura, sed voluntas perversa excipere consuevit. « Quid ergo est? In animalibus mores depinguntur « humani, et actus, et voluntates : mundi si rumi- « nent, id est, in ore semper habeant quasi cibum « præcepta divina : ungulam findunt, si firmo gradu « innocentiæ, justitiæ, omnisque virtutis vitæ itinera « conficiant. Eorum enim quæ in duas ungulas pedem « dividunt, robustus semper incessus. Sic qui neutrum « faciunt, immundi sunt : quorum nec in virtutibus « firmus incessus est, nec divinorum præceptorum in « ore ullius ruminationis teritur cibus. Nam et qui al- « terum faciunt, nec ipsi mundi, dùm sunt ex altero « debiles, nec in utroque perfecti. Ili autem sunt aut « utrumque facientes, ut fideles qui mundi; aut alte- « rum, ut Judæi, et Hæretici, qui sunt inquinati; aut « neutrum, ut Ethnici, qui sunt consequenter im- « mundi. Ita in animalibus per legem quasi quoddam « humanæ vitæ speculum constitutum est, in quo ima- « gines sanctionum considerent, ut plus vitiosa quæ- « que hominibus contra naturam commissa damnen- « tur, dùm etiam naturaliter in pecoribus constituta « culpantur. Nam quòd in piscibus squamis aspera « pro mundis habentur, asperi, et hispidi, et firmi, « et graves mores hominum probantur. Quæ autem « sine his sunt, immunda, quia leves, et lubrici, et « infidi, et effeminati mores improbantur. Quid enim « vult sibi lex, cùm dicit : Camelum non manducabitis, « nisi quoniam de exemplo animalis vitam damnat « enervem et criminis tortuosam? Aut cùm suem « cibo prohibet assumi, reprehendit utique cœnosam, « et luteam, et gaudentem vitiorum sordibus vitam, « bonum suum non in animi generositate, sed in solâ « carne ponentem : aut cùm leporem, accusat refor- « matos in feminam viros. Quis autem mustelæ cor- « pus cibum faciat? Sed furta reprehendit. Quis la- « certam? Sed odit vitæ infidam varietatem. Quis « stellionem? Sed maculas execratur, prædam de « alienâ morte quærentes. Aut quis corvum? Sed ver- « sutas execratur voluntates. Passerem quoque cùm « interdicit, intemperantiam coarguit : quando no- « ctuam, odit lucifugas veritatis : quando cycnum, « cervicis altè superbos : quando caradrium, garru « lam nimis linguæ intemperantiam : quando vesper « tilionem, quærentes tenebras noctis simul et erro- « ris. Hæc ergo et his patria lex in animalibus exe- « cratur, quæ in illis quidem non criminosa, quia in hoc « nata sunt, in homine culpata, quia contra naturam, « non ex institutione, sed ex errore quæsita sunt. »

Ita S. Augustinus, lib. 6 contra Faustum, cap. 7 : « Testamento veteri, inquit, ubi quidam cibi carna- « lium prohibentur, cur non sit contraria ista senten- « tia, quâ dicit Apostolus : *Omnia munda mundis : et* « *omnis creatura Dei bona est*, 1 Timoth. 4. Si pos- « sunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse na- « turis : illas autem litteras propter quasdam præfi-

« gurationes tempori congruentes, animalia quædam « non naturâ, sed significatione immunda dixisse. Ita, « quod verbi gratiâ, si de porco et agno requiratur, « utrumque naturâ mundum est, quia omnis creatura « Dei bona est : quâdam verò significatione agnus « mundus, porcus immundus est : tanquàm si stul- « tum et sapientem diceres, utrumque hoc verbum « naturâ vocis, et litterarum, et syllabarum, quibus « constat, utique mundum est. Significatione autem « unum horum verbum, quo dicitur stultus, immun- « dum dici potest, non naturâ suî, sed quoniam quid- « dam immundum significat : et fortassè quod est in « rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stul- « tus ; et tam illud animal, quàm istæ duæ syllabæ, « quòd dicitur stultus, quiddam unum idemque signifi- « cat. Immundum quippe illud animal in lege positum « est, eò quòd non ruminet : non autem hoc ejus vi- « tium, sed natura est. Sunt autem homines qui per « hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non « naturâ : qui cùm libenter audiant verba sapientiæ, « postea de his omninò non cogitant. Quod enim utile « audieris, velut ab intestino memoriæ tanquàm ad os « cogitationis recordandi dulcedine revocare, quid est « aliud quàm spiritaliter quodammodò ruminare? Quod « qui non faciunt, illorum animalium genere figuran- « tur. Unde et ipsa à talibus carnibus abstinentia tale « vitium nos cavere prænonuit. Cùm enim thesaurus « desiderabilis sit ipsa sapientia, de hâc mundità ru- « minandi, et immunditiâ non ruminandi alio loco « scriptum est : *Thesaurus desiderabilis requiescit in « ore sapientis ; vir autem stultus glutit illum*, Proverb. « 21. Hæ autem similitudines rerum, propter quæ- « rendi et comparandi exercitationem, rationales « mentes utiliter et suaviter movent. Sed priori po- « pulo multa talia non tantùm audienda, verùm etiam « observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quòd « non tantùm dictis, sed etiam factis prophetari opor- « teret ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda. »

Ita S. Cyrillus, lib. de Adoratione in Spiritu et Veritate 14, pag. 498, 499, 500 : « Non obscurum est quin « lex nihil profanum ducat, omnia verò munda mun- « dis esse intelligat ; sed naturalem cujusque anima- « tis proprietatem cum morum humanorum qualitati- « bus conferendo, non mediocrem utilitatem affert : « esse autem id, quod dixi, verum et exploratum ex « his rursùs intelliges. Nam quæ apud omnes impro- « bantur, ea respuere et execrari perspicuè jussit, ca- « melum dico, et chœrogrillum, nycticoracem, et ca- « tarrhactem, et stellionem, et mustellam, et alia fœ- « diora. Igitur ad morum qualitatem aptè transferenda « sunt, quæ nonnullis animantibus rationis expertibus « secundùm naturam insunt, cùm ea singula in seipsis « depingant certorum hominum mores, et in quibus « vitiis versentur, designet..... Pergamus igitur ad le- « gis propositum. Justitiæ, et in universum omnis « probitatis laudes existunt illæ quidem ex cujusque « voluntate et arbitrio ; sed duplici ratione perficiun- « tur. Aut enim in nos ipsos aliquod boni facimus ; « verbi gratiâ, cùm voluptates præcidimus turpes illas « ac vitiosas, cùm mortificamus membra quæ sunt « super terram, cùm animum ad mansuetudinem com- « ponimus, cùm paupertatem in spiritu sectamur ; « cùm puram liquidamque mentem, quoad fieri potest, « habemus. Aut præclara virtutis studia in fratres « conferimus, cùm iis qui spontè nos offenderint cle- « mentiam ultrò exhibemus ; cùm laborantibus opem « ferimus ; cùm mœrentes consolamur ; cùm errantes « ex imperitiâ ad rectum iter transferimus, cùm indi- « gentibus necessaria suppeditamus ; eaque omnia « quæ Deo grata sunt efficere summo studio contendi- « mus. An non igitur duplex est justitiæ ratio, cùm vel « in nos ipsos, vel etiam in alios exercetur ? Ejusmodi « ergo justitiæ distributionem ungulæ dissectæ, id est, « pedi in duos ungues diviso, semper ferè lex compa- « rat ; pes enim semper incessus illius, quo ad effi- « ciendum ciemur atque movemur, signum ac nota « est..... Si quis ergo rectè atque sapienter in utram- « que partem incedere nôrit, ita ut se et alios morum « suorum qualitate juvare possit, ad hæc sapiens et « prudentiâ summâ sit præditus, et verba, quæ de Deo « dicuntur, in cor tanquàm in habitaculum quoddam « atque domicilium recipiat, ac sursùm deorsùm sem- « per quodammodò volutet in se ipso divinorum do- « gmatum cogitationes ; et notiones eas quas tam ac- « curatè perceperit, crebrâ prudentique inquisitione « tanquàm cibum communiat, animanti ruminanti per- « similis erit. » Prolixiorem S. Cyrilli locum inte- grum non describo ; ipsum adeat studiosus lector, consulatque ejusdem librum 9 contra Julianum, pag. 315, 316, 317, 318.

Ita Theodoretus, quæstione 11 in Leviticum : « Ar- « bitror, inquit, ungulæ divisionem significare bona- « rum actionum, et contrariarum discretionem : præ- « terea vivendum esse non tantùm præsenti vitæ, sed « etiam futuræ ; et illi quidem attribuenda quæ sunt « necessaria : huic autem omnia, id est, et animam, « et corpus, et quæ spectant ad corpus. Ruminans au- « tem divinorum eloquiorum meditationem designat. « Quemadmodùm enim ovis et similia cibum assiduè « ruminant, sic impiger, et qui Deum diligit, ad Deum « universorum clamat : *Quomodò dilexi legem tuam, « Domine? Totâ die meditatio mea est.* Sicut enim ani- « malia quædam, et ungulas divisas habent, et cibum « repetunt : quædam neutrum horum agunt, velut « asinus, mulus, equus et feræ : alia bisulca quidem « sunt, ac non ruminant, veluti sus ; nonnulla ruminant « quidem, sed non dividunt ungulam, ut camelus et « lepus : sic inter homines quosdam reperire licet « perfectos, qui et divinorum eloquiorum meditatio- « nem amplectuntur et virtutem colunt diligenter : « quosdam autem imperfectos, qui divina quidem elo- « quia voce tenùs pronuntiant, sed cameli more ungu- « lam dividere nequeant ; nonnullos etiam pietati non- « dùm initiatos, qui eloquia divina non attigerunt, bo- « norum tamen operum sunt studiosi ; alios denique, « qui tum fidei, tum operationis bonorum sunt prorsùs « expertes. Porrò aquatilium illa vocat munda, quæ « squamis et pinnis prædita sunt ; hæc enim aquis super-

« natant ; quæ verò non sunt ejusmodi, deorsùm et in « luto volutantur. Mundi sunt igitur in rationis compo- « tibus, qui animum ad terrena non affigunt, sed pennis « tidei præditi, clypeo virtutis muniuntur. Quod enim « piscibus est squama, hoc hominibus est fides. His « nos circumtegit beatus Paulus, pennas gratiæ, et « arma Spiritûs appellans. De volucribus autem illas « asserit esse immundas, quæ sunt rapaces, quæve « cadaveribus et quæ tenebris gaudent, docent nos « abstinere ab avaritiâ, putidumque peccati cibum « adversari, et tenebras odio prosequi. Quod hæc au- « tem non abs re sic intellexerimus, Actorum testificatur « historia. *Vidit enim* inquit, *B. Petrus sindonem qua- « tuor initiis demissam : in quâ erant omnia quadrupedia « terræ, et volatilia. Audivitque vocem dicentem : Surge, « Petre, occide, et manduca. Deinde cùm ille dixisset : « Nequaquàm Domine, quia nihil unquàm comedi quod « esset commune aut immundum, ait : Dominus Deus « quæ purificavit, ne communia dixeris.* At hæc dicta « esse gratiâ Cornelii, qui, cùm esset gentilis, salvari « cupiebat, subsequentia demonstrant. Dominus quo- « que dixit Apostolis : *Multi venient ad vos in vestimentis « ovium, intùs autem sunt lupi rapaces*, Matth., 7 15 ; et « Judæis : *Genimina viperarum*, Matth. 23, 33. Et Apo- « stolus ad Philipp. 3 : *Videte canes ;* Presbyteris « etiam Ephesiorum, Actor. 20 : *Scio quòd post dis- « cessum meum ingredientur ad vos lupi graves non par- « centes gregi.* Et prophetæ item quosdam equos fu- « rentes in feminas nominant ; alios verò serpentes, « et genimina aspidum volantium : rursùm Dominus, « Matth. 13, 47 : *Simile est regnum cœlorum sagenæ « missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.* « Item, ibid. 24, 28 : *Ubi cadaver, ibi congregabuntur « et aquilæ.* Quare consonat interpretatio sententiæ « Scripturæ divinæ. »

Ita reliqui Patres et auctores ecclesiastici qui hoc argumentum tractârunt, et inter alios S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 102, articulo 6, in Responsione ad Primum.

Ciborum discrimen apud Ægyptios aliasque gentes Ethnicas invexit superstitio. Ægyptii teste Plutarco *in Iside suem à sacris alienum sentiebant.* Iidem boves *feminas recusabant, à turture abstinebant*, ut refert Porphyrius, lib. 4 de Abstinentiâ, et à certo genere piscium *lepidoto* nimirùm, et *anguillâ*, ut refert Herodotus, lib. 2, cap. 72. Ægyptii sacerdotes, referente Chæremone, apud eumdem Porphyrium, *piscibus omnibus abstinebant, et quadrupedibus quotquot solidas aut multifidas haberent ungulas, aut cornutæ non essent, et volucribus omnibus quæ carnes devorarent.* Notum illud Juvenalis :

. . . . *Lanatis animalibus abstinet omnis*
*Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.*

Non solùm apud Ægyptios, aut Syros, sed et Græcos, à piscibus abstinere, *puritatis pars haud postrema censebatur*, teste Plutarco Symposiacon 8, quæstione 8. *Deæ Syriæ sacerdotes*, Luciano teste, *sues solos pro sceleratis habentes, neque sacrificabant, neque manducabant.* Veteres Britanni. *levorem, et gallinam, et anserum gustare fas non putabant*, teste Julio Cæsare, lib. 5 de Bello Gallico. Pythagoram præcepisse *à bove aratore et ariete abstinere*, tradit Aristoxenus apud Diogenem Laertium. Ut Dei suprema auctoritas animalium, et ciborum discrimen ob eas quas diximus rationes à Judæis lege latâ observari jussit, ita diaboli æmulatio discrimen illud apud gentes profanas invexit. Apud Hebræos hujusmodi observantia religio fuit : apud Ethnicos superstitio. Apud Hebræos notæ singulares fuêre, quibus ex Dei instituto animalia munda ab immundis discernerentur, scilicet ruminatio et ungulæ divisio : apud Ethnicos norma hæc discretionis animalium mundorum ab immundis non fuit : quamvis enim Ægyptii sacerdotes ad quadrupedum ungulas et cornua respectum habuerint, nullam tamen ruminationis rationem habuerunt. Ethnici quidam à piscibus omnibus abstinuêre. Judæi ab iis solis quibus pinnas et squamas natura denegavit.

Porcum inter animalia immunda maximè execrabantur Judæi. Hinc illud Juvenalis de Judæâ loquentis :

*Observant ubi festa mero pede sabbata reges,*
*Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

Et alterum illud de Judæis :

*Nec distare putant humanâ carne suillam.*

Porcum Judæis maximè invisum esse persuasum habebat Antiochus, qui hoc animali, tanquàm odii et tyrannidis suæ in Judæos intrumento, usus est, ipsos cogens porcos immolare, aut carnes porcinas edere, et carnificinas atrocissimas in eos exercens, qui hujusmodi victimis ac cibis polluere sese recusarent, ut constat ex lib. 1 Machabæorum 1, 50, et 2 Machabæorum, cap. 6 et 7, et ex Josepho, lib. 1 de Bello Judaico, cap. 1. Abstinentiæ Judæorum à carne suillâ ratio Ethnicis scriptoribus ignota fuit. Plutarchus, libro 4 Symposiacon, quæstionem proponit, *utrùm suem colentes Judæi, aut potiùs aversati, carne ejus abstineant ?* Convivarum alius opinatur porcum in honore apud Judæos esse, ideòque ab ejus esu illos abstinuisse. Hujus autem honoris suibus, ut putat, habiti rationem ex eo repetit quòd *prima sus rostro terram findens, vestigium arationis impressisse, ac vomeris opus summonstrâsse* credatur. Unde etiam *Ægyptii, qui cavam et mollem incolunt regionem*, inquit Plutarchus, *omninò etiam aratri usum non admittunt. Sed postquàm Nilus eluvie suâ solum rigavit, eum subsequentes sues in agros depellunt : eâ verò calcandâ ac fodiendâ tellure celeriter eam altè subvertunt, semenque acculunt.* Addit *Judæos, si abominarentur porcum, interfecturos eum fuisse. Nunc*, inquit, *tam interficere, quàm edere suem, iis est religio. Et fortassis rationi hoc consentit : sicut asino suus est apud eos honor, qui fontem aquæ eis demonstravit. Ita suem eos revereri, ut sationis et arationis magistram.* Alius Judæos carnem suillam abominari censet, *tum quod abhorreant, à vitiliginibus et leprâ, quas putant esu harum carnium adscisci ; et- enim videmus suems ub ventre plenum esse leprâ, et scabiosis malignè pustulis : quæ sanè existimantur à pravâ corporis affectione, et corruptelâ eorum quæ intùs sunt,*

*in superficiem erumpere* ; tum quòd suis *victus immundus* sit, nullumque animal ita gaudeat *cœno, ac sordidis impurisque locis* ; tum quòd porcorum oculi ita sint *confracti, et humi defixi*, ut nihil eorum unquàm cernant, quæ supernè sunt, neque in cœlum intueantur, nisi supini contra naturam facti, pupillas sursùm obvertant, ideòque animal hoc aliàs clamosissimum, ubi supinum factum fuerit, tacere attonitum insolenti conspectu cœli. Alius Adonidem, qui vel idem cum Baccho, vel Bacchi fuerit amasius, à sue interfectum fuisse ait ; ideòque Judæos, quos Bacchi sacris initiatos calumniatur, suem execrari. Tacitus, Historiæ libro 5, scribit Judæos à suibus abstinuisse *memoriâ cladis, quòd eos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium*. Judæos et Phœnices à suibus temperâsse, quòd omninò in regionibus illis non nascerentur scripsit Porphyrius, libro 1 de Abstinentiâ. At rationis hujus falsitas patet ex eo quòd in vicinâ Gerasenorum regione, ubi et Judæi Græcis mixti habitabant, porcorum greges reperirentur, in quos se mitti dæmones à Christo supplices petierunt, Matthæi 8, 30, 31, 32. Petronius Judæos porcum coluisse putat, ideòque ab illius esu abstinuisse.

*Judæus, licet et porcinum Numen adoret.*

Hæc mera esse figmenta, calumniasque ab hominibus rerum Judaicarum imperitis excogitatas, evidens est. Legem divinam consulenti apparet porcum præ cæteris animalibus immundis vetitum Judæis non fuisse, et ob hanc rationem in immundorum animantium ordine positum, quòd, etsi ungulas fissas habeat, non tamen ruminet, Levitici 7, 8 : *Et sus, qui cùm ungulam dividat, non ruminat. Horum carnibus non vescemini*. Hæc immunditiei nota. Hujus autem animalis impuritate et fœditate hominum ventri ac voluptati servientium, et qui affectibus terram solummodò sapientibus ad faciendam justitiam inutiles se præbent, ingenium ac mores adumbrari censent Patres. Abstinentiam à suillis carnibus Judæis à Deo præceptam, *quia his solis Ægyptii vescebantur, cæteris tanquàm diis abstinentes*, visum est Theodoreto, libro de Curandis Græcorum Affectionibus, sermone 8 de Sacrificiis. At eruditissimum Patrem latuisse aliquâ ex parte videntur mores Ægyptiaci. Ægyptios enim à porco abhorruisse testantur Herodotus, libro 2, cap. 47. « Suem autem, inquit, Ægyptii pollutum « animal esse putant. Et eam si quis vel transeundo « contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis ve- « stibus. » Ælianus, libro 3 Historiæ, capite 16 : *Sus præ voracitate ne propriis quidem fœtibus parcit, et cùm in humanum corpus incidit, non abstinet, sed illud mandit. Proinde hoc animal Ægyptii oderunt ut abominandum et omnivorum.* Plutarchus in Iside : *Suem animal impurum esse æstimant* Ægyptii, *plerùmque enim coire videtur, cùm luna decrescit*. Porcorum odium apud Judæos auctum fuisse post Antiochi persecutionem viri eruditi censent ; tuncque hanc ab ipsis editam constitutionem, quæ in libro Juchasim legitur : *Maledictus quisquis suem aluerit*. Verisimile proinde est, odium illud quo porcum præ cæteris animalibus immundis execrabantur Judæi, ex traditione majorum apud ipsos invaluisse. Hujus autem traditionis ratio esse potuit quòd animal esset in gentilium lustrationibus, sacrificiis, mysteriis magicis, festis et pactis sanciendis maximè usurpatum. De lustrationibus testis est Isaias propheta, cap. 66, 17 : « Qui santificaban- « tur, et mundos se putabant in hortis post januam « intrinsecùs, qui comedebant carnem suillam, et « abominationem, et murem ; simul consumentur, « dicit Dominus. » De mysteriis magicis testis est idem propheta, cap. 65, 3, 4 : « Populus qui ad ira- « cundiam provocat me ante faciem meam semper : « qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres : « qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum « dormiunt : qui comedunt carnem suillam, et jus « profanum in vasis eorum. » De Sacrificiis testis Varro, lib. 2 de Re Rusticâ, cap. 4 : « Sus, inquit, « Græcè dicitur ὗς, olim θύειν... Sus ita dictus ab illo « verbo quod dicitur θύειν, quod est immolare : à « suillo enim pecoris genere immolandi initium sum- « ptum videtur. Cujus vestigia sunt, quòd initiis pa- « cis, fœdus cùm feritur, porcus occiditur ; et quòd « nuptiarum initio in Hetruriâ nova nupta et novus « maritus primum porcum immolant... Prisci quoque « Latini, et etiam Græci in Italiâ idem factitâsse vi- « dentur. » Testis Ovidius, lib. 1 Fastorum :

*Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine vorcæ.*

Testis Horatius :

*. . . Immolet æquis*
*Hic porcum Laribus.*

De festis gentium testis Juvenalis, satyr. 11 :

*Moris erat quondam festis servare diebus*
*Sicci terga suis, rarâ pendentia crate,*
*Et natalitium cognatis ponere lardum.*

Denique de pactis solemnibus testis cum Varrone Virgilius, libro 8 Æneidos :

*. . . . . Et cæsâ jungebant fœdera porcâ.*

Hæc ante nos observavit Spencerus, ut ante ipsum alii viri eruditi. Cùm itaque non vulgaris fuerit porci usus apud Ethnicos, non mirùm quòd Judæi porcum inter animantia immunda eo nomine maximè oderint ac penè execrati sint, adeò ut vel illum nominare horrerent, et pro porco, *rem aliam* dicerent, ut ex Talmude aliisque Judæorum libris probat Bochartus, lib. 2 Hierozoici, cap. 57.

### § III. *Lex de sexûs utriusque apparatu et vestitu non confundendo.*

Sexûs utriusque apparatum ac vestitum confundi et promiscuè usurpari lex prohibet, Deuteronomii 22 : « Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur « veste femineâ : abominabilis enim apud Deum est, « qui facit hæc. » Hujus observantiæ multiplex ratio. Prima, eaque præcipua, idololatriæ exterminatio. Hæc enim vestium commutatio ritus idololatricus fuit, in gentium profanarum sacris passim usurpatus. Hoc ritu Cyprios Venerem coluisse observat Servius ad librum 2 Æneidos. « Veneris, inquit, in Cypro simula- « crum est corpore et veste muliebri, cum sceptro et

« naturâ virili, quod ἀφροδιτὸν vocant : cui viri in ve-
« ste muliebri, et mulieres in virili veste sacrificant. »
De Assyriis idem testatur Julius Firmicus, libro de Erroribus profanarum religionum. « Sacerdotum
« suorum chorus, inquit, ei aliter servire non po-
« test, nisi effeminent vultum, cutem poliant, viri-
« lem sexum ornatu muliebri dedecorent... Exornant
« muliebriter nutritos crines, et delicatis amicti ve-
« stibus, vix caput lassâ cervice sustentant. » De aliis Asiaticis id memoriæ proditum à Philochoro apud Macrobium, libro 3 Saturnal., cap. 8, affirmante « Venerem esse lunam, et ei sacrificium facere viros
« cum veste muliebri, et mulieres cum virili. » Cùm Bacchi solemnia apud Græcos agebantur, Phallorum pompam excipiebant *Ithyphalli muliebrem induit stolam*, ut refert Hesychius verbo Ἰθύφαλλον. Cùm Ὀκτοφορία in honorem Bacchi celebrabant Athenienses, « chori adolescentes duo, muliebri veste induti,
« palmitem gestantes plenum maturis uvis, festum
« auspicabantur, » teste Proclo in Chrestomathiâ. Argivi novinulia dissimulato sexu celebrant, « mu-
« lieres virilibus tunicis et chlamidibus, viros autem
« peplis mulieribus amicientes, » teste Polyæno, libro 8 Stratagematum. *Apud Coos* Herculis sacerdos in Antimachiâ, « muliebri indutus veste, capite vit-
« tato, sacrificium auspicabatur, » ut refert Plutarchus, quæst. Græc. postremâ. Apud Romanos idibus januarii tibicines sacrificiis præcinere soliti, urbem circuibant *vestem induti muliebrem*, ut refert idem auctor in Quæst. Roman., p. 277, Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostendebatur, Tacito referente, lib. de Moribus Germanorum : Præsidebat *sacerdos muliebri ornatu*. Legem utriusque sexûs vestes commutari prohibuisse ad cultûs idololatrici exterminationem, quia scilicet *in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum : in cultu autem Veneris è converso viri utebantur vestibus mulierum*, docet S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 7, art. 6, ad sextum, præeuntibus Maimonide in More Nevochim p. 3, cap. 37, et Guillelmo Parisiensi, libro de Legibus, cap. 13. Execrandi hujus ritûs reliquiæ in kalendarum festo seculari ac profano, quod initio redeuntis anni celebratur, Christianos olim infecerunt, ut constat ex S. Asterio Amaseno episcopo, in sermone adversùs kalendarum festum. « Nonne, inquit, nudatus in me-
« retricum ac feminarum morem, vultum habitumque
« componit ille strenuus, leonini ille pectoris ac robo-
« ris, ille in armis, cum suis aspectu mirabilis, tum
« formidabilis hostibus; ac ad talos usque tunicam
« dimittit, zonam pectori circumvolvit, calceamenta
« muliebria sumit, et more feminarum capiti cro-
« bylum ac plexuram imponit : quin etiam lanâ ple-
« nam colum gestat, ac dexterâ filum ducit, quâ tro-
« phæum ante tulit, animique tenorem immutans, in
« acutiorem ac muliebrem sonum vocem extenuat?
« Hæ celebritatis hujus utilitates : hæc hodierni pu-
« blico conventu festi commoda et fructus. » Idem constat ex canone 62 Trullanæ synodi : « Kalendas,
« inquit, quæ dicuntur, et vota et brumalia quæ ve-
« cantur, et qui in primo martii mensis die fit con-
« ventum, ex fidelium universitate omninò tolli volu-
« mus, sed et publicas mulierum saltationes multam
« noxam exitiumque afferentes. Quin etiam eas,
« quæ nomine eorum, qui falsò apud gentiles dii no-
« minati sunt vel nomine virorum ac mulierum fiunt,
« saltationes ac mysteria more antiquo, et à vitâ
« Christianorum alieno, amandamus et expellimus;
« statuentes ut nullus vir deinceps muliebri veste
« induatur, vel mulier veste viro conveniente, etc.
« Eos ergo qui deinceps aliquid eorum, quæ scripta
« sunt, aggredientur, si sint quidem clerici, deponi
« jubemus, si verò laici, segregari. »

Ratio altera cur sexûs utriusque vestes commutari lex vetuerit, est publicæ honestatis ac pudoris conservatio, et occasionum libidinis remotio : quam ob rationem ipsis etiam Ethnicis indecorum et pudendum visum est extra numinum suorum sacra vel festa, sexum mentiri. Hinc Diogenes Laertius in Vitâ Platonis ait : « Legis gemina est destributio, altera scri-
« pta, altera verò non scripta. Prior illa civilis est,
« quâ rempublicam administramus : quæ verò citra
« scripturam est, ea à naturâ et usu proficiscitur;
« quale est, nudum in foro ambulare non debere, aut
« uti veste muliebri. Hæc enim lex nulla prohibet,
« sed ab iis faciendis abstinemus, quòd lege non scri-
« ptâ prohibeatur. » Hinc Seneca, epistolâ 123 ad Lucillum, scribit : « Non videntur tibi contra naturam
« vivere, qui commutant cum feminis vestem? » Jam christianos doctores audiamus : S. Augustinum, libro 2 Soliloquiorum, cap. 16 : « Credo, inquit,
« jure infames, instabilesque haberi se, qui muliebri
« habitu ostentant, quos nescio utrùm falsas mu-
« lieres, an falsos viros meliùs vocem. Veros tamen
« histriones, verosque infames sine dubitatione pos-
« sumus vocare : aut si latent, nec infame quidquam
« nisi à turpi famâ nominatur, veros nequaquàm non
« sine veritate dicimus. » Et S. Thomam loco laudato : « Quòd mulier, inquit, induatur veste virili,
« aut è converso, incentivum est concupiscentiæ, et
« occasionem libidini præstat. »

Rationes omnes observantiæ, quam expendimus, affert Guillelmus, parisiensis episcopus, libro de Legibus, cap. 13. « Causæ, inquit, prohibitionis, ne vir ute-
« retur veste femineâ, vel è converso, multæ fuerunt.
« Prima fuit congruentia ipsius naturæ, videlicet ut
« quos natura sexu discreverat, discerneret et vesti-
« tus. Secunda, ut opportunitas auferretur turpitudi-
« num latibulis : posset enim intrare vir ad mulierem
« sub habitu muliebri, et è converso mulier sub ha-
« bitu virili. Ablata igitur est per hanc discretionem
« vestitûs multa opportunitas flagitiis. Tertia, exter-
« minatio sacrorum Martis et Veneris. In sacris enim
« Martis non solùm virili vestitu vestiebantur mulie-
« res, sed etiam armabantur, ut in ipsis vestimentis
« bellicis, id est, armis ipsum tanquàm Deum belli,
« et victoriæ datorem colerent. Et Cacogræcus in
« libro maledicto, quem scripsit de stationibus ad
« cultum Veneris, inter alia sacrilega et Deo odibilia

« præcepit, ut qui nefandum ritum illum exercet, co-
« ronam femineam habeat in capite suo. Eodem
« modo in sacris Veneris viri effeminebantur, videli-
« cet in vestibus muliebribus sacra Veneris exer-
« centes, propter hujusmodi sacrilegos ritus Marti et
« Veneri se placere credentes atque quærentes.
« Quarta causa, ut occasio magna provocationi libi-
« dinis auferretur : magna enim est provocatio libi-
« dinis viris vestitus muliebris, et è converso : quo-
« niam vestis muliebris viro circumdata vehementer
« refricat memoriam, et commovet imaginationem
« mulieris, et è converso. Alibi autem didicistis, quia
« imaginatio rei desiderabilis commovet desiderium.
« Quinta causa, ut auferretur occasio maleficii. Con-
« sueverunt enim malefici et maleficæ, in vestibus
« aut de vestibus libidinis maleficia exercere, et hoc
« nos in libris eorum sæpè legimus. Sexta causa, ut
« tolleretur error periculosus, et superstitiosa credu-
« litas, quâ trahi possent ad idololatriam, quibus cre-
« debant decepti, applicatione vestium muliebrium,
« maximè in sacris Veneris, conjungi sibi ac conci-
« liari amore fortissimo corda mulierum, propter
« quas hoc facerent, vel quæ postea hujusmodi ve-
« stibus uterentur : similiter et deceptæ mulieres id-
« ipsum credebant de viris et virilibus vestimentis.
« Voluit ergo Deus hunc superstitiosum errorem au-
« ferri de cordibus eorum per ablationem abusionis
« istius, ne per illum tandem traherentur ad cultum
« Veneris. »

§ IV. *Lex vestem ex lino et lanâ mixtam prohibens.*

Vestem ex lino et lanâ mixtam Israelitis lex prohibet, Levitici 10, 19: *Veste quæ ex duobus texta est non indueris;* et Deuteronomii 22, 2 : *Non indueris vestimento quod ex lanâ linoque contextum est.* Legis hujus multiplex ratio. S. Isidorus Pelusiota, libro 3, epistolâ 84, Deum hâc observantiâ Judæos adstrinxisse censet, *ut mollitiem omnem, et variegandi artem, ad luxum nimiumque corporis ornandi studium eliminaret*, eosque doceret omnem operam *ad animæ curam* et ornatum convertendam. Hoc et alia de Heterogeneorum commixtione præcepta, morum simplicitatem commendare, animi duplicitatem ac hypocrisim damnare, adulterinas opiniones ac hæreses, quæ errorem cum veritate miscent, proscribere, censent plerique cum Theodoreto, quæstione 27 in Leviticum, dicente : « Vestem ex lanâ et lino contextam vocat adulteram, « docens contrarias operationes non exercere. Et quòd « his verbis non vestem, sed operationem adulteram « innuat, probant velamenta tabernaculi ex variis filis « contexta. » Ita etiam S. Cyrillus, Alexandrinus, lib. 7 de Adoratione in Spiritu et Veritate, pag. 245 : « Ve-
« stem, inquit, nos habere non sinit è duobus contex-
« tam, quâ in re figuratè significat cavendum esse ne
« veluti duplicitatem quamdam in animum admitta-
« mus; duplicitatem porrò internam ac spiritualem
« esse illam execrabilem hominibus placendi cupidi-
« tatem, quæ velut ex duobus intexitur studiis, non
« mediocriter inter se differentibus. Quæ enim qua-
« lisve est alia hypocritarum vita, nisi ut in con-
« spectu quidem hominum boni viri appareant, ac
« videantur esse, non sint tamen revera probi? Ergo
« duplices sunt nobis mores è dissimilibus voluntati-
« bus contexti. At verò beatus David approbat unius
« moris virum, eumque supernâ providentiâ dignum
« haberi dicit. » *Dominus*, inquit, Psalm. 67, *inhabitare*
« *facit unius moris in domo. Dissipare etiam Deus dicitur*
« *ossa hominibus placentium*, Psalm. 52. » Idem quoque vitium Paulus execratur, etc. Huic explicationi calculum suum adjiciunt Procopius, Rupertus abbas, et S. Thomas, primâ secundæ, quæstione 112, articulo 6, *ad sextum*. Sed rationem legis istius litteralem præmittit: « Sicut dicitur Ecclesiastici 19. Amictus corporis
« enuntiat de homine. Et ideò voluit Dominus ut po-
« pulus ejus distingueretur ab aliis populis, non so-
« lùm signo circumcisionis, quod erat in carne, sed
« etiam certâ habitus distinctione. Et ideò prohibitum
« fuit eis, ne inducerentur vestimento ex lanâ et lino
« contexto. Primò quidem ad vitandum idololatriæ
« cultum. Hujusmodi enim variis vestibus ex diversis
« contextis gentiles in cultu suorum Deorum utebantur, » ut colligitur ex Maimonide in More Nevochim, p. 3, cap. 37. Ita ante sanctum Thomam Guillelmus Parisiensis, libro de Legibus, cap. 13. « Usus, in-
« quit, vestis ex lanâ linoque contextæ prohibitus fuit
« juxta litteram, quia sacerdotes idolorum, et in
« Ægypto maximè, vestibus hujusmodi utebantur.
« Causa igitur in hoc fuit, ne Dei populus assimilare-
« tur idololatris. Alia causa fuit generalis, ut idolola-
« tria, quæ conjunctionibus hujusmodi exercebatur,
« ex hoc percuteretur. Tertia fuit, ut ordo naturæ,
« quæ idololatræ multipliciter pervertebant, servare-
« tur in vestibus, ut linum scilicet sub lanâ esset, et
« corpori humano propinquius. Quarta, ut vestibus et
« materiis earum, ipsa, quam natura inter eas fecerat,
« discretio seu distinctio servaretur. Hæc enim omnia
« confundebant et commiscebant idololatræ in vene-
« rationem maximè elementorum, pro eo scilicet
« quòd de commixtione elementorum, quibus servie-
« bant, eorumque confusione omnia hujusmodi gigni
« dicebant. Volebant etiam insinuari, per hujusmodi
« commixtiones et conjunctiones, agricolas et pas-
« tores ad stellarum servitium obligatos : quia stella-
« rum favore et beneficio putabant fœcunditatem, et
« lanæ copiam in animalibus, fertilitatem in agris
« provenire. Propter hoc ergo lanam et linum simul
« in vestibus conjungebant, ut ipso habitu hanc su-
« perstitionem profiterentur, et utramque copiam à
« stellis provenire confiterentur. Utrumque autem is-
« torum erat stellarum servitium, videlicet tam pro-
« fessio quàm confessio ante dicta : quemadmodùm
« habitûs religiosi delatio apud nos est Dei servitium.
« Scito etiam quia hujusmodi conjunctiones lini et
« lanæ in vestimentis faciebant eam observationem
« conjunctionis stellarum.

§ V. *Lex de Fimbriis et Philacteriis.*

Israelitis mandatum est, Numer. 15, 37, « ut faciant

« sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis « vittas hyacinthinas. » Ratio legis istius multiplex : Prima, ut ipso habitu ab alienigenis discernerentur. Secunda, ut memoriale divinorum præceptorum semper ob oculos gererent : « Quas cùm viderint, recor- « dentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur « cogitationes suas et oculos per res varias forni- « cantes, sed magis memores mandatorum Domini « faciant ea, sintque Sancti Deo suo. » Hæc igitur observantia ad publicam Judaismi professionem pertinebat, ut docet S. Thomas post S. Hieronymum in cap. 23 S. Matthæi. In hyacinthinis autem vittis significatur *cœlestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adjungi*, inquit doctor Angelicus. Phylacteria usus adhibuit, id est, membranas, quibus Decalogus inscriptus erat, quas in fronte ligabant quasi coronam, et in manibus gerebant. Ea Exodi 13, 9 et 16, et Deuteronomii 6, 8, imperari senserunt Josephus et S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo. Reclamant verò S. Hieronymus et S. Thomas, nec aliud istis locis Israelitis à Deo præcipi censent, nisi, ut divina mandata fideliter exequantur, illaque jugiter meditentur non minus quàm quæ memoriæ causâ in manibus gerere, aut ob oculos nostros ponere solemus. Exodi 13, 9 : *Et erit quasi signum in manu tuâ, et quasi monumentum ante oculos tuos : et ut lex Domini semper sit in ore tuo : in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto;* v. 16 : *Erit igitur quasi signum in manu tuâ, quasi appensum quid, ob recordationem inter oculos tuos : eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.* Deuteron. 6, 7, 8, 9 : *Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque et movebuntur ante oculos tuos. Scribesque ea in limine et ostiis domûs tuæ.* Ex hujusmodi Philacteriis, quasi magni essent ad pietatem momenti popularem auram captabant Pharisæi, quorum hypocrisim coarguit Christus Dominus Matthæi 23, 5 : *Dilatant enim*, inquit, *phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Cæterùm, S. Hieronymi et S. Thomæ sententia de locis mox laudatis et Exodi et Deuteronomii, ex parallelis Scripturæ Sacræ locis confirmatur, ubi proverbiali loquendi more tanquàm corona capiti, et torques faucibus alligari jubentur, quorum jugis memoria et fidelis observantia commendatur. Proverbiorum 1, 8, 9 : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* Et cap. 3, 3 : *Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui.* Et cap. 6, 21 : *Liga ea in corde tuo jugiter et circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris, gradiantur tecum. Cùm dormieris, custodiant te; et evigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna est, et lex lux.* Phylacteria itaque Pharisæorum non erant divinæ jussionis, sed novellæ superstitionis, nec à Mosis temporibus usitata fuêre, sed post captivitatem demùm Babylonicam usurpata sunt, ut viris eruditis videtur : cùm scilicet legi divinæ absurdæ pleræque interpretationes ab hypocritis et superstitiosis magistris in dies affingerentur, qui proprio et litterali sensu exposuêre quod methaphoricè capiendum et spiritualiter intelligendum erat. Judaica illa Phylacteria ex Ægyptiorum Amuletis originem duxisse credant qui voluerint, modò à Deo præcepta non esse nobiscum fateantur. De his apud Kircherum, tom. 1 Œdipi syntagmate 4, cap. 1; Abenephius, arabs auctor, sed religione Judæus : « Erat, inquit, frequens « in Ægypto usus Phylacteriorum, variis imaginibus « insignitorum, queis se fortunatos esse futuros « credebant : queis adjungebant statunculas quasdam, « quas avertentes nuncupabant, quas nunc collo, « pectore, manibus portare; nunc in angulis domuum, « aliisque locis, veluti custodes eorum collocare sole- « bant. Quos usus omnes lex (ut eam quidem Judæi « perperam interpretantur) in Thephillim, Mezuzot, « et Totaphot convertit : quæ quidem nihil aliud sunt « quàm coria ex mundo animali, in quibus verba Dei « legis servandæ continuam memoriam suadentis et « præcipientis scribebantur, ponebanturque super « frontem, et brachia, et postes portarum. »

### § VI. *Lex diversorum seminum commixtionem prohibens.*

Diversi generis semina in vineâ seri lex prohibet Deuteronomii 22, 9 : *Non seres vineam tuam altero semine : ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vineâ, pariter sanctificentur :* id est, polluantur et immunditiam contrahant, sive maledictionem, à te, dum legem meam violaveris, in illâ redundantem. Et Levitici 19, 19. *Agrum tuum non seres diverso semine.* Ubi LXX Interpretes vertunt : Καὶ τὸν ἀμπελῶνά σου οὐ καταπερεῖς διάφορον. *Et vineam tuam non seminabis differentem.* Hujus legis rationem quidam esse censent, quòd semina diversa sibi invicem alimenta detrahant, cùm iisdem sulcis mandantur in vineto, et terræ succum deprædentur, quem sibi totum vinea deposcit. Ita Josephus, libro 4 Antiquitatum, cap. 8; Philo, libro De Creatione, et Procopius. Alii sentiunt Deum hanc legem tulisse ut lucri cupiditatem in Israelitis cohiberet, et nihilominùs agricolis provideret, quia terra mixtis seminibus sata fructus exiliores producit. Ita Theodoretus, quæstione 23 in Deuteronomium : « In- « explebilem, inquit, aviditatem amputat, et agricolis « ipsis providet. Terra enim sata diversis seminibus, « exiliores fructus producit. Præcipit ergo neque per- « mixta semina mitti, neque vites censeri. Deinceps « indicta mulcta transgressori, castigat lucri cupidi- « tatem. Nam hæc sibi offerri jussit. Siquidem ait : « *Ut non sanctificetur quod natum est.* » Guillelmus Parisiensis, libro De Legibus, cap. 13, existimat Deum hanc legem veteri gentium profanarum usui opposuisse, qui in honorem Cereris et Bacchi mixta semina inter vites aut vitium ordines serebant, ut utriusque numinis ope ac favore proventum uberiorem haberent. « Utilitas, inquit, juxta litteram manifesta est in « hoc, quia collectio sementis non posset fieri absque « detrimento vineæ, vel periculo. Ridiculum autem

« est in hoc Dominum voluisse populo suo consulere, « in quo nullo consilio indigebat. Cuilibet enim manifestum erat detrimentum hujus atque periculum. « Causa igitur in hoc fuit idololatria Cereris et Bacchi, « quorum cultores suis vineis culturas conjungebant « atque miscebant; sic et fructus quos de beneficio « eorum se obtinere credebant, in eodem agro con« jungere consueverant. Causa autem in hoc erat, « quia in eâdem terrâ radices habent vites et fruges, « et ex eâdem nascuntur et nutriuntur. Volebant igi« tur Cererem et Bacchum et cultu, et operibus so« ciare. Attende autem quia generaliter dictum est « Levitici 19 : *Agrum tuum non seres diverso semine.* « Ista autem repetitio insinuat nobis legislatorem non « parum erroris atque periculi intellexisse in con« junctionibus hujusmodi. Non enim propter littera« lem utilitatem solummodò prohibitiones earum re« petivit : ex quo satis intelligitur, propter idolola« triam Cereris et Bacchi, vel Stellarum, eas tam « studiosè prohibuisse. » Hæc ratio petita est ex Maimonide in *More Nevochim*, p. 3, cap. 37. Hanc suo calculo probat S. Thomas, aliasque addit, quæstione et articulo supra laudatis in responsione ad nonum. « Discendum, inquit, quod omnes illæ commixtiones « in agriculturâ sunt prohibitæ ad litteram in detes« tationem idololatriæ. Quia Ægyptii in venerationem « stellarum diversas commixtiones faciebant, et in se« minibus, et in animalibus, et in vestibus, repræsen« tantes diversas conjunctiones stellarum. Vel, omnes « hujusmodi commixtiones variæ prohibentur ad de« testationem coitus contra naturam. Habent tamen « figuralem rationem, quia quod dicitur : *Non seres « vineam tuam altero semine*, est spiritualiter intelli« gendum, quòd in Ecclesiâ, quæ est spiritualis vinea, « non est seminanda alia doctrina : et similiter ager, « id est Ecclesia, non est seminandus diverso semine, « id est, catholicâ doctrinâ et hæreticâ. »

### § VII. *Lex de primis agrorum incultorum fructibus per tres annos non comedendis.*

Primos agrorum incultorum fructus per tres annos comedi lex vetat, quarti anni fructus Deo dicari jubet, quinti demùm in usum dominorum cedere. Levitici 19, 23, 24, 25 : *Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in eâ ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.* Ratio legis istius multiplex : Prima, quòd agrorum incultorum fructus ferum aliquod habeant et insalubre, proindeque nec esui sint apti, nec etiam oblatione digni, utpote præcoces et immaturi, et ab arbore adhuc imbecilla producti. Ita S. Joannes Chrysostomus, sermone de Ascensione Domini, qui est 35, tom. 5, Paris. edit., Frontonis Ducæi, pag. 461. *In hoc cerne*, inquit, *sapientiam legislatoris, qui illo vesci non permisit, ne ante Deum quisquam fructus sumeret : neque offerri illum mandavit, ne crudus et immaturus offeratur Domino. Sed dimitte*, inquit, *quia primus est : ne offeras autem, quoniam indignus est honore acceptantis.* Secunda ratio est idololatriæ detestatio et extirpatio. Hanc enim legem idololatrarum moribus oppositam fuisse censent Maimonides et Guillelmus Parisiensis, libro De Legibus, cap. 4; idemque docet S. Thomas, quæstione et articulo supra laudatis, in responsione ad quintum. « Gentiles, inquit, fructus primitivos, quos fortunatos « æstimabant, Diis suis offerebant, vel etiam combu« rebant eos ad quædam magica facienda. Et ideò « præceptum est eis ut fructus trium primorum an« norum immundos reputarent. In tribus enim annis « ferè omnes arbores terræ illius fructum producunt, « quæ scilicet vel seminando, vel inserendo, vel plan« tando coluntur. Poma autem quarti anni, tanquàm « primitiæ mundorum fructuum Deo offerebantur. « Quinto autem anno, et deinceps comedebantur. » Tertia ratio typica est sive allegorica. Hæc enim observantia significabat fructus legis utiles duntaxat evasuros, utpote omninò expurgatos et maturos tempore adventûs Christi, ut explicat S. Cyrillus, libro 8 de Adoratione in spiritu et veritate : « Hortis, inquit, « fertilissimis Moysi Scriptura similis nobis videtur, « quæ multiplex præceptorum germen complectitur, « et tanquàm arboribus densis ornata est; legibus, « inquam, de quâque re constitutis. Sed uniuscujusque « arboris, inquit, expurgabitis impuritatem; id est, « quod in historiâ ineptum est, abscindes; quoque in « litterâ veluti corticosum, circumcides, atque ad « ipsum cor arboris pervenies, id est, intimum præ« cepti fructum perscrutaberis, atque in cibum assu« mes. *Sed erit*, inquit, *ejus fructus tribus annis immundus, non manducabitur.* Annum ponit pro tempore; tria enim prima tempora fuêre, quibus adhuc « lex erat impura, historiæ crassitudine prægravata, « et umbram tanquàm inutilem corticem circumposi« tam habebat. Tria porrò tempora esse aio, quo Moy« ses, quo Josue, quo judices fuerunt; quartum postea « fuit quo illustris prophetarum chorus exortus est; « tum fructus legis sanctus est factus et laudabilis : « nam à prophetis sanctis, quæ lege continebantur, « abrogari sunt cœpta, et ne commemorari quidem « ea quæ in umbris erant, contraque veritas prædi« cari palam, et Christi adventûs mysterium commen« dari; hos proximè illicò secutus est ille præcursor, « clamans ac dicens : *Pœnitentiam agite; appropinquavit « enim regnum cœlorum :* igitur quarto tempore, quæ « in lege tradita fuerant expurgari cœperunt; erat« que jam sanctus quodammodò ejus fructus; verum« tamen quinto tempore ad cibum fuit aptus, quo tem« pore Christi contigit adventus testificatus à lege et « prophetis. » Brevius hunc locum allegorizat S. Thomas, 1-2, quæst. et art. supra laudatis : « Per hoc, « inquit, præfiguratur quòd post tres status legis, quo« rum unus est ab Abraham usque ad David, secun« dus usque ad transmigrationem Babylonis, tertius « usque ad Christum, erat Christus Deo offerendus « qui est fructus legis. » Moralem rationem addit

doctor Angelicus, eâ nempe lege nos edoceri *quòd primordia nostrorum operum debent esse nobis suspecta propter imperfectionem.* Quod ex S. Gregorio Magno desumptum est libro 8 Moralium, cap. 29 : « Ligna « pomifera, inquit, sunt opera virtutibus fœcunda. « Præputia itaque lignorum auferimus, cùm de ipsâ « inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostro- « rum operum non approbamus. Poma autem quæ « germinant, immunda ducimus, nostrisque esibus « non optamus, quia cùm primordia boni laudantur « operis, dignum est ut hoc animum non pascat ope- « rantis; ne dùm accepta laus suaviter carpitur, fru- « ctus operis intempestivè comedatur. Qui ergo in- « choatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, « quasi plantati ligni ante tempus pomum comedit. »

§ VIII. *Lex de solutione decimarum.*

Frugum ac fructuum omnium decimæ triplices solvebantur, primæ levitis, secundæ tabernaculo, ex quibus ter singulis annis oblationes fiebant, tertiæ tertio quolibet anno pauperibus distribuebantur ex præscripto legis, Deuteronomii 26, 12. Quo religionis officio perfuncti Israelitæ, ad solemnem hanc professionem faciendam adstringebantur : *Abstuli quod sanctificatum est de domo meâ, et dedi illud Levitæ et advenæ, et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi; non prætervi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in quâlibet immunditiâ, nec expendi ex his quidquam in re funebri,* etc. Ratio cur hæc ipsis præscripta sit professio, fuit rituum ethnicorum execratio, si Spencerus audiatur, ut scilicet à profanarum gentium moribus se prorsùs alienos profiterentur, ab eorumque contagione se puros servarent. Futuram enim noverat Deus, nisi jam nata esset, superstitionem illam quâ Ægyptii, Phœnices, aliæque gentes profanæ publicum luctum frugibus collectis, in honorem Isidis, Osiridis, vel Adonidis celebrabant. Hinc illud Diodori Siculi, libro 1, de Ægyptiorum moribus agentis : « Etiam nunc Messis tempore, oblatis « spicarum primitiis, incolæ juxta manipulos plangere, « Isidemque invocare solent. Id quod idcircò faciunt, « ut honorem pro inventis deæ sub primæ inventionis « tempus retribuant. » Quò spectat Julius Firmicus, libro de Errore profanarum religionum : « In adytis, « inquit, habent idolum Osiridis sepultum, hoc annuis « luctibus plangunt, radunt capita, ut miserandum « casum regis sui turpitudine dehonestati defleant ca- « pitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vul- « nerum reserant cicatrices, ut annuis luctibus in ani- « mis eorum funestæ ac miserandæ necis exitium « renascatur... Sed in his funeribus et luctibus defen- « sores eorum volunt addere physicam rationem, fru- « gum semina Osirim dicentes esse, Isin terram, Ty- « chonem calorem. Et quia maturatæ fruges calore ad « vitam hominis colliguntur, et à terræ consortio se- « parantur, et rursùs appropinquante hieme semi- « nantur, hanc volunt esse mortem Osiridis cùm « fruges redeunt; inventionem verò cùm fruges ge- « nitali terræ fomento conceptæ, novâ rursùs cœpe- « rint procreatione generari... Cur plangitis fru « terræ, et crescentia lugetis semina? Ad sustentatio- « nem generis humani hæc omnia divinâ summi Dei « liberalitate donata sunt. Agendæ sunt summo Deo « gratiæ propter hoc, nec est summi Dei lugenda lar- « gitio. Deflete potiùs quòd erratis, et quòd errorem « vestrum restauratis semper luctibus, plangite. » Eusebius, lib. 1 Præparationis evangelicæ, cap. 9, de Phœnicum Theologiâ loquens : « Misericordiam, in- « quit, commiserationem et luctum senescenti terræ « germini consecrabant. » Ammianus Marcellinus, libro 19, cap. 1, Grumbatis regis Chionitarum filii necem in Amidæ obsidione memorans, luctumque solemnem propterea celebratum describens, ait : « Fe- « minæ verò miserabili planctu, in primævo flore suc- « cisam spem gentis solitis fletibus conclamabant, ut « lacrymare cultrices Veneris sæpè spectantur in « solemnibus Adonidis sacris, quod simulacrum ali- « quod esse frugum adultarum religiones mysticæ « docent. » Et libro 22, cap. 9, Juliani imperatoris ingressum Antiochiam memorans, ait : « Evenerat au- « tem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia « ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulæ fin- « gunt, apri dente ferali deleto, quòd in adulto flore « sectarum est indicium frugum. Et visum est triste « quòd amplam urbem principumque domicilium in- « troeunte imperatore nunc primùm, ululabiles undi- « que planctus et lugubris sonitus audiebantur. » Denique Lucianus, libro de Deâ Syriâ, ritus in sacris Adonidis observari solitos referens : *Magni luctus,* inquit, *per totam regionem inducuntur.* Superstitiosis illis ethnicorum ritibus ne se contaminarent Israelitæ, solemniter eos profiteri jussit Deus, quòd ex decimis in luctu suo non comedissent : *Non comedi ex eis in luctu meo.* Hæc Spencerì observatio, libro 2 de Legibus ritualibus Hebræorum, cap. 24, auctoris ingenium et eruditionem probat, sed legis sensum, ut mihi videtur, non aperit. Sensus ille apertus et obvius est, non ex reconditioribus ethnicæ superstitionis mysteriis, non ex Isidis, Osiridis et Adonidis sacris Moyse fortè recentioribus arcessendus, sed ex legislatoris consilio. Jubet Deus ut decimæ Levitis, advenis, pupillis et viduis separentur. Porrò, si quis luctu funebri aut aliâ quâvis immunditiâ pollutus, ex decimis comedisset, vel eas in rem funebrem expendisset, pollutionem legalem affricuisset frugibus et fructibus, ex quibus cibos aut impensas funebres delibâsset; adeòque illos attingere non potuissent Levitæ, advenæ, pupilli et viduæ, nec illius hominis mensæ accumbere. Panis enim lugentium pollutus censebatur, Osee 9, 4 : *Sacrificia eorum quasi panis lugentium, omnes qui comedent eum contaminabuntur.* Ne igitur alicujus luctus aut immundities fraudi esset Leviticis et pauperibus, in quorum usus tertii anni decimæ cedere debuerunt, Deus edixit ut solemniter profiteretur Israelita quisque se ex decimis in luctu suo non comedisse, nec in quâvis immunditiâ eas separâsse, aut in rem funebrem expendisse. Eam interpretationem eò libentiùs amplector, quòd Hebræo textui, Chaldaicæ paraphrasi, versionibus Syriacæ et Arabicæ, ac Vulgatæ

nostræ Latinæ meliùs conveniat, Hebræorumque pariter et Christianorum calculis comprobetur.

### § IX. *Lex animalium diversi generis conjunctionem prohibens.*

Animalium diversi generis sub eodem jugo conjunctionem et commixtionem Israelitis lex prohibet, Deuteronomii 22, 10. *Non arabis in bove simul et asino.* Et Levitici 19, 19 : *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* Legis istius rationem affert Theodoretus, quæst. 27 in Leviticum : « Frequenter « admonui, inquit, per sensibilia docere quæ spectant « ad animum. Prohibet ergo diversorum generum coi- « tum, veluti equi et asini, ne ab irrationalibus ani- « malibus ad ratione præditos transeat illegitima per- « mixtio... Apostolus autem contrahere societatem cum « infidelibus prohibet, dùm ait : *Nolite jugum ducere « cum infidelibus.* » Guillelmus Parisiensis, libro de Legibus, cap. 12, octo rationes hujus legis affert. « Dice- « mus, inquit, causas prohibitionis commixtionis ani- « malium diversi generis. Prima ergo causa fuit ut « ordo ipse naturæ commendaretur populo Dei, tan- « quam jus naturale, ejusdemque statutum. Secunda « causa fuit, ut flagitium omne sodomiticum declina- « retur. Tertia causa, ut spurcissimis illis gentibus, « quæ ante Dei populum ex terrâ promissionis eji- « ciendæ erant, dissimilaretur, sicut legitur Levitici « 18 et 20. Quarta causa, ut modestia, et pressio con- « cupiscentiæ ex hoc Deo acceptior esse ostenderetur, « quod etiam in animalibus brutis ad limites, ex nor- « mam naturæ eam esse regulatam volebat. Quinta, ut « nefanda opera et maleficia, quæ fœtibus ex hujus- « modi commixtione procreatis fiebant, declinarentur; « et hæc opera leguntur in libro qui dicitur *Neumich*, « sive *Nevemich*, et alio nomine vocant *Leges Platonis*, « qui liber totus est de hujusmodi commixtionibus, et « vocatur *Leges Platonis*, quia contra leges naturæ « est. Sexta causa, sugillatio culturæ, sive idololatriæ « Veneris et Priapi. Hujusmodi enim commixtiones in « ampliationem hujus idololatriæ faciebant homines « perditionis. Septima causa, ut ait quidam, erat ne « homines hujusmodi operibus contaminarentur, eis « immiscendo se. Animalia quippe diversarum specie- « rum rarissimè, et vix se invicem concupiscunt, nisi ho- « mo aliquid opere suo vel operis adhibeat ad appetitum « hujusmodi concitandum; hoc ergo indignum homine « valdèque indecens ipsum judicavit esse, et non im- « meritò, videlicet quòd aliquâ operatione suâ appeti- « tum hujusmodi concitaret, et commixtionem procu- « raret. » Hæc ratio est et Maimonidis in More Nevochim, cap. 69. « Octava causa, quia hujusmodi commixtio « vix fieri potest, nisi in conspectu hominum, unius « aut plurium, per quem aut quos procuretur, ut dixi- « mus. Periculosus autem est conspectus hujusmodi. « Provocatorius enim est libidinis similisque nefariæ « commixtionis. Et istæ eædem causæ fuerunt prohi- « bitionis conjunctionis hujusmodi animalium in aliquo « opere, sicut est ista prohibitio : *Non arabis in bove et « asino*, quæ legitur Deuteron. 22. Scito tamen quia istas « conjunctiones animalium diversorum generum in « operibus suis faciebant juxta conjunctiones Planeta- « rum, et quasdam alias constellationes, credentes ex « hoc opera prosperari. Voluit ergo Deus removere « vanitatem credulitatis istius à cordibus eorum, tan- « quam radicem idololatriæ, ne per eam, creatore re- « licto, ad stellarum servitia traherentur. » Has rationes contraxit S. Thomas, 1-2, quæst. 102, articulo 6 ad 8. « Circa commixtionem, inquit, animalium diver- « sæ speciei, ratio litteralis potuit esse triplex : Una « quidem ad detestationem idololatriæ Ægyptiorum, « qui diversis commixtionibus utebantur in servitium « planetarum, qui secundùm diversas conjunctiones « habent diversos effectus, ut super diversas species « rerum. Alia ratio est ad excludendum concubitum « contra naturam. Tertia ratio est ad tollendam uni- « versaliter occasionem concupiscentiæ. Animalia « enim diversarum specierum non commiscentur de « facili ad invicem, nisi hoc per homines procure- « tur : et in aspectu coitûs animalium excitatur homini « concupiscentiæ motus : unde et in traditionibus He- « bræorum præceptum invenitur (ut rabbi Moyses di- « cit), ut homines avertant oculos ab animalibus « coeuntibus. » *Rationem allegoricam subjungit S. Doctor; prohiberi scilicet, ne jumenta, id est, populares homines, faciamus coire, id est, conjunctionem habere cum alterius generis animantibus, id est, cum gentibus vel Judæis. Non esse etiam simul arandum in bove et asino: quia fatuus sapienti in prædicatione non est sociandus, quia unus impedit alium.* Quod ex S. Gregorio sumptum est, libro 1 Moralium, cap. 16.

### § X. *De aliis quibusdam circa animalia observantiis Mosaicâ lege præscriptis : scilicet de ore bovi trituranti non alligando : de aviculâ matre cum pullis non tenendâ : de hædo in lacte matris non coquendo.*

Alias quasdam observantias circa animalia lex scripsit, scilicet ne os bovis triturantis alligetur. Deuteronomii 25 : *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges tuas.* 2. Ne invento nido aviculæ pullis, vel ovis suis incubantis, mater cum filiis teneatur. Deuteron. 22, 6 : *Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem; non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios : ut benè sit tibi, et longo vivas tempore.* 3. Ne hœdus in lacte materno coquatur. Exodi 23, 19 et 24, 26, et Deuteronomii 14, 21 : *Non coques hœdum in lacte matris suæ.*

I. Quod primam legem spectat, de ore bovi trituranti non alligando, sensum ejus cùm litteralem, tum spiritalem breviter exponit Theodoretus, quæst. 31 in Deutoronomium. « Hujus, inquit, mandati spirita- « lem intellectum apertè docuit sanctus Apostolus. At- « tamen ipse litteræ sensus valdè pius est. Siquidem « periniquum est, terram arantem, et messem cum la- « bore triturantem, fructûs non esse participem. » Ratio itaque litteralis est, ut Israelitæ ad misericordiam in homines exercendam paratiores essent, si etiam in animantia eam exercerent : hinc Tertull. l. 2

contra Marcionem, cap. 17: *Bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præsentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Sic et Pythagorici, ut refert Porphyrius, lib. 2 de Abstinentiâ, *lenitatem in muta animantia faciebant exercitationem bonitatis et misericordiæ in homines.* Fortè ad superstitionem aliquam Zabiorum seu veterum idololatrarum averruncandam lex ea lata est, ut conjicit Guillelmus Parisiensis, libro de Legibus, cap. 4. Ubi cùm aliis de legibus egisset ad sugillandam idololatriam, vel superstitionem gentium profanarum damnandam conditis, subdit : « De isto « genere videtur et idquod legitur Deuteron. 25. *Non « ligabis os bovis triturantis :* licet enim videri possit « dictum esse et contra avaritiam Judæorum, qui eo « usque parcebant frugibus, ut nec boves triturantes « inde comedere permitterent; et ne hanc avaritiam « in vindemiatores uvarum extenderent, non permit- « tentes eos similiter de uvis comedere, vel de musto « bibere, quod erat innatæ eis avaritiæ intoleranda « crudelitas : tamen consuetudo eorum qui boves « ovesque abominabantur, ut de frugibus suis eos non « sinerent comedere, in mandato isto percussa est « et ostensa æquitas, quia justissimum est ut qui par- « ticipat in labore participet in comestione. » Ratio verò spiritalis legis istius fuit, ut docerentur homines, alimenta pastoribus et prædicatoribus, boum fruges terentium symbolo figuratis, ab iis quibus verbum Dei prædicant, non ex charitate duntaxat, sed etiam ex justitiâ subministrari debere, ut explicat Apostolus Epistolæ 1 ad Corinthios, cap. 9, 7, 8, 9, 10, 11. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non manducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat, arare, et qui triturat in spe fructûs percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et 1 ad Timotheum 5, 17, 18 : *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti.*

II. Legem alteram de aviculâ matre dimittendâ, cùm pullis vel avis incubans inventa est, Israelitas ad humanitatem informâsse censet Theodoretus, q. 21 in Deuteronomium. « Humanitatem, inquit, docet. Si « enim parentes capiat relictis pullis, interibunt planè, « cùm desit qui nutriat eos. Sin autem hos et illos « venando capiat, peribit utique genus avium, si omnes « talia committant. » Rationem illam immeritò ridet *Guillelmus Parisiensis*, meliorem licet afferat. « Quidam, inquit, ridiculosè et pueriliter dixit, præ- « ceptum esse causâ pietatis, ne mater filios perdens « et otiosa nimis affligeretur, quasi duplici contritione « contrita. In quo etiam credit ipse Deum insinuare « filiis Israel, quàm misericordes deberent esse in ho- « mines, quantùmque parcere ab afflictione eorum, « quando in avibus sic parcere eos voluit ab afflictio- « ne. Propter hoc dicimus quod id bonum non est « tantum, nec ullo modo Deo adeò placitum, ut tantâ « mercede ab eo remuneretur, quantâ legis observan- « tia universa. Quis enim audiat et risum contineat, de « dimissione unius aviculæ tantam mercedem promit- « tere, quantam pro universorum mandatorum suorum « observatione ? Amplius : Magis parcendum erit filiis, « si pietas ibi locum haberet : cùm filii nec sibi nec « aliis possent consulere, et matre adhuc indigerent, « illa verò non indigeret eis. Majori verò crudelitate « detinentur et occiduntur filii in casu isto quàm ma- « ter. Ne dubites etiam vel aliquam idololatriam, vel « aliquid idololatriæ simile, sapientissimum Deum per « hoc mandatum voluisse damnare. Sicut enim male- « fici explorabant coitus seu commixtiones quorumdam « animalium, ut illâ horâ interficerent ea, et de corpo- « ribus eorum, vel pulvere darent eis quos vellent « ardore suæ libidinis inflammare, credentes corpora « eorum, vel pulverem, si illâ horâ occiderentur, hanc « virtutem habere; sic et de matre ovis incubante vel « pullis, si eâ horâ caperetur, fœcunditatem et fortu- « nam in nutriendis filiis posse præstare : et hoc sci- « mus ex multis similibus, quæ legimus in libris ma- « leficiorum. Voluit ergo hoc removere misericors « Deus à cordibus eorum, ne aliunde venientem fœ- « cunditatem quærerent, vel sperarent, quàm ab ipso : « et propter hoc dixit : *Ut longo vivas tempore.* Ampliùs : « Observatores auguriorum faustam, et fortunatam re- « putabant inventionem nidorum cum matre et filiis, « vel cum matre et ovis ; ideò dogmatizabant non es- « se offendendam matrem, neque filios, nec separan- « dos eos ab invicem. Quicquid enim contra nidum sic « inventum facerent, contra fortunam facientis fieri « credebant. Sed nidum cum omnibus in eo sic inven- « tis servari præcipiebant, tanquàm bonæ fortunæ « causam quamdam. Unde et quamdiù servabant nidum « hujusmodi, cum omnibus inventis in eo, illæsum, « causam putabant diù eis benè esse et vivere : si ve- « rò dissiparent, aut aliquid de inventis læderent, dis- « sipari domos suas. Et quod matri, vel filiis, vel ovis « malefacerent, hoc vel filios eorum esse passuros pro « certo scirent. Quemadmodum adhuc est opinio mul- « torum insipientium, et à vetularum cordibus avelli « non potest, faustam esse inventionem acûs vel « oboli, et magis fortunatam esse quàm magni « ponderis argenti vel auri; et ideò custodienda esse « arctissimè, tanquàm fortunæ felicis, et bonorum « eventuum causas et pignora certissima, alioquin in « perditione eorum perduntur ista bona. Voluit ergo « misericors Deus hanc ridiculosam vanitatem, opi- « nionemque mendacem delere de cordibus eorum; et « bonum quod sperabant ex conservatione matris, vel « pullorum, vel ovorum, et eorum conjunctione, po- « suit in contrario, videlicet in dimissione matris, et « captione ac detentione filiorum. Non ergo propter « bonitatem quam haberet in se dimissio aviculæ, ca- « ptioque et detentio filiorum, tam magnificam mer- « cedem promisit Dominus; sed propter desertionem « vanissimæ superstitionis, et elongationem ab idolo-

« latriâ, atque susceptionem veræ credulitatis, et bonæ « spei firmationem. »

Rationem utramque, tum eam quæ à Theodoreto, cùm eam quæ à Guillelmo Parisiensi allata est, calculo suo dignam judicavit S. Thomas 1-2, q. 102, art. 6 ad 8. « Proximum est, inquit, ut qui exercetur « in affectu misericordiæ circa animalia, magis ex hoc « disponatur ad affectum misericordiæ circa homines. « Unde dicitur Proverbiorum 12 : « Novit justus animas « jumentorum suorum : Viscera autem impiorum cru- « delia. » Et ideò, ut Dominus populum Judaicum ad « crudelitatem pronum, ad misericordiam revocaret, « voluit eos exercere ad misericordiam etiam circa « bruta animalia, prohibens quædam circa animalia « fieri, quæ ad crudelitatem quamdam pertinere vi- « dentur. Et ideò prohibuit ne coqueretur hœdus in « lacte matris, et quòd non alligaretur os bovi tritu- « ranti, et quòd non occideretur mater cum filiis. « Quamvis etiam dici posset, quòd hæc prohibita sunt « eis in detestationem idololatriæ ; nam Ægyptii ne- « farium reputabant, ut boves triturantes de frugibus « comederent : aliqui etiam malefici utebantur matre « ovis incubante, et pullis ejus simul captis, ad fœcun- « ditatem et fortunam circa nutritionem filiorum ; et « quia etiam in auguriis reputabatur hoc esse fortu- « natum, quòd inveniretur mater incubans filiis. » Allegoricam rationem subjungit S. Thomas : « Matrem « etiam, inquit, non debemus simul tenere cum filiis : « quia in quibusdam retinendi sunt spirituales sensus « quasi filii, et dimittenda est litteralis observantia « quasi mater, *sicut in omnibus cæremoniis legis.* »

III. Legem postremam quod attinet, de hœdo in lacte matris non coquendo, humanitatis et misericordiæ rudimentum esse censet Philo Judæus, libro De Charitate, quia immanitatem sapit, id quod viventi animali cibus fuerat, in condimentum occisi vertere. Huic opinioni subscribunt Aben-Esra, Isaacus, Arama, et alii ex Hebræorum gente ; ex Christianis Clemens Alexandrinus, lib. 2 Stromatum, Theodoretus, q. 56 in Exodum, et S. Thomas 1-2, q. 102, art. 6, ad 4. Sic in bruta etiam ea admitti, quæ speciem haberent immanitatis, Ethnici ipsi ab humanitate non planè alieni prohibuerunt. Athenienses in puerum animadverterunt, qui configebat cornicum oculos, et pœnam illi irrogàrunt, qui vivum arietum excoriaverat, ut refert Plutarchus, lib. 1 de Esu carnium, lib. 2 ; acriter in eos invehitur, qui veru candens in suum jugulum intrudunt, ut sanguis circa ferri tincturam extinctus atque diffusus, carnem teneram et friabilem reddat : aut qui saginandis gruibus et oloribus oculos consuunt. « Edamus, inquit, carnes, sed fame, non « luxuriâ impulsi ; interficiamus animal, sed miseran- « tes et dolentes, non insultantes et excruciantes, « qualia nunc multi multa perpetrant. Alii verubus « ignitis porcos jugulant, ut ferri tincturâ sanguis « extinctus atque diffusus carnem molliat, delicatam- « que reddat. Alii uberibus suum fœtarum instante « jam partu insiliunt, eaque calcant, ut sanguinem, et « lac, et tabum fœtus simul interfecti inter matris do- « lores eximentes (proh piacularis Jupiter !) maximè « inflammatam animalis partem vorent. Alii grues et « olores oculis consutis inclusos in tenebris saginant, « alienis temperamentis atque condimentis gustum « novum obsonio suo conciliantes. Unde apprimè ma- « nifestum sit, non alimenti, aut esûs, necessitatisve « gratiâ, sed ob satietatem, luxum et prodigalitatem, « nefas hoc ad voluptatem parandam fuisse conver- « sum. Proinde sicut libidinem in mulieribus suis non « explentes, omnia tentando ac incestis cupiditatibus « vagando, tandem ad infanda prolabuntur : sic circa « nutrimentum intemperantia naturalem et necessa « rium transgressa finem, crudelitate ac flagitio cupi- « ditatem variavit. » At, inquies, exempla illa ex Plutarcho allata respiciunt animalia viva, quæque vel immanitatis, vel misericordiæ objectum quadamtenùs esse possunt. Quod de hœdo dici non potest, qui in lacte matris coquitur. Neque enim ad animal occisum attinet, quâ ratione coquantur ejus carnes. Respondeo cum S. Thoma loco supra laudato : « Quod etsi hœdus « occisus non sentiat qualiter ejus carnes coquantur, « tamen in animo decoquentis ad quamdam crudeli- « tatem pertinere videtur, si lac matris, quod datum « est ei pro nutrimento, adhibeatur ad consumptio- « nem carnium ipsius. » Falsum enim est quod objectio supponit, nonnisi in vivos et sentientes crudelitatem exerceri. Annon immanitas fuit in Fulviâ, quòd mortui Ciceronis linguam acu crinali pupugit, ut refert Dio in Augusto ? Et in Nerone, quòd matris à se interfectæ membra curiosius inspexit et contrectavit, teste Suetonio ? Et in uxore Tarquinii Tullia, quòd supra cadaver patris adhuc cruentum, curru vecta, consternatos equos egit, ut narrat Florus lib. 1, cap. 7 ? Et in Scythis, quod hostium corio pro amiculis utebantur, et iisdem pharetras integebant, ut legimus apud Herodotum lib. 4, cap. 64 ? Quæ tamen mortuos non sensisse, in confesso est. Ita lex ea quæ immanitatem saperent, in pecudes tam vivas quàm mortuas ab Israelitis exerceri vetuit, ne qui in bruta sævire cœpissent, inde etiam in homines grassari paulatim assuescerent.

Secundò, Deus hanc legem veterum Ethnicorum ritui magico et idololatrico opposuit. Ita Guillelmus Parisiensis lib. de Legibus, cap. 4. « In naturâ suâ, in- « quit, nihil habet immunditiæ hœdus, neque lac ca- « prinum ; nihil etiam habet malitiæ, hoc est, nocu- « menti contra sanitatem corporalem. Præterea, « utrumque licitum erat eis comedere vel bibere ; quâ « de causâ igitur conjunctio amborum eisdem prohi- « bita esset ? Hœdus enim et lac mundus cibus et li- « citus est secundùm legem ; propterea non est cur à « Deo lacticus, aut hujusmodi delicatus cibus meritò « prohibendus esset. Amplius : Quare prohibuit hoc « potiùs de hœdo, quàm de agno et vitulo ? Ex his « ergo omnibus consequens est, aliquam consuetudi- « nem idololatrarum voluisse Deum per hoc remo- « vere, ut Dei populus dissimilis esset idololatris, non « solùm ritu, sed vivendi ac vescendi consuetudine. « Hujus autem signum validum est, quòd ista prohibi-

« tio repetitur Deuteronomii 14, et Exodi 24, ut fortius imprimeretur. Ex hoc enim apparet, vehementer Deo displicere contrarium ipsius. Cùm ergo in eo non inveniatur causa prohibitionis suæ, necesse est ut propter aliud prohibitum sit, quod Deo non mediocriter displicebat : et hoc non potest esse nisi idololatria, vel aliquo modo ducens ad illam. » Hanc rationem approbat S. Thomas loco supra laudato, his verbis : « Potest dici quòd Gentiles in solemnitatibus idolorum taliter carnes hœdi decoquebant ad immolandum, vel ad comedendum. Et ideò Exodi 23, postquàm prædictum fuerat de solemnitatibus celebrandis in lege, subditur : *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* » Maimonidis suffragio hæc ratio confirmatur in More Nevochim p. 3, cap. 48, dicentis hœdum in lacte materno coquere prohibitum fuisse Israelitis, quòd *idololatræ in cultu vel festo suo aliquo ita facere solerent.* Additque : « In hâc opinione non parùm me confirmat, quòd videam Deum bis post præmissum de tribus festis præceptum, ejus mentionem facere. Quasi voluisset dicere, quando in festis vestris coram me comparetis, non coquetis cibum vestrum secundùm consuetudinem harum nationum. Hæc ratio magnum apud me pondus habet, licet ritum illum in libris Zabiorum nondùm viderim. » Idem confirmat Abarbanel Commentario in Exodi cap. 23. « Probabilius, inquit, videtur legem hanc ortam esse è more quorumdam cultui idololatrico deditorum, qui cùm sese congregarent, ita facere consueverunt. Hœdum nempe lacte matris coxerunt, tempore quo fructus suos colligebant, persuasi se ritu illo Deorum suorum gratiam sibi conciliare. » Ad hanc autem sententiam firmandam commemorat Abarbanel Hispanorum Mesta, festum rusticum, quod pastores bis quotannis, ætate suâ, hœdis et lacte celebràsse refert, easque fuisse veteris superstitionis reliquias. Consideratissima porrò virorum eruditorum observatio est, Deum Exodi 23, 19, et Deuteronomii 24, 25, 26, ubi Israelitas ad tria festa quotannis celebranda cohortatur, hæc quatuor illis præscribere. 1° Ne sanguinem sacrificii sui unà cum pane fermentato offerant. 2° Ne adipem sacrificii sui in crastinum servent. 3° Ut primitias in Dei solius domum afferant. 4° Ne coquant hœdum in lacte matris suæ. Quorum præceptorum duo priora certum est ad pascha pertinere, et tertium ad Pentecostem, eaque superstitiosis profanarum gentium moribus opponi. Quartum autem ad festum Tabernaculorum seu collectionis fructuum refert Abarbanel, et superstitiosæ idololatrarum consuetudini pariter oppositum censet, qui hœdos in lacte materno coquebant, quo tempore fructus suos colligebant, ut deos suos magis propitios haberent. Favet etiam huic sententiæ vetus Karaita Anonymus, à Bocharto laudatus, et antiquos idololatras hœdum in lacte materno coctum ad usus Magicos adhibuisse testatur. « Mos erat, inquit, inter veteres Ethnicos, cùm fructus omnes collegissent, coquere hœdum in lacte matris suæ, et deinde ratione magicâ, lacte illo aspergere arbores, agros, hortos, et pomaria ; fore credentes, ut hoc modo fœraciora in annum sequentem redderentur. » Moris hujus non obscura vestigia in idololatriæ Græcæ et Romanæ monumentis inveniuntur. *Panem* deum pastorum, *Palem* deam rei rusticæ præsidem, et *Sylvanum* agrorum et sylvarum numen, Græcos et Romanos qui sacrorum suorum partem maximam ab ipsis acceperunt, lacte propitiàsse, testes non ignobiles fidem faciunt. Plinius Præfatione ad Vespasianum : « Verum et Diis lacte rustici, multæque gentes supplicant. » Et Ovidius, libro 4 Fastorum :

*Adde dapes mulctramque suas, dapibusque refectus,*
*Sylvicolam tepido lacte precare Palem.*

Horatius denique, Epistolarum lib. 2, Epistolâ 1 :

*Agricolæ prisci fortes, parvoque beati,*
*Condita post frumenta levantes tempore festo*
*Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,*
*Cum sociis operum, et pueris, et conjuge fida,*
*Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.*

Ex illis quidem testimoniis non constat, utrùm in lacte, quod numinibus illis offerebant, hœdum vel agnum coquerent, sed id satis verisimile est, inquit, Tostatus Scripturæ sacræ eruditus interpres, q. 36 in Exodum, cap. 23.

Allegoricam et moralem legis hujus, quæ hœdum in lacte materno elixare vetat, rationem addit S. Thomas loco supra laudato. « Figuralis autem, inquit, ratio hujus prohibitionis est, quia præfigurabatur quòd Christus, qui est hœdus propter similitudinem carnis peccati, non erat à Judæis coquendus, id est, occidendus in lacte matris, id est, in tempore infantiæ. Vel significatur quòd hœdus, id est, peccator, non est coquendus in lacte matris, id est, non est blanditiis deliniendus. » Prior illa ratio ex S. Augustino q. 90 in Exodum sumpta est : « Hoc, inquit, quomodò observetur ad proprietatem verborum, aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quòd hâc prophetiâ prædictus est non occidendus à Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit, ut *coques* quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est, tribulationem. »

Judæi prohibitionem illam non parùm ampliârunt; nam hœdi nomine, bovis etiam et agni carnem, et coctionis nomine quemvis carnium illarum usum intelligunt; neque lac solum matris, sed aliud quodvis negant cum carne comedi debere, ut constat ex Maimonide libro de Cibis vetitis, cap. 9, quod viginti octo paragraphos de hâc prohibitione complectitur; qui tamen (ut observat Bochartus) hoc argumentum Hebræorum omnium brevissimè transcurrit. Alii enim libros integros de eâ lege scripserunt, ex quibus illos habere constat duplicia vasa culinaria, altera ad carnes, altera ad cibos lactarios. Lactaria verò tribus distinctis notis signant, eò quòd hæc prohibitio ter in Moyse repetatur. Duos etiam cultros semper deferunt, unum ad carnes, alterum ad caseum : tribus pariter incisuris notatum. Duo etiam in mensâ habent salina, ne carnes et lacticinia uno et eodem sale condiantur.

Carnes et lacticinia simul coquere in eodem foco, aut simul mensæ apponere nefas ducunt, sed pro utrisque peculiares habent mappas et mantilia, aliaque anxiâ et scrupulosâ religione observant, ne in hanc legem peccare videantur. De quibus legi possunt Buxtorfius Synagogæ Judaicæ, cap. 26. Leo Modena de Ritibus Judæorum, p. 11, cap. 7, Fagius in cap. 21 Exodi, Bochartus Hierozoici libro 2, cap. 3, et Spencerus, lib. 2, de Legibus Ritualibus Hebræorum, cap. 2

# DE JUDICIALIBUS, SEU FORENSIBUS LEGIS MOSAICÆ PRÆCEPTIS, Dissertatio.

(AUCTORE EODEM.)

Ut divinæ legis populo Israelitico per Moysi manus traditæ accuratam habeamus notitiam, reliquum est ut post cæremonialium præceptorum explicationem, quæ populum illum ad Deum ordinabant, de Forensibus seu Judicialibus ejusdem legis præceptis agamus, quæ Israelitas ordinabant ad invicem. Quadruplex autem ordo in aliquo populo inveniri potest, inquit S. Thomas 1-2, quæst. 104, art. 4: Primus, principum populi ad subditos; secundus, subditorum ad invicem; tertius, ad extraneos; quartus, ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum, et domini ad servum. Et secundùm quadruplicem illum ordinem distingui possunt præcepta judicialia veteris legis. Dantur enim in eâ quædam præcepta de institutione principum, et officio eorum, et de reverentiâ eis exhibendâ; et hæc est prima pars judicialium præceptorum. Dantur quædam præcepta spectantia populares, et concives ad invicem comparatos; et hæc est secunda pars judicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, ut de bellis contra hostes, et susceptione peregrinorum et advenarum: et hæc est tertia pars judicialium præceptorum. Dantur denique in lege præcepta quædam pertinentia ad conversationem domesticam, nempe de uxoribus, filiis et servis; et hæc est quarta classis judicialium præceptorum.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De præceptis judicialibus spectantibus principes; et de theocratico Israelitici populi regimine.*

I. Ordinem optimum circa principes divinâ lege institutum probat S. Thomas ex duabus conditionibus ad rationem regiminis optimi requisitis: quarum prima est ut omnes aliquam partem habeant in principatu; medium enim istud efficacissimum est ad pacem populi conservandam: altera, ut sit præstantissima species principatûs, nempe monarchia aristocratiâ temperata; ita ut unus quidem præsit, selecti verò ex populo, et à populo optimates in partem regiminis veniant. Hæc autem ratio fuit administrationis reipublicæ Hebræorum lege divinâ instituta. Moyses enim et ejus successores auctoritate quasi monarchica populum regebant. Unde Deuteronomii 33, 4, dicitur: *Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.* Secundùm Hebræum textum, et Chaldaicam paraphrasim, regis nomen clariùs et expressiùs ad Mosem refertur: *Et fuit rex in Israel.* Hinc S. Stephanus, Actuum 7, de Moyse ait: *Hunc Deus principem et redemptorem misit.* Et Philo, libro 3, de ejus vitâ, regem illum vocat: *Hæc est vita,* inquit, *hic exitus Mosis, regis, legislatoris, pontificis, prophetæ.* Eligebantur autem ex omni populo 72 seniores, qui regiminis participes essent, ac rerum gerendarum, judiciorumque administri, Exodi 18, 21: *Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones, et quinquagenarios et decanos, qui judicent populum omni tempore; quidquid autem majus fuerit referant ad te, et ipsi minora tantummodò judicent; leviusque sit tibi, partito in alios onere.... Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille (scilicet Jethro) suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos et decanos qui judicabant plebem omni tempore: Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum.* Et Deuteron. 1: *Dixi vobis..* (inquit Moyses) *Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, et quod justum est judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam: Præcepique omnia quæ facere deberetis.*

II. Israelitici tamen populi regimen nec monarchia propriè fuit ad Saulem usque, nec Aristocratia, sed Theocratia. Quamvis enim Moyses et Seniores, et post Moysis obitum, Josue, deinde judices, rempublicam Israeliticam moderarentur; Deus tamen summæ re-

rum præerat, et non modò sacra, sed et civilia omnia supremo cum imperio ceu rex politicus regebat; Moyses autem et seniores, Josue, Judices, vicarium tantùm imperium gerebant, et juxta Dei responsa vel præcepta rempublicam administrabant. Dei regia potestas et absolutum in gente israeliticâ imperium ex Scripturâ sacrâ liquidò probatur Judicum 7, ubi Israelitæ à Madianitarum jugo Gedeonis virtute liberati, ipsi et posteris ejus imperium et principatum obtulerunt, dicentes : *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui : quia liberâsti nos de manu Madian.* At Gedeon principatum respuit, ne jura Dei qui rex erat Israelis, usurparet. *Non dominabor vestri*, inquit, *nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* Et 1 Regum 7, Samuelem populi regem postulantis vota molestè ferentem Deus ita consolatur : *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Quibus verbis Deus indicat, non solùm theocratiam naturalem se in Israelitas exercuisse, quam in omnes creaturas jure creationis et omnipotentiæ suæ à primâ rerum origine exercuit et semper exercebit, sed etiam theocratiam civilem, et politicum imperium; quod ex verbis Samuelis, cap. 12 relatis, confirmatur. « Videntes quòd Naas rex filiorum Ammon venisset adversùm vos, dixistis mihi : Nequaquàm, sed rex imperabit nobis : Cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis. » Hinc solium, cui Salomon insedit, solium Domini appellatur, 1 Paralipomenon 29, 23, et regnum, quod ejus posteri tenuerunt, regnum Domini, 2 Paralipomenon 11, 1, 8, et judicium quod principes populi ferebant, Dei judicium, Deuteronomii 1, 17. Hinc Jerusalem civitas Dei, et civitas Regis Magni dicitur Psalmo 47, 1, 2. Alibi etiam non semel titulus regis Israel Deo tribuitur, Psalmo 149, 2 : *Lætetur Israel in eo qui fecit eum; et filii Sion exultent in rege suo;* Jeremiæ 51, 57 : *Ait rex, Dominus exercituum nomen ejus ;* Matthæi 5, 34 : *Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est Magni Regis.*

Præterea, Deus ea omnia egit in republicâ Israelis, quæ terrenis regibus conveniunt. Leges dedit in monte Sinai, quas etiam mercede et pœnis temporalibus propositis observari jussit. Ille controversias omnes graviores circa res sacras aut civiles exortas, responsis ex propitiatorio, quod et oraculum dicitur, datis diremit, ac sententiam tulit, ut constat ex Exodi 18, 19, ubi Jethro ait Moysi : *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum ;* et Numerorum 27, 4, ubi, *cùm filiæ Salphaad patris hæreditatem postularent, retulit Moyses causas eorum ad judicium Domini, qui dixit ad eum : Justam rem postulant filiæ Salphaad ; da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hæreditatem succedant. Deus israeliticæ gentis bella pugnavit.* Josue 23, 3, 10 : *Cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit : et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram... Unus è vobis persequetur hostium mille viros. Quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnavit, sicut pollicitus est.* Hinc Deus *Triumphator in Israel* appellatur, 1 Reg., 15, 29.

Tertiò, jura majestatis apud Israelitas, antequàm regem haberent, uni Deo reservata erant. Ille enim duces et judices, proreges et vicarios suos constituebat, Judicum 3, 10 : *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet... Fuitque in eo Spiritus Domini et judicavit Israel;* cap. 6, 10, Dominus per angelum Gedeoni loquens, ait : *Vade in hâc fortitudine tuâ, et liberabis Israel de manu Madian. Scito quòd miserim te.* Judices nulla regiæ potestatis insignia gestabant; in reipublicæ negotiis difficillimis Deum ex oraculo respondentem consulebant, quod argumentum est vicariæ tantùm, et delegatæ præfecturæ. Numerorum 27, 16, Moyses Deum his verbis compellavit : *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc : et possit exire et intrare ante eos, educere eos vel introducere : ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. Dixitque Dominus ad eum : Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, et omni multitudine, et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum, ad verbum ejus egredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo.* Judic. 20, 18 : *Surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo ; consuluerunt que Deum, atque dixerunt : Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus : Judas sit dux vester. Rursùm Israelitæ aciem contra Benjaminitas direxerunt, ita tamen ut priùs ascenderent et fierent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum et dicerent : Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit : Ascendite ad eos, et inite certamen;* 26, 27, 28 : *Omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino, jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta atque pacificas victimas, et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, et Phinees filius Eleazari filii Aaron, præpositus domûs. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt : Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus : Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.* Nulli ad publicum aliquod munus gerendum sine Dei consensu evehi poterant, Deuteronomii 17, 14, 15 : *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque ibi, et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Numer. 11, 16, 17 : *Dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti quòd senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium*

*tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum ut descendam, et loquar tibi : Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.* Sicli dimidium, tributi loco, Israelitæ omnes, annum vigesimum supergressi, Deo, tanquàm regi suo, solvere quotannis tenebantur, Exodi 30, 13, 14 : *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi... Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis et supra, dabit pretium, etc.* Porrò Deus Israelitas in populum sibi peculiarem elegit, ab iisque vicissim rex eligi voluit, ut gentis illius regimen et imperium populi suffragiis et consensu, potiùs quàm eminentiæ suæ jure habere videretur. Deus Israelitis, Israelitæ Deo regum et subditorum ritu mutuo fœdere se obstrinxerunt. Illos in clientelam Deus recepit, seque in terram Chanaan illos introducturum sanctissimè promisit; illi datas à Deo leges fideliter ac religiosè se observaturos polliciti sunt, Exodi 19, 4 et seq.: *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Venit Moyses, et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus, responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus* 23. 20 : *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in viâ, et introducat in locum quem paravi..... Si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te.* 24, 3 : *Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia; responditque omnis populus unâ voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Deuteronomii 26, 17, 18, 19 : *Dominum elegisti hodiè, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius : et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem et nomen, et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui.* Hinc lex populo israelitico data, Fœderis et Pacti nomine insignitur. Deuteronomii 4, 13 : *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vobis ut faceretis, et decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.* 29, 1 : *Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terrâ Moab; præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Fœdus illud Deum inter et populum solemni ritu confirmatum est, Exod. 29, scriptis universis sermonibus Domini, ædificato altari, holocaustis et victimis pacificis Domino immolatis : *Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras, partem autem residuum fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. Qui dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et Septuaginta de Senioribus Israel, et viderunt Deum Israel... et comederunt et biberunt.* Quartò, plurima legis Mosaicæ instituta Deo quatenùs regi Israelis conveniunt; tabernaculum, et deinde templum instar palatii regii fuêre, Exodi 25, 8 : *Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum.* Arca et propitiatorium solii regii vicem præstabant. Ornamenta, supellex et vasa tabernaculi regiæ magnificentiæ conveniebant. Hinc Abarbanel ad Exodi 25 : *In tabernaculo*, inquit, *fuêre mensa, et candelabrum et ara suffitûs, tanquàm ad ministerium regis mundi aptæ. Non quòd illi, cui laus omnis, harum ullâ re opus esset, absit ita sentiamus; sed ut populi animæ penitùs insideret, in mediis Israelis castris versatum esse Dominum Deum ipsius.* Sacerdotes et levitæ tanquàm ordinis et dignitatis diversæ famuli instituti sunt, qui Deo tanquàm regi Israelis ministrarent. Quintò, sicut cæteras gentes à regibus suis, ita populum hebræum à Deo gubernatum fuisse, colligitur ex 17 Ecclesiastici 14 : *In unamquamque gentem præposuit rectorem : et pars Dei Israel facta est manifesta.*

Confirmatur ex Josepho, lib. 4 Antiquit. Judaicar., cap. 8, ubi Deum sic Judæos alloquentem inducit : « Optimum quidem est optimatum regimen, et in sic « administratâ republicâ vivere, nec est cur aliam « ejus speciem concupiscatis ; sed præstat ut hâc « contenti, in legum et vestrâ ipsorum potestate sitis. « Satis enim est Deum habere præsidem. » Et infra, belli leges Moyse præscriptas recensens, sic eum loquentem inducit : « Exercitum contra eos (hostes) « educite, imperium Deo committentes, creato uno « aliquo forti viro, qui vicarius illi sit, et quasi proim- « perator. » Et lib. 2 contra Appionem : « Quis ejus « quidquam movere potest, aut quid melius ad inve- « nit? Vel quis ab aliis gentibus tanquàm præcellen- « tius ad statum reipublicæ nostræ aliquid transferre « potest? Aut quæ poterit esse melior atque justior, « quàm ea quæ Deum quidem principem omnium esse « confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem « res præcipuas dispensare permittit, summo verò « pontifici aliorum sacerdotum principatum competen- « ter injugit. » Ibidem : « Infinitæ quidem particulatim « gentium atque legum apud cunctos homines diffe- « rentiæ sunt. Alii siquidem monarchis, alii populo, « potestatem reipublicæ commisêre. Noster verò Le- « gislator, nihil horum intendens, θεοκρατιὸν ἀπεῖπεν τῇς « πολιτείας, politiam nostram divinum imperium de- « claravit : Deo præcipuè principatum et potentiam « assignans. »

Confirmatur secundò ex Theodoreto, quæstione 14 in 1 Regum, ubi quærit, « quamobrem doluit Deus, « cùm regem petiisset populus? respondet : Quo- « niam petitio erat præter legem divinam. Domi- « nus enim Deus et Dei et Regis implebat munus. « Propheta autem Samuel erat administer, et velut « quidam præfectus, aut magister militum, aut tri- « bunus plebis. Atque hoc Deus ei significavit, « dicens : *Audi vocem populi, quoniam non te*

« *spreverunt*, *sea me ut non regnem super eos.* »

Confirmatur tertiò ex S. Thomâ, 1-2, quæst. 105, art. 1, ad 1. « Populus ille, inquit, sub speciali curâ « Dei regebatur. Unde dicitur, Deuteronom. 4 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* « Et ideò institutionem summi principis Dominus sibi « reservavit ; et hoc est quod Moyses petivit, Numerorum 27 : *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Et « sic ex Dei ordinatione institutus est Josue in principatu post Moysen ; et de singulis judicibus, qui « post Josue fuerunt, legitur, quòd *Deus suscitavit populo salvatorem*, et quòd *Spiritus Domini fuit in eis*, « ut patet Judicum 2. Et ideò etiam electionem regis « non commisit Dominus populo, sed sibi reservavit, « ut patet Deuteronomii 17 : *Eum constitues regem*, « *quem Dominus Deus tuus elegerit.* »

III. Porrò quamvis regem Israelitis Deus non dederit, donec eorum adulta respubiica esset, ac felicis reginiinis mutationem votis et importunis petitionibus populi novitatem amantis, et gentium moribus conformari volentis, quasi indignatus concesserit ; de regis tamen electione congruo tempore faciendâ, et conditionibus ab illo subeundis providentissimè statuit Deuteronomii 17, 14, 15, et seq. Ac primò quidem eligendi modum præscripsit, ut scilicet in ejus electione judicium Domini expectarent, nec alienigenam regem crearent, quia reges alienigenæ gentem, cui præficiuntur, minùs diligere solent, resque illius minùs curare: *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Malè hoc Zelotæ eò trahebant, quasi externis regibus parere non liceret. Lex enim agit de voluntariâ electione, non de eo quod indixit necessitas. Voluit Deus ut tempore Babylonicæ captivitatis Judæi Nabuchodonozori regi parerent, et in Sedeciam animadvertit, quòd fœdus cum illo initum violâsset, atque ad regem Ægypti confugisset, ut videre est Jeremiæ 38, 17, et Ezechielis 17, 12, 13, 14, 15. Adversùs Zelotas illos disputans Agrippa apud Josephum ita loquitur : « Intempestivum est nunc libertatem appetere, cùm oportuerit « de eo, ne ea amitteretur, certâsse olim : dura enim « servitutis experientia, et justum certamen ne ejus « initium fiat. At simul victus, si deficit, non libertatis « est amans, sed servus petulans. » Quem secutus Josephus, ipse obsessos Jerosolymitas sic affatur : « Quòd « si est pulchrum pro libertate bellare, id olim factum « oportuit ; at cùm simul succubitum est, multisque « temporibus concessum alteri imperium, velle deinde « excutere jugum, mortem quærentium est, non libertatem amantium. » Secundò, regibus, postquàm instituti forent, præscripsit Deus quomodò se gerere deberent quantùm ad personalem et œconomicum statum, ut scilicet non multiplicarent currus et equos, neque uxores, nec immensas divitias congererent : quia ex horum cupiditate principes justitiam deserunt, et ad tyrannidem declinant : *Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatûs numero sublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera.* Cùm in Judæâ equorum inopia esset, adeò ut viri etiam principes asinis veherentur, Judicum 10, 4, 12, 14, Paralipomenon 27, 30, vetat Deus regi multitudinem equorum, ne detur inde occasio popularibus migrandi in Ægyptum equis feracem, unde idololatricas superstitiones in Judæam reportarent. Præterea, vult eos soli Deo fidere, inquit, Theodoretus, q. 18 in Deuteronom., suam expositionem Davidis oraculo confirmans, Psalm. 32 : *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem; in abundantiâ autem virtutis suæ non salvabitur.* Uxores etiam plurimas regi prohibet, ne scilicet reges Israelis more Orientalium regum gynecæa feminis referta ad fastum, luxum et voluptatem haberent. Ipsis tamen polygamis esse licuit. Magistrorum auctoritas octodecim simul uxores regi habere permisit. Sanctum Augustinum hâc de re disserentem audiamus, q. 26 in Deuteronomium. « Quæritur, inquit, utrùm David contra hoc præceptum non fecerit : non enim unam habuit uxorem. Nam de Salomone manifestum est, « quòd transgressus fuerit hoc præceptum, et in feminis, et in auro, et in argento. Sed hinc potiùs intelligitur permissum fuisse regibus ut plures haberent « quàm unam : multiplicare enim prohibiti sunt ; quæ « prohibitio non habet transgressionem si paucæ fuerint, sicut David fuerunt, non autem multæ sicut « Salomoni. Quamvis cùm addit : *Ut non discedat cor ejus*, hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando « perveniat ad alienigenas feminas, per quas factum « est in Salomone, ut discederet cor ejus à Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiamsi ex Hebræis solis eas multiplicâsset, contra hoc « præceptum fecisse meritò argui posset. » Statuit etiam Deus quomodò reges gerere se deberent erga Deum ut scilicet in lectione et meditatione divinæ legis assiduè versarentur, illumque timerent, ac illius mandatis morem gererent : *Postquàm autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus levitici tribûs, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præscripta sunt.* Statuit denique Deus quomodò reges gerere se deberent erga subditos, ut scilicet non superbè eos contemnerent, vel opprimerent, neque etiam à justitiâ declinarent : *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnent ipse et filii ejus super Israel.*

IV. Ne quis verò putet, Deum tyrannidem instituisse, quia, 1 Regum 8, per Samuelem ait : *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum et fabros armorum et curruum suorum. Filias quo-*

*que vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et pacificas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes vestras et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros et ancillas et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Ut enim docet S. Thomas loco supra laudato, in Responsione ad 5, « illud « jus non debebatur regi ex institutione divinâ; sed « magis prænuntiabatur usurpatio regum, qui sibi jus « unicum constituunt, in tyrannidem degenerantes, et « subditos deprædantes. Unde subdit : *Vosque eritis ei « servi;* quod propriè pertinet ad tyrannidem. Quia tyranni suis subditis principantur ut servis. Unde hoc « dicebat Samuel ad terrendum eos, ne regem petè- « rent : sequitur enim : *Noluit autem audire populus « vocem Samuelis.* » Samuel itaque Dei nomine prænuntiat tyrannidem à regibus nonnullis exercendam in Israelitas, in pœnam ingratitudinis erga Deum, contumaciæ, superbiæ, violationis fidei divinæ ipsius majestati præstitæ. *Et clamabitis,* inquit, *in die illâ à facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis regem.* Attamen, inquit S. Thomas, potest contingere quòd bonus rex absque tyrannide filios tollat, et constituat tribunos et centuriones, et multa accipiat à subditis suis, propter commune bonum procurandum.

### Articulus II.

*De præceptis judicialibus spectantibus populares et concives ad invicem comparatos.*

I. Præceptorum judicialium quædam judicia pœnasque spectant; quædam de possessionibus decernunt. Utraque convenienter in lege tradita probat S. Thomas, 1-2, quæst. 105, art. 2 : « Populus, inquit, est « cœtus multitudinis, juris consensu, et utilitatis « communione sociatus. Unde ad rationem populi pertinet, ut communicatio hominum ad invicem justis « præceptis legis ordinetur. Est autem duplex communicatio hominum ad invicem : una quidem quæ fit auctoritate principum; alia autem fit propria voluntate privatarum personarum. Et quia voluntate « uniuscujusque disponi potest quòd ejus subditur « potestati, ideò auctoritate principum, quibus subjecti « sunt homines, oportet quòd judicia inter homines « exerceantur, et pœnæ malefactoribus inferantur. « Potestati verò privatarum personarum subduntur res « possessæ : et ideò propriâ auctoritate in his possunt « sibi invicem communicare, emendo, vendendo, donando, aliisque hujusmodi contractibus et commerciis. « Circa utramque autem communicationem lex suffi- « cienter ordinavit. » Unde singularis beneficii loco traditio judicialium præceptorum commemoratur Psalmo 147 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

II. Quod enim judicia pœnarumque irrogationem spectat, Deus judices inprimis constitui jussit : *Judices et magistros constitues in omnibus portis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent,* Deuteronomii 26, 18. Hebræis et eis qui in eorum ritus transierant, tribunalia fuêre ordinaria trium virorum, et vinginti triumvirorum quàm plurima per urbes, oppida, ac pagatim disposita, præter magnum Synedrium 72 judicum Hierosolymis constitutum, quibus jus secundùm præcepta Mosaica, et ea quæ ex majorum institutis moribusque adjecta essent, cùm popularibus, tùm proselytis justitiæ dicebatur. De quibus videri potest Seldenus, lib. de Synedriis Hebræorum. Proselytis domicilii jus dicebatur secundùm jura Noachidarum, eisque judices sive ex hujusmodi Proselytis sive ex Hebræis constituebantur ab iis qui tribunalibus Israeliticis præerant, teste Maimonide in Hal. Melak, cap. 10. De causis pecuniariis triumviri, de capitalibus XXIII, de causis religionis Synedrium magnum, judicabant. Secundò rectum judiciorum ordinem Deus instituit, Deuteron. 1, 16 : *Præcepitque eis dicens : Audite illos, et quod justum est judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Tertiò sustulit Deus occasionem injusti judicii, acceptionem munerum judicibus prohibens, Exodi 23, 8 : *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum.* Deuteronomii 16, 19 : *Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Quartò, numerum testium, duorum vel trium Deus instituit, Deuteronom. 17, 6 : *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.* Et 19, 15 : *Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati et facinoris fuerit; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Attamen Noachides ex unius judicis sententiâ, uniusque testis testimonio, afficiebatur ultimo supplicio, idque sine præmonitione atque testimonio propinquorum. Minimè verò ex testimonio feminæ. Neque licuit feminæ illis jus dicere, uti nec Hebræis, ut refert Maimonides in Hal. Melak, cap. 9. Quintò, certas pœnas pro diversis delictis justissimus Legislator instituit, et quidem peccatis æquas, ut qui non redderet faciendo justitiam, redderet patiendo miseriam, ut ait sanctus Augustinus, libro 3 de Libero Arbitrio. Ex multis autem capitibus attenditur proportio pœnæ cum delicto, ex iisdem scilicet ex quibus æstimatur delicti gravitas : Primò ex quantitate peccati, quia majori peccato, cæteris paribus, gravior pœna debetur; secundò, ex peccati consuetudine, quia hominum peccatis assuetorum licentia nonnisi gravioribus pœnis coercetur; tertiò, ex effreni concupiscentiâ et affectu peccantis, necnon delectatione, quam ex peccato capit. Ab his enim illecebris et voluptate facilè non retrahuntur homines miserè inescati, nisi graviorum metu pœnarum; quartò, ex facilitate committendi peccatum, et in ipso manendi. Quæ enim facilè committuntur delicta, graviùs puniri oportet in aliorum exemplum et terrorem. In ipsâ etiam quantitate peccati quadruplex gradus est attendendus :

Primò, cùm factum involuntarium est; si enim prorsùs involuntarium sit, nulli pœnæ est obnoxium. Hinc Supremus Legislator edixit, Deuteronomii 22, 25, 26, 27 : *Si in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum eâ, ipse morietur solus; puella nihil patietur, nec est rea mortis; quia sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus; ita et puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit, et nullus adfuit qui liberaret eam.* Si verò factum aliquo modo voluntarium fuerit, sed tamen ex infirmitate commissum, puta ex gravi animi perturbatione, levius peccatum est, adeòque leviori pœnâ plectendum, nisi ob publicam utilitatem pœnam aggravare necesse sit, ut ab hujusmodi delictis homines cohibeat severior disciplina. Atque earum etiam circumstantiarum Supremus Legislator rationem habuit. Secundus gradus est, peccatum ex ignorantiâ. Qui enim ex ignorantiâ peccabat, quodam modo reus censebatur propter negligentiam addiscendi. Publicorum tamen judiciorum censuræ non subjacebat, sed delictum suum præscriptis per legem sacrificiis expiabat, Levitici 4 : *Anima quæ peccaverit per ignorantiam*, etc. Quod de ignorantiâ facti, non juris præceptique divini intelligendum est. Tertius gradus est, peccatum ex superbiâ, id est, ex certâ electione, vel malitiâ, quod secundùm quantitatem delicti puniebatur. Quartus, peccatum ex protervià et pertinaciâ, cujus reus, quasi rebellis, et legis (quantùm in ipso erat) destructor, capitis damnabatur.

III. Graviora itaque crimina pœnâ mortis vindicabantur. Unde, quæcumque contra Deum committebantur, ut idololatria, cæteræque superstitiones, blasphemia, schisma, violatio Sabbati; et gravissima contra proximum, ut irreverentia contumax in parentes, eorumque contemptus, homicidium, plagium, seu furtum hominum, adulterium, conjunctiones incestæ, libidinum contra naturam monstra, erant capitalia facinora. Bruta ipsa animantia certis in casibus lex occidi jussit, non ob aliquam ipsorum culpam, sed in pœnam dominorum, qui non caverant ne proximo grave nocumentum inferrent; vel in execrationem turpissimi et abominandi criminis, et ne ex eorum aspectu aliquis horror hominibus incuteretur, et revocaretur in memoriam quod æternâ oblivione sepeliendum erat, Exodi 21, 28 : *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur.* Levitici 20, 15, 16 : *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo.* Adversùs furta rerum, non personarum, pœna damni duntaxat, sive mulcta constituta est. Et pro furto quidem rerum quæ facilè ab invasione furum custodiri possunt, fur duplum restituere cogebatur, Exodi 22, 7; pro furto verò rerum quarum difficilior custodia est, mulctam lex infligit graviorem. Unde furtum de pascuo graviùs mulctabatur, quàm de domo, Exod. 22, 1 : *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro unâ ove.* Hanc regulam in plectendis furtis et profanæ gentes observârunt. De Scythis Justinus scribit, lib. 2, cap. 2 : « Nullum « scelus apud eos furto gravius. Quippe sine tecti munimento pecora et armenta habentibus quid salvum esset, si furari liceret? » Hinc Aristoteles in Problematis sectione 29, loquens de lege Atticâ, quæ fures balneares in ipsis balneis morte plecti decreverat, si æstimatio decem drachmis major esset : « Legis auctor, « inquit, cùm sciret illis in locis dominos res suas custodire non posse, custodem legem addidit. » Percussiones et mutilationes pœnâ talionis vindicabantur, Exodi 21, 24 : *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, etc.; et Levitici 24, 19 : *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei; fracturam pro fracturâ, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Postulationem porrò talionis Hebræis non permissam tanquàm vitio carceret, sed majoris duntaxat mali vitandi causâ, ad injuriam scilicet coercendam similis pœnæ metu, docet Tertullianus, libro 4 adversùs Marcionem, cap. 16 : « Novam planè patientiam docet « Christus, inquit, etiam vicem injuriæ cohibens, permissam à Creatore, oculum exigente pro oculo, et « dentem pro dente; contra ipse alteram ampliùs « maxillam offerri jubens, et super tunicam pallio « quoque cedi. Planè hæc Christus adjecerit, ut supplementa consentanea disciplinæ Creatoris. Atque « adeò hoc statim renuntiandum est, an disciplina patientiæ prædicatur penès Creatorem. Si per Zachariam præcepit, *ne unusquisque malitiæ fratris sui meminerit*, sed nec proximi. Nam et rursùs : *Malitiam*, inquit, *proximi sui unusquisque non recogitet.* « Multò magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit « oblivionem. Sed et cùm dicit : *Mihi vindictam et ego vindicabo*, proinde patientiam docet vindictæ expectatricem. In quantùm ergo non capit, ut idem videatur et dentem pro dente, oculum pro oculo, in « vicem injuriæ exigere, qui non modò vicem, sed « etiam ultionem, etiam recordationem et recogitationem injuriæ prohibet, in tantum aperitur nobis « quomodò oculum pro oculo, et dentem pro dente « censuerit, non ad secundam injuriam talionis permittendam, quam prohibuerat, interdictâ ultione, « sed ad primam coercendam, quam prohibuerat opposito talione, ut unusquisque respiciens licentiam « secundæ injuriæ, à primâ semetipsum contineret. « Faciliùs enim vi comprimi scit repræsentatione talionis, quàm repromissione ultionis. Utrumque autem constituendum fuit pro naturâ et fide hominum; « ut qui Deo crederet, ultionem à Deo expectaret; « qui minùs fideret, leges talionis timeret. Hanc legis « voluntatem de intellectu laborantem, Dominus et « Sabbati, et legis, et omnium paternarum dispositionum, Christus et revelavit, et compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem, ut tantò « magis vicem injuriæ extingueret, quam et lex per « talionem voluerat impedisse, certè quam prophetia « manifestè coercuerat; et memoriam injuriæ prohibens, et ultionem ad Deum redigens. Ita si quid

« Christus intulit, non adversario, sed adjutore præ-
« cepto, non destruxit disciplinas Creatoris. » Legantur quæ supra observavimus, dissertatione 2, ad 5 Decalogi præceptum, § 49. Minora peccata flagellatione, vel ignominiâ lex puniri jussit. De flagellatione, Deuteronomii 25, 2, ita statutum : *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati, erit et plagarum modus;* ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Hæc pœna infligebatur, cùm alia pœna in lege expressa non erat, peccatumque erat contra præceptum vetans, non mente, aut verbo, sed facto. Ubi etiam excisio, pœna Deo reservata, mortis mentione non addita, judices, si ad ipsos res deveniret, monitioque præcessisset, reum verberibus expiabant. Ea verbera, accedente confessione, valere credebantur ad evitandam pœnam à Deo reservatam, ut ex Hebræorum doctrinâ Gratius observat in Deuteronomii 25. Pœnam infamiæ irrogandam ei lex edixit, qui uxorem fratris sui, absque liberis defuncti, ducere recusaret. Deuteronomii 25, 7 : *Si responderit : Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram Senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius et dicet : Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.* Pœnam servitutis duobus duntaxat in casibus Hebræis infligi voluit cœlestis Legislator : Primò cùm anno septimo remissionis servus beneficio legis uti nolebat ut libertate donaretur, in pœnam addicebatur perpetuæ servituti, Deuteronomii 15 : *Sin autem dixerit : Nolo egredi, eò quòd diligat te, et domum tuam, et benè sibi apud te esse sentiat, assumes subulam, et perforabis aurem ejus in januâ domûs tuæ, et serviet tibi usque in æternum. Ancillæ quoque similiter facies.* Secundò, pœna servitutis infligebatur furi, qui restituere non poterat secundùm præscriptum legis, Exodi 22, 3 : *Si non habuerit quo pro furto reddat, ipse venumdabitur.* Pœnam exilii universaliter lex non statuit, quia in solâ Judæâ Deus colebatur, cæteris gentibus per idololatriam corruptis. Unde si quis ab Israelitico populo universaliter exclusus esset, daretur ei occasio idololatriæ. Unde David Saüli dixit, ut refertur 1 Regum, 26, 19 : *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt me hodiè, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis.* Erat tamen aliquod particulare exilium, quo involuntarium homicidam lex damnabat, si caput suum salvum præstare vellet. Ad unam scilicet urbium refugii confugiendum ipsi erat, ibique manendum usque ad mortem summi sacerdotis ; quâ contingente, se in domum suam tutò recipere poterat, Deuteronomii 19, 4, et seq., Numer. 35, 25. Observatio est sancti Thomæ, primâ secundæ, Quæstione 105, Articulo 2, in Responsione ad decimum. Ideò autem ad obitum usque pontificis, reditum ejus qui alterum nolens interfecisset, lex distulit, « quia, mors pontificis secun-
« dùm ordinem Melchisedech, humani peccati solutio.
« Hic reduxit in Paradisum eos qui illinc fuerant
« ejecti. Porrò temporis illius spatio fuga homicidæ
« propinquorum molliebat animum, ac cædis libidi-
« nem refrenabat. Quòd autem post obitum pontificis
« de exulantibus cessabat vindicta, satis valebat ad
« persuadendum propinquis, ut in reliquum iram ex-
« tinguerent, tanquàm mortuo pontifice sub quo deli-
« ctum fuit admissum et quòd Legislator tum delicto,
« tum vindictæ præfinierit terminum. »

IV. Ad excitandam inquirendi de homicidio occulto diligentiam, lata lex est Deuteronomii 21, ut scilicet vicinioris civitatis Seniores vitulam jugo non subactam de armento acciperent, ducerentque in vallem asperam, saxosam, incultam, ubi cæsis vitulæ cervicibus, coram sacerdotibus manus suas levarent super eam, dicentes : « Manus nostræ non effuderunt sanguinem
« hunc, nec oculi viderunt. Propitius esto populo tuo
« Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes san-
« guinem innocentem in medio populi tui. » Ad prodendum homicidium, ad execrationem cædis, ad iram Dei è populo civitatis avertendam, ritus ille institutus est.

V. Quod possessiones attinet, optimum est, inquit, sanctus Thomas, quæstione et articulo supra laudatis, ut distinctæ sint, et usus earum sit partim communis, partim voluntate possessorum communicetur. Hæc porrò tria Mosaicâ lege statuta sunt. Primò enim possessiones singulis erant distributæ, Numerorum 33 : *Ego dedi vobis terram in possessionem, quam dividetis sorte vobis.* Et quia possessionum irregularitas plerùmque civitatibus et respublicis ruinam affert, lex triplex remedium huic malo adhibuit : primum quidem ut pro numero hominum æqualiter dividerentur, Numerorum 33, 54 : *Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem ; singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur.* Secundum remedium est alienationis perpetuæ prohibitio, statutaque certo tempore eversio rerum venditarum ad suos possessores, ne sortes hæreditatum confunderentur. Quia verò domus urbanæ non erant sorte distinctæ, lex earum alienationem in perpetuum permisit, sicut et bonorum mobilium. Domus verò quæ in villâ muris non septâ sitæ erant, in perpetum vendi non poterant, quia domus hujusmodi non construuntur nisi ad culturam et custodiam possessionum ; ideòque lex jus idem circa utrumque statuit, Levitici 25 : *Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ : ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam .... Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ redemptionis conditione vendetur. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, et quod reliquum est reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam ; quòd si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat,*

*usque ad annum Jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad Dominum, et ad possessorem pristinum. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec impleatur annus. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in Jubilæo. Sin autem in villâ fuerit domus quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in Jubilæo revertetur ad Dominum.* Tertium remedium ad possessionum inæqualitatem et confusionem tollendam, est propinquiorum successio in possessiones morientium, ut scilicet primo gradu filius, secundo filia, tertio fratres, quarto patrui, quinto quicumque cognati hæreditatem adeant. Sed tamen, ad distinctionem sortium in singulis tribubus conservandam, lex statuit ut mulieres, defectu fratrum hæredes, alienæ tribûs et familiæ hominibus non nuberent. Quæ lex occasione filiarum Salphaad lata est, quibus patris absque prole masculâ defuncti hæreditas divino adjudicata est oraculo, Numerorum 36, 6 : *Et hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est : Nubant quibus volunt, tantùm ut suæ tribûs hominibus; ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione suâ : et cunctæ feminæ de eâdem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita mancant ut à Domino separatæ sunt.* Vulgata nostra hìc paulò obscurior, quæ hanc de connubiis legem inter viros et feminas ejusdem tribûs ad omnes omninò feminas ac viros absque exceptione extendere primâ fronte videtur, ex Hebræo textu et Samaritano, ex versione Sept. Interpretum, Chaldaicâ Paraphrasi, aliisque versionibus orientalibus illustratur, ex quibus evidens est hanc legem ad illas duntaxat feminas pertinere, quibus, defectu fratrum, paternam hæreditatem adire datum est, exemplo filiarum Salphaad. Sic enim habet textus Hebræus ad verbum redditus : « Omnis ideò filia possidens hæreditatem de tribubus filiorum Israel, alicui de familiâ « tribûs patris sui erit in uxorem, ut possideant filii « Israel singuli hæreditatem patrum suorum. » Versio τῶν Sept. Latinè reddita sic habet : « Et non circumvertetur hæreditas filiis Israel à tribu in tribum, « quoniam unusquisque in hæreditate tribûs familiæ « suæ, conjungentur filii Israel. Et omnis filia vendicans hæreditatem è tribubus filiorum Israel, uni eorum « qui de populo patris sui, erunt uxores; ut vendicent « filiis Israel unusquisque hæreditatem paternam « suam. » Ita textus Samaritanus : « Omnis ideò filia, « possidens hæreditatem de tribubus filiorum Israel, « alicui de familiâ tribûs patris sui erit in uxorem, ut « possideant filii Israel singuli hæreditatem patrum « suorum; et non circumagatur hæreditas de tribu in « tribum aliam, sed unusquisque ex tribubus filiorum « Israel hæreditati suæ adhæreat. » Ita Targum Onkelos : « Et omnis filia hæres possessionis de tribu filiorum Israel, uni de familiâ tribûs patris sui sit in « uxorem, ut hæreditent filii Israel singuli possessionem patrum suorum, et non transferatur possessio « de unâ tribu in aliam tribum, sed unusquisque tribuum filiorum Israel adhæreat possessioni suæ. » Ita versio Syriaca : « Et quæcumque filia hæreditatem « possederit in tribu filiorum Israel, alicui ex tribu « domûs patris sui nubat, ut possideat quisque filiorum Israel hæreditatem patris sui, et non provolvatur hæreditas à tribu ad tribum aliam, sed unusquisque de tribubus filiorum Israel hæreditati suæ « adhæreat. » Ita versio Arabica : « Et simile esto judicium cujuslibet filiæ, quæ hæreditabit possessionem ab aliquâ tribu filiorum Israel. Fiat enim alicui ex familiâ tribûs patrum suorum conjux, ut hæreditet quælibet tribus ex eis possessionem patrum « suorum, et non vagetur ulla possessio, quæcumque « illa fuerit, ab unâ tribu ad tribum aliam, sed adhæreat unaquæque tribus ex filiis Israel possessioni « suæ. »

VI. Secundò, lege sancitum est, ut quantùm ad aliqua rerum usus communis esset. Primò quantùm ad curam, Deuteronomii 22, 1 : *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nôsti eum. Duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiù quærat ea frater tuus, et recipiat,* etc. 2° Quantùm ad fructum; omnibus enim concessum erat ut unusquisque ingressus in vineam proximi uvas impunè comederet, non tamen extra ferre posset, similiter ut in segetem amici ingressus, spicas frangere et manu conterere posset, non falce metere, Deuteronomii 23, 24, 25 : *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantùm tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres, falce autem non metes.* Israelitas beneficentiæ assuescere, et ad mutuam rerum suarum communicationem faciles esse voluit cœlestis legislator, ut amicitiæ et charitatis, quæ finis legis est, pignus esset mutua rerum saltem modicarum communicatio. Vetuit autem ne manipuli vel racemi ex agro aut vineâ proximi efferrentur, ne gravis damni inferendi occasio daretur, ex quo pax et tranquillitas publica perturbarentur. Pauperibus verò jus specilegii et racemationis in divitum agris vineisque lex concessit, Levitici 19, 9, 10 : *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges. Neque in vineâ tuâ racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Deus vester.* Deuteron. 24, 19, 20, 21, 22 : *Quandò messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum, sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quicquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos; sed cedent in usus advenæ, pupilli ac viduæ. Memento quòd et tu servieris Ægypto, et idcircò præcipio tibi ut facias hanc rem.* Fruges etiam anni septimi pauperibus dimitti lex præcepit, Exodi 23, 10, 11 : *Sex annis seminabis terram*

*tuam, et congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui.*

VII. Lex denique statuit communicationem rerum per eos factam qui sunt illarum domini, et hanc quidem vel merè gratuitam, ad quam pertinet illud Deuteronom. 14, 28 : *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris*; vel cum utilitatis compensatione conjunctam, ut fit in venditione et emptione, in locatione et conductione, in mutuo et deposito; de quibus sanctissima sunt in Mosaicâ lege præcepta. Inprimis autem observatione digna sunt, quæ circa mutuum et commodatum sanxit cœlestis legislator. Primò quidem voluit ut faciles se præbevent ad mutuum exhibendum, nec ab hujusmodi præstando beneficio ipsos prohiberet anni septimi appropinquatio, Deuteronomii 15, 7, 8, 9, 10 : *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, ut dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum et fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei, nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus sublevandis; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ; idcircò ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terrâ.* Secundò, vetuit ne eos quibus mutuam darent pecuniam, vel usuris, vel pignorum ad sustentandam vitam omninò necessariorum acceptione gravarent; præcepitque ut accepta statim restituerent, Deuteronomii 23 : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo, absque usurâ, id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terrâ, ad quam ingredieris possidendam.* Deuteronomii 24, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam opposuit tibi.* Exodi 22, 26, 27 : *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum est enim solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, non habet aliud in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Confer Deuteronomii 24, 12, 13.

Tertiò, cavit Summus Legislator ne ab iis quibus mutuam pecuniam dederant, debita importunè exigerent, Exodi 23, 25 : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor;* Deuteronom. 24, 10, 11 : *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam aebet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas : sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit.* Quartò, Deus edixit ut anno septimo debita penitùs remitterentur. Probabile enim erat eos qui commodè reddere possent, ante septimum annum reddituros, neque creditorem beneficum fraudaturos. Si autem omninò impotentes essent, eâdem ratione remittendum ipsis debitum erat, quâ eis de novo dandum, ut eorum inopiæ subveniretur. Utrumque enim dilectio pariter imperabat, Deuteronom. 15, 1 : *Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur : Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.*

Circa animalia verò commodata lex statuit ut ob ejus negligentiam, cui commodata sunt, si absente domino moriantur, vel debilitentur, ea reddere, seu damnum compensare compellatur; si verò domino præsente id contigerit, restitutionis lege non teneatur, maximè si mercede conducta sint; quia mori pariter ac debilitari apud ipsum commodantem potuissent. Unde si salvum ac integrum animal quocumque eventu recipere deberet, lucrum ex mutuo reportaret, adeòque mutuum, gratuitum non esset, Exodi 22, 14, 15 : *Qui à proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur. Quòd si in præsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.* Si verò gratis commodatum erat animal, culpa latè sumpta obligare poterat commodatarium ad partem saltem aliquam rei pereuntis præstandam, quæ non obligâsset conductorem, qui non suo solius, sed alterius etiam, scilicet locantis commodo talem contractum iniit.

VIII. De deposito hæc lata lex est : Si depositum furto sublatum sit, furque lateat, depositarius à furti suspicione juramento se purgabit coram judicibus. Si verò depositor ipsum depositarium fraudis accuset, utriusque causam examinabunt judices, *et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo*, ut lex decernit, Exodi 22, 9; depositarius quidem, si fraudis reus judicetur, depositor verò, si iniquam actionem intenderit. Nam de mero casu teneri depositarium, planè injustum esset. Si cui commodatum animal ad custodiam fuerit, interimque pereat, debilitetur aut capiatur ab hostibus, et nemo homo viderit qui cavere posset, vel depositarii innocentiæ testimonium perhibere, juramento suspicionem omnem depositarius à se repellet, dominusque animalis illius juramento stare tenebitur. Si furto ablatum fuerit, depositarii scilicet culpâ vel incuriâ, *restituet damnum domino*. Si comestum à bestiâ, occisi seu laniati animalis reliquias ad dominum deferet, nec ad restituendum adstringetur.

IX. Ubi controversia aliqua incidisset obscurior, seu quæstio, non facti, sed juris, quæ ab urbis alicujus magistratibus dirimi non posset, sed eò usque procederet judicum contentio, ut pars minor tueri sententiam suam vellet contra majorem, et inter diversa sentientes scissura quædam civitatem illam ac vicinas

distractura oriri posset, lege sancitum est ut ad sacerdotes, vel ad judicem, si quis eo tempore populo à Deo datus præsideret, aut ad Synedrium causa referretur, ex quorum responsis ac decretis, sacerdotum quidem, et præsertim pontificis in controversiis quæ sacra spectabant, judicis verò in causis civilibus, legis interpretatio constaret. Quod ad schismatis periculum avertendum statutum est. Qui autem sacerdotis, aut pontificis imperio parere superbè et contumaciter renuebat, capitis damnabatur. Deuteronomii 17, 8, 9, 10, 11, 12 : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ.* Sic majores Ecclesiæ causas ad locum quem elegit Dominus, ad Romanam scilicet Ecclesiam, et Sedem Apostolicam, sedentemque in eâ summum pontificem, Christi vicarium, et S. Petri successorem referendas, ob divinum ejus primatum, jus et consuetudo à primis Ecclesiæ seculis stabilita, et usu continuo ad hodiernum usque diem confirmata docent ac probant.

## ARTICULUS III.

### *De præceptis judicialibus extraneos spectantibus.*

1. Popularium cum extraneis congressus duplex esse potest : Unus pacificus, hostilis alter; et utriusque respectu sanctissima præcepta lex dedit. Pacificam enim cum extraneis communionem triplici ratione sanxit : Primò respectu peregrinorum per Judæam transeuntium, secundò respectu advenarum in terrâ Israelis habitare volentium, tertiò respectu eorum qui in populi consortium ac ritum cooptari cupiebant. Quod spectat extraneos primæ et secundæ classis, lex Judæis præcepit ut charitatem et misericordiam in ipsos exercerent. Exodi 22, 21 : *Advenam non contristabis, neque affliges eum; advenæ enim et ipsi fuistis in terrâ Ægypti.* Exodi 23, 9 : *Peregrino molestus non eris. Scitis enim advenarum animas; quia et ipsi peregrini fuistis in terrâ Ægypti.* Quod tertiæ classis extraneos attinet, lex Ammonitas et Moabitas in rempublicam Hebræorum cooptari vetat, quia populo Israelitico panis et aquæ subsidium negaverant, et Balaam Ariolum ad maledicendum Hebræis conduxerant; necnon Amalecitas contra quos velut hostes infensissimos bellum perpetuum Dei nomine indictum est. Ægyptios verò et Idumæos, qui Judaicæ Religioni nomen dedissent, in tertiâ generatione civium nomine, juribus, et privilegiis donari concessit, ob gentium illarum cum Hebræis affinitatem. Exodi 17, 16 : *Manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem.* Deuteronomii 23, 3, 4, 6, 7, 8 : *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem, non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aquâ in viâ, quando egressi estis de Ægypto; et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamiâ Syriæ, ut malediceret tibi. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ usque in sempiternum. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est,* ex Esaü scilicet Jacobi fratre, Abrahami filio primogenitus; *nec Ægyptium, quia advena fuisti in terrâ ejus. Qui nati fuerint ex eis tertiâ generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Lex in Moabitas et Ammonitas lata, de maribus duntaxat intelligenda est; mulieres enim ex his populis ad Deum conversæ, ut Ruth, nubere Israelitis poterant, ut observant Maimonides et Moses de Kothzi. Achiorem ducem Ammonitarum ex dispensatione in collegium populi Hebraici admissum ob fervorem fidei, et quod de Israelitis optimè meritus esset, ac propter illos Holofernis odium in se concitâsset, S. Thomas existimat, primâ secundæ, quæst. 105, artic. 3, in responsione ad primum. Censent alii Achiorem in Religionem duntaxat et sacrorum Judaicorum communionem fuisse susceptum, idque unum significari Judith 14, 6 : *Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto Gentilitatis ritu credidit Deo et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel et omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem;* sed magistratûs in republicâ Hebraicâ gerendi fuisse incapacem, et connubii cum Israelitide ineundi. Nullius porrò gentis homines à Judaicæ Religionis professione, et Sacrorum communione, si proselyti fierent, excludebantur, ne quidem Moabitæ, Ammonitæ, vel Amalecitæ, sed solùm ab honoribus, consiliis publicis, et connubiis, quo etiam loco censebantur eunuchi et nothi Deuteronomii 23, 1, 2 : *Non intrabit eunuchus Ecclesiam Domini. Non ingredietur manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* Ecclesiæ nomine politicam societatem hìc intellige, seu populi cœtum, non corpus religionis, sicut Numerorum 20, 4 : *Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur ?* Et Judicum 20, 2 : *Cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum.* Harum legum rationem Theodoretus exponit quæstione 26, in Deuteronomium, ubit quærit : « Quare non ad certum tempus, sed in perpetuum vetat eos misceri cum Moabitis et Ammonitis ? Et respondet : Inprimis propter infectam eorum radicem, cùm ex illegitimo congressu nati sint. Deinde propter impietatem, ad quam tentaverunt adducere Israelitas, adornantes uxores, et per eas ad cultum idolorum illos allicientes. Idumæum tamen et Ægyptium post tertiam generationem admitti jubet; illum quidem tanquàm fratrem, hunc verò tanquàm beneficum tem-

« pore opportuno. Urgente enim fame, patres eorum « in Ægyptum ingredientes acceperunt alimenta. « Lex igitur docet nos antiqui beneficii non obli- « visci. » Eâ quæstione 25, rationem reddit cur eunuchi et nothi à populi Israelitici consortio excluderentur. « Sterilitas, inquit, animæ per hæc denota- « tur. Alienum enim est à Deo, fructus bonorum ope- « rum non producere... Verùm sicuti sterilitatem in « terdicit, ita fructum malum repellit. Non enim in- « gredietur, inquit, ex meretrice natus in Ecclesiam « Dei. »

II. De hostili cum extraneis congressu lex statuit, ut bellum justè susciperetur, et æquæ pacis conditiones primùm offerrentur hostibus. Deuteronomii 20, 10 : *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in eâ est, salvabitur et serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Id valuisse etiam in terrâ Chanaan quidam contendunt, Maimonidis et Mosis de Kothzi præcepto jubente 15, auctoritate fulti, et Gabaonitarum exemplo assertionem suam probant. At singulare et extraordinarium exemplum ad legis interpretationem trahi non debet. Gabaonitas dolo pacem petituros verisimile non est, nisi diffiderent se eam impetraturos, fatendo sincerè, quod res erat, se portionem esse Hevæorum, unius ex populis terræ Chanaan. Unde cùm Josue et Principibus Israelis dixissent : « De terrâ longinquâ venimus, pacem « vobiscum facere cupientes : Responderunt eis Israe- « litæ : Ne fortè in terrâ, quæ nobis sorte debetur, « habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. At « illi ad Josue : Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus « Josue ait : Quinam estis vos et unde venistis ? « Responderunt : De terrâ longinquâ valdè vene- « runt servi tui in nomine Domini Dei tui. » Alii de civitatibus duntaxat extra Chanaanitidem sitis legem, de quâ agimus, intelligi volunt, iisque solis pacem ab Hebræis fuisse offerendam, antequàm expugnarentur. Scripturæ sacræ auctoritas hanc sententiam alteri anteponi jubet, cùm Deus populos terræ Chanaan simpliciter deleri præceperit, Deuteronomii 7, 1, 2 : *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit Gentes multas coram te, Hethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, Pheresæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multò majoris numeri quàm tu es, et robustiores te ; tradideritque eas Dominus Deus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum :* Et Deuteronomii 20, 15, 16. *Sic facies cunctis civitatibus, quæ à te procul valdè sunt, et non sunt de his urbibus quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi nullum omninò permittes vivere ; sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus : Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum.* Unde fœdus cum eis factum Deus improbat, Judicum 2, 1, 2, 3. *Ascendit que angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram pro quâ juravi patribus vestris ; et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum : Ita duntaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis, et noluistis audire vocem meam ; cur hoc fecistis ? Quamobrem nolui delere eos à facie vestrâ.* Verumtamen licet his populis parcere post civitatum expugnationem, et datam à Deo victoriam lex vetaret, eisque pacem offerre et cum iis fœdus inire ut suis ritibus moribusque inter Hebræos in eâdem terrâ, iisdemque in civitatibus viverent; non prohibebat clementiam in eos exercere, et pacem eis concedere, si eam ante oppugnationem et certamen postularent, et absolutâ deditione, omniumque conditionum, quas victores præscriberent, et imprimis Idololatriæ ejuratione, hanc gratiam mererentur. Id colligitur ex Josue 11, 19, 20 : *Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit, Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Aliis autem civitatibus extra terram Chanaam positis pax primùm offerenda erat, tentandaque controversiæ, propter quam bellum denuntiabatur, compositio. Id sapientes politicos vel ipsa ratio docuit. Hinc Dionysius Halicarnassensis, in Excerptis legationum : « Non ante, inquit, ad res veniendum « est, quàm tentata sit verborum via. » Menelaus apud Libanium : « Homini convenientius priùs verborum experi- « menta facere, quàm statim ad arma prosilire. » Vologeses apud Tacitum : « Æquitate quàm sanguine, causâ « quàm armis retinere parta majoribus malueram. » Et rex Theodoricus apud Cassiodorum, 3 Variarium 1 : « Tunc utile solùm est ad arma concurrere, cùm locum « apud adversarios justitia non potest invenire. » Cicero libro 1 de Officiis : « Cùm duo sunt genera disceptandi, « unum per disceptationem, alterum per vim, cùm- « que illud proprium sit hominis, hoc belluarum, con- « fugiendum est ad posterius, si non uti licet priore. » Terentius : « Omnia priùs experiri, quàm armis sa- « pientem decet. » Plura vide apud Grotium, lib. 2 de jure Belli et Pacis, cap. 23, § 7.

Secundò, lex bellum justè cœptum fortiter geri sanxit, conceptâ ab Israelitis de auxilio Domini exercituum fiduciâ ; quod ut religiosiùs servaretur, statuit ut Sacerdos imminente prælio animos adderet pugnaturis, ac de præsenti Numinis ope securos esse juberet : *Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum : Audi, Israel, vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestrî est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut erant vos de periculo.* (Deuteronomii 20, 2, 3, 4.)

Tertiò, lex providit ut impedimenta prælii remo-

verentur, illos in domum remittendo, quibus militia cordi non erat. *Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt : Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam ? Vadat, et revertatur in domum suam ; ne fortè moriatur in bello, et alius dedicet eam. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdùm fecit eam esse communem, de quâ vesci omnibus liceat ? Vadat, et revertatur in domum suam ; ne fortè moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam ? Vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum : Quis est homo formidolosus et corde pavido ? Vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* ( Deuteronomii 20, 5, 6, 7 8.)

Quartò, lex statuit ut victoriâ moderatè uterentur parcendo mulieribus, pueris, jumentis, etc. « Cùmque « tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tuâ, per- « cuties omne quod in eâ generis masculini est, in ore « gladii, absque mulieribus, et infantibus, jumentis, « et cæteris, quæ in civitate sunt. » Paucis gentibus exceptis, adversùs quas quod erat bellum non erat hominum, sed Dei, atque ita appellabatur. Et cùm mulieres Madianitidas vellet occidi ob proprium ipsarum crimen, excepit virgines intactas, Numerorum 31, 18. Imò cùm Ninivitis ob gravissima peccata internecionem minatus esset, flecti se passus est miseratione multorum millium ejus ætatis, quæ honesti et inhonesti discrimen ignorat. Jonæ 4, 11 : *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in quâ sunt plusquàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa ?* Qui mulieribus et infantibus non parcerent, omnium gentium judicio crudeles habiti, Deo qui hanc legem Hebræis dedit, hoc illius caput in omnium hominum cordibus imprimente. Seneca libro 2, de Irâ, cap. 9. « Quis irascitur pueris, quorum ætas nondùm novit « rerum discrimina ? Apud Livium Camillus : Arma « habemus non adversùs eam ætatem, cui etiam ca- « ptis urbibus parcitur, sed adversùs armatos. Agatias « libro 3. Quandoquidem verò pium non erat in re- « cens natos infantes paternorum facinorum inscios « ita sævire atque insanire, ideò hæc ipsis non « impunè abière. Alexander apud Q. Curtium libro 5 : « Cum captivis et feminis gerere bellum non soleo ; « armatus sit oportet quem oderim. Gripus apud « Justinum libro 38, ait : A nullo unquàm majo- « rum suorum inter tot domestica et externa bella post « victoriam in feminas sævitum, quas sexus ipse et « periculis bellorum, et sævitiæ victorum eximat. « Apud C. Tacitum alius : Neque adversùs feminas, « sed palam adversùs armatos bellum se tractare. » Valerius Maximus Munatii Flacci in infantes et feminas efferatam vocat crudelitatem, et auditu etiam intolerabilem, lib. 9, cap. 1. Diodorus Siculus libro 13, narrat Carthaginienses Selinunte interfecisse feminas, infantes, animantia, sine humanitatis affectu. Plura vide apud Grotium, lib. 3 de jure Belli et Pacis, cap. 11, § 9.

Vetat præterea lex divina ne fructuosæ arbores in terrâ hostili ab Israelitis victoribus succidantur : « Quando obsederis civitatem multo tempore, et « munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non « succides arbores, de quibus vesci potest, nec se- « curibus per circuitum debes vastare regionem ; « quoniam lignum est et non homo, nec potest bellan- « tium contra te augere numerum. » Hanc legem ex rationis similitudine etiam ad agros frugiferos producit Philo Judæus libro de Humanitate, cujus hæc sunt verba : « Æquitatem suam etiam largiùs dispen- « sans Moses valdè eâ ubertim ac liberaliter utitur, « descendens à ratione utentibus ad muta animantia, « ab his verò ad ea quæ è terrâ nascuntur, de quibus « nunc dicendum est, quando de hominibus ut « præstantissimis, et aliis quæ animam sentientem « nacta sunt, jam egimus. Disertè itaque vetuit au « exscindere arbores mites, aut exitialiter ante « tempus demetere frugiferas terras, aut illos omninò « fructus corrumpere, ut abundantiâ alimentorum in- « struatur humanum genus ; abundent autem non « modò necessaria, sed et quæ ad vitam delicatio- « rem faciunt. Necessariæ enim fruges ad homines « nutriendos sepositæ res ; ad delicias verò om- « nium de arboribus nascentium varietas, quæ sæpè « ubi alia deficiunt, succedunt in alimentorum locum. « Ultra procedens, terram etiam hostilem vastari « non sinit. Præcipuè verò excidiis arborum abstineri « jubet, iniquum existimans iram in homines conce- « ptam erogari in eâ quæ causa mali nullius sunt. « Hoc ipso et illud docet, non præsens tempus spe- « ctare tantùm, cùm nihil in suo statu maneat, sed « cuncta vicibus ac mutationibus subjecta sint, ita « ut facile sit eos qui nunc sunt hostes, ubi ad col- « loquia et pacta ventum erit, rursùm fœderatos fie- « ri. At amicos necessariis fraudare durum, qui- « bus ob futurum incertum etiam asservari debuerant, « quæ usui esse possunt. Verissimè enim dictum an- « tiquis : ita amicis utendum ut non putentur nullæ « supervenire posse inimicitiæ, et ita tractandas offen- « sas, ut amicitia speretur ; nimirùm ut quisque in- « tra animum aliquid recondat quo tutus sit, et non « eo nimiùm nudato per verba et facta mox pœni- « tentiam agat nimiæ suæ vehementiæ, seque accuset « ubi res sanari amplius non potest. Oraculum hoc « et civitatibus observandum est, ut pacis tempore « parent quæ ad bellum sunt opus, in bello verò « quæ ad pacem. Ac amicis suis supra modum fidant, « tanquàm qui non possint in contrarium verti ; ne- « que hostibus ita diffidant, quasi nunquàm possint « ad amicitiam reduci. Quod si etiam pro hoste nihil « faciendum esset in spem conciliationis, certè nihil « eorum quæ terra fert hostile ; quin amica omnia, « utilia omnia ; mitissima verò vel maximè necessaria, « ut quorum fructus aut alimentum sint, aut par « aliquid alimento. Non oportet bellum inferre belli « nesciis, non secare, non urere, non extirpare radi-

« crès, quæ natura aquarum irrigationibus et æstatum « sereno tenerè educavit, ut tributa hominibus velut « regibus ferrent. Cura autem ei ut communi rerum « omnium et optimo præsidi fuit, illæsam præstare non « animantibus tantùm, sed et terræ fœtibus vim « ac robur, præsertim verò mitibus, quia majoris tu- « telæ indigent, nec ad sylvestrium morem fœcunda « sunt, sed peritam culturam desiderant ut firmita- « tem consequantur. » Hinc Pythagoricum illud apud Jamblicum : Mansuetam frugiferamque arborem nec lædere, nec exscindere fas esto. Porphyrius, lib. 4 de Abstinentiâ ab Animalibus, mores Judaicos describens, legem hanc etiam ad animantia ruris operi inservientia extendit. *Parci etiam jubet lex*, inquit, *in terrâ quamvis hostili, animantibus operum sociis, ita ut ea occidere non liceat.* Plura videri possunt apud Grotium, lib. 3 de jure Belli et Pacis, cap. 12.

## ARTICULUS IV.

*De præceptis judicialibus conversationem domesticam spectantibus.*

I. Combinatio triplex in societate domesticâ invenitur : prima viri et uxoris ; altera patris et filii ; tertia domini et servi. De quibus omnibus divina lex convenientia præcepta tradidit.

Circa uxores, statuit primò ut contribules feminas ducant, ne sortes tribuum confundantur. Numerorum 36, 7 : *Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione suâ.* Quem locum supra explicavimus.

Secundò, statuit ut frater uxorem fratris absque liberis defuncti duceret uxorem, ut qui filios habere non potuerat secundùm carnis originem, saltem per adoptionem haberet, ne ipsius nomen et memoria penitùs delerentur, sed à fratre personam illius gerente suscitarentur ac propagarentur. Deuteron. 25, 5 : *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui : et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Jus Levirationis Mosaicâ lege antiquius fuisse docet Patriarcharum Historia Genesis 38, 7, 8. Idem institutum consuetudo produxit ad illos propinquos, ubi fratres non exstabant ; ita tamen ut solus frater uxorem fratris defuncti ducere teneretur, alioquin infamiâ notandus ; propinquus verò, ubi nullus frater erat superstes, jus quidem haberet ducendi viduam propinqui sui, et si hæreditatem illius adire vellet, ducere teneretur, non verò si hæreditate cederet, nec infamiæ legis illius propterea obnoxius esset, ut constat ex historiâ Ruth 4, 7. An ea lex cogeret ubi defunctus filiam reliquerat, incertum est, cùm ex filiâ nepos in avi familiam adoptari posset. Quod lex statuit, primogenitum ex fratriâ filium nomine defuncti fratris appellandum, non ita intelligendum est, quasi proprium defuncti nomen primogenito ex viduâ filio imponendum necessariò fuerit, sed quòd defuncti filius et hæres dicendus habendusque fuerit. Sic natus ex Ruthâ non vocabatur Mahalon, sed Obed filius Mathalon appellabatur. Nomen secum tradit hæreditatem, ideòque et pro hæreditate ponitur. Numerorum 27, 3 : *Pater noster mortuus est in deserto... Cur tollitur nomen illius de familiâ suâ ? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.* De hâc lege Julius Africanus apud Eusebium, lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7 : « Quo- « niam, inquit, apud Israelitas generationum nomina, « vel ex naturæ vel ex legis ordine numerabantur : « naturæ quidem cùm legitimi filii parentibus succe- « dunt ; legis verò quoties quis in nomen ac familiam « fratris sine liberis defuncti filios sustulit. Cùm enim « certa spes resurrectionis nondùm eis data esset, fu- « turam ejus promissionem mortali quâdam resurre- « ctione delineabant, ut mortui nomen nullis unquàm « oblitterandum seculis permaneret. »

Tertiò, lex cavit ne personæ quædam in matrimonium ducerentùr, alienigenæ scilicet ob periculum seductionis, ne ad idololatriam femineis blanditiis pellicerentur mariti ; et propinquæ propter reverentiam quæ naturæ lege ipsis debetur. Deut. 7, 3, 4, et Lev. 18, 6, et seq. Et præcipuè quidem uxores assumi prohibuit ex gentibus terræ Chanaan, vel finitimis, quas in suis ritibus retinendis pertinaciores fore Deus præviderat. Deut. 7, 1, 2, 3, 4 : *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram qùam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pheresæum, et Hevæum, et Jebusæum.... Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo : quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis ; irasceturque furor Domini, et delebit te citò.* Si quæ verò ex feminis aliarum gentium idololatriam ejurare et Judaicæ religioni nomen dare vellet, in matrimonium illam ducere Israelitæ fas erat. Sic Boozus uxorem duxit Rutham, quæ socrui suæ dixerat 1, 16 : *Populus tuus, populus meus ; Deus tuus, Deus meus.* Ideòque captivam matrimonio sibi copulare nemo Israelita poterat, nisi priùs rasâ cæsarie, et circumcisis unguibus, et depositâ veste in quâ capta erat, fleret patrem et matrem : quo ritu perpetua idololatriæ abjectio significabatur. Deut. 21, 10, 11, 12, 13 : *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tuâ, captivosque duxeris, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem in quâ capta est ; sedensque in domo tuâ, flebit patrem et matrem suam uno mense ; et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illâ, et erit uxor tua.* Lex hæc non de feminis Chananæorum aliarumque gentium, contra quas bellum Domini indictum est, et quæ expugnatis earum urbibus jussæ sunt interfici absque sexûs discrimine, debet intelligi (ut monuimus), sed de aliis feminis alienigenis, quarum matrimonium, si legem susciperent et in id baptizarentur Judaico ritu, interdictum Israelitis omnibus non erat, sed sacerdotibus solis. Nec id lex indulsit nisi licentiæ militari et juri victoriæ ; utque ea conjugia rariora essent, congres-

sum cum captivis illis elegantis formæ feminis non permisit, nisi conjuges factæ essent. Antequàm autem id fieret, lex auferri jussit feminæ omnes veneres, illecebras, amœnitates, delicias, per quas vir posset allici, et mense integro incultam et squalidam in luctu manere, si fortè malè natus amor refrigesceret vel extingueretur. Ita Theodoretus, quæstione 19 in Deuteronomium : « Viri, inquit, libidinem reprimit, jubens « non voluptatis affectum, sed rationem conjunctioni « dominari. » Si verò captivæ dominus illusisset, nec ducere vellet uxorem, liberam dimittere tenebatur. « Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes « eam liberam, nec vendere poteris pecuniâ, nec op- « primere per potentiam, quia humiliâsti eam. » De Sapientiâ seculari seu profanâ eruditione hanc legem allegoricè explicat S. Hieron. Epistolâ 146 : « Hujus, « inquit, sapientiæ typus et in Deuteronomio sub mu- « lieris captivæ figurâ describitur, de quâ divina vox « præcipit, ut si Israelites eam habere voluerit uxo- « rem, calvitium ei faciat, ungues resecet, et pilos au- « ferat; et cùm munda fuerit effecta, tunc transeat in « victoris amplexus. Hæc si secundùm litteram intel- « ligimus, nonne ridicula sunt? Itaque et nos facere « solemus, quando philosophos legimus, quando in « manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis : si « quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma con- « vertimus; si quid verò superfluum, de idolis, de « amore, de curâ secularium rerum, hæc radimus, « his calvitium inducimus, hæc in unguium morem « ferro acutissimo desecamus. » Et Epistolâ 74. : « Quid ergo mirum, si et sapientiam secularem pro- « pter eloquii venustatem, et membrorum pulchritu- « dinem, de ancillâ atque captivâ Israelitidem facere « cupio? Et si quicquid in eâ mortuum est, idololatriæ, « erroris, voluptatis, libidinum, vel præcido, vel rado, « et mixtus purissimo corpori vernaculos ex eâ genero « Domino Sabaoth? Labor meus in familiam Christi « proficit, stuprum in alienam auget numerum con- « servorum. » Eumdem locum de animâ Christo victori copulandâ moraliter explicant S. Ambrosius lib. 5, Epist. 35, et S. Paulinus, Epist. 4, cujus hæc sunt verba : « Remedii et decoris novacula nobis Christus « Deus est, qui cor nostrum circumcidit, vitia radit, « animæ caput levigat, et faciem mentis accurat; nos- « que ut illam in lege captivam purgat, et liberat hor- « rido miseræ servitutis capillo, ut conjungendi Do- « mino, velut illa in Israelitæ viri nuptias transitura, « criminibus carnis nostræ, quasi barbaris criminibus « exuamur; denique sensibus innovatis, ut comis ru- « dibus innotescamus, vitamque nostram quasi Naza- « ræum crinem pascentes, Deo in castitate et parci- « moniâ consecremus. »

Quartò, lex præscribit quomodò tractandæ sint uxores, consulit eorum famæ, liberis, quieti, lætitiæ. Pœnas in eum decernit, qui crimen falsò imposuerit uxori. Deut. 22, 13 et seq. : *Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem : tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in portâ sunt. Et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem. Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis; apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel; habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.*

Providit etiam lex ne propter uxoris odium filius detrimentum pateretur. Deut. 21, 15, 16, 17 : *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerintque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia : iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.*

Lex præterea cavit ne vir propter odium uxorem affligeret, sed potiùs scripto libello repudii eam dimitteret. Deut. 24, 1, 2, 3, 4 : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manus illius, et dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus accipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino : ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.* Permisit autem lex repudium uxoris, non quòd simpliciter id justum esset, sed propter duritiam Judæorum, ut docet Christus Matthæi 19, 8 : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Attamen positâ lege, libellus repudii matrimonium solvebat; et ex Dei concessione licitum erat uxoris repudium, quanquàm hujusmodi concessioni Judæorum durities occasionem dedisset. Sed repudiatam, postquàm alteri nupsisset, recipere non poterat prior maritus, quia orbicularis ille nuptiarum regressus speciem adulterini concubitûs habuisset, omniaque lenocinia eo velo obtegi potuissent, et divortium turpis commodatio uxoris visa esset. De causis repudii apud Hebræos non eadem est omnium interpretum sententia. Ob solam fornicationem dimitti potuisse uxorem Hebræam censet Lucas Burgensis Commentario in Matthæi 19, post Tertullianum lib. 4 contra Marcionem, cap. 24. Alii post Origenem et S. Joannem Chrysostomum, ob alias etiam animi corporisque fœditates licitum fuisse repudium veriùs asserunt, nempe ob lepram, sterilitatem, veneficium, ebriositatem, rixandi consuetudinem, aliosque id genus pravos mores cum indocilitate et pertinaciâ conjunctos. In casu enim adulterii vix locum habuisse repudium vi-

dètur. Adultera enim criminis convicta lapidabatur; suspecta, aquis zelotypæ prodebatur. Libellum repudii scribi lex jussit, « ut in dissidium animus præceps, « libelli conscriptione refractus absisteret, et quid « mali esset uxorem dimittere cogitaret, præsertim « quìa, ut perhibent, apud Hebræos scribere litteras « Hebræo nulli fas erat nisi scribis solis, cùm et excellentiorem profiterentur sapientiam, et si qui eo- « rum essent æquitate ac pietate prædìti, non tantùm « profiterentur sapientiam, verùm etiam sectarentur. « Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes legis « interpretes et justos dissidii dissuasores, lex mit- « tere voluit eum, quem jussit libellum repudii dare, « si dimisisset uxorem; non enim ei poterat scribi « libellus, nisi ab ipsis qui per hanc occasionem ex « necessitate venientem quodammodò in manus suas « bono consilio regerent; atque inter ipsum et uxo- « rem pacificè agendo, dilectionem concordiamque « suaderent. Quòd si tantum intercederet odium, ut « extingui emendarique non posset, tunc utique scri- « beretur libellus, quia frustra non dimitteret quam « sic odisset, ut ad debitam conjugii charitatem nullâ « prudentium persuasione revocaretur. Si enim non « diligitur uxor, dimittenda est; quia ergo dimittenda « non est, diligenda est : dilectio autem monendo at- « que suadendo componi, non invitum cogendo imponi « potest. Hoc facere Scriba debebat justus et sapiens, « qualem in illâ professione esse oportebat. Ad quem « ut veniretur, discordi marito libellus conscribendus « præceptus est. Quem vir bonus prudensque non « scriberet, nisi in animo nimis adverso atque per- « verso consilium concordiæ non valeret. » Ita S. Augustinus libro 19 contra Faustum, cap. 26. De divortii causis, libelli repudii formulâ, effectis et adjunctis apud Hebræos, plura dabit Seldenus in Uxore Hebraicâ, libro 3, à cap. 19 ad 25. Vir autem uxorem repudiare poterat; non etiam, ut apud Romanos, uxor virum : quod prima contra legem fecit Salome, ut narrat Josephus

Uxor adulterii suspecta, per amaras aquas et sacrificium zelotypiæ fidei castitatisque suæ probationem subibat, ut Num. 5 sancitum est. Si aquas bibere nollet, dote mulctatâ ejiciebatur à viro. Vide Seldenum libro supra laudato, cap. 15 et 16. Miraculum ad quod patrandum Deus se obstrinxit ad gravissimum et difficillimæ probationis crimen manifestandum, minimè incredibile est, cùm apud profanas etiam gentes mìracula quædam, vel miraculis similia ad prodendum puniendumque perjurium facta legamus. Plura ex antiquis scriptoribus congerit Grotius in cap. 5 Numerorum. Polemon in libro de Miris Siciliæ, ubi de crateribus Palicorum : « Adjuratores, inquit, Scripturam « habentes præeunt adjuratis ea de quibus juramen- « tum expostulant. Qui adjuratus est, ramum oleæ « vibrans, coronatus, discinctus, solâ indutus tunicâ, « tangens cratera, dictatum sibi juramentum enuntiat. « Et si quidem dii probent quæ jurata sunt, abit sine « damno. At qui deos contempserit, moritur illicò. » In mirabilibus quæ Aristotelis nomen circumferunt, càdem de re sic legimus : « Est autem et ibi mos juran- « di qui sanctissimus creditur. Quæ enim quis jurat, « ea scribit in tabellâ; tabellam aquæ immittit. Si « rectè juret, supernatat tabella; si non, aiunt tabel- « lam gravem fieri, ita ut mergatur, hominem verò « incendi. » Adde Diodorum Siculum lib. 11. Simile, sed alibi, habet Plinius, lib. 31, cap. 2 : « Amnis Ola- « chas in Bithyniâ Brietium alluit; hoc est et templo « et Deo nomen, cujus gurgite perjuri notantur pati « velut flammam urentem. » De Styge idem prodidit Porphyrius libro ejus argumenti : « Aiunt omnes « Styga aquam esse subterraneam, quæ eam vim ha- « bet, ut puniat eos qui per ipsam falsum jurare au- « dent. » De veteris Sardiniæ fontibus Solinus scribit : « Coarguendis valent furibus; nam quisquis sa- « cramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Ubi « perjurium non est, cernit clarius; si perfidiâ abnuit, « detegitur facinus cæcitate, et caput oculis admissum « tenebris fatetur. » Quantò magis credibilia sunt, quæ Spiritu sancto dictante in libris canonicis sunt conscripta !

Denique ut major dilectio inter conjuges à principio contraheretur, arctiùsque eorum corda stringerentur, vetuit lex ne viris qui nuper uxorem duxissent, publicæ functiones injungerentur, ut liberè cum uxore suâ collætari possent. Deut. 24, 5 : *Cùm acceperit homo nuper uxorem, non procedat ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpâ domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore suâ.*

II. Circa filios, lex præcepit ut parentes eos in religione et disciplinâ Domini instituant. Exod. 12, 26, 27 : *Et cùm dixerint vobis filii vestri : Quæ est ista religio? dicetis eis : Victima transitûs Domini est*, etc. Filios verò contumaces, et qui spretis parentum monitis luxuriæ et comessationibus indulgerent, ad judicum tribunal perductos, ex eorum sententiâ lapidibus obrui jubet, Deut. 21, 18 : *Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriâ atque conviviis; lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestrî, et universus Israel audiens pertimescat.* Legis hujus rationem affert S. Thomas ex Aristotele petitam : « Quia principatus paternus, in- « quit, habet solùm admonendi potestatem; non autem « habet vim coactivam, per quam rebelles et contuma- « ces comprimi possunt. Et ideò in hoc casu lex man- « dabat ut filius contumax à principibus civitatis pu- « niretur. » Non solùm admonendi, sed et corrigendi atque castigandi intra disciplinæ limites potestatem parentes habere S. Thomas agnovit, sed mutilandi aut occidendi jus respectu filiorum habere meritò negavit Quanquàm populorum quorumdam legibus jus vitæ et necis parentibus in filios attributum sit, ut testatur Dio oratione 15. Ita Solon et veteres Romani sanxerunt. Sopater de lege quæ patri permittit liberos interficere

ait : Lex sciens patrem fore rectum judicem, hoc ei juris concessit.

III. Circa servos lex Mosaica statuit ut moderatè tractarentur quantùm ad operas, ne immodicis laboribus opprimerentur. Deut. 5, 14 : *Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus et filia, servus et ancilla*, etc., *ut requiescat servus tuus et ancilla tua, sicut et tu.* Secundo, servos moderate tractari lex jussit quantùm ad pœnas infligendas. Quos enim domini mutilàssent libertate donari voluit. Exod. 21, 26, 27 : *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Homicidii pœnis addixit eum qui servos ita verberaret, ut ex verberibus morerentur, cùm id omninò compertum erat, cùm scilicet in immanis domini manibus animam efflabant. Si verò incertum esset an ex verberibus mortui essent, nempe si post dies aliquot vixissent, lex nullam pœnam severioribus dominis imponebat. Nec enim homicidii damnabantur, qui liberum hominem percusserant, si statim non moreretur, sed baculo suo innixus ambularet; tenebatur tamen ad solvendas impensas, quas percussus in medicos fecerat. Id verò in proprio servo locum non habebat, quia, ut loquitur S. Thomas, quicquid servus habebat, et etiam ipsa persona servi erat quædam possessio domini; et ideò pro causâ assignatur, quare non subjaceat pœnæ pecuniariæ, quia pecunia illius est, Deut. 21, 20, 21 : *Qui percusserit servum suum vel ancillam virgâ, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.*

Hebræos popularibus suis ut servis simpliciter uti lex vetuit, sed quasi mercenariis ad tempus, etiamsi premente egestate se ipsos vendidissent; septimo autem anno et quinquagesimo libertate donari jussit, ac viatico rebusque necessariis instructos dimitti, cum uxore, si ante venditionem suam illam duxerant, non autem si à domino illam acceperant, ut ei servos et ancillas pareret. Exod. 21, 2, 3, 4 : *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat, si habens uxorem et uxor egredietur simul. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo... Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ suæ exire consueverunt. Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittat eam : populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. Quòd si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias et pretium pudicitiæ non negabit. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecuniâ.* Lex ista puellis Hebræis pauperculis providit, quæ in famulas et uxores emebantur. Si enim dominis suis displicerent, postquàm iis velut conjugibus usi erant, eas servitute eximere tenebantur; si autem illis abusi non essent, eas vendere non poterant alienigenis, sed aliis Hebræis tradere, qui illas ducerent. Si pater emptam ancillam filio suo collocàsset, et aliam ipsi superducere permitteret, priori, scilicet ancillæ providere debebat, curando ut filius suus ei jura nuptialia seu conjugale debitum redderet (quod his verbis intelligitur, providebit puellæ nuptias); secundò, ut convenientia subministraret ipsi vestimenta; tertiò, ut alimenta præberet. Si trium illorum aliquod ipsi negaret, liberam dimitteret, idque gratis. Levit. 25, 39, 40 et seq. : *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit : usque ad annum Jubilæum operabitur ad te, et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terrâ Ægypti. Non veneant conditione servorum : ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum; servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt. Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terrâ vestrâ, hos habebitis famulos; et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.* De advenis sive gentilibus incircumcisis quidem, sed tamen verum Deum colentibus, et Noachidarum præcepta servantibus, hunc locum intelligendum colligitur, ex versione septuaginta Interpretum et Chaldaicâ paraphrasi : *Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini* (id est, si opes ejus creverint), *et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum, et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis. Sin autem et ipse potuerit, redimet se supputatis duntaxat annis à tempore venditionis suæ usque ad annum Jubilæum, et pecuniâ quâ venditus fuerat, juxta annorum numerum et rationem mercenarii supputatâ. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad Jubilæum, secundùm hos reddet et pretium; si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum quibus ante servivit, mercedibus imputatis : non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quòd si per hæc redimi non potuerit, anno Jubilæo egredietur cum liberis suis... Mei enim sunt servi filii Israel, quos eduxi de terrâ Ægypti.* Et Deut. 15, 13, 14 et seq.: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi in septimo anno dimittes eum liberum; et quem libertate donaveris, nequaquàm vacuum abire patieris; sed dabis viaticum de gregibus et de areâ et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. Memento quod et ipse servieris in terrâ Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcircò ego nunc præcipio tibi... Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos, quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.*

Lex denique vetuit Israelitis ne servum ad se confugientem domino traderent, si nempe à domino quæreretur ad mortem, vel ad aliquod peccati ministe-

rium, ut explicat S. Thomas. Alii de servis extraneorum, non Hebræorum, hanc legem explicant, ita ut terra Israelitica asylum fuerit; idque in favorem fidei et salutis illorum servorum sancitum est, quia proselyti fiebant, et veri Dei servituti se mancipabant; unde conveniens erat ut ab hominum idololatrarum servitute redimerentur. Deut. 23, 15, 16: *Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in uná urbium tuarum requiescet. Ne contristes eum.*

# DE CANONIBUS APOSTOLICIS
# Dissertatio.

(EODEM AUCTORE.)

Non una est de canonibus, qui apostolorum dicuntur, virorum eruditorum sententia. Turrianus auctor Societatis Jesu, omnes, id est, octoginta quinque pro veris ac genuinis agnoscit, libroque singulari Apostolicam ipsis auctoritatem adversùs Magdeburgenses centuriatores vindicat. Bellarminus quinquaginta duntaxat priores legitimos esse censet, reliquos triginta quinque non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. Sic ille lib. de Scriptoribus ecclesiasticis in Clemente. Cardinalis Baronius, tom. 1 Annalium ad annum Domini 102, in eâdem est opinione. Hos sequitur Possevinus in Apparatu sacro, v° *Clemens*. Binius istis liberalior est; is enim et priorum quinquaginta auctoritatem certam ac indubitatam esse vult, et 35 postremos, duobus tantùm demptis, nimirùm sexagesimo quinto et octogesimo quarto, jure meritòque inter authenticos haberi posse ac debere scribit, tom. 1 Conciliorum, notis in canones apostolorum. Hanc controversiam uberrimè tractavit Joannes Dallæus lib. 3 de Pseudopigraphis apostolicis, ex quo, quæ rectè scripsit, ad nostrum usum convertemus, relictis falsis rationibus et hæretico succo tinctis, quas contra canonum apostolicarum collectionem profert Calvinianus homo. Porrò ab hæreticis etiam aliqua mutuari non erubescam, erga ipsos ita me gerens, sicut erga philosophos ethnicos catholicum gerere se debere doctorem dixit S. Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 40 : « Si qua fortè vera « dixerunt, inquit, non solùm formidanda non sunt; « verùm etiam ab eis, tanquàm ab injustis possessori- « bus in nostrum usum vendicanda. »

## PROPOSITIO I.

*Canones apostolici octoginta quinque, ab Orientalibus Ecclesiis recepti sunt, sexto ineunte seculo, ante quinti seculi suprema in Oriente non probati.*

Probatur prima pars ex Justiniano Augusto hos prolixè commendante in Constitutione ad Epiphanium patriarcham Constantinopolitanum. « Rectè, inquit, « atque congruenter omnia agerentur, si ipsum rei « initium gratum Deo esset; quod quidem certè fa- « cturum credimus, si sacri illi canones diligenter ob- « serventur, quos nunquàm satis laudati, adoratione- « que digni, et qui ipsum Filium Dei conspexerunt, « illique ministrârunt Apostoli, nobis reliquerunt ac « sancti Patres custodierunt et interpretati sunt. » A Justiniano porrò hos ipsos quos nunc habemus 85 canones intelligi inde constat: primò, quòd totidem in nomocanonem ab ipso Justiniano confirmatum, et eidem illi Epiphanio commendatum, relatos fuisse, fides sit ex Arabico illius codicis interprete, qui in Oxoniensi bibliothecâ habetur, à Thomâ Roe ex Oriente allatus et donatus; secundò, quòd eosdem quoque canones 85, alter nomecanon exhibeat iisdem temporibus a Joanne Epiphaniensi scholastico, qui Constantinopolitanam Ecclesiam, circa suprema Justiniani tempora, post Eutychium rexit, concinnatus.

Probatur secundò ex Trullanâ synodo, quæ septimo exeunte seculo celebrata est, canone 2, ita decernente: « Hoc quoque huic sanctæ synodo pulcherrimè et ho « nestissimè placuit, ut deinceps ad animarum mede- « lam et perturbationum curationem firmi stabilesque « maneant, qui ab iis qui nos præcesserunt, sanctis et « gloriosis Apostolis traditi sunt octoginta quinque « canones. »

Probatur tertiò ex septimâ synodo œcumenicâ, canone 1 : « Divinos, inquit, canones amplectamur, et « integram illorum præceptionem ac immobilem te- « neamus, tam scilicet illorum qui ab almis et lauda- « bilissimis Apostolis sancti Spiritûs tubis editi sunt, « quàm eorum qui à sex sanctis et universalibus sy- « nodis promulgati sunt. » Et canone 5, Simoniacos perstringens, ait : « Efficiat secundùm apostolicam re- « gulam, quæ dicit : *Si quis episcopus per pecuniam « dignitatem hanc obtinuerit, vel presbyter vel diaconus, « deponatur et ipse et qui eum consecravit, et excidatur « omnimodis etiam à communione, quemadmodum Si- « mon Magus à me Petro.* » Qui apostolicorum canonum trigesimus est. Et canone 12, bonorum ecclesiasticorum alienatores sic percellit : « Quisquis episcopus « inventus fuerit, vel abbas de salariis episcopi, sive « monasterii, transferre quidquam in principum ma- « nus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit, « quod datum esse constiterit, secundùm canonem « sanctorum Apostolorum, qui dicit : *Omnium ec- « clesiasticarum rerum episcopus sollicitudinem ha- « beat.* » etc.

Probatur quartò ex S. Joanne Damasceno, qui ne-

dùm canonum apostolicorum meminit, verùm etiam illos (singulari licet ac minimè sequendà sententiâ) novi Testamenti libris annumerat, lib. 4 de Fide orthodoxâ, c, 18, canonem suum ita claudens : « Pauli « Apostoli Epistolæ 14, Apocalypsis Joannis Evange- « listæ, canones sanctorum Apostolorum per Clemen- « tem. »

Probatur quintò ex Photio in procœmio sui Nomocanonis, ubi scribit se non alios modò canones comparavisse, « sed etiam eos qui sanctorum Apostolorum « esse dicuntur, licet aliqui, quasdam ob causas, du- « biæ eos auctoritatis esse existimaverint. »

Denique Zonaras, Balsamon, et alii juris ecclesiastici Græci interpretes, 85 canones apostolicos referunt.

Probatur secunda pars : Si ante sextum seculum in Oriente recepta fuisset canonum apostolicorum collectio, et tertio jam adulto seculo innotuisset, Firmilianus aliique episcopi Orientales in controversiâ de Baptismo hæreticorum iterando, quæ eos uti et Cyprianum atque Afros cum Stephano Romano pontifice commisit, illorum auctoritatem suæ sententiæ cum primis faventem protulissent. Firmilianus namque et alii Orientales, paribus cum S. Cypriano et Africanis episcopis, studiis asserebant, baptizatos ab hæreticis Spiritum sanctum, qui ad solam Ecclesiam pertinet, suscipere non potuisse. Stephanus asserebat traditionem non esse innovandam, neque repetendum baptismum ab hæreticis collatum, sed manus in pœnitentiam baptizatis imponendas. Stephanus nitebatur antiquâ consuetudine, cui Cyprianus Scripturas opponebat. Firmilianus verò Stephano objiciebat contrariam consuetudinem, quæ vigebat in Oriente. *Quod quidem*, inquit ille ad Cyprianum scribens, *adversùs Stephanum vos Afri dicere potestis, cognitâ veritate, errorem consuetudinis reliquisse, cæterùm nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritati opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Christo et Apostolo est traditum.* Certè nihil accidere poterat opportunius hâcce contentione, ad urgendam canonum apostolicorum auctoritatem, si eâ tempestate concinnata fuisset illorum collectio. Nihil enim à Firmiliano proferri poterat luculentius ad confirmandam consuetudinem illam constantissimam, et in apostolicâ traditione, ut contendebat, fundatissimam, quam Stephano pontifici romano obtrudebat, cùm canon apostolicus quadragesimus sextus, conceptus sit in hæc verba : *Episcopum aut presbyterum, hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Et canon quadragesimus septimus, sic decernens : *Episcopus aut presbyter, si eum qui secundùm veritatem habuerit baptisma, denuò baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquàm deridens crucem et mortem Domini, nec sacerdotes à falsis sacerdotibus discernens :* itaque ex silentio Firmiliani colligitur ignotos eâ ætate Orientalibus fuisse canones apostolicos.

Probatur secundò : Si ab Orientalibus Ecclesiis, ante sexti seculi exordia, recepta fuisset canonum apostolicorum collectio, eam ecclesiasticorum canonum codici inseruissent, ac ante cæteros omnes collocâssent. Hunc enim iis locum vindicabat tum antiquitas, tum auctoritas apostolorum. Atqui Orientalis Ecclesia canones apostolicos nullo planè loco ac numero, in suo canonum codice censuit ante sextum seculum ; ergo recepti antea non erant illi canones.

Probatur minor, supponendo tempore concilii Chalcedonensis, hoc est, anno Domini 451, exstitisse in Ecclesiâ Orientali canonum ecclesiasticorum codicem sacrum. Quod constat ex synodo Chalcedonensi, actione 2, ubi laudantur ac describuntur duo quidam canones, quorum unus nonagesimus quintus fuisse ibidem dicitur, alter nonagesimus sextus : *Leontius, reverendissimus episcopus Magnesiæ, ex codice relegit regulam nonagesimam quintam : Si quis episcopus vacans*, etc.; et ibidem : *Idem reverendissimus Leontius episcopus ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam : Si quis episcopus ordinationem acceperit episcopatûs*, etc. In eâdem synodo, actione 4, duo alii canones similiter citati ac descripti leguntur, quorum prior octogesimus tertius dicitur, posterior octogesimus quartus. *Sancta synodus dixit : Sacri Patrum canones legantur et commentariis inserantur ; sumptoque libro, Aetius archidiaconus et primicerius magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ legit : Canon octogesimus tertius : Si quis episcopus à synodo depositus*, etc. *Alius canon octogesimus quartus de iis qui se ipsos separant : Si quis presbyter aut diaconus, contempto proprio episcopo*, etc. Denique actione 13, cùm judices imperatorii canones legi jussissent, Beronicianus, magistrianus et secretarius divini consistorii, ex codice dato ab Eunomio, dicitur legisse canonem 4 in hæc verba : *Episcopum oportet quidem præcipuè ab omnibus episcopis provincialibus ordinari*, etc.

Ex quibus colligitur concilii Chalcedonensis tempore exstitisse in Ecclesiâ Orientali codicem canonum perpetuâ numerorum serie distinctum ; eo ordine, ut primo loco descripti essent Nicænæ synodi canones, secundo Ancyranæ, tertio Neocæsariensis, mox Gangrensis, ultimo Antiochenæ synodi, conjunctim omnes sub continuatis numeris inserti, sic ut primus Ancyrani concilii canon esset hujus codicis vigesimus primus ; Neocæsariensis primus quadragesimo sexto sub numero legeretur ; primus Gangrensis, sub sexagesimo ; Antiochenus primus, sub octogesimo. Qui enim, in synodo Chalcedonensi, *codicis ab Eunomio dati quartus canon* dicitur (sic enim legendum est, non sextus, ut vulgò habent recentes editiones conciliorum), is deprehenditur synodi Nicænæ quartus esse canon ; quin verò ejusdem codicis canones in eâdem synodo dicuntur *octogesimus tertius, octogesimus quartus, nonagesimus quintus, et nonagesimus sextus ;* eos constat esse Antiochenæ synodi canones *quartum quintumque, decimum sextum et decimum septimum*, quibus ipsis locis evidenter occurrunt, si Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses et Antiochenos canones perpetuâ numerorum serie adstrinxeris, ac in unum

corpus adunaveris. Id ex Chalcedonensi synodo observavit Hincmarus, archiepiscopus Remensis, vir suæ ætatis in re canonicâ peritissimus, opusculo quinquaginta quinque capitum, c. 21, dicens : « Sed et actio « 12 Chalcedonensis concilii, in quâ scriptum habe- « tur, regulâ 95, de vacante episcopio. Et paulò post « Leontius ex eodem codice legit regulam 96 de his « qui ad episcopatum vocati, evitant. Quas regulas, « connumeratis à capite viginti capitulis Nicæni con- « cilii, si quis per singula consequentia concilia ex « ordine numeraverit, in Antiocheno concilio loca il- « lorum numerorum tenere inveniet. »

Ex his colligitur hocce ratiocinium, quo minor evidenter probatur : in veteri Orientalis Ecclesiæ codice, anno 451 (quo celebrata est Chalcedonensis synodus), primo ordine descripti erant Nicæni canones; ergo nedùm recepti erant in Orientalibus Ecclesiis canones apostolici, quos haud dubiè Nicænis anteposuissent, si legitimos agnovissent illius codicis auctores.

Propositio II. — *Initio sexti seculi quinquaginta canones Apostolorum in Ecclesiæ Latinæ codicem relati sunt, non tamen inter ecclesiasticas regulas ab omnibus Ecclesiis statim admissi. Attamen obtinuêre auctoritatem 50 illi canones per Occidentalem Ecclesiam universam, 35 posterioribus rejectis.*

Probatur prima pars ex collectione Dionysii Exigui, abbatis, qui sexto ineunte seculo Latinam interpretationem Græcorum canonum aggressus est, rogatus à Stephano, Salonitano episcopo, ut Cassiodorus scribit, non à Stephano papâ, ut opinatus est Sixtus Senensis. Is igitur Dionysius illi collectioni suæ quinquaginta priores canones Apostolis inscriptos inseruit, et cum Romanis communicavit, 35 posterioribus omissis; ut aliquam haberet rationem concilii Romani sub Gelasio anno 494 celebrati, in quo apostolici canones in apocryphorum censum rejecti erant, utque in posteriores 35 illius pontificis judicium caderet. Sed de Gelasii decreto inferiùs dicemus.

Probatur secunda pars testimonio Dionysii Exigui in suæ collectionis præfatione, in quâ Stephanum, ad quem opus mittit, verbis admonet : « In principio ita- « que canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco « transtulimus; quibus quia plurimi consensum non « præbuêre facilem, hoc ipsum vestram noluimus « ignorare Sanctitatem, quamvis postea constituta « pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videan- « tur. » Idipsum testatur titulus Cresconianæ collectioni præfixus, teste Baronio ad annum Domini 102, § 10, qui sic habet : « Incipiunt ecclesiasticæ regulæ « sanctorum Apostolorum, prolatæ per Clementem « Ecclesiæ Romanæ pontificem; quæ ex Græcis exem- « plaribus in ordine primo ponuntur; quibus quàm- « plurimi quidem consensum non præbuêre facilem; « et tamen postea quædam constituta pontificum ex « ipsis canonibus assumpta esse videntur. » Ergo canones apostolici non statim ab omnibus Occidentis Ecclesiis admissi sunt post Dionysii collectionem.

Probatur secundò : Neque Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ diaconus, apostolicis canonibus locum ullum in breviario canonum dedit, quod circa sexti seculi principia concinnavit atque publicavit; neque Martinus Bracarensis, qui in Hispaniâ obiit anno Domini 580, eos vel memoravit, vel usurpavit, aut inseruit in suâ illâ Græcorum canonum interpretatione, quam, *Collectionis Orientalium canonum* nomine editam, ad Nitigesium misit anno Domini 572. Ergo canones apostolici, statim post Dionysianam collectionem, ab omnibus Occidentis Ecclesiis inter ecclesiasticas regulas non sunt admissi.

Probatur tertiò ex S. Gregorio Turonensi, lib. 5 Historiæ Francorum, c. 19, ubi, concilii Parisiensis de Prætextati Rothomagensis archiepiscopi causâ historiam referens, ait librum Canonum à rege Chilperico ad episcopos missum esse, ut illius damnationem antistitis urgeret. « Ipse verò, inquit, ad Metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens canones quasi apostolicos continentes hæc : Episcopus in homicidio, « adulterio et perjurio deprehensus, a sacerdotio di- « vellatur. » Quo ex loco manifestè colligitur, canones apostolicos, etiam post editum Dionysii Exigui codicem, à Gallicanis episcopis receptos non fuisse. Canon relectus in synodo Parisiensi, cujus summam retulit Gregorius Turonensis, est canon apostolicus 25, in quo nulla mentio homicidii, sed perjurii, adulterii et furti; ita ut corruptus esse videatur ad premendum Prætextatum, qui se designati homicidii reum esse spe veniæ professus est. Itaque tunc temporis in codicibus integris et minimè depravatis Ecclesiæ Gallicanæ deerant apostolici canones, ita ut necesse fuerit recenti et depravatrice manu novum quaternionem Chilperici codici adnecti, in quo descripti exhiberentur. Quod Gregorius Turonensis, inter suæ gentis episcopos sanctitate et doctrinâ primarius, velut novum atque insolitum annotavit, et canones istos veluti dubios, atque incertæ fidei, non simpliciter apostolicos, sed *quasi apostolicos* vocavit. Ergo ne seculo quidem sexto cadente, vulgò passimque Gallicana Ecclesia in regularum ecclesiasticarum codice habebat apostolicos illos, tametsi jam editos à Dionysio Exiguo, quinquaginta canones.

Probatur quartò, locupletissimo testimonio Hincmari, archiepiscopi Remensis, lib. 55 Capitum, c. 45, ubi Hincmarum nepotem, Laudunensem episcopum, de canonum ecclesiasticorum codice monens, primò affirmat exstare certos quosdam canones, « quos et apo- « stolica Sedes, et omnes episcopi per universum or- « bem, à primæ sedis pontifice, usque ad illum, « inquit, qui modò novissimè, etiam post te, est ordi- « natus episcopus, imò et omnis catholica Ecclesia, « canones appellant; quosque à Nicæno concilio, quod « primum in nostris codicibus (quos ab apostolicâ se- « de majores nostri acceperunt) sequendos per ordi « nem, usque ad Africanum concilium, pro canonibus « recipiendis, venerandis et observandis retinent, et « Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo, « Hilarius, Symmachus, Gelasius, Hormisdas, Grego-

« rius, et cæteri quique, observandos canones nomi-
« nant. » Ex quibus colligitur, eâ ætate, hoc est, anno Domini 870, in codice canonum ecclesiasticorum, quo Gallicana utebatur Ecclesia, primo loco positos fuisse Nicænos canones, adeòque in codice Ecclesiæ Gallicanæ nullam tunc exstitisse canonum Apostolicorum syllogen, sive Dionysianam, quæ 50 tantùm canonum est, sive Græcanicam, quæ 35 capitulis auctior est.

Paulò tamen antea, scilicet anno Domini 849, Romana Ecclesia canones apostolicos, velut sacras regulas, in judiciis usurpabat, ut constat ex Leone IV., Romano pontifice, in epistolâ hoc anno ad Britanniæ episcopos datâ, ubi hæc habet : « De libellis et commen-
« tariis aliorum non convenit aliquem judicare, et
« sanctorum conciliorum canones relinquere, vel de-
« cretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos
« simul cum illis in canone, et quibus in omnibus Ec-
« clesiasticis utimur judiciis, id est, Apostolorum, Ni-
« cænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gan-
« grensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedo-
« nensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africa-
« nensium, et cum illis regulæ præsulum Romanorum,
« Sylvestri, Syricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini,
« Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. »

Probatur tertia pars, primò ex Gratiano, qui hæc nomine Leonis IX, pontificis Romani, contra Epistolam Nicetæ abbatis, suum in decretum retulit, dist. 16, canone Clementis : *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, et Apostolorum canones, numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* Quæ non Leonis, ut putavit Gratianus, sed Humberti cardinalis, Sylvæ-Candidæ Episcopi, verba sunt. Sed cùm Humbertus ex suæ Ecclesiæ sensu ea scripserit, non est dubitandum quin à Latinis, et duodecimo seculo quo vixit Gratianus, et undecimo quo floruit Humbertus, 50 priores canones Apostolis inscripti pro legitimis, 35 verò posteriores pro spuriis et apocryphis habiti sint.

Probatur secundò, ex verbis Urbani II, qui anno Domini 1088 Romæ sedit, apud Gratianum, dist. 32, cap. Præter : *Sciendum verò*, inquit, *quòd canonum Apostolorum auctoritate Orientalis et ex parte Romana utitur Ecclesia.* Quibus verbis significat Græcos 85 canones penitùs admittere, Latinos eorum duntaxat partem, hoc est, 50 tantùm.

Probatur tertiò ex Isidoro Mercatore, qui post annum Domini 800 vixit. Hic enim, licet insignis alioqui impostor, et fœcundus apocryphorum parens, non est ausus suæ collectioni plures quàm 50 canones Apostolorum inserere, hæc præfatus, ut ea ex vetustissimo codice emendata Baronius exhibet ad annum Domini 102 : *Denique, propter eorum auctoritatem, cæteris conciliis præposuimus canones, qui dicuntur Apostolorum (licet à quibusdam apocryphi dicantur), quoniam plures eos recipiunt, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboravêre, et inter canonicas posuêre constitutiones.*

Confirmatur ex Hincmaro in opusculo 55 Capitum, cap. 24, ubi Isidoricæ hujus præfationis meminit : *In cujus*, inquit, *collectionis præfatione, idem Isidorus dicit de Apostolorum canonibus, quòd à quibusdam dicantur apocryphi, et plures eos recipiant, et Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas constitutiones posuerunt, quod de quibusdam sententiis verum est, ut alibi in hoc opusculo potes legere.* Ex quibus constat, quòd nec circa annum 800, quo Isidori collectio prodiit, nec Hincmari ætate, universim recepti erant in Occidente apostolici canones ; sensim tamen obtinuisse 50 priores auctoritatem.

Propositio III.—*Canones Apostolis inscripti, nedùm 35 posteriores, verùm et priores 50 sunt Apostolis supposiți, et pseudopigraphi.*

Probatur primò : Si Apostolici canones, vel saltem ipsorum aliqua pars esset ab Apostolis edita ; illi profectò, vel omnes, vel aliqui saltem, fuissent à veteribus quatuor priorum seculorum Patribus in canonem Scripturarum novi Testamenti relati, sicut alia Apostolorum opera. Nulla enim ratio est cur à canonis novi Testamenti libris excludatur opus quod ab Apostolis editum ac traditum esse constat. Atqui nemo, nedùm eorum qui sex primis Ecclesiæ seculis floruerunt, sed ne reliquorum quidem auctorum ecclesiasticorum post sextum seculum (si unum Joannem Damascenum exceperis), canones apostolorum in censum librorum canonicorum novi Testamenti retulit : ergo canones illi sunt Apostolis supposiți.

Probatur secundò : Si canones illi verè Apostolorum essent, ut titulus præfert, illorum certè meminissent quatuor priorum seculorum scriptores ecclesiastici, in iis maximè controversiis ac causis, in quibus res ipsa poscebat horum canonum fieri mentionem ; meminissent Eusebius Cæsariensis et S. Hieronymus, dùm Apostolorum opera summâ uterque diligentiâ recensent, et ea quæ ipsis falsò affingebantur sugillant et explodunt. Atqui quatuor priorum seculorum Patres in nullo suorum monumentorum mentionem uspiàm fecisse canonum apostolicorum reperiuntur, ne quidem in iis controversiis, in quibus ipsos proferri (si qui fuissent), res ipsa flagitabat. Non Victor pontifex Romanus in controversiâ de Paschate adversùs Asiaticos, non Firmilianus et sanctus Cyprianus in controversiâ de Baptismo hæreticorum adversùs Stephanum pontificem maximum, nec Eusebius et sanctus Hieronymus inter Apostolorum opera canones ullos memorant ; ergo canones illi sunt Apostolis supposiți.

Probatur tertiò : Illi canones qui sermone scripti sunt, ab Apostolorum oratione alieno, sunt Apostolis supposiți ; nulla enim ratio est cur Apostoli in canonicis decretis aliter loqui debuerint, quàm in aliis, sive libris, sive epistolis suis ; atqui canones illi verbis concepti sunt ab Apostolorum usu et stylo penitùs alienis : ergo sunt pseudopigraphi.

Probatur minor : In his enim canonibus passim usurpantur hæc vocabula : *Clericus, catalogus clericorum, lector, cantor, sacerdos, sacerdotalis administratio,*

*laicus*, item *Pentecoste*, pro toto eo tempore quod à Paschate ad propriè dictam Pentecostem decurrit; *primus inter Episcopos*, pro metropolitâ; *mensis hyperberetæus*, pro octobri. Quæ nusquàm in genuinis Apostolorum operibus usurpata reperies.

Probatur quartò ex canonibus 46, 47 et 67, quibus collatus ab hæreticis baptismus reprobatur et explodituir. Enimverò, si 46 hic canon verè ab Apostolis conditus est, sequitur Ecclesiam in gravissimo errore versari, præsertim romanam, quæ, Stephano pontifice maximo duce, circa annum Domini 254, hæreticorum baptismum ratum habuit; et Africanam, quæ Donatistas idem cum auctoribus mox laudatorum canonum sentientes sancti Augustini scriptis egregiè confutavit; et Nicænam ipsam synodum, cujus canones totius orbis reverentiâ consecrati sunt, quæ solos ex omnibus hæreticis Paulianistas, si extra Ecclesiam baptizati fuissent, rebaptizandos decrevit. Ergo neque canones illi editi sunt ab Apostolis. Nec enim ullius roboris est quod quidem respondent, hos canones de Baptismo, non quorumvis hæreticorum, sed eorum tantùm esse intelligendos, qui baptismi formam pervertebant. Nam hæc expositio repugnat primò verbis canonis qui non horum aut illorum hæreticorum, sed simpliciter hæreticorum baptisma repudiat: *Episcopum*, inquit, *aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus.*

Secundò, quia ratio, quâ nititur canon 46, non à Baptismi formâ, sed baptizantis personâ ducta est: *Episcopum*, inquit, *aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus: quæ enim conventio Christi cum Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Vult auctor canonis, hæretici baptisma futile ac nullum esse, quòd hæretici nulla sit cum Christo communio, vel conventio; at quisquis verè hæreticus est, nullam habet cum Christo conventionem: ergo vel quorumvis hæreticorum baptisma illo canone reprobatur, vel inepta prorsùs ab auctore canonis, atque ab ejus instituto aliena, allata ratio est.

Idem probatur de canone 7, quo constitutum est ne Pascha cum Judæis celebretur: *Si quis Episcopus*, inquit, *vel presbyter, vel diaconus, sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur, sive deponatur.* Certè si id ab Apostolis lege latâ sancitum esset, eam legem non ignorâssent sanctissimi Orientis episcopi, qui à Victore et Ecclesiâ Romanâ Occidentalique universâ dissentiebant in sacratissimi festi celebratione, nec suarum consuetudinem Ecclesiarum à sancto Joanne apostolo et Philippo item apostolo derivatam adeò confidenter asseruissent. Incredibile namque est viros excellentissimos, ævo apostolico proximos, incredibilis in rem christianam zeli, et quidem hujusmodi, qui martyrium plerique obierint, vel canonem ab Apostolis constitutum (si exstitisset) ignorâsse, vel cognitum neglexisse. Quid, quòd Victor Romanæ Ecclesiæ pontifex, qui Asiaticos ob morem, cujus retinentissimi erant, celebrandi cum Judæis Paschatis, anathemate muletare decreverat, nusquàm adversùs ipsos canonem aliquem apostolicum legitur protulisse; quod certè præstitisset, si canonem illum Apostoli condidissent.

Idem probatur de canone 65, quo decernitur, *ut si quis clericus inventus fuerit die dominico jejunare, vel sabbato, præterquàm uno solo, deponatur; sin autem laicus, segregetur.* Enimverò incredibile est Romanam Ecclesiam, pontificesque, et Patres sanctissimos, necnon eruditissimos, ab apostolicâ lege tam enormiter descivisse, ut spreto Apostolorum canone, sabbati jejunium susciperent. At certum est in ipsâ urbe Româ, vivente sancto Ambrosio (hoc est, cadente quarto seculo) sabbato jejunari solemne fuisse, testibus sancto Augustino, epist. 86 ad Casulanum, Cassiano, lib. 3 de Institutione cœnobiorum, cap. 10, et Socrate, lib. 5, cap. 2.

Præterea sanctus Augustinus loco mox laudato, inter cætera hoc liquidò statuit, certò sciri non posse an ab Apostolis institutum fuerit jejunium sabbati, necne. *Quòd si respondetur*, inquit, *hoc docuisse Jacobum Hierosolymis, Ephesi Joannem, cæterosque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id est, ut sabbato jejunetur; sed ab hâc doctrinâ terras cæteras deviâsse atque in eâ Romam stetisse; et ex contrario refertur, Occidentis potiùs aliqua loca, in quibus Roma est, non servâsse quod Apostoli tradiderunt; Orientis verò terras, unde cœpit Evangelium ipsum prædicari, in eo, quod ab omnibus simul cum ipso Petro Apostolis traditum est, ne sabbato jejunetur, sine aliquâ varietate mansisse, interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones.* Et infra: *Ego*, inquit, *in evangelicis et apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.*

Sanctus etiam Hieronymus sabbati jejunium rem esse mediam ac liberam, ac pro cujusque Ecclesiæ consuetudine observandam vel prætermittendam scripsit, epist. 28, quæ est ad Licinium. Sabbatarii namque jejunii occasione, de quo Licinius quæsierat, ait: *Unaquæque provincia abundet in sensu suo, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur.*

At verò Innocentius I, sabbatarium vindicaturus jejunium, epist. 1, quæ est ad Decentium Eugubinum episcopum, ait: *Sabbato jejunandum, evidentissima ratio demonstrat.* Quæ cùm ita sint, spurium esse illum canonem necesse est, quo sabbatarium jejunium tam severè prohibetur.

Idem probatur ex canone 84, quo librorum sacrorum veteris et novi Testamenti series continetur, in eorumque censum referuntur tres Machabæorum libri, Clementis epistolæ duæ, et Constitutionum libri octo, contra verum communemque cùm veteris tùm recentis Ecclesiæ consensum. Præterea canon ille expungit è serie librorum canonicorum librum Sapientiæ, et libros Tobiæ, Judith, Ecclesiastici indictos prætermittit, quos vetus Ecclesia pro canonicis habuit ex Apostolorum utique traditione, ut patet ex decretis Innocentii I, in Epistolâ ad Exuperium, et ex Gela-

sio pontifice maximo in synodo Romanâ. Denique nec Esdram inter veteris Testamenti libros, nec Apocalypsim inter libros, novi Testamenti memorat hic canon. Ergo falsò Apostolis affictus est.

Idem probatur de canonibus 21, 22 et 23 in eos, qui se abscindunt, constitutis; quibus decernitur, ne qui seipsum abscidit, clericus fiat; et, si factus sit, ut deponatur; laicus verò tribus annis segregetur, *quia est sui homicida, et Dei opificii hostis:* id enim ab Apostolis minimè constitutum esse facilè probatur: primò ex eo quòd verisimile non sit hos canones in rarum absurdumque facinus priùs in Ecclesiâ positos ac promulgatos esse, quàm ferendæ hujusmodi legis occasionem dedisset editum ab aliquo hujus facinoris exemplum; siquidem è singularium peccatorum exemplis humanæ ut plurimùm leges nascuntur. At apostolicis vel proximè consecutis temporibus, nullum hujusmodi facinus à Christianorum aliquo editum legitur; nulla itaque exstitit occasio hujus ferendæ legis.

Præterea S. Justinus martyr, apologiâ 1 pro Christianis, christiani cujusdam adolescentis meminit, qui, à præfecto Alexandriæ Felice, oblato libello, postulavit ut sibi partes illas medici operâ abscindere liceret, quod tamen non obtinuit; idque aggressum esse, *ut ethnicis persuaderet Christianis mysterium non esse promiscuam et propatulam mixtionem*, quemadmodùm ipsi calumniabantur. At, si qui exstitissent Apostolorum canones, harum partium abscissionem sub pœnâ exauctorationis clericis, laicis verò sub anathemate prohibentes, eorum hoc loco S. Justinus meminisset, ostendissetque adolescentem id facinus aggressum esse juvenili in pietatem animi ardore et zelo non secundùm scientiam, imò contra leges apostolicas. Id enim commemorare omninò ad institutum sancti Justini pertinebat, ut lævam suspicionem, quam de nostræ disciplinæ inhumanitate concipere poterant ethnici, quasi hæc facinora lex christiana juberet, amoliretur.

Tertiò, idipsum suadet factum Origenis, qui seipsum abscidit anno circiter 208, quod non esset aggressus adolescens piissimus et eruditissimus, qui scholæ Alexandrinæ Ecclesiæ jam præerat (teste Eusebio lib. 6, c. 7), si id canone apostolico sub excommunicationis vel depositionis pœnâ prohibitum novisset. Neque verò id impunè tulisset Demetrius Alexandrinus patriarcha, sed hominem violati apostolici decreti convictum, et docendi munere abdicâsset, et communione privâsset ad triennium: quod cùm minimè præstiterit, imò bono animo esse jusserit Origenem Demetrius, Eusebio teste, colligitur citatos de eunuchis canones nedùm in publicâ Ecclesiæ luce exstitisse, et pro apostolicis habitos fuisse.

Præterea, cùm Demetrius, mutato animo, Origenis gloriæ invidens eum à Theoctisto Cæsareæ et Alexandro Hierosolymorum Episcopis ad presbyteri dignitatem evectum indignaretur, et aliâ criminandi occasione destitutus, *facti illius*, inquit Eusebius lib. 6, c. 7, *quod ab ineunte ætate conscivisset, calumniam objectaret, eumque apud episcopos totius orbis, tanquàm absurdissimi facinoris reum per litteras notaret;* neque Theoctistus, neque Alexander, neque ullus alius episcopus ipsum propterea depositionis pœnâ mulctârunt. Quod certè præstitissent viri laudatissimi et juris ecclesiastici scientissimi, si canones apostolicos pœnam depositionis contra eos qui se absciderant decernentes habuissent vel novissent.

Quartò, S. Athanasius, Epistolâ ad solitariam vitam agentes, facinus Leontii episcopi Antiocheni Arianarum partium exagitans, qui seipsum absciderat, ut liberè cum Eustolio dormiret, reverà ejus concubinâ, sed quæ virgo dicebatur, ait *ipsum ne ut laicum quidem ad communionem admitti oportuisse*, Nicænum canonem primum spectans. At nullum canonem apostolicum memorat, quem tamen non omisisset, si exstitisset ullus, ad augendam in Leontio tam absurdi facinoris invidiam.

Denique S. Epiphanius hæresi 58, quæ est Valesiorum, qui seipsos abscindebant, cùm multis argumentis illorum dogma refellat, nullam canonum apostolicorum mentionem facit; quos, si verè apostolici essent, omittere flagitium erat; quo nihil proferri posset in absurdum Valesiorum institutum validius. Ex his igitur omnibus colligitur citatos canones 21, 22 et 23, Apostolis falsò affictos esse.

Idem probatur de canone 49, quo trinæ immersionis in baptismo ritus præcipitur: *Si quis episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret*, etc., *deponatur*. Istum namque canonem apostolicum non esse constat, primò quia Apostoli ipsi trinâm in administrando baptismo immersionem non semper frequentârunt, cùm tria circiter millia hominum hocce ritu baptizari ab ipsis non potuerint unâ die (Act. 2); secundò, quia veteres solâ traditione non scriptâ à majoribus acceptum trinæ mersionis in baptismo ritum, nullâ scriptâ lege constitutum testantur: Tertullianus de Coronâ, cap. 3, S. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27, et S. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos. Atqui falsò dixissent nullam istius ritûs scriptam esse legem, si apostolicus eâ de re canon scriptus exstitisset; ergo ille canon falsò apostolis affictus est.

Dices hoc canone non damnari eos qui trinæ mersionis ritum non adhibent in baptismo, sed eos qui ita hunc ritum negligunt, ut *unam mersionem celebrent, quæ datur in mortem Domini*, id est, eos damnari qui in mortem Domini baptizabant, non in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti; non verò eos qui semel tantùm mergebant, invocatis tribus personis sanctissimæ Trinitatis; adeòque illas rationes non probare quòd canon ille non sit apostolicus.

Contra, tempore Apostolorum nulli hæretici exstitisse leguntur, qui non trinâ mersione, sed unicâ, in mortem Christi baptizarent. Ergo canon ille hâc ipsâ ratione evincitur non esse apostolicus.

Probatur antecedens: Non enim alii in ecclesiasticæ historiæ monumentis occurrunt hujusmodi hæretici, quàm Eunomiani, ut constat ex Socrate, lib. 5 Historiæ,

c.14, et ex Theodoreto, lib. 4 hæreticarum tabularum, cap. 3, et ex synodo Œcumenicâ Constantinopolitanâ I, can. 7. Cùm itaque Eunomiani, quos perstringit ille canon, sub imperio Constantii, hoc est, post annum Domini 337, exorti sint, sequitur hujus canonis auctorem duobus et ampliùs seculis fuisse Apostolis recentiorem.

Probatur quintò propositio ex decreto synodi Romanæ anno 494 habitæ, præside Gelasio pontifice maximo, cujus quidem decreti prima pars, cùm post sacros utriusque Testamenti libros alia ecclesiastica monumenta commemoret, scilicet decreta synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis, et opera sanctorum Patrum, ut Cypriani, Basilii, Athanasii, Cyrilli, Chrysostomi, et aliorum, nullam planè canonum apostolicorum mentionem facit; quos tamen si verè apostolicos agnovisset, vel in serie sacrorum librorum, vel certè inter Ecclesiastica monumenta, primo loco recensere debuisset. In posteriori verò decreti parte, quæ apocryphorum notitiam continet, canones Apostolorum disertissimis verbis nominavit Gelasius cum Romanâ synodo : *Liber*, inquit, *canonum Apostolorum apocryphus.*

Respondet Turrianus in defensione canonum Apostolorum, cap. 15, librum canonum apostolicorum, à Gelasio explosum, esse alium quemdam à codice 85 canonum quem habemus longè diversum, editum à Priscillianistis sub Apostolorum nomine; sanctique Leonis verbis suam illam fulcit responsionem, in epist. 93 ad Turribium, asserentis se Priscillianistarum *multos corruptissimos codices, qui canonici titulantur, invenisse; et apocryphas scripturas, quæ, sub nominibus Apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum.*

Contra, Gelasius toto illo decreto nullum alium canonum apostolicorum librum ecclesiasticum atque legitimum memorat : ergo nullum agnovit nisi apocryphum.

Secundò, si tunc tèmporis duo exstitissent canonum apostolicorum codices, unus legitimus et ecclesiasticus, alter apocryphus et ab hæreticis suppositus, cæterùm ejusdem uterque nominis ac tituli, quemadmodùm Tertulliani tempore duo Lucæ codices, exstabant unus verus et incorruptus, falsus alter et à Marcione depravatus; si res, inquam, ita se habuisset, Gelasius distinguere debuisset legitimum apostolicorum canonum codicem, quem intactum sinebat, à falso quem velut apocryphum repudiabat, atque ita decernere : *Liber qui falsò à Priscillianistis canonum apostolicorum dicitur, apocryphus.* Ut si quis Lucæ Evangelium à Marcione interpolatum rejicere velit, ita loquatur necesse est : *Evangelium quod dicitur Lucæ, à Marcione interpolatum, apocryphum;* non verò simpliciter et absolutè : *Liber Evangelii secundùm Lucam apocryphus.* At nullâ distinctione usus est Gelasius, sed simpliciter pronuntiavit : *Liber Canonum apostolicorum apocryphus;* ergo omnem, qui tunc exstabat, canonum apostolicorum librum hâc condemnatione involvit.

Præterea Humbertus cardinalis respondens Nicetæ Pectorato, qui can. 65 apostolorum adversùs Latinos pugnabat sabbato jejunantes, ait : *Hoc*, id est, sabbato non jejunandum, *asserere conaris ex apocryphis libris et canonibus pari sententiâ sanctorum Patrum repudiatis.* Quæ verba Gelasii et synodi Romanæ decretum spectant, assentiente Turriano. Atqui canon à Nicetâ prolatus contra Romanam Ecclesiam, non erat depromptus è codice Priscillianistarum, sed ex codice Orientalis Ecclesiæ, quæ canones 85 apostolicos in Trullanâ synodo susceperat; ergo non tantùm liber Canonum apostolicorum à Priscillianistis editus (si quis nunquàm exstitit), sed hic ipse liber, qui 85 canones à Græcis receptos complectitur, à Gelasio pontifice et Romanâ synodo in apocryphorum classem ablegatus est.

Respondet Bellarminus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, in *Clemente*, istud Gelasii decretum non ferire quinquaginta priores canones Apostolis inscriptos, sed posteriores tantùm triginta quinque.

Contra, Gelasius decernit apocryphum esse librum canonum apostolicorum; sed 50 priores canones Apostolis inscripti, vel eum librum conficiunt, vel certè ejus pars sunt, et quidem potior; ergo et ipsos apocryphos esse decrevit Gelasius. Nam, si 35 posteriores tantùm explodere voluisset, prioribus verò 50 parcere, alios ab aliis distinxisset, nec indiscretè et simpliciter librum canonum apostolicorum ad apocrypha mandâsset.

Respondet Baronius, librum canonum apostolicorum ideò apocryphum à Gelasio nuncupari, quòd non sit in censu divinorum novi Testamenti librorum; non autem quòd ex librorum ecclesiasticorum albo excludi debeat et expungi.

Contra, Gelasii decretum tres librorum ordines continet. In primo collocat libros sacros veteris novique Testamenti; in altero libros non sacros quidem, nec canonicos, sed probatos ab Ecclesiâ percenset, ut canones et acta conciliorum, necnon opuscula sanctorum Patrum; in tertio libros ab Ecclesiâ rejectos et improbatos reponit, ut *Itinerarium Petri, octo Clementis libros, Actus Andreæ, Thomæ, Petri, Philippi, Evangelia Thaddæi, Matthiæ*, etc. Atqui Apostolorum canones nedùm in primo ordine non collocat Gelasius, id est, inter libros divinos et canonicos, sed nec in secundo, id est, inter libros ecclesiasticos et authenticos; ergo censuit Apostolorum canones apocryphos esse, non modò quia non sunt pars Scripturæ sacræ, verùm etiam quia ecclesiasticam, ut concilia et opera sanctorum Patrum, auctoritatem non habent.

Confirmatur ex ipsis Gelasiani decreti verbis, in quo, postquàm secundi ordinis opera recensita sunt, hæc habentur : « Cætera, quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenùs « recipit catholica et apostolica Ecclesia, è quibus « pauca quæ ad memoriam venerunt, et à catholicis « evitanda sunt, credimus esse subdenda, inprimis « Ariminensem synodum, Itinerarium nomine Petri « Apostoli. » Et post multa ejusdem generis unâ serie recensita, subdit : *Liber Canonum apostolicorum apocryphus.* Ergo etiam hic liber, judice Gelasio, ex iis

est qui ab hæreticis vel schismaticis conscripti sunt, et quos nullatenùs recipit catholica Ecclesia.

Probatur sextò ex S. Isidoro Hispalensi, qui septimo incunte seculo floruit; cujus hæc sunt verba à Gratiano in decretum relata, dist. 16, c. 1, et *in omnibus veteribus libris conciliorum Hispaniæ inventa*, teste Antonio Augustino Tarraconensi, episc. lib. 1 de Emendatione Gratiani, dialog. 6 : « Canones, qui dicuntur Apostolorum, sed quia eosdem nec sedes « apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum « præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine « Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis « utilia inveniantur, tamen auctoritate canonicâ atque « apostolicâ eorum gesta constat esse remota, atque « inter apocrypha deputata. »

Probatur ultimò ex Hincmaro archiepiscopo Remensi, in opusculo 55 Capitum, quod anno Domini 870 adversùs Hincmarum nepotem, Laudunensem episcopum, elucubravit, cap. 24. Sic autem loquitur : « Canones qui vocantur Apostolorum, antequàm epi« scopi concilia liberè inciperent celebrare, à devotis « quibusque collecti; in quibus quædam receptibilia, « quædam verò sunt non servanda. De quibus inter« dùm quædam assumpta in conciliis; quædam à maxi« mis et præcipuæ auctoritatis viris in suis opusculis « (sicut et de apocryphis) assumpta fuisse legimus, « quoniam in quibusdam ad instructionem valent. Et « ideò (sicut majorum traditione didicimus) seorsùm « ante concilia in Canonum libris, ad instructionem « et propter vulgatam eorum famam ponuntur... Cæterùm iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, « non ab Apostolis conscripti esse creduntur... Sed et « B. Gelasius in Catalogo : Qui libri ab Ecclesiâ reci« piantur, de his Apostolorum canonibus penitùs ta« cuit; sed nec inter apocrypha eos misit; quapropter « in lectione illorum sequenda est cautela ab eodem « S. Gelasio præmonita : Cùm hæc, inquit, ad Catholi« corum manum advenerint, B. Pauli Apostoli præce« dat sententia, quæ dicit : *Omnia probate; quod bonum « est tenete.* » Ex his itaque constat viros mediæ ætatis eruditissimos existimàsse canones qui Apostolorum dicuntur, falsò Apostolis inscribi, nec ab eis usquàm editos fuisse, imò ad apocrypha prorsùs amandandos. Adverte Hincmarum vel in codicem mutilum synodi Romanæ sub Gelasio incidisse, siquidem ait ipsum non misisse librum Canonum apostolicorum inter apocrypha, vel mendum in textum Hincmari irrepsisse, et loco istorum verborum : *Sed nec inter apocrypha eos misit*, sic restituendum esse : *Sed nec inter apocrypha eos omisit.*

Objicitur in tertiam propositionem et in ultimam partem primæ : Priores Ecclesiæ Romanæ pontifices, ut Anacletus, Alexander, Julius, Eleutherius, Marcellus, Fabianus, Eusebius, Anicetus, Calixtus, Lucius, Eutychianus, canonum apostolicorum suis in Epistolis disertè meminerunt, eosque probàrunt, ut constat ex eorum testimoniis à Turriano laudatis : ergo canones, Apostolis inscripti, verè apostolici sunt, et ut tales agniti prioribus Ecclesiæ seculis.

Respondeo : Distinguo antecedens. Canonum apostolicorum meminerunt, eosque probàrunt in epistolis pseudopigraphis et supposititiis, concedo; in epistolis legitimis, nego. At epistolæ priorum pontificum, ad Siricium usque, quas in canonum apostolicorum gratiam protulit Turrianus, spuriæ sunt, et tam multa tamque insignia falsitatis et suppositionis præferunt argumenta, ut nemo ferè eruditus vivat, qui aliquam illis tribuat auctoritatem. Prodiderunt enimverò omnes illæ epistolæ ex ejusdem impostoris officinâ, circa noni seculi initium; quo tempore cùm jamdudùm exstarent apud Latinos Apostolorum canones à Dionysio latinitate donati, mirum non est quòd ab impostore sub priorum pontificum larvâ delitescente laudati fuerint, et ab eo Apostolis, quorum nomen præferebant, adscripti. Sed de illis epistolis postea dicemus.

Contra, Gelasius I, pontifex maximus, inter authentica scripta retulit Epistolas decretales quas Romani pontifices diversis temporibus ad varias consultationes responsuri dederunt, summâ veneratione recipiendas; sed ex iis est Epistola Zephyrini, in quâ continetur Apostolos 70 sententias cum aliis quàmplurimis episcopis præfixisse, et servandas censuisse. Illæ autem sententiæ sunt ipsi Apostolorum canones : ergo canones illi sunt verè apostolici.

Resp.: Distinguo majorem. Gelasius inter authentica scripta retulit Epistolas decretales Romanorum pontificum aliquas, concedo; omnes, nego. Quas autem retulerit constat ex Epistolâ 2 Leonis IV ad Britanniæ episcopos datâ, ubi Epistolas illas decretales, quæ apud Ecclesiam Romanam in canone habebantur, et quibus in ecclesiasticis negotiis utebantur pontifices, disertè demonstrat, nempe Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini et Leonis. Inter quas cùm nullam ponat Zephyrini decretalem, nonnisi per somnium dici potest, hanc ipsi cognitam, probatam fuisse. Præterea, cur apostolicas septuaginta sententias ipsos canones Apostolis inscriptos concedam, qui vel 85 in codice Orientalis Ecclesiæ, vel 50 tantùm in nostro recensentur? Scio equidem Romanos decreti correctores ad canonem 2, dist. 16, legi monere, non septuaginta, sed quinquaginta sententias apostolicas; qui numerus canonibus apostolicis in Dionysii collectione exstantibus convenit. Sed etsi res ita se habeat, nego hinc sequi ut illi canones Zephyrino noti probatique fuerint, quia illius epistolæ et aliarum similium consarcinator est Isidorus Mercator, qui sexcentis post verum Zephyrinum annis vixit.

Objectio secunda petitur ex Tertulliano in libro adversùs Praxeam scribente, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Ergo canones illi secundo Ecclesiæ seculo noti erant, receptique ut verè apostolici.

Resp.: Nego antecedens. Id quidem ex Tertulliano citat Bellarminus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, in *Clemente*. Citat ante Bellarminum et Sixtus Senensis lib. 2 Bibliothecæ sanctæ, in *Clemente;* citat post ipsos Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Clemens*. Sed id falsò omnes Tertulliano affingunt, quod nec in

libro adversùs Praxeam, nec alibi uspiàm scripsisse deprehenditur.

Objicitur tertiò : Origenes, lib. contra Celsum, testatur fideles lapsos, peractâ legitimâ pœnitentiâ, in Ecclesiæ communionem admissos fuisse, non tamen ad sacrum ministerium promotos ; quod idem canone Apostolorum 51 et 80 edicitur. Et, lib. 8 contra eumdem Celsum, ait, *Christianos à muneribus reipublicæ gerendis abstinere, non quòd communis vitæ ministeria fugiant, sed quòd servent se Jiviniori ac magis necessario ministerio Ecclesiæ Dei, ad salutem hominum.* Cùm igitur idem constituant canones Apostolorum 6 et 61, rectè colligitur eos Origeni notos, et pro apostolicis habitos fuisse.

Resp.: Nego consequentiam. Equidem ex Origenis dictis colligitur mores illos in Ecclesiâ jam viguisse ipsius ætate, hoc est, tertio Christianismi jam adulto seculo, sed vel Apostoli doctrinâ, et rectâ ratione nitebantur, ut posterior, Ecclesiæ ministris curas mundi et populares administrationes prohibens : *Nemo* enim *militans Deo implicat se negotiis secularibus*, inquit Apostolus scribens ad Tim., 2 Epist. c. 2; vel episcoporum placitis et factis nitebantur, qui hancce disciplinam suas in Ecclesias introduxerant, ut prior, quo lapsi ad communionem peractâ pœnitentiâ recipiebantur, ab altaris ministeriis arcebantur. Non spectavit igitur Origenes canones apostolicos, nec eorum vel per umbram meminit. Unde falsissimum est quod Binius scribit in notis, canonem 51 Apostolorum citatum esse ab Origene, lib. 3 contra Celsum. Itaque horum canonum auctor ex antiquâ consuetudine, quæ jam Origenis temporibus vigebat, ansam arripuit confingêndi illos canones, ut, hâc vetustatis objectâ larvâ, faciliùs incautis imponeret.

Objicitur quartò : S. Alexander episcopus Alexandrinus disertè meminit canonum apostolicorum in Epistolâ ad Alexandrum episcopum Constantinopolitanum, quam refert Theodoretus, lib. 1 Historiæ ecclesiasticæ, cap. 4, ubi eos episcopos objurgat, à quibus clerici suscipiebantur, quos ipse excommunicaverat, idque ait contrarium esse canoni apostolico. « Unde fit, inquit, ut nonnulli qui eorum litteris (Arianorum scilicet) subscribunt, in Ecclesiam recipiantur : quod factum maximam infamiæ notam collegis nostris, qui illud ausi sunt, inussit; qui non modò id quod canon apostolicus non permisit faciunt, sed conatum eorum planè diabolicum contra Christum vehementiorem faciunt. » At his verbis canonem apostolicum 16 manifestè indicat : ergo tempore S. Alexandri patriarchæ Alexandrini, hoc est, circa Nicæni concilii tempora, canones Apostolorum recepti erant ceu verè apostolici.

Confirmatur ex Nicæni concilii can. 5, in quo laudatur canon antiquus, quo interdictum est episcopis ne ab uno excommunicatos alii admittant in communionem. « De his, inquit, qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. » Habetur in Græco, κατὰ τὸν κανόνα. Quibus verbis apertè significatur canon apostolicus duodecimus. Ergo Nicænis Patribus noti fuerunt illi canones, probatique ut verè apostolici.

Idem probat concilii Antiocheni canon secundus qui vetat « in alteram Ecclesiam recipi, qui ab aliâ excommunicatur. Quòd si quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, vel etiam qui in canone detinentur, excommunicatis communicare deprehensus fuerit, et hunc oportet communione privari, tanquàm Ecclesiæ regulas confundentem. »

Resp. ad primum : Nego minorem, quòd scilicet S. Alexander his verbis canonem apostolicum 16 manifestè indicaverit ; nam canon 16 Apostolis inscriptus perstringit episcopos qui clericos è propriâ parochiâ, seu diœcesi, ad aliam, absque sui episcopi licentiâ, migrantes susceperint, sive illi clerici orthodoxi fuerint, sive hæretici; at S. Alexander loquitur de his qui se communione cum hæreticis initâ maculaverint, et qui ipsorum litteris subscripserint. Unde S. Alexander canonis apostolici nomine non intellexit legem aliquam scriptam et editam ab Apostolis, sed regulam à viris apostolicis constitutam, vel etiam ab Apostolis, ut piè credebatur, sine scripto acceptam, quæ constanti omnium Ecclesiarum more firmata erat, ut Ecclesiæ paci et pastorum concordiæ consuleretur. Vel dico, nomine canonis apostolici intellexisse S. Alexandrum Apostoli sententiam, quam citat, ad Galatas 1 dicentis : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* De Arianis enim agebat, qui, cùm hæreseos manifesti essent, anathemate ab omnibus Ecclesiis percelli debebant.

Ad confirmationem respondeo, concilium Nicænum et synodum Antiochenam intellexisse regulam publici Ecclesiæ moris usûsque, non verò canonem aliquem ab Apostolis editum ; alioqui Apostolos disertè laudâssent ; id enim et ad Apostolorum laudem, ad patrum Nicænorum pietatem, et ad legis quam ferebant auctoritatem inprimis pertinebat.

Objectio quinta sumitur ex Epistolâ Constantini imperatoris ad Eusebium Cæsariensem datâ, quâ illius pietatem laudat, quòd ab Antiochenis ad Ecclesiam illam, quæ metropolis erat Orientis, civium et cleri suffragiis electus, Cæsareæ episcopatum descrere noluerit, ab unâ in alteram Ecclesiam migrando, sed maluerit apostolicum canonem rigidè observare. Is autem est canon apostolorum decimus quartus, quo migrationes istæ prohibentur. Exstat apud Eusebium, lib. 3 de Vitâ Constantini, cap. 59, illa Epistola : « Porrò, inquit, abs te prudenter sanè factum est, quòd et Domini mandatum, et apostolicum Ecclesiæque canonem servare decrevisti, episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ prorsùs repudiando, et in eo episcopatu fungendo permanere laborâsti, quem ab initio Dei voluntate suscepisses. »

Confirmatur ex synodo Nicænâ, cujus canone 15 vetantur migrationes ab unâ Paroœciâ in aliam ; quas tunc factas fuisse, *præter canonem*, observat synodus. Aliquo ergo canone anteriori vetitæ erant translatio-

nes : qui quidem alius non est quàm 15 canon apostolicus.

Hùc quoque spectat synodus Antiochena canone 21 decernens, *ut episcopus maneat in Ecclesiâ quam à Deo sortitus est, secundùm decretum priùs eâ de re editum.*

Respondeo canonem à Constantino et à Nicænis Patribus laudatum esse ipsum publicum legitimumque morem Ecclesiæ illorum temporum, non verò editum ab Apostolis canonem, unde Nicæna synodus canonem quidem citat, sed nullos Apostolos laudat; Constantinus verò laudat Ecclesiæ canonem, non verò Apostolorum, quamvis apostolicæ traditioni consentaneum scribat. Sic enim habet initio Epistolæ : « Epis- « tolam tuam legi diligentissimè, ex quâ Ecclesiæ ca- « nonem exquisitè abs te servatum intellexi. In his « namque persistere, quæ Deo grata, quæque tradi- « tioni apostolicæ consentanea videntur, permagnæ « pietatis est. » Canon verò priùs contra migrationes editus, cujus Antiochena synodus meminit, est canon Nicæi concilii.

Contra, Constantinus citat apostolicum mandatum contra migrationes episcoporum : atqui nullum exstat nisi in canone Apostolorum 14. Ergo, etc.

Respondeo : Distinguo minorem. Nullum exstat scriptum, concedo; traditum, nego. Vel : nullum exstat, disertis verbis et explicitè conceptum, concedo; implicitè in apostolicâ doctrinâ exstans, et ex eâ per rectam expositionem haustum, nego. Illud autem mandatum colligitur ex his Apostoli verbis (ut Alexandrini concilii Patres in Epistolâ synodicâ apud S. Athanasium Apologiâ 2 advertunt) : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Quod de matrimonio spirituali episcopi cum suâ Ecclesiâ æquè intelligendum volunt, ac de conjunctione viri cum muliere. Agentes namque contra Eusebium Nicomediensem qui è Berytensi Ecclesiâ ad Nicomediensem migraverat, ita ipsum perstringunt : « Nec secum recogitat dictum illud Apostoli, « quo profitetur se in alienis laboribus non gloriatu- « rum; neque præ oculis habet illius præceptum : *Al-* « *ligatus es uxori? ne quære solutionem.* Quòd si hoc « de uxore dictum est, quantò magis de Ecclesiâ, « atque adeò de episcopatu, cui cùm quis alligatus « est alium quærere non debet, ne adulter in sacris « litteris deprehendatur? »

Objectio sexta conflata ex variis Nicænæ synodi canonibus. Patres Nicæni canone 1 statuunt : « Si « quis seipsum exciderit, ne in clerum admittatur; « quos verò Barbari aut domini castraverunt, si in- « veniuntur aliàs digni, tales ad clerum canonem sus- « cipere. » Cùm itaque idem apostolicis canonibus 20, 21 et 22, sancitum sit, sequitur cognitos ipsis fuisse istos canones, et pro apostolicis habitos.

Præterea, eadem synodus canone 2 ait, multa facta esse adversùs *Ecclesiasticam regulam;* v. gr., quòd homines ex gentili vitâ nuper accedentes ad fidem, brevique tempore instructi, mox ad baptismum perducerentur, simulque ad episcopatum vel ad sacerdotium promoverentur. Hæc porrò regula est canon Apostolorum octogesimus; ergo, etc.

Denique canone 10 Nicæno canon apostolicus 62 insinuatur et explicatur. Hoc apostolico canone, qui metu supplicii Christum negat, gradu dejicitur et pellitur ab Ecclesiâ. Sed de eo qui post lapsum fuerit ordinatus, nihil statuitur. Ad hanc tamen speciem Nicæna synodus pœnam depositionis extendit his verbis : « Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti « sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimu- « lationem, hoc ecclesiasticæ non præjudicat regulæ; « cogniti namque deponantur. » Quasi diceret : Subsecuta lapsum ordinatio obnoxia etiam erit pœnæ, quæ canone ecclesiastico lata est, id est, Apostolico 62, licet canon iste disertè tantùm de eo loquatur qui clero adscriptus erat ante lapsum, cùm in utràque specie par sit omninò ratio.

Respondeo ad primum : nego consequens. Nam canones illos de eunuchis in clerum non recipiendis, Apostolis suppositos esse disertè probavimus, ex facto præsertim Origenis, cui nusquàm apostolici canonis violatio ab æmulis objecta est. Canon itaque à Nicænis Patribus laudatus est mos ipse Ecclesiæ, vel lex aliqua Origenici facti occasione ab ecclesiasticis præpositis lata, ne quis se exsecare pietatis specie, vel tanti viri exemplo auderet; et si quis auderet, is à sacris submoveretur. Quæ lex deinceps apud omnes Ecclesias communi antistitum consensu obtinuit.

Ad secundum, nego Patres Nicænos nomine regulæ Ecclesiasticæ can. 80 Apostolorum significâsse : quidni enim apostolicam potiùs quàm ecclesiasticam regulam appellâssent? Quanquàm et apostolicum omninò est quod ex 1 ad Timotheum 3 est depromptum, cujus verba ibidem citant; quæ Apostoli doctrina meritò regula Ecclesiæ ab ipsis vocatur. « Tempore, inquiunt, « opus est ei qui baptizatur, et post baptismum, « probatione quamplurimâ. Manifesta est enim apos- « tolica Scriptura, quæ dicit : *Non Neophytum, ne* « *in superbiam elatus, in judicium incidat et in laqueum* « *diaboli.* »

Ad tertium, negò regulam ecclesiasticam, ad quam alludit Nicænorum canonum decimus, esse sexagesimum secundum canonem Apostolicum. Satis enim est ad Nicænorum Patrum sententiam explicandam statuere, jam tum fuisse morem aliquem certum ac legitimum, quo apostatæ à clero arcerentur, partim ex sacrâ Scripturâ haustum, quæ sacros ministros puros criminis esse jubet; partim ex rectæ rationis luce; qui mos ab omnibus approbatus et usurpatus, *Regula ecclesiastica* vocatus est à Patribus Nicænis. An is autem lege aliquâ scriptâ explicatus, litterisque mandatus, an verò communi omnium usu ac tacito consensu receptus fuerit, nihil ad synodi mentem interest.

Objectio septima petitur ex synodo Antiochenâ, quæ alludit ad canonem apostolicum 34, quo inhibetur ne quid gravioris momenti agant episcopi provinciales, sine sententiâ ejus qui præest metropoli, quod iisdem ferè verbis statuitur can. 9 synodi Antiochenæ, *secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam.* Et ejusdem concilii can. 23 prohibetur ne quis

episcopus sibi successorem eligat; sed electio fiat *secundùm regulam ecclesiasticam*, quâ significatur canon apostolicus septuagesimus sextus. Ergo noti erant receptique tunc temporis canones apostolici.

Respondeo : Nego antec., quòd scilicet Antiochena synodus nomine antiquæ et ecclesiasticæ regulæ canones apostolicos significet. Colligitur quidem ex Antiochenis canonibus laudatis, ea quæ ipsi decernunt, iam ante illam synodum in usu ecclesiastico fuisse, à superioris memoriæ sive synodis sive episcopis constituta; sed lege latâ ab Apostolis sancita fuisse non evincitur. Unde Antiochena synodus citat regulam *à Patribus* constitutam, non ab Apostolis; quòd addidisset ad majus decretorum suorum robur, si verè novisset esse apostolicam.

Nec verò necesse est, nomine antiquarum regularum, quæ sive à Nicæna, sive ab Antiochenâ, sive ab anterioribus synodis memorantur, intelligi canones apostolicos, etiamsi in nullis veterum monumentis conscriptæ sint. Ecce tibi non unum exemplum. Synodus Nicæna can. 13 hæc habet : « De his qui ad exi- « tum veniunt, lex antiqua regularisque servabitur, « ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo et necessario « viatico minimè privetur. » Ubi, quæso, habetur illa antiqua regularisve lex? Certè nec in Apostolorum canonum collectione, nec in antiquis Ecclesiæ monumentis ante Nicænam synodum.

Ancyrana synodus can. 21 ait : « Priorem definitio- « nem præcepisse, ut mulieres, quæ fornicatæ, fœtus « in utero perimerent, usque ad exitum vitæ ab Ec- « clesiâ removerentur. » Ubi, quæso, vel in apostolicis canonibus, vel in aliquo vetustiori Ancyranâ istâ synodo monumento, hanc regulam seu priorem definitionem reperies? Non sequitur ergo quascumque regulas antiquas, Antiochenâ et Nicænâ synodo priores, etiamsi in nullo vetustiorum temporum monumento legantur, ex codice canonum apostolicorum esse citatas. Itaque leges, regulæ, vel definitiones antiquæ Ecclesiæ, et Patrum, quas Nicæna, Antiochena, et si qua alia synodus, memorant, eæ sunt quæ tum in Ecclesiæ regimine obtinebant, vel tacito omnium consensu receptæ, vel quæ alicujus sive synodi, sive etiam episcopi decreto præceptæ ac sancitæ, vel in unâ provinciâ, vel in pluribus, vel etiam in omnibus observabantur.

Eodem sensu exponenda sunt Africana concilia, quæ « disciplinam ecclesiasticam, ordinem et à Patri- « bus et à majoribus servatum, formam antiquam, « statuta ex antiquorum sententiâ, » memorant ac commendant, observarique præcipiunt, ut concilium Carthaginense II, can. 8, et synodus Africana, can. 53, et codicis Africani 49 et 86. His enim nominibus, quæ apud suam Ecclesiam in usu erant, vel à vetustis synodis constituta, vel à majoribus, nudâ et simplici traditione accepta, significant, non verò canones aliquos apostolicos.

Contra, Patres Africani in concilio Carthaginensi II, can. 2, episcoporum, presbyterorum et diaconorum continentiam sancientes, aiunt *id Apostolos docuisse, et ipsam servâsse antiquitatem*. Quibus verbis indicârunt can. 5 Apostolorum. Ergo canones illi noti fuerunt Ecclesiæ veteri Africanæ, ab eâque recepti ut verè apostolici.

Resp.: Distinguo antecedens : aiunt id Apostolos docuisse in genere, concedo, quatenùs sacris hominibus continentiam suis in epistolis præceperunt; S. Paulus enim ad Titum 1 tradit episcopum, inter cæteras dotes, continentem esse debere : aiunt id Apostolos docuisse, in specie, hoc est, omnem omninò usum conjugii prohibuisse Ecclesiæ ministris, nego. Vel aiunt Apostolos id docuisse vivâ voce, et extra Scripturam, concedo. Lato eâ de re canone, nego. Namque ad canonem quintum apostolicum non respexerunt, qui tunc nullus erat, quique præterea nihil sancit de sacrorum hominum cælibatu, sed solùm *ne episcopus, presbyter, vel diaconus uxorem suam ejiciant, religionis prætextu*.

Objectio octava petitur ex S. Athanasio in Epistolâ ad Orthodoxos, ubi de Georgii Cappadocis, hominis Ariani, audaciâ conqueritur, qui jussu comitis per vim sedem Alexandrinam occupavit. Violatos ab eo canones ecclesiasticos palam profitetur, id est canonem Apostolorum 31, quo præcipitur ut *si quis seculi potestatibus usus ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur*. Ergo tempore S. Athanasii noti erant ac recepti in Ecclesiâ apostolici canones.

Præterea S. Athanasius in synopsi, canones Apostolorum inter hagiographa numerat : ergo, etc.

Respondeo : Distinguo antecedens : sanctus Athanasius conqueritur violatos canones ecclesiasticos, id est, ab espiscopis vel synodis constitutos, concedo; id est, ab Apostolis editos, nego. Ait enim hos canones *pulchrè ac firmè à Patribus nostris traditos*. Certè ab Apostolis editos non siluisset, ut invidiosum magis redderet Georgii Cappadocis facinus, si ita rem se habere existimâsset, ipsique noti fuissent illi, de quibus nunc disceptamus, Apostolis inscripti canones.

Ad secundum respondeo : Nego antecedens : quo Bellarminus post Sixtum Senensem velut egregio argumento abutitur. Nam in totâ Synopsi sanctus Athanasius ne levissimam quidem apostolicorum canonum facit mentionem. Equidem inter *ea novi Testamenti* scripta, *quibus contradicitur*, unà cum *Petri Joannisque et Thomæ Periodis, sive Itinerariis, Thomæque Evangelio, Clementina* etiam reponit; id est, illa Clementis nomine, paulò ante Eusebii tempora, conficta, et vulgata scripta, *verbosa et prolixa, Petri et Appionis* colloquia, sermonesque complectentia, quorum meminit Eusebius lib. 3 Historiæ, cap. 38.

Cæterum quidquid *Clementinorum* nomine intellexerit S. Athanasius, non hæc pro libris hagiographis habuit, ut Bellarminus ait; sed eodem loco duntaxat numeroque censendos existimavit, quo *Petri et Joannis et Thomæ circuitus et Evangelium secundùm Thomam*, quæ inter apocrypha semper censuit Ecclesia.

Objectio nona petitur ex S. Basilio, Epistolâ 1 ad Amphilochium, cap. 3, ubi diaconum à gradu dejectum ob crimen non arcet à communione, *quoniam antiquus est canon, ut lapsi ex gradu, ex ministerio, qui-*

*dem sacro ejiciantur; communione verò nequaquàm priventur.* Atqui vetus ille canon quem laudat, est canon Apostolorum vigesimus quintus; ergo S. Basilio noti probatique fuerunt Apostolorum canones.

Respondeo : Nego minorem. Equidem S. Basilii canon eadem omninò decernit, quæ vigesimus quintus ille Apostolis adscriptus; sed nego quòd canonem illum respexerit, qui tunc nullus erat; imò contendo vigesimum quintum illum pseudoapostolicum, ex Basiliano exscriptum fuisse. Certè de illo ne quidem cogitâsse S. Basilium constat ex ratione quam addidit suo canoni : *Arbitror secutos esse illos primos legem illam : Non vindicabis bis in idipsum.* At hæc frigidè omninò ineptèque dixerit de auctoribus canonis vigesimi quinti citati. Hos enim secutos esse legem illam evidentius est, quam ut id hisce verbis significare voluerit Basilius, *arbitror*, etc.; siquidem illi disertè ac nominatim suo illi canoni hanc rationem addunt : *Dicit enim Scriptura : Non vindicabit Dominus bis in idipsum.*

Objectio decima eruitur ex synodo Constantinopolitanâ, habitâ sub Nectario, in causâ Agapii, ubi quærente Arabiano Ancyræ episcopo an liceret duobus episcopis episcopum accusatum gradu dejidere, ex sententiâ Nectarii et Theophili Alexandrini, totiusque synodi, decernitur episcopum dejici non posse, præterquàm à synodo episcoporum provinciæ, *ut apostolici canones constituerunt.* Quibus verbis, canon Apostolicus septuagesimus tertius significatur. Ergo tunc temporis in Orientali Ecclesiâ recepti erant canones apostolici.

Respondeo synodum illam Constantinopolitanam canonum apostolicorum nomine intellexisse canones à viris apostolicis editos, non ab Apostolis ipsis. Spectavit autem canonem quintum Nicænæ synodi, ad quem postea alludens Ecclesia Africana in Epistolâ ad Cœlestinum I pontificem maximum ait : *Synodi Nicænæ decreta, sive inferioris ordinis clericos, sive ipsos episcopos , metropolitanis suis apertissimè commiserunt.* Certè si noti tum fuissent ac recepti Apostolorum canones, Patres Africani illos æquè laudassent ac Nicænos.

Objectio undecima petitur ex Innocentio I pontifice maximo in Epistolâ ad Victricium Rothomagensem episcopum datâ anno Domini 404, ubi capitibus 1, 2, 3, 5, 6, etc., multa decernit quæ apostolicis canonibus 1, 61, 34, 36, 12, etc., continentur; ergo ipsi noti erant ac probati hi de quibus agimus, Apostolis inscripti canones.

Confirmatur ex his quæ in illâ Epistolâ præfatur Innocentius : « Non quo, inquit, nova præcepta aliqua imperentur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus; quæ tamen apostolicâ et Patrum traditione sunt constituta; scriptum est enim Thessal. 2 : *State, ac tenete traditiones nostras quas tradidi vobis, sive per verbum, sive per epistolam.* » Ergo quæ Innocentius hâc in Epistolâ decernit, ex apostolicis canonibus hauserat.

Respondeo : Distinguo antecedens. Multa decernit Innocentius, quæ apostolicis canonibus continentur, quia tum exstarent omnes illi canones, et illa inde descripta sint, nego; quia postea in illam collectionem relata sunt, concedo. Illas itaque regulas, quòd essent in communi Ecclesiarum usu, canonum pseudoapostolicorum consarcinator in suam farraginem retulit, ut publica auctoritas speciem aliquam mendacio conciliaret. Sed hæc Innocentius nusquàm dicit apostolicis canonibus sancita esse; quod certè non prætermisisset, si canones illos agnovisset. Hoc enim maximè pertinebat ad auctoritatem decretis suis apud Victricium et cæteros episcopos Gallicanos conciliandam. Sanè cùm cap. 1 decernit *episcopum extra metropolitani conscientiam non esse ordinandum*, synodum Nicænam, quæ illud idem canone 4 præcipit, disertè laudat : *Hoc enim*, inquit, *et in synodo Nicænâ constitutum est atque definitum.* Capitibus item 2 et 7, Nicænæ synodi nominatim meminit. Cur, amabo, qui Nicænos canones, datâ occasione, tam diligenter citat, nusquàm laudat apostolicos, multò majoris et auctoritatis et antiquitatis (si verè ulli erant) futuros? Ratio in promptu est, nimirùm canones Nicænos quos citaret, perspectos habuit ille pontifex; apostolicos quos laudaret, nullos planè noverat.

Ad confirmationem respondeo, nego consequens. Colligitur quidem ex his quæ præfatur in Epistolâ citatâ Innocentius, ipsum existimâsse illa quæ deinceps ibi decernit, fuisse jam ab ipsis Apostolis, sive vivâ voce, sive etiam scripto, Christianis tradita, et ipse sanè nonnulla ex divinis Scripturis eruit, ut ex Levitico, quod cap. 4 decernit de uxore clerici virgine; ex Apostolo Paulo, quod cap. 6 statuit de bigamis à sacris ordinibus arcendis; ex Moyse et ex Paulo, quæ cap. 9 de sacerdotum et diaconorum ab uxoribus continentiâ præcipit; ex eodem denique Apostolo, quæ sancit, cap. 13, de virginibus quæ neglecto proposito nubunt. Cætera quæ nullâ Scripturarum fulcit auctoritate, videtur etiam censuisse ab Apostolis tradita, sed vivâ voce; non autem in apostolicis canonibus. Ipse certè Ecclesiæ usus, quem, quòd ejus initia nulla videret, ab Apostolis derivatum non immeritò suspicabatum, facilè ipsi persuasit hæc esse apostolica. Quidni enim potuit sanctissimus et doctissimus pontifex hâc regulâ uti, quam synchronus illius S. Hieronymus statuit Epist. 28 : *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur?*

Objectio duodecima hauritur ex concilio Ephesino, actione 7, ubi refertur Antiochenum, episcopum Cordinationes provinciæ Cypri ad se trahere conatum *contra leges ecclesiasticas et canones sanctorum Apostolorum.* Ergo jam tum noti erant canones Apostolorum 34 et 35, qui vetant episcopis ne extra provinciam quique suam manus imponant.

Respondeo Latinam Ephesinæ synodi editionem, loco mox laudato nihil de *Apostolis* habere. En ejus verba : *Rem hanc, quæ præter ecclesiasticas constitutiones et sanctorum Patrum canones innovatur, et omnium libertatem attingit, annuntiavit piissimus episcopus The-*

*ginus*, etc. Viden ut sanctorum Patrum canones dicit, non Apostolorum? Græcus codex vetus *canonum universalis Ecclesiæ* inscriptus, canone 178, eamdem lectionem exhibet. Eamdem exhibent Romana conciliorum Græcorum Latina editio anno 1608, Coloniensis anno 1618, Parisiensis anno 1636. Itaque hæc Ephesinæ synodi verba, *sanctorum Patrum canones*, nullatenùs spectant canones apostolicos, sed episcoporum et synodorum superiorum decreta. Videntur autem ad Antiochenum canonem 13 digitum intendere, qui sic decernit: *Nullus episcopus ex aliâ provinciâ audeat ad aliam transgredi, et ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare.* Forsan etiam alluserunt Ephesini Patres ad canonem secundum concilii œcumenici Constantinopolitani primi, quod Ephesinum annis propemodùm 50 antecesserat.

Objectio decima tertia petitur ex constitutione Theodosii imperatoris lib. 3, c. *de Summâ Trinitate*, quâ Irenæum quemdam, *post binas nuptias, præter apostolicos canones, Tyriorum civitatis episcopum factum*, ab eâ Ecclesiâ dejicit. Quibus verbis respicit canonem 17 apostolicum. Ergo canones Apostolis inscripti, verè habiti sunt apostolici anno 440, quo Theodosius hanc constitutionem edidit.

Resp.: Nego quòd his verbis respexerit Theodosius canonem 17 apostolicum, sed per apostolicos canones intellexit apostolicam doctrinam quâ constitutum est episcopum *unius uxoris virum esse* debere, 1 ad Tim. 3, et ad Tit. 1.

Objectio decima quarta petitur ex concilio Chalcedonensi, canone 12, dicente episcopos qui principum auctoritate interpositâ sedibus suis metropoleon honorem quærebant, *præter ecclesiastica statuta facere.* Atqui his verbis indicat canonem apostolicum 31: ergo canones apostolici noti erant Patribus Chalcedonensibus.

Resp.: Nego minorem; sed nomine statutorum ecclesiasticorum intellexit Chalcedonensis synodus Nicænos Constantinopolitanosque canones, id est, canones primæ synodi 6 et 7, et secundæ 2, ut innuit Balsamon in scholiis ad hunc Chalcedonensem canonem.

Objectio decima quinta est ex S. Leone, epistolâ 92, ubi ait *ex apostolicâ traditione descendere* eam Ecclesiæ consuetudinem quâ presbyteri et diaconi, criminis alicujus rei, publicæ ac solemni pœnitentiæ minimè subjiciebantur. Atque hæc referuntur ad canonem Apostolorum 25: ergo canones apostolicos novit probavitque S. Leo.

Præterea idem, epistolâ 1, canones Apostolorum citat 17 et 18, de iis qui ordinari non possunt. « Quælis verò, inquit, unicuique natalium honestas, et « morum esse debeat, qui sacri altaris ministerio est sociandus, et Apostolo nos docente et « divinâ præceptione didicimus, et canonum regulis, à quibus plerosque fratrum declinâsse et « penitùs deviâsse reperimus. Nam constat ad sacerdotium pervenisse viduarum maritos quosdam « etiam, quibus fuerint numerosa conjugia, et ad omnem licentiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam « B. Apostoli vocem, quâ talibus reclamat, dicens, « 1 ad Tim. 3: *Unius uxoris virum, et contra illud antiquæ legis præceptum;* Levit. 21: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* »

Tertiò, idem, epistolâ 84, citat canonem apostolicum 34: « Igitur, inquit, secundùm sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi « reverentiâ consecratos, metropolitanos singularum « provinciarum episcopos, jus traditæ sibi antiquitùs « dignitatis intemeratum habere decernimus. »

Denique in eâdem epistolâ, cap. 7, citat canonem apostolicum 37: « De conciliis, inquit, episcopalibus, « non aliud indicimus quàm SS. Patres salubriter ordinârunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, « quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci solent, « judicetur. »

Ad primum respondeo: Nego minorem; ait enim S. Leo usum istum moremque ex apostolicâ traditione descendere, quòd divinis litteris esset consentaneus huic nimirùm testimonio, 1 Reg. 2: *Sacerdos, si peccaverit, quis orabit pro eo?* Non quòd ex aliquo canonum apostolicorum codice depromptus esset. Verba S. Leonis sunt: « Quòd sine dubio ex apostolicâ traditione descendit, secundùm quod scriptum est: « *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?* Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, « privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, « si fuerit digna, sit etiam fructuosa. »

Ad secundum, nego antecedens, quòd scilicet per canonum regulas S. Leo canones apostolicos 17 et 18 intelligat. Namque (ut ex toto contextu patet) S. Leo tria proponit diversa documenta, quibus innotescit qualis suffragari debeat sacris hominibus natalium et morum honestas. Ad primum caput, refert testimonium S. Pauli, 1 ad Tim. 3; ad secundum, testimonium Levitici; ad tertium, canones ecclesiasticos, quos nominatim nullos citat. Itaque doctrinam apostolicam, quâ primum caput probat, disertè à canonum regulis distinguit, quæ tertium probationum caput complectuntur: quod perperàm faceret, si canonum regulas, quas citat, verè apostolicas, et ex apostolicorum canonum codice depromptas existimaret.

Ad tertium, nego pariter antecedens. Nam per canones Patrum Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos, non intelligit apostolicos, sed Nicænos. Respicit porrò S. Leo canonem 6 Nicænæ synodi, quo *privilegia Ecclesiarum* sarta tecta esse jubentur; quæ hìc sanctissimus pontifex optimè vocat *jura traditæ antiquitùs dignitatis.*

Ad quartum, nego id quod statuit S. Leo de conciliis in annos singulos celebrandis ex can. 37 Apostolorum haustum esse. Nam S. Leo sanctos Patres, qui istud salubriter ordinârunt, non alios quàm Nicænos intellexit quorum disertissimus est in eam rem canon

quintus Et certè si S. Leo ad canonem aliquem apostolicum hoc loco respexisset, nominatim appellàsset *Apostolos* (non) *sanctos Patres*. Communis enim Ecclesiæ loquendi usus solet in rebus hujusmodi Patres Apostolis tacitè opponere, ut Patres ferè semper intelligantur cæteri, præter Apostolos, veteris Ecclesiæ doctores.

Objicitur decimò sextò. S. Hieronymus ad can. 5 Apostolorum retulit, quod in Epistolâ ad Damasum scripsit, quodque à Gratiano, causâ 16, quæst. 1, cap. *Quoniam*, observatum est. Sic enim ait : « Quod autem beatitudo tua quæsivit, utrùm usus decimarum, et oblationum secularibus provenire possit, novit tua sanctitas omninò non licere, protestantibus hoc divinis auctoritatibus paternorum canonum. » Jubet autem canon laudatus sanctorum Apostolorum, qui sunt primi Patres nostri, et quorum est divina auctoritas, ut fructum primitiæ in domum episcopi et presbyteri comportentur, qui illos dividant inter diaconos et reliquos clericos.

Respondeo, epistolam illam spuriam esse, et à S. Hieronymi ingenio planè alienam; neque in ullâ earum epistolarum quæ ab eo ad Damasum scriptæ exstant, aut in aliis omnibus S. Hieronymi operibus, hæc verba legi : quod et Romani Gratianei decreti correctores in suis ad hunc locum notis non prætermerunt : *Pars*, inquiunt, *hujus capitis citatur ex B. Hieronymo, in cujus quæ exstant, scriptis nihil hujusmodi inventum est.*

Respondeo secundò, non constare scriptorem cujus sunt verba à Gratiano laudata, quisquis ille fuerit, per canones paternos significâsse apostolicos. Verisimilius enim est eum synodorum veterum decreta intellexisse, quorum auctoritatem divinam dixit, quòd ea eximia sit et maximi ponderis ad ecclesiasticam disciplinam sanciendam.

Objicitur decimo septimo. Gelasius pontifex maximus multa in suis epistolis ac decretis ex apostolicorum Canonum libro laudat, ac velut Ecclesiasticas regulas affert. Ergo canones apostolicos, de quibus agimus, pro veris agnovit, aliosque omninò à nostris in apocryphorum classem amandavit.

Probatur antecedens : Epistola 9 citat *paternos canones* contra eos *qui seipsos abscindunt*. Respiciens canonem Apostolorum 22, ibidem laudat *reverendorum canonum constituta* contra *desertores propriæ Ecclesiæ*. Alludens ad canones Apostolorum 15 et 16, ibidem cap. 20 citat *majorum veneranda constituta* contra peccatores subrepentes. Quibus verbis canones Apostolorum 25 et 61 intellexit. Denique epistolâ 5 conqueritur quòd episcopi *contra canones omnia gerant, et contra apostolicam disciplinam passim cuncta misceant, et non servatis regulis*, sacras ordinationes conferant. Agnovit igitur Gelasius regulàs apostolicæ disciplinæ de dignis et indignis ordinationibus, qui sunt apostolici canones.

Respondeo : Nego antecedens. Ad primum testimonium respondeo *paternos canones* quos Gelasius laudat contra eos qui se abscindunt, non esse canones apostolicos, sed Nicænum primum, hæc de eunuchis præcipientem.

Ad secundum testimonium respondeo *reverendos canones* quos Gelasius citat contra clericos propriarum ecclesiarum desertores, non alios esse à Nicænis 15 et 16.

Ad tertium dico *veneranda majorum constituta* contra peccatores subrepentes, esse ejusdem augustissimæ synodi canones 9 et 10.

Ad quartum dico Gelasium canones simpliciter nominare, ecclesiasticos scilicet, non ex libro canonum apostolicorum petitos. Ait porrò *contra disciplinam apostolicam* facere eos qui passim cuncta miscent, quia Apostolus 1 ad Corinthios 14 jubet ut in Ecclesiâ *omnia honestè et secundùm ordinem fiant.*

Objicitur decimo octavo : Collectio canonum in quinquaginta titulos distributa, quæ Theodoreti Cyrensis episcopi nomine exstat in codice manuscripto Bibliothecæ christianissimi regis, ex eoque à Justello edita est, canones apostolicos 85 laudat : sunt igitur verè apostolici.

Respondeo hanc collectionem Theodoreti non esse, sed Joannis Scholastici patriarchæ Constantinopolitani, qui sexto seculo floruit sub Justiano imperatore, quo tempore illi canones passim jam sub titulo canonum apostolicorum laudabantur, quamvis non sint apostolici. Unde nego etiam consequens.

Objectio ultima colligitur ex synodo Trullanâ canone 2, ex septimâ, Canonibus 1, 5 et 10, ex Romanâ synodo sub Gregorio VII, canone 2, ex concilio Triburiensi, cap. 2, ex Parisiensi sub Ludovico Pio, cap. 15, ex Tridentino, sessione 25, cap. 1 de Reformatione; item ex S. Joanne Damasceno lib. 4 de Fide Orthodoxâ; ex Tarasio patriarchâ Constantinopolitano in Epistolâ ad Adrianum pontificem maximum; ex Photio in Bibliothecâ; ex Bonifacio Apostolo Germaniæ in Epistolâ ad Gudbertum Anglum; ex Nicolao I pontifice maximo, passim in suis decretis; ex Leone IV, distinctione 19, cap. *de Libellis*; et ex Joanne VIII, in Epistolâ ad Basilium imperatorem. Ex his enim omnibus, tùm synodis cùm pontificibus et auctoribus ecclesiasticis constat canones Apostolis inscriptos, verè apostolicos esse.

Respondeo illas synodos et pontifices non decernere an canones apostolici verè, an falsò Apostolis inscribantur, uti nec quæstionem illam quæ ad ipsorum institutum minimè pertinebat, expenderunt; sed eos sub nomine Apostolorum citàrunt, quia ut ita citarentur, inoleverat usus. Cæterum omnes illæ synodi, pontifices et auctores qui sexto seculo posteriores sunt, nequaquàm sunt veteribus anteponendi.

Quæres quo tempore et à quo confícti sint canones apostolici? Respondeo verisimile esse aliquos fuisse confictos ab episcopis Iconiensis concilii, cui præerat Firmilianus, anno 258, congregatis ad controversiam de hæreticorum baptismate dirimendam. Ratio est quia canones apostolici 46 et 47 ipsam concilii Iconiensis sententiam de rebaptizandis hæreticis exhibent, ut constat ex Firmiliano rem gestam ita nar-

rante, in Epistolâ ad S. Cyprianum : *Hæretico enim sicut ordinare non licet, non manum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam sanctè, nec spiritualiter gerere, quando alienus sit à spirituali et deificâ sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio qui Phrygiæ locus est collecti in unum, convenientibus ex Galatiâ, ex Ciliciâ, et cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter, et vendicandum, cùm à quibusdam de istâ re dubitaretur.* Itaque tunc adornata ex parte videtur canonum apostolicorum collectio ab Orientalibus episcopis, qui Firmiliani sententiæ contra Stephanum Romanum pontificem cum Africanis episcopis adhærebant, ut traditionem scriptam deinceps objicere possent illius sectatores sententiæ Romanis aliisque Occidentalibus traditionem. Eam juvat conjecturam canon apostolicus 38, qui mensis hyperberetæi meminit, quo significatur october Linguâ Syro-Macedonicâ, cujus erat usus per Orientem.

NOTA.

Canones qui dicuntur Apostolorum, falsò ipsis adscriptos dubitabit nemo, si in eisdem plura ab Apostolorum doctrinâ dissona cum Natale contineri conspiciat. Nihilominùs hujusmodi canones concilio Nicæno, aliisque illorum seculorum synodis, ac Patribus ignotos fuisse credendum non est. In dubium revocari non potest, si quæ sibi objicit Natalis legantur, synodum nempe Nicænam, aliasque non semel canonum etiam nomine illos innuere; porrò difficile est sibi suadere illam vocem *canon* à synodis usurpatam ad morem tantùm designandum qui tunc vigeret in Ecclesiâ, quique esset regula rerum faciendarum seu judiciorum instituendorum, cùm eam vocem semper legem scriptam significare omnes crediderint. Illud etiam addunt, concilium Nicænum morem in Ecclesiâ vigentem velut rem à canonibus distinctam indigitâsse. Canones præterea Apostolorum inscripti disciplinam, quæ secundo aut tertio aut quarti seculi initio in quibusdam Ecclesiis servabatur, continent. Ita se habet, exempli gratiâ, canon præcipiens unà cum Judæis Pascha non esse celebrandum, quod Victore pontifice plures synodi definierant. Canones etiam baptisma hæreticorum respuentes concilii Iconiensis definitiones innuunt, cui placuit S. Cypriani sententiæ contra S. Stephanum papam adhærere; neque etenim licet opinari Cyprianum et Firmilianum ad propriam constabiliendam disciplinam, illius synodi canones confinxisse. Hæc mihi verosimile esse demonstrant canones apostolicos collectionem esse quamplurium canonum ante primam Nicænam œcumenicam synodum in pluribus particularibus synodis editorum; quæ collectio cùm successu temporum novis canonibus fuerit adaucta, factum est aliquos ejusdem canones non facilè inter se conciliari, atque ejusdem materiæ canones nullo servato ordine in eâdem conscriptos. Quia verò in præfatâ collectione quosdam etiam canones inseruerunt, à quibus Romana seu etiam catholica abhorrebat Ecclesia, nec œcumenici fœtus erant concilii, nil mirum si illius non meminêre primi canonum collectores, neque primi Ecclesiæ Patres ipsorum auctoritate adversùs Ecclesiæ hostes pugnaverint, vel in usum redigere neglexerint. Illud tamen observandum, ea quæ refert Natalis in quartâ probatione tertiæ propositionis, Apostolorum quidem hos canones non esse demonstrare, non verò ipsorum destruere antiquitatem, ut ex sequentibus apparebit.

S. Athanasius igitur Leontii Ariani facinus exagitans, non canonem qui falsò Apostolorum diceretur, sed Nicænum adversùs illum protulit, potiùs à concilii generalis canone damnatum ostendens, quàm ab antiquiore canone dubiæ fortassè auctoritatis, etsi illum potuerit non ignorare. S. Epiphanius adversùs Valesianos ejusdem canonis mentionem potuit negligere, cùm non canonum auctoritate, sed S. Scripturæ adversùs illos insurgat. S. Basilius aliique trinæ immersionis in baptismo ritum non ab aliquo canone, sed à traditione non scriptâ derivare dixerunt, quia invaluerat apud ipsos usus, nomine traditionis non scriptæ quidquid in S. Scripturâ non continebatur, designandi. Neque etiam necesse erat adversùs hæreticos canonem falsò Apostolis affictum urgere; qui etenim in eâ collectione hâc de re leguntur canones, non ad profligandos hæreticos, sed ad proscribendam sacerdotum negligentiam respexerunt.

Adversùs horum canonum antiquitatem videtur pugnare canon 84, qui in censu librorum canonicorum tres Machabæorum libros, duas Clementis epistolas, ac octo Constitutionum libros enumerat; cùm etenim hujusmodi errores ante concilium Nicænum non insonuerint, neque ab alicujus conciliabuli canone tunc temporis confirmatus credere conceditur. Sed illud respondendum, hujus canonis antiquitatem ex eo innotescere, quòd veteris Testamenti libros, qui in Hebræorum canone non legebantur, omiserit; nam nondùm satis compertum erat in canonicorum librorum albo esse recensendos; in horum numero erant libri Sapientiæ, Tobiæ, Judith, etc., qui proinde deuterocanonici appellantur, quia statim ab Ecclesiæ exordio de ipsorum non constitit auctoritate. Corruptus proinde dicendus iste Canon quoad eam partem quâ libros non canonicos inter canonicos admiscet; atque ita egisse non irrationalibiter credendum constitutionum auctorem, qui sub Clementis larvâ abscondebatur, ut ita proprio libro irrefragabilem conciliaret auctoritatem.

Cæterùm dùm canonum Apostolis adscriptorum antiquitatem proposui, non ea mihi mens fuit, ut omnes apud aliquas Ecclesias ante Nicænam primam synodum viguisse traderem, cùm ab ipsorum collectore eisdem alios postea consutos jam innuerim.

# DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS

# Dissertatio.

( EODEM AUCTORE. )

Constitutiones Apostolorum nomine inscriptas, et octo libris comprehensas è Græco in Latinum sermonem transtulit Carolus Bzovius, et anno 1563 in lucem emisit. Easdem Turrianus Societatis Jesu professor Latinè interpretatus est, et commentariis illustravit. Eas cum conciliis Surius et Benius in suis conciliorum editionibus evulgârunt. De his quærimus in præsentiarum, an veri sint ac genuini Apostolorum vel saltem Clementis Romani, cujus nomen præferunt, fœtus.

PROPOSITIO PRIMA. — *Constitutiones Apostolorum sunt apocryphæ, ab Apostolorum et Ecclesiæ doctrinâ alienæ; ipsis adeò Apostolis et Clementi Romano suppositæ.*

Probatur prima pars ex decreto Gelasii I pontificis maximi in Romanâ synodo, anno Christi 494: Item, inquit, *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis libri octo, apocryphum.* Porrò libri octo Clementis nomine inscripti, sunt ipsissimi Constitutionum apostolicarum libri de quibus agimus.

Probatur secundò ex Humberto cardinali, episcopo Sylvæ-Candidæ, qui à Leone IX legatus Constantinopolim missus est. Hic scilicet Nicetæ Pectorato Constitutionum apostolicarum loca quædam contra sabbati jejunium objicienti his verbis respondet: *Hoc asserere conaris ex apocryphis libris et canonibus pari sententiâ sanctorum Patrum repudiatis.* Et paulò post: *Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini.* Citaverat autem Nicetas quintum et septimum librum Ordinationum seu Constitutionum apostolicarum. Ex quâ Humberti responsione colligitur, hanc tum fuisse de his libris Sedis apostolicæ, cujus legationem gerebat, sententiam.

Probatur tertiò ex Honorio Augustodunensi, qui circa annum Domini 1120 in Gallià nostrâ floruit. Hic nempe in opere suo de Scriptoribus ecclesiasticis, omnia quæ Clementi Romano tribuuntur, præter unam ad Corinthios epistolam, ait *inter apocrypha recenseri.*

Idem censent quique inter recentiores eruditi, Bellarminus lib. de Scriptoribus ecclesiasticis in *Clemente*, Boronius tom. 1 Annalium ad annum Domini 32 et alibi, Cardinalis item Petronius lib. 2 de Eucharistiâ cap. 1, Albaspinæus ( de l'Aubépine ) Aurelianensis episcopus, Observationum ecclesiasticarum lib. 1, cap. 13; Petavius in notis ad S. Epiphanium, ad hæresim Audianorum; et alii quotquot modò numerantur eruditi.

Probatur quartò: Constitutiones apostolicæ, priorum seculorum Patribus vel ignotæ prorsùs fuerunt, vel apocryphorum numero ac loco ab illis habitæ sunt; ergo verè sunt apocryphæ.

Probatur antecedens: Opus quod nusquàm memorârunt priorum seculorum Patres, occasione datâ; cujus auctoritate nunquàm usi sunt ad revincendos hæreticos; à cujus doctrinâ passim recesserunt, vel ipsis ignotum fuit, vel apocryphorum loco habitum: atqui tales sunt Constitutionum Apostolicarum libri; ergo vel ignoti fuerunt priorum seculorum Patribus, vel ab iis in apocryphorum censum rejecti.

Probatur minor accuratâ inductione: I. Justinus Martyr, qui secundo seculo vixit, disertè testatur sabbati religionem passione Christi fuisse abolitam, nec à sui temporis Christianis observata fuisse sabbata ( ut videre est passim in Dialogo cum Tryphone ), nec conventus Christianorum alio die fieri solitos memorat, quàm solis die, id est, dominicâ, ut videre est Apologiâ secundâ; igitur ignotæ erant Justino Apostolicæ Constitutiones, vel nullo in pretio apud ipsum erant, alioqui illarum doctrinam secutus fuisset, quâ tradunt sabbati diem, velut creationis, à Christianis observandum esse ac feriandum, neque jejunio funestandum, et conventus solemnes eâ die indicunt, lib. 5, cap. 14 et 20, et lib. 7, cap. 24.

II. Sanctus Irenæus, qui floruit secundo cadente seculo, in egregio opere, quod adversùs universas hæreses conscripsit, cùm epistolam Clementis ad Corinthios non semel citet, lib. præsertim 3, cap. 3, nullibi Constitutionum Apostolicarum auctoritate Hæreticos refellit. Ergo ipsi incognitæ erant, vel apocryphæ ipsi videbantur.

Præterea idem Irenæus in Epistolâ ad Victorem Romanum episcopum, cujus fragmentum refert Eusebius, libr. 5 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 26, testatur consuetudinem Paschatis lunâ 14, unà cum Judæis celebrandi, jam temporibus Aniceti, Pii, Hygini, Telesphori, Xisti et Soteris, Victoris decessorum, apud Asiæ ecclesias viguisse, et in eo ritu fuisse à Romanâ Ecclesiâ toleratas. Igitur Constitutiones Apostolorum, quæ Pascha cum Judæis Christianos celebrare vetant, lib. 5, cap. 16, latuerunt viros sanctissimos Polycarpum, Thraseam, Sagarim, Papirium, Melitonem, Polycratem, et cæteros Asianos, Apostolici nominis observantissimos; alioqui nunquàm legem tam claris tamque disertis verbis, ab Apostolis ( ut fingitur ) latam, temerè violâssent. Sed et Victor ipsis Constitutionum Apostolicarum auctoritatem proculdubio objecisset, qui Joannem Aposto-

lum sui moris auctorem faciebant. Igitur vel nullæ tunc exstabant Apostolicæ Constitutiones, vel apocryphæ censebantur.

III. Clemens Alexandrinus, qui secundo seculo exeunte florere cœpit, tertiùque initia attigit, frequenter laudat genuinam Clementis Romani ad Corinthios epistolam, et satis prolixos ex eâ textus describit libr. 1, 4 et 6 Stromatum. Nullibi Constitutionum Apostolicarum meminit, cùm tamen multa passim tractet, quæ ex eo libro vel probari, vel ornari et illustrari poterant. Igitur ignotæ illi fuerunt Constitutiones Apostolicæ, vel apocryphorum loco habitæ.

IV. Tertullianus, Clementis æqualis, si constitutiones illas novisset, vel alicujus in Ecclesiâ auctoritatis existimâsset, animam vestram non asseruisset esse corpoream, quam istarum Constitutionum auctor, lib. 6, cap. 11, incorpoream et immortalem profitetur : nec laïcis baptizandi potestatem concessisset lib. de Baptismo, cap. 17, et de Exhortatione Castitatis, cap. 7, quam auctor Constitutionum iisdem adimit lib. 3, cap. 10, nec adeò impotenter Zephyrini Romani pontificis decretum fornicatoribus aditum, per pœnitentiam ad reconciliationem reserans, invasisset ac dilacerâsset; cum auctor Constitutionum pœnitentes absque discrimine recipiendos tam frequenter moneat lib. 2, cap. 12, et sequentibus, et cap. 48. Certè cùm nullus veterum has Constitutiones adversùs Novatianos produxerit; cùm Tertullianus ipse, qui in suo de Pudicitiâ libro solvere nititur et explicare momenta omnia quæ Catholici Montanistis pœnitentiæ hostibus opponebant, et librum ipsum Pastoris quem proferebant ad causæ catholicæ præsidium, liberè inter apocrypha amandat cap. 10; cùm, inquam, Tertullianus ne verbum quidem faciat de Apostolicis illis Constitutionibus; sequitur illas et Tertulliano, et illorum temporum catholicis ignotas prorsùs fuisse, aut in apocryphorum numerum communi consensu ablegatas.

V. Origenes nedum Constitutionum Apostolicarum non meminit : sed eas sibi invisas fuisse, aut nullius auctoritatis indicat. Siquidem Christianorum dies festos recensens libr. 8 contra Celsum, dominicam duntaxat diem, Parasceven, Pascha, et Pentecosten memorat; Constitutiones verò, præter hos dies, Natalem Christi, et Epiphaniam, Ascensionem, et Apostolorum Natalitios à Christianis celebrari præcipiunt.

VI. Sanctus Cyprianus, cum Africanis episcopis in causâ de iterando Baptismo ab hæreticis collato, ex solis Scripturis sententiam suam confirmat, Constitutiones non omissurus, si vel tum in rerum naturâ extitissent, vel ut genuinum Apostolorum aut Clementis opus fuissent habitæ; cùm nihil proferri posset ad tuendam Africanæ Ecclesiæ Dei disciplinam validius : siquidem omnium hæreticorum baptisma reprobant, libr. 6, cap. 15.

VII. Ignotas fuisse quarto seculo Constitutiones Apostolicas suadet Arianorum silentium, qui nihil ex iis ad erroris sui patrocinium adhibuerunt, cùm plurima habeant Arianæ hæresi faventia. Certè si multa Dionysii Alexandrini securiùs dicta in rem suam torserunt, in quibus explicandis ac solvendis laboravit S. Athanasius, Constitutiones multò audacius jactâssent, si extitissent eâ ætate. At ipsos nec leviter illarum meminisse, aut earum auctoritatem Catholicis objecisse demonstrat S. Athanasii silentium.

VIII. Sanctus Basilius Magnus easdem Constitutiones ut ignoraverit, vel nihili fecerit, necesse est : siquidem libro de Spiritu Sancto, cap. 27, negat scripto ullo tradita esse quædam eorum, quæ in Constitutionibus scripta leguntur variis in locis; scilicet : *Ut signo crucis eos qui spem collocârunt in Christum, signemus; ut ad orientem versi precemur; invocationis verba, cùm conficitur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis; consecrationem aquæ baptismalis, et olei unctionis; trinam immersionem in baptismo;* et alia id genus.

Ex his colligitur propositio superius asserta, scilicet priorum seculorum Patres nusquàm meminisse Constitutionum Apostolicarum, nunquàm earum auctoritate usos, ab earum denique doctrinâ frequentiùs recessisse.

Probatur secunda pars, scilicet quòd Constitutiones illæ sint ab Apostolorum et Ecclesiæ doctrinâ alienæ, notando errores quibus scatent. Primo de Filii et Spiritûs Sancti divinitate malè sentiunt, siquidem inter hæreticos recensent illos *qui suspicantur Jesum esse Deum super omnia*, lib. 6, cap. 25. Ipsum fingunt *ministrantem Deo suo ac Patri, ad rerum omnium creationem*, lib. 5, cap. 20. Patrem genuisse Filium ante secula, *voluntate, et potentiâ, et bonitate*, lib. 8, cap. 12. Episcopum Deo Patri similem asserunt; diaconum Christo, qui Patri ministrat et in omnibus assistit; Spiritum Sanctum diaconissæ, quæ ut nihil sine diacono facere debet, aut loqui, ita Paracletus nihil à se ipso loquitur aut facit, sed Christum glorificans, voluntatem illius expectat, lib. 2, cap. 26. Vocant Patrem *Dominum Spiritûs Sancti*, lib. 8, cap. 37. Aiunt *non baptizari in mortem Christi, auctoritate Dei universorum, et in testimonio Spiritûs Sancti*, lib. 5, cap. 6, quæ quantum Arianis et Macedonianis faveant, nemo oculatus non videt.

II. *Quartum conjugium, et deinceps, manifestam esse scortationem, et indubitatam impudicitiam* decernunt.

III. Concedunt ancillis ut heris infidelibus ad libidinem morem gerant, modo solis. *Pellex, infidelis ancilla*, inquit, *soli domino obsequens recipiatur. Si cum aliis intemperans fuerit, rejiciatur.* (Lib. 8, cap. 32.)

IV. Baptismum ab hæreticis collatum iterari jubent. (Lib. 6, cap. 15.)

V. Sabbati solemnem celebrationem, æquè ac dominicæ diei constituunt. (Lib. 8, cap. 33.)

VI. Elementis fidei imbuendum, et baptizandum esse decernunt eum qui Eucharistiam imprudens gustaverit (lib. 7, cap. 26), quasi Apostoli non baptizatis eucharistiam porrexerint.

VII. Affirmant se à Christo audivisse : *Oportere eum*

*qui pastor est et episcopus in Ecclesiis totius Paræciæ constitutus, non minorem natu esse quàm annorum quinquaginta.* Quod nusquàm Apostolis, aut apostolicis viris in mentem venit; imò constat Timotheum Ephesiorum Ecclesiæ à sancto Paulo præfectum, valdè juvenem fuisse, ad quem scribens ait : *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Id autem habent Constitutiones libro secundo, cap. 57.

VIII. Constitutiones editas ait illarum auctor à duodecim Apostolis, *præsente Paulo, et septem diaconis*, lib. 8, cap. 4; at Stephanum inter septem diaconos primarium, martyrium obiisse constat, antequàm Paulus ad Apostolatum à Christo vocaretur, Actuum 7.

IX. Jacobum Zebedæi filium inducunt concilii Hierosolymitani historiam narrantem, Constitutiones ipsas cum cæteris Apostolis condentem, libro sexto, capite decimo quarto et vigesimo secundo, cùm constet, ex Actuum 12, Jacobum ab Herode gladio interfectum esse, ante concilii Hierosolymitani celebrationem.

X. Inter libros quos in Ecclesiâ legi præcipiunt Evangelium S. Joannis recensent, lib. 2, cap. 57, cùm Evangelium à Joanne scriptum non esse constet ante annum Christi 97, quo à Nervâ Domitiani successore, ex insulâ Pathmo revocatus est, quo tempore Petrus et Paulus, cæterique Apostoli, qui harum Constitutionum auctores finguntur, variis mortibus ac locis consumpti fuerant.

XI. Philippum, à quo Simon Magus baptizatus est, Apostolum faciunt, quem diacònum duntaxat fuisse constat.

XII. Jacobum fratrem Domini extra numerum Apostolorum ponunt, lib. 6, cap. 14, contra sancti Pauli diserta verba, ad Galatas 1 scribentis : *Alium Apostolorum vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.*

Tertia pars, licet jam probata satis videri possit, tamen iterùm probatur; et primò quidem quod hæ Constitutiones Apostolis suppositæ sint. Si enim verè apostolicæ essent, cur in canonem Scripturarum sacrarum non essent relatæ ab Ecclesiâ? Præterea stylus planè dissimilis est apostolico. 3° Apostoli sibi ipsis festos dies non consecrâssent. At dies festos Apostolis decernunt Constitutiones illæ, lib. 8, cap. 33.

Quòd denique harum auctor non sit Clemens Romanus, multis probatur. Primò, quia Eusebius et Hieronymus, cùm de scriptis S. Clementis agunt, unam duntaxat illius ad Corinthios epistolam recensent : Eusebius, lib. 3 Historiæ, cap. 15, et S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Clemente. 2° Quia Clemens tam absurda sanctis Apostolis non affinxisset. 3° Nec ipse qui Apostolorum mores, instituta et tempora, non minus quàm sua, nota et comperta habebat, ea scripsisset quæ ab Apostolorum doctrinâ, vel disciplinâ vel historiâ abhorrent. 4° Ex eâ quæ verè Clementis est ad Corinthios epistolâ colligitur diversum esse Constitutionum auctorem à Clemente : cùm enim ambo Phœnicis avis historiam tradant, planè aliter atque aliter eam narrant. Nam verus Clemens Phœnicem in Arabiâ mori facit; auctor verò Constitutionum Heliopoli in Ægypto, libro quinto, capite nono, præter alia inter utramque narrationem apud Clementem et Constitutiones discrimina, quæ viri eruditi observârunt.

Objicitur primò auctoritas sancti Epiphanii, qui Constitutionum Apostolicarum sæpè meminit, et nonnulla ex ipsis refert affata vel decreta quæ in iis leguntur Constitutionum libris quos habemus. Harum autem Epiphanius meminit, hæresi 45 et hæresi 75, contra Aetium de Paschate disputans, et hæresi 80, agens adversùs Messalianos; et horum librorum auctoritate hæreticos premit. Sed Epiphanii de his libris sententiam luculentiùs expressam legimus, hæresi 70, quæ est Audianorum, quos ait suum de Paschate cum Judæis celebrando errorem ex Apostolorum Constitutionibus confirmâsse. *Audiani verò*, inquit, *ad institutum suum, quamdam ex Apostolorum Constitutione auctoritatem accommodant; qui liber tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo quæ ad Ecclesiæ disciplinam attinent omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in fide ac catholicâ professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continet; sed quod ad locum illum attinet, unde suam de Paschate sententiam affirmare conantur, hunc illi perperàm interpretantur, et ad alienum sensum per inscitiam traducunt. Etenim Apostoli in illâ Constitutione ita definiunt : Vos, inquiunt, temporis rationes ne subducite; sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum iis itaque Pascha peragite.* Secundò, ait Epiphanius Apostolos illâ Constitutione præcepisse, ut Episcopos Hierosolymitanos, etiam errantes in Paschatis celebratione, totus orbis Christianus sequeretur. Ergo constat ex sancti Epiphanii testimonio constitutiones Apostolicas verum ac genuinum esse sanctorum Apostolorum opus.

Respondeo : Distinguo antecedens. Et loquitur S. Epiphanius de aliis Constitutionibus ab iis quæ penès nos sunt, concedo; et loquitur de illis quas habemus, nego. Fateor igitur fuisse tempore S. Epiphanii Constitutiones aliquas Apostolis adscriptas, sed contendo planè diversas fuisse ab iis quæ nunc circumferuntur. Illæ enim, quarum meminit Epiphanius, *nihil aut in fide, aut catholicâ professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac decretis contrarium continebant*, ut ipsemet ait. Nostras verò innumeris scatere erroribus, sive quoad dogmata, sive quoad ecclesiasticam disciplinam, demonstratum à nobis est. Secundò, quæ ex suis laudat ac describit Epiphanius, in nostris non leguntur; imò quædam leguntur in nostris planè contraria. Statuebant enim citatæ ab Epiphanio Constitutiones, Pascha celebrandum cum iis Christianis, qui Hierosolymis ex circumcisione erant, adeòque cum Judæis, quorum illi diem celebrabant. Nostræ verò constitutiones vetant cum Judæis Pascha celebrari, lib. 5, cap. 17. Porrò si hæc in antiquis illis codicibus legebantur, mirum est S. Epiphanium illarum auctoritatem non retorsisse contra Audianos, qui ipsis abutebantur ut Pascha Judæorum more celebrandum esse

probarent. Non legitur etiam in iis Constitutionibus, quæ penès nos sunt, quod ex suis Epiphanius citat: *Qui afflixerit animam suam dominicâ die, maledictus est Deo.* Ergo Epiphanianæ illæ Constitutiones planè diversæ erant à nostris.

Contra, ex hoc saltem S. Epiphanii testimonio constat, ejus ætate fuisse librum aliquem Constitutionum verè Apostolicarum. Cùm ergo in iis quas habemus nonnulla sint ab ipso Epiphanio laudata, dicendum est alia quæ in ipsis non occurrunt fuisse malitiâ hominum expuncta; adeòque nostras Constitutiones interpolatas quidem esse, sed nihiloseciùs apostolicas habendas: sicut et S. Ignatio septem epistolas vindicamus, quamvis multis in locis interpolatas fateamur.

Probatur antecedens. Librum illum citat Epiphanius ut apostolicum: ergo, etc.

Respondeo: Nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo propositionem. Librum illum citat ut apostolicum, multis reclamantibus, concedo; nullo reclamante in Ecclesiâ, nego. Ait enim ipse Epiphanius Constitutiones illas fuisse *dubiæ apud multos fidei.* Igitur à Græcâ illius temporis Ecclesiâ non erant publicè receptæ Constitutiones illæ, quas citat Epiphanius, qualescumque tandem fuerint, sed contra vulgò et à compluribus rejiciebantur, tanquàm dubiæ et incertæ. Sanè S. Hieronymum Epiphanio multò ocuiatiorem, Constitutiones illas nullo loco habuisse constat, cùm ex illius silentio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, tùm ex epistolâ ipsius 28 ad Lucinium, ubi ait: *Apostolum Paulum et cum eo credentes, diebus Pentecostes et die Dominico jejunâsse, in Actibus Apostolorum legimus.* Exindeque concludit jejunium omni tempore Deo acceptum esse. Quod non scripsisset, si Constitutiones ad Epiphanio sibi amicissimo laudatas alicujus esse auctoritatis existimâsset, cùm illæ Dominicâ die jejunio sub comminatione divinæ maledictionis interdicerent.

Respondeo secundò, S. Epiphanium, etsi Constitutiones illas, quas præ manibus habebat, probaverit, easque laudaverit ut Apostolicas, quia nomine Apostolorum inscribebantur, non existimâsse tamen eas ab Apostolis, vel à Clemente conscriptas. Nam hæresi 75, quæ est Aerianorum, postquàm Constitutiones illas citavit, statim subjungit, de illarum auctoribus loquens: *Ante nos testes exstitisse habentes traditionem in Ecclesiâ, quam et ipsi à parentibus suis acceperant, et ipsorum parentes à majoribus suis didicerunt.* Quæ Apostolis, aut Clementi non conveniunt: nam Apostoli, quæ in Ecclesiâ instituerunt non acceperunt ab avis et à majoribus, sed à Christo: Clemens verò ab ipsis Apostolis.

Objicitur secundò: S. Cyrillus Hierosolymitanus Constitutiones apostolicas pro vero ac genuino Clementis Romani fœtu habuit; ergo ejus ætate, scilicet quarto seculo, auctoritatem obtinuerant in Ecclesiâ.

Probatur antecedens: Qui historiam de Phœnice narrans ex libro 5 Constitutionum apostolicarum, cap. 6, eam tribuit Clementi, agnovit illum esse auctorem Constitutionum: sed Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 18, Phœnicis historiam narrans ex illo libro, eam tribuit Clementi: ergo ipsum parentem Constitutionum agnovit.

Resp.: Nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo majorem. Si occurrat duntaxat illa historia in libris Constitutionum, concedo; si præterea legatur in genuino et indubitato opere Clementis, nego. Porrò nego minorem, quòd scilicet Cyrillus historiam illam narraverit ex libris Constitutionum; sed eam retulit ex epistolâ genuinâ | Clementis ad Corinthios, cujus et verba interdùm expressit; proindeque non sequitur Cyrillum Hierosolymitanum agnovisse Constitutiones illas, vel eas pro Apostolicis habuisse.

Objicitur tertiò: S. Athanasius Constitutiones Apostolorum inter eos libros retulit, qui etsi in Canonem relati non sint, tamen legebantur in Ecclesiâ, et ab apocryphis distinguebantur. Quo in sensu habet Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Esther, Judith et Tobiam, quibus addit librum Pastoris, *et doctrinam (ut vocatur) Apostolorum.* Exstat istud Athanasii testimonium in fragmento epistolæ Festalis; et in Synopsi sacræ Scripturæ, inter libros novi Testamenti, quibus contradicitur, numerat *doctrinam Apostolorum Clementinam.* Ergo Constitutiones apostolicas agnovit laudavitque S. Athanasius.

Resp.: Nego consequens: Quod ut verum esset, deberet demonstrari Athanasium nomine *doctrinæ Apostolorum et Clementinorum* intellexisse Constitutiones, de quibus disceptamus. At nequaquàm ipsum hoc nomine illas intellexisse, gravissimis rationibus Usserius in dissertatione de epistolis S. Ignatii martyris demonstrat. Primò, quia S. Athanasius priori loco doctrinam illam Apostolorum inter eos libros numerat, qui cathecumenis, et nuper ad fidem accedentibus, legendi essent; isti verò Constitutionum libri sunt episcopis dicati, resque ad Ecclesiæ regimen spectantes tractant. Secundò, quia ducentos duntaxat versiculos continebat liber ille, *doctrina Apostolorum* vocatus, ut testatur Nicephorus, Constantinopolitanus patriarcha; in Sticometriâ, ubi illum inter novi Testamenti apocrypha recenset; necnon Anastasius Bibliothecarius, in Latinâ ejusdem Sticometriæ interpretatione; et ex eo constat librum illum Cantico Canticorum breviorem fuisse; quòd ducentos octo ejusdem generis versiculos habere ibidem legimus. At verò Constitutiones apostolicæ longè prolixiores sunt, cùm octo libris constent. Tertiò, quia in indiculo librorum canonicorum et apocryphorum quem Anastasii Nicæni quæstionibus subjectum, in publicâ Oxoniensis Academiæ bibliothecâ se legisse Usserius testatur, constitutiones Apostolorum, et doctrina Clementis referuntur, ut distincta opera, et in apocryphorum censu pariter reponuntur; et S. ipse Athanasius loco citato ex Synopsi Scripturæ sacræ, recenset, velut diversos libros, *Doctrinam Apostolorum,* et *Clementinam.* Ergo *Clementina,* sive Clementis nomine inscripta et vulgata, alia censebatur ab *Apostolorum doctrinâ.* Sed si *doctrinam Apostolorum* Constitutiones apostolicas intellexisset S. Athanasius, illas non sejunxisset à Clementinis: siquidem Constitutiones Clementis nomen

præferunt, et Apostoli in illis inducuntur dicentes, se doctrinam illam suam per *comministrum suum Clementem misisse*. Clementina itaque intellexit S. Athanasius, Petri et Apionis dialogos, vel recognitiones, et alia quæ Rufinus quarto exeunte seculo latinitate donavit : hæc enim Clementis nomine vulgata jam fuisse tempore Anastasii verisimile est.

Resp. secundò, S. Athanasium in Synopsi, librum illum inscriptum, *Doctrina Apostolorum*, quicumque ille fuerit, inter nothos ac reprobos recensere. Postquàm enim illum cum aliis numeravit, hæc subjungit : *Hi omnes cognitionis quidem gratiâ expositi sunt, cæterùm omninò perversè et falsò scripti sunt, et nothi ac reprobi.*

Resp. tertiò, sanctum Athanasium illi *doctrinæ Apostolorum* , et *Clementinis* auctoritatem non tribuere majorem quàm circuitui Petri, circuitui Joannis et Evangelio Thomæ, quæ supposititia esse, nec Athanasius ipse, nec aliquis modò diffitetur.

Denique Eusebius coævus Athanasii, *doctrinam Apostolorum* recenset inter Scripturas, *quæ falsò inscriptæ minimèque germanæ dicuntur*, libro tertio, capite decimo-nono, et eodem loco illam habet, ac *Petri Apocalypsim, et Pauli acta*, quæ constat in omni Ecclesiâ semper habita fuisse ut suppositicia et apocrypha.

Objicitur quartò : Synodus Trullana, habita anno Christi 691, agnoscit Constitutiones ut opus Apostolorum, quamvis eas lege prohibeat, quia sunt ab hæreticis interpolatæ. En illius Synodi verba, canone 2 : *Quoniam autem in his nobis canonibus præceptum est ut eorumdem sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutionem susciperemus, quibus jam olim ab iis qui à fide alieni sentiunt, ad labem Ecclesiæ aspergendam, adulterina quædam et à pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram speciem obscurârunt ; has Constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem ac securitatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falsitatis fœtus nequaquàm admittentes, et germanæ ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes.* Ergo Ecclesia Græca existimavit Constitutiones esse opus Apostolorum quamvis ab hæreticis temeratum.

Resp. hunc Græcorum in Trullanâ Synodo errorem fuisse ex altero illo natum, quòd 85 canones Apostolorum, ut genuinos recipiunt, quorum postremo Constitutiones apostolicæ commendantur ac recipi jubentur : unde, sicut canones illos rejicimus, posthabitâ Trullanorum Patrum auctoritate, illosque abjudicamus Apostolis, freti sententiâ Gelasii pontificis maximi, et Romanæ Synodi , ita et constitutiones ceu apocryphas, et Apostolis Clementique supposita rejicimus.

Respondeo secundò, probabilius esse Constitutiones illas fuisse ex integro suppositas ab aliquibus hæreticis, quàm eorumdem manu violatas. Nam si Constitutiones edidissent Apostoli, quas subinde hæretici corrupissent, aliquis tempore Trullanæ synodi, vel ante, vel post, proferri potuisset illarum Constitutionum codex ab aliis intactus, purusque et integer. Nam etsi codices corrumpere potuissent hæretici, quos penès se habebant, non tamen depravare potuissent universos quos habuisset Ecclesia catholica toto orbe diffusa. Atqui tempore Trullanæ synodi nullus erat Constitutionum Apostolorum illibatus codex. Si enim aliquis exstitisset, opus illud non exposuissent penitùs ut fecerunt , sed ex veris sincerisque codicibus jussissent emendari. Nusquàm siquidem opus verè apostolicum sibi visum rejecit ulla synodus, quod ab hæreticis corruptum esset, si quis suppeteret sincerus et emendatus ejus codex. Nusquàm, verbi gratiâ, ulla Ecclesia rejecit Lucæ Evangelium, et Pauli epistolas, quia multi utriusque operis codices exstabant à Marcione *Mare Pontico, et Scripturarum corrosore* , ut Tertullianus vocat, vitiati. Verisimilius igitur est Constitutiones illas ab hæreticis nedùm fuisse corruptas, sed ex integro fabricatas. Ergo cùm nulla sit exceptio illa Trullanorum Patrum, non est cur eorum canoni multùm tribuamus.

Objicitur quintò : Photius vir multæ lectionis, et eruditionis, in bibliothecâ, codice 112, Clementis Romani opera recensens, ipsi tribuit Constitutiones apostolorum, atque facilè dilui posse objectiones quæ in ipsas fiunt affirmat. Ergo prohibere nos non debent errores quibus maculatæ supponuntur, quin ipsas Clementi vindicemus.

Resp. Photium hæc scripsisse, quia illum causæ adversùs Latinos suæ studium in transversum egit, et quia nonnulla his in Constitutionibus legit, quæ suis erroribus favebant. Cæterùm argumenta quibus illarum suppositio probatur, animadvertit ipse, nec solvere aggressus est, licet non esse insolubilia jactitârit. Ex quo colligitur, tempore Photii, constitutiones ob notatorum errorum labem fuisse passim explosas. En ejus verba : *Constitutiones porrò tribus ex capitibus duntaxat reprehensioni videntur obnoxiæ : Ex malâ nimirùm fictione, quam depellere non est admodùm difficile : deinde quòd contra Deuteronomium criminationes quasdam adducant, quæ et ipsæ dilui facillimè possunt ; denique ex Arianismo, quem item paulò acriùs instando refellere queas.*

Objicitur ultimò : Photius, cæterique Græci, qui Constitutiones Apostolicas admiserunt, freti erant auctoritate sancti Dionysii Alexandrini, qui sententiam quamdam ex illis Constitutionibus depromptam laudavit, ut apostolicam : ergo non malè ipsas asseruerunt esse Apostolorum, vel Clementis saltem, qui illas ex ore Apostolorum exceperit.

Probatur antecedens ex Dionysii Alexandrini verbis apud Eusebium, lib. 7 historiæ Ecclesiasticæ, c. 6, ubi loquens de visione quâdam sibi divinitùs oblatâ, hæc habet : *Visionem, utpote ritè consentientem* voci apostolicæ , sic ad potentiores dicenti : ( *Sitis diligentes animadversores, et velut Trapezitæ, qui argentum probant*) *lubens equidem approbavi.* Atqui hæc verba in nullo novi Testamenti libro expressa leguntur ; exstant autem in Constitutionibus apostolicis, lib. 2, cap. 36, ergo S. Dionysius hæc verba citavit ex Constitutionibus apostolicis.

Resp. : Nego antecedens. Ad probationem distinguo

minorem. Hæc verba in nullo Testamenti novi libro leguntur, quoad apices et syllabas, concedo; quoad sensum, nego. Itaque Dionysius hæc verba non citavit ex Constitutionibus apostolicis, quas nullas agnovit, sed ex sacrâ Scripturâ, ex quâ et ipsarum Constitutionum auctor illa usurpavit, dicens loco citato : *Solis sacerdotibus judicare permissum est, quia dictum est eis : Justum judicium judicate;* et rursùs : *Estote probi Trapezitæ.* Sicut ergo illa verba, *justum judicium judicate*, ita et ista, *Estote probi Trapezitæ*, ut Scripturæ Sacræ dicta usurpant. Priora Joannis 7 cap. Christus profert : *Nolite*, inquit, *judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Posteriorum verò verborum sensus habetur, 1 ad Thessalonicenses 5, ubi Apostolus ait : *Omnia probate; quod bonum est, tenete;* et Lucæ 19, ubi Christus ait : *Negotiamini, dùm venio.* Nec Dionysius solùm, sed et alii Patres, eadem verba laudârunt, ut oraculum Scripturæ Sacræ, ad locum citatum Apostoli alludentes. Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromatum, pag. 354 : *Meritò ergo*, inquit, *et Scriptura tales nos esse volens dialecticos, sic hortatur : Estote autem probi Trapezitæ, alia quidem reprobantes, quod verò bonum est retinentes.* Sanctus Basilius, homilià 12 in principium Proverbiorum : *Ut bonus Trapezita*, inquit, *quod bonum fuerit retinebit; et ab omni specie mali abstinebit.* Quæ postrema verba ostendunt sanctum Basilium ad verba Pauli respexisse, 1 ad Thessalonic. 5, ubi Apostolus post hæc verba : *Omnia probate, quod bonum est tenete*, statim subjungit : *Ab omni specie mali abstinete vos.*

Origenes, tomo 19 in Joannem, in cap. 8, hæc verba Christo tribuit, alludens procul dubio ad verba Servatoris : *Negotiamini dùm venio;* et nihilominùs illa Pauli verba citat, dicens, *servandum esse illud Jesu mandatum : Estote probi Trapezitæ;* et Pauli doctrinam dicentis : *Omnia probantes*, etc. Origenem in eo planè imitatus est sanctus Hieronymus, epistolâ 153 ad Minerium et Alexandrum, et alii ab Usserio et Dallæo laudati.

SCHOLION.

Operum meorum censores in indiculo suo hanc propositionem notant : *Constitutiones apostolicæ sunt alienæ ab Ecclesiæ doctrinâ.*

Verùm Constitutiones apostolicas ab Ecclesiæ doctrinâ alienas simpliciter non asserui, qui damnandus error esset : sed *apocryphas* dixi, *ab Apostolorum et Ecclesiæ doctrinâ alienas, ipsis adeò Apostolis et S. Clementi Romano suppositas.* Quòd verò in libro apocrypho plura inveniantur ab Ecclesiæ doctrinâ aliena, asserere et propugnare innoxium est. Cæterùm critica merè quæstio est, nihil ad fidem vel ad christianam morum disciplinam attinens. Invisum non fore confido religiosis censoribus Bellarmini cardinalis judicium. *De libris*, inquit, *Constitutionum apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur, idem ferè judicium fieri debet ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, et à Græcis veteribus magni fiunt; sed in Ecclesiâ Latinâ nullum ferè nomen habent : et ipsi etiam posteriores Græci in concilio Trullano, canone 2, improbant has Constitutiones ut ab hæreticis depravatas.., Audio Æthiopes his Constitutionibus uti ut verè apostolicis, et eâ de causâ in erroribus versari circa cultum sabbati et diei dominicæ, et circa ministrum sacramenti baptismi, et aliis quibusdam dogmatibus... Habentur in iisdem constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrent à veritate.* Consonum est Baronii cardinalis judicium, cujus verba referre superfluum foret. Profero et aliud Romanis non invisum nomen Christiani Lupi in scholiis ad canonem secundum Trullanæ synodi, ubi de libris octo Constitutionum apostolicarum ita censet : *Earum in Clemente Romano non meminit scriptus à S. Hieronymo catalogus virorum illustrium; quinimò ut apocryphas abjicit in Romanâ suâ synodo sanctus Gelasius; ejusdem judicium omnis semper Ecclesia Latina est secuta, nostris nominatim temporibus D. cardinalis Baronius, D. cardinalis Bellarminus, D. cardinalis Perronius, et Gabriel Albaspinæus, doctissimus episcopus Ecclesiæ Aurelianensis. Quare bonas horas, quàm illis vindicandis, meliùs locare potuerant Carolus Bovius et Franciscus Turrianus. Eas spiritu apostolico plenissimas, ac in Sacrarum Litterarum canonem referri aptas, malè dixit Thomas Stapletonus.... Fuit opus editum à nescio quo quarti seculi homine Adriano variè, et in dogmate, et in ritu maculosum, uti facilè possit ostendi, etc.*

NOTA.

Quibusdam placet Constitutiones, quæ dicuntur apostolicæ, neque Apostolorum, neque Clementis quidem fœtum esse; quamvis eo tempore, quo ipsarum auctor easdem in lucem edidit, nihil adversùs fidem continuisse opinentur : quinimò plura ad disciplinam ecclesiasticam promovendam quàm maximè utilia. Et quidem difficile creditu est Apostolorum Constitutiones, quas sæpè citat commendatque S. Epiphanius, alias à præfatis Constitutionibus omninò fuisse, cùm nullatenùs aliarum Constitutionum rerum Ecclesiæ scriptores meminerint, nec aliquod illarum fragmentum exhibeant. Meliùs ergo judicare videntur qui asserunt Constitutiones, quarum testimonia refert S. Epiphanius, ideò ab eodem Apostolorum appellari, quia unus idemque liber erat, ac ille, quem sub nomine apostolicarum legimus Constitutionum. Verùm post S. Epiphanii tempora, qui illum laudat ut comprehendentem plura ecclesiasticæ disciplinæ capita, nihilque adversùs fidem tradentem, ab hæreticis corruptus interpolatusque manifestè dignoscitur, cùm verè non pauca improbanda contineat. Imò inter se pugnantia etiam comprehendit; si etenim de Paschate cum Judæis celebrando Audianis quandoque consentit, illis lib. 5, cap. 17, refragatur.

# DE NOVEM CANONIBUS
## CONCILII ANTIOCHENI APOSTOLORUM
# Dissertatio.

( EODEM AUCTORE. )

Turrianus, lib. 1 pro Canonibus Apost., cap. 25; Baronius et Binius, hic in suâ Conciliorum editione, tomo 1, ille tom. 1 Annalium, ad annum Domini 102, Canones novem proferunt Antiocheno cuidam Apostolorum concilio adscriptos, de quorum auctoritate in præsentiarum agimus.

Propositio. — *Novem canones Antiochenæ Apostolorum synodo adscripti, sunt apocryphi et planè supposititii.*

Probatur : Illi canones falsò inscribuntur Apostolis, quorum memoria nulla occurrit in veteribus ecclesiasticæ historiæ monumentis, in operibus sanctorum Patrum, aut in codicibus ullis canonum synodorumque, sive Latinis, sive Græcis, ad Binianam usque editionem, collectionibus : atqui nulla memoria illorum canonum occurrit in veteribus historiæ ecclesiasticæ monumentis, usque ad Baronium, nulla in Patribus, nulla denique in conciliis, aut codicibus canonum, usque ad Binium : ergo falsò inscribuntur Apostolis.

Probatur secundò : Synodus illa Antiochena in omni retrò Ecclesiâ ignota fuit; nullumque est illius in actis Apostolorum, aut in omni retrò antiquitate vestigium. Et Hincmarus, qui anno Christi 871 floruit, opusculo 55, c. 24, enumerans omnes synodos ab Apostolis habitas, nullam Antiochenam recenset. Ergo fictitia est Antiochena illa synodus Apostolorum, et supposititi canones illi adscripti.

Probatur tertiò : Canones qui variis verbis ab auctoribus referuntur sunt supposititi : sed canones illi variè referuntur à Turriano, Baronio et Binio; ergo supposititi censendi sunt.

Probatur quartò : Illi canones qui plurima continent falsa et absurda, sunt falsò adscripti Apostolis : sed illi novem canones plurima continent falsa et absurda; ergo, etc.

Probatur minor : Primus canon decernit *ut credentes in Jesum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Christiani vocarentur.* At ex historiâ ecclesiasticâ constat Galilæorum nomen Christianis, non Ecclesiæ initio, sed medio quarto seculo, sub Juliano Apostatâ fuisse impositum. Secundus, septimus et nonus canon sanciunt abstinendum esse à circumcisione, à sanguine, à suffocato, à fornicatione; et permittunt vesci carne suillâ, et pisce testam habente, necnon de eo qui squamis caret. At quis sibi persuadet Apostolos decretum in Epistolâ Synodicâ Hierosolymitani concilii tam luculenter tamque nitidè editum, canonibus verbosis et inutilibus recudisse? Præterea nonus Turriani canon Judæorum synagogam belluinam vocat; at istud in Judæos convicium ab Apostolorum ingenio et charitate alienum est. Tertiò, decernit ille canon ut Christiani *anagogicè vivant.* Qui loquendi modus nec Apostolis, nec ullis scriptoribus ecclesiasticis solemnis est. Sensum anagogicum christiani theologi in Scripturis sacris nôrunt. Nullus vitam dixit anagogicam. Quartò, depravat Scripturam sacram, et citat hæc verba velut oraculum propheticum : *Saturati sunt suillâ, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis,* cùm habeatur apud Prophetam : *Saturati sunt filiis,* etc.

Quintò, canon tertius decernit *ut ex omni nutione et genere ad fidem orthodoxam admittantur.* At opus non fuit ut Apostoli huncce canonem ederent post Christi mandatum dicentis : *Euntes docete,* etc., et visionem, cœlitùs oblatam Petro, lintei illius mystici, in quo genus omne animalium conclusum erat.

Sextò, certum est imagines Christi, et maximè statuas, primis Ecclesiæ seculis non fuisse substitutas loco idolorum, nec fidelium venerationi expositas, ne cultûs idololatrici objectum mutâsse viderentur Christiani, non reliquisse; quod Patrum adversùs Ethnicos discrepationes, et susceptæ pro nostrâ religione apologiæ disertè probant, ut ipsum Ethnicorum silentium, qui imaginum usum, et venerationem Christianis nusquàm objiciunt, tam splendidam tamque obviam objectionem non prætermissuri, si apud eos imagines exstitissent aliquæ; quod denique probat prohibitio picturæ, et statuariæ artis, Christianis primorum seculorum facta, teste Tertulliano, libro contra Hermogenem, cap. 1, et libro de Idololatriâ, c. 3; imò statuarum usum nondùm fuisse inductum in Christianorum templa tempore septimæ synodi œcumenicæ, constat ex eâdem synodo, actione 7, et eruditi consentiunt. Ergo canon octavus, synodo Antiochenæ Apostolorum adscriptus, fictitiæ synodi fictitius canon est, siquidem pro idolis adorandam decernit statuam Christi Domini.

Objicitur : Illos canones invenit Turrianus in antiquissimo codice MS. Pamphilii martyris, qui in Origenis bibliothecâ illos invenerat : ergo non sunt rejiciendi.

Resp. : Nego consequens. Nam Turrianus fidem nullam meretur hâc in parte, cùm non dicat ubi nactus fuerit illud manuscriptum, et à quo habuerit. 2° Falsò existimavit codicem hunc, qualiscumque fuerit, esse Pamphilii martyris, quamvis ejus nomen præferret; siquidem nullos edidisse libros Pamphilium martyrem, constat et ex silentio Eusebii, qui nihil ab eo scriptum prodit, et ex testimonio sancti Hieronymi, lib. 2 Apologiæ adversùs Rufinum.

Objectio secunda nititur auctoritate Innocentii primi, pontificis maximi, epistolâ 18, ubi de Ecclesiâ Antiochenâ loquens ait : *Ibi et nomen accepit religio christiana, et conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit.* Ergo Apostoli synodum Antiochiæ celebrârunt, in quâ illos canones edidêre.

Resp. : Nego consequens. Dicit enim Innocentius conventum celeberrimum Apostolorum factum esse Antiochiæ, quia illîc sedit Petrus Apostolorum princeps, illùcque profecti sunt Paulus et Barnabas; non quòd synodum ibi celebraverint aliquam; sed enim quomodò celeberrimus conventus diceretur synodus illa, cujus ante Innocentium nullus auctor ecclesiasticus meminisset?

Resp. secundò, si nomine conventûs celeberrimi synodus intelligenda sit, Innocentium ex memoriæ lapsu (quod maximis etiam viris quandoque contingit) id tribuisse Antiochiæ, quod convenit Hierosolymis; eâque in re labi eò fuisse procliviùs, quò celeberrimus ille conventus Hierosolymis factus, seu Hierosolymitanum Apostolorum concilium, de Antiochenæ Ecclesiæ causâ, et ejusdem rogatu, celebratum fuerit.

Objicitur tertiò : Gregorius Pisinuntenus episcopus, in 7 synodo generali, actione 1, citat primum illorum canonum *ex synodo Apostolorum apud Antiochiam.* Ergo canones illi genuini sunt.

Resp. : Distinguo antecedens. Et affingit hunc canonem synodo, quam absque fundamento comminiscitur, concedo; et rectè citat, nego. Unde negandum est consequens. Certè Anastasius bibliothecarius, concilii septimi ex Græco interpres, Gregorii citationem suspectam habuit, ipsius verba sic reddens : *In synodum sanctorum Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur.* Cur, quæso, non dixit simpliciter, *quæ congregata est*, ut habet textus Græcus, nisi quia sciebat hanc synodum inauditam esse? Unde rei fidem penès unum Gregorium relinquens, scripsit : *quæ congregata dicitur.*

Resp. secundo, Gregorium illum non persuasisse synodi 7 Patribus laudatum à se canonem apostolicum esse : alioqui ipsum secuti essent. At contra, nullam ipsius rationem habuerunt; siquidem solas coloribus pictas tabulas et icones in religionis usum admiserunt, non verò statuas, quarum usum istius canonis probâsset auctoritas, si quæ apud illos exstitisset.

Resp. tertiò multas apocryphorum quisquilias à 7 synodi Patribus probatas fuisse, qui in sacrorum librorum criticâ rudes erant : unde, si non recipimus quæcumque laudata sunt ab ipsis monumenta, sed ea expendimus, multò minùs tenemur admittere synodum Antiochenam Apostolorum, et ejus canones ab uno Gregorio Pisinuntensi, homine levi, et Iconoclastarum erroribus antea maculato.

# DE EPISTOLIS DECRETALIBUS
## VETERUM PONTIFICUM ROMANORUM, USQUE AD SIRICIUM,

# Dissertatio.

(EODEM AUCTORE.)

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum epistolæ decretales Romanorum pontificum genuinæ sint?*

Non agimus de epistolis S. Cornelii, quæ exstant inter opera S. Cypriani, neque de epistolis Julii I, quæ referuntur à S. Athanasio, Apologiâ 2, nec de epistolis Liberii, quæ à S. Hilario in fragmentis recensentur, nec de epistolâ Damasi ad Illirici episcopos, quam Theodoretus, lib. 2 Historiæ ecclesiasticæ, c. 22, exscripsit, aliisque ejusdem pontificis epistolis apud S. Hieronymum exstantibus : fatemur enim priscorum pontificum epistolas, quæ à sanctis Patribus, aut veteribus Historiæ ecclesiasticæ auctoribus referuntur, genuinas esse. De aliis igitur duntaxat quæstio est, quas ex Isidori mercatoris collectione conciliorum editores in editiones suas transtulerunt; quarum quinque adscriptæ sunt S. Clementi; tres Anacleto; duæ Evaristo; tres Alexandro; duæ Sixto I; unica Telesphoro; duæ Hygyno; quatuor Pio I; unica Aniceto; duo Soteri; unica Eleuthero; quatuor Victori; duæ Zephyrino; duæ Callixto I; unica Urbano I; duæ Pontiano; unica Antero; tres Fabiano; tres Cornelio, quorum una inscribitur : *Charissimis atque dilectissimis fratribus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, et omnibus Domino rectâ fide famulantibus;* altera : *Rufo coepiscopo;* tertia : *Lupicino Viennensi episcopo;* unica Lucio; duæ Stephano I; duæ Sixto II; duæ Dionysio; tres Felici I; duæ Eutychiano; Caio unica; duæ Marcellino; duæ Marcello I; tres Eusebio; una Melchiadi; una Silvestro

unica Marco, ad Sanctum (ut supponitur) data; duæ Julio I; duæ Liberio; duæ Felici II; Damaso plures, nimirùm tres ad S. Hieronymum, ad Afros, de Chorepiscopis ad universos episcopos Italiæ, ad Aurelium. De his, inquam, epistolis quærimus an genuinæ sint, an supposititicæ.

Blondellus, auctor apud Calvinistas celebris, hoc de argumento copiosè egit, et eruditè in libro qui inscribitur : *Pseudo-Isidorus, et Turrianus vapulantes :* quo in opere sicut ejus criterium laudandum est, quo epistolas illas priscis pontificibus meritò abjudicat, ita ejus incusanda est temeritas, quâ illas conviciis proscindit ac lacerat, nullâ habitâ ratione veritatum et piissimarum sententiarum, quæ in illis assertæ sunt et exaratæ. Frustra verò sibi cecinit, quasi primus illarum suppositionem decretalium observâsset atque propugnâsset. Enimverò ante ipsum animadverterat scripseratque Antonius Augustinus, Tarraconensis episcopus, in iis multas ex codice Theodosiano sententias, et ex scholiis quæ sub Aniani nomine exstant ad codicem Theodosianum insertas esse, cùm tamen Theodosianus codex duobus tribusve seculis post pontifices, quibus illæ epistolæ affinguntur, sit conscriptus.

Propositio. — *Veterum pontificum Romanorum, ad Siricium usque, epistolæ supposititicæ sunt.*

Probatur primò : Illæ epistolæ, quæ Scripturam sacram frequenter usurpant secundùm Vulgatam versionem à sancto Hieronymo adornatam, non sunt genuinæ Romanorum pontificum qui Siricium præcesserunt; sed epistolæ illæ Scripturam sacram frequenter usurpant secundùm versionem Vulgatam à S. Hieronymo adornatam; ergo sunt supposititicæ.

Probatur secundò : Si epistolæ decretales veterum pontificum genuini essent illorum fœtus, harum auctores ecclesiastici octo priorum seculorum interdùm meminissent, has citâssent interdùm concilia et alii pontifices : atqui nullus, ante nonum seculum, illas epistolas vel nominavit quidem : non S. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, non Siricius, non Innocentius, non S. Leo, aliique sanctissimi pontifices, non ullum octo priorum conciliorum œcumenicorum, non Photius, vir immensæ lectionis, in bibliothecâ : ergo sunt supposititicæ.

Probatur tertiò : Illæ epistolæ, quarum argumenta non conveniunt seculis auctorum, quibus inscribuntur, sunt supposititicæ : sed illarum epistolarum argumenta non conveniunt primis ecclesiæ seculis, quibus vixerunt pontifices Romani, Siricii decessores; ergo illis affictæ sunt, et supposititicæ.

Probatur minor : Illarum epistolarum argumenta non conveniunt primis Ecclesiæ seculis, quæ non pugnant hæreticos primorum seculorum, imò nequidem nominant, quæ de persecutionibus adversùs Ecclesiam excitatis, de confessorum consolatione, et exhortatione ad martyrium, de lapsis, ne verbum quidem ullum habent; sed nihil hujusmodi leges in illis epistolis; ergo illarum argumenta primis Ecclesiæ seculis non conveniunt. Certè si conferatur harum epistolarum materia cum argumentis, de quibus agunt epistolæ episcoporum, opera sanctorum Patrum, decreta conciliorum quæ supersunt ex quatuor primis Ecclesiæ seculis ad Siricium usque, nemo non intelliget quàm parùm conveniat Ecclesiæ nascentis ætati illarum epistolarum materia.

Probatur quartò : Illæ epistolæ priscis pontificibus affictæ sunt, quæ compilatæ sunt ex epistolis, operibus et decretis posteriorum pontificum, Patrum et conciliorum : atqui epistolæ veterum Pontificum usque ad Siricium, compilatæ sunt ex epistolis, operibus et decretis posteriorum pontificum, Patrum et conciliorum : ergo sunt affictæ priscis pontificibus.

Minorem accuratè demonstrat Blondellus in Prolegomenis Pseudo-Isidori, c. 13, ubi in singulis epistolis notat sententias ex scriptis auctorum posteriorum delibatas, et ad verbum exscriptas; et examine singulari cujusque epistolæ, in decursu operis, quod inscripsit : *Pseudo-Isidorus, et Turrianus vapulantes*, ubi Turriani vindicias pro epistolis illis funditùs evertit.

Nec ullius est momenti pseudo-criticorum exceptio, respondentium, Patres, pontifices, concilia sequentium temporum, illarum ex epistolarum fontibus plurima hausisse, adeòque non esse mirum, quòd eædem plerùmque sententiæ legantur in illorum monumentis ac in illis epistolis. Hæc, inquam, futilis est responsio, nam si Patres, pontifices et concilia dictas epistolas deflorâssent, eorum auctores nominâssent interdùm honoris causâ, sicut nominârunt alios quorum dicta usurpârunt : eorum testimoniis, atque auctoritate obruissent hæreticos; nunquàm denique in dubium revocâssent, quod tot decretalibus ab Apostolorum ætate fuisset constitutum. Atqui Patres, pontifices, concilia, quorum in monumentis, epistolis, decretis, eædem quæ in priscorum pontificum epistolis sententiæ leguntur, nunquàm vel epistolarum, vel eorum quorum inscriptæ sunt nominibus, meminerunt, nusquàm eorum auctoritate urgent hæreticos sui temporis, in dubium quandoque revocant quod tot decretalibus constitutum est (quod Afrorum dubitatio de jure appellationum ad Romanam sedem, tempore Zosimi, abundè testatur). Ergo non est verisimile, Patres, pontifices, concilia posteriora, mutuatitias ex antiquis decretalibus sententias verbaque in sua monumenta transtulisse; imò longè est probabilius harum consarcinatorem epistolarum, turpissimi plagii reum, quòd posteriorum Patrum, pontificum et conciliorum dicta exscripserit, et alienis vulgaverit nominibus.

Præterea, quæ ex posteriorum Patrum scriptis vel conciliorum pontificumque decretis, in illis epistolis leguntur cum cæteris partibus non cohærent, nec illarum stylo conveniunt : quod indicium manifestissimum est illa priscis decretalibus malè assuta fuisse.

Probatur quintò : Falsa temporum consignatio non leve est in epistolis aliisque monumentis impostura argumentum. Unde præclarè Tatianus, oratione adversùs Græcos, tomo I Bibliothecæ Patrum Græco-

Latinæ, ait. *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne historia quidem vera esse potest.* Sed omnes ferè veterum pontificum epistolæ falsis temporum consulatuumque notis consignatæ sunt, ut nemo oculatus non videt : ergo sunt suppositæ priscis pontificibus.

Probatur sextò : Styli similitudo, et idem scribendi character, evidenter probat unitatem auctoris : sed in illis veterum pontificum epistolis idem stylus, idem scribendi character occurrit; ergo evidens est eas ab uno auctore, non à diversis pontificibus conscriptas. Quà enim ratione, amabo te, fieri potuisset, ut tot pontifices, diversis temporibus, eosdem dictionis characteres servâssent, eumdem stylum affectâssent.

Probatur septimò : Epistolæ, quæ barbaro et sordido sermone conscriptæ sunt, et à seculi, quo datæ supponuntur, elegantiâ et nitore penitùs alienæ, censeri debent suppositæ; atqui epistolæ veterum pontificum, ad Siricium usque, barbaro et sordido sermone conscriptæ sunt, à priorum seculorum elegantiâ et purâ latinitate alienæ : ergo sunt suppositæ. Quis enim sibi persuadeat priscos pontifices latiniùs et elegantiùs non esse locutos, quàm homines ex infimâ plebis fæce, quàm agasones, coquos et hortulanos; cùm ipsi et plerùmque nobilitate insignes, et semper studiis doctrinâque non vulgari exculti, Ecclesiæ præficerentur universæ ?

Objicitur primò : Illæ epistolæ genuinæ sunt, quas ut genuinas agnoverunt concilia, conciliorum et canonum collectores aliique auctores doctissimi et gravissimi : atqui veterum pontificum epistolas, usque ad Siricium, ut genuinas agnoverunt concilia, canonum collectores aliique scriptores doctissimi : ergo sunt genuinæ.

Probatur minor : Illas citant Aquisgranensis concilii patres, sub Gregorio IV, Benedictus Levita, compilator Capitularium Caroli Magni et Ludovici Pii; Hincmarus Laudunensis episcopus, in libello quem Hincmaro, Remensi archiepiscopo obtulit ( ut iste testatur in Opusculo 55, c. 43 ); concilium Coloniense, c. 3, Moguntinum, c. 11; Triburiense, cap. 21 ; Metense sub Arnulpho congregatum, c. 5; Remense adversùs Arnulphum archiepiscopum; Luitprandus Ticinensis, in lib. de Vitis pontificum; Ordo Romanus, Micrologus, c. 10 et 41, auctor Apologiæ pro Gregorio VII, c. 3; Anselmus Lucensis episcopus, l. 1 adversùs Guibertum antipapam, et in collectione Canonum, quam adornavit; Burchardus Wormatiensis in libros Decretorum, quos edidit, innumera ex priscorum pontificum decretalibus convasavit; Ivo Carnotensis in Decretum suum sexcentas ex iisdem sententias transtulit; Gratianus suo item Decreto, quod in scholis omnibus juris canonici legitur, et quod sequitur Ecclesia, illas epistolas inseruit; concilium Lateranense sub Callixto II, c. 4, Stephani I. secundam, et Callixti I. secundam citat. Denique omnes juris pontificii interpretes, omnes theologi polemici et scholastici ab annis 400 ad hæc usque tempora, harum epistolarum testimonia catholicorum ad confirmationem dogmatum laudârunt, et inter alios doctor Angelicus. Ergo concilia, canonum collectores aliique viri doctissimi, veterum pontificum epistolas ut genuinas agnoverunt.

Respondeo : Distinguo minorem. Veterum Pontificum epistolas usque ad Siricium agnoverunt concilia, etc. Et hæc concilia, hique collectores et auctores posteriores sunt nono seculo, nec epistolas illas ad severioris criticæ regulas expenderunt, concedo : et nono seculo antiquiores fuerunt, et illas epistolas revocârunt ad examen, nego. Fateor itaque citata concilia, collectores canonum et alios auctores, veterum pontificum decretales epistolas ut genuinas agnovisse; sed hi omnes noni seculi exordia non antecedunt. Nam concilium Aquisgranense, quod ad secundam Fabiani epistolam allusisse videtur, celebratum est anno Domini 836. Benedictus Levita, qui regum nostrorum decreta in tres capitularium libros digessit, floruit circa annum Domini 846, aut 850; Hincmarus Laudunensis circa annum 870. Concilium Coloniense habitum est anno 887; Moguntinum anno 888; Metense post annum 887; Triburiense anno 895. Luitprandus floruit circa annum 950. Concilium Remense adversùs Arnulphum celebratum est anno 992. Ordo Romanus conscriptus est à Bertoldo Constantiensi circa annum 1079, quo etiam tempore Micrologus in lucem editus est. Auctor apologiæ pro Gregorio VII, scripsit paulò post synodum Romæ celebratam anno 1074. Anselmus Lucensis obiit anno 1086. Burchardus Wormatiensis scripsit anno 1008. Ivo Carnotensis obiit anno 1114. Gratianus decretum suum absolvit anno 1151. Cæteri Gratiano posteriores fuerunt. Igitur, ante annum Domini 830, nulla decretalium quæ pontificibus Siricii decessoribus adscriptæ sunt memoria, nulla penitùs fama fuit. Porrò tot seculorum silentium, junctum invictissimis rationibus, quæ illarum epistolarum suppositionem demonstrant, posteriorum temporum testimoniis anteponendum est : si enim posteriora concilia jus habent corrigendi priora, *cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et innotescit quod latebat*, ut S. Augustinus ait, l. 2, de Baptismo, c. 3, non mirum quòd concilia, et eruditos auctores, qui post 8 seculum floruerunt, viri hujus seculi doctissimi emendent in rebus criticis, quarum media ætas rudis erat; maximè cùm illa mediæ ætatis concilia, illique auctores, terminos sibi à Patribus constitutos hâc in re transgressi fuerint, decretales octo prioribus seculis ignotas laudando, nec recentem nothorum fœtuum animadvertendo natalem.

Respondeo secundò, veteres canonum collectores deceptos fuisse honesto nomine Isidori, sub quo prodiit larvatus impostor et malè feriatus harum epistolarum artifex. Existimârunt enim illarum collectorem fuisse sanctum Isidorum Hispalensem : quod falsum est (ut articulo sequenti ostendemus) nec illas accuratè expenderunt. Unde Ivoni, Anselmo, Burchardo, Gratiano anteponi debet Dionysii Exigui auctoritas et fides, qui sub imperio Justiniani collectionem suam adornavit interpellatus à Lauxentio Romanæ Ecclesiæ pre-

sbytero : siquidem hanc collectionem Ecclesia Romana potiùs probavit, quàm posteriores, ut testatur Cassiodorus auctor coævus, c. 23 Divinarum Lectionum, ubi de abbate Dionysio loquens, ait : *Ex Græcis exemplaribus, canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magnâ eloquentiæ luce composuit. Quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Porrò Dionysius Exiguus, qui veterum pontificum epistolas summâ accuratione collegit, initium suæ compilationis facit à Decretalibus Siricii. Quod argumento est tunc nullas extitisse veterum Pontificum, qui Romanam Ecclesiam ante Siricium rexerunt, epistolas, sed eas fuisse secutis temporibus confictas. Quòd autem omnium quæ exstabant Pontificum decreta collegerit Dionysius, ipse testatur in epistolâ ad Julianum Ecclesiæ Romanæ presbyterum ita scribens : *Præteritorum Apostolicæ Sedis præsulum constituta, quâ valui curâ et diligentiâ collegi, et in quemdam redigens ordinem, titulis distinxi compositis; ita duntaxat ut singulorum pontificum, quotquot à me præcepta reperta sunt, sub unâ numerorum serie terminarem.*

Respondeo tertiò, concilia citata, collectores Canonum, et auctores laudatos, varia ex veterum pontificum epistolis decreta laudâsse, quia usu receptæ erant in Ecclesiâ ; et ab Apostolicâ Sede probatæ erant, non quòd illas à tantis pontificibus datas censerent. Vel certè de auctoribus illarum non curantes, nec criticum instituentes examen, illas citârunt occasione datâ, quia illas quoad dogmatum veritatem, quoad disciplinæ rationem, quoad judiciorum ordinem ab Ecclesiâ receptas noverant, quorumcumque auctorum essent. Hanc responsionem suggerit eminentissimus Annalium ecclesiasticorum parens, tomo 10, ad annum Christi 865, p. 277, ita scribens : *At verò ex multis eas reddi suspectas epistolas, per ea quæ dicta sunt 2 Annalium tomo, dùm de illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum, illis non indigere Ecclesiam Romanam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus et privilegiis ; cùm, etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum pontificum Romanorum epistolis decretalibus satis superque corroborata consistat. Cæterùm quòd excerpta ex illis capita à Benedicto Levitâ primùm, ut Canonibus consentientia probata essent (ut ipse testatur) auctoritate Romanorum pontificum, quod et à posterioribus factum est collectoribus : eadem usu potiùs recipi contigerunt, quàm constanti ipsarum firmitate.*

Respondeo quartò, Benedictum Levitam, qui Capitularium libros digessit, eosque Lothario, Ludovico et Carolo regibus, Ludovici Pii imperatoris filiis nuncupavit, circa annum 850, satis innuere epistolas illas non esse genuinas ; siquidem illas, suppresso auctorum nomine, citavit, ne recens detegeretur impostura : satisque habuit monere decreta illa quæ jusso Autgarii Moguntini archiepiscopi ex scriniis Moguntiacæ ecclesiæ collegerat, et sparserat in tribus postremis Capitularium libris à Romanâ Ecclesiâ probata fuisse, ne quis adversùs ea mutire auderet. Id notavit Baronius loco supra laudato, ita scribens : *Sed et ipse Benedictus Levita, etsi eâdem Isidori collectione accepit multa, tamen benè conscius, auctoritatem illarum epistolarum haud adeò constantem, sed nutare admodùm, nunquàm aliquem illarum citavit auctorem ut fecit in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum pontificum epistolis, Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi, atque Gregorii, citans ac nominans earum auctores : sed et magnâ cautelâ, quòd sciret ex eis accepta haud adeò haberi firma, curavit (ut ipse in fine testatur) eâdem auctoritate Apostolicâ confirmari.*

Porrò verba Benedicti Levitæ, quæ hujus annotationis materiam Baronio præbuerunt, ita habent l. 7 Capitularium ad finem : *Maximè trium ultimorum capitula istorum librorum Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit legatio. Nam eorum nomina, præter trium, id est Leonis, Sergii et Gregorii, hùc non inseruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenissemus.*

Ad Gratianum respondeo majorem fidem adhibendam esse doctissimo ejus emendatori Antonio Augustino Tarraconensi archiepiscopo, quàm Gratiano ipsi, cujus collectio innumeris erroribus scatet in eo præsertim quod pseudopigrapha frequentius citat ; et Patribus pontificibusque, et conciliis ea decreta tribuit, de quibus nequidem cogitârunt, ut constabit legenti librum illius archiepiscopi, inscriptum *Gratianus Emendatus*, qui rursùs in lucem nuper editus est curâ et studio viri clarissimi Stephani Baluzii, qui et eruditis notis huic editioni præfatus est. Porrò Antonius Augustinus inter alia notat ipsa legum imperatoriarum verba, et quæ sub Aniani nomine exstant ad codicem Theodosianum scholia, in veterum pontificum epistolis usurpata esse : quamvis pontifices, quibus dictæ epistolæ tribuuntur, duobus aut tribus seculis codicis Theodosiani editionem præcesserint : quod evidentissimum est suppositionis argumentum.

Falsum autem est quod objicitur Ecclesiam sequi decretum Gratiani. Multa enim sunt in eâ collectione quæ Ecclesia non probat, cùm errores probare non possit.

Objicitur secundò : Illæ epistolæ genuinæ sunt, quas Romani pontifices, S. Leo Magnus, Gelasius, Leo IV et Nicolaus I, ceu genuinas admiserunt, et ab omni Ecclesiâ velut genuinas recipi jusserunt : et quas Ecclesiæ Gallicanæ præsules ab octingentis annis recepêre. Atqui Romani pontifices nominati, decretales veterum pontificum ceu genuinas agnoverunt, et ab omnibus recipi jusserunt ; præsules etiam Gallicanæ Ecclesiæ ab octingentis annis illas recepêre : ergo sun genuinæ.

Probatur minor ex epistolâ 1 sancti Leonis datâ ad universos episcopos per Campaniam et Picenum, vel Thusciam, et per universas provincias constitutos, ubi ait : *Omnia decretalia constituta omnium præcessorum nostrorum, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Item ex synodo Romanâ sub Gelasio anno 494, ita

decernente : *Item decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Romanâ, pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas* decernimus.

Ex Leone IV, in Epistolâ ad episcopos Britanniæ, apud Gratianum, Dist. 20, cap. *De libellis*, ubi ait *sanctorum conciliorum canones non esse relinquendos, vel decretalium regulas quæ habentur simul cum canonibus : quibus autem*, inquit, *in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, sunt canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochiensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, et cum illis regulæ præsulum Romanorum, Silvestri*, etc.

Idem constat ex epistolâ 47 Nicolai I, ad universos Galliæ episcopos datâ, ubi quorumdam ex illis pertinaciam retundit qui veterum pontificum epistolas admittere nolebant, quòd codici canonum insertæ non essent. *Porrò*, inquit, *si ideò decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas non esse dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ; ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eò quòd in codice non habeatur.*

Et infra : *Decretales Romanorum pontificum sunt recipiendæ*, inquit, *etiamsi non sunt codici canonum compaginatæ : quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedi Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illâ commiserit, noverit sibi veniam negari.* Profert deinde verba S. Leonis supra laudata Nicolaus, ex quibus sic colligit : *Dicendo verò omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursùs asserendo : omnium decessorum nostrorum nullum pontificum Romanorum, et qui ante se fuerit, excepit.*

Et infra : *Consonat etiam huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius.* Et prolatis Gelasii verbis supra citatis, sic colligit : *In quo notandum, quia non dixit decretales epistolas, quæ inter canones habentur, nec tantùm quas moderni pontifices ediderunt; sed quas beatissimi papæ diversis temporibus, ab urbe Româ dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillimè permittebant.*

Denique quòd præsules Gallicanæ Ecclesiæ veterum pontificum, ad Siricium usque, epistolas receperint, constat ex utroque Hincmaro, Laudunensi nimirùm et Remensi. Nam et Laudunensis decretales illas protulit ut causam suam adversùs avunculum tueretur, et Remensis in Opusculo 55 Capitum *eas venerabiliter suscipiendas fatetur.* Idem constat ex epistolâ illâ Nicolai I, in quâ de Gallicanis episcopis ita scribit : *Nam nonnulla eorum scripta penès nos habentur, quæ non olim quorumcumque Romanorum pontificum, verùm etiam priorum decreta, in suis causis præferre noscuntur.*

Præterea si Gallicani episcopi existimâssent veterum pontificum epistolas, ad Siricium usque, pseudopigraphas et supposititias esse, id respondissent Nicolao I, qui illorum auctoritate ipsos urgebat; atqui istud non responderunt, sed solùm eas non esse eodem loco et numero habendas ac canones, quia codici canonum non erant insertæ : ergo existimârunt illas epistolas esse genuinas. Nullam enimverò venerationem merentur epistolæ falsò veterum pontificum nominibus et nugaci impostore honestatæ : at Hincmarus Remensis archiepiscopus, vir juris Canonici peritissimus, cum veneratione vult recipi illas epistolas; non censet igitur affictas priscis pontificibus. En Hincmari verba in opusculo 55, cap. 25 : *Tu hâc discretione (ut præmisi ex verbis Gelasii) suscipe ad instructionem illas epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus, ab urbe Româ, pro diversorum Patrum consolatione dederunt legendas, venerabiliter; et serva sacra concilia, quæ sedes Apostolica et omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter.*

Respondeo : Nego minorem prioris syllogismi, quoad S. Leonem, Gelasium, et Leonem IV. Quòd autem illas epistolas admisisse dicitur Nicolaus I, distinguo. Illas admisit arguendo ad hominem contra Gallicanos episcopos, concedo; ex propriâ sententiâ, nego. Vel, admisit ut vim canonum habentes, concedo; ut genuinas, nego. Addo quòd, etsi illas ex propriâ sententiâ admisisset, et ut germanos veterum pontificum fœtus recipiendas decrevisset, ipsum hoc in judicio non sequeremur, quia æstu contentionis abreptus, novumque jus et antea inauditum in Gallicanæ Ecclesiæ judicia invehere volens, harum auctoritatem epistolarum protulit. Denique, quod additur, Gallicanæ Ecclesiæ præsules veterum pontificum epistolas recepisse, distinguo : et quidam eas receperunt, concedo; omnes, nego. Rursùs distinguo : eas receperunt absque examine, concedo; prævio examine et disquisitione criticâ, nego. Singula responsionis capita singillatim expono.

Quòd sanctus Leo, epistolâ 1, cap. 5, ad veterum pontificum, qui Siricium antecesserunt, epistolas decretales minimè respexerit, meritò sum inficiatus, idque constat ex eo ipso loco : siquidem suorum decreta decessorum commendans, ab Innocentio I initium duxit, ante quem unus Siricius scripserat ad Afros et ad Himerium Tarraconensem, qui ipsum consuluerat. Porrò si S. Leo ad priscorum pontificum epistolas respexisset, vel, si tunc exstitissent aliquæ, commendâsset inprimis epistolas Clementis, Anacleti, Hygini, Pii, Aniceti et aliorum. Nomine autem omnium prædecessorum suorum, quorum decretalia constitua custodiri mandat, intelligit Siricium, Cœlestinum, Zosimum, Bonifacium, Sixtum III, non vero pontifices Siricio antiquiores, quorum nullæ exstabant decretales epistolæ. En verba S. Leonis : *Ne quia verè sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam B. recordationis Innocentii,*

*quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Nego etiam Gelasium priscorum pontificum epistolis suffragari : cùm enim ejus indefinita sit sententia, constabit ejus veritas, si ad eas epistolas referatur, quas Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus III, S. Leo, Hilarius, Simplicius, et Felix III, Gelasii decessores, scripserant. Hæ namque diversis temporibus, ab urbe Româ, pro diversorum Patrum consultatione datæ fuerunt. Fateor Nicolaum Primum Gelasii verba ad omnes decretales, quæ suo tempore manibus omnium terebantur extendisse, ut illas etiam comprehendant, quæ priorum pontificum venerandis insignitæ sunt nominibus. Sed id asserit Nicolaus præter Gelasii mentem.

Contendo etiam Leonem IV illarum epistolarum veritati non favere ; siquidem ex omnibus pontificibus qui Siricium præcesserunt, nullius decreta memorat, nisi Silvestri : *Et cum illis*, inquit, *regulæ præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii et Gregorii Junioris. Isti omninò sunt et per quos judicant episcopi et per quos episcopi judicantur, ut et clerici.* Suspicatur Blondellus, c. 16 Prolegomenon, mendum esse in textu Leonis, et loco istorum nominum, Silvestri, Siricii, legendum esse, *scilicet Siricii*, quia nullas Silvestri regulas habet vetus Romanæ Ecclesiæ canon : sed probabilior est conjectura, quam subjungit, Leonem quartum fortè respexisse acta Romanæ synodi sub Silvestro jam conficta : concinnata quippe fuerant cum actis Silvestri, quæ Gelasius in synodo Romanâ, *à multis in urbe Româ catholicis legi*, testatur, *eumque morem plures Ecclesias imitari*. Quæ etiam acta citaverat septima synodus œcumenica, sexaginta et ampliùs annis antequàm Leo IV illam epistolam scriberet. Denique quòd Leo respexerit ad acta synodi Romanæ sub Silvestro colligitur evidenter ex ipsiusmet epistolæ initio, ubi regulam in dictâ synodo constitutam profert ad judiciorum canonicorum ordinem decernendum : *Nullam*, inquit, *damnationem episcoporum esse unquàm censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certè probatâ sententiâ per 72 idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et priùs aa sacra Ch isti quatuor Evangelia sacramenta præstent, quoa nil falsum depromant, sicut nobis B. Silvester tradidit et Romana sancta tenere videtur Ecclesia.*

Jam ad Nicolaum I transeamus. Dico itaque Nicolaum emunctæ naris virum et eruditum pontificem, epistolas veterum pontificum, quas apprimè noverat supposititias, directè propugnandas non suscepisse; sed hoc unum contendisse, Gallicanos Antistites earum auctoritatem inefficaci ratione impetere. Gallicani enimverò episcopi hâc unâ ratione illas rejicere videbantur, quòd in codice canonum non essent : quam rationem ut nullam ostendat Pontifex, ita contra eos ad hominem argumentatur : *Porrò si ideò Decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas non esse dicunt quia in codice canonum non habentur adscriptæ ; ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius, qui ante, vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eò quòd in codice canonum non habeatur adscriptum....Sed quare multùm immoremur, cùm nec ipsas divinas Scripturas novi et veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum.*

Fingit deinde Nicolaus Gallicanos præsules rem planè falsam et ridiculam responsuros, scilicet ideò recipi vetus et novum Testamentum, quia recipiendum esse sancitum est Innocentii I decreto, quod canonum in codicem est relatum : quasi verò id nunquàm venerit in mentem doctissimorum Antistitum, sacras veteris novique Testamenti paginas auctoritatem ex Innocentii decreto precariam consequi : istam verò Gallicanis episcopis affictam responsionem, in ipsos retorquet Nicolaus : inde colligens veterum pontificum epistolas pariter esse recipiendas, quia decreto Leonis papæ cavetur omnia decessorum suorum decretalia constituta custodienda esse. En verba Nicolai I, quæ responsionis nostræ veritatem ostendunt : *Sed responsuri sunt isti*, inquit, *quòd inter canones inveniatur capitulum S. papæ Innocentii, cujus auctoritate doceatur à nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquàm in ipsis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum. Quibus ad hæc respondendum est, quoniam si vetus novumque Testamentum recipienda sunt, non quòd codici canonum ex toto habeantur adnexa, sed quòd de his recipiendis S. papæ Innocentii prolata videtur sententia, restat nimirum quòd decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sint codici canonum compaginatæ : quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis illa commiserit, noverit sibi veniam negari.*

Non intendebat igitur Nicolaus probare epistolas veterum pontificum genuinas esse, quia de hoc ipsum inter et Gallicanos episcopos non movebatur controversia : sed solùm vim legis ecclesiasticæ ipsas habere, quod illi præfractè negabant.

Verùm etsi decretales veterum pontificum epistolas ut genuina monumenta, suisque digna auctoribus, Nicolaus I admisisset, non ideò tamen illas admitteremus ; sed responderemus appositè, illum pontificem æstu contentionis abreptum id asseruisse, ut novum jus Romanæ sedi vindicaret, hisque fundamentis superstrueret. Enimverò novam judiciorum ecclesiasticorum regulam à veteribus canonibus, et prioris ævi disciplinâ prorsùs alienam constituit, scilicet episcopum, inconsulto Romano pontifice, in synodis provincialibus deponi non posse, etiamsi Romanam sedem non appellâsset : ob idque priscarum epistolarum se præstitit vindicem, ut illarum auctoritate novum illud

jus stabiliret, ac Metropolitanorum, Synodorumque Provincialium debilitaret dignitatem. Istud fuisse Nicolai I consilium constat ex ejus epistolâ supra laudatâ ad episcopos Galliæ, in quâ de Rothadi Suessionensis episcopi causâ loquens hæc habet : *Etsi sedem Apostolicam nullatenùs appellâsset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferre statuta, et episcopum, inconsultis nobis, deponere nullo modo debuistis.*

Denique, quod spectat Gallicanos episcopos, respondeo quosdam admisisse decretales veterum pontificum epistolas, non omnes. Equidem illas admisit Hincmarus Laudunensis, sed easdem Hincmarus archiepiscopus Remensis explosit, ut constat ex ejus verbis apud Flodoardum, lib. 3 Historiæ Remensis, cap. 21 et 22, ubi episcopum Laudunensem sic alloquitur : *Quærens adinventiones ut te metropolitanâ subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicænæ synodi et aliorum sanctorum canones editis collegisti : in quibus sententias inter se dissonas, et contra evangelicam et apostolicam, atque canonicam apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti.*

Respondeo præterea Gallicanos episcopos tunc temporis veterum pontificum epistolas recepisse ex parte, quatenùs canonibus non adversabantur; easdem rejecisse, quatenùs canonibus repugnabant: quod ex Hincmaro archiepiscopo Remensi constat, qui earum auctoritate interdùm usus est. Quæ episcoporum nostrorum inconstantia huic Nicolai I exprobrationi occasionem dedit : *Quanquàm quidam vestrorum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta; cùm ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solùm nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ, et ad suorum argumentum privilegiorum minùs accepta esse præbeant.*

Porrò non responderunt Nicolao Gallicani præsules, has Epistolas supposititias esse, quia de falsitate illarum nondùm omninò ipsis constabat, cùm eas ad examen non revocâssent; et ipsis aliunde satis erat, quòd canonicam continerent auctoritatem, ut earum auctoritate ad colla novo juri submittenda non adigerentur. Unde in unum pontifici reposuerunt parem earum non esse, ac canonum auctoritatem, quia non exstabant in codice canonum, quem ab apostolicâ sede majores eorum acceperant. Unde eas quidem se cum veneratione suscipere, solos autem se inviolabiliter observare canones profitebantur.

Objicitur tertiò : Sanctus Isidorus Hispalensis veterum pontificum epistolas ut genuinas agnovit; siquidem earum adornavit collectionem : ergo sunt recipiendæ.

Probatur antecedens ex Hincmaro archiepiscopo Remensi, epistolâ 7, c. 12, dicente : *Isidorus Hispalensis episcopus collegit cum epistolis Romanæ sedis pontificum à sancto Clemente usque ad beatum Gregorium*, etc.

Respondeo : Nego antecedens. Nam obiit sanctus Isidorus Hispalensis anno Chr. 636, Heraclii Augusti anno 26, Cinthilâ regnum ineunte, ut testantur Redemptus ejus diaconus in illius Vitâ, Braulio Cæsaraugustanus in Catalogo operum Isidori, Lucas Tudensis, lib. 3, et Mariana, lib. 6, c. 7. Ex quâ epochâ evidenter colligitur sanctum Isidorum Hispalensem non esse auctorem collectionis veterum decretalium, quæ Isidori Peccatoris, vel Mercatoris nomen præfert, cùm et concilii Toletani undecimi illa meminerit, quod anno 675 ab Isidori obitu 39 habitum est, et concilii 6 œcumenici, quod celebratum est anno 681, 40 et ampliùs annis post obitum Isidori; et Gregorii II et III, necnon Zachariæ, summorum pontificum, qui post annum septingentesimum floruerunt, epistolas, auctor ille suæ collectioni inseruerit. Unde Hincmarus deceptus est, et alii qui ipsum secuti sunt.

Objicies multa quæ in præfatione collectionis istarum epistolarum decretalium leguntur exstare in lib. 5 Etymologiarum S. Isidori Hispalensis; adeòque illum esse istius collectionis auctorem.

Respondeo contrarium potiùs colligi; nullus enim auctor eruditus et sapiens recoctam crambem lectoribus apponit; et quæ semel scripsit, absque necessitate iterùm obtrudit. Deinde, cùm libros Etymologiarum non ab ipso Isidoro Hispalensi, sed Braulione Cæsaraugustano (de Sarragone) episcopo post Isidauri obitum editos, Braulio ipse, cujus rogatu illos conscripsit, testetur; evidens est posteriorem fuisse Isidoro, quisquis libros illos defloravit.

### SCHOLION PRIMUM.

Ad hanc dissertationem operum meorum censores in suo indiculo hanc notam appinxerunt : *De Nicolao I pessimè loquitur, ut de ambitioso et insciente, et æstu contentionis abrepto.*

Resp. : Verùm religiosorum censorum pace dixerim, id mihi affingi immeritò. Nicolaum I nusquàm ambitionis insimulavi, absit; imò de illo scripsi in Historiâ ecclesiasticâ seculi 9, c. 1, art. 10 : *Sanctus ab Adriano successore, Græcis Latinisque plaudentibus vocatus est, qui et novum Eliam, et novum Phinees illum prædicaverunt. Illum cum S. Gregorio in gloriâ sanctorum visum scripsit Joannes Diaconus, lib. 4 de Vitâ S. Gregorii*, etc. Quòd eumdem pontificem *insciontem* (ut loquitur auctor indiculi censorii) appellaverim falsum est; imò, p. 761 seculi 1 edit. primæ quam notat, ipsum voco *eruditum pontificem*. Dixi quidem illum *æstu contentionis abreptum*, veterum pontificum Romanorum epistolas propugnâsse. Ita porrò se res habet; id illius ad Gallicanos episcopos epistola, quæ tota in ferventi disputatione posita est, liquidò ostendit. De quâ Baronius ad annum 863 : *Verùm quòd his temporibus cùm recens haberetur earum epistolarum editio, nec perfectè in omnibus cognitæ essent nondùm admotâ lucernâ Cleanthis, eâ ex parte tantùm eas recipiendas negarent, quòd extra corpus canonum, suo seorsùm volumine positæ haberentur : hanc ipsorum objectionem magni posse esse momenti Nicolaus considerans, dùm reliquæ omnes Romanorum pontificum extra positæ decretales abolerentur unâ istâ sententiâ : rescripsit ad eos epistolam decretalem magni ponderis.* Nonne

verò contentionis seu disputationis æstum spirant hæc Nicolai I argumenta? *Si ideò decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas non esse dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ, ergo nec Gregorii sancti nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquid institutum vel scriptum recipiendum, eò quòd in codice canonum non habeatur adscriptum; ergo doctrinam eorum et sanctiones de codicibus suis eradant: ut quid vel membranas occupant, postquàm non habentur acceptæ? sed quare multùm immoremur, cùm nec ipsas divinas Scripturas novi et veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etiam neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti qui non ad obediendum potiùs quàm ad resistendum semper parati sunt, dicentes,* etc. Nonne contendit seu fervidè disputat (hoc enim sensu contentionis vocem hìc usurpavi) qui objectiones dihuit et responsiones occupat, de quibus illis quibuscum ipsi controversia est, ne quidem cogitâsse verisimile est; qui magno conatu varia ad eorum expugnandam sententiam argumenta stringit et contorquet? Sic *orationis contentionem et impetum contentionemque dicendi* Cicero dixit, *et omnem contentionem esse inter homines doctos in verbi controversiâ positam.*

SCHOLION II.

Mirabitur omnis eruditorum hominum natio, quòd religiosi censores præcipuam dissertationis hujusce meæ propositionem in indiculo suo notaverint his verbis: *Epistolæ decretales Romanorum pontificum ad Siricium usque apocryphæ,* cùm ea sit Baronii cardinalis sententia, tom. 10 Annalium, ad annum octingentesimum sexagesimum tertium scribentis: *Sed et ipse Benedictus Levita, etsi ex eâdem Isidori collectione accepit multa, tamen benè conscius, auctoritatem illarum epistolarum haud adeò constantem, sed nutare admodùm, nunquàm aliquem illarum citavit auctorem, ut fecit in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum pontificum epistolis, Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi, atque Gregorii, citans ac nominans earum auctores; sed et magnâ cautelâ, quòd sciret ex eis accepta haud adeò haberi firma, curavit, ut ipse in fine testatur, eâdem auctoritate apostolicâ confirmari. Qui autem primus excerpta ex eis decreta cum titulo edidit Romanorum pontificum, quorum nomine censerentur, fuit Hincmarus Laudunensis episcopus, ut apparet ex epistolâ seu libro contra ipsum scripto ab Hincmaro Remensi. Laudunensem verò secuti alii, ut qui sequenti seculo scripsit Burchardus, et omnium novissimus Gratianus. At verò ex multis eas reddi suspectas epistolas, per ea quæ dicta sunt secundo Annalium tomo, dùm de singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum illis non indigere Romanam Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus et privilegiis, cùm etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum Romanorum epistolis decretalibus satis superque corroborata consistat.* Idem censet doctissimus Card. Perronius.

Secutus sum et doctissimi cardinalis Bona sententiam lib. 1 Rerum Liturgicarum, scribentis: *Dudùm ab eruditis observatum est Romanorum pontificum epistolas decretales usque ad Siricium suppositilias esse, à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit), sub finem septimi seculi piâ fraude confictas, et sententiis veterum canonum, legum etiam civilium, et sanctorum Patrum, qui 4 et 5 seculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque ferè stylo et dicendi charactere magnâ ex parte contextas,* etc. Secutus sum sententiam Petri de Marcâ Parisiensis archiepiscopi lib. 3 de Concordiâ sacerdotii et imperii, cap. 5, Pontii, Antonii, Augustini, Sirmondi, Petavii, P. Labbæi, Christiani Lupi, p. 4; Notarum in conciliorum generalium et provincialium canones ac decreta, p. 363; Emmanuelis Schelstrate in Antiquitate illustratâ, Caroli Le Cointe in Annalibus ecclesiasticis Francorum, tom. 6, ad annum 785, pag. 265, etc.

ARTICULUS II.

*Quis Epistolas illas fabricaverit, ac priscis pontificibus supposuerit?*

I. Sanctus Isidorus Hispalensis non est auctor illarum epistolarum, nec earum collector. Probatur Qui monumenta profert S. Isidoro recentiora, non est Isidorus ipse; sed illarum epistolarum artifex monumenta profert S. Isidoro Hispalensi recentiora, scilicet concilium Toletanum undecimum, concilium œcumenicum sextum, epistolas Gregorii II et III, Zachariæ et Bonifacii Moguntini archiepiscopi, ut probavimus ad finem articuli præcedentis; ergo auctor seu collector illarum non est S. Isidorus Hispalensis.

Secundò, Braulio Cæsaraugustanus episcopus, Isidoro coævus et amicissimus, in Catalogo quem texuit ipsius operum, nullam mentionem facit epistolarum decretalium quæ veteribus ante Siricium urbis et orbis pontificibus inscriptæ sunt, uti nec S. Hildephonsus Toletanus antistes. Ergo illarum collectionem S. Isidorus non adornavit.

Tertiò, summa viri sanctitas et doctrina non sinunt ut ipsum tam fœdæ impostuæ auctorem, et tot propalatorem næniarum existimemus.

II. Decretalium epistolarum collector non est alius Isidorus Hispalensis episcopus.

Probatur: Epistolarum decretalium artificem vixisse necesse est post annum Domini 700, siquidem ex Bonifacii Moguntini archiep. epistolâ ad Ethibaldum regem, quæ post annum Domini 744 data est; et ex Epistolâ celebris abbatissæ Cangith post annum 720, ad eumdem Bonifacium scriptâ, plurimas lacinias excerpsit. Porrò ab anno 636, quo obiit S. Isidorus Hispalensis, ad annum 700 et supra, nullus in Hispalensis Ecclesiæ cathedrâ sedit Isidorus, ut constat in Ecclesiæ monumentis. Nam S. Isidoro successit Theodiscus, Theodisco Honoratus, Honorato Antonius, Antonio Fugitivus, Fugitivo Julianus, Juliano Florescindus, Florescindo Felix, Felici Faustinus, Faustino Oppa, huic Joannes, isti Verus, qui episcopatum admi-

nistravit circa annum Christi 760, igitur auctor seu collector epistolarum illarum non fuit alter à S. Isidoro ejusdem nominis Hispalensis episcopus.

Fateor equidem ad finem concilii tertii Bracarensis, anno Domini 675, subscriptum reperiri Isidorum Asturicensem; et ad finem conciliorum Toletanorum, duodecimi, anno Domini 681, decimi quinti, anno 688, et decimi sexti anno 693, subscriptum etiam legi Isidorum Setabiensem; sed neuter decretalium artifex aut collector esse potest, cùm posterior fuerit harum mercium institor anno Domini 700.

Non abnuo Juliani Toletani chronicon innuere Isidorum Mercatorem Setubensem episcopum, ope monachi cujusdam, epistolas decretales veterum pontificum compilâsse, et obiisse anno 805. Sed chronicon istud suspectæ apud eruditos omnes fidei est, et sancto illi archiepiscopo existimatur suppositum.

III. Riculphus Moguntinus archiepiscopus plurimas epistolas sub veterum pontificum venerandis nominibus conscriptas, ex Hispaniâ in Germaniam attulit, ut refert Hincmarus in opusculo cap. 24: *De libro autem collectarum ab Isidoro Epistolarum*, inquit, *quem de Hispaniâ allatum Riculphus episcopus Moguntinus, in hujusmodi, sicut et in capitulis regiis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit*, etc.

IV. Incertum est quisnam fuerit Isidorus ille Mercator, qui illas epistolas fabricatus est. Quidam viri eruditi illarum auctorem fuisse Isidorum quemdam magni nominis monachum existimant, qui se *peccatorem* dicere soleret, et nomini suo hoc semper elogium adderet; quem episcopi ad has epistolas cudendas impulerunt; ex peccatore porrò Mercatorem scribas oscitantes fecisse. Ita conjicit Morinus. Alii hoc *peccatoris* elogium servantes Isidoro, ipsum fuisse episcopum suspicantur, quòd solemnis esset mos sanctorum episcoporum, ut se *peccatores* subscriberent, ut constat ex conciliis Turonensi I, Parisiensi III, Turonensi II, et Matisconensi I. Ita conjicit D. de Marcâ. Blondellus asserit harum mercium auctorem fuisse aliquem episcopum Germano-Francum, Caroli Magni imperio subditum, non verò Hispanum, sive monachum, sive antistitem. His rationibus nititur primò, quòd verisimile non sit Hispanos sub Maurorum tyrannide tunc gementes, illi epistolarum farragini concinnandæ animum intendisse; secundò, quia cùm plurimas ad Gallos, Germanos, Italosque datas epistolas Pseudo-Isidorus mentiatur, quinque tantùm refert ad Hispanos conscriptas: quod certè non fuisse facturus videtur homo Hispanus, de gentis suæ glorià etiam ex pseudopigraphis epistolis stabiliendâ sollicitus; tertiò, quòd styli barbaries et impuritas Germano-Francum potiùs redoleat quàm Hispanum; quartò, quòd disciplina his epistolis expressa Ecclesiis quæ Caroli Magni imperio parebant, conveniret. Addit Blondellus Isidorum illum Mercatorem, cujus nomine vulgatæ sunt illæ priscorum pontificum epistolæ, fratrem fuisse Eulogii Cordubensis (de Cordoue) presbyteri, qui cùm pietatis causâ profugus Moguntiam adventâsset, ibique mansisset aliquandiu, inde occasionem arripuerunt Riculphus Moguntinus (de Mayence) archiepiscopus et Benedictus Levita veterum decretalium collectionem ipsi affingendi, ut incautis hanc ex Hispaniis allatam persuaderent. Verùm cùm hæc dixisse contentus Blondellus, nullatenùs ea probare satagat, ipsi fides non est adhibenda; sed quisnam fuerit, et cujas Isidorus harum epistolarum artifex, omninò incertum esse asserendum est.

---

AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM

## Appendix.

*De variis juris canonici collectionibus.*

I. Ecclesia jure duplici regitur, divino et canonico: primum Scripturis sacris, alterum codicibus canonum continetur. Hinc olim in conciliis œcumenicis codex ille duplex proferebatur: unus divinæ Scripturæ et Evangeliorum, qui in medio Patrum consessu, in throno collocabatur; alter canonum anteriorum. Primus aperiebatur, cùm fidei controversiæ dirimendæ erant; secundus, cùm sancienda erat disciplina. Porrò multiplices et variæ canonum collectiones exstiterunt. Antiquissima omnium est canonum, qui dicuntur apostolici, collectio, quamvis ante 6 seculum in Orientis Ecclesiis recepta non fuerit universim, nec ante Dionysium Exiguum, cum Occidentalibus communicata. Quæcumque hanc collectionem spectant, dissertatione 17, discussimus et exposuimus.

Quarto seculo, et quinto ineunte, solis canonibus Nicænis et Sardicensibus, qui sæpè sub Nicænorum titulo sunt laudati, Ecclesia occidentalis regebatur, ut constat ex Innocentio I in Epistolâ ad Clerum Constantinopolitanum, quam Sozomemus refert lib. 8 Historiæ ecclesiasticæ, cap. 26: *Canonibus porrò*, inquit, *obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti; quos solos consectari decet Ecclesiam catholicam, et juxta eos judicare.*.

II. Secunda collectio canonum, paulò post S. Joannis Chrysostomi obitum, et ante Chalcedonensis concilii celebrationem adornata est. Hæc Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos et Constantinopolitanos canones, numero centum sexaginta quinque complectebatur. Ejus auctor fuisse conjicitur Stephanus Ephesinus episcopus, cujus nomen in veteri codice manuscripto legit adscriptum vir canonicæ antiquitatis peritissimus Justellus. Prolata est ista collectio in concilio Chalcedonensi, ex eâque canones quartus et quintus Antiocheni concilii sub nomine regulæ octogesimæ tertiæ et octogesimæ quartæ sunt recitati; canones verò decimus sextus et decimus septimus sub titulo nonagesimæ quintæ et nonagesimæ sextæ regulæ. Approbata est ea collectio in concilio Chalcedonensi, canone I, cujus hæc sunt verba: *Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.* Adjecti sunt huic collectioni 27 canones concilii Chalcedonensis, expuncto, de Orientalium consensu, vigesimo octavo. Jus illud canonicum, per omnes Orientis et Occidentis Ecclesias viguit. Illa col-

lectio, quam in lucem edidit Justellus, ab eo insignita est titulo *codicis canonum Ecclesiæ universæ*. Canonibus istâ collectione comprehensis vim publicæ legis tribuit Justinianus imperator novellâ constitutione 131 : *Sancimus igitur*, inquit, *ut sancti ecclesiastici canones, qui à sanctis quatuor conciliis expositi sunt et confirmati, vim legum obtineant.*

III. Tertia canonum collectio in quinquaginta titulos distributa, in codice manuscripto bibliothecæ Christianissimi regis, falsò Theodoreto adscribitur. Nam et canones apostolicos 89 laudat, qui Theodoreti ætate nondùm in Orientalis Ecclesiæ codicem relati erant, nec ab aliquo scriptore ecclesiastico illius temporis sunt laudati, et canones ecclesiasticos cum principum legibus, et præcipuè cum novellis constitutionibus Justiniani imperatoris confert. Unde Joanni scholastico, qui sub Justiniani imperio floruit, à Justello aliisque viris eruditis probabilius adscribitur. Sileo de Ferrandi Carthaginensis diaconi et Cresconii collectionibus in Africâ stylo compendioso conscriptis.

IV. Quarta Canonum collectio paulò ante concilium Trullanum edita est. Prima et secunda, de quibus egimus, complectebantur canones Africanos, et canonicas insuper sanctorum Gregorii Neocæsariensis, Petri Alexandrini, Basilii aliorumque Patrum Epistolas. Id constat ex canone 2 illius concilii : « Firmi stabilesque maneant, inquit, qui à sanctis Patribus qui « nos præcesserunt suscepti ac confirmati sunt, atque « adeò nobis etiam traditi sunt, sanctorum et glorio« sorum Apostolorum nomine octoginta quinque ca« nones... Obsignamus etiam reliquos omnes canones « qui à sanctis et beatis nostris Patribus expositi sunt, « id est, à trecentis decem et octo sanctis ac deiferis « Patribus qui Nicææ convenerunt, iisque qui Ancyræ, « et iis etiam qui Neocæsareæ, similiter et qui Gan« gris; præterea et iis qui in Antiochiâ Syriæ, atque « iis etiam qui in Laodicæâ Phrygiæ; præterea autem et « centum quinquaginta Patribus, qui in hâc à Deo con« servandâ et imperiali civitate convenerunt, et ducen« tis qui in Ephesiorum metropoli priùs coacti sunt, et « sexcentis triginta sanctis et beatis Patribus qui Chal« cedone coierunt; similiter et iis qui Sardicæ, et qui « Carthagine, et qui rursùs in hâc Dei cultrice et im« peratoriâ urbe convenerunt sub Nectario, qui impe« ranti huic civitati præsidebat, et Theophilo, qui fuit « Alexandriæ archiepiscopus. Quin etiam canones Dio« nysii, qui fuit archiepiscopus magnæ Alexandrinorum « civitatis, et Petri, qui fuit Alexandriæ archiepiscopus « et martyr; Gregorii Neocæsareæ episcopi Thauma« turgi, Athanasii Alexandrini archiepiscopi, Basilii « archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, Gregorii epi« scopi Nissæ, Gregorii theologi, Amphilochii, Iconii, « Timothei archiepiscopi Alexandriæ, prioris Theo« phili archiepiscopi, ejusdem Alexandriæ, Cyrilli ejus« dem Alexandriæ archiepiscopi, et Gennadii, qui fuit « patriarcha hujus à Deo conservandæ et imperantis « civitatis. Præterea verò et à Cypriano, qui Afrorum « regionis fuit archiepiscopus et martyr, et synodo quæ « sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictorum « præsulum locis solùm secundùm traditam eis con« suetudinem servatus est; et nulli licere priùs decla« ratos canones adulterare, vel non admittere, vel « alios præter hìc propositos recipere canones à qui« busdam falsâ adjectâ inscriptione compositos, qui « veritatem cauponari conati sunt. » Huic porrò collectioni Zonaras monachus, et Balsamon patriarcha Antiochenus, Trullanos ipsos canones 102 addiderunt, necnon canones septimæ et octavæ synodi œcumenicæ. Atque his constat jus omne Orientalium Ecclesiarum. Quod verò Occidentalem Ecclesiam spectat, ea usa est codice canonum à concilio Chalcedonensi probato, et in omnibus Ecclesiis promulgato, donec Dionysius Exiguus abbas novam adornavit collectionem, Laurentii Romanæ Ecclesiæ presbyteri votis annuens. In eâ codicem canonum Ecclesiæ universæ ex Græco fideliter et accuratè versorum exhibuit, in 27 canone concilii Chalcedonensis desinens. His adjunxit quinquaginta priores canones apostolicos, canones concilii Sardicensis, et conciliorum Africanorum. Integra Dionysii collectio canones 394 complectitur; quibus Romanorum decreta pontificum ecclesiasticam sanctionia disciplinam, à Siricio usque ad Hormisdam subjunxit. Hanc collectionem et interpretationem canonum probavit ecclesia Romana, ut testatur Cassiodorus, divinarum Lectionum c. 23, ubi de Dionysio ita scribit : *Ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magnâ eloquentiæ luce composuit : quos hodiè usu celeberrimo Romana Ecclesia complectitur.* Eâ collectione in judiciis ecclesiasticis etiam usa est, ut constat ex causâ Contumeliosi Regensis (de Riez) episcopi, quem Joannes II, pontifex maximus, ab episcopatûs ordine suspendit propter varia, quibus pollutus erat, crimina, decrevitque ut in ejus locum visitator in ipsius Ecclesiâ constitueretur, datis eâ de re ad Cæsarium episcopum Arelatensem litteris, quibus capita canonum, qui judicia episcoporum spectabant, et qui in Contumeliosi causâ usui esse poterant adjunxit, scilicet cap. 7 ex epistolâ Syricii, ex canonibus Apostolorum, cap. 25 et 31, ex canonibus Antiochenis cap. 4 et 15. Transcripta autem erant ea capita ex collectione et interpretatione Dionysii Exigui.

Gallicana Ecclesia hanc collectionem etiam amplexa est maximâ cum veneratione, câque usa est in judiciis canonicis, ut colligitur ex verbis Cæsarii Arelatensis in causâ Contumeliosi. *Nemo mihi*, inquit, *alia quælibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, aut contra* 318 *episcoporum præcepta, vel reliquorum canonum statuta objiciat, quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* Idem colligitur ex concilio Aurelianensi, canone 3, quo decernitur, *ut Metropolitanus à comprovincialibus episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur, quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Decretum Leonis I pontificis maximi at-

legat in epistolâ ad Anastasium Thessalonicensem, quod collectioni Dionysii Exigui, cum aliis ejusdem aliorumque pontificum decretis insertum erat. Istam itaque collectionem Gallicana Ecclesia receperat. Hic liber est canonum, quem rex Chilpericus ad Gallicanos antistites Parisiis in synodo congregatos misit, teste Gregorio Turonensi lib. 5 Historiæ Francorum, cap. 19, cujus verba in dissertatione de canonibus apostolicis adduxi.

Non tamen eo duntaxat canonum codice in sanciendâ disciplinâ, et in judiciis ecclesiasticis Gallicani antistites utebantur; verùm etiam canonibus Gallicanarum synodorum, ut constat ex causâ Contumeliosi Regensis episcopi, in quâ Cæsarius Arelatensis protulit seorsim canones Gallicanos, eisque recensitis, ait : *Ecce manifestissimè constat quia non solùm secundùm quod et tituli antiquorum Patrum, sed et canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possint.*

Idem constat ex Agobardo Lugdunensi archiepiscopo, in epistolâ ad Ludovicum Pium imperatorem : *Hùc accedit*, inquit, *aliud quod piâ consideratione dignum videtur, de canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui aut inutiles à quibusdam respuuntur, eò quòd neoterici Romani eos non commendaverint, cùm antiqui religiosè eos venerati sint, quoniam venerandi et sancti viri eos ediderunt, quorum vitam et sanctitatem crebra miracula commendârunt... Neque hoc idcircò dicitur, ut passim omnium episcopalium conventuum sanctiones æquali auctoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Chalcedonensis et cæterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum et receptorum. Sed quia congruâ veneratione, pro causis necessariis, quarum definitiones ex illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda, religione debitâ.*

Collectio et interpretatio Dionysii Exigui in Hispaniâ æquè ac in Galliis recepta est, ut constat ex concilio Bracarensi II, anno 563, in quo postulante Lucretio episcopo, *relecti sunt ex codice, coram concilio, tam generalium synodorum canones, quàm localium.* Quorum observantia cap. 20 ejusdem concilii præcepta est his verbis . *Item placuit ut quæcumque præcepta antiquorum canonum modò in concilio recitata sunt nullus audeat præterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille necesse est ut de suo degradetur officio.* Verùm Martinus Bracarensis episcopus, natione Græcus, et Dumiensis olim cœnobii abbas, novam collectionem edidit, novâque methodo duas in partes illam distribuens, descriptis in primâ parte canonibus qui ad clericos, in secundâ qui ad laicos pertinerent. Hæc collectio à concilio Lucensi (de Lugo) in Gallæciâ probata est anno 571, quam sæpè laudat Gratianus sub nomine Martini papæ in concilio.

V. Antiquo juri successit novum ex collectione Isidori Mercatoris, quod anno circiter 836, agente Nicolao I pontifice maximo, promulgari cœptum est. Veterum pontificum Romanorum decretales epistolas ea collectio complectitur, de quibus dissertatione præcedenti egimus. Jus illud novum, quo disciplina vetus, quoad judiciorum Ecclesiasticorum ordinem, labefactata est, paulatim invaluit. Primus eo usus est Angilramnus episcopus Metensis, in collectione Capitulorum, quæ sub nomine Adriani Romani pontificis ad Angilramnum circumferuntur; quorum plurima ex veterum pontificum epistolis collegit, et Adriano papæ obtulit, cùm aliquo de crimine accusatus, judicum sacrorum cognitioni subtrahere se vellet. Dixi « quæ sub nomine Adriani circumferuntur, » nam facilè assentior viro clarissimo et doctissimo Baluzio, qui in suâ ad Antonii Augustini de Gratiani emendatione Dialogos Præfatione, non inaniter suspicatur illorum capitulorum auctorem non fuisse Adrianum, sed Angilramnum. Ejus conjectura præcipuè nititur fide veteris codicis manuscripti Bibliothecæ regalis monasterii S. Victoris Parisiensis, in quo huic collectioni titulus iste præfixus est : *Incipiunt capitula collecta ex diversis conciliis sive decretis pontificum Romanorum ab Angilramno Metensi episcopo et Adriano papæ oblata.*

Præterea non est verisimile quòd Adrianus Angilramno codicem canonum alterum dedisset ab eo quo tunc Romana utebatur Ecclesia, quem Gallicana in judiciis ecclesiasticis et in controversiis de disciplinâ emergentibus consulebat; quem deniqne Carolo Magno dederat Adrianus ipse, ut hoc dono eum Ecclesiasticæ disciplinæ tutorem canonumque vindicem declararet. Et in illo codice, quem Carolo Magno obtulit Adrianus, veterum pontificum decretales epistolæ nullæ citatæ sunt, sed Romanorum episcoporum à Siricio duntaxat ad Gregorium Juniorem decreta; quod argumento est Adrianum veteres illas epistolas venerandis præsulibus suppositas existimâsse : non est igitur verisimile quòd ille pontifex depromptas ex illis epistolis sententias collectioni capitulorum Angilramno datæ inseruisset.

VI. Aliqua etiam ex Isidori Mercatoris collectione mutuatus est Regino monasterii Prumiensis abbas, in libris duobus quos de ecclesiasticis Disciplinis et Religione christianâ, scripsit anno circiter 906, jussu Rathbodi archiepiscopi Trevisensis, cujus in metropoli degebat, in sancti Maximini monasterio, in quod Prumiensi ex abbatiâ pulsus secesserat. Eo namque in opere, præter canones antiquos, dicta sanctorum Patrum, et sincera pontificum Romanorum decreta, pseudopigraphas etiam decretales in Isidori Mercatoris officinâ fabricatas interdùm allegat.

VII. Post Reginum, Buchardus Wormatiensis episcopus, anno 1020, viginti decretorum libros novâ methodo composuit, Scripturæ sacræ Patrumque sententias, conciliorum canones, pontificum decreta, ad certa disciplinæ ecclesiasticæ capita redigens. Quo in opere componendo Olbertum Gemblacensem abbatem Burchardo collaborâsse testatur Sigebertus in Chronico ad annum 1008.

VIII. Altera juris canonici collectio exstat sub nomine Anselmi Lucensis, quæ illius non est genuinum opus; plurima namque Urbani II et aliorum pontificum decreta continet, quorum ævo jam omerat

Anselmus. Præterea vetus auctor vitæ ejusdem Anselmi, qui lucubrationes ejus recenset, istius collectionis non meminit; de quâ apud Sigebertum et Trithemium altissimum etiam silentium est.

IX. Anno deinde 1100, Ivo Carnotensis collectionem canonum elaboravit ad usum Ecclesiæ Gallicanæ, sive potiùs collectiones duas, quarum una *Pannormia* inscribitur, altera *Decretum Ivonis*. Et primam quidem non esse germanum Ivonis opus, viri quidam eruditi existimârunt, sed Hugonis cujusdam Catalaunensis, quem ex Ivonis decreto abbreviato libellum conscripsisse, qui *Summa decretorum Ivonis* appellatur, testis est Vincentius Bellovacensis, lib. 25 Speculi historialis, cap. 84. Sed hunc librum alium esse à Pannormiâ Ivonis, ostendit et tituli diversitas in omnibus manuscriptis editisque codicibus, et canonum ac decretorum in utroque libro relatorum varietas. Ad calcem Pannormiæ (1) descripta sunt decreta Innocentii II, qui pontifex factus est multis annis post Ivonis Carnotensis obitum. Hoc tamen argumento non est Pannormiam esse suppositium Ivonis opus, quia decreta illa non sunt pars istius collectionis, sed ipsi sunt addita posteriori manu. Unde Antonius Augustinus Tarraconensis episcopus habuisse se codicem veterem Pannormiæ Ivonis testatur, à quo decreta Innocentii II aberant, sicut absunt ab antiquissimo codice Bibliothecæ Victorinæ, ut observat vir eruditus Stephanus Baluzius. Pannormia in partes octo, decretum in decem et septem divisum est. In utramque collectionem plurima ex digestis, codice et novellis transcripsit, jus civile cum canonico præclarè conjungens.

X. Anno tandem 1151, Gratianus monasterii Sancti Felicis Bononiensis, ordinis Benedictini monachus, jus canonicum in unum corpus redegit. Liber ille falsò decretum Gratiani inscribitur, cùm in nullo ferè veterum codicum ea inscriptio exstet, sed ista : *Concordia discordantium canonum*. Hinc viri doctissimi Antonius Demochares et Antonius Pontius, qui edendo emendandoque Gratiano incubuerunt, vocem illam, *decretum*, utpote ineptam sustulêre, quia non unius decreti explanatio, sed multorum collectio decretorum opus illud est : ille itaque *decretorum Collectanea*, hic *decretorum canonicorum Collectanea*, inscripserunt. Hanc adornavit collectionem Gratianus sub Eugenii III, pontificatu. Dionysii Exigui, Isidori et Ivonis collectiones complectitur, novis constitutionibus pontificum, canonibus conciliorum et sanctorum Patrum locis amplificatas et locupletatas.

Tres in partes dividitur Gratiani collectio : Prima distinctiones centum et unam complectitur; secunda, causas triginta sex, quarum singulæ in quæstiones dividuntur, et quælibet quæstio in capita. At verò quæstio tertia causæ trigesimæ tertiæ, tractatum de Pœnitentiâ continet, in septem distinctiones, per capita, divisum. Tertia pars exhibet tractatum de Consecratione, in quâ de consecratione ecclesiarum et missarum celebratione, de sacramento Eucharistiæ et festivitatibus per anni circulum celebrandis, de baptismi sacramento, de confirmatione et jejunio, quinque distinctionibus agitur.

Quatuor modis citari solet Gratiani collectio : Primo sic : *dist.* 5. *C. Si lapsis*, ita ut hæc verba sint principium capitis quod in eâ distinctione continetur. Secundo modo sic : 12. *q.* 2. *C. Placuit*, id est, causâ 12, q. 2, cap. quod incipit hoc verbo, *placuit*. Tertio modo, tractatus de Pœnitentiâ sic allegatur : *De Pœnit. dist.* 1. *C. Multiplex*. Quarto, tractatus de Consecratione sic profertur in medium : *De Consec. dist.* 1. *C. Missarum*.

Innumera sunt in Gratiani collectione errata, et quidem gravissima, contra historiæ leges, contra criticæ accurationem, contra sanæ theologiæ principia quæ monachum illum doctissimum non fuisse et valdè indiligentem probant. Hæc annotata sunt et emendata à correctoribus Romanis, viris scilicet eruditis, quos summi pontifices Pius IV, Pius V, et Gregorius XIII, huic castigando operi præposuerunt. Sed et de Gratiani emendatione nemo scripsit accuratiùs aut doctiùs Augustino, Tarraconensi (de Tarragone) episcopo, qui libros duos hoc de argumento composuit, quorum quilibet dialogos viginti multâ ac variâ refertos eruditione complectitur : quos nuper doctissimis à se notis illustratos typis rursùs mandari curavit Stephanus Baluzius. Veterum pontificum ante Siricium epistolas aliaque ex pseudopigraphis loca Gratianus allegat, concilia citat nullibi gentium celebrata, testimonia Patribus affingit quæ non agnoscunt.

XI. Post Gratiani collectionem, tres decretalium epistolarum Alexandri III, Innocentii III, et Honorii III, collectiones editæ sunt, quas unum in volumen congestas editionis honore Antonius Augustinus donavit, cum aliis duabus collectionibus antiquis, privato tantùm studio, privatâque auctoritate compositis. Accessit quarta decretalium unum in corpus collectio, jussu Gregorii IX, pontificis maximi, à S. Raymundo à Pennafort (Raymond de Rochefort) ordinis Fratrum Prædicatorum, ipsius capellano et pœnitentiario, adornata et in quinque libros divisa. In primo agitur de munere et officio personarum ecclesiasticarum; in secundo, de judiciis et iis quæ ad judicia pertinent; in tertio, de rebus ad clericos et ecclesias spectantibus; in quarto, de rebus quæ ad laicos attinent; in quinto, de delictis et eorum pœnis.

Allegantur decretales hoc modo : *Ext. c. Etsi Judæos, de Judæis*, id est, cap. quod incipit his verbis : *Etsi Judæos*, titulo *de Judæis*.

XII. Quinque libris decretalium sextus additus est à Bonifacio VIII, qui summorum pontificum, qui Gregorium IX, inter et Bonifacium VIII, sederunt, decretales et ipsius Bonifacii constitutiones complectitur; sicut S. Raymundi collectio præter decretales supra laudatorum pontificum, Gregorii IX, constitutiones continebat. Decretales autem Bonifacii VIII, non sunt

(1) *Pannormiam* viri quidam eruditi dici debere contendunt, quasi legum omnium complexionem; sed veteres codices manuscripti editique libri *Pannormam* exhibent : uti et Trithemius in lib. de Script. eccles

ab Ecclesiâ Gallicanâ receptæ ; et maximè decretalis *Unam sanctam*, quam ob assertam Romano pontifici in regum temporalia auctoritatem, quamvis Ecclesiæ Romanæ beneficiarii non sint, seu feudatarii, nostrates theologi et omnes regni hujus ordines rejiciunt, quam Benedictus XI, et Clemens V, justè prudenterque rescidêre. Sic porrò ista collectio citari solet : *C. Si judex de sent. excomm. in* 6, id est, titulo de sententiâ excommunicationis, lib. 6 Decretalium.

XIII. His additæ sunt Clementinæ, id est, Clementis V, constitutiones in concilio Viennensi editæ, quæ hoc modo laudari solent : *Clement. Si furiosus de homicidio ;* id est, Clementina, quæ incipit : *Si furiosus*, titulo *de homicidio*. Sequitur Extravagantium collectio, sive Joannis XXII, sive Communium, quæ à diversis pontificibus editæ sunt. Sic autem nuncupatæ sunt constitutiones illæ, quòd extra corpus juris canonici vagarentur. Sic autem allegantur : *Extrav. Vas electionis, de hæreticis*, id est, titulo *de hæreticis*, in Extravaganti quæ incipit, *Vas electionis*.

His omnibus constat juris canonici corpus, ceu totum illud quod hodiè à nobis jus novum nuncupatur, quod in multis capitibus differt à jure veteri, sed in iis maximè quæ metropolitanorum et conciliorum provincialium auctoritatem spectant, quam labefactavit et propemodùm evertit. Verùm quamvis multò antiquæ disciplinæ et priscis moribus contraria invexerit, fatendum tamen est multos ipsum supplevisse juris veteris defectus, istamque novarum legum multitudinem necessariam fuisse, ut novis in dies emergentibus causis lux afferretur, novisque malis, quæ grassari cœperant, remedia adhiberentur opportuna. Unde tam verè quàm eleganter illustrissimus et doctissimus Parisiensium archiepiscopus Petrus de Marcâ, l. 3 de Concordiâ sacerdotii et imperii, cap. 6, ait : *Si quis res accuratè expendat, non adeò laborabit de discrimine antiqui juris et recentioris ; quod rerum et negotiorum varietas ab invitis pontificibus, pro utilitate reipublicæ christianæ extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiæ nunc positæ sunt, ut si quis de absolutâ et integrâ restitutione juris antiqui et novi abolitione contendat, proinde agat, ac si imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis regnorum initiis obtinebat.*

# DE PRÆCIPUORUM ECCLESIÆ FESTORUM

# NUMERO ET INSTITUTIONE.

Triplex est genus festorum quæ celebrat Ecclesia, scilicet : 1° in honorem SS. Trinitatis et Christi; 2° B. Mariæ Virginis; 3° Angelorum ac Sanctorum omnium vel singulorum.

§ 1. — *De præcipuis festis Domini nostri Jesu Christi.*

*Dominica*, sabbati locum in novâ lege tenens. Vide tertium Decalogi præceptum.

*Adventus*. Adventûs nomine illud temporis spatium intelligitur quo ad celebrandum incarnati Verbi adventum se præparat Ecclesia, quod à dominicâ quartâ ante Christi Nativitatem, id est, die 27 novembris ad diem 25 decembris, incipimus.

Adventûs initium ad seculum sextum à Bened. XIV, Inst. 11, n. 7, refertur, et S. Gregorium pontificem auctorem affirmat idem pontifex. In Sacramentario S. Gregorii quatuor dominici dies nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus et sextus accesserunt, juxta ritus Mozarabicum et Ambrosianum qui à primâ dominicâ post festum S. Martini celebritatem Adventûs ordiuntur.

Olim in pluribus ecclesiis servabantur jejunium et abstinentia à carnibus, tum ex devotione, tum ex præcepto, viguitque generaliter ista consuetudo ad seculum duodecimum, et usque ad nos apud Græcos invaluit.

*Nativitas Domini*. Christum 25 decembris die natum esse testantur S. Chrysostomus et S. Augustinus. Romani senatores, *quibus* tabulas censuales licebat inspicere, verum Christi Domini natalem diem facilè cognoverunt, eamque notitiam Constantinopolim Chrysostomi ætate transmiserunt, significantes natalem Christi diem 25 decembris Romæ ac in omni occidentali ecclesiâ celebrari.

Quilibet sacerdos hâc die ternàs vulgò missas celebrat. Tres Christi ortus ternis hisce indicari missis docet Pougetus, primum in æterno sinu Patris, in tempore alterum in utero Virginis, tertium denique in justorum animis. Quod verò controvertitur. Benedictus XIV, tract. de Festis, cap. 17, n. 58 et seqq., plura refert testimonia quæ vetustatem triplicis missæ comprobant. Nonnulla seligemus : « Exploratum est, « inquit illustris pontifex, vetustissimis temporibus « plures ab eodem sacerdote missas celebrari in ali- « quibus solemnitatibus consuevisse. Ostendit cardina- « lis Bona, Rerum liturgicarum libro 1, cap. 18, n. 6, « morem fuisse ut kalendis januarii binæ celebrarentur missæ, altera de octavâ Nativitatis, altera de « Beatâ Virgine; ternas itidem missas feriâ quintâ in « Cœnâ Domini probat celebratas esse, alteram ad re- « conciliandos pœnitentes, alteram ad sacrum chrisma « conficiendum, tertiam denique quæ ad diei solemni- « tatem pertinet, ac binas itidem missas in Ascensio- « nis, tum pervigilio, tum festivitate... Quærit Pouge- « tus *cur in festo Nativitatis Christi ter missarum sole- « mnia celebrentur à quolibet sacerdote*, ac sic respondet : « *Hoc vestigium est antiqui ritûs, quo diebus solemnibus « plures ab eodem sacerdote missæ agebantur*. Testatur « S. Gregorius, die Christi Natali idcò sermonem « suum in compendium conferre, *quia*, inquit, *hodiè « ter missarum solemnia celebraturi sumus*. Notatum re- « perimus in Ordinibus Romanis Summum Pontificem « in Natali Christi die tres celebrare solitum missas, « primam in basilicâ Liberianâ, alteram in S. Anasta- « siæ æde, cujus in hâc die memoria recolitur; ter- « tiam denique in Vaticanâ basilicâ. »

Incipit hæc festivitas à laudibus vigiliæ, juxta ritum duplicem aut semiduplicem.

*Circumcisio*. In codice sacramentorum Ecclesiæ Romanæ à venerabili cardinali Thomasio edito, quem S. Leoni Magno ejusque prædecessoribus tribuit Benedictus XIV, festum hoc appellatur octavæ Domini. Simile inditum est nomen in kalendario Romano centum et ampliùs abhinc annis scripto, atque in corpore juris canonici, 3 part., dist. 3, can. 1. In martyrologio Romano circumcisio et octava Nativitatis Domini sic conjunguntur : *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi et octava Nativitatis ejusdem*. Illud ortum habet ex eo quòd Evangelium testetur Christum octavâ nativitatis die fuisse circumcisum. In Decretalium lib. 2, t. 91, c. 5, Circumcisio duntaxat nominatur. Bened. XIV concilium refert Turonense, quod festum hoc sexto seculo longè antiquius esse probat; ante finem quarti seculi videtur fuisse institutum. Concilium Turon. fœdas superstitiones innuit (1), quas kalendis januarii in

(1) Hæc fert locus à Bened. XIV, cap. 1, n. 20, de Festis Domini : « Ad calcandam gentilium consuetudi- « nem patres nostri statuerunt privatas in kalendis ja-

honorem Jani et Streniæ Deæ ethnici celebrabant; et viri muliebribus, feminæ virilibus personis susceptis, comessationes et aleas agitabant. Quapropter conjici potest jejunium illud ad nonam saltem horam productum fuisse.

*Epiphania*, Græcè *manifestatio*. Tres manifestationes Christi hâc die ab Ecclesiâ recoluntur. Commemoratio fit adorationis Magorum, quâ Dominus demonstratus est gentibus; baptismatis quod ab Joanne suscepit, cùm, voce delapsâ de cœlo : *Hic est Filius meus dilectus*, Judæis innotuit; et conversionis aquæ in vinum, quâ factus est manifestus discipulis. Refert Bened. XIV, cap. 2, n. 3, Bruxellense quoddam manuscriptum martyrologium, ex quo sequitur non modò adorationis Magorum, baptismatis Christi et conversionis aquæ in vinum, sed multiplicationis etiam panum et piscium hoc eodem die memoriam recoli consuevisse. Quod confirmat D. Augustinus, serm. 28 de Tempore, qui primus est de Epiphaniâ : « Hodiè illud colimus quo se in hominem Deus virtutibus declaravit, pro eo quòd in hâc die, in cœlo stellæ ortûs sui nuntium præbuit, sive quòd in Canâ Galilææ in convivio nuptiali aquam convertit in vinum, sive quòd in Jordanis undis aquas ad reparationem generis humani suo baptismo consecravit, sive quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. In quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur et gaudia. » Fortassè ea fuit peculiaris quarumdam ecclesiarum disciplina, etiam ecclesiæ Mediolanensis, tempore Bened. XIV. Epiphaniæ solemnia maxima semper et celeberrima fuêre in utrâque ecclesiâ. A quibusdam apostolis auctoribus tribuuntur.

Post Evangelium proximè futuri Paschatis dies è suggesto designatur.

*Festum sanctissimi Nominis Jesu.* Judæi solâ inducti consuetudine, infantibus octavo die nomen imponebant, cùm pueros circumciderent, quod ex Lucæ cap. 1 deducitur, ubi de nomine indito Joanni Baptistæ ait : *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Placuit Christo circumcisionis legi se subjicere, cùmque octavo post natalem diem esset circumcisus, *vocatum est nomen ejus Jesus*, id est, Salvator, angelo hoc nomen prænuntiante. Itaque Paulus, Philip. 2, v. 9, ait : *Donavit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* S. Bernardinus Senensis, anno 1444 mortuus, qui pœnitentiam prædicando Italiam peragrabat, ad contritionem in animis fidelium excitandam instituit, ut, sacrâ concione habitâ, tabella quædam auditorum oculis exponeretur, in quâ radiatum Jesu nomen depictum erat. Quidam hujusmodi cultui restitêre; postea verò ab Apostolicâ Sede approbatus est. Tandem, die 29 novembris anni 1721, officium ab universali Ecclesiâ secundâ post Epiphaniam dominicâ celebrandum esse decretum est.

*Quadragesima.* De eâ fusè tractavimus ubi de Jejunio. Sufficiat hîc notare 1° ejus institutionem ad apostolos referendam; 2° tres anteire Dominicas, scilicet septuagesimam, sexagesimam et quinquagesimam, quæ, sicut ipsa, sunt velutî præparatio ad magnam Paschæ solemnitatem. Quippe in iis Ecclesia, Bacchanalium nimis usitatorum licentiæ opposita, mœstitiam induit tum in vestibus et ornamentis, tum in cantibus et cæremoniis, commemoratque in officiis pœnas quibus Adamum peccatorem scelestosque Noe coætaneos ac sodomistas prosecutus est.

*Dominica Palmarum.* Processio in dominicâ Palmarum in memoriam triumphalis Christi ingressûs in Jerusalem...

*Dominica Palmarum.* Turbæ quæ Jesu obviàm ierant, ramos palmarum manibus gestantes, clamabant : *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Joann. cap. 12, v. 13.

Hæc solemnitas sub quarti seculi finem in orientali et ab octavo in occidentali Ecclesiâ, juxta Grancolas, instituta est. Hymnus *gloria*, *laus* et *honor*, qui cantatur postquàm ad ecclesiæ ostium processio pervenerit, tribuitur Theodulpho, qui fuit episcopus Aurelianensis seculo nono. Andegavis detentum in vinculis quòd cum filiis Ludovici Pii in illum imperatorem conjurâsset, ferunt illum hymnum à se compositum cecinisse, cùm imperator in Palmarum processione secùs carcerem præteriret, carmenque adeò illi fuisse probatum, ut veniam auctori impetraverit.

Notandum à Dominicâ Palmarum ad Dominicam in Albis omne officium post quindenam paschalem incidens transferri ad diem festo duplici aut semiduplici carentem. Quòd si foret populare festum, juxta ritum Roman. translato duntaxat officio, nihilominùs superesset obligatio à servilibus abstinendi missamque audiendi. Excipiendum tamen Parasceve, in quo non tenentur adesse missæ, quia officium hujus diei non propriè missa est. Tunc indulgentia incidit cum feriatione in feriam secundam post Dominicam in Albis. Cæteris diebus, indulgentia translatum officium non sequitur.

*Officium Tenebrarum.* Tertiâ circiter post meridianam horâ et non antea officium hoc recitatur vel canitur. Olim mediâ nocte habitum esse videtur, undè nomen Tenebrarum. Nullum in eo invitatorium; psalmi hymno *Gloria Patri* carent; nulli hymni, non benedictiones, non capitula, ut rerum omnium oblitam Ecclesiam in eo tantùm versari dixeris, ut Christi Redemptoris cruciatibus illacrymetur. — Magnum ante altare ponitur candelabrum, cujus figura est ad formam trianguli; quindecim illi candelæ accensæ imponuntur, quarum singulæ singulis expletis psalmis exstinguuntur, unâ tantùm exceptâ quæ sub altare accensa occultatur. Post canticum *Benedictus* paululùm obstrepitur; deinde, productâ quæ sub altari latebat candelâ, surgunt omnes, ac taciti abeunt, etc... Creditur singulas candelas ex intervallo exstingui,

« nuarii fieri litanias, ut in ecclesiis psallatur, et horâ « octavâ in ipsis kalendis Circumcisionis missa Deo « propitio celebretur.

quòd cùm tempus, quo Christum mori oportuit, advertaret, discipuli passim hùc illùc confugerint ac magistrum suum deseruerint. Sic juxta rituale Romanum agitur; in pluribus verò ecclesiis, præsertim Galliæ, chori præses solus fragorem facit.

*Feria quinta in cœnâ Domini.* Vetus disciplina hâc die reconciliandi pœnitentes. Pontifices vel sacerdotes pedes lavant duodecim pauperibus in quibusdam ecclesiis, et tredecim in Ecclesiâ Romanâ, ut celebretur memoria Christi pedes apostolorum humiliter lavantis (1). Sacrum chrisma et oleum catechumenorum infirmorumque benedicitur. Missa tota in Eucharistiæ institutione versatur. Quarumdam ecclesiarum consuetudo est ut sacerdotes à celebrante omnes Eucharistiam suscipiant, in aliis missas celebrant privatas. SS. Sacramentum processionaliter defertur ad locum ubi ad crastinam diem reconditur. Hymno dicto *Gloria in excelsis*, campanarum usus usque ad sabbatum sanctum interdicitur; per hos dies intermittitur campanarum sonus, et ligna quædam adhibentur obstrepentia, ut exstet memoria illius consuetudinis convocandi per lignorum strepitum primis Ecclesiæ seculis fideles; campanæ per hos dies silent, quæ cùm Christi prædicatores significent, ideò sonum intermittunt, quòd apostoli Christum, arreptâ fugâ, deseruerint. Mos est denudare altaria ad significandam Redemptoris in cruce nuditatem. Olim imperatores christiani, ut misericordiam Ecclesiæ erga pœnitentes imitarentur, captivos solvebant à vinculis.

*Feria sexta in Parasceve.* Missa hujus diei non sicca, sed missa præsanctificatorum appellanda (1). Observandum, 1° historiam legi de Passione Domini ab Joanne conscriptam... 2° Christum pro omnibus mortuum; propterea Ecclesiam in hoc potissimùm die orationibus uti pro quocumque hominum genere, etiam pro Judæis; quæ tamen oratio dicitur nullâ factâ genuflexione, ut appareat, ait Alcuinus, Ecclesiam irrisiones detestari quibus Judæi Christo illuserunt in genua procidentes; 3° populi adorationi et aspectui crucem exponi. Adoratio fit ut sequitur: crux super pulvinum violaceum in ritu Romano, in aliis rubrum, reponitur; celebrans, discalceatis pedibus manibusque junctis, flexis genibus et demisso capite, primò crucem eminùs adorat, mente vel secretâ voce dicens: *Adoramus te, Christe, benedicimus tibi, quia per S. crucem tuam redemisti mundum.* Deinde surgens incedit, cùmque mediam percurrit viam, idem iterat, et rursùs cùm ad crucem pervenit, quam posteà in pedes deosculatur. Diaconus et subdiaconus, sicque juxta ordinem, celebrantem sequuntur, ita ut, cùm facit tertiam adorationem, diaconus faciat secundam, et subdiaconus primam. Quòd si præsens sit episcopus, primus post celebrantem accedit. In quibusdam ecclesiis non pedes discalceantur. Docet S. Thomas crucem cui Christus affixus est latriæ cultu adorari, quòd ea nobis exprimit Christi figuram in cruce pendentis; eodem cultu quamlibet crucem adorari, quòd repræsentet imaginem Christi in cruce extensi; quod

(1) De ablutione pedum plura refert testimonia Bened. XIV quæ non sine quâdam voluptate hìc legentur. Regulares abbates multas eâ occasione eleemosynas dilargiebantur, cùmque, quibus abluti essent pedes, ad mensam accerserentur, inde ea orta est circa nonum seculum corruptela conviviorum in honorem cœnæ Domini instruendorum, suavissimis vinis et bellariis mensæ appositis. Dicit Bailletus quòd, cùm ea Jesu Christi actio abluendi pedes non ad sacerdotium unicè pertineat, non modò summi Pontifices, episcopi et presbyteri, sed ex laicis etiam viri summi omnis generis, puta imperatores et reges, ab se alienum non putârunt, feriâ quintâ in cœnâ Domini, lavare pedes pauperibus. Narrat Elgaldus monachus, in vitâ Ruperti regis Franciæ, hâc die magnum illum regem, omni sibi ornatu regio detracto, cilicio indutum pedes abluere, ac suî ipsius capillis detergere solitum. Videre est etiam apud Bollandistas, ad diem 20 martii, sanctam Bertam sanctimonialibus suis pedes hâc die lavisse. Denique Bailletus monet eamdem consuetudinem in Ecclesiâ Græcâ vigere, duodecim pauperculis lavari pedes vel à patriarchis, vel ab episcopis; suum cuique ex duodecim apostolorum nominibus nomen imponi; litem indè sæpe numerò oriri, qui Judas Iscariotes appellandus; si omnes ab eo nomine sibi imponendo abhorreant, conjectis in urnam singulorum nominibus, sortitò dirimi litem, ideoque plura à rei gravitate aliena contingere.

(1) Bened. XIV, de feriâ VI in Parasceve tractans, cap. 7, n. 148 et seq., hæc ait: « Missam siccam eam « dicimus, in quâ neque consecratio fit, neque Chri- « sti corpus sumitur, et sacerdos, licèt sacerdotalibus « indutus vestibus, ita missam recitat, ut omittat tamen omnia quæ submissâ voce dicuntur; præfationem quidem recitat et *Pater noster*, sed Canonem « et reliquas Secretas omnes prætermittit; non hostiam habet, non calicem, nihilque horum dicit aut « facit quæ super Eucharistiam fieri solent, ut videre « licet apud Durandum, Ration. lib. 4, cap. 1. Contra « verò in missâ Præsanctificatorum nihil omittitur « præter Eucharistiæ consecrationem, quod sacramentum sub unicâ specie sumitur panis, quem priè ejus diei sacerdos consecravit. » Dein Bened. XIV rationem affert hujusmodi ritûs ab Hugo à S. Victore depromptam: « Quæritur quare hâc die missa non « cantetur, sed corpus Christi reservatum die præcedenti sumatur. Ad quod dicitur ex decreto Innocentii I papæ missam hoc biduo non celebrari, ut in « pastoribus Ecclesiæ status temporis illius apud Apostolos ostendatur, qui, sicut propheta prædixerat, « percusso pastore dispersi erant, etc. Quæritur iterùm quare hâc die non sumatur sanguis Christi, si « cut et caro Christi: ad quod dico quòd utrumque « sub utrâque specie sumitur; sed quia species vini « labilis non potest tutò reservari, sine eâ corpus « Christi reservari constitutum est. »

tamen ita est intelligendum, ut adoratio ad Christum referatur.

In hâc feriâ sextâ, inquit Bened. XIV, nulli sacra præbetur communio, nisi fortè gravis quædam necessitas urgeat, juxta rubricam missalis Romani : « Hodiè (feriâ quintâ) reservat sacerdos in loco decenti et convenienti hostiam consecratam pro die sequenti, in quo non conficitur; vel etiam plures, si necesse fuerit, pro infirmis. Sed non hanc semper fuisse disciplinam, et hâc etiam die populo sacras particulas distribui consuevisse, quæ pridiè essent consecratæ, probant certissima monumenta.

*Sabbatum sanctum.* Hoc die sacram illam et mysterii plenam Christi quietem in sepulcro, ejusque descensum ad inferos, seu statum illum Jesu Christi, quamdiù anima à corpore fuit sejuncta, Ecclesia recolit. Ex eâ verò quæ nunc viget disciplinâ, sacræ complures aliæ peraguntur cæremoniæ quæ resurrectionem Domini respiciunt. In veteri Ecclesiâ catechumeni baptizabantur..... Cùm ejus diei officium post horam nonam incipiat, nihil temporis præsanctificatorum missæ celebrandæ suppetebat. Legimus Christianos totum in Ecclesiâ sabbatum exigere solitos fuisse, sextâ verò noctis horâ communicare, etc..... Nunc anticipatur tempus; non ideò tamen quidquam in orationibus est immutatum, in quibus fit noctis mentio; in præfatione : *In hâc potissimùm nocte*, et alibi : *Noctem sacratissimam celebrantes.* Extra Ecclesiam ignis è silice extunditur; agitur hujus ignis benedictio, quia ignis è silice excussus videtur Christi recens ex mortuis suscitati typum ferre. Fit benedictio cerei paschalis. Antequàm cereus benedicatur, illi quinque incensi grana affiguntur; quinque foramina ad figuram crucis in cereo excavata, quò grana incensi injiciuntur, quinque Christi exprimunt ulnera. Dùm cereus benedicitur, canitur celebris hymnus quem quidam D. Ambrosio, alii diacono Casinensi tribuunt. Catechumeni adulti baptizantur. Ubi verò sit fons baptismalis, quamvis nullus esset baptizandus, fit ad ejus benedictionem processio. Altaris ministris in faciem provolutis, cæteris verò omnibus genuflexis, cantantur litaniæ.

*Pascha, seu Resurrectio Christi.* Hebræa vox *Pascha* transitum significat. Paschalis igitur festivitas instituta erat apud Hebræos, ut memoriam recolerent exitûs de Ægypto. In novâ lege, festum hoc ad apostolos referendum, ait D. Augustinus. D. Gregorius Naz. id appellat *festum festorum*, et in Martyrologio designatur *solemnitas solemnitatum.* Quapropter omnia in ecclesiâ, cantus, vestesque et ornamenta, lætitiam personant. Tres tantùm dicuntur lectiones usque ad dominicam in Albis, in ritu Romano; in aliis et specialiter in Parisiensi, per totum Paschale tempus. Mos erat olim apud Romanos processionem ad fontes faciendi in quâ cantabantur *De profundis* et *In exitu* ad significandum recens baptizatos maximum, Deo miserante, effugisse periculum. Quæ consuetudo Romæ obsoleta apud quasdam ecclesias adhuc viget.

Tempus Paschale octo hebdomadas usque ad vigiliam SS. Trinitatis currentes complectitur. Dominica proximè sequens vocatur *Dominica in albis*, licet rectiùs diceretur *post albas;* huic enim tale inditum est nomen, quòd olim sabbato sancto baptizandi vestes albas induerent, quas sabbato sequente exuebant.

Notavimus Paschali tempore brevissimum esse officium. Cujus brevitatis ratio historica et naturalis ea est, quòd, cùm Christiani ad multam noctem in officio et missâ sabbati sancti detenti fuissent, et rursùs, paulùm refectis viribus, ad officia divina redirent, nocte jam vergente in diem, pluribus recitandis nocturnis spatium non suppetebat. Propterea unum duntaxat satis esse oportuit, isque mos totâ hebdomadâ retinebatur, quia quidquid in Ecclesiâ primâ die, præsertim quod ad neophytos attinet, fieri solebat, idem per reliquos hebdomadæ dies factitabatur, ut apud Martene videre est, de antiquâ Eccl. Disciplinâ in celebrandis offic. divinis, cap. 25, n. 25.

*Ascensio Domini.* In Constitutionibus apostolicis, l. 8, c. 3, dicitur dies assumptionis Domini.—D. Augustinus solemnitatem hanc quadragesimam vocat, quòd post dies à Resurrectione quadraginta celebretur. Docet idem Augustinus eâm ab Apostolis esse institutam : *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quòd Domini Passio, Resurrectio et Ascensio in cœlum, et adventus Spiritûs sancti anniversariâ solemnitate celebrantur, et si quid aliud occurrit quod observatur ab universâ, quàcumque se diffundit, Ecclesiâ.*

Primitiva Ecclesia observabat quintam feriam; sed, multiplicatis sanctorum festivitatibus, sublata est solemnitas feriæ quintæ, et in dominicam (octavam) translata est... Quòd post Evangelium missæ solemnis cereus exstinguatur juxta decretum Pii V, quidam conjiciunt eam esse horam quâ Christus in cœlum ascenderit.

Primis Ecclesiæ temporibus in memoriam Ascensionis Domini processio quâlibet hebdomadâ fieri solebat, ut testatur Durandus in Rationali divinorum officiorum, lib. 4, cap. 6 : « Primitiva Ecclesia observabat quintam feriam, et fiebat in eâ processio in memoriam Dominicæ Ascensionis; sed multiplicatis Sanctorum festivitatibus, sublata est solemnitas feriæ quintæ, et ejus processio per Agapitum papam in dominicam translata est, ut à populo tunc ad ecclesiam conveniente simul et solemniter valeat celebrari; ut propter hoc dies Jovis dicatur vulgariter cognata diei Dominicæ, quia videlicet antiquitùs par solemnitas fuit utrique. » Ejus processionis meminit Gregorius Turonensis, lib. 5 Hist. Francor., cap. 11; non tamen de eâ processione videtur loqui, quæ quâlibet feriâ quintâ, sed de eâ quæ feriâ quintâ fiebat ipso Ascensionis Domini festo. Et Bailletus, Histor. hujus diei § 7, allatis vetustiorum scriptorum testimoniis, ait fieri etiam processionem post tertiam, in itineris memoriam Apostolorum ab

Hierosolymâ in Bethaniam, à Bethaniâ in montem Olivetum proficiscentium, atque inde Hierosolymam redeuntium. In ejus diei missâ mos erat benedicendi panem novosque fructus; quarum benedictionum formulas vide apud Martene, de antiquâ Ecclesiæ Disciplinâ, cap. 28. Micrologus, cap. 55, jejunium commemorat in pervigilio Ascensionis.

*Pentecostes.* Festum illud quinquaginta dies post Pascha celebrabatur apud Judæos ut legis memoria coleretur, quam quinquaginta dies post Pascha in monte Sinai à Deo Moyses acceperat. In novâ autem lege, quinquaginta itidem diebus post Pascha celebratum in Jesu Christi memoriam, celebratur adventus Spiritûs sancti. Nec quidquam peculiariter admonendum restat de vetustate festi, quod sine ullâ dubitatione ab Apostolis est profectum.

*A temporibus Apostolorum, consuetudo talis accepit initium*, prout ait Beatus Irenæus martyr et episcopus Lugdunensis.

Quanta autem sit hujus festi solemnitas,, ex verbis Leonis Magni ostenditur, sermone 73, de Pentecoste 1, cap. 1 : *Hodiernam solemnitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam omnium Catholicorum corda agnoscunt; nec dubium est quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit.*

Extant ex veteri disciplinâ firmissima argumenta quæ probant Pentecostes olim nomen significâsse, tum diem ipsum quo Spiritus sanctus in Apostolos cœlo delapsus est, tum etiam quinquaginta dies inter Pascha et Pentecostes interjectos. Quapropter Tertullianus, de Idololatriâ, cap. 14, gentibus insultans, ait : *Ethnicis semel annuus dies quisque festus est; tibi* (Christiane) *octavo quoque die*, id est, Dominicâ; *excerpe singulas solemnitates nationum, et in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.* Quinquaginta dies inter Pascha et Pentecosten interjecti omnes festi olim fuêre. Quo autem pacto quibusque significationibus quinquaginta horum dierum festivitas celebraretur, haud ita facile est definire. Illud tantùm evidens est, quòd à servilibus operibus non tunc omninò cessabatur. Videtur solùm eos dies celebrari consuevisse publicis de more missarum sacrificiis, aliisque cæremoniis, quibus pro devotione fideles aderant.

Canon 33 sextæ synodi Parisiensis sic incipit : *Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet et Pentecostes, Baptismus, ita etiam traditio Spiritûs sancti per impositionem manuum fidelibus tradebatur.* Quibus verbis palam fit in Paschate et Pentecoste, quemadmodùm Baptisma, ita Confirmationis sacramentum consuevisse conferri. Neque id mirum; nam post baptismum proximè confirmatis conferebatur, ut notat Bened. XIV, institutione 6 edit. latin.

Quidam existimant primam missam statim post Resurrectionem Domini ab Apostolis fuisse celebratam. Verisimilior autem cardinalis Bonæ sententia est, qui dilatam putat primæ missæ celebrationem usque ad Pentecosten, cùm Apostoli divino Spiritûs sancti haustu repleti fuêre; vetus enim vigut lex usque ad Pentecosten; nam nova lex ante Pentecosten nondùm satis promulgata habebatur; quamobrem, sacerdotio nondùm translato, non decuit sacrificium offerri, ut eruditè docet Bened. XIV, institutione 21.

*Festum sanctissimæ Trinitatis.* Decretal. lib. 2, tit. 9, c. 2, sic habent : Festivitas sanctissimæ Trinitatis, secundùm consuetudines diversarum regionum, à quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in dominicâ primâ ante Adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet quòd in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem, cùm singulis diebus *gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, et cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Hanc decretalem Alexandro III tribuunt...., sed auctorem esse oportet Alexandrum II, qui ad pontificiam dignitatem evectus est anno 1061.... Quod verò ad hymnum attinet *gloria Patri*, etc., vulgaris quondam sententia fuit in Nicænâ synodo eam orationem fuisse compositam. Veriùs dici potest ab apostolicis temporibus glorificationis hymnum fideles canere cœpisse, Nicænæque synodo verba illa tribui posse : *Sicut erat in principio*, etc..... Concilium Narbonense anno 589, jussisse ad quemlibet psalmum addi *gloria Patri*, asserit Baronius. Ejusmodi decretum cæteræ quoque ecclesiæ amplexæ sunt.

Cùm earum ecclesiarum disciplinam ecclesia Romana non improbaverit, peculiarem quemdam festum diem celebrandi in sanctissimæ Trinitatis honorem, paulatim ea consuetudo cœpit pervulgari. Tandem, Joannes XXII, qui obiit an. 1334, primus decrevit ut primâ post Pentecosten dominicâ ab universali celebraretur Ecclesiâ.

*Festum Corporis Christi.* Magnâ erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum devotione fuit B. Juliana, è Monte Cornelione, ad Leodii-Portas hospitalaria. Quæ visione admonita ut peculiari festivitate S. Eucharistia coleretur, rem omnem cum Joanne, canonico Sancti Martini, communicavit; qui eam est cohortatus ut à theologis et episcopis consilium peteret.

Probata est omnibus nova festivitas; etsi plures intervenerint difficultates : Robertus, Leodiensis episcopus anno 1246, novum hoc festum per omnem ditionem suam celebrari jussit, et antequàm è vitâ migraret Juliana, voluptatem eam cœpit, ut novum officium coram se celebrari videret.

Juliana, quæ negotium omne cum piâ muliere quæ Leodii habitabat, nomine Evâ, communicaverat, è vivis sublata est. Itaque Eva ab Henrico, Roberti successore, flagitare non destitit ut Romanum pontificem exoraret, quò nova festivitas ad universalem proferretur Ecclesiam, cùm præsertim in Petri cathedrâ sederet Urbanus IV, qui visionis Julianæ probè conscius, eam festivitatem in Belgio approbaverat. Urbanus IV negotium protraxit, sed tandem constitutionem evulgavit an. 1264, quâ ab universali Ecclesiâ festivitatem hanc celebrari mandavit, propriumque ejusdem solemnitatis officium per B. Thomam de Aquino, tunc

in ipsâ Curiâ existentem, compositum edidit.

*Inventio sanctæ Crucis.* Omni studio Adrianus imperator christianum nomen contumeliis onerari curabat; sanctum propterea Christi sepulcrum terrâ oppleri, templumque in eo loco Veneri dicatum excitari jussit. Constantinus imperator, christianam fidem amplexus, magnificentissimum in eo loco templum exstruere statuit. Omne opus suscepit sancta Helena, imperatoris mater, quæ, anno 326 ferè exeunte, sese contulit Hierosolymam, iisque omnibus quæ ad Passionem pertinent exploratis, ternas ejusdem formæ reperit cruces sibi invicem adjacentes. S. Ambrosius conjecit crucem cui Christus fuerat affixus, cognitam esse ex titulo *Jesus Nazarenus, rex Judæorum.* Ruffinus verò, Socrates, Sozomenus et Theodoretus, narrant ægram, ubi ejus corpori tertia crux esset admota, valetudini restitutam. S. Paulinus Nolanus, in epistolâ ad Sulpitium Severum, narrat eam mulierem jam mortuam revixisse.

Bollandistæ referunt crucis partem S. Macario traditam, ac postea in templo Hierosolymæ exstructo locatam esse; alteram crucis partem Romam ab Helenâ missam ut in templo *S. Crucis in Jerusalem* poneretur : quod templum in memoriam crucis quam in cœlo viderat Constantinus ipse ædificari curaverat. Pergunt continuatores Bollandiani : « Non absimile, « postquàm Helena Romam crucis partem misit, et « in basilicâ S. Crucis in Jerusalem collocavit, in « hâc primùm ecclesiâ festivitatem Inventionis S. Cru- « cis celebrari cœpisse, atque inde à summis pon- « tificibus in alias Romæ ecclesias invectam esse, « unde tandem ad universalem Ecclesiam permea- « verit. »

Gregorius XI, anno 1377 mortuus, jussit componi Inventionis et Exaltationis S. Crucis officium. Clemens VIII, sublatis antiphonis ad Laudes, easdem quæ in festo Exaltationis, recitari jussit; hanc denique solemnitatem ex præcepto celebrandam die 3 maii voluit Urbanus VIII.

*Transfiguratio Christi.* Narrant Matthæus, Marcus et Lucas assumpsisse Jesum secum Petrum, Jacobum et Joannem, et in excelsum montem adduxisse, ubi postea transfiguratus est. Falsò vulgus credit hanc festivitatem à Calixto III institutam; est certè vetustior (1) Hic pontifex ejus officium composuit, indulgentias concessit, officium recitari jussit, ac solemnitatem die 6 augusti celebrandam ad Ecclesiam universalem extendit. Verùm dicimus sabbato primæ hebdomadæ Quadragesimæ, et dominicâ consequente, Transfigurationem Domini commemorari solitam; idque jam à Callixti III temporibus.

*Exaltatio S. Crucis.* Chosroes, Persarum rex, Hierosolymam anno 624 expugnatam incendit, multosque in servitutem Christianos cum Zachariâ patriarchâ Hebræis vendidit. Tum sancta Crux in hostium regiones, tanquàm pretiosissimum ex omnibus spoliis devecta est. Suidas testatur Chosroem ne ausum quidem fuisse illam ex thecâ amovere. — Heraclius autem anno 627 magnam victoriam reportavit, cùmque Siroes (Chosroes filius), ab Heraclio pacem peteret, inter conditiones Heraclius apposuit crucem Domini reddendam. Siroes in eâdem argenteâ thecâ crucem Heraclio remisit, in quam Helena conjecerat. Pium monumentum omnibus lætitiæ significationibus plebs Constantinopolitana excepit. Inde ortum est, ut festivitas celebraretur solemniùs. Sequitur in Orientali ecclesiâ multò ante Heraclii tempora Exaltationem S. Crucis in memoriam eorum quæ Constantino acciderant, esse celebratam ad diem 14 septembris.

De festo *S. Cordis Jesu* jam diximus tom. 8.

§ 2. — *De festis in honorem B. Mariæ Virginis*

Tres in honorem B. Mariæ Virginis solemnitates Lugdunensis synodus commemorat, quam affert Gratianus in can., dist. 1. Sunt autem Purificatio, Assumptio, Nativitas. Ex sermone S. Bernardi perspicuum est quatuor ejus ætate celebratas esse solemnitates. Purificationem, Annuntiationem, Assumptionem et Nativitatem. Aliæ postmodùm inductæ sunt.

*Desponsatio B. Mariæ cum S. Joseph, die 23 januarii.* Circa festum Desponsationis constat verum inter Deiparam et S. Josephum fuisse matrimonium; temeritatis argueretur qui aliud quidpiam pronuntiare auderet. Quoto ætatis anno Maria Josepho nupserit? Quatuordecim annos natam communis est sententia. De Josephi senectute orta est opinio, quòd aliam antea uxorem in matrimonio habuisse ex eâque liberos suscepisse credatur; quod à vero abest. Seculo XV, ut Carnutense capitulum solemnem de sancto Josepho commemorationem faceret, Joannes Gerson proposuit officium Desponsationis, quod ipse etiam composuit. Legimus seculo XVI Paulum III Joanni Calvo, fratrum Minorum commissario, concessisse facultatem ut fratres sororesque officium Desponsationis recitarent expressùm ex officio de Nativitate, mutatâ voce Nativitatis in vocem Desponsationis. Illud apparet in omnibus Ecclesiasticæ ditionis regionibus recitari ex indulto Benedicti XIII, die 22 augusti 1725. Perusiæ conservatur annulus quem B. Virgo, cùm Josepho nupsit, dicitur induisse. Narrant hunc annulum è Clusinâ urbe in Perusinorum manus venisse, lite Clusinos annulum persecutos, et Innocentium VIII Perusinis adjudicâsse. Multa quidem à summis pontificibus de quibusdam reliquiis jubentur; sed disertè appositâ eâ vel certè subaudiendâ

(1) Benedict. XIV, hujus festivitatis antiquitatem astruens : « Institutam, inquit, eam à Callixto III « vulgus existimat, in nobilissimæ victoriæ memo- « riam, quâ rex Huniades Turcarum delevit exerci- « tum. Id verò falsum esse ex eo palàm fit quòd Bo- « noniæ sextâ augusti die obiit S. Dominicus anno « 1221. At Gregorius IX, in ejus canonizationis bullâ, « jussit die quintâ augusti festivitatem ejusdem san- « cti celebrari, ne in illum diem inciderct qui Trans- « figurationis solemnitati præscriptus erat. Cùm au- « tem Gregorius IX Callixto longè antiquior sit, « manifestum est falsò affirmari Transfigurationis « festivitatem à Callixto esse institutam. » Indulgen-

clausulâ, ut, quod ad earum veritatem pertinet, sua cuique sit probabilitas, cui nihil censeri debeat auctum ; pag. 178, in titulo, n. 1, 2, 13, 14 et 15.

*Purificatio, die secundâ februarii.* Levitici lege, quæ de muliere loquitur, quæ *suscepto semine* peperisset, profectò non astringebatur B. Virgo. Nihilominùs legi obtemperata est in humilitatis exemplum, ut refert Luc. : *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus* (Jesu), *secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Præterea obtulerunt quod præscriptum erat à lege : par turturum, aut duos pullos columbarum.* Et quanquàm in Lucæ evangelio nihil de quinque siclorum oblatione habeatur, verisimillimum est voluisse, ut in reliquis, adimpleri legem.

Evangelica historia commemorat Simeonem obviàm venisse Mariæ et Josepho, cùm ad templum Jesum deferrent. Quamobrem hæc à Græcis festivitas Hypante seu Hypapante id est, Occursus, appellatur. Hanc Græci non in festis diebus B. Virginis, sed inter festivitates ponunt Christi Domini ; quod etiamnùm facit Ambrosiana ecclesia. Verùm, juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, inter solemnitates B. Virginis commemoratur, atque dicitur *Purificatio* B. Virginis.

Incertæ, sed profectò antiquissimæ et ferè apostolicæ institutionis est hæc festivitas.

*Annuntiatio, die* 25 *martii.* Quod in hâc solemnitate mysterium celebramus, refert S. Lucas, cap. 1, v. 27. Ibi narrat Gabrielem angelum missum à Deo in Nazareth ad Virginem. Hîc est sententia Bollandistarum, originem hujus festi debere ascribi gratissimo affectui Deiparæ Virginis, quæ singulari veneratione recolere solita fuerit divinum beneficium hoc die sibi præstitum. Hanc piissimæ gratitudinis consuetudinem intuiti Apostoli, venerabili imitatione observârunt, et ubique observari sanxerunt.

Concilium Trullanum, habitum anno 672, præcipit ne per quadragesimam integrum missæ sacrificium peragatur, *præterquàm sabbato, dominicâ et sancto Annuntiationis die*... Verùm, præterquàm quòd Trullana synodus non de festivitatis institutione loquitur, sed eam multò antea institutam vigere præsumit, S. Gregorius Thaumaturgus designat in homiliâ 2 *S. Virginis Annuntiationem.* Hùc accedit D. Augustini auctoritas, qui eam implicitè commemorat.

*Compassio, feriâ sextâ hebdomadæ Passionis.* Certum est B. Virginem divini Filii adfuisse crucifixioni, et ad teterrimum illud spectaculum incredibili illam dolore esse confossam, juxta Simeonis oraculum : *Et tuam ipsius animam pertransivit gladius.* Ejus institutionem festi referemus ad provincialem synodum Theodorici, Coloniensis episcopi, anno 1413, in quâ ad Hussitarum hæreticorum comprimendam audaciam, qui sanctissimas Jesu Christi et B. Virginis dolore confossæ imagines sacrilego furore fœdabant, constitutum est ut festum commemorationis præfatæ angustiæ et doloris B. Mariæ Virginis deinceps singulis annis feriâ sextâ post dominicam *Jubilate* in choro tantùm in omnibus ecclesiis provinciæ Colon. celebraretur. Bened. XIII Decreto 22 augusti 1725 jussit officium hujus festi in totâ ditione ecclesiasticâ recitari, et alio decreto 22 aug. 1727, illud ad universalem Ecclesiam extendit, designatum nomine festi Dolorum B. Virginis. Dicitur etiam festum septem Dolorum quia septem præcipuè modis doluit B. Virgo, unde pictores eam septem gladiis trajectam sæpè pingunt.

*Auxilium Christianorum, die* 24 *maii.* Pius VII, captivitate insperatò solutus anno 1814, beneficiumque tantum speciali B. Mariæ auxilio tribuendum existimans, decreto 16 septembris statuit, pro ditionibus Ecclesiasticis, ut festum in ejus honorem celebraretur sub titulo *Auxilii Christianorum.* Pluribus deinceps ecclesiis eadem concessa facultas, et 17 novembris 1826, Leo XII confraternitatem sub eodem titulo in ecclesiâ S. Nicolao Namurci dicatâ erexit, multisque indulgentiis plenariis ac particularibus cumulavit. Altera, 17 maii 1835, Cenomani formata est.

*Visitatio B. Virginis, die* 2 *julii.* Postquàm abiit angelus qui Verbi incarnationem B. Mariæ Virgini nuntiaverat, ea, iter ingressa, in civitatem quamdam Judæ, in montibus sitam, se contulit. Quod attinet ad causam itineris, hæc est, quòd sibi angelus exemplum protulisset Elisabeth, ejus cognatæ, quæ in ipsâ senectute conceperat, jamque à conceptu sextus mensis ageretur.

Historiam de Visitatione Lucas ita refert : *Mansit autem cum illâ quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.* Hæc festivitas ab ordine fratrum Minorum anno 1263 celebrabatur. Urbanus VI eam in universâ Occidentali ecclesiâ instituit. Urbano defuncto, apostolicas litteras nondùm editas promulgavit Bonifacius IX constitutione anni 1389. In sessione Basileensis concilii 43, anno 1441 habitâ, constitutum fuit ut in omnibus christiani orbis ecclesiis postridiè calendas julii celebraretur. Vid. Labb., t. 12.

*Festum B. Mariæ de Monte Carmelo, die* 16 *julii.* Carmelus inter Judæam et Syriam mons ; in eo contigit nobilissimum illud miraculum, cùm Eliæ precibus ignis cœlo delapsus prophetas Baal absumpsit. In eo monte traditio est adhuc vivæ Virgini ædiculam esse exstructam à piis viris qui illùc convenire consueverant ; ex quo nomen illis inditum fratrum Montis Carmeli. Seculo tredecimo ineunte, mortuus est spectatæ sanctimoniæ vir, Simon Stockius, ordinis Carmelitarum generalis, cui multò ante obitum B. Virgo apparuit, deditque, tanquàm Carmelitani ordinis tesseram, scapulare, in præcipuæ protectionis suæ peculiare signum ; deinde quinquaginta post annis B. Virgo itidem Joanni XXII, summo pontifici, apparuit, eumque monuit de pluribus indulgentiis quas à Jesu Christo, filio suo, fratribus et sororibus Carmelitanis impetràsset : quas indulgentias tertiâ martii die anni 1322 idem pontifex promulgavit, atque illud est quod dicitur *sabbatinum* privilegium. Ex bullâ dictâ *Sabbatinâ* plures ortæ sunt difficultates quas Paulus V non

dirimens, permisit patribus Carmelitanis prædicare quòd populus christianus piè credere possit de adjutorio animarum fratrum et confratrum in charitate decedentium, qui in vitâ habitum gestaverint, etc. Quapropter, cùm ea omnia quæ tum in B. Stokii visione, tum in Sabbatinâ bullâ difficultatem creare poterant, et sapientibus doctorum virorum animadversionibus et Romani pontificis decreto sublata sint; cùmque gliscentibus maximè contentionibus, nemo unquàm cultum erga B. Virginem de monte Carmelo ausus sit improbare, quem Romani pontifices tot tantisque indulgentiis locupletârunt : cùm denique, B. Virgine intercedente, plura Deus miracula ediderit in eorum utilitatem qui huic devoto cultui sunt addicti..., quisque fateatur necesse est festivitatem de monte Carmelo non sine gravi institutam esse judicio, et in universali Ecclesiâ cum officio et missâ propriâ celebrari. Eam pro Carmelitarum ordine anno 1587 approbavit Sixtus V, ejusque officium pro eodem ordine Paulus V, ex decreto S. rit. Cong. novis auxit lectionibus à venerabili card. Bellarmino recognitis. Eamdem festivitatem ad aliquot civitates, provincias et regna, ut populorum, episcoporum, et principum devotioni gratificarentur, Romani pontifices extenderunt, denique et Bened. XIII ad universalem Ecclesiam.

*Festum S. Mariæ ad Nives, die* 5 *Augusti.* Hìc celebratur dedicatio Basilicæ Romanæ variis insignis nominibus. Hodiè vocatur *S. Maria Major.* Priùs appellata est modò *Sancta Maria*, modò *S. Maria ad nives*, modo *basilica Liberii*, ex ejus fundatore Liberio summo pontifice. Tandem, cùm Romam præclara essent asportata præsepis Jesu lipsana, quæ pontifex in hâc basilicâ collocavit, appellata fuit basilica *S. Mariæ ad præsepe.* Pia quædam traditio est Joannem, patricium Romanum, ejusque conjugem, omnia sua bona vovisse B. Virgini. Itaque nonis augusti, quo tempore gravissimi Romæ sunt calores, noctu nix in Esquilinum collem delapsa est, cùm interea Joannes ejusque uxor per somnium à B. Virgine monerentur ut in eâ Esquilini montis parte, quam nive tectam viderent, templum exstruerent, suoque nomini dedicarent. Idem sibi pontifex dixit significatum esse per somnium; itaque cum cleri et populi processione se ad collem contulit, quem nive tectum invenit, ac in eo locum templi designavit, quod deinde Joannis ejusque uxoris sumptibus exstructum est. In romano martyrologio festum hujus diei in hæc verba edicitur : *Romæ in Esquiliniis dedicatio basilicæ S. Mariæ ad nives*, pag. 200, cap. 7, n. 1. Dedicationis festum celebratum in eâ basilicâ seculo duodecimo manifestò constat; seculo quarto decimo per totam urbem celebrabatur. Pius V jussit peragi in Ecclesiâ universali.

*Assumptio B. Mariæ in cœlo, die* 15 *augusti.* Epiphanius, hæresi 78, dubitat an B. Virgo mortem obierit; alii verò negant utpote quæ ab originalis peccati labe pura fuerit, cujus peccati pœna mors est. Communi Græcorum et Latinorum sententiâ, Maria mortem obiit. Contendunt tertio et sexagesimo anno mortem obiisse, quidam Hierosolymis, alii Ephesi. Bened. XIV dicit exploratum esse B. Virginem ex hâc vitâ migrâsse; ejus animam à corpore fuisse sejunctam, statimque nullâ vel minimâ morâ interjectâ non solùm beatâ visione fuisse præditam, sed sublatam ad empyreum et exaltatam super choros angelorum; addit Ben. XIV B. Virginis corpus rursùs cum animâ coaluisse, et nunc in cœlo esse. Virginis privilegium est quòd *cum corpore suo in cœlo vivit.* Incertus est dies quo illa revixerit; quidam enim affirmant eam 13 die augusti obiisse, et 15 rediisse ad vitam; alii dicunt eodem quo mortua est die revixisse. Hæc festivitas ante Mauricium imperatorem, ideòque ante sexti seculi finem, celebrabatur.

*Nativitas B. Mariæ, die octavâ septembris.* Aliorum sanctorum martyrum vel confessorum natalis dies ille dicitur, quo ab hâc ad beatam vitam commigrârunt. S. Augustinus, serm. 287, testatur solummodò natales Christi et Joannis Baptistæ in Ecclesiâ celebrari : « Natales dies carnis nulli prophetarum, nulli patriarcharum, neminì apostolorum celebravit Ecclesia; « solos duos natales celebrat, hujus et Christi. » Quo quid validius proferri potest ad probandum nondùm Beatæ Mariæ nativitatem celebrari consuevisse? Nonnulli putant seculo duodecimo, hanc celebritatem in Galliâ institutam, inde in Italiam commeâsse; sed vetustiorem esse apparet ex S. Ildefonso, qui seculo septimo scripsit : « Nullius igitur nativitas celebratur in mundo, nisi Christi et ejus (Mariæ), atque B. Joannis, » etc.

In Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ qui creditur esse S. Leonis Magni, aliorumque prædecessorum pontificum, habetur missa in Nativitate S. Mariæ cum propriis orationibus. In libro Sacramentorum S. Gregorii, quem edidit Menardus, pag. 128, sunt orationes ad matutinum, ad processionem et ad missam in Nativitate B. Virginis Mariæ. Quod autem attinet ad Gallicanam ecclesiam, conjici quidem potest initio seculi noni, nondùm introductam hanc festivitatem eò fuisse.

Bened. XIV citat testimonia ex quibus colligitur eam, tum apud Græcos, tum apud Latinos, à duodecimo saltem seculo celebrem fuisse.

*Festum nominis B. Mariæ dominicâ infra octavam Nativitatis.* Magna erga nomen Mariæ fuit in Ecclesiâ veneratio, ut aliquando feminis illud minimè licuerit induere. Hæc festivitas firmata est pontificio diplomate anni 1513, in civitate et diœcesi Conchensi, in Hispaniâ. Eam à Pio quinto sublatam restituit Sixtus quintus. Nunc dominicâ infra octavam Nativitatis festum hoc peragitur; officium verò Nominis Mariæ ab universali Ecclesiâ recitari jussit Innocentius XI decreto suo anni 1683, in ejus victoriæ memoriam quâ beatissimæ Matris ope à Christianorum copiis profligatus Turcarum exercitus ab obsidendâ Viennâ destitit.

*Festum B. Mariæ de Mercede, die* 24 *septembris.* Apparuit B. Virgo Maria Petro Nolasco, et Raymondo de Pennafort, et Jacobo, Arragoni regi. Quos monuit Filio suo sibique gratum fore, si in suî honorem ordo

religiosorum hominum instituereturtur, cujus liberandorum è Turcarum servitute Christianorum partes essent præcipuæ. Ab illis igitur regularis ordo sub invocatione B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum primordia sumpsit. Officium primò ordini de Mercede concessum, deinde ad omnia Hispaniæ regna, ac postea ad Gallias propagatum; denique Innocentius XII ab universali Ecclesiâ recitari jussit ac festivari 24 septembris diem constituit. Septimâ octobris die anni 1571, quæ fuit prima dominica mensis, commissum est navale prælium ad Naupactum, Pio quinto pontifice, qui eodem momento quo Christianorum classis Turcarum classem propè deleverat, de nostrorum victoriâ divinitùs monitus est, S. Pius V jussit quotannis S. Mariæ de Victoriâ commemorationem fieri, ut habetur in Martyrologio ad hunc diem. Gregorius XIII quòd memorabilis victoria parta Christianis esset, cùm piæ sanctissimi Rosarii sodalitates ex more institutoque suo processione incedentes Deum devotè precarentur, jussit deinceps solemnem primâ octobris dominicâ festivitatem peragi sub nomine Rosarii, in iis tamen duntaxat templis in quibus vel capella aliqua, vel altare esset erectum sub invocatione B. Virginis Rosarii. Datæ apostolicæ litteræ Calend. aprilis 1573. Clemens X Marianæ, Hispaniarum reginæ, precibus permotus, concessit ut solemne Rosarii festum per omnia Hispaniarum regna aliasque regiones Catholico regi subjectas celebraretur, etiamsi nullum sacellum aut altare esset sub invocatione B. Virginis Rosarii; die 26 septembris 1671.

Sub Innocentio XII, Leopoldi imperatoris delatæ sunt preces S. Rit. Congregationi, ut ad universalem Ecclesiam officium et missa Rosarii propagarentur; sed rescriptum quo principis postulationibus satisfactum erat, pontificis morte interceptum, executione caruit. Innocentii XII successor, Clemens XI, octobris die 3, anno 1716, decretum illud approbavit, mandavitque ut in universali Ecclesiâ recitaretur officium et missa celebraretur.

*Festum de Patrocinio B. Mariæ, dominicâ tertiâ novembris.* Officium hujus festi jam concessum fuerat pro omnibus provinciis Hispaniarum regi subjectis, quod colligitur ex S. Rit. Congreg. decreto, die 6 maii, 1679. Benedictus XIII omnibus ecclesiasticæ ditionis provinciis injunxit. Porrò hæc festivitas hoc principio nititur, B. Virginem in cœlo pro nobis intercedere : Mariæ incercessio vim habet validiorem quàm sit omnium sanctorum.

*Præsentatio B. Mariæ in templo, die 21 novembris.* Mysterium recolimus, non quidem illud cùm B. Mater suum Filium præsentavit in templo, sed cùm ipsa suis parentibus præsentata est. De præsentatione non dubitandum; sed de tempore quo in templum adducta sit, nihil exploratum est. Quomodò ibi educata, non liquet. Vetus est in ecclesiâ Orientali hæc festivitas. Nam in constitutione emmanuelis Comneni, qui reguare cœpit anno 1143, inter alias festivitates numeratur. Officium hujus festi Avenione Gregorio XI exhibuit Philippus Mazerius, regis Cypri apud S. Sedem orator; quod diligenti examine fuit excussum, decretumque ut hæc toto Occidente celebritas ageretur. Cujus initium refertur ad annum 1374.

*Conceptio B. Mariæ Virginis, die 8 decembris.* De mysterio immaculatæ Conceptionis alibi sufficienter disseruimus.

*Translatio sanctæ domûs Lauretanæ*, die 10 decembris. Benedict. XIV probat, ex traditione, ex constitutionibus Pauli II, Julii II, Leonis X, Pauli III, Pauli IV et Sixti V, ex Martyrologio Romano in quo legitur ad diem 10 decembr. : « Laureti, in Piceno, « translatio sacræ domûs Dei genitricis Mariæ, in quâ « Verbum caro factum est, » denique ex celebriorum criticorum sententiis, inter quos Bollandistæ, ad 25 martii, § 4, Natalis Alexander, Hist. Eccl. decimo tertio seculo, Theophilus Raynaudus, Baillet, P. Honoratus à Sanctâ Mariâ, Gravesonus, Guido Grandus, abbas Camaldulensis, D. Calmet, Muratorius, etc., domum natalem beatæ Virginis, divinis mysteriis consecratam ab infidelium potestate ereptam, in Dalmatiam primò, deinde in agrum Lauretanum, Picenæ provinciæ, translatam fuisse ministerio Angelorum sub S. Cœlestino V, vel sub Bonifacio VIII, circa ann. 1294. Refert Clementem VII tres misisse viros qui magnitudines et mensuras domûs Lauretanæ cum mensuris locorum in quibus antea fuisset conferrent, eosque, loco Dalmatiæ et fundamentis domûs Nazareth visitatis, reperisse mensuras cum domo Lauretanâ collatas optimè coaptari. Certum est domum Lauretanam multo populi concursu frequentari et innumeris esse celebrem miraculis.

Quibus permotus Innocentius XII, quò ferventiùs erga B. Matris cultum fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ domûs translationem anniversariâ solemnitate in totâ Piceni provinciâ missâ et officio proprio celebrari præcepit. Missa propria et officium intra Picenæ provinciæ fines continebatur. Anno autem 1719, die 19 maii, ad omnem Etruriam propagatum est, subinde à Benedicto XIII ad ecclesiasticæ ditionis provincias, ac demùm ad omnia regis Catholici regna regionesque illi subditas, ut apparet ex decretis 23 augusti 1725, et 10 novembris 1729.

*Festum Exspectationis partûs B. Mariæ, die 18 decembris.* Primò monendum, olim in Hispaniis, ex decreto concilii Toletani, septimi seculi, annuntiationem non 25 martii, ut constans erat mos Romanæ Ecclesiæ, sed 18 decembris fuisse celebratam, quòd 25 martii dies plerùmque in quadragesimam, vel in paschalia incidat; adjicere oportet Hispaniæ ecclesias, temporibus quæ consecuta sunt, ad Romanum morem se conformâsse, et eam festivitatem 25 die martii cœpisse peragere, substitutâ in ejus locum hâc celebritate de Expectatione partûs ad diem 18 decembris, quam à Gregorio XIII possumus dicere approbatam 1573.

Hæc solemnitas appellatur præterea *Festivitas B. Mariæ de O*, cujus nominis origo ducta est ab antiphonis quæ per adverbium O incipiunt. Ex antiphonæ suspiria, gemitus et desiderium exprimunt vete-

rum Patrum Redemptoris adventum expectantium.

Officium Expectationis recitari cœptum in regionibus Venetorum reipublicæ subjectis, ex S. R. Congregationis indulto 3 septembris anni 1695, ad omnia Ecclesiasticæ ditionis loca extensum decreto Benedicti XIII die 22 augusti 1775.

*Festum B. Mariæ in Sabbato.* Nemo nescit quâlibet sabbati die non impeditâ (id est, cùm nulla festivitas aut feria quadragesimalis obsistit), vetustum esse pium morem exhibendi in sabbato B. Virgini peculiarem quemdam cultum, et in ejus honorem eâdem die missam celebrandi. Seculo decimo, B. Petrus Damianus officium parvum B. Mariæ edidit. Cardinalis Bona, in tractatu de divinâ Psalmodiâ, cap. 12, § 2, contendit in utràque ecclesiâ, Latinâ et Græcâ, trecentis ante B. Petrum annis officium hoc recitari consuevisse.

Statuit Urbanus II in concilio Claromontano, *ut horæ B. Mariæ dicerentur quotidiè*, officiumque diebus sabbati fieret. Micrologus, undecimo seculo, l. de ecclesiast. Observationibus, cap. 60 : « Sabbato (ait) « de sanctâ Mariâ penè usquequàque observatur ; non « tam ex auctoritate, quàm ex devotione. »

Ex iis binæ ecclesiasticorum obligationes erant : Altera quotidiè cum officio divino recitandi officium parvum B. Virginis ; altera in ejus honorem celebrandi sabbatum. S. Pius V, cùm vetus breviarium, quemadmodùm constituerat Tridentina synodus, emendâsset, obligationem sustulit recitandi extra chorum officium parvum B. Mariæ, officiumque componi de *S. Mariâ in Sabbato* et Breviario Romano inseri jussit.

§ 3.—*De præcipuis festis Sanctorum.*

Hâc classe comprehenduntur Angeli Sanctique utriusque Testamenti.

1° *De Angelis.*

Novem sunt Angelorum chori, id est, Angeli, Archangeli, Cherubim, Seraphim, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes et Throni. Concilium Laodicenum in Capitular. Caroli Magni, apud Baluzium, conciliumque Romanum sub Zachariæ pontificatu anno 745 celebratum nulla probant angelorum nomina, præter Michaelem, Gabrielem et Raphaelem. Cætera, nullo excepto, habenda sunt nomina dœmoniorum, non Angelorum.

Hîc notandum : 1° angelos esse incorporeos, licèt corporei pingi possint, quia corpus quoddam induisse sæpè visi sunt cùm mortalibus apparerent. 2° Omnes angelos atque archangelos omnesque beatorum spirituum ordines in Litaniis invocari, dùm in iisdem Michael Gabriel et Raphael, nominatim invocantur. 3° Pariter S. Michaeli, S. Gabrieli, S. Raphaeli nominatim vel generaliter omnibus angelis dedicantur Ecclesiæ. 4° Dedicari etiam possunt Angelis custodibus, vel in memoriam apparitionis aliive cujuslibet facti quo se præsentem prodidit quidam angelus. 5° Cùm Scriptura nos doceat Angelos malos circumdare hominem ut ad malum protrahant, licet unicuique proprium Angelum custodem cultu speciali prosequi ; non verò fas est ecclesias angelo custodi unius hominis dedicare ; quippè quæ homine defuncto, patrocinio carerent. 6° Bened. XIV, l. 4, p. 2, c. 30, n° 10, de canon. Sanct., notat non esse in usu receptum ecclesias devovere Cherubim, Seraphim, cæterisque angelorum ordinibus, peculiari cuique servato nomine. 7° Die 8 maii, Ecclesia celebrat officium in memoriam apparitionis S. Michaelis in monte Gargano Italiæ anno 356, et iterùm die 29 septembris officium spectat ad dedicationem templi in eo monte structi. 8° Officia SS. Gabrielis et Raphaelis recitantur in Hispaniarum ditione et in religionis quibusdam ordinibus, prius octo ante vel post Incarnationem diebus, id est die 18 martii vel 1 aprilis, posterius die 2 maii. 9° Die 2 octobris habetur officium Angelorum Custodum concessum à Paulo V, Ferdinando imperatori, quodque Clemens X, decreto 13 septembris 1670, pro Ecclesiâ universali obligatorium præstitit. 10° Sixtus V die 5 febr. 1590, indulsit ut in omnibus Lusitaniæ provinciis celebraretur officium in honorem Angeli custodis imperii. Unde, cum theologorum frequentiâ colligendum est, imperiis, diœcesibus et civitatibus ipsis Angelum custodem proprium invigilare.

2° *De Sanctis veteris Testamenti.*

Sancti veteris Testamenti ii sunt qui, ex Scripturâ, ante adventum Christi, Deo virtutibus placuerunt. Evidens est tales viros canonizatione non indigere ut sancti habeantur, vel potiùs dicendum canonizationem eorum illucere ex benevolentiâ quâ de ipsis Scriptura loquitur. Veteris Testamenti minimè sunt sancti quidam, etsi ante Christi mortem obierint ; sic Bened. XIV, l. 4, p. 2, c. 29, enumerat ut ad novum Testamentum pertinentes, S. Joannem Baptistam, S. Joseph, Innocentes, Zachariam, Elisabeth, Simeonem senem, Joachim, Annam et Annam prophetissam, quorum sanctitas evangelistarum sermone satis est comprobata.

Cùm cultus religiosus viventibus hominibus decerni non possit, sequi videretur Eliæ et Enoch cultum illicitum esse, cùm neuter, ex Scripturâ, mortuus sit. Verùm Bened. XIV respondet non celebrari festum Eliæ ut beati, sed ut divinitùs rapti, et aliunde dici posse utrumque in gratiâ et perseverantiâ esse confirmatum.

3° *De Sanctis novi Testamenti.*

Inter innumeras quas complectitur hæc classis festivitates, paucas seligemus quæ ad ritus Gallicos potissimùm pertinent.

1° *S. Marcus, die 25 aprilis.* Evangelista, Petri discipulus et episcopus Alexandriæ, crudeli martyrio defunctus anno 68. Reliquiæ illius ab Alexandriâ Venetias circa annum 815 translatæ sunt, unde Venetiarum reipublicæ patronus electus est.

Tempore S. Gregorii Magni festum jejunio obligatorio notabatur ; nunc abstinentia vulgò sola in usu est. Septimo seculo jam 25 aprilis celebrabatur. Synodus Aquisgranensis 836 habita, capitulariaque Caroli Calvi eumdem illi diem affixerunt. In eo fit pro-

cessio cantanturque litaniæ seu supplicationes quas instituit Gregorius Magnus ad impetrandam pestis cessationem.

2° *S. Joannes Baptista*, 25 *junii*. Virtutibus meruit esse præcursor Redemptoris, et, sanctæ audaciæ quâ incestum Herodis fuerat prosecutus martyr, decollatus est. Christus de eo dixit, Matth. 11, 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ.*

Præter Decollationis diem celebratur ejus nativitas, et festum hoc, præcipuum S. Joannis, antiquis simum est. Jam retulimus verba D. Augustini, qui septem de eo sermones composuerat : « Quia, ait S. doctor, serm. 290, 4, in magno sacramento natus est Joannes, ipsius solius justi natalem diem celebrat Ecclesia. Date mihi alium servum, præter Joannem, inter patriarchas, inter prophetas, inter apostolos, cujus natalem diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis plurimis celebramus ; nativitatis diem nemini, nisi Joanni. »

3° *SS. Petrus et Paulus, die* 29 *Junii*. Petrus, apostolorum princeps, primùm Antiochiæ episcopus, dein Romæ pontifex, posteriorem hanc sedem viginti et quinque annos, ut communis est opinio, tenuit. In carcerem sub Nerone detrusus cum Paulo, doctore gentium, octo post mensibus captivitatis, ad crucem damnatus est ut Judæus, et pedibus seorsùm affixis ut petitioni ipsius satisfieret, mortem obiit die 29 Junii. Eâdem die Paulus capitis amputationem, ut civis Romanus, passus est. Corpora piè servantur Romæ, alterum in Vaticanâ S. Petri basilicâ, alterum in basilicâ S. Pauli. Capita figuris argenteis inclusa in basilicâ Lateranensi custodiuntur. Festivitas utriusque apostoli antiquissima est, siquidem S. Augustinus de illâ disertè loquatur. Idem S. doctor plures de Natali Petri et Pauli sermones composuit.

4° *Festum omnium SS., die* 1 *novembris*. Imperator Honorius prohibuerat Christianis eversionem templorum in quibus idola colebantur : « Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari. » Cùm ergo adhuc exstaret celebre Pantheon exstructum à Marco Agrippâ sub imperio Augusti, Bonifacius IV ipsum solemniter dicavit sanctissimæ Virgini et omnibus SS. martyribus ac confessoribus, et illius jussu illùc translatæ fuerunt octo supra viginti conferta plaustra ossium SS. martyrum, quæ jacebant in variis Romæ cœmeteriis.

Hoc fuit exordium solemnitatis omnium Sanctorum, quæ celebratur Romæ die 13 maii, cùm illâ ipsâ die dedicatum fuisset templum Sanctæ Mariæ ad Martyres. Hæc solemnitas Ecclesiæ Romanæ propria fuit ; deinde ad Ecclesiam universam propagata à Gregorio III ; translata verò à die 13 maii ad primam diem novembris à Gregorio IV.

5° *Commemoratio fidelium defunctorum, die* 2 *novembris*. Certum est à traditione apostolicâ derivari consuetudinem orandi pro defunctis ; cujus rei in sacris paginis utriusque Testamenti clarissima habemus documenta. Sed nihil certum habemus quo suadeatur ut determinatâ die fieret omnium fidelium defunctorum commemoratio.

S. Odilo, abbas Cluniacensis, mortuus anno 1048, per omnia monasteria sua constituit generale decretum ut, sicut primo die novembris omnium Sanctorum solemnitas agitur, ita sequenti die omnium in Christo quiescentium memoria celebretur..... Videtur S. Odilonem exemplar accepisse ab Amalario qui ducentos annos ante eum vixerat, generalis hujus commemorationis omnium fidelium defunctorum, eamque præscripsisse omnibus suis monasteriis. Hanc verò ubique observari, ipso suggerente, Joannes papa perenni ritu mandavit.

6° *S. Stephanus, Protomartyr, die* 26 *decembris*. Primos inter septem diaconos annumerandus est. Apostolorum Acta testimonium magnificum de illo perhibent : *Plenus erat gratiâ et fortitudine ; et faciebat prodigia et signa magna in populo* ; c. 6, v. 8. Judæi, cùm non possent *resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur*, eum tanquàm blasphemum extra civitatem lapidaverunt die 26 decembris ejusdem anni quo crucifixus est Christus. D. Augustinus, serm. 314 ad 325, testatur quanto honore jam tum apud fideles haberetur.

7° *Dedicatio Ecclesiarum, Dominicâ post octavam omnium sanctorum*. Mos diù invaluerat ut unaquæque ecclesia variis temporibus anniversarium dedicationis celebraret, cùm Pius VII statuit ut anniversarium dedicationis templorum quæ in Gallicanæ reipublicæ territorio erecta fuerant, in Dominicâ quæ octavam festivitatis omnium Sanctorum proximè sequitur in cunctis Gallicanis ecclesiis celebraretur ; Indult. 9 april. 1802.

Festivitas hæc habetur festum Domini ex decreto S. Rituum Cong. 27 martii 1779 ; itaque aliis ejusdem ordinis anteponenda.

*De ritu festa celebrandi.*

Non est nobis intentio, nec esset hìc locus omnes in officiis recitandis festivitatibusque celebrandis regulas adhibendas minutatim exponendi, tum quia variæ sunt in variis imperiis, imò et diœcesibus, tum quia in *cursu* speciali opportuniùs legentur ; sufficiat hìc pauca generaliter attingere, 1° de festis suppressis, 2° de festis translatis, et 3° de festo patroni et titularis.

*De festis suppressis.*

Incipiente seculo decimo nono, cùm piæ praxes malâ gubernantium voluntate impedirentur, sacra Sedes, tempestatis difficultates attendens, festorum numerum minuit. Die 9 aprilis 1802, cardinalis Caprara, mandante summo Pontifice, indultum supra citatum vulgavit, quo omnia supprimebantur festa præter quatuor, scilicet Domini nostri Jesu Christi Nativitatem, Ascensionem, Assumptionem Beatæ Mariæ et festum omnium sanctorum, et præter dies dominicas Hæc sunt verba indulti : « Ita ut post hæc, in reliquis « festis diebus, omnes ejusdem ( videlicet Galliæ ) « incolæ, non solùm à præcepto audiendi missam va- « candique ab operibus servilibus, sed à jejunii etiam

« obligatione in diebus qui festa hujusmodi præcedunt « prorsùs absoluti censeantur et sint. »

Festa de quibus agitur non tamen eo sensu suppressa intelligantur, ut omninò ex Ecclesiæ praxibus sublata sint. Indulti mentem explicat quod sequitur : « In festis diebus vigiliisque eos præcedentibus, quæ « suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil « de consueto divinorum officiorum sacrarumque cæ- « remoniarum ordine ac ritu innovetur; sed omnia « eâ prorsùs ratione peragantur quâ hactenùs consue- « verunt, exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, « Sacratissimi Corporis Christi, sanctorum Apostolo- « rum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujus- « libet diœcesis et paroeciæ, quæ in dominicâ proximè « occurrente in omnibus ecclesiis celebrabuntur. »

Unde inferendum est reliqua festa quæ non hìc enumerantur, scilicet Circumcisionem Domini nostri Jesu Christi, Purificationem Beatæ Mariæ Virginis, Annuntiationem, feriam secundam et tertiam Paschatis, feriam secundam Pentecostes, Nativitatem S. Joannis Baptistæ, Nativitatem Beatæ Mariæ Virginis, omnium Defunctorum commemorationem, conceptionem Beatæ Mariæ Virginis et festum S. Stephani, suum nihilominùs retinere locum in cæremoniis Ecclesiæ, sicque officium privatim à clero recitandum festivitatemque in ecclesiis publicè celebrandam, quamvis nulli incumbat obligatio missam audiendi et ab operibus servilibus cessandi.

Quantùmlibet sapiens esset summi Pontificis decretum, non modicas ejus executio passa est difficultates. Cùm enim in quibusdam locis fideles, permissione sacræ Sedis utentes, operibus indulgerent servilibus, cùm simul in aliis, usu plerùmque inducti, ab iis abstinerent divinisque adessent officiis, sic inter varias diœceses, paroecias familiasque nocua extitit discordia cui finem imponere operæ pretium erat. Itaque summus Pontifex, gubernii postulationibus obtemperans, per epistolam ejusdem cardinalis Capraræ, die 6 julii 1806 scriptam, omnibus episcopis in memoriam revocavit fideles non ampliùs tenèri in diebus festorum suppressorum missam audire et ab operibus servilibus temperare; idcircò expedire ut nullâ pompâ et nullo notanter campanarum sono festa hujusmodi extra Ecclesiam nuntiarentur. Imò nonnulli episcopi, inter quos Cenomanensis et Andegavensis, ut potestatis secularis lacessionibus vexatoriis se subtraherent, consuluerunt legatum *à latere*, et ex ejus consilio festa de devotione dicta transtulerunt ad dominicam proximè sequentem, exceptâ tamen Circumcisione Domini quæ, cùm esset simul festum civile à Gubernio recognitum, nullum in celebratione impedimentum patiebatur. Hodierno tempore, cæteræ festivitates die quo incidunt ferè ubique habentur, ut ferebat indultum mox allegatum, et dominicâ immediatè præcedente ut festa devotionis annuntiantur.

Suppressiones de quibus modò tractavimus nullam indulgentiarum cuique festo annexarum mutationem traxerunt.

*De festis translatis*

Vidimus, loco ultimè citato indulti 9 aprilis 1802, festa Epiphaniæ Domini, Sacratissimi Corporis Christi, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et paroeciæ, non suppressa, sed in dominicâ proximè occurrente in omnibus ecclesiis esse celebranda. Ea sunt quæ nuncupant vulgò festa translata. Ex hâc translatione, quæ simplex admodùm primo aspectu videtur, multiplex orta est hæsitatio, adeò ut plures episcopi cardinalem legatum *à latere* consulendum censuerint. Quorum omnium quæstionibus varias responsiones comprehendit sequens epistola ad episcopum Camberiensem missa :

« Priusquàm dubiis propositis respondeam, oppor- « tunum duco quasdam explicationes præmittere, quæ « nonnullis jam Galliarum episcopis datæ sunt, ut « quæstionibus fieret satis quæ super intelligentiâ in- « dulti diei 9 aprilis 1802, quoad aliquorum festorum « translationem, fuerant ab illis expositæ.

« 1° Officia Epiphaniæ Domini, Sacratissimi Cor- « poris Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et « sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et paroe- « ciæ, recitanda erunt à clero tam privatim quàm pu- « blicè in ecclesiis, et missa de iisdem dicenda in suo « proprio die.

« 2° in dicto proprio die, fideles neque ad audien- « dam missam, neque ad abstinendum ab operibus « servilibus obligati erunt.

« 3° Sola solemnitas præfatorum festorum differtur « in dominicam sequentem, in quâ officium quidem à « clero, tam publicè quàm privatim, et missa recita- « bitur de dominicâ seu de festo occurrente, juxta « calendarium. Canetur tamen missa solemnis de fe- « stis illis, more votivo, cum unicâ oratione, minimè « omissâ, in cathedralibus aliisve ecclesiis in quibus « officium publicè agatur, et adsit sufficiens numerus « ecclesiasticorum, aliâ missâ conventuali de domi- « nicâ vel festo occurrente.

« Quibus positis, venio ad dubia proposita, quibus « hoc sit responsum :

« 1° Si in unam eamdemque dominicam incidat « solemnitas translata, prout supra n. 3 declaratum « est, tum anniversarii dedicationis, tum patroni, ea « solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de « dedicatione, translato minùs digno, id est, festo « patroni, ad primam dominicam non impeditam, « juxta rubricas, ne scilicet, cùm festum sancti Joan- « nis sit ejusdem ritûs nec transferri possit, duplex « solemnitas primæ classis eâdem die in unâ eccle- « siâ peragatur.

« Novis apud plurimos exortis dubiis, eò quòd juxta « istud responsum, transferri debeant in dominicam « subsequentem festa quæ indultum decrevit cele- « branda *in dominicâ proximè occurrente*, quæ à per- « multis credebatur dominica proximior, opportunum « ductum est denuò consulere apostolicam legationem, « cujus responsum omnem tulit difficultatem et quod « dubium videbatur explanavit, declarando hæc verba

« indulti *in dominicam proximè occurrentem*, intelli-
« genda esse de dominicâ proximè sequente, quo-
« niam dominica quæ occurrit est illa quæ super-
« venit. »

Epocham quâ supra citata epistola scripta est non assignare possumus ; sic refertur in Rituali Bellicensi, tom. 3, p. 172 primæ editionis. Cæterùm legere est alteram ejusdem cardinalis, diei 21 junii 1804, à Romsæo relatam, tom. 5, p. 152, in quâ concordes explicationes dantur.

Ex dictis liquet octavam festi translati non decurrere à die quo publicè celebratur, sed ab ipsomet die quo accidit.

Non ideò tamen in diem proprium festi incidunt indulgentiæ huic annexæ, sed cum ipsâ solemnitate ad diem dominicam quâ celebratur transeunt. Illud saltem sequi videtur ex rescripto ad archiepiscopum Mechliniensem, die 21 junii 1804, ex altero ad episcopum Camberiensem misso, et ex brevi Pii VII ad archiepiscopum Lugdunensem, 13 aug. 1805. Verùmtamen cùm hæc rescripta specialiter spectent ad diœceses Mechliniensem, Camberiensem et Lugdunensem, movetur quæstio an extendi ad alias valeant. Affirmativa interpretatio videtur prævaluisse, et D. Bouvier, episcopus Cenomanensis, in hanc sententiam expressè inclinat. Vide theologiam Cenoman., de præcipuis Ecclesiæ Festis. Idem auctor ad calcem articuli de festis translatis adjicit tres observationes sequentes :

« Notandum 1° festum S. Joannis Baptistæ apud nos esse ritûs solemnis minoris, ac proinde festo patroni et festo Sanctissimi Corporis Christi cedere.

« Notandum 2° quòd si dominica sequens sit aliqua ex majoribus primæ aut secundæ classis in quibus missæ votivæ solemnes non admittuntur, missa solemnis esse debeat de dominicâ privilegiatâ, cum commemoratione festi translati. (Nota ad indultum explicativum cardinalis Capraræ, diei 21 junii 1804, apud Romsée, tom. 5, p. 233 )

« Notandum 3° quòd ex decreto congregationis rituum diei 26 novembr. 1735, officia sanctorum quæ de mense decembr. aliquando supersunt, ad dies anni sequentis non impeditos transferri non debeant ; vel eorum tantùm fit commemoratio, si rubricæ permittant, vel prorsùs omittuntur hoc anno. »

*De festis patroni et titularis.*

1° Patroni voce vulgò intelligitur qui alterius causam suscipit defendendam. Non alium propè in liturgiâ ecclesiasticâ sensum habet quàm in jure propriè dicto, siquidem in illâ partes sint patroni misericordiam judicis invocare et clienti veniam supplicationibus impetrare. Hujusmodi defensio supponit inferiorem ex unâ parte et superiorem ex alterâ. Inde concludendum est personas divinas, mysteria Dei aut Salvatoris, vel Beatæ Mariæ, v. g., Conceptionem, Incarnationem, Assumptionem, non esse patronos in stricto sensu vocabuli, quia non patiuntur superiorem ad quem preces defensorias deferant. Non item est de B. Mariâ, si modò ut persona habeatur, nec de angelis et sanctis omnibus quotcumque Martyrologium Romanum complectatur. Nam inferiores Deo sunt et ideò possunt esse patroni qui pro nobis apud eum intercedant.

Ubique et semper mos fuit ut quælibet ecclesia nascendo sub protectione alicujus sancti vel sanctæ constitueretur aut erigeretur in honorem cujusdam mysterii. In posteriori casu, mysterium aut persona divina vocatus titulus seu titularis ecclesiæ. In priori, sanctus vel sancta rectè nominatur patronus vel patrona ecclesiæ locique ab eâ pendentis. Quod si nullus sit locus ab ecclesiâ pendens, aut si alius existat loci patronus, sanctus vel sancta cui devota ecclesia, non jam patronus vel patrona dici propriè debet, sed titularis.

2° Hic duo sunt potissimùm notanda de differentiis quæ titularem inter et patronum existunt. Titularis non necessariò trahit festum à populo celebrandum, aliter est de patrono loci, juxta regulas ususque ecclesiasticos. Quapropter in locis qui plures habent ecclesias et communem tamen patronum, unaquæque ecclesia non patrono fruitur nisi titulari, et olim festum patroni loci solum trahebat obligationem missam audiendi et ab operibus servilibus vacandi. Hodiè verò festum patroni ad dominicam proximè sequentem vulgò transfertur, sicque omnis tollitur difficultas. Loco enim non semper nomen idem est quod nomen patroni, ecclesia verò titularis nomen præferre solet.

3° Decreto sacræ Rituum Congregationis, die 13 septembris 1642 lato, sancitum erat festivitatem principalis patroni cujuscumque imperii, provinciæ, civitatis, oppidi vel vici esse de præcepto, et in illâ missam esse audiendam atque ab operibus servilibus abstinendum. Die 21 junii 1710, statuit in ecclesiis non modò consecratis, sed etiam in benedictis celebrandum esse ritu duplici primæ classis.

4° Episcopi provinciæ Turonensis, mandato diei 8 maii 1780, tres potissimùm regulas edixerunt de modo habendi festa patroni et titularis, 1° festum patroni præcipui diœcesis ipso quo occurrebat die celebrandum erat ; 2° festum patroni secundarii, quandò foret, ad dominicam proximè sequentem remittendum ; 3° festum præcipui patroni cujuscumque parœciæ dominicâ præcedente anticipandum, si feriâ secundâ vel tertiâ, vel quartâ occurreret ; si feriâ quintâ, vel sextâ, vel sabbato, ad dominicam proximiorem transferendum. Cùm autem festum patroni parœciæ ut diximus anticipatum cum aliquâ festivitate solemni totius diœcesis concurreret, ad dominicam proximiorem remittendum, et si dominica proximior solemniori quodam festo impediretur, dominicâ alterâ anticipandum.

Vidimus superiùs, articulo de festis translatis, quid indulto 9 aprilis 1802 decretum sit. Festa patroni propriè dicti et titularis eodem modo, id est, ritu primæ classis et apud nos ritu annuali cum octavâ, celebrantur.

5° Patroni haud habetur officium primâ Adventûs dominicâ, nec dominicis Passionis, Paschatis, Pente-

costes et Trinitatis, nec dominicis quibus celebranda sunt festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, Assumptionis et Omnium Sanctorum.

6° Non dantur octavæ à die 17 decembris usque ad Epiphaniam inclusivè, in ritu Romano, exceptis iis quæ habentur cum Nativitate Domini, scilicet octavis S. Stephani, S. Joannis et SS. Innocentium : à die 15 decembris usque ad Natale Domini apud nos, et à feriâ quartâ Cinerum usque ad Pascha. Octavæ jam inchoatæ interrumpuntur, nec tamen anticipantur dies octavæ.

7° Accidit interdùm ut festum patroni parochiæ, vel titularis cujusdam ecclesiæ die prohibito quotannis occurrat. Tunc consulendus est episcopus, qui diem celebrationis commutabit, ita ut officium ejus cum octavâ integrâ facilè celebretur.

8° Officium patroni imperii, provinciæ, diœcesis, vel parochiæ alicujus obligatorium est omnibus clericis qui sunt sacris ascripti ordinibus ac ejus territorium incolunt. Titularis verò officium clericis ecclesiæ duntaxat obligatorium est.

9° Decretum sacræ Rituum Congregationis statuit, die 20 martii 1683, regulares teneri ad officium regni, provinciæ, diœcesis, civitatis vel oppidi in quo morantur, sed sine octavâ; et, die 5 julii 1698, eosdem non teneri ad officium parœciæ in quâ demorantur.

10° Cùm sub pastoris ejusdem jurisdictione plures sunt ecclesiæ, et in illis residet æqualiter, celebrare debet uniuscujusque patroni festa cum octavis de ritu primæ classis, ex declaratione sacræ Rituum Congregationis, diei 5 julii 1698. Cùm verò residet in ecclesiâ parochiali de quâ plures dependeant ecclesiæ vel capellæ, solum patroni ecclesiæ parochialis officium cum octavâ tenetur celebrare; eo modo tamen ut, si in capellis diem patroni celebret, faciat solemnitatem patroni, officiumque ejus ritu primæ classis sine octavâ possit recitare. Quod si hisce capellis sacerdotes sint præpositi, officium patroni non possunt nisi juxta ritum in calendario suo expositum celebrare.

11° Sacerdos capellæ rurali deserviens et in ejus territorio residens, non modò tenetur ad officium cum octavâ patroni sed etiam, ut communis est opinio, ad officium octavamque matricis ecclesiæ. Quidam tamen volunt ultimam hanc ipsi obligationem non incumbere, nisi matrix ecclesia sit cathedralis. Si autem sacerdos de quo agitur non resideat in territorio capellæ cui deservit, et habeat contra ecclesiam parochialem ministerio principali fruentem et in cujus territorio residet, obligatur ad officia cum octavis cujusque patroni. Non enim unius est ecclesiæ pastor, sed utriusque; æqualiter igitur patronum utriusque colere tenetur.



# JURIS NATURÆ ET GENTIUM
# PRINCIPIA ET OFFICIA,

Ad christianæ doctrinæ regulam exacta et explicata.

AUCTORE SUAREZ (1), CUM NOTIS GUARINI PANORMITANI.

## Dissertatio præliminaris.

1. Quæ morum doctrinam spectat, præclarissima est philosophiæ pars, et ad cognitionem animi pulcherrima, et ad instituendos mores perutilis; quæ verò jus Naturæ et gentium attentè scrutatur, ea philosophiæ totius moralis basis est ac fundamentum.

(1) Vide Franc. Suarez vitam, vol. 12 Cursûs Theologiæ, col. 91-92.

Nemo sanè vel mediocriter eruditus ignorat quanti semper hanc morum philosophiam fecerint cujuscumque ætatis sapientes viri, quorum longum esset vel nomina recensere; nonnullos tamen juvat commemorare.

§ I. *De philosophis Græcis.*

Ut Ægyptios, Chaldæos et Persas præteream, quorum ethicen Gundlingius persecutus est in Hist. Phil. mor. c. 1, Pythagoræ philosophiam omnem ad virtutis studium fuisse comparatam (erat enim illi finis ὁμοίωσις τοῦ Θεοῦ), neminem latet. Eminere deinde inter Græcos visi sunt complures; et ipsi quidem ob philosophiæ moralis excellentiam. Sic illorum septem, quos sapientes vocabant, effata nonnisi mores respiciunt. Socratem, *virum*, Ciceronis lib. 1 de Orat. judicio, *omnium sapientissimum et sanctissimum*, ad mores hominum formandos vitamque ritè instituendam, philosophiæ studium omne transtulisse accepimus. Ejus doctrina morum vel hominem solùm spectandum docet, vel ut est paterfamiliâs, vel ut civitatis est membrum. Ad primum spectat *ethice* ejus; ad hominem, quâ pater est familiæ, *œconomice* ejus pertinet; hominem in societate versantem *politice* ejus respicit. Ejus dogmata habes apud Stanleium in Hist. Phil. tom. 1, p. 3, c. 15.

De Platone quid dicam? Etsi placitis suis moralem philosophiam corrupisse ab aliquibus censeatur (ἄτοπα enim de animi substantiâ docuit); nihilominùs solidas adeò de virtutibus præsertim, ac de summo bono protulit sententias; ut ex ethnicorum numero, qui propiùs ad christianæ moralis doctrinæ præcepta accederet, fuerit nemo. Aristotelis ethnicorum ad Nichomachum libri decem, Magnorum Moralium libri duo, et Moralium ad Eudemum libri septem, totam exhibent philosophi hujus morum philosophiam. De viri hujus ethice idem dici potest, ac de ejus fortunâ penès homines ejusdem ætatis diversos. Apud aliquos enim summum humanæ sapientiæ fastigium attigisse creditus est; aliis vicissim ejus philosophia nugacissima visa est, litibusque serendis unicè accommodata. Buddeus Isag. hist. Theol. lib. 1, c. 4, § 31, in eâ est opinione: cùm Plato ad internam animi purgationem respiceret, Aristotelem contra vitæ tantùm civilis sibi habendam rationem putâsse, eoque philosophiam suam moralem comparatam esse voluisse. Atque hanc, subdit, fuisse eorum opinionem, qui accuratiùs mentem Aristotelis introspexerunt, civilem potiùs quàm moralem philosophiam tradidisse, hoc est, viri politici, et ad honores magnasque dignitates adspirantis. Verùm Buddeo subscribere non placet; ex Aristotelis ipsius libris melior videtur Stanleii sententia Hist. Phil. tom. 2, c. 7, ubi ait: *Ethicæ addidit Aristoteles: felicitatem nec in bonis exterioribus constare, sicut Polyenus ait, nec in animo solùm, sicut Plato dicebat; sed habere quidem formam in animâ, coinquinari autem et constrictari solùm ipsam ab exterioribus non benè se habentibus.* Peculiaria moralium præcepta ex Aristotele Stobæus congessit. Videatur apud Stanleium loc. cit. ratio totius ethices Aristotelis, ut inde manifestum fiat quàm vana sint ac falsa quæ jactat Buddeus, ubi supra, scilicet: *Ejusmodi virtutes civiles cùm in quemlibet hominem, quantumvis solis naturæ viribus instructum cadant, ratio intelligitur cur ethica ista Aristotelica cum dogmatibus Pelagianorum egregiè consentiat, utpote qui itidem non alias virtutes quàm ad quas naturæ vires sufficerent, admittebant.* Siquidem vanum est velle, ab ethnico virtutes admitti, quas solis naturæ viribus non consequi se posse, affirmet. Deinde falsum est ut Stanleius ostendit non alias ab Aristotele in totâ ethicâ nisi civiles agnosci virtutes. Quare Buddeus suo Martino Luthero hæc scribens blandiri voluit, cujus apud ipsum nota erat vox: *Tota ferè Aristotelis ethica pessima est, gratiæ inimica. Error est Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinæ catholicæ*, etc.

Qui deinde consecuti sunt è Græcis morum philosophiam non omiserunt: ipsi etiam Cyrenaici atque Epicuri sectatores, corporis voluptatibus omnia tribuentes, magis videri quàm esse morales philosophi cupiebant. De Cynicis verò ac Pyrrhonicis rerum omnium ἀδιαφορίαν propugnantibus, illud constat, moralitatis modos admisisse, eos tamen quos civiles leges tantùm statuerent. Pestifera sanè dogmata, quæ tamen Hobbesius, Spinosa, Tolandus, Jerieus, aliique ex Hollandiâ Angliâque scriptores renovârunt. Honestatis principia et Religionis fundamenta ad statum merè civilem referentes; unde *prudentiam* seu citius *simulationem* exigunt, sese ad cultum civilis societatis accommodandi. Id patet in libro: *L'esprit des Lois.*

§ II. *De Romanis.*

2. Romani verò in morum doctrinâ, et J. N. præstantiores, quàm in reliquâ philosophiâ fuêre. Unum aut alterum proferre sufficiat. Marci Tullii libros hâc super re quis sine laude commemoret? *De finibus bonorum et malorum* expendit Epicuri, Stoicorum ac Peripateticorum de summo bono summoque malo sententias. *Tusculanarum Quæstionum* liber primus *de contemnendâ morte*, secundus *de tolerando dolore*, tertius *de ægritudine leniendâ*, quartus *de reliquis animi perturbationibus*, et quintus *quòd virtus ad beatè vivendum seipsa sit contenta*, agit. *De Legibus* libri tres ad civilem prudentiam referri possunt; *de officiis* libri tres, *ad jurisprudentiam naturalem.* Quot pulcherrima ad omne honestatis genus continent *Cato major* seu *de Senectute*, *Lælius* seu *de Amicitiâ*, *et Stoicorum Paradoxa?* Illum omisimus, cujus titulus *Hortensius*, sive *de Philosophis;* cui Augustinus fatebatur debere se prima melioris mentis semina. Plutarchus inter Romanos philosophos, etsi græcè scripserit, accensetur; cujus ethicen referunt *Vitæ*, *parallelæ et moralia.*

Quæ de morali philosophiâ in universum spectata retulimus, de *jurisprudentiâ naturali* dicta potissimùm intelligimus. Etsi enim, ut Joan. Fr. Buddeus loco citato, c. 4, advertit, juris naturalis principia per rectæ rationis usum facilè innotescant, imò juxta Apostoli phrasim omnium cordibus inscripta sint, adhuc plures exstiterunt ex illis ipsis quos supra commemo-

ravimus, qui juris naturalis præcepta et sedulò excogitârunt et optimè tradiderunt. Commune apud hos scriptores juris naturæ vocabulum *officiorum* titulo περὶ καθηκόντων exprimebatur. At verò τοῦ καθήκοντος nomen aliquando apud ipsos solas actiones honestas, aliquando etiam decoras, imò etiam utiles, ac nostræ conservationi inservientes indicabat. Hoc verò ex singulorum peculiari systemate est dignoscendum, ut certum ferri possit judicium. Sic apud Theodorum, illud ἆθεον non aliud *officii* nomen exprimit, quam corporis voluptatem. Idem apud Pyrrhonios, seu scepticos, nihil discriminis interni inter honestum, et turpe agnoscentes; idem fermè obtinebat apud quosdam academicos. Epicurei verò officia, utpote remoto Numine, non nisi utilitate metiebantur. Contra verò reliqui, cùm gravissima incommoda reputarent, quæ ex prædictorum sententiis traherentur, in eam ingressi sunt opinionem, dari quædam per se turpia aut honesta citra omnem ad quamcumque legem respectum. Hoc autem ab eo differt quàm maximè, dari scilicet per se jus aliquod naturæ, si vel maximè ponatur, *non esse Deum;* et catholici primùm illud asserentes, quemadmodùm et Grotius asseruit, non affirmant tamen hoc, quemadmodùm nec Grotius affirmavit: in quo cum Puffendorfio et Barbeyracio fallitur etiam Joan. Fr. Buddeus. Atque hæc quidem de ethnicorum in morali philosophiâ studio ac labore.

### § III. *De christianis et sanctis Patribus.*

3. Quod christianorum respicit tempus, sive Ecclesiæ Patres spectes, sive scholasticos, defæcatiorem invenies moralis scientiæ doctrinam.

Accedente siquidem ad lumen naturale rationis, peccati originalis tenebris nimiùm quantùm obscuratum, superno fidei lumine, factum est ut è veterum ethnicorum documentis plurima dignoscerentur absona, et cum hominis fine non convenientia: plurima item ad hominis felicitatem consequendam necessaria. Rursùs, explicatis per firmiorem revelationis sermonem hominum officiis, moralis illa nuda ac naturalis philosophia non in pristino stetit necessitatis utilitatisque gradu. Quare et primorum Ecclesiæ seculorum Patres, ubi de moribus, eorumque honestate sermonem instituebant, plura è philosophiæ moralis hauriebant fontibus; et scholastici etiam de naturali lege, atque honestatis principiis disserentes complura è divinæ revelationis dogmatibus exceperunt. Quo quidem fiebat, ut Christianorum flagitia, propositis vel ex ethicæ argumentis acerbiùs exagitarentur: et veterum philosophorum errores circa morum principia ad trutinam divinæ vocis revocati certius detegerentur.

Audire liceat Suarezium lib. 1 de Leg., c. 3: *Est advertendum philosophos non agnovisse supernaturalem hominum finem, sed solùm de hujus vitæ aliquali felicitate, vel potiùs convenienti statu ad illam in pace et justitiâ transigendam tractâsse, et in ordine ad hunc finem de legibus considerâsse, et ita naturalem legem solùm ab humanâ, quam nos civilem appellare possumus, distinxisse. At verò cùm fides doceat homines ad finem supernaturalem vitæ futuræ per convenientia media in hâc vitâ exsequendâ ordinari, rectè sacra theologia infert longè aliter esse necessariam hanc legem naturalem.* Quare alteram ab alterâ prudentissimè non sejunxerunt.

### § IV. *De acatholicis eorumque in catholicos scriptores calumniis.*

4. Hanc verò sapientissimam juris naturalis investigandi rationem modis omnibus coarguere conati sunt acatholici. Hinc horrenda sunt, quæ vomunt contra scholasticos scriptores, non aliâ sanè de causâ, nisi quia juri naturali luculentiùs explicando nonnulla è sacris litteris mutuârunt.

Joan. Fr. Buddeus Isag. Hist. Theol. lib. 1, c. 4, § 32, ait: *Scholastici doctores itidem lumen rationis, et omninò philosophiam Aristotelicam cum lumine revelationis conjunxerunt, turpiter ita cuncta inter se miscentes, et variis erroribus jurisprudentiam divinam contaminârunt.* Quasi verò citra lumen revelationis possent ex solo rationis lumine certa omnia derivari. Similia habet Puffendorfius in Præf. Oper. de J. N. et G. Et in Specim. Controv. c. 1, § 2: *Illi doctores,* ait, *qui in episcopi romani verba jurârunt, queis omnia ad potentiam et quæstum sacerdotum vertere labor est* (quanto livore scatent dicta hæc Puffendorfii!) *legi naturali et universæ de moribus doctrinæ magnam caliginem offudêre.* Unde verò tanta caligo? Nonnisi quia legis naturalis principia ad solidissima sacrarum litterarum lumina revocant. Et idcircò catholicos scriptores versari *in regno tenebrarum* affirmat frequenter Puffendorfius capite 2 Specim. Controv. § 5; quot injuriis cumulat scholasticos primæ notæ scriptores sanctum Thomam, Suarezium, Vasquium, Valentiam, Conimbricenses? eorumque doctrinam appellat *frivolæ subtilitatis speculationibus adornatam, scientiæ prorsùs inanem, astutissimo consilio nutritam, ad otiosa ingenia vanis disputationibus distinenda,* etc.

5. Nec dissimilia sunt quæ cæteri fermè J. N. scriptores heterodoxi de catholicis auctoribus impudentissimè scribunt, ut sine stomacho legi non possint. Audiatur christianus Thomasius Hist. J. N. c. 4, § 17: *In his omnibus commentariis tam super Sententias Lombardi, quàm super Summam Thomæ frustra quæres doctrinas utiles, et à sanâ ratione profectas, sed omnia repleta sunt auctoritatibus, subtilitatibus, inanitatibus.* Et c. 5, § 9: *Itaque initio seculi XVIII, doctrina de virtutibus et de vitiis, sive de differentiâ justi et injusti, boni et mali, de jure naturæ, etc. tam apud pontificios quàm apud evangelicos, miserrimo et penè incurabili morbo laborabat.* (Proh fatum verè lacrymabile!) *Scholastici pontificii in libris qui titulis de justitiâ et jure, vel finibus insigniebantur, talia dogmata insinuabant animis discentium, quæ solùm inserviebant incremento papatûs et clericatûs* (evolvit unquàm hos libros Thomasius?), *et supprimebant auctoritatem principum et ordinum politicorum et laicorum. Præterea diversissimas res inter se miscebant, jura naturæ, gentium, Mosaica, Judaica, Græca, Romana, imperialia, pontificia, colli-*

*gendo videlicet ex istis quidquid inde peti poterat ad scopum modò memoratum.* At qui publicè circumferuntur catholicorum sub his titulis libri, quàm enormiter mentiatur Thomasius, demonstrant. Joan. Fr. Buddeus, Hist. J. N., § 12, de nostrorum scriptorum et quidem in J. N. libris sic habet *subtili et spinoso dicendi genere, quæ fortè propria illorum hominum laus est. Sine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo, aut lubrico fundamento, quæ docent, superstruunt. Divina humanaque jura miscent. Rationum momenta aut planè non, aut jejuna quandoque et ridicula afferunt.* Quàm perfrictæ frontis homo sit, oportet, Buddeus, qui in auctoribus nostris spinosum dicendi genus criminatur, cùm Puffendorfius, Cumberlandus, Grotius, aliique J. N. egregii scriptores, ipsorum heterodoxorum judicio, vix queant intelligi? Testis sit, Schwartzius cujus verba ipse refert Puffendorfius, Erid. Scand. § 14, art. 9: *Si quis penitiùs inspexerit Puffendorfii opus, non diffitebitur Puffendorfium non modò entia moralia, verùm etiam totum fermè primum librum tam obscurè tractare, ut ipse vix intelligat.* Testis sit Gundlingius in disc. præl. cujus hæc verba : *Si Grotium et Puffendorfium aspicimus, ii jam civilis, jam naturæ jus, jam gentium proponunt* (et hic est ille Puffendorfius, cujus clarissimum ac distinctissimum ingenium confusa scribendi ratio nostrorum auctorum nimis vexabat). *Proinde mihi Puffendorfii pertæsum est, quotics ipsum explicavi. Perturbat enim homines, et meipsum initio perturbavit.* De Cumberlando non suadent passim ejus fautores, in Gallicâ traductione Barbeyracii legendum ejus librum, quàm in nativo Latini sermonis genere? Adeò malè mentem suam explicat, quin et Barbeyracius identidem cogitur, Latinum auctoris vocabulum apponere, veritus ne non illius sententiam tenuerit.

§ V. *De acatholicorum in sanctos Patres conviciis.*

6. Verùm et ferenda esset eorum audacia, modò in scriptores tantùm scholasticos mendacia conflaverint. Sed omnem vincit patientiam, quæ passim contra sanctos Patres indigna vomunt convicia. Unum aut alterum commemorabo; quid enim insanientem turbam in scenam inducam? Primum sibi locum vindicat Joannes Barbeyracius, cujus in sanctos Patres animi furor in Præfat. ad versionem Gallicam Operum Puffendorfii à § 9 impudentissimè erupit. Neque enim unum aut alterum carpit, sed à primis Ecclesiæ seculis ad scholasticorum tempora plerosque sanctos Patres saltem auctoritate præcipuos notat, et quasi J. N. ignaros pariter irridet. Athenagoram sæc. II carpit; Clementem etiam Alexandrinum eodem seculo exeunte, quem idcircò reprehendendum putat, quòd *regulas vitæ nimis severas rigidasque, et ab hodiernâ vitæ consuetudine alienas præscribit.* In Tertulliani libris etiam ante lapsum scriptis quærit, quòd accuset, illum videlicet nimis rigidè censuisse : *qui improborum facinora promovent, aut qui quâcumque ratione ad malum concurrunt, peccare.* Ubi putat auctoritate Dupinii non esse principium hoc extendendum adeò, ut vult Tertullianus; at in utrinsque hujus Patris censurâ Barbeyracius ipse reprehenditur à Joan. Fr. Buddeo, Isag. Theol. lib. post. c. 4, § 4. Plura, ait Barbeyracius, se desiderare in Cypriano, præeunte Joan. Clerico, præsertim modum in laudandâ continentiâ, evehendo martyrio, commendandis eleemosynis, et quod nimis auctoritatem episcoporum extulerit; in quâ quidem accusatione socium habet Joan. Fr. Buddeum loc. cit. Lactantio tribuit Barbeyracius sententiam, *hominem probum nec militare debere, nec commerciorum causâ peregrinas petere oras:* cùm reverà Lactantii lib. 5 de Just. c. 18, verba hæc sint: *Cur enim* (homo verè justus) *naviget, aut quid petat ex alienâ terrâ, cui sufficit sua?* quibus verbis indicat non dari justo necessitatem ea faciendi, non verò vetitum esse justo ea facere. At Barbeyracius ingenio suo carpendi SS. PP. libenter indulget, quod quidem ipsi Buddeo non probatur. Quemadmodùm sibi displicere ostendit Buddeus loc. cit., quæ contra Athanasium et Cyrillum Hierosolymitanum pronuntiat Barbeyracius. Basilii causam contra ipsum Barbeyracium tuetur ipse Buddeus, rectamque habet Ceillerii defensionem. Quid in Gregorio Nazianzeno arguit Barbeyracius? Illud nimirùm, quod in suo erga hæreticos zelo modum, justosque limites excesserit. Sed hìc suam causam agebat Barbeyracius, ideòque modum ac limites justos tolerantiæ hæreticorum ignorabat. Quid verò in Joanne Chrysostomo? Illud idem quod Petrus Bælius 5 Abimelech et Sara, homo quidem non tam facetus quàm ad scribendum procax risui exponit; quàm indoctè autem atque adeò iniquè ostendit Ceillier in suâ Apolog. c. 12. In Ambrosio displicent laudes cælibatûs ac virginitatis; hoc etiam displicet in Hieronymo: Et quidem, ut ait, ex jure naturali Augustini sententias confert, malè etiam explicat, ut occasionem improbandi habeat, præsertim ubi de Abrahami et Saræ consensu respectu Agar agit, Aug. lib. 16 de Civ. c. 25. At Augustinus non ea docet, quæ objicit Barbeyracius, ut probat Ceillerius loc. cit. c. 14. Sed hìc omnium Patrum à Barbeyracio iniquè congestos in doctrinâ morum errores recensere longum esset ac tædio plenum; refellere verò calumnias et mendacia propè superfluum, cùm id præstiterit Remigius Ceillier Apolog. de la Morale des Pères, etc., an. 1718. Interim tamen ipse sibi plaudit Barbeyracius, aitque § 10 sperare se seculum tandem venturum fore in quo Patres et eorum studiosi admiratores immodicam, quâ fruuntur, existimationem sint amissuri. Et § 11 gaudio exultans subdit : *Legislatores Lutherum et Calvinum non modò religionem, sed moralis doctrinæ, J. N. scientiam redintegrâsse.* At quantâ opus est cæcitate (quanquàm non, quo par erat, usus sum verbo); quantâ opus est insaniâ, audaciâ, temeritate, ut quis sibi persuadeat, aliisque velit imponere Christum, de Ecclesiâ suâ adeò sollicitum, non sanctorum Patrum (quorum mores incorrupti intemeratique fuêre) voce et libris, sed Luthero et Calvino, hominibus quidem omni vitiorum genere inquinatis præeuntibus, voluisse nova inauditaque præcepta ac leges promulgare? Sed neque in omnibus Calvinus idem aliique Lu-

theri asseclæ Barbeyracio arridentⁱ; dolet enim eos crudele dogma de hæreticorum pœnis defendisse, atque *tolerantismum* in religionis negotio oppugnâsse.

7. Christianus Thomasius in Hist. J. N. c. 3, contra Ecclesiæ Patres invehitur, aitque post Christi ascensionem et Apostolorum mortem extinctam Christianam Ecclesiam jacuisse usque ad Lutherum. § 4 subdit: *Multi protestantium theologorum, inprimis verò E. Lutherus noster, et alii de hoc abusu interpretationis, ab Ecclesiæ Patrum commisso conquesti sunt et adhuc conqueruntur.* § 22 laudat Barbeyracium, qui *clarissimè monstravit quòd Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Cyprianus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Leo, Gregorius Magnus* (en quot sanctos Patres impudentissimus homo contemnit!) *non solùm in doctrinâ morali parùm, aut nihil sciverint, sed et in explicatione Scripturæ sacræ, aut aliâ occasione ita ferente, varia noxia et erronea, ac non solùm luci Evangelii, sed et juri naturi adversantia dogmata in animis auditorum suorum disseminaverint.* His similia habet Heinnecius in Elem. hist. Phil. c. 4, à § 99 ad 102, ubi plures catholicos doctores, ait, *non modò fastu scholastico, et malè sanâ curiositate, sed et absonâ dicendi docendique ratione cordatioribus hodiè risum excitare meritò. Hinc cognomina ridicula, dùm Halesius Magister* irrefragabilis, *Ritchardus de mediâ villâ* auctoratus, *Scotus* subtilis, *Bonaventura* seraphicus, *Thomas aquinas* Cherubicus, *alii aliter vocati.* Vid. Tribbech. de Doctr. schol. c. 6, p. 152, *et tamen* (en ut eumdem despicientiæ locum diutiùs urget) *hi doctores* angelici, cherubici, seraphici *non modò universam philosophiam ac theologiam* (atqui hìc non agitur de historiâ theologicâ, sed philosophicâ: quid tum? Contemnendi sunt catholici scriptores; nunquàm ergo non est locus) *erroribus quamplurimis coinquinârunt; verùm etiam in philosophiam moralem invexêre sacerrima ista principia* (quænam illa? Lutherine, an Melanctonis, an Calvini, jura omnia divina et humana susdeque vertentium)? *Probabilismi, methodi dirigendi intentionem, reservationis mentalis, peccati philosophici* (sunt enim verò hæc omnia uno fasce colligenda? Triticum et zizania?) *quibus Jesuitæ etiamnùm mirificè delectantur* (scilicet quo auctore hæc de Jesuitis asserit Heinnecius? Subdit statim): *Conferri hic oportet Lud. Montaltii Epistolas ad quemdam ex provinciâ* (conferri autem oporteret cum responsionibus Gabrielis Danielis ad prædictas litteras, contra Antonium Arnaldum, aliosque Jansenianæ sectæ assertores). *Et quamvis Lutherus* (en excuculatum uxoratumque animorum moderatorem)! *ut illis scholasticorum sordibus Ecclesia purgaretur, nihil fecerit reliqui, tantùm tamen abest*, etc. Quanti facienda sit scholastica theologia non ab uno damnato capite nimirùm Luthero, qui etiam scriptores istos inter σκύβαλα ut asserit Puffendorfius in Specim. Controv. c. 2, § 6, numerabat; sed ab electissimo tot doctissimorum virorum Tridentino concilio, cui divinum pastorem præfuisse certò novimus, reputare debemus.

§ VI. *De recto juris naturæ usu.*

8. Hæc itaque cùm apertè satis noverimus, ne à recto dignoscendi juris naturalis tramite deflectamus, omne studium est collocandum. Clament idcircò acatholici, vociferentur, atque in nos cujuscumque generis convicia jactent ac maledicta; malumus cum Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, item Thomâ, Bonaventurâ, et si fas est etiam dicere, Suarezio inter indoctos accenseri, quam cum Puffendorfio, Thomasio, Barbeyracio, Heineccio inter summos homines adnumerari? Quinam verò sit rectus juris naturalis addiscendi modus? quinam optimæ hujus moralis scientiæ usus? Modum hunc rectum, rectum etiam usum, quo dissertatio tota collimat, explicabo sine morâ; utrumque postquàm explicavero, operis totius ideam et rationem nemo non probabit. Erit autem rectus juris naturalis usus, si recti definientur lumini naturali, seu rectæ rationi limites: rectus erit addiscendæ hujus facultatis modus, si probati consulentur auctores.

9. Profectò primum quod respicit: Inficiari debet nemo, duplex in præsenti humanæ naturæ statu dari lumen, quo homines moraliter agant, et appositè ad suam ipsorum felicitatem agant; naturale alterum, alterum verò supernaturale; illud *ratio naturalis*, hoc *revelatio* audit; illud naturæ debitum, hoc verò nullatenùs debitum, sed merè gratuitum. Rursùs nemo, nisi planè desipiat, in controversiam vocabit, lumen rationis minùs esse lumen, ac illud revelationis, et consequenter illud esse huic subjiciendum. Habemus hoc ex Paulo 2 Cor. 10. Nec ipsi sanioris judicii acatholici negant: Joan. Fr. Buddeus, Isa. Theol. 1 prior. c. 4, § 31, sic habet: *In ethicæ, seu doctrinæ moralis philosophicæ utilitate, et necessitate ritè æstimandâ, ita incedendum, ne quidquam dignitati ac præstantiæ ejus detrahamus, nec tamen rationis viribus apud eos qui Christianorum nomine veniunt, in vitæ directione plus quàm decet, tribuamus. Minus enim lumen præferre majori fidei, stolidum foret.* Ratio autem est, tum quia revelationis lumen immediatè à Deo procedens infallibiliter rei veritatem atque honestatem ostendit, tum quia objecta etiam repræsentat, quæ lumini naturali impervia sunt et longè superiora. Hoc utique verùm ethnicis Philosophis obscurum fuit, ac fidei divinæ unicè debemus. Præclarè Suarezius rem hanc explicavit lib. de Leg., c. 3: « Circa legem « naturalem docet theologia hominem secundùm duplicem naturam, et duplex rationis lumen considerari posse. Primò, secundùm puram naturam, seu « substantiam animæ rationalis, et consequenter secundùm rationis lumen illi connaturale; secundò, « juxta naturam gratiæ desuper homini infusæ, et secundùm divinum ac supernaturale lumen fidei, per « quod pro statu viæ regitur et gubernatur. Et juxta « hæc duo principia distingui duplicem legem naturalem; aliam, simpliciter naturalem respectu hominis; aliam, quæ licet supernaturalis sit respectu « hominis (quia totus ordo gratiæ illi supernaturalis « est) nihilominùs naturalis dici potest respectu gratiæ, quia etiam gratia habet suam propriam essen-

« tiam et naturam, cui connaturale est lumen infusum, « cui etiam connaturale est non solùm dirigere homines ad rectam et honestam ac debitam operationem « supernaturalem, sed etiam depellere tenebras, et errores circa ipsammet legem purè naturalem, et sub « altiori ratione præcipere ipsiusmet legis naturalis « observationem. »

10. Atque hìc est advertendum lumen revelationis esse absolutè necessarium quoad ea officia quæ respiciunt objecta, non nisi per lumen fidei cognita; quæ quidem officia hominem obligant ad æternam sibi comparandam felicitatem; atque hoc ne heterodoxi quidem diffitentur. Idcircò lumen fidei appellari posse *connaturale genere humano*, docet Suarezius loc. cit., eo modo quo naturale dicitur, quòd cum naturâ concreatum est, semperque in eâ perseveravit. « Quia « lex gratiæ semper in humano genere fuit, et unquàm in hominibus universis, seu in totâ Ecclesiâ « lumen fidei defuit, neque homines caruerunt unquàm « lege divinâ supernaturali, sine quâ non potuissent « in supernaturalem beatitudinem tendere. Unde « quando distingui solent status hominum per leges, « scilicet in statum legis naturalis, scriptæ vel gratiæ, « in primo statu per legem naturalem intelligenda « est tam lex solius naturæ, quàm lex connaturalis « gratiæ, seu lex fidei. Non potuit enim mundus unquàm carere omninò hâc lege secundùm ordinariam « providentiam, cùm factores legis semper potuerint « cum divino auxilio justificari, ut sumitur ex Paulo « ad Rom. c. 2 et 3. Atque ita etiam patet, quæ « fuerit necessitas et utilitas legis naturalis in hoc « posteriori sensu declaratæ; nimirùm, quia gratia et « fides semper fuit necessaria, et hæc lex est illi « connaturalis. Item, ut haberet homo legem, per « cujus observantiam posset consequi remissionem « peccatorum, ac vitam æternam cum divino auxilio. » Illud verò obscurius est, esse etiam necessarium lumen fidei ad aliqua legis officia naturalis quidem propria et rectam rationem in se, et reverà non excedentia, minùs tamen cognita ex originariæ culpæ tenebris, quibus et rerum veritas et objectorum honestas, non eo, quo fuerant primùm collocata, bono mentis lumine permanserunt. Atque hoc in causâ fuit, cur ethnici philosophi de hominis summo bono tam absonas et inter se oppositas protulerint sententias; inde etiam factum est, ut de ipsius Dei naturâ dignoscendâ tot inter opiniones quereretur Tullius de Nat. deor. lib. 1. *Ita fit ut Deus, quem mente noscimus, atque in animi notione tanquàm in vestigio volumus reponere, nusquàm prorsùs appareat.* Inde etiam plurima observamus penès historicos exempla nationum, quibus fidei lux nondùm affulsit, iniquissimis moribus viventium. Sic mulieres apud Indos igni se tradunt, defuncto marito; Iroquenses parentum senescentium carnibus aluntur; Ægyptii nuptias cum sororibus et cum matre etiam celebrant; apud Parthos nemo de regiâ stirpe Arsacidum jus habet legitimum ad thronum, nisi ex incestu filii cum matre natus sit; in Guiennâ insulâ compertum est, maritum lecto accumbere, uxore pariente et enixâ; eamque puerperam tunc viro sine causâ jacenti famulari. Hæc, aliaque hujusmodi fieri novimus apud Barbaros, Ethnicosque, quin aliquid advertant naturalem rationem aut dedecens, aut minùs sibi conveniens.

11. Superiùs autem dicta officia hominem obligant et quà homo est, et quà civis etiam est. Quare non erit omninò adprobandum quòd acatholicorum plerique suadent posse scilicet integrum tradi jus naturæ, et gentium, et omnia hominis et civis officia posse ritè explicari, nullo habito ad fidem respectu. Ut putat Puffend. De J. N. et G. l. 2, c. 3, § 13. *Ubi illud manifestum judicamus : etsi divinæ litteræ liquidiùs cognoscendo juri naturali plurimam lucem adferant; illua tamen etiam citra hoc adminiculum per vires rationis homini abs creatore concessæ, et adhuc superstitis posse investigari, et solidè demonstrari;* hoc enim jus per vires rationis *adhuc superstitis* possè plenè demonstrari, falsum est citra revelationis adminiculum. In eâdem est cum Puffend. sententiâ Barbeyracius; in eâdem etiam Heineccius J. N. et G. l. 1, § 15, 16 : *Quùmque hoc jus complectatur leges per rectam rationem promulgatas; consequitur, ut jus naturæ derivandum non sit ex sacris litteris;* at jus hoc naturæ non universalia tantùm penès ipsos AA. principia indicat, sed plura etiam particularia; ad hæc autem necessarium est fidei lumen, ut *depellantur offusæ mentibus tenebræ et errores*, quemadmodùm ex Suarezio adnotavimus.

12. Hinc etiam jure merito irridendos puto AA. illos qui tantoperè gloriantur, velle se jus naturæ omninò explicare citra revelationis lumen. Esset siquidem illorum inanis conatus, et maximè periculosus : ut, qui oculorum infirmitatis conscius vellet de objectis judicare ex oculorum tantummodò testimonio citra rationis adminiculum. Inutilis labor, et errori maximè obnoxius. Plures ex acatholicis hoc identidem repetunt, hoc se fecisse plenis buccis, ut vidimus, gloriantur. Jos. Fr. Buddeus Inst. theol. mor., part. 2, § 11, sic habet : *Nec tamen ideò improbandum illorum institutum, qui seorsim juxta lumen rationis jurisprudentiam divinam, seu naturalem tradunt. Quæ enim distincta sunt, rectè etiam distinctè traduntur, nec inter se sunt confundenda. Juvat etiam cognoscere, quousque ratio sibi relicta hìc progredi queat, ut eo rectius, quæ revelationis vis sit, et præstantia, inde intelligatur. In negotiis præterea humanis sæpè cum illis nobis res est, qui revelationem non agnoscunt, quive proinde non aliam agendorum normam, quàm rectam rationem admittunt. Denique per rationem quoad humana præsertim negotia, multa specialiùs possunt investigari ac determinari, cùm generalia saltem sint, quæ de hisce revelatio tradit, ut reliqua, quibus idem evinci potest, taceam.* Hæc autem Buddei ratiocinatio minùs, quod intendit, concludit : siquidem etsi distincta sint lumen rationis et fidei, nec idcircò confundenda : illud tamen utpote infirmum ab hoc debet adjuvari; unde seorsim tradi non debet. Deinde, verum quidem est, aliquid esse, cognoscere, quo rationis lumen ex originali labe obnubilatum

pertingat ; sed et hujusmodi cognitionem sine fructu esse, et ad negotia periculosam, est certum. Quid autem facto opus sit, quando cum iis qui revelationem non agnoscunt sit agendum, dicam inferiùs : nullo tamen pacto probandum est illorum institutum, qui solo freti rationis lumine naturali cum hujusmodi hominibus velint res agere, et ad honesta eos pertrahere. Tandem, quod revelatio generalia ostendat, ratio quædam specialiora infert, utrumque lumen in consilium advocari, nec tradi debere seorsim. Rem hanc egregiè in veteribus philosophis advertit Lactant. l. v. de Just. c. 18, ubi videtur acatholicorum objecta diluere : *Plato et Aristoteles honestâ quidem voluntate justitiam defendere cupierunt, effecissentque aliquid, si conatus eorum bonos, si eloquentiam, si virtutem ingenii, divinarum quoque rerum doctrina juvisset. Itaque opus illorum inane atque inutile jacuit, nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscripto viveret : quia fundamentum à cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certius sit, necesse est, quos Deus docuit.* Ad Lactantii mentem scribebat Leibnitius in Epist. ad Molan. Ab. adversùs Puffendorfium : *Dignè de jure philosophanti non tantùm humanæ tranquillitatis, sed etiam divinæ amicitiæ ratio habeatur, cujus possessio nobis duraturam felicitatem spondet. Non nobis tantùm nati sumus ; sed partem nostri sibi alii vindicant, Deus totum,* et Præfat. Cod. Jur. Gent. : *Rectè à viris doctis, ait, inter desiderata relatum est : Jus Naturæ et Gentium traditum secundùm disciplinam Christianorum, id est, Christi documentis τὰ ἀνώτερα, sublimia, divina sapientum.*

12. Itaque revelationis lumen regulas juris naturæ, bonæque moralitatis exhibet, quas generis humani corrupti mores, et philosophorum ethnicorum cæcutientes animi nec satis agnoverunt, nec libenter amplexi sunt. Quapropter colligi debet, adjuvari ex revelatione rationem ad jura sua dignoscenda ; revelationis enim lumen ex omni parte divinum, quod ad mores, vitæque rationem spectat, nihil ostendit, quod simul suum non esse putet lumen naturale, ubi intento studio advertit, ac maturè considerat. Idcircò à nonnullis sapientibus viris dictum legimus : dogmata Evangelii quoad mores, simul cum bonæ moralis philosophiæ principiis, esse veluti instaurationes moralium dogmatum in animâ rationali impressorum ; hùc aptando illud Tertulliani : *O anima hominis, quàm es naturaliter christiana !* Reddit præterea fidei lumen faciliorem præceptorum naturalium usum ex novâ præmiorum, pœnarumque propositione : atque ex gratuitâ *divinorum auxiliorum* largitione. Habet autem in se anima intimam ad servanda præsertim generalia quædam præcepta obligationem sine revelatione, ut habet apostolus, et dari ignorantiam circa prima moralitatis, et legis naturalis principia in mente integrâ, probari nullatenùs potest : cùm ideæ primorum principiorum, ut valdè probabiliter à nobis in philosophiâ rationali probatum est, sint innatæ, nec à sensibus haustæ.

13. Quare christiano philosopho ita erit in jure naturali, rectæque rationis principiis procedendum. Quæ lumen naturale, seu recta ratio, citra quodlibet præjudicium, sui juris esse repræsentat, erunt maturè cum iis quæ ex fidei lumine accepimus, conferenda : cùmque sciamus, utrumque lumen veluti in idem tendere, seu objectorum veritatem, honestatemque manifestare : prudenter inferimus, quæ infallibili revelationis testimonio comprobantur, vera esse ; falsa tamen, si fidei testimonio contraria. Neque verò id assero, videlicet adsumendum fidei dogma quasi principium, undè altera rejici, altera probari debeat opinio : hoc enim esset non philosophum agere, sed actum fidei exercere. Illud autem pronuntio, fidei dogma esse illi debere instar doctissimi, solertissimique monitoris, quo certus fiat de admisso in peculiari aliquo casu errore ; unde iterùm, atque accuratiùs ratiocinationem instauret, donec lumine ipso naturali, ubi lapsus sit, invenire liceat. Quemadmodùm in analysi fit, si fortè vel ex primâ positione, vel ex errore in decursu operis admisso devenietur ad æquationem vel impossibilem, vel certò falsam : tota, ut notant analystæ, repeti ac veluti resolvi debet praxis, singulique animadvertendi numeri, eorumque signa, ut erroris veluti principium detegatur. Hoc ubi aget in re morali, atque in J. N. principiis, et officiis optimus morum philosophus, modum aptissimum, rationemque firmissimam sibi conciliabit ad suadendum Ethnicis quibuscumque, revelationes pernegantibus, certissima morum dogmata.

*De rectâ addiscendi J. N. ratione.*

14. Justos posuimus lumini naturali fines : superest, ut addiscendæ hujus facultatis rectus modus proponatur. Is profectò erit, si probatæ fidei consulantur auctores. Sanè vix animum possum continere, cùm in Catholicorum manibus magno plausu exceptos versari conspicio tot heterodoxorum libros, qui reverà si essent à Catholicorum aliquo conscripti vix oculos ad se eruditorum pertraherent. Confusa scribendi methodus, barbara Latini sermonis syntaxis, exigua eaque obsoleta bonæ doctrinæ copia, quid, quæso, tantos excitet græculorum plaudentium rumores ! Dicam planè quod sentio, et mecum unà reputant, quicumque solida veræ sapientiæ, omnisque scientiæ jecêre fundamenta, et insipientium voces spernunt : unus est iis auctoribus plerumque tantarum laudum titulus, nimirùm diversa à nostrâ religio. Ille videlicet, qui unus satis esse deberet, ut istiusmodi libri à studiosorum præsertim manibus arcerentur. At liber de jure naturæ agit, non de religione. Quid tum ? Grotius de jure belli scripsit ; et tamen Puffendorfius Lutheranus religionis causâ verebatur ne apud suos Grotius legeretur : sic in epist. ad lect. ante 1 sui op. edit. : *Non exiguam nobilissimi operi* (Grotii) *labem aspergunt, queis passim à receptæ orthodoxæ Ecclesiæ* (scilicet Lutheranæ) *sententiis diversus abit. Et per isthæc etiam verè atque utiliter dictis auctoritas detrahitur :* at errores vel nulli sunt, vel cuique Catholicorum facilè advertendi. Imò potiùs et plures sunt, et cuivis Catholicorum

difficillimè adverteudi; nisi fortè sacrarum facultatum præsidio, quò tandem colliment, dignoscant. Quotus autem quisque ex iis qui acatholicorum versant libros, sacræ theologiæ, divinisque litteris operam navavit! Exemplo sit, qui ancipiti planè consilio Puffend. opus de J. N. et G. in Italum sermonem versum repurgavit, auxit, illustravit, et an. 1757 typis Venetis edidit. Hìc sanè, tom. 2, lib. 3, c. 4, § 3, repurgare debuerat illam Puffend. propositionem: *Ignorantia juris naturalis neminem adultæ ætatis excusat:* cùm videatur, illa posse locum habere inter damnatas ab Alexandro VIII, quarum quæ n. 2 ait: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali*, rursùs tom. 2, lib. 4, c. 2, § 9. Auctor Catholicus debuerat paulò cautiùs loqui circa obligationem ortam ex jurejurando per metum injustum exorto. Profectò D. Th. 2, 2, q. 89, art. 7 ad 3 ait: *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: una quidem quâ* obligatur homini, *cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur: alia autem est obligatio quâ quis Deo obligatur ut impleat quod* per nomen ejus *promisit: et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare: potest tamen repetere in judicio quod solvit:* et adeò fundatam in J. N. obligationem istam putavit S. Th. ut deinde subdiderit: *Romani pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes, hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi obligationem ex justâ causâ relaxantes.* Auctor verò Puffend. corrigens, et hanc admisit Puffend. sententiam: *non minùs obligatus est ad restituendum vi extortum promissum, cui juramentum accessit, quàm si ab injurato id foret profectum:* et hanc aliam infra: *momentaneâ solutione juratum defungi posse, ut statim vel per se, vel in subsidium vocato magistratu datum recuperare queat: est* sanè inanis religiositas; *cùm perinde sit non solvere, et solutum confestim recuperare:* at oppositum definitur cap. *Si verò;* et cap. *Verum* de jur. jur. Plura fortassè essent in eo libro adnotanda: sed hæc duo, quæ se mihi, tom. 2 fortè versanti, primò obtulerunt, probant quàm difficile sit sine theologiæ studio hæreticorum errores advertere et corrigere. At mira sunt quæ dicunt hæretici, nova sunt etiam quæ dicunt. Adde, si rectè velis colligere, et falsa sunt quæ dicunt. Verùm quæ mira, quæ vera ab his AA. traduntur, ea nonnisi à nostris AA. Catholicis mutuàsse constat, et in cursu operis constabit. Quæ de suo addidère, falsa ut plurimùm convincuntur.

### OPERIS TOTIUS IDEA ET SERIES.

15. Hæc igitur cùm ita sint, auctor sum, ut jus naturæ et gentium nonnisi apud AA. Catholicos addiscatur. Neque enim putandum est non inveniri apud eos hujusmodi facultatem: siquidem quæ Puffendorfius, puta, magnâ primi voluminis parte de J. N. et G. agit circa moralitatem actùs. Habes apud catholicos scriptores in 1-2 de actibus humanis; cætera juris naturæ et gentium principia habes in tractatu de Legibus apud Suarezium, Lessium, Molinam, Valentiam, Salas; et plenè omnia hæc apud D. Thomam. Quare fateri cogeris, ubi eos consulueris, quod nescio quis, novum parandi prandii genus scire cupidus, ubi non novas res, sed nova tantùm nomina imposita à Gallis audivit, ingenuè fassus est: Se tot annos ad Gallicum morem inscienter comedisse. Equidem eo animo laborem hunc suscepi; et unum præ oculis præponens mihi Suarez, ostendere conatus sum, quam Puffendorfius iniit rationem in suo de J. N. et G. opere, hanc penès Suarezium inveniri; quin et clariùs, et solidiùs apud hunc esse omnia quàm apud illum.

16. Scio alios Suarezii loco potuisse et laudabiliter proponi, vel plures simul cum Suarezio ad hæreticorum calumnias retundendas. Verùm, ne liber in Puffendorfianum molem excresceret, unum aliquem magnæ notæ virum eligere in animum induxi. Ut autem in Suarezio consisterem, plura fecêre; illud sub initium me excitavit, quod P. Joannes Baptista Favre S. J. in dissert. polem. Rom. an. 1753, p. 3, § 4, ait: *Si quis institutiones J. N. ac G. doctissimas, easque perspicuas vulgare velit, quod juventuti catholicæ opportunissimum fore, nemo negaverit, satis erit hoc unum, ut quæ de hoc argumento scripsit eximius doctor Franciscus Suarez tum in disp. ad* 1-2 *S. Thomæ, tum in tract. de Legibus, aliisque in locis, cum ipsissimis ejus verbis sub certâ titulorum serie digereret, atque etiam illustraret*: accessêre deinde alterius viri minùs etiam suspecti de Suarezio in hanc rem laudes, P. Danielis Concinæ nimirùm, ubi in diss. Proleg. de J. N. et G. cap. 7, hæc scribit: *Ingens de Legibus volumen eximii doctoris Francisci Suarez prævalet omnibus operibus quæ hoc de argumento vulgârunt Puffendorfius, Buddeus, Thomasius, Wolfius, cæterique omnes ex Protestantibus.* Quid? quod et magno apud ipsos hæreticos in pretio Suarezius noster habetur ex juris totius scientiâ. Sanè Jo. Franc. Buddæus, Isag. hist. theol., lib. post., c. 4, § 10, ait: *Non minùs notus apud philosophos pariter ac theologus est Franciscus Suarezius: opus ejus de Legibus constat l.* 10. *Varia in eo attulit in medium, quæ deinceps ab iis qui* Juris naturalis *tractationem ex instituto susceperunt, accuratiùs fuêre discussa.* Licet quantùm horum AA. legere licuit, legi autem plurimùm, nullibi Suarezii nomen expressè vel commendatum, vel ejus de J. N. sententias insignatas adverti: scripsit autem notas in Suarezii Metaph. Jacobus Revius acatholicus, qui de Suarezio hæc habet sub initio: *Cum omnibus quos præsens ætas tulit, de palmâ contendit Franciscus Suarezius Soc. Jesu theologus, commentariis in Thomam, et theologicis opusculis celebre nomen adeptus;* tandem, quoniam Christianus Thomasius in tract. Jur. de Jure Asyli, etc., appellare audet: *Scelestam Jesuitarum doctrinam in disciplinâ juris naturalis:* placuit unum objicere Suarezium, quem inter Jesuitas habere primas, et apud ipsos Protestantes magni esse nominis constat.

17. Interim præcipuos J. N. scriptores acatholicos consulere non sum gravatus, eosque in notis vel confutare, ubi à rectâ Catholicorum doctrinâ discesserint;

vel demonstrare facto ipso, non primos ea, quæ Suarezius noster docuit longè ante illos docuisse. Scribendi rationem secutus sum non mathematicam prorsùs, qualem Volfius sequi gloriatur, sed mathematici vigoris maximè sollicitus, ut scilicet ab universalioribus, et magis certis, ad particularia, et minùs certa progrederer, illam Volfianam utpote magis tegendis erroribus idoneam libenter omisi. Sic primâ parte *Principiorum* omnia procedent: de actûs humani moralitate, ubi de advertentiâ et libertate; de actûs humani honestate; de lege in genere; de lege naturali; de legis naturalis principio cognoscitivo; de jure gentium, ejusque proprietatibus, et à jure naturæ, et civili discrimine. Apponam primo loco iisdem fermè Suarezii verbis, et propositionem, et rationem: nolo ex industriâ appellare *Demonstrationem*: *Consueto scilicet (ut ait Favre loc. in fin.) ætatis nostræ malo fato, ut putidæ falsitates, ad faciliorem legentium deceptionem, sub evidentium demonstrationum mentito nomine delitescant.* Juvat citiùs, veritatis illius robur verbis ipsius auctoris exhibere, quàm emendicato titulo doctiorum censuras subire. Potuissem utique ex Suarezio quoddam J. N. veluti compendium adornare, nec verba ipsius in medium proferre: sed mihi placuit erud. Lips. ingenuum testimonium, quod proferunt ad an. 1742, pag. m. 87, de opere Voltaire inscripto: Comparatio Leibnitianæ et Newtonianæ metaphysices, etc., ubi aiunt: *Cupiditate flagramus videndi testimonia, ac ipsa verba Newtoni, viri sanè magni, quibus hoc compendium, metaphysicam, ejusque propositiones reddi possunt Newtono. Ea enim antequàm proferantur, metaphysicam hìc nobis suppeditatam non tam Newtoni, quàm ipsius Voltarii existimabimus constanter*; ni simile quid mihi etiam objiciatur, Suarezii ipsissima verba in hâc brevi J. N. et G. tractatione exscribenda putavi: quâ in re illud quoque respexi, ut scilicet discant aliqui è semidoctorum grege, qui multiplicia ac doctissima Suarezii volumina nunquàm attigerunt, tantum virum hanc quoque messem intactam, ut aiunt, non reliquisse; quin ex professo de J. N. et G. principiis, et egregiè disputâsse. Posteriore autem de Officiis parte sententias etiam Suarezii et sequar et proponam, brèviori autem ratione, ne diutiùs lectores morer. Sed jam tractationem ipsam adeamus.

I.

Lex est commune præceptum justum ac stabile sufficienter promulgatum.

SCHOLION.

Heterodoxos diversas tuentes sententias proponimus, eorumque rationes expendimus ac statuimus:

II.

Puffendorfiana legis definitio, quemadmodùm et Barbeyraciana à verâ ratione legis abhorret.

SCHOLION.

Controvertunt autem, unde vim intimam obligandi lex hauriat? quare Suarezius noster statuit:

III.

Omnis lex aliquo modo est à lege æternâ, et ab illâ habet vim obligandi.

SCHOLION.

Sed jam ad legem ipsam naturalem, ejusque physicam essentiam deveniamus, ex Suarezio autem:

IV.

Lex naturalis explicari potest sic: Lumen naturale intellectûs repræsentans voluntatem Dei, auctoris naturæ, et supremi Domini, gubernatoris ejusdem naturæ, obligantem homines ad id servandum, quod recta ratio dictat.

SCHOLION.

Hâc positâ legis naturalis explicatione, clarissimè infertur peccati merè philosophici repugnantia. Aliorum etiam sententias exponimus, et ubi opus est confutamus.

V.

Pluribus capitibus vitiosa est et iniqua juris legisque naturalis ex Hobbesio definitio.

VI.

Nec est planè adæquata legis definitio: Congeries regularum, ad quas actiones liberas homines componere obligantur, naturali ratione cognita atque perspecta.

SCHOLION.

Eadem planè est ratio obligandi in lege naturali, ac in quâlibet aliâ lege, à Deo hominibus indictâ. Scriptores J. N. de physicâ hujus legis essentiâ non sunt admodùm solliciti, sunt autem maximè de legis naturalis principio cognoscitivo; de quo infra; interim tamen legis naturalis proprietates sunt expendendæ.

VII.

Lex naturalis per seipsam desinere non potest, vel mutari neque in universali, neque in particulari, manente naturâ rationali cum usu rationis et libertatis.

VIII.

Nec potest Deus dispensare in aliquo præcepto naturali; sed mutare materiam ejus, vel circumstantias; sine quibus præceptum ipsum naturale non obligat ex se; et citra quamlibet dispensationem.

SCHOLION I.

Quare optimam habent explicationem, quæ primâ fronte opponi videntur huic principio J. N. certissimo; sed hìc Puffendorfii incohærentia principia proponuntur et expenduntur.

SCHOLION II.

Explicatâ lege naturali κατὰ τὸ ὄν (secundùm esse) ad ejus principium cognoscitivum devenimus: quoniam verò ab AA. in duplici illud significatione acceptum invenio; idcircò duplex exhibeo hujusmodi principium.

IX.

Principium proximè cognoscitivum honestatis moralis est actuale judicium mentis dictans objecti convenientiam cum naturâ rationali, vel disconvenientiam modo dicto.

X.

Principium cognoscitivum legis naturalis habens *rationem finis naturalis* est hoc: quod est necessarium ad felicitatem, seu beatitudinem naturalem homini, sive in particulari, sive in communi assequendam, il-

lud est J. N. præceptum : quod verò est minùs necessarium est leve præceptum.

SCHOLION.

Atque ex hoc principio veluti ex regulâ actionis honestæ, ut ait S. Th. 2-2, q. 141, art. 6, ad 1, inferri possunt, et juxta illam dirigi humanæ actiones : sed principium hoc non esset magno emolumento, nisi aliud accederet proximum cognoscitivum legis naturalis principium, actiones dirigens in particulari.

XI.

Principium proximè cognoscitivum legis naturalis habens *rationem normæ* est actuale judicium mentis repræsentans objectum, vel ut præceptum, vel ut vetitum à supremo auctore et gubernatore naturæ rationalis.

SCHOLION.

Quid autem de aliorum cognoscitivis principiis est dicendum ?

XII.

Puffendorfii præsertim, et Grotii principium socialitatis obscurum est quoad alia, et quoad alia insufficiens.

XIII.

Cumberlandi atque Heineccii principium cognoscitivum ab illo Suareziano non dissentit.

XIV.

Wolfii principium cognoscitivum legis naturalis non benè cum ipsâ lege naturali cohæret.

SCHOLION.

Exactis explicatisque J. N. principiis *tum essendi*, *tum cognoscendi*, restat *jus gentium* expendendum ; verùm quoniam à pluribus in dubium revocatur *juris gentium voluntarii* existentia, cùm omnia ad J. N. velint revocata, idcircò inter utrumque jus tradimus discrimina.

XV.

Fallitur Hobbes, et Puffendorfius, qui illi subscribit, dùm putat jus gentium esse jus naturale in gentium ideâ spectatum.

XVI.

Fallitur etiam Heineccius, et Barbeyracius in notis ad Grot., putans jus gentium voluntarium esse commentitium et chymeram.

SCHOLION.

His rejectis, cum Suarezio nostro, quem Grotius sequitur, statuimus :

XVII.

Jus gentium non præcipit aliquid tanquàm ex se necessarium ad honestatem, nec prohibet aliquid quod per se et intrinsecè malum est, vel absolutè, vel supposito tali statu et conditione rerum ; sed hæc omnia pertinent ad jus naturale ; ac subinde in hoc sensu jus gentium non comprehenditur sub jure naturali.

SCHOLION.

Designandum igitur est verum inter utrumque jus discrimen.

XVIII.

Non rectè distinguitur jus gentium à naturali, quia unum concessivum tantùm sit, et aliud præceptivum : nam vel utrumque membrum in utroque jure reperitur, vel si præceptum naturale est, etiam concessio illi cum proportione respondens ex ipso jure naturali nascitur.

SCHOLION.

Utrumque jus in aliquibus convenit. Sic

XIX.

Jus gentium convenit cum jure naturali in eo quòd utrumque sit aliquo modo commune tantùm hominibus.

SCHOLION.

Duplicis generis præcepta sunt in J. G. ; sed num inferuntur per evidentem illationem à J. N., ut volunt nonnulli ?

XX.

Jus gentium, quatenùs continet præcepta affirmativa, non infert necessitatem rei præceptæ ex solâ rei naturâ per evidentem illationem ex principiis naturalibus ; et in hoc differt à jure naturali.

SCHOLION.

Præcepta autem negativa, quæ juris naturalis sunt, ut supra vidimus, malum prohibent, quia malum est ; supponunt enim antecedenter in ipsis rebus intrinsecam turpitudinem : de præceptis verò J. G. quid Suarezius noster statuit ?

XXI.

Juris gentium præcepta negativa non prohibent aliquid, quia per se malum sit : et in hoc differt jus gentium à jure naturali.

SCHOLION.

In J. N. honestas et inhonestas veluti ostenduntur, licet reverà etiam detur obligatio.

XXII.

Jus autem gentium non est tantùm ostensivum malitiæ, sed constitutivum ex parte humanæ rationis.

SCHOLION.

Humana enim ratio et voluntas jus gentium reverà constituunt, nonnulla prohibendo.

XXIII.

Jus gentium aliquando mala aliqua permittit, vel saltem non punit.

SCHOLION.

En quantum à J. N. differt ; non puniendo enim, non ostendit penès rempub. et nationes illa esse mala.

XXIV.

Jus gentium non est tam immutabile sicut jus naturale.

XXV.

Quòd facta reverà sit aliqua mutatio in J. G., est aliquorum sententia : vix tamen probari potest.

XXVI.

In his etiam, in quibus jus naturale et jus gentium videntur convenire, omnimodam similitudinem non habent.

XXVII.

Principia J. N. difficiliùs ab hominum mentibus delentur, contra vero principia J. G.

XXVIII.

Jus gentium simpliciter est humanum ac positivum.

SCHOLION I.

Qui diversas à J. N. proprietates in J. G. benè perpendit, facili negotio principium modò dictum admittit.

SCHOLION II.

Jus ergo gentium non est omninò idem cum J. N.; at num dici potest non esse à *jure civili* diversum? Nihilominùs statuitur cum Suarezio :

XXIX.

Jus gentium est veluti medium inter jus naturale et jus civile.

SCHOLION.

Illud videlicet respicitur à jure naturali tanquàm magis amplum, atque intimum magis; contra verò hoc, tanquàm restrictum, ac minùs necessarium. In quonam verò differunt jus gentium ac civile?

XXX.

Jus gentium non differt à jure civili per hoc quòd civile sit jus unius civitatis aut regni : jus autem gentium sit omnibus gentibus commune.

SCHOLION.

Ex ipsâ naturâ juris gentium habetur discrimen inter hoc utrumque jus.

XXXI.

Præcepta juris gentium in hoc differunt à præceptis juris civilis, quia non scripto, sed moribus, non unius, vel alterius civitatis aut provinciæ, sed omnium vel ferè omnium nationum constat.

SCHOLION.

Exemplis principium hoc confirmatur, ac tota de principiis juris naturæ et gentium materia absolvitur.

---

# Pars prior.

## DE JURIS NATURÆ ET GENTIUM PRINCIPIIS.

### DE LEGE IN GENERE.

I.

« Lex est commune præceptum, justum, ac stabile « sufficienter promulgatum. » *Suar. de Leg. l.* 1, *c.* 12.

« *Illud genus posuit etiam D. Thomas q.* 96, *art.* 1, « *ad* 2, *et Jureconsult. l.* 1 *de Leg., et per illud excluduntur præcepta particularia : per alias verò particulas indicantur omnia quæ in lege desiderari possunt, ut facilè patet consideranti.* » N. 5.

*Quomodò lex differat à præcepto?*

I. D. Thomæ doctrina de lege q. 91, art. 4, est : *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* Verùm obstare huic definitioni ait Suarez loc. cit., quia potest prælatus ordinare subditos secundùm rectam rationem ad aliquid agendum, sufficienter proponendo communitati voluntatem suam, et nihilominùs non ferre legem : quia non includit præceptum stabile et perpetuum, quod requiritur ad rationem legis, ex ratione communitatis cui fertur (communitas autem est perpetua), et ex ratione legislatoris ferentis legem prospiciendo ad futura; unde posteros etiam obligare intendit. Quare si ad certum tempus indicatur, erit potiùs quoddam præceptum quàm lex. Hic autem est advertendum discrimen hoc inter legem et præceptum intelligi *prout communiter* fieri solet, et res exigit ipsa : nam aliquando per accidens, et ex positivâ voluntate superioris fieri potest, ut præceptum evadat stabile ac perseverans post mortem etiam superioris ferentis illud : quemadmodùm statutum est in nostrâ Soc. Jesu. Ex Congreg. 7, can. 10; et Congr. 9, decr. 12, can. 4.

*Puffendorfiana legis definitio excluditur.*

II. Puffendorfius de J. N. et G. l. 1, c. 6, § 4, legem definit sic : *In genere autem lex commodissimè videtur definiri per decretum quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.* Verùm juxta hanc definitionem etiam iniqua superioris alicujus decreta dici deberent leges, quod quidem et philosophorum etiam ethnicorum sententiis, et rectæ rationi dissonum est. Cicero de Leg., l. 2, ait : *Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Prorsùs assentior. Quid? quòd multa perniciosa, multa pestifera scisciuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quàm si latrones aliquas concessu suo sanxerint? Nam neque medicorum præcepta dici verè possint, si qua inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint : neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiamsi perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa, naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt et tuentur bonos. Præclarè intelligo, nec verò jam aliam esse ullam legem puto non modò habendam, sed ne appellandam quidem.* Et ib. ait legem condi debere ad vitam justam, quietam et beatam; et ideò qui leges injustas condidêre, quidvis potiùs tulisse, quàm leges. Quod etiam confirmat Plato in Dial. Men. Ratio autem est clara : quia lex est mensura rectitudinis; lex autem iniqua non est mensura rectitudinis operationis humanæ; nam potiùs actio illi conformis iniqua est. Non est ergo lex, sed ad summum participat nomen legis per quamdam analogiam et abusionem vocabuli : ut dici solent lex mundi, lex duelli, et similes, quatenùs in ordine ad aliquem finem certum præscribunt operandi modum.

*Grotiana legis definitio non planè probatur, sed malè à Puffendorfio rejicitur.*

III. Rectiùs itaque definit legem Grotius l. 1, c. 1, § 9 : *Lex est regula actionum moralium obligans ad id quod rectum est et laudabile.* Etsi reverà totum hoc verificari posset de quolibet præcepto, dato ad tempus aliquod determinatum. Malè tamen impugnat Grotium Puffendorfius de J. N. et G. l. 1, c. 6, § 4 : *Circa Grotianam definitionem*, l. 1, c. 1, § 9, *dùm legem dicit obligare ad id quod rectum est, notandum est ipsum supponere, dari aliquod justum et rectum ante legem et normam; adeòque legem naturæ rectum non facere, sed*

*jam antea existens duntaxat significare. De quâ hypothesi quid sentienaum, supra à nobis fuit expositum*, scilicet esse explodendam. Malè, inquam, rejicitur, cùm ex supradictis etiam constet, quid sentiendum sit de illâ Puffendorfii sententiâ, quòd non detur ante legem aliquod intrinsecè rectum; nempe esse omninò falsam.

*Barbeyraciana legis definitio rejicitur.*

IV. Aliter impugnat Grotium Barbeyracius in gallicâ Grot. edit. de Jure Belli et Pacis, an. 1747, in not. n. 3 et 5. Duo nimirùm objicit Grotio, 1° quòd Grotius videtur tribuere *vim obligandi* in lege quasi ex seipsâ, prout regula est, cùm reverà tota vis obligandi in lege sit ex superiore legem ferente; 2° quòd Grotius reducat omnem effectum legis in meram *obligationem*, cùm addi debuisset etiam *permissio*, quæ à lege malè excluditur. Siquidem legislator, qui lege præcipit, vel prohibet expressè aliqua, tacito quodam consensu videtur relinquere libertati hominum reliqua. Et quoad hoc reprehendit etiam Puffendorfium, idem sentientem. Legis definitio idcircò à Barbeyracio proposita est hæc: *Lex est voluntas superioris alicujus variâ ratione sufficienter manifestata, quâ is subjectorum suorum, aut omnes in universum, aut saltem omnes certi generis actiones dirigit, ita ut ratione illarum ipsis necessitatem certo modo agendi, vel non agendi imponat; aut libertatem pro lubitu agendi, vel non agendi relinquat.* At verò hæc 1° videtur non definitio, sed citiùs dicenda descriptio legis; 2° vitium illud claudit, quod in Puffendorfianâ adnotavimus, scilicet, possent sic dici leges quælibet iniqua etiam superioris præcepta.

*Quæ potestas requiritur in ferente legem?*

V. Est itaque de ratione legis *vis obligandi;* et idcircò non est magni momenti expendere, an sit inter legis effectus censenda *permissio*, cùm omnes consentiant in eo quòd quæ lege nec vetita, nec præcepta sunt, hominum libertati *permittuntur*. Habet autem vim obligandi lex à superiore: siquidem ut ait Suar. l. 1 de Leg., c. 8, à n. 2: *De ratione legis est, ut ab habente publicam potestatem feratur*. Potestas autem, quæ requiritur ad leges ferendas, est *potestas jurisdictionis*, quæ per se primò respicit communitatem perfectam, et non sufficit *potestas dominativa*, quæ est circa privatas personas, vel ex jure naturæ tantùm, ut patris in filium; vel supposito etiam pacto humano, ut viri in uxorem, in ordine ad gubernationem domûs, aut personæ; vel ex jure gentium, aut civili, ut domini in servum bello captum; vel ex humano contractu, ut domini in servum qui se illi vendidit: quo spectat potestas per votum obedientiæ. Residet autem in potestate *jurisdictionis* major vis coercendi, ac in *dominativâ*. Et ita non licet domino sævire in servum, ut dicunt jura civilia; expeditque reipub. ut severior correctio nonnisi auctoritate publicâ fiat. Potestas autem *jurisdictionis* per se est potestas publica, et ad communitatem ordinata. Jam verò quia legislatio est potissimùm actus quo respublica gubernatur, isque propter ejus commune bonum ferri debet; idcircò per se spectat ad potestatem gubernativam reip. ad quam pertinet procurare ejus commune bonum. Hæc autem est potestas *jurisdictionis*. Non verò omnis potestas *jurisdictionis* sufficit ad leges ferendas: nam ordinarii judices habent jurisdictionem, et tamen leges condere nequeunt. Requiritur ergo principalis quædam, et primæva potestas in illo ordine: est enim condere legem, actus præcipuus gubernationis reip. Potestas autem hæc primariò, et per essentiam est in Deo; communicatur autem regibus per quamdam participationem, juxta illud, Sap. 6: *Audite, reges.... quoniam data est à Domino potestas vobis.* In omni rursùs communitate est aliqua potestas suprema in suo ordine, in Ecclesiâ pontifex, in regno temporali rex, in repub. quæ aristocraticè gubernatur, tota respub. Non enim potest esse corpus, nisi sit monstrosum, et mutilum sine capite.

*Quæ requiruntur ex parte legislatoris, et ex parte legis.*

VI. Requiritur in legislatore ex parte intellectûs judicium, quo statuat et decernat rem talem esse reip. convenientem, et expedire, ut ab omnibus servetur. Lex enim debet esse justa, et consequenter etiam prudenter et rationabiliter lata. Ex parte voluntatis requiritur actus, quo princeps velit observari id quod expendens judicavit; actus verò voluntatis respicit obligationem subditorum. Post hæc necessarium est ut manifestetur subditis decretum illud sufficienti propositione. Hæc omnia ad mentem Suarezii loc. cit. Neque verò ultra hæc aliud additur à Puffendorfio, c. 6, l. 1 de J. N. et G. et lib. de Off. Hom. et Civ. l. 1, c. 2, § 5, nisi obscura quædam, et incerta, et quædam etiam apertè falsa, ut de Materiâ Legis, loc. cit., § 16: *Materia legum in genere est quidquid ab iis quibus feruntur fieri potest, saltem eo tempore quo leges promulgantur.* Atque hoc quidem juxta supra impugnatam de intrinsecâ actûs honestate sententiam. Haud ita Suarez, l. 1 de Leg., c. 9, ubi advertit materiam legis esse debere *justam*, et nomine justitiæ complectitur conditiones ab Isidor., l. 5 Etymol., c. 2, positas, scilicet: *quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat.* Jam verò inferiùs explicat, quòd aliquando *actus præcepti per legem supponantur boni, et honesti de se: et per legem accipiunt tantùm necessitatem et obligationem, quia antea erant voluntarii: ut de actu audiendi missam, jejunandi, vel similibus. Aliquando lex datur de opere indifferente: ut de ferendis, vel non ferendis armis tali tempore et loco: et tunc actus fit bonus et ex efficaciâ, et ex fine legis.*

*In quem ferri potest lex?*

VII. *Quis lege obligari possit, facilè ex jure legislatoris intelligitur*, ait Puffend. ib. § 17, *nempe ille qui legislatoris imperio est subjectus. Quem autem voluerit obligare legislator, ex ipsâ lege satis perspicitur.* Unde patet verissima esse quæ habet Suar. 16, n. 7, de legis acceptatione, quæ nimirùm in legibus divinis non habet locum; in humanis verò *non esse de ratione legis, nec formaliter convenire alicui legi, imò quodammodò*

*cum illius ratione pugnare. Nam de ratione legis est, ut vim habeat obligandi; si autem pendet ex acceptatione subditorum, jam non tam ipsa obligaret, quàm ipsi subditi voluntariè se submitterent legi. Si ergo aliquando requiritur populi acceptatio, vel est propter imperfectam potestatem principis, qui tantùm sub hâc conditione et dependentiâ potestatem recipit; vel est ex benignitate legislatoris, qui non vult uti suâ absolutâ potestate. Unde quando dicitur lex humana firmari moribus utentium, non tam jure quàm facto intelligendum est;* ut sensit Archid. in § *lex*, d. 4, et ibi Turrecr. art. 2, et certum est post damnatam propos. ab Alex. VII.

DE VI OBLIGANDI IN QUALIBET LEGE.

II.

*Omnis lex aliquo modo est à lege æternâ, et ab illâ habet vim obligandi.* Suar. de Leg., l. 2, c. 4.

« Hæc est D. Thomæ sententia, q. 93, art. 3, Alens. « et aliorum theologorum. Sumitur ex August., l. de « verâ Relig., c. 31, ubi ait: *Conditor legum temporalium, « si vir bonus est, et sapiens, illam ipsam consulit æter- « nam, de quâ nulli animæ judicare datum est, ut secun- « dùm incommutabiles regulas, quid sit pro tempore ju- « bendum, vetandumve discernat.* Et l. 1 de lib. Arb., « c. 6 : *Nihil est in temporali lege justum, quod ex lege « æternâ non derivetur.* Et quæst. 67 in Exod.: *Lex æterna « Dei est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in « eâ invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent.* Ratio « autem generalis reddi potest : quia lex æterna est « lex per essentiam, et omnis alia est per participa- « tionem; ergo necesse est ut omnis alia lex sit effe- « ctus legis æternæ. Præterea, lex duo requirit : unum « ut sit justa et rationi consentenea, aliud ut sit effi- « cax ad obligandum. Sed omnis recta ratio creata est « ex participatione divini luminis, quod signatum est « in nobis; et omnis potestas hominum desuper da- « tur, et à Domino Deo est. Ergo omnis lex in homi- « nibus existens est ex lege æternâ. Et utrumque si- « gnificavit divina Sapientia, cùm dixit, Prov. 8 : *Per « me reges regnant*, utique quantùm ad potestatem; « *et legem conditores justa decernut*, videlicet quoad « rectam rationem. » Ibid. n. 4 et 5.

*Quid sit lex æterna?*

I. Dari in Deo legem æternam, est communis theologorum sententia. Cùm enim Deus habeat Providentiam, necessariò supponi debet in eo æterna quædam ratio practica totius dispositionis et gubernationis universi. Hanc utique ethnicorum sapientissimi agnovêre in Deo. Sic Tullius 2 de Leg.: *Hanc video*, aiebat, *sapientissimorum esse sententiam, nec scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi prohibendique sapientia.* Exstant Manilii, l. 1 de Astron., versus illi :

*Hoc opus immensi constructum corpore mundi,*
*Membraque naturæ diversâ condita formâ,*
*Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,*
*Vis animæ divina regit, sacroque meatu*
*Conspirat Deus, et tacità ratione gubernat.*

*Quos respicit lex æterna?*

II. Quare dici optimè potest, legem hanc æternam non esse regulam actuum divinorum ad intra; nec esse regulam actuum divinorum ad extra, quatenùs morales sunt et honesti; nam de illis constat non dirigi, sed ab intrinseco habere certum essendi modum, et per sese rectos esse; de istis verò, quia Deus nec superiorem habet, nec se ipsum per modum præcepti et legis potest obligare : cùm non sit sibi superior, et rectum operetur ex naturali rectitudine, et ex principio contradictionis nequeat operari contra rectum, vel contra suum decretum, scilicet ex suâmet naturâ. Unde dictamina practica de iis quæ decent Deum, non proponunt præceptum, sed tantùm ostendunt, indicando quid rei natura habeat. Dicimus autem legem æternam habere rationem legis respectu rerum gubernatarum, pro ipsis tamen creaturis, ut secundum illam moveantur, non verò pro Dei ipsius voluntate, ut necessariò secundùm illam regat. Augustinus l. contra Faust. 22, c. 27, aiebat : *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Atque hìc advertendum est, legem æternam ad mentem Suarez propriè esse decretum liberum voluntatis Dei, statuentis ordinem servandum aut generaliter ab omnibus partibus universi in ordine ad commune bonum, vel immediatè illi conveniens ratione totius universi, vel saltem ratione singularum specierum ejus; aut specialiter servandum à creaturis intellectualibus quoad liberas operationes earum.

*Quomodò lex æterna obliget?*

III. Hæc autem lex æterna, ut est proprie præceptiva respectu hominum, habet vim obligandi de se, si sufficienter promulgetur, et applicetur. Deus enim habet supremam imperandi potestatem : ergo et obligandi. Imperat autem per suam legem æternam. Siquidem imperium suum non incipit in tempore; ergo per eamdem obligat. Obligat enimverò in tempore, habito ad creaturas respectu; sed vis obligandi fuit ab æterno. At quoniam æterna hæc lex non est per se ipsam hominibus viatoribus nota, debet utique vel in aliis legibus, vel per alias innotescere. Et quidem omnes necessariò vident aliquam participationem legis æternæ in se ipsis, cùm nemo uteìs ratione sit, qui non judicet aliquo modo honestum esse faciendum, turpe vitandum. Aliqui rursùs assequuntur legis æternæ cognitionem vel naturali discursu, vel perfectiùs per revelationem fidei, tandem per leges justas, temporales ac creatas. Quia sicut causæ secundæ ostendunt primam, et creaturæ Creatorem; ita leges temporales, quæ participatio sunt legis æternæ, fontem à quo manant ostendunt. Atque idcircò vel in legibus inferioribus, vel per leges inferiores posse innotescere legem æternam patet, et quidem non per directam cognitionem sub ratione participationis legis æternæ, sed veluti exercitè et virtualiter.

*Quomodò promulgetur?*

IV. Ex eo quòd diximus legem æternam nunquàm

per seipsam obligare separatam ab omni aliâ lege, sequitur pari modo promulgari ac lex alia promulgatur. Potest autem promulgari per legem divinam : et tunc ratio obligationis proxima est ipsa lex æterna ; et lex æterna, quæ ibi intervenit, est signum indicans legem principaliter obligantem. Hoc in legibus divinis positivis patet : in legibus verò humanis, licet concurrat lex æterna ad illarum obligationem ut causa universalis, tamen proxima causa obligationis est lex humana, ut signum voluntatis humanæ : in lege naturali qui se habeat, dicemus mox.

DE LEGE NATURALI.

III.

*Lex naturalis explicari potest ex Suarez sic : Lumen naturale intellectûs repræsentans voluntatem Dei, auctoris naturæ, et supremi Domini, gubernatoris ejusdem naturæ, obligantem homines ad id servandum quod recta ratio dictat.* Ex Suar. de Leg., l. 2, c. 5, n. 14, et c. 6, n. 13.

« Quamvis homines nihil actu cogitent, aut judi-« cent, naturalem legem retinent in cordibus suis. « Quare licet in actuali judicio mentis propriissimè « existat lex naturalis, adhuc lumen naturale intelle-« ctûs, quod veluti permanenter continet scriptam il-« lam legem, et potest semper actu illam repræsen-« tare, potest vocari lex naturalis. Rursùs lex naturalis « non tantùm est indicativa mali et boni, sed etiam « continet propriam prohibitionem mali et præceptio-« nem boni ; neque enim importat merum judicium « intellectûs de honestate vel turpitudine objecti, sed « debet indicare mandatum superioris, scilicet Dei vo-« luntatem, et quidem ut supremi gubernatoris natu-« ræ, ad quem spectat vetare, mala et præcipere bona; « et idcircò peccata contra legem naturalem dicuntur « in Scripturâ esse contra divinam voluntatem. Unde « dixit Anselm., l. de Volunt. Dei : *Quicumque legi « naturali obviat, Dei voluntatem non servat*, voluntа-« tem scilicet obligandi homines ad id servandum quod « recta ratio dictat. Tandem quamvis obligatio quam « addit lex naturalis, ut præceptiva est, sit ex volun-« tate divinâ, tamen illa voluntas supponit judicium « de malitiâ, puta mendacii, et similia quæ cæteroqui « recta ratio dictat. Verùm quia ex vi solius judi-« cii non inducitur propria prohibitio, vel obligatio « præcepti (nam hæc sine voluntate intelligi non « potest), ideò adjungitur voluntas prohibendi illud, « quia malum est. » Ib.

*Quomodò insinuetur lex naturalis?*

I. Tradita legis naturalis descriptio est ad doctoris eximii mentem, ac juxta proprietates quas citatis in locis ipse proponit. Posset autem paucioribus sic tradi : *Judicium intellectûs repræsentans objecta, ut præcepta, vel vetita à supremo gubernatore naturæ rationalis.* Judicium autem rectæ rationis inditum naturaliter homini est de se sufficiens signum talis divinæ voluntatis : nec necessaria est alia insinuatio. Siquidem judicium rationis indicat de se, ut ait Suar. l. 2 de Leg., c. 6, n. 24, divinam providentiam decentem Deum, et moraliter necessariam ad plenum dominium ejus, et debitam subjectionem hominis ad ipsum : in quâ providentiâ hæc legislatio continetur. Rursùs per lumen ipsum naturale cognoscitur Deum offendi peccatis, quæ contrà legem naturalem fiunt, et ad ipsum pertinere illorum punitionem et judicium. Ergo ipsum naturale lumen est de se promulgatio sufficiens legis naturalis : non solùm quia manifestat intrinsecam disconvenientiam, vel convenientiam, actuum, quam lumen Dei increatum ostendit ; sed etiam quia intimat homini, contrarias actiones displicere Auctori naturæ, tanquàm supremo Domino, curatori et gubernatori ejusdem naturæ. Hoc itaque satis est ad intimationem talis legis, ut sensit D. Th. 1-2, q. 90, art. 4, ad 1. Quare lumen intellectûs repræsentans honestatem vel turpitudinem objecti, est dictamen rationis, seu recta ratio. Neque enim propriè dici potest lex, cùm hæc dicat voluntatem legislatoris : lumen verò intellectûs repræsentans voluntatem Dei modo dicto est lex naturalis : atque ex hâc parte ab æternâ lege immediatè derivat.

*De repugnantiâ peccati merè philosophici cùm in Suarezii, tum in aliorum catholicorum sententiâ.*

II. Quare legitimè infertur, positâ lege naturali prædicto modo explicatâ, peccata omnia, dissona scilicet naturæ rationali, habere rationem transgressionis legis propriè ipsius Dei, quam culpam theologicam communiter vocant. Siquidem lumen naturale in præsenti statu repræsentans rem dissonam naturæ rationali, illam simul tempore repræsentat ut vetitam ab Auctore et Gubernatore naturæ rationalis : et idcircò nequit actus ille liberè patrari, quin simul in Auctorem et Legislatorem supremum peccetur. *Hanc deformitatem*, ait Suar. ib., c. 6, n. 17, *non haberet actus humanus rationali naturæ contrarius, positâ hypothesi quòd Deus illum non prohiberet (hoc est, si nulla esset omninò lex naturalis) : quia tunc non haberet illum virtualem contemptum Dei (scilicet Dei legislatoris), quem continet transgressio legis (in hâc serie) respectu legislatoris.* Consonat illud Pauli : *Per prævaricationem legis Deum in honoras*, ad Rom. 2. Adeòque positâ lege, implicat evidenter peccatum merè philosophicum ; et quidem juxta principia Suarezii, distinguentis videlicet intrinsecam honestatem, vel turpitudinem rei à lege ipsâ naturali ; illamque statuentis, ut vidimus, independentem à voluntate ipsâ Dei, legem verò naturalem dependentem à divinâ voluntate : ut rigorosa legis natura videtur postulare.

At non minùs juxta solidissima aliorum catholicorum principia implicare dicitur peccatum philosophicum, etiam posito quòd lex naturalis non distinguatur à rectâ ratione. Etenim inde sequitur, quòd quisquis contra rectam rationem agit, agit eo ipso contra legem naturæ, licet non advertat ad ipsum Deum auctorem naturæ rationalis, et ejusdem gubernatorem. Neque enim advertentia ad Deum est ad offensam ipsius Dei necessaria : nam homo agendo contra legem naturæ, auctorem legis offendit, ejusque amicitiam solvit

unde semper peccatum illud imbibit rationem offensæ Dei, et peccati theologici, licet ad Deum non advertat. Hæc autem ratio, quâ parte excludit necessitatem advertentiæ ad Deum pro peccato theologico, et offensâ Dei, optima est : nec Suarezii sententiæ de lege naturali opponitur, quin et illi favet, in hypothesi nimirùm factâ à Suarez, quòd Deus non posuisset homini legem naturalem, sed illum cum solo honestatis principio constituisset. Jam in eo casu neque dari posset peccatum merè philosophicum ob rationem positam : semper enim peccatum contra principia honestatis moralis esset contra ipsum naturæ rationalis Auctorem. Rursùs ea ratio magis est experientiæ conformis : nam de facto qui contra legem naturæ peccat, non videtur advertere ad voluntatem Dei, vel saltem non reflectit ad Deum : licet dici possit, quòd confuso aliquo modo attingat Deum.

*Hobbesii de lege naturali errores.*

III. Legem naturalem à jure naturali distinctam definiit Thomas Hobbes. Sanè jus naturæ appellat *libertatem quam quisque naturâ habet facultatibus naturalibus secundùm rectam rationem utendi;* sic lib. 1 de Cive, c. 1, § 7, et c. 2, § 1, descripsit legem naturæ *dictamen rectæ rationis circa ea quæ agenda vel omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem, quantùm fieri potest, diuturnam.* Definitionem hanc pluribus capitibus vitiosam esse ostendunt complures; quos inter Antonius Genuensis, tomo 4 Metaph. c. 6, illam egregiè confutat : ac 1° ex eo quòd *dictamine rectæ rationis intelligatur naturæ humanæ finis, atque ex eo leges naturæ derivari possunt, non effici; seu dictamen rectæ rationis principium esse potest legum naturæ cognoscitivum, ut vocant, non obligationum, seu lex naturæ propriè dicta. Itaque lex naturæ est ratio imperantis Dei dictamine rationis humanæ promulgata, non ipsum humanæ rationis dictamen.* Pergit deinde ad partem aliam Hobbesianæ definitionis, aitque § 2 : *Ea verba : « Ad vitæ, membrorum- « que conservationem, quantùm fieri potest, diuturnam, » nimis arctum temporis spatium, nec totum objectum legis naturæ continent. Et quidem cùm duplici vitâ sit homo præditus, animali et rationali, et rationalis immortalis quoque sit, necesse est ut ultra hanc vitam legis naturæ usus extendatur : ut utramque vitam, et quidem pro suâ conditione eâ lege ordinemus.... At Hobbesius*, etc. Sed quoad hanc Hobbesianæ sententiæ impugnationem à Cl. V. præstitam, ut maximè secundam hanc partem probo, ita contra primam est quod reponam. Sanè solidè confutat vir doctissimus et Hobbesium et Puffendorfium totam legis naturalis doctrinam arctis hujus vitæ limitibus circumscribentes, cùm clarè pateat legem naturalem non omninò perituris à supremo naturæ rationalis opifice traditam. Verùm ubi de *dictamine rationis* verba facit, esset utique interrogandi locus : quid nomine *dictaminis rationis* intelligat? An *merum lumen intellectûs*, prout videntur indicare verba immediatè sequentia? At hìc esset adhuc addendum, quid repræsentet lumen illud intellectûs. Nam potest exhibere convenientiam vel disconvenientiam rei cum naturâ rationali, seu honestatem, aut turpitudinem rei : et in hoc sensu non erit propriè lex naturalis. Potest rursùs ostendere voluntatem Dei obligantem homines ad honesta patranda, et vitanda turpia : et in hâc acceptione erit optimè lex naturalis. Neque enim satis concipio quomodò lex naturæ dici possit *ratio imperantis Dei*, nisi accipiatur pro lumine naturaliter indito à Deo, significante voluntatem ipsius modo dicto. Lex enim naturalis non consideranda est in ipso Deo, in quo sanè importat actum divinæ voluntatis directum à judicio rationis, prout supra attigimus : sed consideranda est in hominibus, in quorum mentibus inscripta dicitur à sacris litteris. Hominibus autem quænam *ratio imperantis Dei* insculpta est, præter lumen jam dictum intellectûs? Vitiosam itaque puto Hobbesii, ac pestiferam sententiam, habito nimirùm respectu ad objecta per dictamen rationis exhibita, quæ quidem nec veram honestatem sapiunt, nec divini supremi Domini voluntatem proponunt.

*Acatholicorum de lege naturali sententiæ.*

IV. Ex recentioribus verò juris naturalis scriptoribus plerique in stabiliendis principiis *cognoscitivis*, ut dicunt, operam posuêre, parùm de ipsâ legis obligantis naturâ solliciti. Sic Puffendorfius de J. N. et G. l. 1, c. 6, § 18, definiens legem naturalem, ait : *Est, quæ cum rationali et sociali naturâ hominis ita congruit, ut humano generi honesta et pacifica societas citra eamdem constare nequeat; aut, si mavis, quæ bonitatem velut naturalem, seu utilitatem ex nativâ suâ efficaciâ in ordine ad genus humanum in universum habet.* Hæc autem tota descriptio est non *legis naturalis* propriè, ut patet, sed potiùs finis naturæ ipsius humanæ, quem respicit principium cognoscitivum juris naturalis. Et juxta hanc intelligentiam ipsemet l. 2, c. 3, § 15, ait : *Fundamentalis lex naturæ isthæc erit : cuilibet homini, quantùm in se, colendam et conservandam esse pacificam adversùs alios socialitatem, indoli et scopo generis humani in universum congruentem.* Richardus etiam Cumberland non alio sensu accipere videtur legem naturalem, quando illam definit in tract. philos. c. 5, § 1 : *Lex naturalis est propositio clarissimè indita menti ex naturâ rerum consequenter à voluntate causæ primæ. Quæ propositio indicat actiones ad bonum commune agentium rationalium conducentes : quas præstitas præmia, neglectas pœnæ naturaliter sequuntur, prout exigit entium rationalium natura.* Nimirùm hic Auctor finem complectitur naturæ totius rationalis, ex quo principia omnia utique naturaliter indita deducit. Sed *de principio* hoc *cognoscitivo* legis naturalis dicam infra.

*De legis naturalis definitione sine ullâ ad Deum relatione.*

V. Unum hìc adnoto : iis omnibus, qui legem naturalem, seu *principium*, ut dicunt, *essendi* legis naturalis in pluribus, iisque naturalibus præceptis reponunt, non esse reverà solidam cum nostrâ sententiâ controversiam. Siquidem omnia naturalia præcepta unum dicuntur componere jus naturale, adeòque unam legem naturalem : possunt enim uniri in uno fine, et in

uno etiam auctore, seu legislatore, et in uno modo vel vitandi malum, quia malum est, vel præcipiendi bonum, quia honestum ac necessarium est. Quare congeries præceptorum naturalium ad moralem unitatem reduci potest. Posset autem difficultas inveniri, si nulla in præceptis illis naturalibus haberetur relatio ad Deum, supremum scilicet naturæ totius curatorem et gubernatorem. Siquidem, sublatâ penitùs hâc relatione, vel implicitâ in intrinsecâ actuum honestate et turpitudine, vel explicitâ in ipsâ legis naturalis naturâ, jam eo ipso non remaneret in peccato, nisi ratio à philosopho morali considerata, ut ait D. Th. 1-2, q. 71, art. 6, ad 4, scilicet, *secundùm quod contrariatur rationi*, non verò *secundùm quod est offensio contra Deum*, quod consideratur à theologis : et consequenter dari posset peccatum merè philosophicum, quod scilicet patraretur quidem *contra regulas, quibus homo se conformare teneretur*. Sed, quoniam regularum obligatio aliunde conciperetur quàm à naturâ, et à supremo Auctore et Gubernatore naturæ consequenter præscinderet, idcircò posset nullam habere divinæ offensæ rationem, adeòque nec habere, nisi externam, philosophicam malitiam. Hoc autem falsum esse, constat ex propos. damnatâ. Sed hic locus postulat catholicos nostros J. N. scriptores admonere, ne scilicet, ex eo quòd nonnullis juris naturæ professoribus, acatholicis quidem, displiceat principium aliquod cæteroquí naturale, sed lumine fidei regulatum, dicant propterea principium illud esse justæ reprehensionis meritum ; sed potiùs ut conentur rem ipsam ad rectam etiam rationis trutinam revocare. Hinc Puffendorfiana legis definitio : *Decretum quo superior sibi subjectum obligat, ut ad ipsius præscriptum actiones suas componat*, erit utique reprehensione digna; non quidem quòd Deum legis naturæ auctorem adstruat, et consequenter principium activum obligationis saltem perfectæ legis naturalis esse Dei voluntatem (quemadmodùm docto cuidam scriptori visum est); sed quòd manca sit, utpote iniquo etiam cuilibet decreto conveniens, ut supra posuimus. Similiter Cocceii et Heineccii legis naturæ definitio : *Complexum regularum ab ipso Deo immortali humano generi per rectam rationem promulgatarum*, nec erit reprehendenda ob expressam Dei præcipientis mentionem, quæ citiùs inde laude digna erit : verùm quòd nullum profert discrimen inter præcepta et consilia, quæ etiam dici possunt regulæ à Deo hominibus promulgatæ, ut patet, et tamen ex fide distinguere illa oportet : quemadmodùm polemici contra heterodoxos tuentur, et videre licet ap. Bellarm., l. de Monach. à c. 7, Suar., tr. de Relig., l. 1, à c. 6. Neque tandem Grotii aliorumque scholasticorum doctrina de legis naturalis definitione à docto auctore catholico dici debet jure reprehendenda, quòd adstruat, actionibus jure naturali præscriptis inesse naturalem honestatem, aut turpitudinem ex se ipsis. Hoc enim juxta saniora catholicorum dogmata videtur compertum. Erit autem aliqua reprehensione digna legis naturalis definitio : *Congeries regularum, ad quas actiones liberas homines componere obligantur, naturali ratione cognita atque perspecta.* Siquidem, exclusâ intrinsecâ in actibus honestate vel turpitudine, et nullâ habitâ supremi naturæ Gubernatoris mentione, peccato merè philosophico via sterneretur : obligatio enim posset aliunde juxta hujusmodi principia, quàm à Deo oriri in actibus illis.

*Unde habeat vim obligandi lex naturalis ?*

VI. In obligatione legis naturalis ex dictis constat, totam vim oriri à lege æternâ Dei, cujus voluntatem lex naturalis innuit : quod verò adeò obliget, ut præcisâ etiam legis supernaturalis cognitione, obliget in conscientiâ, et transgressorem æternâ pœnâ puniat, est certum de fide, ut patet ex illo ad Rom. 2 : *Quicumque sine lege* (utique scriptâ) *peccaverunt, sine lege peribunt*, scilicet, quia naturalem legem violârunt : de quâ subdit : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*, etc. *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.* Hoc autem in hypothesi culpæ gravis, ut puta in materiâ gravi et necessariâ ad charitatem Dei, vel proximi, atque adeò ad felicitatem humanam consequendam. Neque obstat, quòd neque ratio naturalis, nec lex naturalis ostendat hanc pœnam : quia lex hæc naturalis, etsi prout est in nobis non ostendat hanc pœnam, prout est in Deo tamen, ubi nimirùm est voluntas divina directa ratione, hanc pœnam repræsentat : et hoc sufficit ad illam subeundam, si semel homo efficiat actum tali pœnâ dignum, licet meritum suæ transgressionis ignoret. Obligatio autem hæc ex vi legis naturalis specialis est; et in ordine ad malum vitandum supponit etiam, ut diximus, quamdam intrinsecam obligationem debitam ipsi naturæ : unaquæque enim res quodammodò sibi debet, ut nihil faciat suæ ipsius naturæ dissentaneum.

DE PERPETUITATE LEGIS NATURALIS.

IV.

*Lex naturalis per seipsam desinere non potest, vel mutari, neque in universali neque in particulari, manente naturâ rationali cum usu rationis et libertatis.*

« Ita ex D. Th. 1-2, q. 95, art. 4 et 5, et q. 100, « art. 8, et 2-2, q. 66, art. 2, ad 1, et q. 104, art. 4, « ad 2, ex August. l. 83, quæst. 53, et lib. de verâ Re- « lig., c. 31, et l. 1 de lib. Arb., c. 6. *Tum : hoc jus « naturale vel consideratur in Deo, vel in homine : prout « est in homine mutari non potest, quia est intrinseca « proprietas necessariò fluens ex tali naturâ, quâ talis « est, vel (ut alii volunt) est ipsa rationalis natura. Ergo « repugnat, manente tali naturâ aptâ ad utendum ratio- « ne, auferri legem naturalem. Si verò consideretur hæc « lex, ut est in Deo, supra ostensum est, non posse au- « ferri neque à judicio divini intellectûs, neque à volun- « tate, quâ velit vel talia bona præcipere, vel talia vita- « re : habitâ nimirùm ratione ad Gubernatorem naturæ « rationalis.* » Ex Suarez de Leg., l. 2, c. 13, n. 2.

*Legis naturalis immutabilitas.*

I. Ad pleniorem legis naturalis cognitionem nonnullæ supersunt explicandæ legis ipsius proprietates. Has inter potissima est ejus firmitas et immutabilitas. Posset autem in lege fieri mutatio, vel ex eo quòd

ipsa de se deficeret quasi ab intrinseco : si scilicet ex utili fieret noxia, aut ex rationabili fieret irrationabilis ; vel virtute alicujus agentis habentis potestatem. Jam posita propositio de primi generis mutatione procedit. Tota autem rationis vis in eo innititur, quòd nimirùm lumen intellectûs, quod naturaliter est in homine, in præsenti providentiâ repræsentet necessariò rem *honestam*, non modò ut convenientem naturæ rationali, sed etiam ut præceptam ; et *inhonestam* non modò ut dissonam, sed etiam ut vetitam à supremo Legislatore seu Gubernatore naturæ rationalis. Ergo ubi semel immotum manet lumen intellectûs, et immotæ manent objectorum naturæ (prout nimirùm debent) in îsto casu, quemadmodùm lex æterna Dei manebit immota vel præcipiens, vel vetans, ita lumen intellectûs repræsentabit constanter vel præceptum, vel prohibitionem : præceptum, pro circumstantiis determinatis ; prohibitionem verò, pro quâcumque circumstantiâ juxta naturam rei ipsius et objecti.

*De honestate mutabili vèl immutabili rei.*

II. Atque ex postremis hisce verbis patet, quomodò procedat obligatio legis naturalis circa rem aliquam positivè honestam. Si enim rei honestas est *omninò immutabilis*, ut est puta *obsequium erga Deum*, in hoc casu nunquàm erit circumstantia oppositum permittens ex lege naturali : licet erit circumstantia vel præscindens, vel præcipiens, ut infra dicemus. Si verò rei honestas *mutare potest*, quòd alligata sit circumstantiis mutabilibus, in hoc casu lex naturalis respicit rem illam uno modo, quando est honesta ; alio modo, quando est inhonesta : primo modo, ut præcipiens ; secundo modo, ut prohibens. Quare lex naturalis eadem manet præcipiens honesta, vetans autem turpia. Quænam autem hæc sint, dictamen rationis ostendit.

*Quid alii opinentur de hâc legis immutabilitate ?*

III. Constantiam hujus legis habemus à Lactantio assertam, lib. 6 de vero Cultu, c. 6, ubi etiam Ciceronis sententiam lib. 3 de Rep. citat : *Est quidem vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo ; vetando, à fraude deterreat ; quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat ; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec propagari fas est, neque derogari ex hâc aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum, aut per populum solvi hâc lege possumus. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthàc : sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit : unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus : ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur : hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.* Hanc etiam immutabilitatem heterodoxi etiam juris naturalis scriptores afirmant. Puffendorfius de J. N. et G. l. 2, c. 3, § 5, ait : *Posità rerum et humanæ naturæ constantiâ, etsi ex beneplacito divino illa ab initio sic formata fuerit, lex naturæ firma et immota persistit.* Quomodò autem firmitas hæc concipiatur, si nulla sit intrinseca rebus honestas, aut turpitudo, est non levis utique contra Puffendorfium difficultas : quam fortassè meliùs infra explicabimus.

DE LEGIS NATURALIS FIRMITATE.

V.

*Non potest Deus dispensare in aliquo præcepto naturali, sed mutare materiam ejus, vel circumstantias, sine quibus præceptum ipsum naturale non obligat ex se et absque dispensatione.* Suar. de Leg. lib. 2, cap. 15.

*Si præceptum est naturale, ut tale est, sequitur per consequentiam necessariam ex principiis naturalibus. Ergo non potest magis dispensari in illo, quàm in ipsis principiis. Conscquentia patet, quia omnis falsitas, vel defectus in conclusione redundat in falsitatem, vel defectum, aut mutationem principii. Antecedens verò patet quia si non sequitur necessariò ex principiis naturalibus, ergo non obligat ex vi solius rationis, et discursûs : ergo non est merè naturalis obligatio. Declaratur tam in affirmativo, quàm in negativo præcepto : quia si præceptum affirmativum non sequitur necessariò ex principiis naturalibus, ergo actus, quem præcipit, non est simpliciter necessarius ad honestatem morum ex vi solius rationis : ergo nec est præceptus, nec sub obligatione naturali, nisi accedat aliqua voluntas, quæ inducat necessitatem. Unde è contrario nec omissio talis actûs erit per se et intrinsecè mala in aliquâ opportunitate, vel cum aliquibus circumstantiis. Nam si pro aliquo tempore vel occasione habet illam intrinsecam malitiam, non verò pro aliis ; certè pro illâ erit præceptum naturale obligans ad talem actum, et non pro aliis ; et ita stante illâ occasione cum omnibus circumstantiis, non poterit præceptum non obligare : quòd si mutetur occasio, et circumstantiæ, tunc desinere poterit obligatio, non tamen per dispensationem, sed quia hæc est natura præcepti affirmativi, ut obliget semper, et non pro semper. Si verò præceptum est negativum, ut sit naturale, oportet ut prohibeat rem, quia mala est : atque adeò ut per se et intrinsecè est mala ; alioqui non erit præceptum naturale, quòd non facit, sed ostendit malitiam actûs prohibiti. Nam si actio ex se talis non est, necessaria erit aliqua voluntas, per quam fiat mala.* Ibid.

*De multiplici præceptorum J. N. genere.*

I. Ne in æquivocatione versemur, status propositionis est, non posse Deum efficere ut actiones illæ, puta, quæ per legem Decalogi prohibentur, malæ non sint ullo modo, ita ut nec per legem ostensivam naturalis rationis vetentur ut malæ. Dantur siquidem tria præceptorum naturalium genera : aliud præceptorum universalium, quemadmodùm : *Malum non est faciendum ; bonum est prosequendum :* et de his præceptis nemo sanæ mentis dubitat non posse dispensationem suscipere. Aliud continet conclusiones quasdam immediatas, et dictis principiis intrinsecas, ut *præcepta Decalogi*. At de hoc præceptorum genere sustinent nonnulli fieri posse, atque adeò factam à Deo dispensationem. In tertio genere sunt alia præcepta multò magis remota à primis principiis, et à præceptis De-

calogi. De quibus etiam propositio Suarezii procedit.

*De multiplici, in divinis attributis ratione.*

II. Ut probè intelligatur, quid sit *dispensatio* in hoc loco oportet distinguere in Deo varias rationes. Est enim Deus *supremus legislator* : unde habet ut possit nova et varia præcepta imponere : est etiam *supremus dominus*, qui potest dominia mutare vel concedere; est item *supremus judex*, qui potest punire vel unicuique reddere quod ei debetur. Jam verò *dispensatio* propriè ad Deum sub primâ consideratione pertinet, quia ejusdem est potestatis tollere, et condere legem. Itaque ut intelligatur Deus dispensare, oportet, ut, utendo solâ illâ jurisdictione, et non adjungendo potestatem dominativam, per quam res ipsas immutet, licere faciat, quod antea non licebat. Nam si per dominium suum mutet humanum, hoc non erit dispensare, sed mutare, et tollere materiam legis. Quoties ergo Deus facit licitum actum, qui jure naturæ videbatur prohibitus, nunquàm id facit ut purus legislator, sed utendo aliâ potestate, et ideò non dispensat.

*An Deus unquàm in lege naturæ dispensaverit?*

III. Quare in exemplis quæ de hâc divinâ dispensatione producuntur, posito usu divini dominii in materiam illam legis, factum est, ut non permanerent illæ eædem res, ac erant antea, seu quæ intrinsecam habebant vel honestatem, vel inhonestatem. Et idcircò illas sic immutatas lex naturalis, non, ut antea, respiciebat. Voluntas itaque divina non intrinsecam immutavit rei ipsius honestatem (quæ quidem independens ab illâ est), sed, circumstantias rei immutando, aliam loco illius rem substituit, cum alio scilicet honestatis respectu. Nobis autem, rei circumstantias à divino dominio immutatas non introspicientibus, visa est eadem res, ac erat antea : adeòque sub eâdem honestatis ratione. Sed mentis nostræ infirmitati vertendum hoc : et juxta traditam doctrinam reformandæ sunt putatæ hujus dispensationis ideæ.

*De Puffendorfii in suis principiis inconstantiâ.*

IV. Atque hæc quidem optimè descendunt ex positis intrinsecæ rerum honestatis principiis. At non video cur Puffendorfius de J. N. et G. l. 2, c. 3, § 5, ad nostra hæc principia confugerit, exempla illa divinæ dispensationis explicaturus : *Facilè responsio patet ad illa exempla, ex quibus aliqui colligere volunt, quasi Deus de lege naturæ dispensaverit, dùm Abrahamum jussit mactare filium : Israelitas subducere Ægyptiis vasa aurea et argentea. Deo quippe tanquàm supremo omnium Domino longè eminentius est jus in suas creaturas, quàm homini in hominem naturâ sibi æqualem. Igitur propriè non est dispensatio de lege naturæ, quando homo per expressum Dei mandatum exequitur jus Dei in homines, tanquàm nudum ipsius instrumentum. Conf. Grotius, l. 1, c. 1, § 10. Ubi arbitror, neminem fore tam simplicem, qui crediderit, quando objectum fuerit mutatum, aut circumstantiis variatum, in lege accidisse aliquam mutationem. Nam quod creditum creditor debitori acceptum retulit, non ampliùs comprehenditur sub illâ lege : creditum est restituendum, quia creditum esse desiit. In illo autem exemplo, quando deponentis bona fisco addicuntur, neque lex, neque objectum legis mutatur. Lex enim ita propriè se habet : Depositarius rem acceptam debet restituere ei qui rem suam deposuit, aut qui in ejus jus successit. Sic igitur hæc lex non pertinet ad furem, quia res deposita non est ipsius : neque ad deportatum, quia in dominium ejus fiscus successit.* Non video, inquam, cur principiis Suarezii, et fermè iisdem verbis, ac Suar., de leg. l. 2, c. 15, n. 20, explicuerit propositа exempla. Citat ipse Grotium, qui sanè ibi sustinet, *jus naturale esse etiam per divinam potentiam immutabile. Sicuti impossibile est ipsi Deo efficere ut* bis duo *non sit* quatuor, *ita nec est ipsi possibile efficere ut quæ actio in se et naturâ suâ mala sit talis non sit. Et n. sequente explicat, Deceptionem illam aliquorum minùs acutè cernentium in jure naturali, ubi aliquid putant in lege ipsâ immutatum, cùm nonnisi in objecto mutationi cæteroqui obnoxio accidit.* Affert exemplum creditoris respectu debitoris, quem usurpavit Puffendorfius : et resolvit per supremum Dei dominium in res ipsas exempla illa dispensationis. Utique benè etiam procedit hæc explicatio in Grotii sententiâ, admittentis scilicet intrinsecam rebus ipsis honestatem.

At Puffendorfius, qui de J. N. et G. l. 1, c. 2, § 6, reprehendit Grotium de hâc eâdem sententiâ in eodem loco, scilicet l. 1, c. 1, § 10, his verbis : *Unde apparet non satis expendisse hanc rem Grotium de J. B. et P.*, l. 1, c. 1, § 10, *dùm inter illa, ad quæ divina se potentia non extendit, eò quòd contradictionem involvant : refert malitiam quorumdam actuum humanorum. Equidem non possunt non bis duo esse quatuor, quia bis duo, et quatuor, sunt unum et idem, vocabulis tantùm differunt, aut modo concipiendi : manifestissima autem contradictio est, idem simul esse idem, et non esse idem. At talis sanè contradictio non apparet in actibus juri naturæ adversantibus.* Et quidem suis principiis cohærenter Puffendorfius hìc ratiocinatur : *Siquidem ex ipso hìc honestas moralis, et turpitudo oritur à convenientiâ, vel disconvenientiâ cum lege; lex verò est jussum superioris, seu Dei* (et quidem ut habet l. 1, c. 1, § 4); *penès quem tanquàm creatorem fuit, libertatem voluntatis certis limitibus circumscribere, et reluctantem, intentato aliquo malo, versùs eam,* quam ipse vult, *partem flectere.* (Hinc sequitur consequenter, quemadmodùm habet l. 1, c. 1, § 23). *Entia moralia uti impositioni* (scilicet ex placito Dei) *suam debet originem; ita ab eâdem stabilitatem quoque, aut mutationes sortiuntur : et ubi ista velut cessaverit, ipsa simul evanescunt : non secus atque extincto lumine umbra simul disparet. Et quidem* quæ divinâ ex impositione orta sunt, non nisi divino arbitrio iterùm tolluntur. Quæ quidem verba clarissima sunt, et clarissimè ostendunt, *non dari contradictionem* in eo quòd potentia divina se extendat ad honestatem actuum humanorum. Sed hìc adversùs Puffendorfium subsumo : si honestas quælibet actuum humanorum ex divinâ liberâ voluntate existit, et ab ipsâ liberâ potest auferri, et quidem ut ait cit. § 23 : *Ipsa rerum substantia physica aut quidquam immutata,* jam eo ipso poterit *actus honestus ex divino placito reddi inhonestus,*

*et contra*, saltem pro aliquo casu : sicuti etiam posset pro aliquo casu *ab actu honesto tolli ex divino arbitrio honestas*. Ergo in exemplis illis juxta principia modò dicta censeri posset, ita factum à Deo. Atqui ipsemet Puffend. asserit l. 2, c. 3, § 5, hoc fieri à Deo minimè posse ; ait enim : *Postquàm à Deo creatus est homo, animal quod citra observationem legis naturalis salvum esse nequit ; inde haud quidquam fas est credere, eumdem velle legem naturæ tollere, aut immutare, quamdiù naturæ humanæ nullam mutationem infert. Adeòque positâ rerum et humanæ naturæ constantiâ, etsi ex beneplacito divino illa ab initio sic formata fuerit, lex naturæ firma, et immotâ persistit.* Et idcircò exempla illa juxta nostra principia explicat. Posset igitur Deus mutare, et non posset. Hæc autem qui secum cohærent? Illud hìc repetendum est, quod aiebat Leibnitius in Epist. illâ contra ipsum Puffendorfium ad Molan. Abbatem : *Mirum esset virum acutum secum adeò pugnare potuisse, nisi sciremus facilè evenire paradoxa tuentibus, ut, prævalente sensu communi, sui dogmatis obliviscantur.*

## DE PRINCIPIIS COGNOSCITIVIS LEGIS NATURALIS.

### VI.

Principium cognoscitivum legis naturalis habens rationem finis seu regulæ actuum humanorum est hoc: « Quod est necessarium ad felicitatem, seu beatitudinem naturalem homini sive in particulari, sive in communi assequendam, illud est legis naturalis præceptum : quod verò est minùs necessarium, est levius præceptum. Suar. 1-2 disp. 16.

*Naturâ suâ homo tendit ad naturalem beatitudinem sive in particulari, quæ dicit suarum facultatum perfectionem ; sive in communi, quæ importat aggregationem omnium bonorum. Ergo omne id quod necessarium est ad prædictam beatitudinem naturalem consequendam, est legis naturæ præceptum, quod est minùs necessarium, est levius præceptum.* Ibid. sect. 1, num. 1 et 5.

### VII.

*Principium proximè cognoscitivum honestatis moralis est, actuale judicium mentis dictans objecti convenientiam cum naturâ rationali, vel disconvenientiam modo dicto.*

### VIII.

*Principium proximè cognoscitivum legis naturalis est, actuale judicium mentis repræsentans objectum vel ut præceptum, vel ut vetitum, à supremo Auctore et Gubernatore naturæ rationalis.* Suar. 1-2, tract. 3, disp. 12, sect. 3.

*Ratio* (D. Th. 1-2, q. 19, art. 3) *est optima : Voluntas pendet ex ratione ut ostendente objectum, et ideò necessaria est ratio, quæ ostendat objectum honestum, ut voluntas sit honesta. Item voluntas est potentia cæca ; indiget ergo dirigente et gubernante, ut recta tendat ; hoc autem non est nisi recta ratio, quæ hoc præstat per judicium conscientiæ : quocirca si hoc judicium certum sit, non est dubium quin in suo genere sufficiat ad honestatem voluntatis ; neque enim aliquid ampliùs ab homine requiri potest, cùm et objectum propositum sufficiens sit, ut supponitur, et modus etiam proponendi sit perfectus, quantùm ab homine præstari potest.* Ibid. num. 1.

*Ut conscientia obliget, necessarium est ut in objecto obligationem proponat ita ut non solùm indicet aliquid esse bonum, sed etiam necessarium ad honestatem. Potest enim obligare vel ad omittendum, vel ad faciendum ; et ad hoc ex parte objecti satis est, ut contrarium proponat tanquàm malum, quia omne malum cavendum est naturâ suâ, et vitandum. Vel potest obligare ad aliquid faciendum, idque dupliciter : scilicet vel quoad exercitium actûs, et necesse est ut judicem me teneri hìc et nunc ad hoc faciendum ; vel quoad specificationem tantùm, ut si judicem, quamvis non tenear orare, v. g., tamen si orare velim, debere orare attentè, vel alio modo. Et tunc etiam necesse est ut illam conditionem proponat tanquàm necessariam ad honestatem. Ratio generalis est, quia conscientia (seu judicium hoc mentis) non obligat, nisi ut applicans legem (nimirùm ut repræsentans legem) seu obligationem, quæ ex objecto nascitur. Ergo necesse est ut proponat objectum, ut inducens obligationem, vel ex se, vel ex superioris mandato.* Ibid. sect. 4, n. 2.

*De variâ acceptione principii cognoscitivi J. N.*

I. Nihil adeò frequenter apud juris naturalis scriptores invenire licet, quàm *principia cognoscitiva* juris naturalis. Quid autem eo nomine intelligant, si aliquos consulas, puta Thomasium, Instit. jur. div. l. 1, c. 4, Ludovici, Dub. circa jus nat. audies, eos intelligere *propositionem sub quâ et ex quâ reliqua præcepta comprehendantur et inferantur ;* si alios apud Genuens. de Princip. jur. nat. præf. et cap. 8, interroges, accipies ea esse *à naturæ propensionibus, quæ tàmen non insint illi à qualitatibus et vitiis naturæ humanæ adventitiis, sed à proprietatibus insitis et essentialibus,* seu à vi quàdam innatâ. At, si attentè ab auctoribus ipsis statuta principia cognoscitiva expenderis, utrumque noveris ab ipsis intelligi ; et naturalem veluti quemdam actum, et eam naturalem inclinationem, ut inde cætera naturalia præcepta deduci possint. Hinc illud Puffendorfii de J. N. et G. lib. 2, c. 3, § 14. « Nobis « nulla via proprior videtur, et magis apposita ad inve- « stigandum jus naturale (seu, ut ex loco ipso appa- « ret, *principium cognoscitivum Juris naturalis*), quàm « ipsam hominis naturam, conditionemque, et incli- « nationes accuratiùs contemplari. » Postquàm verò § 15 sequenti statuit fundamentalem legem naturalem, scilicet *socialitatem*, statim, ut ostendat inde erui præcepta omnia naturalia, subdit : *Omnia quæ ad istam socialitatem necessariò faciunt, jure naturali præcepta ; quæ eamdem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi.* Eodem fermè modo ratiocinantur Grotius, Heineccius, Cumberlandus, aliique. Quamobrem illud erit optimum *juris naturæ cognoscitivum principium*, ad quod consequendum omnia dirigantur naturalia præcepta, et à quo certo quodam modo dependeant.

*De principio proximè cognoscitivo.*

II. Hæc igitur cùm ita sint, non unum tantùm placuit cognoscitivum principium statuere, sed duplex pro duplici quidem acceptione ; et proximum princi-

pium cognoscitivum alterum dedimus pro *honestate morali*, alterum pro *lege ipsâ naturali*, et quidem juxta posita superiùs à Suarez. Illud hìc præ oculis habuimus, ut nimirùm tale esset utrumque, et ex quo omnia possent deduci particularia honestatis moralis principia, et particularia etiam legis naturalis præcepta. Sanè ut de *proximo principio* loquamur, nullum dari potest aliquod magis proximum ad cognoscendam honestatem moralem criterium, vel nulla clarior ad dignoscenda legis naturalis præcepta regula, magisque intima, ac ubique præsens, quàm actuale prudens judicium, sive repræsentans convenientiam cum naturâ rationali, sive exhibens voluntatem supremi Conditoris ac Moderatoris naturæ rationalis? Quæcumque enim ab hoc judicio præscindunt, etsi reverà coram Deo ad legem naturalem, vel ad moralem spectent honestatem, nunquàm ad principium ipsorum cognoscitivum referentur; et contra, ubi semel sub hoc judicio repræsentantur, vim suam exerunt. Sive ergo præcepta naturalia velimus distinguere communi illâ ex parte personarum distinctione, scilicet circa Deum, circa proximum, circa seipsum; sive per virtutes, ut justitiæ, charitatis, seu amoris naturalis, etc., sive in ordine ad intellectum; nam quædam sunt per se notæ, et in se, et respectu omnium hominum, ut sunt universalissima præcepta; alia in se per se nota ac immediatè, non tamen quoad nos, quamvis respectu sapientûm possint esse talia, ut sunt aliqua præcepta singularum virtutum, et præcepta Decalogi; alia verò sunt quæ indigent discursu, ubi aliqua facilè, alia difficilè cognoscuntur : in omnibus hisce divisionibus locum habet criterium à Suarezio statutum, quo scilicet in particulari dignoscam quinam actus sint hìc et nunc ex lege naturali præcepti vel vetiti. Idem pariter aptari potest ad aliam divisionem præceptorum naturalium, quam innuit Suarez de Leg. l. 2, c. 8, n. 4, juxta varias hominis inclinationes naturales cum D. Thomâ; aitque : « Est homo individuum quoddam « ens, et ut sic inclinatur ad conservandum suum esse, « et ad suam commoditatem; est etiam ens corrupti- « bile, seu mortale, et ut sic inclinatur ad conserva- « tionem speciei, et ad actiones propter illam necessa- « rias; tandem rationalis est, et ut sic capax immor- « talitatis, et spiritualium perfectionum, et communi- « cationis cum Deo, ac societatis cum rationalibus « creaturis. Lex ergo naturalis perficit hominem se- « cundùm omnem inclinationem suam, et ut sic con- « tinet varia præcepta temperantiæ vel fortitudinis, « secundùm primam inclinationem; castitatis et pru- « dentiæ, quoad secundam; religionis, justitiæ, etc., « quoad tertiam. Nam hæ omnes propensiones in ho- « mine spectandæ sunt, quatenùs aliquo modo deter- « minatæ et elevatæ per gradum rationalem. Nam si « considerentur ut merè sunt naturales, vel animales; « potiùs frænandæ sunt ad virtutem assequendam, ut « dixit Arist. 2, Ethic. c. 9, et Chrys. hom. 13 ad po- « pulum versùs finem; tamen ut regulabiles per rectam « rationem singulis respondent propria et accommo- « data præcepta. » Jam quemadmodùm, universaliter loquendo, legis naturalis præcepta dantur homini, ut naturales propensiones dirigat perficiatque; ita ad statutam regulam ipsi est confugiendum, ut modum et rationem illarum perficiendarum in particulari dignoscat. Idem de aliorum systematis dici debet, quod patet, illa referendo.

*De Grotii et Puffendorfii principiis cognoscitivis J. N.*

III. Grotius de J. B et P. in disc. prælim. in Prolegomenis à § 8, proponit pro cognoscitivo principio juris naturæ *appetitum societatis pacatæ et tranquillæ*; statuit enim jus ipsum naturale *in quâdam convenientiâ aut disconvenientiâ cum naturâ rationali et sociabili*, lib. 1, c. 1, § 12, n. 1. Jam in eodem disc. § 8, ait : *Hanc societatis custodiam humanæ menti conformem esse fontem juris propriè dicti.* Et confirmat hoc auctoritate Senecæ, *de Benef.* lib. 4, c. 18, quem locum refert Barbeyracius in notis ad caput hoc Grotii. Tale autem principium non alio auctore quàm Deo in nobis existit; et idcircò ait Grotius ibid. § 3 : *Tale jus meritò Deo adscribi potest.*

IV. Non absimile huic statuit principium suum Puffendorfius, et conformitatem hanc inter hos auctores agnoscit et fatetur Barbeyracius in notis ad Grot. edit. not. 1, ad § 8, ubi lectorem remittit ad ea quæ ipse ad idem principium socialitatis à Puffendorfio statutum in notis ad Puffendorfium dixerat. Puffendorfius verò Grotiani principii, à quo suum hauserat reverà, non meminit, prout debebat; nec Grotium ipsum nominat, nisi ad aliud principium inferiùs commemorandum et impugnandum. Quin et Mascovius egregiam Puffendorfio laudem ex hoc principio conciliare studet, nec aliquid Grotio tribuit. Jam Puffend. *de J. N. et G.* lib. 2, c. 3, § 15. Et *de Offic. hom. et Civ.* lib. 2, c. 3, § 9, ait : « Fundamentalis lex naturæ isthæc erit · « cuilibet homini, quantùm in se, colendam et con- « servandam esse pacificam adversùs alios socialita- « tem, indocili et scopo generis humani in universum « congruentem. » Tum explicat quid nomine *socialitatis* intelligat : « Per socialitatem innuimus ejusmodi « dispositionem hominis erga quemvis hominem, per « quam ipsi benevolentiâ, pace et charitate, mutuâ- « que adeò obligatione conjunctus intelligitur. Ut adeò « falsissimum sit, eam, quam nos insinuamus socia- « litatem indifferenter se ad bonam et malam societa- « tem habere. »

*Improbatur socialitatis prædictæ systema.*

V. Quamvis principium hoc socialitatis sit à naturâ inditum homini, quem *animal sociabile* constituit, unde Tullius, lib. 1. de Off., n. 11, postquàm hominem ut animantium unum et ut rationalem cum suis officiis consideravit, subdit : *Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitæ societatem; ingeneratque inprimis præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati sunt, impellitque ut hominum cœtus ac celebritates esse, et à se obiri velit; ob easque causas studeat parare ea quæ suppetant ad cultum et ad victum; nec sibi soli, sed conjugi, liberis, cæterisque, quos charos habeat tucrique debeat;* quanquàm, ut dixi,

hoc sit à naturâ nobis constitutum, adhuc in eo principio plura supersunt obscura, plura etiam desiderantur. Desiderantur sanè *officia erga Deum*, quæ totius ethices præcipuum est fundamentum ac firmissimum. Ob id auctor reprehensus, sufficientem sibi visus est attulisse excusationem in Specim. Controv. c. 5, § 25, et Spicil. Controv. c. 1, § 14, ubi ait, *hoc sibi constitutum præcipuè esse, ut officia hominum mutua, sive erga alios explicet.* Quam quidem excusationem planè futilem homini christiano de J. N. et G. scribenti ipse advertit, atque in lib. de Off. hom. et Civ. emendavit, addiditque officia erga Deum. Verùm ægrè ex suo principio possunt ea deduci. Rursùs non videtur, hoc principium aptari commodè posse *actibus internis*, quos inprimis dirigere debet morum philosophus. Insuper hoc principium Adæ non congruisset, si diutiùs sine socio vixisset. Quid? quòd aliquando videntur officia erga nos cum iis quæ aliis debemus collidi? Certè ea erga nos præponi debent, licet hìc Hertius queratur, de Socialit. J. N. princ. sect. 2, § 8, multis ambagibus rem obvolvi. Quid rursùs, si collidantur officia majoris et minoris societatis, utriusque commoda sunt præferenda? Hoc idem advertit Mascovius, et arbitratu suo litem diremit: *primùm minoris civitatis commoda, tum majoris.* Quàm magna tandem sequentur absurda, si in hâc socialitate non alia spectanda sunt bona, nisi quæ vitæ hujus cursum possunt perficere? Ita verò *socialitatem* hanc statuit ipse Puffend. J. N. Principium; nam habet § 6, vel 8, Præf. ad lib. de Off. hom. et civ.: *Finem scientiæ juris naturæ tantùm ambitu hujus vitæ includi, adeòque ea hominem formet, prout hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat.* Et in fin. §: *Inde J. N. scita ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod ultra hancce vitam se non extendit.* At quàm hoc sit philosopho morali christiano indignum, patet ex his quæ contra Puffendorfium objecit Leibnitius in Epist. ad Nolanum.

*De Cumberlandi principio J. N. cognoscitivo.*

VI. Richardus Cumberland aliam reverà iniit viam ad legem hanc naturæ dignoscendam, licet Puffendorfius loc. cit. asserat: *Cæterùm à nostrâ lege fundamentali non abit illa Rich. Cumberland. de leg. nat.* c. 1. § 4. Itaque Cumberlandus legem hanc naturæ ex creaturarum rationalium fine eruendam censet. Tum subdit finem hominis esse beatitudinem, cujus natura capax est. Beatitudo verò, cujus homo hìc capax est, duo complectitur, ut animus sine ægritudine, corpus sine dolore sit. Media autem ad hunc finem conducentia à Deo, à quo finis processit ille, præcipiuntur; et illi fini contraria item à Deo auctore naturalis illius finis vetantur. Præcipuum verò fundamentum ad nostram felicitatem obtinendam (quo posito, felicitas datur; quo oblato, aufertur) est mutua erga omnes benevolentia, quantùm fieri potest, maxima et communis boni studium. Ita c. 1, § 4. Tandem ex hâc mutuâ benevolentiâ omnia juris naturalis præcepta deducit. Sanè hoc principium non ea claudit absurda, quæ Puffendorfianum socialitatis jam dictum complectitur.

*De principio J. N. cognoscitivo Heineccii.*

VII. Heineccius de J. N. et G. l. 1, c. 3, postquàm § 67 et 68 explicuit principium cognoscendi J. N. esse debere *verum, evidens*, atque *adæquatum*, ac rursùs plures philosophorum sententias impugnavit, eodem fermè modo ac Cumberlandus ratiocinari cœpit: « De « eò quòd Deus velit homines felicissimos et vera « felicitas in fruitione boni malique absentiâ consistit, « vero autem bono frui non possimus, nisi per amo- « rem. Inde infertur Deum nos obligare ad amorem, « eumque et principium juris naturæ et ejusdem ve- « luti compendium esse. » Sic § 77, 79. Quoad « objecta hujus amoris asserit § 90: Nonnisi tria re- « perimus, quibus amoris quædam officia præstare « possimus, *Deum*, rerum omnium conditorem, *nos* « *ipsos*, qui nobis sanè sumus proximi, ac denique « *alios homines*, quos nobis naturâ æquales esse ani- « madvertimus. » Capite deinde 4 applicare conatur ad humanas actiones hanc normam. Utriusque hujus auctoris Cumberlandi scilicet, atque Heineccii principium cognoscitivum videtur ad finem ipsum hominis naturalem refundi, et cum illo Suarezii, de quo infra, in pluribus convenire.

*De Wolfii principio cognoscitivo J. N.*

VIII. Wolfius in Phil. pract. tradit principium universale ad legis naturalis dignoscenda præcepta. Vult autem naturâ nos duci ad statûs nostri perfectionem, tum quoad ea quæ corpus, tum quoad ea quæ animum spectant. Idcircò § 340 hanc statuit generalem regulam: *Quæ te statumque tuum perfectiorem efficiunt, facito; ea autem quæ te statumque tuum reddunt imperfectiorem caveto.* Hæc autem lex naturâ ipsâ suadetur; siquidem, ut ait Psych. Empir. § 354, *bonum est quidquid nos ac statum nostrum internum et externum perfectiores reddit;* et § 565: *Quidquid nos statumque nostrum, sive internum, sive externum imperfectiores reddit, malum est.* Asserit proinde in Phil. pract. § 153: *Lex naturæ nos obligat ad actiones intrinsecè bonas committendas, intrinsecè verò malas omittendas.* Sunt autem quas modò dixerat, actiones intrinsecè bonæ, aut malæ. Dignoscuntur autem ex naturali dolore, qui sequitur ea quæ nos statumque nostrum reddunt imperfectiores; et ex voluptate quâ afficitur qui ea curat quæ se suumque statum reddunt perfectiores. Quare in Phil. pract. illud statuit principium legis naturalis cognoscitivum § 179: *Determinatio actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non verò per diversas, est principium cognoscendi legum naturalium, omnisque juris naturalis.*

*Rejicitur Wolfii principium J. N. cognoscitivum.*

IX. De hujusmodi Wolfii propositionibus jam ostendimus, quæ mala sequuntur consectaria. Quoad hoc verò principium legis naturalis, fundatum videlicet in *bono perficiente naturam*, illud adnoto: optimè impugnari à Suarezio nostro *l.* 2 *de leg. c.* 5, ubi nimirùm ostendit fusèque probat, naturam rationalem, ut talis essentiâ est, non posse *nec præcipere, nec osten-*

*dere honestatem aut malitiam, nec dirigere aut illuminare, nec alium proprium effectum legis habere.* Unum profero argumentum ex n. 8, ubi assumens quòd si ex naturâ ipsâ, seu ex naturæ bono aut perfectione, ut vis (nam in idem recidunt omnia), lex naturalis esset haurienda, sequeretur « legem naturalem non esse « legem divinam, neque esse ex Deo, quia juxta « illam sententiam præcepta hujus legis non sunt ex « Deo, quatenùs necessariam honestatem habent; et « illa conditio, quæ est in naturâ rationali, ratione « cujus est mensura illius honestatis, non pendet à Deo « in ratione, licet pendeat in existentiâ. Nam quòd « mendacium, v. g., sit disconveniens tali naturæ, non « est ex Deo, nec pendet ex ejus voluntate; imò ordine « rationis est priùs quàm judicium Dei. Ergo lex na- « turalis præcedit judicium et voluntatem Dei. Ergo « non habet auctorem Deum, sed per se inest tali na- « turæ eo modo, quo de se habet ut sit talis essentiæ « et non alterius. » Hoc autem non est admittendum; nam lex naturæ verè dependet à voluntate Dei. Unde sequitur respectum ad bonum naturæ humanæ non honestare rem, multòque minùs legem.

*Confirmatur nostrum J. N. proximum principium cognoscitivum.*

X. Ut autem alios omittam, qui ad aliquod hujusmodi referunt principium cognoscendi legem naturalem, illud unum ex dictis colligo: Omnes propositionem aliquam innuêre, universalem quidem et cum naturâ ipsâ conformem, et si vis, à naturâ ipsâ inditam. Sed, ut Genuensis verbis utar de Princ. leg. nat. c. 14, § 13, *illud potiùs diligentiorem operam postulat: quæ sint ea (scilicet in particulari dignoscenda) quæ nos perficiunt, quæ naturâ ipsâ sunt sectanda, quæ verò imperfectiores reddunt.* Atque hoc ipsum de quocumque statuto ab aliis principio quæri potest. Quòd si humanas actiones in classes alias genericas conferas, peto rursùm principium cognoscitivum harum generalium classium? Nisi enim hoc tradas, quod cuique proximum sit et *immediatum*, non erit ex definitione ipsâ Heineccii, *principium cognoscitivum utilissimum cuique personarum generi*, quod auctores isti jactitant. Erit autem nostrum proximum cognoscitivum principium verum, evidens, adæquatum; et tale, ut ἀναλόγητοι (inexcusabiles) sint omnes etiam indocti, et subtiliori philosophiæ non assueti, si contra jus naturæ peccaverint; quod requirit Heinec. loc. cit., § 68. Rursùs est ab omnibus admittendum, ut patet; quod quidem de aliorum principiis cognoscitivis non comprobatur, et patet ex Samuele Cocceio Dissert, 11, proem. ad Grot. c. 4, § 20, aiente: *Tot ferè exstant cognoscendi principia, seu regulæ, quot scribentium capita;* quod manifesto satis indicio est, non tradi ab eis verum, evidens, adæquatum principium.

*Statuitur Principium J. N. cognoscitivum, habens rationem finis.*

XI. Scio omnes fermè juris naturalis scriptores non negare proximam hanc et immediatam morum regulam, quam D. Th. 1-2, q. 71, art. 6, vocat *regulam homogeneam*, et præterea *aliud* statuere *iuris naturalis cognoscitivum principium*, quod potiùs habeat *rationem finis*, ad quod dirigantur omnia J. N. principia, quinimò et actiones omnes. At si velis hujusmodi principium, quod *cognoscitivum* pro libito appelles, illudque universalissimum, ad quod omnia humana in actu secundo referantur, et à quo deducantur omnes conclusiones J. N. ad mentem Suarez, en illud: *Felicitas naturalis sive in particulari sive in communi obtinenda.* Sanè omnes felicitate trahuntur; et quandoquidem inter homines vivunt, quærunt viam ad propriam felicitatem simul cum aliorum felicitate, vel citra aliorum damnum. Quare autem omnes non sunt felices? Quia non ubi versatur *felicitas*, ab omnibus quæritur. Juvat hìc rem paulò ampliùs explicare. Qui ductu rationis vivunt, *in bono honesto* felicitatem quærunt; qui sensu duce reguntur, *in bono delectabili;* qui ductu utriusque, *in bono utili.* Jam homines felicitatem naturalem in se experiri debent, nequicquam contra inclamantibus aliis; non enim in intellectu meo sita est aliorum felicitas, sed uniusquisque sibi felix. Hoc autem esset quærendum lumine naturali: an *sensus* eodem modo faciant ad nostram felicitatem, ac *ratio?* Profectò à sensibus orta voluptas non semper æquè sentitur, et brevi perit, et sæpè invitis nobis mœrorem ingerit. Ergo non hìc *felicitas* reponenda, quæ sit finis totius naturæ moralis. Si voluptarius Epicureus posset *semper* in illo versari suæ voluptatis momento, vix equidem naturale argumentum, spectato vitæ præsentis cursu, posset inveniri ad illius animum expugnandum. Possemus illum hortari ad virtutis partes amplectendas argumentis ductis à bono honesto moralitatis; responderet tamen se esse sine virtute felicem. At experientiâ teste, voluptas brevi præterit, ac in dolorem vertitur. Principium verò, ad quod naturâ comparati sumus, non est, ut uno momento simus felices, sed ut majore vitæ parte simus felices, et cum majore felicitatis sensu. Non est ergo à sensibus haurienda felicitas. Hìc adhibenda est ratio, et conferenda sunt præteritæ, præsentis ac futuræ felicitatis tempora. Videbitur sanè non sensus, sed ratio debere eligi. Sed quoniam plerique in suis actibus præsenti voluptate trahuntur, nec futurum prævidentes, nec præteritum recolentes; idcircò veræ felicitati nuntium remittunt. Unde igitur in præsenti practicè dignoscam hoc aut illud esse necessarium ad prædictam felicitatem consequendam? Duplici viâ: altera à posteriori ex iis quæ post aliquos nostræ facultatis actus, vel post consecutionem alicujus boni nobis obveniunt, scilicet vel ex interno mœrore, vel ex interno gaudio; altera veluti à priori, scilicet *ex auctoritate et rectæ rationis dictamine.* Hoc itaque statuto pro universali, primo, certo, evidenti, atque adæquato J. N. principio, omnia mirum in modum congruent.

*De proprietatibus principii J. N. proximè cognoscitivi.*

XII. Interea tamen nonnulla subdamus de proximo J. N. principio, quod est totius moralitatis judicium. Et quidem, quod ad rem præsentem maximè facit, judicium hoc esse potest *certum*, si omnem excludat for-

midinem de honestate objecti, vel de legis præcepto; et hoc judicium denominat conscientiam certam. Conscientia verò dubia dici potest vel *intrinsecè*, quando nimirùm non habetur judicium positivum de honestate vel obligatione objecti; vel *extrinsecè*, quando habetur quidem judicium positivum de honestate objecti, sed adhuc datur aliqua formido de opposito : hæc conscientia dici debet practicè certa extrinsecè et speculativè dubia; ut quando quis dubitans an emiserit votum necne, judicat positivè esse licitum non implere. Hoc idem contingit in conscientiâ *probabili* vel intrinsecè vel extrinsecè. Jam certum est semper debere nos operari ex judicio proximo certo de honestate objecti; neque contra hoc judicium licet ullo modo operari. Sed hic opportunè quærit Suarezius, l. 2, tr. 3, disp. 12, sect. 2, n. 7, in fin., « Quomodò in re dubiâ, vel probabili potest « fundari certitudo ? Respondetur, quia non fundatur « in illo tanquàm in principio, sed solùm tanquàm in « solo simplici termino, seu extremitate syllogismi, « ex quo conficitur certum aliquod principium practi- « cum in hunc, vel similem modum : In tali dubio vel « probabilitate licitum est sic operari : sed hìc inter- « cedit tale dubium, vel probabilitas; ergo licitum « est, etc. Illæ præmissæ non sunt dubiæ, vel pro- « babiles, sed evidentes et certæ; aut assumunt du- « bium vel probabile tanquàm medium vel extremita- « tem syllogismi. » Sunt autem præmissæ illæ certæ ex principiis certissimis Probabilistarum; siquidem, ut fusè ostendit Gravina Tratten. apolog. su'l Probab. p. 1, dial. sulla concl. 2, n. marg. 32, qui operatur cum conscientiâ practicè ac verè probabili, certus est de honestate suæ operationis, licet de ipsâmet opinionis ipsius veritate non sit certus. Argumenta hìc recensere longum esset, nec planè hujus loci; sed quandoquidem scriptores J. N. de probabili conscientiâ verba faciunt; idcircò et nos summa capita argumentorum pro sententiâ probabili hìc proferimus. Ea autem capita ad hæc reducuntur : 1° quia Ecclesia Probabilismum sciens, et prudens permittit, atque ideò approbat permissivè; 2° quia doctores antiqui licitum asseruerunt, et exemplo ad praxim licitè reduci posse demonstrârunt; 3° quia qui illum sequitur, prudenter operatur; 4° quia illius usus est securus in conscientiâ; 5° quia ex præcepti incertitudine, cujusmodi Probabilismo continetur, non oritur obligatio; 6° quia consequenter deficit existentia præcepti; 7° quia saltem deficit sufficiens præcepti promulgatio; 8° quia in eo adest ignorantia invincibilis excusans à formali peccato; 9° quia nullum existit præceptum de sequendo Probabiliorismo; 10° quia etiamsi existit, tamen non est sufficienter promulgatum; 11° quia in illo libertas humana in certa suæ licitæ operationis possessione est; 12° quia illius usus est licitus in speculativis, unde et in practicis; 13° quia licitus est in quæstionibus pertinentibus ad fidem, unde et in rebus morum; 14° quia in moralibus sufficit quæcumque ostensio suasiva cujuscemodi in Probabilismo reperitur; 15° quia in incertis proprium judicium alieno submittere prudens ac laudabile est; 16° quia à Probabilioristis, ad quos id spectat, certò illicitus non demonstratur; 17° denique quia ex usu Probabiliorismi multa sequuntur absurda. Horum argumentorum vim ulteriore explicatione apud auctores dignoscere licet, quàm nobis in præsenti fas sit supponere. Neque enim impudentissimam Budæi in Hist. § calumniam hìc refellere est animus, ubi asserit : *Recentiores Honoratum Fabri, Terillum, Guimenium secutos asserere, et publicè contendere, fas esse; eligere sententiam vel unius viri doctrinâ inclìti auctoritate munitam, utut cæteroqui legi repugnantem;* neque concinæ temeritatem in suo J. N. libro, ubi Budæum impugnat asseritque : *Prima Probabilismi capita Ecclesia Romana damnavit, universumque systema communis quoque doctorum catholicorum sententia improbat.* Utrumque fusè impugnare esset philosophi limites excedere.

XIII. Non eodem tamen modo ratiocinandum est de turpitudine actûs, ac de honestate : pro hâc requiritur judicium certum, ut diximus; pro illâ sufficit hujus judicii defectus. Et licet judicium repræsentans objectum sit omninò falsum; si nihilominùs invincibiliter errat, unde videatur certum; eo ipso actus honestè ponitur, si repræsentatur sub ideâ honesti; si sub ideâ præcepti, debet poni. Obligatio autem oritur à lege non verè existente, sed invincibiliter putatâ. Diversimodè loquendum, si error est voluntarius et vincibilis, ut supra diximus. In omnibus autem adverti debet, quod licet detur aliquando judicium de turpitudine actûs; adhuc si ex sufficienti aliquâ ratione, vel auctoritate, vel per sufficientia principia practica, homo sibi rationabiliter persuadet, hìc et nunc licitè posse non operari juxta tale judicium speculativum, in tali casu judicium prius contemnit, aliudque in se efformat, et benè operabitur. V. Suar. loc. cit, sect. 4, etc.

DE JURE GENTIUM.

IX.

*Jus gentium non præcipit aliquid tanquàm ex se necessarium ad honestatem; nec prohibet aliquid quod per se et intrinsecè malum est vel absolutè vel supposito tali statu et conditione rerum; sed hæc omnia pertinent ad jus naturale, ac subinde in hoc sensu jus gentium non comprehenditur sub jure naturali.* Suar. de Leg. l. 2, c. 17.

1° *Quia multa dicuntur esse de jure gentium, quæ non habent illam intrinsecam necessitatem, ut divisio rerum, servitus, et alia quæ infra videbimus;* 2° *Quia jus gentium, nec circa prima principia moralia, nec circa conclusiones quæ ex illis necessariò inferuntur, versari potest; quia omnia illa sub proprio jure naturali comprehenduntur : præcepta naturalia, et quæ inde deducuntur, scripta esse dicuntur à Deo in cordibus hominum, ut sumitur ex Paulo ad* Rom. 2. *Præcepta autem juris gentium ab hominibus introducta sunt per arbitrium et consensum illorum, sive in totâ hominum communitate, sive in majori parte. Ergo quæ absolutè necessariam honestatem et intrinsecam continent, etiamsi per plures illationes deducantur, debent ad jus naturale spectare. Neque etiam dici debet jus gentium, quod comprehendat conclusiones necessarias, factâ aliquâ suppositione. Nam multa sunt de jure naturali, quæ non*

*obligant nec locum habent, nisi aliquâ suppositione factâ, ut præceptum non furandi non habet locum, nisi factâ divisione bonorum et dominiorum. Præceptum item parendi dominis non habet locum, nisi supposità servitute; justitia etiam contractuum non habet locum nisi ex suppositione commercii humani. Et ita sunt plura alia quæ manifestè pertinent ad jus naturale; nam ita sunt per se honesta, ut contraria prohibeantur quia mala, et non è contrario. Licet igitur conclusio sequatur ex suppositione se tenente tantùm ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis; talis conclusio ad jus naturæ pertinet, non ad jus gentium.* Ibid. n. 8, 9.

*De primâ juris gentium constitutione.*

I. Ut æquivocatio omnis tollatur, non est hìc sermo de *jure gentium*, quod Bartolus aliique juristæ vocant Primarium seu Primævum : hoc enim est ex ipso l. ex hoc jure, ff. de just. et jur., *illud quod fuit eo ipso, quòd gentes esse cœperunt naturali ratione inductum absque aliquâ constitutione gentium.* Siquidem hoc reverà est jus naturale. Sed de secundario, *quod est, quo omnes gentes utuntur ex constitutione ipsarum.* De hoc autem asseritur, non includere materiam necessariæ honestatis, aut vetare aliquid intrinsecè malum, factâ quâlibet suppositione, quamvis etiam ejus obligatio ad naturam reducatur longâ et difficili ratiocinatione. Atque hic quidem non est sensus, quòd in jure gentium naturalis ratio nullum habeat locum; siquidem inferri posset jus hujusmodi esse omninò irrationabiliter latum, quod est contra essentiam legis. Præterea colligitur ex l. *Omnes populi* 9, ff. de Just. et Jure, ubi Cajus ait : *Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturque jus gentium;* ubi jus gentium à ratione natulari dicitur constitui, quia omnes homines naturali ratione ducti illud constituerunt. Quare jus gentium non dicitur præcisè, quia eo utantur omnes gentes, sed quia eo utantur tanquàm ejus auctores. Non assentior idcircò Ulrico Hubero in J. N. asserenti *posse saltem in hypothesi dari in jure gentium quod repugnet rationi;* nam ratio debet quodcumque jus constituere. Quare si in jure etiam civili requiritur aliqua ratio, quæ voluntatem principis moveat, et quoad modum, specialis etiam ratio quæ considerat particulares circumstantias, multò magis in jure gentium, ubi præcepta sunt magis generalia, et in eis consideratur naturæ totius utilitas et conformitas ad prima et universalia principia naturæ. Et idcircò potuit D. Th. d. q. 95, art. 4, appellare juris gentium præcepta conclusiones aliquo modo deductas ex principiis juris naturalis, quia ex vi naturalis discursûs statim apparet convenientia, et moralis utilitas talium præceptorum, quæ homines induxit ad tales mores introducendos magis necessitate exigente, quàm voluntate, ut Justinus dixit.

*Juris gentium existentia contra Puffendorfium et Barbeyracium asseritur.*

II. Propositionem hanc aversantur, quicumque dari aliquid ex se et intrinsecè malum, aut necessariæ honestatis ante legem negant. Quare Puffendorfius jus gentium definiturus de J. N. et G. l. 2, c. 3, § 23, subscribit Hobbesii sententiæ, aientis lib. de Cive c. 14 : *Præcepta utriusque* ( legis naturalis hominum, naturalis civitatum, quæ vulgò jus gentium appellatur ) *eadem sunt; sed quia civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales, lex quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus sive gentibus, vocatur jus gentium. Tum subdit Puffendorfius concedere se, jus gentium, quod ex ratiociniis indigentiæ nostræ fluit;* sed tamen negare *aliud jus gentium voluntarium, seu positivum, quod quidem legis propriè dictæ vim habeat, quæ gentes tanquàm à superiore profecta stringat.* Idem videtur sentire G. Ludov. Hertzogius in Præcognitis jurisprud. Rom. Mathem. ordine expl., ubi ait : *si jus naturæ ad ideam gentis accommodatur,* JUS GENTIUM exoritur. Ergo *jus gentium est jus naturale in gentium ideâ spectatum.* Verùm, quoniam supra statutum est, dari debere intrinsecam hanc honestatem, ac turpitudinem rebus ante quamlibet legem; nec rursùs auctores isti aliam proferunt rationem; idcircò eorum sententia, collapso fundamento, ruit. Quòd si ideò à Puffendorfio *jus gentium voluntarium* excluderetur, sicuti Leibnitio in suâ Cens. Epist. § 14, visum est, quod scilicet : *Pactis mutuis jus efficere gentes non possunt, quia à nullo superiore valida redditur obligatio :* in eo casu respondet Leibnitius ipse, argumentum hoc nimis probare : *scilicet nec consensu et pactis homines superiorem sibi constituere possint; cujus contrarium ipse Hobbius agnovit.* Rursùs negari deberent jura consuetudine introducta, quæ quidem in civitatibus plura sunt. Nec sanè verum est quod contra Leibnitium subdit Barbeyracius, *unicuique liberum relinqui, ut declaret, nolle se receptam consuetudinem sequi.* Non enim in arbitrio singulorum relinquitur juri vel ex usu et consuetudine communi recepto refragari.

*Idem jus gentium ab Heineccii objectionibus vindicatur.*

III. Heineccius etiam, licet actiones ex se et ante quamlibet legem dari bonas aut malas asseruerit, nihilominùs de J. N. et G. l. 1, § 21 et 22 non distinguit à jure naturali jus gentium; sic enim habet § 21 : « Cùm « præterea jus naturæ eas complectatur leges, quæ « universo generi humano per rectam rationem sunt « promulgatæ; homines autem, vel singuli seorsùm, « vel prout in certas societates convaluerunt, consi- « derari possint; jus, quo singulorum actiones regun- « tur, *naturale;* quod, quid in societatibus et inter eas « justum injustumve sit, præcipit, *jus gentium* voca- « mus; adeòque eadem juris utriusque sunt præcepta, « eædem leges : quinimò *jus gentium* est ipsum jus na- « turale vitæ hominis sociali negotiisque societatum, « atque integrarum entium applicatum. » Et § 22 : « Ex quo colligimus jus naturæ à jure gentium nec « principio cognoscendi, nec ipsis regulis, sed solo « objecto differre; adeòque rationem eos fugere, qui

« nescio quod *jus gentium* à jure naturæ diversum sibi « fingunt. *Jus gentium positivum, vel secundarium*, « quod veteres commenti sunt, propriè hùc non per- « tinere, cùm nec à Deo constitutum, nec per rectam « rationem promulgatum, nec universo generi hu- « mano commune, nec denique immutabile sit. »

Quod jus illud dictans leges à Deo constitutas, per rectam rationem promulgatas, omnibus hominibus communes et immutabiles, velit Heineccius appellare unicè jus gentium; quod quidem veteres appellabant jus gentium primarium; et nos diximus etiam esse verissimum jus naturæ : est quæstio de mero nomine, nec longo digna examine. Verùm quod asserat, nullâ ratione duci, qui jus gentium à jure naturæ diversum asserunt, et jus gentium positivum esse commentitium, hoc imperiti hominis est, et nimiùm sibi tribuentis. Non enim hujus auctoris, atque ejusdem furfuris alterius voces optimum illud à Suarez, aliisque etiam Protestantibus cum Ulrico Hubero designatum discrimen infringunt; neque sufficit ut ipse autumat, *unicè objectum* ad juris utriusque differentiam cùm idem omninò dici debeat jus, quo leges traduntur aliquibus, ac quo traduntur omnibus. Siquidem ex eo quòd quis communitatem alloquatur, diversus dici à seipso non debet, ac quando singulos communitatis alloquitur. Deinde falsum omninò est jus gentium positivum à Deo non proficisci, modo scilicet eo quo leges positivæ oriuntur. Tandem errat etiam Heineccius, dùm à jure gentium positivo rectam rationem ablegat. Unde pluribus capitibus Heineccius fallitur.

*Grotii in jure gentium cum catholicis consensio; et mala Barbeyracii censura.*

IV. Haud ita verò ratiocinatur Grotius, qui de *jure gentium* conformem suis principiis dat notionem. Distinguit jus naturale à jure gentium per ea quæ intrinsecam habent bonitatem vel malitiam. *Jus* autem *gentium*, ait *de J. B. et P. l.* 1, c. 1, § 14, « vim habet « obligandi à voluntate populorum, aut saltem plero- « rumque. Dixi *plerorumque;* nam excepto jure na- « turali, quod dicitur etiam jus gentium, nullum « inveniri licet aliud jus, quod commune sit omnibus « omninò nationibus. Sæpè etiam id quod jure gen- « tium est in unâ terræ regione, haud est in aliâ; « quemadmodùm ostendemus loco suo de Captivis in « bello, et de Jure postliminii. » Optimè quidem ratiocinatur quoad hoc, et fermè eadem dixerat Suarezius; tum subdit : « Jam verò *jus gentium* eodem modo « asseritur ac *jus civile non scriptum*, scilicet à perpe- « tuâ praxi et testimonio peritorum. Siquidem, ut « optimè notat orator divus Chrysostomus ( orat. 76 « de Consuet. ), *hoc jus est opus temporis atque usûs.* « Atque inde fit ut historiæ celebriores magno hìc sint « emolumento. » Hæc autem cùm benè statuat Grotius quæ profectò à catholicis scriptoribus hausit, quid mirum, quod Barbeyracii censuram subierit, hominis scilicet perversè bona omnia tuentis? In notis igitur ad Grotium hic ait, *jus hoc gentium positivum et distinctum à jure naturali esse meram chymæram;* citatque Pufendorfii locum, suasque inibi notas. Tum subdit quamdam veluti rationem, quòd nimirùm, *dentur leges omnibus gentibus communes, seu actiones quas debent exsequi gentes omnes, et invicem servare; verùm cùm et populorum consensus nequeat esse obligationis fundamentum ad illas servandas, nec rursùs de ipsismet legibus id possit esse verùm, sequitur consequenter, juris illius præcepta et leges non differre propriè à legibus et præceptis juris naturalis, nisi tantùm in applicatione, quæ diversa esse potest ex diversâ societatum ratione in mutuis erga se officiis.* Sed et Barbeyracii assertio contra Grotium falsa est, ut constat ex dictis, et ejus ratio probabilitate destituitur. Siquidem, quòd omnes gentes, quatenùs unam efficiunt communitatem totius humani generis, obligare singulos non possint ad ea quæ toti humano generi utilia sunt, undenam probat Barbeyracius? Sanè in confesso est apud omnes civitates posse obligare etiam usu et consuetudine singulos ad ea quæ toti civitati utilia sunt, et regnum ad ea quæ toti regno conveniunt : quare igitur et idem dici non potest de omnibus respectu singulorum? Ita autem ad aliqua voluisse obligare, traditione compertum est, et suam voluntatem nutibus, verbis, usu, et moribus aliisve signis explicuisse præsertim in mundi exordio, quando propter hominum paucitatem et amorem mutuum facile erat, omnes, aut majorem hominum partem in eâ voluntate sensim ac paulatim convenire, et aliquo modo eam promulgare, et consuetudine ipsâ denuntiare. Quare usu potuit hoc jus paulatim introduci, et per successionem et imitationem mutuam populorum sine ullo speciali conventu vel consensu omnium populorum uno tempore facto potuit obtinere. Est enim hoc jus tam propinquum naturæ, tamque nationibus omnibus conveniens, earumque expediens societati, ut ferè naturaliter propagatum fuerit cum humano ipso genere; et ideò scriptum non est quia à nullo legislatore dictatum, sed usu convaluit. Quod autem plura dentur ex his legibus quæ à merâ hominum voluntate dependent, patet ex iis quæ infra dicemus. Sic rerum divisio, et sedium occupatio, ædificatio et munitio, aliaque exempla J. G. quæ refert Isidorus 6, Etym. c. 6. Rursùs jure gentium dicitur licitus transitus innoxius per alienas terras et maria ad sua negotia peragenda, sic enim concessa intelligitur J. G. rerum divisio. De hoc exemplum habemus Num. c. 20 et 21, ubi Israel regi Edon promiserat, non solùm se non declinaturum neque in vineas, neque in agros, sed viâ regiâ progressurum, verùm etiam si quâ re opus habuisset, justum pretium esse soluturum; cùm verò denegatus fuisset transitus, bellum indictum est, quod injuria intelligebatur illata Israeli. Legati etiam J. G. sancti esse solent; unde apud Livium, l. 2, senator Carthaginiensis increpat ab sociis et pro sociis venientes legatos ab imperatore in castra non fuisse admissos, jusque gentium sublatum. Item ut filii in bonis parentum succedant ab intestato, ubi aliud speciali lege cautum non sit; atque alia quæ recensentur l. ex hoc ff. de Just. et Jure. Super quæ vid. Turrecrem. c. Jus Gentium d. l. art. 6. Sed de hujusmodi exemplis ad jus gentium spectantibus infra.

DE CONVENIENTIA ET DISCONVENIENTIA INTER JUS NATURÆ ET JUS GENTIUM.

X.

*Non rectè distinguitur jus gentium à naturali, quia unum concessivum tantùm sit, et aliud præceptivum. Nam vel utrumque membrum in utroque jure reperitur, vel si præceptum naturale est, etiam concessio, illi cum proportione respondens, ex ipso jure naturali nascitur.* Suar. de Leg. l. 2, c. 18.

*In jure naturali multa sunt quæ honestè fieri possunt ex vi legis naturalis, quæ non præcipiuntur, nec contraria prohibentur; et ita etiam dari potest jus naturale concessivum, quale est jus ducendi uxorem, jus retinendi et conservandi propriam libertatem : hoc enim honestum est, et illud jus naturæ concedit, non præcipit. Rursùs nunquàm separatur jus concessivum ab omni jure præcipiente, vel prohibente (id est, si uni aliquid licet, et conceditur, alter tenetur non impedire); et in præsenti materiâ, si unum sit juris gentium, etiam alterum; vel si unum est juris naturalis, etiam aliud; quod patet exemplis.* Ibid. n. 3, 4, 9.

XI.

*Jus gentium convenit cum jure naturali, in eo quòd utrumque sit aliquo modo commune tantùm hominibus.* Suar. de Leg. l. 2, c. 17, 19.

*Nam de jure gentium hoc est certum. De jure autem naturali, licet à jurisperitis hoc dicatur esse commune brutis, adhuc nonnisi materialiter hoc illis aptatur quoad operationes merè sensitivas; at jus naturale, ut habet propriam rationem legis, non fundatur in ratione naturæ sensitivæ, ut communis est brutis animalibus, sed in ratione naturæ elevatæ per differentiam rationalem. Lex enim naturalis regulatur per convenientiam cum naturâ rationali; et quando respicit conservationem naturæ sensitivæ, semper involvit modum rationalem; unde multa prohibet uno modo, vel absolutè hominibus, quæ non prohibet brutis, ut constat de matrimonio, de educatione filiorum, de conservatione propriæ vitæ, de vago concubitu, seu simplici fornicatione, de conjunctione cum matre, vel sorore, et similibus, quæ quidem brutis non prohibentur. Rursùs multa præcipit, quæ aptari non possunt brutis, ut præceptum colendi Deum, honorandi parentes, et proximum.* Ibid.

*De jure gentium apud jurisconsultos.*

I. Inde profectò accidit ut inter scriptores sæpissimè, et aliquando apud jurisconsultos, non fiat expressa juris gentium à jure naturæ distinctio. Hoc advertit Paradulphus Pratejus in lex. jur. V. jus, ubi ait: *Illud diligentissimè observandum est, quod ignoratum multis erroris causam dèdit, jus gentium aliàs accipi à jurisconsultis pro vero naturæ jure, aliàs pro eo jure quod plurima hominum pars ubique recepit. Quod nisi rectè discernas, nunquàm pervenies ad veram juris cognitionem.* Hinc optimè intelligitur quod aiebat Cic. 1 Tuscul. : *Omni in re consensio gentium jus naturæ putanda est,* scilicet ita servari debet, quasi esset jus naturæ, vel si vis, est argumentum velut à posteriori, licet non univocum ad inferendum jus naturæ, consensio gentium : dixi *non univocum* etiam penès ipsum Cicer. qui l. 2 de Invent. *Naturæ jus est,* ait, *quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam et veritatem.* Unde sequitur esse quid diversum à illo jure quod non sit insertum à naturâ solâ, sed potissimùm ab opinione et consensu hominum.

II. Illud autem non est dissimulandum jurisperitos communiter distinguere jus gentium à jure naturali, in hoc quod jus naturale commune dicant etiam brutis animantibus, secùs verò jus gentium. Sed hanc distinctionem, nisi commoda accedat explicatio, meritò alii reprehendunt cum Laurentio Vallâ l. 4 Elegant. c. 48. Explicatio autem de jure naturæ communi brutis est, vel quia natura, ut ait Cic. de Fin. l. 2, etiam bestiis motum concessit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, à pestiferis recessum, quem admodùm dedit hominibus, quibus superaddidit rationem; vel ex alio titulo, prout apud Suarezium ipsum habemus. Verùm si accipitur jus naturale pro lege rigorosè tali, illud concedi alteri à rationalibus creaturis non debet.

DE PROPRIETATIBUS JURIS GENTIUM.

XII.

*Jus gentium, quatenùs continet præcepta affirmativa, non infert necessitatem rei præceptæ ex solâ rei naturâ per evidentem illationem ex principiis naturalibus; et in hoc differt à jure naturali.* Suar. de leg. l. 2, c. 19.

*Quia quidquid est hujusmodi, naturale est, ut constat ex dictis. Unde necesse est ut aliunde oriatur talis necessitas.* Ibid. n. 2.

*Causa juris gentium constituendi.*

I. Hinc optimè Justin. in illo § *Jus autem gentium* sic tradit : *Jus autem gentium omni humano generi commune est; nam usu exigente, et humanis necessitatibus, gentes humanæ jura sibi quædam constituerunt;* causa enim ad hæc jura constituenda adnotatur usus legem exigens, et humana necessitas : quare leges positivæ non debent niti principiis merè naturalibus, quia sic aliunde vim suam nanciscerentur.

XIII.

*Juris gentium præcepta negativa non prohibent aliquid, quia per se malum sit; et in hoc differt à jure naturali.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19. *Id enim est etiam merè naturale, ut constat ex dictis.* Ibid.

*Finis juris gentium.*

I. Ex eo quòd homines ad vitam commodiùs ducendam observârunt quædam noxia esse, quædam verò magnimè utilia ad commune bonum promovendum, censuerunt non minùs hæc præcipere, quàm illa vetare. Atque hìc repetere juvat naturæ jus propriè et directè non respicere quidquid ad humanam conjunctionem et societatem tuendam conducit. Si enim Adam sine socio vixisset, etiam secundùm naturæ jus vixisset. Et Cicero de Offic. putat hominem à cæteris segregatum nonnisi honesta cogitare et agere oportere. Jus verò gentium respicit propriè homines inter

se societate conjunctos, illosque effectus producit, quos ipsi homines rationabiliter ad communitatem promovendam conducentes adverterunt.

XIV.

*Jus gentium non est tantùm ostensivum malitiæ, sed constitutivum ex parte humanæ rationis.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19.

*Ex eo quòd non prohibet mala, quia mala sunt, sed prohibendo facit esse mala.* Ibid.

*Discrimen juris gentium à jure naturali.*

I. Quòd reverà differat à jure naturali jus gentium, patet ex eo quòd jus gentium aliqua in se mala permittat, seu non puniat : quando nimirùm ipsa permissio putatur adeò necessaria juxta hominum fragilitatem et negotiorum conditionem, ut in eâ servandâ omnes ferè nationes concordent. Hujusmodi esse videtur permissio meretricum, et permissio alicujus deceptionis in contractu, quæ non sit enormis. Sic in jure civili, quod per similitudinem et convenientiam dicitur etiam jus gentium *l. in causæ* § *idem Pomponius, ff. de minor.*, adjunctâ glossâ. Nam dicitur in textu *naturaliter licere contrahentibus se circumvenire in pretio emptionis et venditionis.* Ubi glossa exponit, *naturaliter*, id est, de jure gentium. Aliqui autem explicant illud *licere* in ordine ad humanum judicium, scilicet impunè fieri; alii verò explicant illud *circumvenire* non per deceptionem ex dolo et fraude, sed ut significat humanam solertiam et artem, quæ datur inter emptorem ut minoris emat, et venditorem ut pluris vendat, sed intra latitudinem justi pretii, sicut habet Sapiens Prov. 20 : *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, et cùm recesserit, gloriatur.* Verùm in utràque acceptione semper continet aliquid juxta naturalis philosophiæ ethicam minùs honestum. Sanè Cicero, l. de Offic. 3, c. 8 et 9, similes proponit quæstiones : *Si vir bonus Alexandriâ Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopiâ et fame, summâque annonæ charitate; si idem sciat complures mercatores Alexandriâ solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quàm plurimò venditurus? Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia quæ ipse nôrit, cæteri ignorent. Quæro si hoc emptoribus venditor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multò quàm se venditurum putârit; num id injustè atque improbè fecerit?* Tum in utramque partem rationes expendens subdit : *Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ædium venditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas; sed cùm, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causâ velis eos quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, et cujus hominis, quis non videt? Certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potiùs, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot et alia plura non utile est vitiorum subire nomina.*

XV.

*Jus gentium non est tam immutabile sicut jus naturæ.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19.

*Immutabilitas oritur ex necessitate : ergo quod non est æquè necessarium, non potest esse æquè immutabile.* Ibid.

*Exempla mutationis factæ in jure gentium.*

I. Fuisse in jure gentium factam mutationem asserunt Aragoniensis, Salon et Bannes apud Salas de Leg. q. 91, tr. 14, disp. 2, sect. 3 : scilicet, quòd rerum divisio sublata fuerit inter Christianos in primitivâ Ecclesiâ, et modò inter religiosos captivi christiani, capti ab aliis christianis, servi non fiunt, ut patet l. *hostes, ff. de Captivis.* Verùm hæc non facta sunt licita per dispensationem, si rectè advertantur; nam jure gentium non prohibetur rerum communitas, sed concessa est divisio, et data facultas omnibus hominibus, ut paulatim res sibi proprias facerent, eligendo agros quos colerent, loca ubi ædificia construerent, et similia; non tamen prohibiti sunt omnia ad communitatem reducere, ut in statu innocentiæ et initio mundi fuerunt. Similiter licet jure gentium concessum fuerit, ut in bello justo capti possent fieri servi, tamen non est prohibitum gerentibus justum bellum se exspoliare hoc jure, vel simpliciter, vel etiam erga aliquas personas bello captas. Quare non est hoc probandum in jure gentium, quatenùs concessivum est; sed de jure gentium, quatenùs prohibitionem seu præcepta continet. Ut autem in hoc fiat hujusmodi mutatio (quæ tamen vi materiæ non repugnat, ubi res prohibitæ jure gentium simpliciter non sunt malæ de se et intrinsecè, nec præcepta inferuntur per necessariam et evidentem illationem ex principiis naturalibus, nec obligatio oritur ex solâ ratione sine aliquo modo obligationis humanæ), adhuc opus est ut nationes omnes consentiant, vel ut paulatim introducatur consuetudo contraria, et prævaleat : quod quidem moraliter vix est possibile, sed tamen non repugnat. Potest etiam alio modo fieri, ut si aliqua communitas præcipiat ut inter partes suas et membra sua tale jus gentium non servetur; et hic modus est possibilis. Non autem mutari potest jus gentium saltem quoad moralem potestatem et usum hominum, nec rursùs in toto, ut scilicet à toto humano genere auferatur collectio præceptorum juris gentium ex hominum conventione, sed ea quæ sunt juris gentium possunt utique in unâ vel alterâ parte diminui.

XVI.

*In iis etiam in quibus jus naturale et gentium videntur convenire, omnimodam similitudinem non habent.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19.

*Nam in universalitate et communitate ad omnes gentes jus naturale omnibus est commune, solùmque* per errorem *potest alicubi non servari; jus autem gentium non semper omnibus, sed regulariter et ferè omnibus commune est, ut Isidorus loquitur. Unde sine* ullo errore *potest alicubi non servari quod apud alios de jure gentium esse censetur. Item licet jus gentium regulariter versetur in materiâ propriâ hominum, aliquando potest aliquid disponere in materiâ communi brutis animalibus, ut in permittendo vago concubitu, vel in repellendâ vi, quatenùs aliquo modo foveri vel determinari potest. Est ergo jus gentium simpliciter diversum à naturali, præsertim ratione primi discriminis.* Ibid.

*Facilior juris gentium quàm juris naturalis ignorantia.*

I. Quanquàm apud historicos plura referantur à populis fieri quæ contra clariora honestatis principia sunt, ea tamen vel in dubium ab aliis revocantur, vel etiam negantur, vel aliquo modo limitantur. Sic quæ narrat Blekerius de Irlandiæ populis, sive quæ ad sortilegia, sive quæ ad impudicitiam spectant, confutat egregiè Argrimus Jonas, Irlandus natione, qui floruit seculis 16 et 17. Alia etiam, quæ memorantur contra Germanos relata à Sexto Empirico Hypoth. l. 3, c. 24, coarguit illicò Puffendorfius de J. N. et G. l. 2, c. 3, § 8 : *Id adeò inficetum mendacium est, ut mirum sit quomodò illud in mentem venire potuerit ulli qui vel minimam notitiam istius nationis habuerit.* Negari autem non potest, post culpæ originalis tenebras humanæ menti offusas, ex pravâ et assiduâ consuetudine et institutione, adeò aliquando lumen naturale involvi, ut videantur gentes obbrutescere. Sic Cicero Tuscul. l. 5, c. 27, ait : *Ægyptiorum imbutæ mentes pravitatis erroribus quamvis carnificinam priùs subierint, quàm ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocòdilum violent; quorum etsi imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recusent.* Et S. Aug. l. 3, de Doctr. christ., c. 8 : *Fit plerumque, ut quisque hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ suæ regionis ac temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; et ea tantùm probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum, cum quibus vivit, admittit.* Hæc autem diversimodè reprobantur à sanæ mentis hominibus, si contra jus naturale patrata fiunt, ac si contra jus gentium tantùm ; nam nemo dicet de aliquâ juris gentium lege ob consuetudinem abrogatâ, id quod benè Puffendorfius de consuetudine contra legem naturæ dixit ibid. § 9 : *Haudquaquàm assuetudini eas vires tribuimus, ut rationis judicium eò usque detorquere ac depravare queat, quò ipsi impossibile sit veritatem circa leges naturales perspicere.*

XVII.

*Jus gentium simpliciter est humanum ac positivum.* Suar. l. 2, v. 19. *Lex sufficienter dividitur per naturalem et positivam propriè dictam, vel per divinam et humanam ab auctore utramque denominando, quia utraque membra immediatam contradictionem involvunt, ut constat. Sed ostensum est legem juris gentium non esse naturalem propriè et in rigore, et consequenter non esse divinam; ergo necesse est ut sit positiva et humana. Rursùs lex naturalis est, quam non opinio genuit, sed naturalis evidentia, ut Cicero dixit. Ergo omnis lex, quæ non hoc modo generatur, positiva est et humana. Tale autem est jus gentium, quia non per evidentiam, sed probabilitatem et communem æstimationem hominum introducitur. Ergo.* Ibid. n. 3, 4.

I. Est veluti corollarium quod ex statutis propositionibus optimè descendit.

DE DIFFERENTIA INTER JUS GENTIUM ET CIVILE.

XVIII.

*Jus gentium non differt à jure civili per hoc quod hoc sit jus unius civitatis aut regni, jus autem gentium sit omnibus gentibus commune.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19.

*Licet omne jus positivum ab hominibus positum in ordine ad gubernationem purè politicam vocet Aristoteles* legitimum, 5 Ethic. c. 7, *et illudnet videatur posse vocari civile, ut sumitur ex Isid. 5 Etymol. c. 1, et sentit D. Th. 1-2, q. 95, adhuc nihilominùs dicendum est utrumque differre; non verò per traditam differentiam. Nam 1° hæc differentia solùm videtur secundùm magis et minus, et valdè accidentalis ; 2° et difficiliùs, quia impossibile videtur jus gentium esse commune omnibus gentibus introductum voluntate et opinione humanâ, quemadmodùm dicitur de jure unius civitatis aut regni, quia in his quæ ab opinione et arbitrio hominum pendent, impossibile videtur omnes nationes convenire; nam hoc est hominum ingenium, ut quot sunt capita, tot ferè sint placita et opiniones. Ergo vel jus gentium non est humanum, vel non potest in eo à civili differre.* Ibid. n. 5.

I. Jus civile dici etiam solet aliquando jus gentium, latè scilicet sumpto vocabulo; et vice versâ ob aliquam convenientiam jus gentium dici etiam potest jus civile.

DE VERA JURIS GENTIUM NOTIONE.

XIX.

*Præcepta juris gentium in hoc differunt à præceptis juris civilis, quia non scripto, sed moribus non unius vel alterius civitatis aut provinciæ, sed omnium vel ferè omnium nationum constant.* Suar. de Leg. l. 2, c. 19.

*Jus humanum duplex est, scilicet scriptum et non scriptum, ut tradunt jurq. Constat autem jus gentium scriptum non esse; et ita in hoc differre ab omni jure civili scripto, etiam imperiali et communi. Jus autem non scriptum moribus constat : quòd si sit unius gentis moribus introductum, et illam tantùm obliget, dicitur etiam civile; si verò introductum sit moribus omnium gentium, et omnes obliget, hoc credimus esse jus gentium proprium : quod et differt à naturali, quia non naturæ, sed moribus innititur, et à civili etiam distinguitur in origine, fundamento et universalitate, modo explicato.* Ibid. n. 6.

*Exempla juris gentium ab hominibus constituti.*

I. Jus gentium fuisse ab hominibus constitutum, colligitur ex Just. in § *Jus autem*, de quo supra; ubi ait gentes humanas sibi constituisse jus gentium *usu exigente*. Unde infertur non scripto, sed usu illud homines constituisse. Deinde id optimè fieri potuit; siquidem in hoc modo constituendi juris gentium nulla est repugnantia, et est planè possibile; et declaratur exemplis. Nam 1° consuetudo recipiendi legatos sub lege immunitatis et securitatis absolutè spectatâ non est de necessitate juris naturalis, quia potuisset unaquæque communitas hominum non habere apud se legatos alterius, nec velle illos admittere; nunc tamen admittere est de jure gentium, et illos repudiare esset signum inimicitiæ, et esset violatio juris gentium, ut citavimus ex Livio : esto non esset injustitia contra rationem naturalem. Quare, licet suppositâ admissione legatorum sub pacto subintellecto, contra jus naturale sit non servare illis immunitatem, quia est contra justitiam et debitam fidelitatem, tamen illa

suppositio et pactum illud sub tali conditione jure gentium est introductum. 2° Patet in omni contractu et commercio cum quolibet hominum genere, ubi tria debent distingui : unum est particularis modus contrahendi, et spectat ad jus civile ; alterum est observatio contractûs jam consummati, et hoc est juris naturalis ; tertium est libertas contrahendi cum hominibus non inimicis, vel hostibus, et hoc est de jure gentium. Quia jus naturæ per se ad hoc non obligat, et una respublica potuisset nolle commercium cum aliâ etiam non inimicâ, jure gentium sunt introducta commercia libera, violareturque jus gentium, si sine rationabili causâ prohiberentur. 3° Cognoscitur in jure belli, fundato scilicet in potestate quam una respublica vel monarchia suprema habet ad puniendam vel vendicandam aut reparandam injuriam sibi ab alterâ illatam. Ex vi enim solius rationis naturalis non erat necessarium ut hæc potestas esset in respublicâ offensâ ; potuissent enim homines instituere modum alium vindictæ, vel committere illam potestatem alteri principi, et quasi arbitro cum potestate coactivâ. Verùm quia hic modus, qui nunc servatur, facilior est magisque naturæ consentaneus, usu introductus est, et ita justus, ut non possit illi jure resisti. In hoc etiam jure constituit Suarezius servitutes ; nam illo jure utuntur populi et gentes inter se, et non erat necessarium ex purâ naturali ratione ; posset enim alius introduci pœnæ modus : nunc autem tale est hoc jus, ut et rei teneantur hanc pœnam sustinere eo modo quo introducta est, et victores non possint justè graviùs punire hostes jam victos, finito bello, nisi alius specialis titulus interveniat. Item fœdera pacis et induciarum possunt sub hoc capite collocari, non quatenùs servanda sunt, postquàm sunt facta : hoc enim potiùs pertinet ad jus naturale ; sed quatenùs admittenda sunt, et non neganda, quando debito modo et rationabiliter petuntur ; hoc enim licet sit rationi naturali valdè consentaneum, tamen usu ipso et jure gentium videtur magis firmatum et sub majori esse obligatione.

*Satisfit Heineccii oppositionibus.*

II. Hæc autem exempla, quæ Suarezius noster modo dicto ad jus gentium revocat, ab Heineccio ad jus naturale revocantur. Sic J. N. et G. l. 2, § 222. Jus mittendi *legatos*, eorumque immunitatem, ait, spectare ad summos imperantes, et esse quid consequens ad jus pangendi fœdera. Verùm licet videatur hoc rationi naturali conforme, non video necessitatem inferendi illud ex jure naturali : quo quidem res potuisset diversimodè constitui. Quemadmodùm ipse Heineccius à jure naturali abstrahit alia legatorum jura circa familiam suam, circa sacra domestica, ædes, asylum et alia. Rursùs licet ex jure societatis inferatur aliquod genus *commercii* seu communicationis rerum, operarumve necessariarum atque utilium cum aliis earum indigis, ut ponit Heinec. loc. cit. l. 1, § 327, adhuc libertas contrahendi cum externis non inimicis, quæ ab ipso ad jus refertur imperantium l. 2, § 169 et 189, reverà debet ad jus gentium referri. Nam si sine rationabili causâ prohiberetur, violaretur jus gentium. *Jus belli* ex Heineccio l. 2, § 192, etiam ad jura imperantium refertur. Quod quidem, si de modo agendi sermo sit, verum est ; si verò de ipsâ potestate, quæ in republicâ residet, cùm inferatur necessariò ex jure naturali ad jus gentium commodiùs refertur. *Servitutes* multò meliùs ad jus gentium prout Suarezius, quàm ad mutuum contractum, ut vult Heinec. l. 1, § 80, reducuntur. Fieret enim contra jus naturale, si alio pœnæ genere hostes hujusmodi plecterentur. Fœdera etiam sine rationabili causâ denegâre, videtur, esse contra jus gentium, quo nimirùm decretæ sunt conditiones et tempora. Vid. Heinec. l. 2, § 210, et Puffend. de J. N. et G. l. 8, c. 8, § 7.

*Suarezii ratio pro jure gentium admittendo.*

III. Dat etiam Suarezius rationem, seu præcipuum fundamentum huic juri instituendo : « Quia humanum « genus quantumvis in varios populos et regna divi- « sum, semper habet aliquam unitatem non solùm « specificam, sed etiam quasi politicam et moralem, « quam indicat naturale præceptum mutui amoris et « misericordiæ, quod ad omnes extenditur, etiam « extraneos, et cujuscumque nationis. Quapropter « licet unaquæque civitas perfecta, respublica aut re- « gnum sit in se communitas perfecta et suis membris « constans, nihilominùs quælibet illarum est etiam « membrum aliquo modo hujus universi, prout ad « genus humanum spectat. Nunquàm enim illæ com- « munitates adeò sunt sibi sufficientes sigillatim, quin « indigeant aliquo mutuo juvamine, et societate, ac « communicatione, interdùm ad melius esse majo- « remque utilitatem, interdùm verò etiam ob mora- « lem necessitatem et indigentiam, ut ex ipso usu « constat. Hâc ergo ratione indigent aliquo jure, quo « dirigantur et rectè ordinentur in hoc genere commu- « nicationis et societatis. Et quamvis magnâ ex parte « hoc fiat per rationem naturalem, non tamen suffi- « cienter et immediatè quoad omnia ; ideòque aliqua « specialia jura potuerunt usu earumdem gentium « introduci. Nam sicut in unâ civitate vel provinciâ « consuetudo introducit jus, ita in universo humano « genere potuerunt jura gentium moribus introduci, « eò vel maximè quòd ea quæ ad hoc jus pertinent, « et pauca sunt, et juri naturali valdè propinqua, et « quæ facillimam habent ab illo deductionem, adeò- « que utilem et consentaneam ipsi naturæ, ut licet non « sit evidens deductio tanquàm de se omninò neces- « saria ad honestatem morum, sit tamen valdè conve- « niens naturæ, et de se acceptabilis ab omnibus. » Atque hæc de principiis juris naturæ et gentium.

---

## Pars posterior.

### DE OFFICIIS JURIS NATURÆ ET GENTIUM.

I.

*Juris naturæ officia quædam versantur circa Deum,*

*quædam circa proximum, quædam circa ipsummet hominem.* Suar. de Leg. l. 2, c. 8.

SCHOLION.

Ne in molem ingentis voluminis liber excrescat, ac nobis illud Leibn. Præfat. cod. J. G. displ. objiciatur: *Juris doctrina, certis à naturâ inclusa limitibus, humano ingenio in immensum diffusa est.* Rursùs ut continenti quâdam serie percurrantur officia juris naturalis et Gentium, idcircò utemur aliâ ratione, ac in explicandis principiis usi sumus. Proinde ea ex Suarezio nostro paucis indicare sufficiat, brevissimis in loco additis commentariis. Usurpatam à Suarezio partitionem, quam secuti sunt complures etiam ex Protestantibus, in Apostoli quidem verbis fundatam, *ut sobriè, justè et piè vivamus*, in officiis proponendis servare juvat.

DE OFFICIIS ERGA DEUM.

*De Fide.*

II.

I. *Lex naturalis obligat hominem ex solo naturali lumine ad habendam et procurandam veram Dei cognitionem.* Suar. de Fide, p. 2, disp. 13, sect. 1, num. 4.

II. *Rursùs obligat hominem, prout nunc est ad finem supernaturalem elevatus, ad habendam veram interiorem fidem in Deum.* Suar. ib. n. 5.

SCHOLION.

Officia erga Deum à Protestantibus juris naturalis scriptoribus, vel omninò omissa, vel jejunè satis pertractata, suo quæque loco disposita hìc exhibemus. Ad fidem quod spectat, obligatio hæc non tantùm est in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ, imò fuit in ipsis angelis pro statu viæ.

III. *Obligat etiam ad non repugnandum fidei, semel sufficienter propositæ, nec ad recedendum à fide semel susceptâ, neque ad dubitandum aut formidinem admittendam.* Ibid. n. 6 et 7.

SCHOLION.

Qui nolit mandatum regis, illi sufficienter propositum, suscipere tanquàm præceptum regium, injuriam facit regi. Eadem injuria, naturali rationi contraria, irrogaretur Deo, si secùs fieret. Idem de certitudine fundatâ in Deo, qui prima et infallibilis veritas est, etiam ex lumine naturali.

IV. *Obligat ad credendum ea quæ sufficienter ut credenda et credibilia proponuntur.* Ibid. num. 8.

V. *Obligat infidelem, ubi incipiet animi stimulos sentire, ad veritatem inquirendam.* Ibid. num. 9.

SCHOLION.

In lege novâ addidit Christus specialem necessitatem fidei, quæ quidem, spectatâ institutione, dici potest *positiva;* positâ autem institutione divini Legislatoris, dici potest *connaturalis* huic statui.

*De Spe.*

III.

I. *Sicut obligatur homo ad inquirendam et tenendam veram cognitionem Dei ex naturali ratione, ita ad sperandum ab illo aliquod bonum, et timendum aliquod malum.* Suar. de Spe, disp. 2, sect. 1, n. 6.

II. *Tenentur omnes lege naturæ benè sentire de divinâ Providentiâ, cujus est reddere virtuti præmium et vitiis pœnam.* Ibid.

SCHOLION.

Ex Clem. Alexand. l. 4 Strom. in fin., et l. 5 in princ., habemus antiquos philosophos cognovisse et commendâsse spem præmiorum post mortem. Rursùs ex tali spe moventur homines ad cultum præstandum Deo auctori naturæ, ad virtutes exercendas, ad vitia fugienda, quæ omnia spectant ad legem naturæ.

III. *Denique tenetur homo lege naturæ tendere in Deum, ut ultimum finem, in eoque ponere suam beatitudinem, illamque intendere per debita media.* Ibid.

SCHOLION.

Perfectior multò est usus spei in lege Evangelii tum quoad modum sperandi gloriam, tum quoad media supernaturalia, scilicet sacramenta. Hæc autem perfectio et obligatio sequìtur naturaliter, positâ perfectione fidei circa Christum et redemptionem ejus, et tali institutione sacramentorum.

*De Charitate.*

IV.

I. *Præceptum diligendi super omnia Deum ut finem Naturæ, naturale est; nam ad hunc amorem homo naturâ suâ inclinatur, quem, ut habet* D. Th. 1-2, q. 94, *dictat lex naturæ.* Suar. de Charit. disp. 1, sect. 5, num. 3, et disp. 5, sect. 1, num. 2.

II. *Sicut tenetur lege naturæ cognoscere Deum, ita tenetur illum amare, aut supra se, aut infra se, aut æquè, non his duobus modis, cùm nihil inordinatum dicat lex naturæ; ergo super omnia.* Ibid. disp. 5, sect. 1, num. 2.

SCHOLION.

Unde sequitur in lege naturæ dari potuisse peccatum grave, contrarium videlicet dilectioni Dei super omnia.

III. *Præceptum diligendi Deum, ut finem supernaturalem gratiæ, est simpliciter supernaturale, etsi connaturale sit ipsi gratiæ.* Ibid.

SCHOLION.

In lege Evangelii tenemur ad modum perfectiorem charitatis erga Deum, sub fide explicitâ Trinitatis et Mediatoris: hic autem modus consequitur naturaliter, positâ tali cognitione Dei.

*De Pœnitentiâ.*

V.

I. *Malum culpæ, ut aliquo modo destruendum, est id quod respicit pœnitentia; quoniam verò dari nequit, quin dicat respectum ad Deum, hinc dicitur pœnitentia tendere in Deum.* Suar. de Pœn. in 3 p., q. 85, disp. 2, sect. 1, n. 3, et sect. 2, n. 3.

II. *Præceptum satisfaciendi Deo pro injuriâ illatâ per peccatum, naturale est.* Suar. de Pœn. in 3 p., q. 90, disp. 15, art. 4, sect. 3, n. 4.

SCHOLION.

Quantùm scilicet homini possibile est. D. Th. 3 p., q. 84, art. 7, ad 1: *De jure naturali*, ait, *esse quòd aliquis pœniteat de malis quæ fecit.* Actus autem detestationis cum respectu ad Deum est ex se et naturaliter valdè proportionatus ad hanc satisfactionem; nam nullus dari potest aptior ad veniam impetrandam.

III. *Satisfactio Deo condigna dari nequit in purâ naturâ : excitatus verò homo, et adjutus divinâ gratiâ potest de congruo, seu imperfectè Deo satisfacere : quâ positâ possibilitate, obligatur homo ex lege connaturali ipsimet gratiæ.* Ib. sect. 3, n. 6.

IV. *Modus satisfaciendi Deo habetur ex ordinatione ipsâ Dei ; positâ tamen eâ ordinatione, modus ille connaturaliter obligat.* Ibid. n. 7.

SCHOLION.

In statu puræ naturæ pertineret ad divinam Providentiam determinare modum pœnitentiæ : quo homini significato, homo teneretur illum adhibere naturaliter.

*De religione.*

VI.

I. *Ex vi solius legis naturalis non tenetur homo colere vel adorare Deum alio cultu purè interno, præter illum qui actibus fidei, spei, charitatis et pœnitentiæ (si mortaliter peccavit) reperitur.* Suar. tom. 1 de Relig. tr. 2, l. 1, c. 2.

SCHOLION.

His actibus implet homo obligationem colendi Deum purâ mente et spiritu.

II. *Ex vi solius legis naturalis non est determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo.* Ibid. n. 6.

SCHOLION.

Circa modum in genere obligat lex naturalis, ut fiat modo decenti et proportionato, et sine superstitione. Suar. ibid. et in 3 tom., disp. 73 per totam, præsertim sect. 8.

III. *Colere Deum per visibile sacrificium et externam oblationem, licet in rigore non sit de jure naturali, est tamen adeò consentaneum illi, ut semper fuerit de jure gentium.* Suar. tom. 1 de Rel. tr. 2, l. 1, c. 3, n. 3. Ex usu hominum à principio mundi de Abel et Caïn, et apud gentes etiam, ut notat Arist., 7 Polit. c. 8.

SCHOLION I.

Hic modus est honestus et sensibilis, unde legi naturali conformis. In lege autem novâ cultus Dei per verum sacrificium præceptum est jure divino à Christo Domino. Determinatio hujus præcepti relicta est pastoribus Ecclesiæ.

SCHOLION II.

De præcepto orationis ex jure naturali, vid. Suar. l. 1 de Orat. c. 29, de Timore et honore Dei. Vid. Suar. 3, p. 3, disp. 73, sect. 8.

IV. *Juramentum de se non est ex lege naturali prohibitum, si nimirùm detur necessitas, et serventur conditiones.* Suar. de Jur., lib. 1, c. 2.

SCHOLION.

Necessitas datur in aliquâ morali utilitate ad finem honestum ; et consurgit ex incredulitate audientium, et ex defectu veritatis in naturâ corruptâ. Conditiones sunt tres, scilicet, veritas, justitia et judicium. Vid. Suar. de Jur. lib. 1, cap. 3.

V. *Perjurium est contra legem naturalem ; atque ita prohibetur,* Levit. 19, Zachar. 5, Exod. 20. *In juramento enim adducitur Deus, tanquàm prima et infallibilis veritas, in testem veritatis. Ergo, eâ deficiente, fit Deo gravis injuria.* Suar. ibid. et l. 3, c. 2.

SCHOLION.

Hinc nunquàm potest fieri licitum parjurium, et semper est grave peccatum. Suar. de Jur. l. 3, c. 4.

VI. *Juramentum promissorium per vim et metum cum injuriâ extortum, si est de materiâ honestâ, obligat ex lege naturali. Urget siquidem obligatio, ut fiat verum, quod sub divino testimonio dictum est, et fieri potest sine peccato.* Suar. de Jur. l. 2, c. 9 et 10.

SCHOLION.

Plura quæ in materiâ jurisjurandi occurrunt, videri possunt apud Suar. tribus libris de Juram.

DE OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

VII.

I. *Duobus tantùm indigemus, quoad vitæ conservationem et modum transigendi illam, scilicet victu et vestitu, juxta illud Pauli,* 1 Tim. 6 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Suar. de Op. sex dier. l. 5, c. 6, n. 1.

II. *Ex lege naturali non indigent homines vestimentis, nec ea tenentur adhibere.* Ibidem.

SCHOLION.

In statu enim innocentiæ cum totâ lege naturali sufficienter tegerentur homines justitiâ originali.

III. *Naturaliter tamen indigent alimentis, et tenentur iis uti. Patet ex corpore petente nutritionem, augmentum,* etc. Ibidem.

IV. *Materia alimentorum non sunt ex lege naturale necessariò carnes ; quod docet D. Th., 1 p., q. 96, art. 1, ad 3.* Ibid. n. 4 et n. 12.

SCHOLION I.

In statu integritatis fuisset inordinatus usus carnium non ex speciali prohibitione Dei, neque ex ipsâ naturâ rei, sed ratione optimorum alimentorum loci illius. Ibid. num 14.

SCHOLION II.

Eadem ratio excluderet ab illo statu usum alterius cibi arte confecti, vini, etc., non quia lege naturæ prohiberentur, sed quia nec necessaria ea essent, nec sine curâ pararentur. Unde sequitur, ex lege naturali reverà non definiri ciborum qualitatem.

V. *Ex lege naturali facultates hominis dirigendæ sunt ad finem ordinatum. Finis autem ordinatus est finis honestus.* Suar. 1-2, tr. 3, disp. 9, sect. 3, n. 6.

VI. *Delectabilitas ipsa, ipsum levamen naturæ, vel quælibet corporis commoditas, si fiant considerando solùm naturam animalem, non sunt bona et honesta.* Ibid. num. 9.

VII. *Ut sint bona et honesta, debent dirigi ab humanâ naturâ, ut rationali. Hoc fit quando ad operandum propter commoditatem naturæ adhibet homo rationis regulam, et judicat illam commoditatem esse sibi convenientem, etiam ut ratione regulatam.* Ibid.

SCHOLION I.

Ex eo quòd homo semper teneatur operari ut homo, et consequenter regulam rationis adhibere, infertur obligatio prædicta ex jure naturali. Modus autem

Ille operandi satis est ad honestàtem actionis, ut diximus. Loquimur autem de operatione verè morali.

SCHOLION II.

Quàm sit fœcundissimum principium hoc in jure nat. quoad dirigenda officia hominis erga seipsum, patet consideranti. Quinimò et multò fœcundius esse illo Wolfiano, et in regulâ morum multò laudabilius, et à periculo remotius, ex iis quæ in 1 p. dicta sunt, colligitur.

DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM.

*De hominum societatibus.*

VIII.

I. *Non ratione naturæ lapsæ, sed ex lege naturali, genus humanum propagatur per naturalem generationem. Patet ex sexuum distinctione cum similitudine naturæ.* Suar. de Opif. lib. 5, c. 2, n. 6.

SCHOLION.

Inde tamen non infertur præceptum matrimonii obligare singulos etiam in statu innocentiæ : et dari posset etiam tunc ratio majoris boni in continentiâ.

II. *Ex filiorum procreatione oritur naturaliter societas domestica, seu familiæ. Quod docuit etiam Arist., l. 1 Polit., c. 2,* Suar., ib. c. 7, n. 1

III. *Hæc societas trahit cohabitationem necessariam viri et uxoris ad filiorum generationem et educationem.* Ibid. n. 2.

SCHOLION.

Recta institutio filiorum est de jure nat. respectu parentum.

IV. *Matrimonii insolubilitas est de jure nat.* Suar. de Leg. l. 10, c. 2, n. 13.

V. *Polygamia videtur jure nat. prohibita. Lex autem prohibens illam fundatur maximè in naturali justitiâ, et æqualitate inter virum et uxorem, quoad mutuam corporis traditionem.* Suar. de Opif. l. 5, c. 3, n. 17.

SCHOLION.

Quid dicendum de polygamiâ in principio generis humani, vel usque ad Evangelium, habetur ubi de Princip. legis natur. Polygamia etiam contraria est paci, tranquillæ habitationi et convenienti familiæ gubernationi, quæ sunt finis secundarius matrimonii.

VI. *Societas plurium domorum, unde pagus exsurgit, præscindens à morali unitate, vel communitate, est de jure nat. Ex generatione scilicet plurium filiorum, et ex successione natorum ex natis, seu nepotum ex filiis.* Ib. n. 2, 3.

VII. *Societas etiam politica, qualis in civitate vel regno conspicitur, videtur esse de jure nat., non quidem propter indigentiam mutui auxilii tantùm, sed etiam propter majorem vitæ jucunditatem, et honestam communicationem quam homo naturaliter amat.* Ib. n. 6.

SCHOLION.

Mutua corporum indigentia et defensio est in naturâ corruptâ, adeòque non de jure nat. in se. Sed adhuc differentia naturalis hominum in scientiâ et virtute est caput sufficiens ad prædictam societatem, ut minùs docti et minùs ferventes à doctioribus et ferventioribus adjuventur, et qui peccant, ab aliis possint corrigi.

DE HOMINUM DOMINIO IN HOMINES.

I. *Habet homo de jure nat. dominium in omnia bruta animalia.* Suar. de Opif. l. 5, c. 6, n. 8.

II. *In jure nat. non datur dominium proprietatis unius hominis in alium ad usus convenientes propter utilitatem domini. Nam libertas est homini naturalis ; et utrumque simul dari nequit.* Ibid. l. 5, c. 7, n. 10.

SCHOLION.

Unde servitus non est de jure nat. Aliunde verò introduci potuit, scilicet in pœnam ; et idcircò non est contra jus nat. Aliter est ratiocinandum de subjectione famulatûs, quæ non in pœnam, sed in subsidium est introducta.

III. *Dominium directivum, seu potestas imperandi aliis in eorum commodum et commune bonum, est de jure nat.* Ib. n. 11, et de Leg. l. 3, c. 1.

SCHOLION.

Sic potestas viri in uxorem, patris in filios et totam familiam : quæ quidem potestas ad bonum ordinem et pacem inter ipsos necessaria est, et resultat, posito contractu matrimonii et filii generatione.

IV. *Politicus principatus, debito modo introductus, est de jure nat., cùm spectet ad conservationem humanæ ac civilis reipub.* Ib. num. 12; et Defens. cont. Reg. Angl. l. 3, c. 1, n. 3.

SCHOLION.

Sine justitiâ et pace nequit communitas hominum conservari : justitia et pax requirunt gubernatorem cum potestate præcipiendi et puniendi. Ergo si communis seu civilis societas est de jure nat., media ad illius conservationem sunt de jure nat.

V. *Ad regimen et conservationem civilis societatis humanæ non est de jure nat. necessarius unus monarcha (sunt enim alii modi regiminum sufficientes, licet fortassè non ita perfecti), et ideò nomine unius principatûs politici unum tribunal seu potestatem unam intelligimus, sive illa in unâ naturali personâ, sive in uno consilio, seu congregatione plurium, tanquàm in unâ personâ fictâ, ut in uno capite existat.* Suar. Defens. præd. c. 3, n. 5; de Leg. l. 3, c. 2.

VI. *Princeps politicus potestatem suam à Deo recipit.* Ib. n. 6. *Tum quia principatus est de jure nat., et jus nat. est à Deo ; tum etiam quia innuit Scriptura.* Quare Suarez ibi putat hoc esse de fide.

SCHOLION.

Licet potestas civilis suprema immediatè dicatur à Deo collata hominum perfectæ communitati (Suar. de Leg., l. 3, c. 2, n. 3), per naturalem consecutionem ex vi primæ creationis, et hominum communitas ex jure nat. non teneatur ad unum regimen potiùs quàm ad illud (ex n. 5), adhuc tamen postquàm in unam personam potestatem transtulit, nequit citra injustitiam ab illius dominio recedere, vel illi potestatem imminuere. Suar. Defens. præd. c. 3, n. 2 et 4.

VII. *Potestas hæc resultat naturaliter in humanâ naturâ (ubi homines liberè in unam communitatem perfectam congregantur, et politicè uniuntur) ab Auctore naturæ ratione suæ providentiæ ; et idcircò dicitur collata immediatè à Deo.* De Leg. l. 3, c. 3, n. 6.

SCHOLION.

Potestas est de jure nat.; at determinatio ad certum modum regiminis est ex arbitrio hominum. Vid. Suar. loc. cit. c. 4, n. 1, ubi de variis regiminum generibus, et de variis titulis obtinendæ regiæ potestatis: scilicet 1° immediatè à Deo, 2° per hæreditariam successionem, 3° ex bello justo; quod quidem debet supponere regiam potestatem in eo qui illud indicit, et delictum in republicâ contra quam indicitur.

VIII. *Potestas suprema civilis non potest ferre leges de actibus purè internis. Quia illa potestas ad exterio rem pacem et honestatem societatis humanæ ordinatur, ad quam nihil referunt actus purè interni.* Suar. de Leg. l. 3, c. 13, n. 2, 3. *Potest tamen quatenùs sunt connexi cum actibus externis.* Ib. n. 9.

IX. *Potestas hæc ferre potest leges obligantes in conscientiâ.* Suar., ib. c. 21, n. 25.

SCHOLION.

Potestas ferendi leges debet habere vim cogendi, ut patet: coactio autem sine potestate obligandi in conscientiâ vel est moraliter impossibilis, quia coactio justa supponit culpam; vel est insufficiens, quia non posset in multis casibus necessariis sufficienter reipublicæ subvenire. Quinimò leges etiam pœnales resolvuntur in aliquam conscientiæ obligationem, quia secùs superior non posset habere jus ad puniendum transgressorem, vel daretur bellum utrinque justum. Suar. de Leg. l. 3, c. 22.

X. *Supremus princeps, qui superiorem in temporalibus non habet, vel respublica quæ similem jurisdictionem apud se retinuit, habet jure naturæ potestatem legitimam indicendi bellum.* Suar. de Charit. disp. 12, sect. 2.

SCHOLION.

Siquidem tale bellum sæpè est reipub. necessarium ad propulsandas injurias et coercendos hostes, ut conservetur pax reip. Unde bellum est de jure nat. licitum, atque adeò post legem evangelicam, quæ in nullâ re derogat juri nat. Idcircò oportet potestatem illud indicendi esse apud aliquem ad quem spectat tueri remp., et inferioribus principibus imperare.

XI. *Justa belli causa, sine quâ bellum inhonestè fit, est ut qui injuriam intulit justè puniatur, si recuset absque bello justam satisfactionem præbere.* Ib. sect. 4.

SCHOLION.

Qui sine justâ causâ bellum aggreditur, non solùm contra charitatem, sed et contra justitiam peccat; unde tenetur omnia damna restituere.

XII. *Justa belli causa etiam de jure nat. esse potest defensio innocentium.* Ib. sect. 5.

SCHOLION.

Hoc peculiari modo ad principes christianos spectat, pro defensione eorum qui velint vel legem christianam promulgare (de quâ re datur in Ecclesiâ speciale jus, rationi naturali maximè congruum, Suar. de Fide, disp. 18, sect. 1), et prohibentur cum injuriâ; vel suscipere illam, et à rege infideli injustè vetantur. Atque hoc habet fundamentum in lege naturali, cui conformis est tota lex Christi.

DE HOMINUM DOMINIO IN BONA.

I. *Divisio rerum, et privata dominia non sunt ex jure naturæ.* Suar. de Opif. l. 5, c. 7, n. 17.

II. *Nullum est præceptum juris nat. prohibens hanc rerum divisionem.* Suar. ib., n. 18.

SCHOLION.

Non enim est contra justitiam nec contra aliam virtutem: quinimò potest esse utilis. Lessius lib. 2 de Just., c. 2, dub. 2.

III. *Divisio rerum mobilium et consumptibilium videtur necessaria ex jure nat.; neque enim possent, invito possidente, auferri sine injustitiâ.* Suar., ib.

IV. *De jure nat. videtur etiam esse, ut qui particulam terræ etiam ante statutam divisionem, sibi sumeret excolendam, non posset citra injustitiam ab alio privari.* Suar., ib.

SCHOLION.

Hinc factum est ut usus obtinuerit de rerum proprietate, et quamdiù illas quis retineret, et de terræ particulâ vel ad excolendum, vel ad habitandum acceptâ.

DE MUTUA HOMINUM CHARITATE.

I. *Tenemur legis naturalis præcepto diligere proximum sicut nos ipsos: quia id dictat ratio naturalis, et quia nihil est magis necessarium ad generis humani conservationem, pacem et justitiam tuendam.* Suar. de Char., disp. 5, sect. 4.

SCHOLION.

Si tenemur diligere, tenemur consequenter à fortiori proximum non lædere; et quidem non lædere proximum in re aliquâ, ipso invito, quod spectat ad justitiam; sed neque ipso volente, ut in spiritualibus, quod pertinet ad charitatem.

II. *Præceptum naturale diligendi proximum obligat ad actus internos, quando isti necessarii sunt; vel ad opus externum, et beneficium proximo præstandum; vel etiam ad vitandum odium et offensionem proximi.* Suar., ibid.

SCHOLION.

Quare præceptum hoc obligabit, quando occurret necessitas *misericordiæ*, ad quam spectat tum affectu, tum etiam effectu pro viribus sublevare proximi miseriam, seu malum ipsius involuntarium, sive in ordine ad animam, sive in ordine ad corpus. Ad *animam* pertinet *fraterna correctio*, quam cognovit Arist. 9 Ethic. c. 3. Ubi tamen et de delicto *sufficienter* constet; et spes sit *fructus, et emendationis*: ne scilicet correctio sit temeraria, et rursùs actus sit otiosus. Obligamur autem, quando proximus indiget nostrâ correctione, et sit opportunitas illum corrigendi. Ad *corpus* spectat præceptum naturale eleemosynæ, quod respicit præcipua pars charitatis proximi. Hoc verò obligat tempore necessitatis proximi. Suar., ibid., disp. 7 et 2. Atque hùc refertur, sepelire mortuos, licet cadaver non sit capax miseriæ; sed tamen homo, cujus est corpus illud, manet in memoriis hominum: et corpus habet ordinem ad animam, cui gratum est illud officium, quod ipsi etiam prodesse potest propter suffragia quæ in locis sacris fiunt. Suar. de Char., disp. 4, sect. 1.

III. *Ex lege naturali jubemur non odisse homines etiam improbos. Isti enim proximi sunt : et proximorum odium est intrinsecè malum, utpote odium rei bonæ, et per se amabilis.* Suar. De car. disp. 5, sect. 5.

SCHOLION.

Non est contra legem naturalem optare proximo malum temporale propter bonum finem, ad resipiscentiam ejus, vel ad vitandum majus malum : si nimirùm aliâ viâ provideri non possit.

IV. *Ex lege naturali tenemur diligere inimicos, tum quia inimicus est proximus, respectu cujus prævalet illud : quod tibi non vis, alteri ne facias ; tum quia vindictam sumere ab inimicis propriâ auctoritate, est contra rationem naturalem : ergo et appetitus vindictæ, cui contrarius est hic amor. Tandem hic amor est maximè necessarius ad conservandam justitiam et pacem inter homines.* Suar. ib.

SCHOLION.

Patet etiam ex præcepto expresso in l. evangelicâ, ubi nulla de novo fuêre imposita præcepta moralia positiva præter ea quæ sunt sacramentorum. ( Suar. De Leg. l. 10, c. 2. ) Vocat autem Christus *suum* hoc præceptum, ut explicet maximam necessitatem et obligationem ; et ut ostendat falsò Pharisæos addidisse legi veteri ( dicenti tantùm Levit. 19 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum* ) illa verba : *odio habebis inimicum tuum*, quam sententiam ex Pharisæis in vulgus promanatam Christus Dominus rejecit.

V. *Tenemur ex leg. nat. amare inimicos, eisque exhibere amicitiæ signa eo tempore ac modo quo circa alios homines.* Suar. ib.

SCHOLION.

Cæterùm habenda in his officiis est ratio circumstantiarum, unde indicari possit internum odium, ex quo aliorum offensio oriatur.

VI. *Respectu omnium tenemur lege nat. non mentiri. Mendacium enim est valdè dissonum naturæ rationali ; quia evertit ordinem ejus, et est contra finem et necessitatem verborum, seu locutionis rationalis.* Suar. De Fide disp. 3, sect. 5.

SCHOLION.

Ad hoc est à naturâ institutum verbum externum, ut per illud significemus internum, et ita possit esse inter rationales naturas societas et fidelitas, seu fiducia. Quare sequitur nunquàm posse honestari propter bonum finem, si retineat rationem mendacii, nec licet fieri malum, ut inde eveniat bonum, teste Paulo Rom. 3.

VII. *Sine rationabili causâ uti amphibologiâ est contra virtutem veritatis. Quoties enim necessitas non requirit amphibologiam, debita est nostro sermoni simplicitas in sensu usitato et concepto ab audiente : et tunc defectus simplicitatis in illo sensu est vitiosus et contrarius veritati. Si detur necessitas, tunc ille defectus simplicitatis, et claræ expressionis supplcri potest ex adjunctis et circumstantiis, locutionem complentibus : et sic non est vitiosus, nec mendacium, cùm detur verus sensus accommodatus locutioni.* Suar. De Jur. l. 3, c. 11.

VIII. *Assertio alicujus de re faciendâ, vel de beneficio præstando includit intrinsecè ex vi veritatis tale propositum, quale requirit illud opus, quod præstandum, seu efficiendum asseritur : respectu verò futuri operis non requirit veritas hujusmodi assertionis, ut postea illud opus omninò executioni mandetur.* Suar. Relect. De libert. Volunt. div. disp. 2, sect. 2, n. 18.

SCHOLION.

*Veritas* enim assertionis non exigit perseverantiam in tali proposito, ut patet : quia hæc non asseritur.

IX. *Si assertioni adjungitur promissio ex voluntate se obligandi, nascitur naturale debitum efficiendi veram assertionem de futuro, scilicet præstandi id quod promittitur.* Suar. ib.

SCHOLION.

Obligatio hæc oritur ex fidelitate ; infidelitas autem maximè repugnat rationi, et convictui humano : et pro materiæ et personarum gravitate potest moraliter reputari sufficiens ad violandam charitatem.

X. *Si promissio inducit obligationem justitiæ, donando alteri jus : tenetur homo ratione justitiæ naturalis complere promissum.* Suar. ib. n. 19, 20.

SCHOLION I.

Hæc utique intervenit in commerciis, contractibus, etc., ubi voluntas hominum non sistit in merâ obligatione efficiendi verum, sed præterea transit in debitum justitiæ.

SCHOLION II.

Obligatio ex justitiâ inducit debitum restitutionis, si violari contingat : rursùs fundat jus in conscientiâ vindicandi sibi propriâ auctoritate rem, si aliunde in judicio repetere non possit : ac præterea jus transit etiam ad hæredes.

IN OFFICIORUM CONCURSU, ET MUTUA COLLISIONE

I. *In omnibus officiis Deus est semper super omnia diligendus.* Suar. De car. disp. 9.

Idem dicas de Christo Domino, qui est Deus homo, et ideò magis quàm cæteri diligendus. Christus verò *ut Homo* (id est vita hominis in Deo) minùs quàm ipse Deus secundùm se, magis tamen quàm nos ipsi : cùm sit bonum infinitæ excellentiæ ratione unionis, et jure redemptionis sit bonum universale (Suar. ib. in fin.).

SCHOLION I.

Quare in concursu officiorum ex lege nat. debitorum Deo cum aliis officiis, his illa præferenda sunt ex recto ordine rationis ; quod patet in quàlibet culpâ etiam veniali. Rursùs officia majoris obligationis erga Deum ex eodem ordine præferri debent officiis minoris obligationis. Eadem est ratio de præceptis juris nat. respectu præceptorum positivorum Ecclesiæ.

SCHOLION II.

Jam concurrere possunt, et veluti invicem collidi officia hominis erga seipsum cùm officiis erga proximum : quoniam verò officia hæc respicere possunt sive *bona spiritualia*, sive *bona temporalia*, idcircò in triplici concursu considerari potest homo : 1° quando concurrunt officia de Bono spirituali sui ipsius cum officiis de bono spirituali proximi : 2° de bono temporali proprio cum bono spirituali proximi : 3° de bono temporali proprio cum bono temporali proximi.

Possunt etiam concurrere officia erga unum proximum cum officiis erga alium : et hìc sui pro singulis dantur canones juxta legem naturæ.

II. *In bonis spiritualibus simpliciter tenetur homo se magis diligere, et propriis ejusmodi necessitatibus subvenire, quàm aliorum.* Suar. ib.

Quia potiùs debet homo sibi velle beatitudinem æternam quàm aliis : et potiùs debet velle à se Deum amari quàm ab aliis, juxta rectum ordinem charitatis.

III. *Nemo tenetur, nec potest aliis subvenire cum eo proprio spirituali detrimento, quod culpam includit.* Suar. ib.

Quia culpa includit offensam Dei, quæ vitanda est plusquàm omnia mala creaturarum.

IV. *Nemo tenetur, nec potest aliis subvenire cum eo detrimento proprio spirituali, quod minuat substantiam charitatis, seu impediat augmentum ipsius, et meritorum.* Suar. ib.

Quia charitas maximè inclinat ad sui perfectionem. Ergo non ad id quod hanc perfectionem impedit.

V. *Si concurrit detrimentum spirituale proprium merè extrinsecum, et accidentale cum salute aliorum, solet eligi illud potiùs propter hanc.* Suar. ib.

Sic se habet expressio illa Moysis, Exod. 32. : *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Pauli ad Rom. 9 : *Optabam ego esse anathema à Christo pro fratribus meis,* juxta explicationem SS. PP., maximè Chrysost., hom. 2 et 3 *de laudibus Pauli.*

VI. *Simpliciter loquendo tenetur homo magis diligere proximum in spiritualibus, quàm se in corporalibus* Suar. ib.

Quia secundùm rectam rationem est amabilior anima proximi, quàm corpus proprium.

VII. *Tenetur homo subvenire proximo existenti in extremâ necessitate spirituali, etiam cum evidenti periculo mortis.* Suar. ib.

Quia hìc ordo cadit sub præceptum : ergo maximè in extremâ necessitate. Sic esset in parvulo moriente baptizando; etc.

VIII. *Extra casum extremæ necessitatis spiritualis non obligat charitas per se ad subveniendum privato proximo cum periculo morali mortis corporis.* Suar. ib.

Quia tunc non est maxima necessitas; unde nec obligatio perdendi summum bonum corporale. De bono tamen communi sufficit gravis necessitas spiritualis : quia tunc dari posset grave periculum religionis christianæ. Ut si sciam ab aliquibus hæresim esse prædicandam, tenear me illis opponere ratione charitatis : episcopus verò, et Parochus ratione officii et justitiæ ex tacità conventione, tenetur etiam in gravi necessitate cujuslibet de suo grege.

IX. *In gravi necessitate* spirituali, *proximi obligat charitas cum aliquo etiam* damno temporali proprio : *extra casum verò talis necessitatis non est gravis obligatio.* Suar. ib.

Quia gravis necessitas spiritualis proximi est gravis momenti, et præferenda ex ordine charitatis alicui damno proprio temporali. Deinde præcepta affirmativa solùm obligant in casu necessitatis. Hinc licet sit laudabile subvenire proximo in talibus circumstantiis, non est grave præceptum extra necessitatem. Gravis autem necessitas prudenter est et cum proportione judicanda.

X. *In* temporalibus *tenetur homo potiùs commune bono quàm sibi subvenire.* Suar. ib.

Commune bonum præferendum est privato, cùm sit universalius : et quilibet est pars boni communis, pars autem debet præferre bonum totius bono proprio.

XI. *In quàcumque* corporali *necessitate potest quilibet licitè sibi potiùs, quàm alteri privato subvenire.* Suar. ib.

In pari necessitate nemo tenetur diligere proximum plusquàm se. Contra verò si proximus sit in necessitate vitæ, ego verò in minori necessitate : vel si proximus sit in gravi necessitate, non item ego. Multò magis si comparatur gravis necessitas vitæ proximi cum bonis superfluis, vel etiam necessariis ad statum. Hæc enim omnia minùs sunt diligenda, quàm vita proximi.

XII. *Non tenetur homo in* necessitate vitæ *etiam* extremâ *sibi potiùs semper subvenire, quàm proximo alicui, puta amico.* Suar. ib.

Quia licet nemo possit se occidere, tamen non tenetur semper omni medio, et ratione servare vitam, etiam in concursu alicujus sibi charissimi. Multò magis in concursu patris.

XIII. *Potest quis sine gravi culpâ in* necessitate extremâ *postponere se, ut alteri etiam extraneo in simili necessitate subveniat.* Suar. ib.

Hoc autem spectatâ tantum charitate; si alia verò adsit obligatio justitiæ, vel pietatis, ut in patrefamiliàs, tunc non potest. Generaliter autem potest quis amittere vitam ob bonum finem : et conservatio vitæ proximi est bonus finis, vel honestas fortitudinis, charitatis, etc.

XIV. *Cæteris paribus non est dubium, quin secundùm ordinem charitatis sit melius in extremâ necessitate sub venire sibi, quàm aliis.* Suar. ib.

Sic melius est non dare alteri extremè indigenti id quo ego etiam extremè indigeo : omittendo enim hoc medium necessarium, censeor meipsum occidere. Sic è duobus naufragis posset alter licitè sinere, ut socius tabulam acciperet; non posset autem dare illam socio, si jam ipse tabulæ insedisset : hoc verò si cætera sint paria.

XV. *Præceptum etiam naturale charitatis, et misericordiæ obligat ad servandum* ordinem *in dilectione, ve. in subventione proximorum.* Suar. ib.

Sicuti diversi dantur gradus conditionum, et conjunctionum in proximis, ita rectus ordo poscit servandam legem in charitate et misericordiâ.

XVI. *Cæteris paribus tenemur præferre eos qui nobis* conjuncti *sunt, alienis.* Suar. ib.

Hæc est enim ordinis ratio : intelligendo in eodem genere bonorum.

XVII. *Inter sanguine conjunctos servandus idem*

*ordo; inter consanguineos* pater, *inter amicos* fidelior *et* antiquior. Suar. ib.

Hic etiam ordo est inter amicos et inimicos, quia est rationi charitatis conformior. In concursu *patris et filii* in extremâ necessitate, præferendus est pater (Suar. ib. sect. 4, n. 6); gravior est enim impietas patrem interficere, quàm filium. In concursu *patris et matris* præferendus est pater, cui debetur major honor quàm matri. Fortassè tamen hic ordo non obligat sub gravi. (Suar. ib. n. 8.) Rursùs præferendus est *pater conjugi.* (Suar. ib. n. 16, cum D. Th.) Item præferendus pater improbus cuilibet alteri sanctiori tum quoad temporalem necessitatem, tum quoad spiritualem. (Suar. ib. n. 19, 20.) In concursu *benefactoris et beneficiati*, seu cujus sumus benefactores, præferendus benefactor; quia est amor magis debitus.

XVIII. *In diversis conjunctionum, seu societatum generibus præferendi sunt addicti illi societati.* Suar. ib.

Sic in rebus civilibus cives, in militaribus milites; nam respectu hujusmodi societatum consurgit quædam obligatio ad particularia officia, ut patet.

### Epilogus.

Atque hæc de *officiis* pertinentibus ad hominem, quà *homo* est, quà *Christianus* est. Neque enim officia juris nat. diversa urgent hominem, diversa urgent Christianum : quando eamdem à Deo auctore naturæ habent originem, eosdemque homines, quicumque ii sint, cujuscumque ordinis, religionis, statûs, modò homines sint, obligant. Fides utique detexit plura *naturalia* et *moralia*, ut ait Ambrosius (Præf. in Luc. n. 4) *et apertè docuit etiam rationalia.* Atque hoc fidei beneficium non magis christianos quàm cæteros homines respicit atque obligat; *omnes* enim fides *illuminat.* Quare jus nat. ratione cognitum, et cognitum etiam fide unum omninò est : ratio etiam et fides quoad hæc officia, cùm ab uno divino auctore procedant, non pugnant inter se; sed

. . . . *alterius sic*
*Altera poscit opem res, et conjurat amicè.*
Horat. de Arte.

Poscit autem opem ratio à fide, ut ex dictis hactenùs constat apertissimè. Quare cuilibet plenissimam cupienti juris naturalis scientiam maximè erit enitendum, ut sacrarum facultatum studio, sanctorum patrum sedulâ lectione, et Scripturarum humili meditatione, quæ sint ulteriora nostrûm omnium officia, queat dignoscere. Quanti autem fides ex Scripturis hausta ad omne genus officiorum conferat, colligi potest ex verbis Greg. XIII. in litt. Apost. ad regem catholicum datis, quæ Waltonius Anglus editor Bibl. Polygl. in Præfat. appellat *Aurea ac Verissima*, quibus operi finem facio : *Scripturarum beneficium permagnum esse. Nam quod ad theologiam attinet, quæ est summa philosophia, his libris omnia nostræ religionis, et divinitatis mysteria explicantur : quod verò ad eam partem attinet, quæ* moralis *nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur : quibus quidem duabus partibus omnis nostræ salutis et felicitatis ratio continetur, ut nihil esse possit horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrinâ et sapientiâ refertius.*

# TRACTATUS DE JUSTITIA[1].

## Sectio prima.

## DE JUSTITIA, JURE
### ET SPECIEBUS JURIS IN GENERE.

### CAPUT PRIMUM.

De justitia generatim. — (Habet 4 dubitationes.)
(*D. Thom. q.* 57 *et* 58.)

### DUBITATIO PRIMA.

*Quid sit justitia.* — (*D. Thom. q.* 58, *multis articulis.*)

1. Notandum, nomen *justitiæ* duobus potissimùm modis accipi, ut colligitur ex Arist., 5 Eth. cap. 1. Primò pro complexione omnium virtutum : *justum* enim dicitur quod est adæquatum et commensum suæ regulæ, cui debet commensurari (includit enim debitum et adæquationem, ut docet D. Thom. q. 80, a. unico, et alibi). Unde *justitia* dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem et commensionem. Quare cùm collectio omnium virtutum, sive actu sive habitu formaliter conformet, et veluti commensam reddat voluntatem suæ regulæ, legi divinæ, rectè vocatur *justitia*, et quævis virtus pars *justitiæ*, præsertim cùm hâc ratione ordinetur ad alterum, quod etiam notio justitiæ postulat, ut idem D. Thomas cum Aristotele docet, nempe ad Deum, cujus legi conformatur; per omnem enim virtutem reddit anima Deo quod ei debet. Sic accipitur passim in Scripturis, ut cùm dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : qui faciunt justitiam.* Sic Chrysost. homil. 12 in Matth. ait : *Justitia nihil aliud est quàm omnium mandatorum plena custodia.* Et Anselmus, dialogo de veritate, cap. 13 : *Justitia est rectitudo voluntatis, servata propter seipsam.* Hinc fit ut nomen justitiæ accipiatur etiam pro ipsâ *charitate*,

(1) Auctore Lessio, cujus vitam videre est vol. 3 Cursûs Theologiæ, col. 785-786.

nempe quia charitas voluntatem reddit conformem toti legi divinæ; ut quæ omnium virtutum complexionem quodammodò contineat, juxta illud Apostoli : *Vinculum perfectionis dilectio.* Unde D. August. lib. de naturâ et gratiâ, cap. 58 : *Charitas Dei quâ unâ justus est, quicumque justus est;* et c. ult. : *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Secundò accipitur pro virtute particulari, quâ voluntas inclinatur ad cuique reddendum jus suum ad æqualitatem, quo modo hìc de eâ disputamus, et quærimus quid sit.

2. Definitur ab Ulpiano L. Justitia. π. de justitiâ et jure, hoc modo : *Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Sensus est, justitia est virtus inclinans et firmans voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum jus suum, idque ad æqualitatem. Dicitur primò, *constans voluntas*, quia est propositum habituale deliberatum et firmum; secundò, *perpetua voluntas*, quia ad perpetuò reddendum : qui enim tantùm semel, aut bis, non autem semper et in omni eventu vellet cuique jus suum reddere, non esset verè justus, nec haberet hanc virtutem; tertiò, *jus suum*, id est, quod cuique strictâ obligatione est debitum; debet autem reddi hoc jus ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur, ac proinde non erit perfecta justitia : quia justitia æqualitas quædam est, vel certè æqualitatem involvit, ut nomen insinuat. Simili penè modo definitur Justitia à D. August. libr. 19 de Civit. c. 21; et Ambros. l. 1 de Officiis, cap. 24 : *Justitia est virtus quæ sua cuique distribuit.*

3. Hinc patet primò, justitiam esse virtutem; nam reddere cuique jus suum, et constituere ubique in actionibus quibus homines inter se communicant debitam proportionem et æqualitatem, est per se honestum et rectæ rationi consentaneum; ac proinde virtutis opus.

Patet secundò, hanc virtutem esse in voluntate, quam inclinat ut velit cuique reddere quod debet : est enim propositum et inclinatio voluntaria ad id quod justum est.

4. Patet tertiò, hanc virtutem rectè disponere hominem ad alterum in functionibus et commutationibus mutuis; nam inclinat ut velis, et præstes quod alteri debes, et juri ejus ex æquo respondet. Nec obstat, quòd justitiæ sit velle etiam ut alter tibi jus reddat, ideòque non solùm te disponat ad alterum, sed etiam alterum ad te : quia formaliter solum subjectum suum disponit ad alterum; effectivè tamen alterum ad se disponere potest; omnis enim virtus honestum sui objecti amat in omnibus, illudque procurat quantùm commodè potest.

5. Patet quartò distinctio hujus virtutis à reliquis : ab iis quæ sunt in intellectu, quia est virtus voluntatis; à cæteris quæ sunt voluntatis, differt objecto : à *theologicis*, quòd earum objectum sit Deus; justitiæ, debitum proximo; à *Religione*, quòd Religio spectet debitum Deo, ut primo principio, cui æquale reddi non potest; justitia debitum proximo, cui potest rependi æquale; à *pietate*, quia pietas spectat solùm debitum parentibus et patriæ ratione ortûs, cui etiam satisfieri ex æquo non potest; ab *observantiâ*, quia hæc spectat debitum majoribus ratione gubernationis, cui etiam præmium æquale reddi nequit ab homine; ab *aliis justitiæ partibus*, quia debitum, quod spectant, est minus debito justitiæ; à *temperantiâ*, quia hæc non disponit meam functionem ad alterum, sed ad meipsum, ut mihi sit commensa; inclinando me, v. g., ut comedam, et bibam, sicut ratio dictat mihi convenire ad bonam valetudinem, ad functiones animi et corporis, sine ullo ad alterum intuitu; à *fortitudine*, quia hæc non respicit quid alteri debeatur, sed quid se deceat sustinere, et quantùm, etc.

6. Patet quintò, cùm *justitia* sit ad alterum, hominis ad seipsum non esse propriè justitiam, vel injuriam, neque patris ad filium, aut filii ad patrem, juxta Aristotelem et D. Thomam : quod intelligo quoad jura et debita quæ sunt inter ipsos quà tales sunt; quod enim filius ut filius debet patri, debet ei lege pietatis, non justitiæ : debet enim ei, non ut alieno et prorsùs distincto, sed ut principio sui esse; similiter quod pater filio : debet enim ei tanquàm sibi ipsi : est enim filius aliquid patris, scilicet fructus ejus et veluti pars ab illo abscissa, juxtà Aristotelem, 8 Eth. cap. 12, in quâ natura paterna conservetur; quare cùm tanta inter ipsos sit unio, majus est debitum quàm justitiæ vulgaris.

Nec obstat, quòd si filius patrem occidat, peccet contra justitiam, et teneatur hæredibus ad restitutionem; quia non peccat contra justitiam præcisè, quatenùs facit contra debitum filii et jus paternum (sic enim solùm peccat contra pietatem), sed quatenùs sine legitimâ auctoritate interimit hominem. Est enim in hoc facto duplex malitia, altera contra justitiam, ratione substantiæ personæ quæ læditur; altera contra pietatem, ratione circumstantiæ ejusdem personæ. Potest tamen inter ipsos esse debitum justitiæ, quatenùs sunt distinctæ personæ habentes distincta jura et dominia, ut si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia.

Pari modo inter dominum et servum, quà tales sunt, propriè non est justitia. Jus enim domini in servum non est justitiæ, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque uti in suum commodum, illum vendere, permutare, donare. Servus enim est domini instrumentum et possessio. Servus verò obstringitur domino, debito observantiæ seu duliæ, et debito obedientiæ; si tamen spectentur ut sunt homines distincti et in multis rebus liberi, suique juris, diversa jura habentes, sic potest inter eos esse justitia et injuria, ut si dominus servum occidat, vel mutilet; nam in vitâ membrisque tuendis et conservandis servus non subest domino, sed est sui juris, si servus furetur vel damnum domino inferat, si fugam contra jus et fas capessat; hoc enim furti genus est.

## DUBITATIO II.

*Utrùm justitia tantùm versetur circa actiones, an etiam circa passiones.*

( D. Thom. a. 9. )

7. Respondeo, et dico primò, justitiam primariò

versari circa solas actiones ritè ad alterum disponendas, et circa res ut sunt actionum materia, non autem circa passiones, ut temperantia, et fortitudo.

Probatur, quia proprium officium justitiæ non est curare ut homo non nimiùm irascatur, vel ne metuat, aut ne voluptates amet plus quàm par est, sed ut cuique præstet quod ei debitum; et quamvis ab hoc impediri possit per iram, timorem, pecuniæ vel voluptatum amorem, tamen ejus non est hæc impedimenta per seipsam tollere, sed aliarum virtutum præsidio: omnes enim virtutes se mutuò juvant, dùm quævis tollit quædam aliarum impedimenta. Mansuetudo enim temperat iram; unde juvat illas virtutes, quarum functiones per iram impediri possent, ut justitiam, obedientiam, humilitatem. Fortitudo moderatur timorem, liberalitas pecuniarum amorem. Idem de cæteris esto judicium.

8. Dico secundò: Potest tamen justitia secundariò moderari passiones, quatenùs illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est reddere cuique jus suum.

Probatur primò, quia possum velle moderari iram, amorem pecuniæ, et timorem ne alicui faciam injuriam; et ex vi hujus intentionis sequetur moderatio illarum passionum, absque interventu intentionis, quæ sit alterius virtutis: atqui intentio illa neminem lædendi est actus justitiæ: ergo justitia etiam moderatur passiones.

Secundò, quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quosvis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare, ut ostensum est 1, 2, q. 17, a. 5; atqui moderatio passionum est medium idoneum et sæpè necessarium ad finem intrinsecum justitiæ, estque actus externus virtutis, cùm non sit in voluntate: ergo justitia potest illam imperare. Itaque illa moderatio tunc formaliter erit actus justitiæ, non autem temperantiæ, vel mansuetudinis, vel fortitudinis; quia immediatè sequitur ex affectu justitiæ, ut ostensum est, 1, 2, q. 18, a 6, dub. 1.

9. Hinc colligi potest quo modo justitia dicatur attingere *medium rei*, reliquæ virtutes *medium rationis;* de quo D. Th. a. 10. Justitia enim non spectat quidnam sit commensuratum suo subjecto secundùm rectæ rationis regulam, sed quid sit commensum rei, vel juri alterius, ut nec minus nec amplius præstetur, sed æquale: temperantia autem et fortitudo spectant medium rationis, id est, quidnam juxta rationis dictamen sit commensum subjecto, non excedens aut deficiens modum subjecti; unde medium in his est variabile pro varietate subjectorum: quod enim respectu unius est medium et æquale, ad alterum est nimium, ad tertium est parùm; itaque rationis examine hoc medium est investigandum, et ex consensu cum regulâ rationis statuendum. In justitiâ autem semper est idem medium, qualecumque tandem sit subjectum, quod ipsa afficit: quod medium consistit in æqualitate rei ad rem (ut pretii ad rem venditam), vel proportionis ad proportionem: nempe ut talis sit proportio inter munera et onera communia qualis est inter personas quibus hæc distribuuntur. Unde meritò dicitur medium rei, non excedens, non deficiens ad jus alterius.

## DUBITATIO III.

*Utrùm præter justitiam particularem sit aliqua justitia generalis quæ legalis dicatur, et quid illa sit.*

(D. Thomas. q. 58, art. 5, 6, 7.)

Respondeo, esse quamdam justitiam legalem, seu generalem. Ita docet hìc D. Thom. a. 5, et Aristoteles l. 5, c. 1.

10. Ratio est, quia omnis pars reipub. dupliciter potest ad alteram comparari. Primò, ut pars ad partem, civis ad civem; et sic est justitia particularis quæ hominem in hâc habitudine perficit. Secundò, ut pars ad totum, scilicet ad ipsam rempub.; sic est justitia generalis, quæ hominem in habitudine ad rempub. perficit.

Sed tota difficultas est, quid sit hæc justitia; quod ejus officium, et quomodò ab aliis distinguatur; nam D. Thom. hìc, et Soto, l. 3 de Justitiâ, q. 2, a. 3, existimant quamdam esse virtutem particularem distinctam à cæteris omnibus, quæ procuret bonum commune. Verùm Andreas Vega, l. 5 in Conc. Trident. c. 4, et multi alii putant esse complexionem omnium virtutum.

Notandum est, nos posse loqui vel de re ipsâ, vel de mente Aristotelis, qui primus justitiæ legalis nomine videtur usus. Si de re ipsâ loquamur,

11. Dico primò, non videri dubitandum quin sit aliqua particularis virtus bonum commune reipub. intuens et procurans, cui hoc nomen justitiæ possit accommodari. Probat hoc satis D. Thom. art. 6.

Ratio est, quia velle et procurare bonum reipub. habet specialem rationem honesti et laudabilis, quæ non invenitur in functionibus aliarum virtutum: multò enim id est laudabilius quàm curare privata: ergo ad specialem virtutem pertinet, quæ rectè dicetur *Justitia legalis; justitia*, quia respicit quodammodò alterum, id est, rempub.; *legalis*, quia extendit se ad omnia quæ lege sunt statuta propter bonum commune.

Secundò, quisque civium quà est pars societatis civilis, ejusque fruitur commodis, speciali debito obstrictus est ad procurandum bonum illius societatis (nam pars est propter totum, et bonum partis propter bonum totius); sed ubi est specialis ratio debiti, ibi etiam est specialis ratio virtutis, et quidem justitiæ, cùm sit ad alterum, et etiam de iis quæ legibus sunt præcepta.

Tertiò, si quis negligat bonum commune quando versatur in periculo, vel præponat ei privatum commodum, peccat contra hanc justitiam: non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex officio ei incumbat hujus boni conservatio: quod signum est, hanc esse virtutem specialem distinctam à justitiâ particulari.

12. Dico secundò: Probabile est hanc virtutem non distingui à virtute *pietatis;* quatenùs per pietatem, patriæ vel reipub. in quâ vivimus, debitum cultum obsequiumque præstamus.

Probatur, quia secundùm D. Th. *justitiæ legalis* est procurare bonum commune reipub. et cæteras virtutum functiones ad hoc destinare, quando opus est; v. g., si respub. versetur in periculo, justitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari ut excogitet modos defensionis; pericula contemnit; sumptus annonæ restringit; thesauros effundit: denique nihil non molitur ex affectu erga rempub. Sed hæc omnia videntur esse officia *pietatis* in patriam, vel rempubl., neque explicari potest quænam alia virtus hæc præstet: ergo pietas est illa virtus, quam D. Thom. justitiam legalem vocat, vel certè parùm ab eâ distinguitur.

13. Dices: *Pietas* æquè est in subditis ac in principe: atqui *justitia legalis* non est æquè in utroque; in principe enim est principaliter et architectonicè; in subditis secundariò et veluti in administris, ut docet D. Thom. a. 6; ergo sunt diversæ virtutes.

Respondeo majorem non esse veram; *pietatis* enim virtus quoad suas functiones externas (quæ sunt, reipublicæ bonum procurare et conservare) principaliùs et excellentiùs est in principe; idque ob duas causas: Prior est, quia princeps, si consideretur ut privata persona, est nobilissima pars reipublicæ pollens opibus, auctoritate, scientiâ rei militaris, aliisque præsidiis, quibus respublica defenditur; et sic lege pietatis tenetur pro suis viribus rempublicam tueri; ac proinde alios dirigere, sicut membrum nobilius dirigit ignobiliora. Altera est, quia est superior communitatis, cui ex officio incumbit publici boni curatio; et sic tenetur ad eadem obsequia externa pietatis, lege justitiæ: hìc enim non comparatur ad communitatem ut pars ad totum, sed ut pars ad partem; nam tota respublica se habet ad principem sicut particularis persona ad custodem, quem stipendio ad se tuendum et custodiendum conduxit: et ob hanc causam maximè procuratio boni communis pertinet ad illum ἀρχιτεκτονικῶς. Nam ratione officii est in illo auctoritas jubendi et aliis præscribendi.

14. Dico tertiò: Etsi hæc sententia probabilis sit, verius tamen est *justitiam legalem à pietate* distingui, si nomine justitiæ legalis cum D. Thomâ et multis aliis intelligamus virtutem, quæ spectat bonum publicum, quatenùs debitum à parte toti. Probatur, quia ubi est diversa ratio debiti, ibi sunt diversæ virtutes; sed hìc sunt diversæ rationes debitorum, nam longè strictiori et altiori debito pars obstringitur toti, et civis reipublicæ quatenùs ipsa est unum corpus in quo ipse membrum; quàm effectus obligetur causæ suæ secundariæ, et homo suæ patriæ, ratione auxilii quod ipsa ad ejus ortum contulit; cujus signum est, quòd quisque suam rempublicam, cujus est membrum, teneatur præferre parenti et vitæ suæ, cùm tamen parens magis sit principium ortûs quàm patria: atqui pietatis est curare bonum patriæ, quia hoc officium est illi debitum ratione beneficii ortûs, quod ab eâ accepimus: justitiæ autem legalis est, idem bonum sive patriæ, sive alteri reipublicæ cujus sumus cives, procurare, quia id illi debetur ratione vinculi et nexûs, qui est partis ad totum, et membri ad corpus: ergo sunt distinctæ virtutes.

15. Dico quartò: Si verò de mente Aristotelis, lib. 5 Ethic., c. 1 et 2, ubi de justitiâ legali agit, sit quæstio, videtur justitia legalis in subdito nihil esse aliud quàm omnium virtutum complexio, quatenùs legi obtemperat; in superiore eadem complexio virtutum, quatenùs inclinat illum ut curet leges servari.

Prior pars est Eustratii in illum locum, Burid, q. 4 Gyraldi, q. 5 in lib. 5, Ethic. et aliorum.

Probatur primò, quia Aristoteles, c. 1, dicit *justitiam legalem non esse partem virtutis* (id est, speciem aliquam), *sed universam virtutem: sicut injustitia*, inquit, *legalis non est species malitiæ, sed universa malitia.* Addit, *virtutem in genere, et justitiam legalem esse idem re, sed differre solum τῷ εἶναι*, id est, notione et ratione, ut rectè Eustratius interpretatur; atqui non rectè diceretur de aliquâ particulari virtute (etiamsi ipsa alias ad suum finem referret) non esse speciem virtutis, sed universam virtutem; non differre à virtute in genere, nisi ratione.

Secundò, ita se habet justitia legalis ad virtutem in genere, sicut injustitia legalis (quam ipse παρανομίαν, id est, legis violationem vocat) ad malitiam in genere, ut idem Aristoteles docet; atqui violatio legis et malitia sunt idem, etsi ratione differant: ergo similiter justitia legalis et virtus.

Tertiò, justitia legalis nihil aliud est Aristoteli quàm virtus ut legibus paret, sicut injustitia est legum violatio, seu παρανομία: atqui omnis virtus legibus paret: ergo collectio virtutum est justitia legalis.

16. Quartò, Aristoteles dicit legalem justitiam esse in maximâ admiratione apud omnes homines, et proverbiali versu dici, *in justitiâ summatim est omnis virtus*: qui sumptus est ex Theognide: atqui hoc propriè convenit perfectæ obedientiæ, quæ fit per complexionem virtutum. Itaque Aristoteles per *justitiam legalem* videtur intelligere *obedientiam*, non ut est virtus specialis, quæ affectu præcepti facit opus, sed ut virtus generalis; omnis enim virtus quatenùs facit id est quod lege præceptum est, est obedientia legis, etiamsi id faciat non affectu obedientiæ, sed propriæ honestatis; quicumque enim facit quod lex jubet, et vitat quod ipsa prohibet, legi obedit, et legem implet.

17. Altera pars probatur, quia omnis virtus inclinat in suum bonum eo modo quo potest. Temperantia enim non solùm inclinat hominem ut ipse leges temperantiæ servet, sed etiam ut ab aliis servari curet, si commodò potest: ergo tota collectio virtutum in principe inclinat illum ut omnium virtutum leges à subditis servari curet.

18. Adverte tamen, superiorem posse multis modis inclinari ut curet servari leges. Potest enim hæc cura considerari primò, ut debita ex officio; et sic ad eam inclinat justitia particularis. Secundò, ut debita ex eo quòd sit præcipuum membrum reipublicæ, et sic ad eam impellit virtus, quam D. Thomas vocat justitiam

legalem. Tertiò, ut debita patriæ, quæ genuit; et sic ad eam inclinat pietas. Quartò, ut debita ex honestate singularum virtutum, de quibus sunt leges; et hoc modo tota virtutum collectio inclinat ad eam curam; quævis enim virtus, si potest, curat ut alius quoque sit virtute præditus, ut dictum est. Quintò, ut debita ex inclinatione charitatis naturalis in homines; et sic ad eam inclinat charitas naturalis, quæ etiam vocatur justitia; de quâ Cicero de Finibus, lib. 5 : *In omni honesto nihil est tam illustre, quàm ipsa charitas generis humani, quæ animi affectio suum cuique tribuens, et societatem conjunctionis humanæ æquè ac mirificè tuens, dicitur justitia.* Idem dicendum de quovis alio officio erga rempublicam; potest enim in eo multiplex ratio debiti spectari.

19. Dico quintò : Si qua virtus particularis vocanda sit justitia legalis, videtur hoc nomen maximè convenire virtuti *obedientiæ*. Probatur : nam ea quæ Aristoteles hìc tribuit *justitiæ legali*, magis conveniunt obedientiæ quàm ulli alteri virtuti particulari.

Primò, quia justitiæ legalis objectum secundùm Aristotelem est id quod lege sancitum est, quod ille τὸ νομιμὸν vocat; atqui id ipsum est objectum obedientiæ.

Secundò, quia *obedientiæ* competit esse in magnâ admiratione apud homines, esse instar Hesperi inter virtutes, et omnes virtutes complecti (quæ Aristoteles tribuit justitiæ legali), quia omnes virtutes inscrit, insertasque custodit.

Tertiò, rectè dici potest virtus universa, quatenùs inclinat ad omnium virtutum functionem et materiam.

Quartò, hæc virtus respicit alterum, id est, superiorem, cujus legibus obedit, et bonum commune, quod consistit in legum custodiâ.

Denique Aristoteles nusquàm alibi de obedientiâ agit, quasi eam hìc satis insinuaverit. In eamdem sententiam apertè inclinat D. Thomas, quæst. 120, art. 2 ad 1.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm justitia particularis rectè dividatur in distributivam et commutativam.*

D. Thom., quæst. 61, art. 1.

20. Respondeo, et dico primò, rectè ita dividi. Probatur ex Aristotele, 5 Ethicor., cap. 2, ubi duas ponit justitiæ partes, quarum alterâ dirigimur in distributionibus, alterâ in commutationibus. Eadem est sententia communis theologorum et philosophorum. Sed difficultas est quomodò hæ species distinguantur.

Dico secundò rectè distingui tali consideratione. In republicâ est triplex habitudo : 1 partis ad partem, 2 totius ad partes, 3 partium ad totum. Nunc, virtus quæ singulas partes disponit ad bonum totius reipublicæ est justitia legalis, de quâ dictum est; quæ verò disponit ad partem, est justitia particularis. Porrò ad partem est duplex habitudo, nempe totius ad partem, et partis ad partem; virtus quæ dirigit partem ad partem, scilicet civem ad civem, ut constituatur æqualitas inter cives in actionibus, quibus inter se communicant, dicitur justitia commutativa; quæ verò dirigit totum seu congregationem ad partes, in distribuendis per cives rebus communibus, officiis, et oneribus, juxta proportionem inter ipsos repertam, dicitur justitiæ distributiva. Hæc propriè et principaliter residet in principe vel magistratu, ad quem pertinent hujusmodi distributiones; in privatis secundariò, quatenùs eos disponit ut justam distributionem ament, eàque legitimè factâ acquiescant. Colliguntur hæc ex D. Thom., quæst. 61, art. 1.

21. Itaque distinguuntur hæ duæ species, primò, quòd justitia commutativa disponat privatum hominem ad privatum, vel eos qui se instar privatorum habent. Justitia distributiva, communitatem, vel eum qui communitatem repræsentat, ad privatum. Secundò, quòd illa dirigat commutationes, hæc distributiones. Tertiò, quòd illa spectet conditionem rei alterius, ut ei reddat æquale; hæc conditionem personæ (ut sitne dives an pauper, nobilis an ignobilis, doctus an indoctus; idoneus ad officium an ineptus) ut secundùm proportionem illarum conditionum fiat distributio. Quartò, finis intrinsecus illius est, constituere æqualitatem inter datum et acceptum; hujus finis est constituere æqualitatem inter proportionem et proportionem, ut eadem sit proportio inter res quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarum quibus fit distributio; v. g., est aliquid distribuendum secundùm dignitatem personarum : si is cujus dignitas est ut duo, accipiet 3 aureos; is cujus dignitas est ut quatuor, accipiet 6; cujus ut octo, accipiet 12, etc. Vide Aristotelem lib. 5 Eth., cap. 3 et 4.

22. Hinc patet, quando militi datur stipendium, vel operariis publicis merces à republicâ pro cujusque merito, non dari per *justitiam distributivam*, sed per *commutativam*, quia non spectatur conditio personarum, sed operarum quas præstiterunt; et nihil aliud intenditur quàm ut in singulis constituatur æqualitas rei ad rem, scilicet mercedis ad operas. Unde respublica non comparatur tunc ad illos ut totum ad partem : sed ut pars ad partem, ut civis ad civem : subdit enim rationem unius personæ conducentis operas singulorum.

Dices : Cùm sit distributio bonorum communium secundùm conditiones personarum, videtur etiam fieri per justitiam commutativam, et solùm per accidens videtur resultare illa proportionum similitudo inter multos, cujus signum est, quòd si distributor aliquem fraudaverit minùs dando quàm postulabat ejus conditio, faciet ei injuriam; quam tenetur sarcire per legem justitiæ commutativæ, ut docet D. Thom., quæst. 62, art. 1, ad 3. Hæc ergo erat violata.

23. Omissis variis solutionibus, respondeo proportionum similitudinem, seu æqualitatem non resultare per accidens, sed esse primariò intentam à justitiâ distributivâ, tanquàm finem intrinsecum; sicut æquatio rerum primariò intenta est à justitiâ commutativâ. Tamen interdùm justitia distributiva in suâ functione includit commutativam, nempe quando sit distributio

rerum, quæ stricto jure debentur, juxta personarum conditionem, ut si quis relinquat centum aureos distribuendos studiosis alicujus collegii pro cujusque inopiâ, vel eruditione, præses distributor lege justitiæ commutativæ obligatur erga singulos; quamvis erga omnes teneatur servare formam justitiæ distributivæ, ut sit ea proportio eleemosynæ ad eleemosynam, quæ est inopiæ ad inopiam; unde si alicui pauperiori minùs dederit, tenebitur ex justitiâ commutativâ ei restituere ad justam proportionem, non secùs ac si donator ei in particulari reliquisset, v. g., 10 aureos, et præses solùm dedisset 5; hoc ipso enim quo donator vult talem proportionem strictè servari, singulis implicitè assignat certam summam, juxtà proportionem inopiæ, quæ singulis debetur lege justitiæ commutativæ.

Confirm. Quia si pro uno solo fuisset facta assignatio, deberetur illi ex justitiâ commutativâ, ergo etiam debetur quando fit pro pluribus secundùm proportionem paupertatis, vel doctrinæ; nam æquè multum juris quisque acquirit, ac si ipsi soli assignatio facta esset. Eadem ratio locum habet quando distribuitur ærarium commune alicujus Universitatis vel collegii in singulos pro cujusque dignitate vel ordine, juxta leges et consuetudines receptas. Itaque quando dividitur aliquid stricto jure debitum, concurrunt in eodem actu justitia commutativa et distributiva; distributiva, quatenùs respicitur ut cuique detur secundùm proportionem suæ dignitatis; commutativa, quatenùs respicitur ut cuique detur æquale juri quod habet, quod jus ortum est ex lege, vel consuetudine, vel donantis dispositione, suppositâ certâ proportione dignitatis ipsius ad dignitatem aliorum, et quòd aliis tantùm vel tantùm datum sit. Quare minùs dando quàm oportet, simul violatur justitia utraque: distributiva, quia non datur secundùm proportionem dignitatis quam habet ad alios; commutativa, quatenùs non datur æquale juri quod ipsi acquisitum est. Quando verò fit distributio rerum quæ stricto jure non debentur secundùm conditionem personarum, tunc justitia distributiva non includit commutativam, ut fit in distributione beneficiorum et officiorum; quæ debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita ut ipsi jus strictum ad illa habeant. Unde non fit ipsis injuria, quæ ad restitutionem obliget, et si aliis conferantur, peccat tamen distributor contra justitiam distributivam de quo plura infra cap. 32, dubit. 2 et 3, c. 34, dubit. 13.

## CAPUT II.

### DE IPSO JURE IN GENERE.

(*Habet* 2 *dubitationes.*)

### Dubitatio prima.

*Quid sit Jus, et quodnam sit Justitiæ objectum.*

1. Notandum est, nomen *juris* potissimùm accipi tripliciter: Primò, ut sit idem quod *justum*. *Justum* autem dupliciter accipitur, secundùm Aristotelem libr. 5, Ethicor. cap. 1: nempe generatim pro *legitimo* (et sic omne opus virtutis, quatenùs consentaneum legi, dicitur *jus* et *justum*); et speciatim, pro eo quod est *æquale et alteri debitum;* hæc enim tria involvit *justum* strictè acceptum, (ut colligitur ex D. Thom., q. 80.) *æqualitatem, debitum et esse ad alterum.* Sic dicimur reddere jus alteri. Secundò, ut sit idem quod *lex*, quæ est regula *Justi* in genere: cùmque sententia judicis sit etiam veluti quædam lex, (est enim lex privata, non publica) etiam ipsa *jus* dicitur; hoc modo judex dicitur dictare jus, et præsse juri dicundo, quamvis tunc possit accipi pro justo et æquo. Tertiò, accipitur jus pro *legitimâ potestate.* Sic acceptum potest hoc modo describi: *jus* est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem; cujus violatio injuriam constituit.

2. Primò, *est potestas*, id est, habitudo quædam ad aliquid, unde dicimur aliquid posse; hæc autem se habet vel in modum potentiæ activæ, ut quando est jus ad aliquid agendum vel retinendum; vel potentiæ passivæ, ut in jure quod habes ut alaris, ut custodiaris, ut tibi serviatur; vel potentiæ resistendi, ut in jure quod habes ne quis ædificet tali loco; ne aperiat fenestram in tuum hortum, vel aream; ne altiùs attollat murum; ne officiat tuis luminibus.

3. Secundò, *legitima*, id est, à lege concessa; quia facultas quæ secundùm legem non competit, non est jus, sed vis et injuria; lex autem hanc potestatem concedens vel est divina positiva, ut ad sacramenta percipienda, vel est naturalis, ut ad usum membrorum, ad vitam per cibum et potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam, et similia. Vel est humana, ut ad successionem hæreditatis, ad præscribendam vel usucapiendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum per varia contractuum genera. Tot enim sunt genera jurium, quot sunt genera legum, quæ jus tribuunt: quamvis hæc diversitas non faciat diversitatem in ipso justitiæ habitu.

Hinc sequitur hanc potestatem non esse quid physicum, sed morale duntaxat, competens homini ex aliquâ Dei vel hominum ordinatione, vel deputatione, vel concessione; sicut esse magistrum, doctorem, regem, militem.

Tertiò, *ad rem aliquam;* ut ad obtinendum rem aliquam per successionem hæreditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem.

Quartò, *ad functionem;* ut ad liberum usum membrorum et rerum suarum.

Quintò, *quasi functionem;* ut ad possessionem civilem et naturalem, ad retinendum dominium, statum, et conditionem in quâ est.

Sextò, *cujus violatio*, etc., quia injuria nihil est aliud quàm alieni juris violatio. Dicitur autem violari, non quando aliquis privatur suo jure, sed quando jure manente contra illud agitur. Non enim agi potest contra jus quod non est. Unde quando quis privatur officio, quod est jus quoddam, non fit ei injuria, nisi in ipso aliud jus maneat respiciens illud officium: potest enim esse jus ad jus, et dominium juris. His positis,

4. Dico primò : Si *jus* accipiatur pro *justo in genere*, est formaliter objectum obedientiæ.

Probatur, quia sic idem est quod *legitimum* seu lege statutum ; atqui hoc est objectum formale obedientiæ, quæ ideò vult et facit, quia est præceptum.

Dixi *formaliter*, quia si *legitimum* accipiatur materialiter, pro eo quod est lege statutum, est objectum omnis virtutis, quia lex in omni materiâ virtutis aliquid statuit, ut supra cap. 1, n. 15, dictum est.

5. Dico secundò : Si *jus* accipiatur pro *justo speciali*, quod est æquale, debitum alteri ; sic est objectum formale justitiæ particularis, probatur, quia is peculiari ratione dicitur justus, qui hanc æqualitatem debitam amat, intendit et servat. Injustus, qui eam non servat, ut patet in contractibus, ergo hæc æqualitas quatenùs debita, est objectum formale justitiæ, patet consequentia, quia objectum formale cujusque virtutis est illud bonum honestum, quod per illam virtutem in opere intenditur.

Hæc autem æqualitas est duplex, ut supra, c. 1, num. 21, dictum est ; altera *rei ad rem*, (ut pretii ad merces ; rei reddendæ ad rem sublatam, vel peremptam) quæ æqualitas dicitur esse secundùm *proportionem arithmeticam*, estque objectum justitiæ commutativæ. Altera, *proportionis ad proportionem* (ut cùm est æqualitas inter proportionem rerum quæ distribuuntur, et dignitatem secundùm quas distribuuntur), quæ æqualitas dicitur esse secundùm *geometricam proportionem*, estque objectum justitiæ distributivæ : ratio istius appellationis est, quòd arithmetica, præsertim vulgaris, spectet propriè proportionem numerorum et quantitatum : geometria proportionum.

6. Dico tertiò : *Jus secundo modo*, scilicet pro lege, non est objectum, sed regula justitiæ et cæterarum virtutum. Ratio est, quia virtutes in suis functionibus debent dirigi secundùm præceptum legum : nisi enim legibus sint conformes, non erunt studiosæ nec laudabiles.

7. Dico quartò : *Jus pro potestate legitimâ*, non est *objectum, quod* justitia intendit : est tamen aliquid unde objectum. Justitiæ quodammodò pendet, et ad quod intrinsecum ordinem habet, quod *formale objectum cui* dici potest.

Probatur, quia etsi justitia in opere suo non intendat jus alterius, intendit tamen id quod juri alterius est debitum, ac proinde id quod intrinsecum ordinem habet ad jus alterius ; quod confirmatur, quia objectum quod justitia intendit, includit esse debitum alteri ad æqualitatem ; debitum autem non potest esse sine jure in altero, nam est correlativum ejus : debitum enim juri est debitum ; ergo objectum justitiæ includit ordinem ad jus alterius. Hinc fit ut nullum sit propriè opus justitiæ, sine jure in altero : quia opus justitiæ est reddere quod juri alterius est debitum ; unde in altero postulat jus, in altero debitum. Quòd autem hoc jus rectè dicatur *objectum formale cui* patet, quia est ratio cur alteri aliquid sit debitum. Pro quo notandum est, in justitiâ, sicut et in omni virtute quæ est ad alterum, posse distingui *objectum quod*, et *objectum cui*. *Objectum quod* est illud, quod ipsa virtus intendit, et præstat exteriùs. Hoc in proposito est redditio rei æqualis, quatenùs debita, seu redditio debiti ad æqualitatem juris alterius.

*Objectum cui*, est is cui præstatur : hoc in proposito est proximus noster, quatenùs jus habet ratione cujus illi aliquid est debitum ; ex jure enim ipsius in me vel mea, nascitur in me debitum præstandi id, quod illud jus impleat et exhauriat, quo posito, justitia inclinat ut id velim affectu et præstem effectu ; itaque jus est ratio objectiva in *objecto cui*, unde tota ratio justitiæ pendet. Vide infra, c. 36, dubit. 2, et cap. 46, dubit. 1.

Nec obstat quòd *vindicatio* non respondeat juri alterius, sed ipsius vindicantis : quia hæc virtus non est species justitiæ particularis, sed pars potentialis, ut infra ostendetur, cap. 47, dubit. 4.

Ex his patet, hanc juris acceptionem maximè servire nostro proposito, quia tota justitiæ ratio ex eâ oritur ; nam ipsa ratio debiti et obligationis nostræ ex eâ pendet.

## DUBITATIO II.

*Quomodò jus secundùm varias acceptiones dividatur.*

8. Respondeo, et dico primò : Si *jus* accipiatur primo modo, id est, ut idem sit quod *justum alteri debitum*, dividitur in justum per æqualitatem rerum, et in justum per æqualitatem proportionum, ut dictum est, n. 5.

9. Dico secundò : Si accipiatur secundo modo, pro lege, dividitur sicuti lex. Itaque *jus* aliud est naturale, aliud positivum : *jus positivum* aliud est divinum, aliud humanum. *Jus divinum* aliud est vetus, aliud novum. *Jus humanum* aliud est jus gentium, aliud jus canonicum, aliud civile.

*Jus naturale* dicitur, quod ex ipsis rerum naturis oritur, scil. ex naturâ rationali, et naturali conditione operum, de quibus hoc jus disponit. Unde ejus rectitudo, suppositâ existentiâ naturæ humanæ, non pendet ex aliquâ liberâ ordinatione Dei vel hominis, sed ex ipsâ rerum naturâ. Itaque sicut naturæ conditio est immutabilis, ita quoque lex naturalis est immutabilis, manentibus iisdem circumstantiis rerum : ut bonum faciendum, malum vitandum ; Deum colendum, et cætera quæ continentur in Decalogo, vel evidenter ex eo ducuntur.

*Jus positivum* est quod pendet ex liberâ Dei vel hominum voluntate ; unde mutari potest, etiamsi omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant. *Jus divinum vetus* est, quod Deus in veteri Testamento tulit, de cæremoniis et politiâ. *Novum* quod in novo, ut sunt ea quæ de sacramentis. *Jus humanum* est, quod auctoritate humanâ seu puri hominis est conditum. *Jus gentium* est quod passim apud omnes gentes servatur. *Civile*, quod auctoritate principum secularium est conditum. *Canonicum*, quod aucto-

ritate Pontificis vel concilii conditum est. Sed de his plura, 1-2, tractatu de Legib. q. 96.

10. Dico tertiò : Si jus accipiatur tertio modo, scilicet pro *potestate legitimâ*, dividi potest : Primò ex parte principii, nempe secundùm divisionem legum quibus oritur. Unde aliud est *naturale*, quod lege vel concessu naturæ competit : aliud *positivum*, quod lege positivâ, vel concessione liberâ Dei vel hominum competit : et sic deinceps in aliis membris.

11. Secundò, dividi potest ex parte termini quem respicit, et sic dividitur in *jus ad rem*, et *jus in re*. *Jus ad rem* dicitur quod non tribuit actionem in rem, sed tantùm in personam, tale jus est quod tibi competit per stipulationem, per donationem, per emptionem, aliosve contractus, ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, et reipsa tradatur, manet illi, nec potes illam vindicare : quia non res erat tibi obligata; sed tantùm habes actionem personalem in eum qui te fraudavit, ut infra, cap. 3, num. 12 et 13, dicetur. Tale etiam jus est, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium.

12. Imò tale etiam est, quod habes per collationem beneficii, ante acceptationem : et per successionem hæreditatis, ante illius acceptationem. *Jus in re* dicitur, quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatam habet. Tale est quod habetur per emptionem, et alios contractus, secutâ rei traditione; per collationem beneficii, secutâ acceptatione : per testamentum, vel successionem ab intestato, secutâ acceptatione : tale etiam jus est dominium rei, et usus, et ususfructus, id est, jus utendi et fruendi, respectu rei, quæ subest illis juribus, item jura quæ dicuntur *servitutes*; jus etiam hypothecæ et pignoris ; denique omne jus, quod rem aliquam sive corporalem, (ut sunt agri, domus, supellex) sive incorporalem, ( ut sunt officia, beneficia, reditus, servitutes, et similia ) ita nobis obstrictam tenet, ut ex eâ possimus percipere fructus, vel emolumenta, vel securitatem creditorum, vel honorem, dicitur jus in re; quocumque autem res talis transeat, potest vindicare tanquàm nobis obstricta ; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta.

## CAPUT III.

### DE SPECIEBUS JURIS REALIS; UT SUNT DOMINIUM, USUS FRUCTUS, USUS, POSSESSIO, ET ALIA QUÆDAM.

(*Habet* 13 *dubitationes.*)

### Dubitatio prima.

*Quid sit dominium in genere, et quænam ejus species.*

1. Respondeo : *Dominium* in genere duo includit, nempe potentiam quamdam, et auctoritatem in rem vel personam (ut colligitur ex D. Thom. de Potentiâ, q. 7, a. 10) et subjectionem rei, vel personæ, talem, ut inde dicatur ipsa esse alterius. Dominus enim vocatur qui habet aliquid suum, de quo possit disponere, vel in quod auctoritatem exercere; qui autem nihil habet suum, in quod exerat potestatem, non dicitur dominus.

Itaque *dominium in genere* nihil videtur esse aliud quàm jus gubernandi vel disponendi de re aliquâ, tanquàm suâ. *Suum* autem dicitur, quod ita subjectum et astrictum illi, cujus esse dicitur, ut possit de eo disponere proprio jure, non ex commissione alterius. Sic ius quod Deus habet in universam creaturam tanquàm rem suam, quo potest de illâ statuere quod placuerit, est dominium Dei, et quidem perfectissimum, cùm creatura perfectissimè sit ejus, utpote ei summè subjecta et obstricta ratione creationis, conservationis, gubernationis, et summæ ab eo dependentiæ omnium quæ in ipsa sunt. Similiter jus quod rex habet in suum regnum : dux in suum ducatum : et quivis in suas possessiones, dominium vocatur.

2. Hoc modo dominium dividi potest in dominium jurisdictionis et proprietatis. *Dominium jurisdictionis* est potestas gubernandi suos subditos. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, præmiare. *Dominium proprietatis* est jus disponendi de re aliquâ tanquàm suâ in suum commodum ; ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ dominus, sive ille sit persona privata, sive publica, sive communitas ; nam persona publica et respub. potest possidere bona jure privato instar privatæ personæ.

3. *Dominium jurisdictionis* dividitur eo modo, quo jurisdictio ordinaria, quia ab hâc non videtur distingui ; unde aliud est *seculare*, aliud *ecclesiasticum*. *Seculare* est quod in rebus secularibus gubernat, pacem et publicam tranquillitatem procurans, ut est potestas imperatoria, regia, ducalis, comitalis, marchionalis, et similes respectu provinciarum, oppidorum, et pagorum, quæ ipsis proprio jure in negotiis secularibus subsunt. *Ecclesiasticum dominium* quod in rebus sacris et in rectè vivendi ratione dirigit, cultum divinum, et salutem animarum spectans; ut est potestas papalis, patriarchalis, archiepiscopalis, episcopalis, et aliæ inferiores, respectu subditorum qui ipsis in spiritualibus subsunt.

4. *Dominium proprietatis* dividi potest in perfectum et imperfectum. *Perfectum* dicitur quod continet proprietatem rei et commodorum ejus. *Imperfectum*, quod tantùm habet vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque rei proprietate. Unde hoc dominium est duplex : aliud enim dicitur *directum*, aliud *utile*. *Directum* continet solam rei proprietatem : unde habens hoc dominium solet dici proprietarius. Tale dominium est quod habet filius familiàs in peculio quod dicitur adventitium; et princeps in feudis ; et qui dedit agrum ad emphyteusim, in agro ; et omnis is qui dicitur dominus eorum, quorum alteri concessus est ususfructus. *Dominium utile* continet solam rei commoditatem et utilitatem. Tale est quod habet usufructuarius, feudatarius, emphyteuta.

5. Hic tamen advertendum est, ne dominium directum esset omninò inutile ; jure statutum est, ut certis quibusdam casibus dominium utile redeat at dominum di-

rectum, ut patet Instilut. de usufr. § 1. Vide Silvestrum verbo *Dominium*, q. 1 et 2. Omisso dominio jurisdictionis (de quo 1-2, quæst. 95, tractandum) explicandæ nobis sunt præcipuè species dominii proprietatis, et quædam jura affinia.

## DUBITATIO II.

*Quid sit dominium perfectum seu plenum.*

6. Notandum est dominium veteribus Latinis dici *mancipium*, quòd potissimùm apprehensione manuum hoc jus acquiratur, unde *res mancipi* dicebantur, quæ dominio erant subjectæ; et *homo sui mancipii*, qui sui juris erat: *dari* et *accipi mancipio*, cujus transferebatur dominium; postea hoc jus cœpit vocari dominium, quo nomine passim utuntur auctores Digestorum, ut patet tit. de Acquirendo rerum dominio, et alibi.

7. Nunc resp. hoc dominium sic posse definiri: Dominium est jus in re, extendens se ad omnem ejus usum seu dispositionem, nisi lege prohibeatur. Definitur hìc dominium plenum, continens in se dominium directum et utile; definitio habet tres partes. Prima est *jus in re*, hoc enim est loco generis: omne enim dominium est jus in re: non contra, ut patet in hypothecâ et pignore, in usu et usufructu; et in jure quod conjuges habent in mutua corpora: sunt enim hæc jura in re, non tamen dominia. Excluduntur hìc omnia jura ad rem.

8. Dico *in re* generatim, quia etsi jurisperiti tantùm rerum corporalium velint esse dominium; incorporalia autem (ut officia, jura) possideri *quasi dominio*: tamen hæc differentia passim non servatur, neque vulgò, neque à theologis, neque à jurisperitis: dicimur enim passim domini redituum, et similium jurium; unde quotidiè emuntur et venduntur etiam chirographa, et actiones personales, et servitutes. Secunda: *Extendens se ad omnem ejus usum*: quæ pars est loco differentiæ; nam proprium est perfecti dominii, ut possis re tuâ uti pro tuo arbitratu, eam vel tibi servando, vel vendendo, vel donando, vel vastando. Hìc excluduntur primò, omnia ea jura, quæ etsi dicantur dominia, non sunt tamen dominia plena, ut *dominium directum*, quod est dominium proprietatis nudæ sine usufructu: et *dominium utile*, quod est solius usufructûs, vel usus: et *dominium jurisdictionis*, quale habet rex in regnum, et omnis superior in subditos. Secundò excluditur jus pignoris, et hypothecæ, et similia; quamvis enim per hæc obtineatur aliquod jus in re ad aliquem determinatum effectum et usum, non tamen ad omnem usum: quia res, in quibus hæc jura habentur, non possunt vendi, donari, destrui. Sic Religiosus non habet dominium in vestes et libros, quia non habet jus ad omnem eorum usum, sed solùm ad determinatum.

9. Tertia est, *nisi lege prohibeatur*, quia etsi dominium ex naturâ suâ tale sit ut tribuat potestatem ad usum seu dispositionem rei qualemcumque; tamen interdùm lege impediente fit ut hæc potestas non possit exire in actum. Sicut qui habet potentiam naturalem videndi, impeditur interdùm ne possit eâ uti ad videndum; quo impedimento sublato, statim sine accessione novi auxilii potest in actum exire. Sic pupillus prohibetur alienare rem suam usque ad certum tempus, cùm tamen sit verus dominus, ut Apostolus ait ad Gal. 4. Sic majoratus, fideicommissa, et alia bona, quæ dicuntur vinculata, alienari ex legum dispositione non possunt, cùm tamen vero dominio possideantur; non enim hoc impedimentum quod lex inducit, tollit naturam dominii aut jus in re, sed solùm impedit ejus juris usum aliquem et executionem; quo impedimento per lapsum temporis, vel aliter cessante, sine collatione novi juris potest illa alienare. Simili modo potest impediri per votum et juramentum, ut infra patebit.

10. Ex his facilè intelligi potest illa jurisperitorum definitio: *Dominium est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*, ubi *corporali*, meliùs omittitur, ut dictum est. Hæc tamen definitio non explicat hoc jus esse in re fundatum; quod tamen ad rationem dominii est necessarium.

Dices: Dominium videtur quid prius jure; ideò enim habes jus in re illâ ad omnem usum et dispositionem, quia es ejus dominus; non contra: ergo dominium non est formaliter jus.

11. Resp.: Perfecta ratio dominii non est prior jure et potestate disponendi de re, sed hanc essentialiter includit: esse enim dominum rei, est rem illam ita habere sibi subjectam et astrictam per aliquem actum, v. g. per emptionem et apprehensionem, ut ex vi illius subjectionis possis de eâ liberè disponere. Itaque *dominium* ex parte rei dicit subjectionem rei, et veluti servitutem, quâ domino est obstricta, et dicitur formaliter esse res mea, tua, sua: ex parte domini dicit non tantùm nudam illam habitudinem, quâ dicitur rem habere per emptionem et traditionem; sed etiam potestatem et jus quæ ex vi modi illius habendi sequuntur. Ad rationem in oppositum,

Resp.: Etiam dicimus hominem posse intelligere, quia habet intellectum; et tamen intellectus essentialiter est potentia intelligendi. Itaque iste modus loquendi non est sufficiens signum, rationem dominii esse priorem quàm sit ratio juris; potentia enim omnis considerata in se et ad se, concipitur ut prior seipsâ, considerata in ordine ad actum, cum tamen reverà prior non sit; eò quòd respectus et ordo ad actum sit illi essentialis.

## DUBITATIO III.

*Quænam requirantur ad dominii acquisitionem.*

12. Respondeo, et dico primò: Quando dominium ab uno in alium transferendum est, ad acquisitionem dominii ordinariè duo requiruntur, *titulus* et *traditio*: ita docet Covar., lib. 2 Var. c. 19. Colligitur apertè L. Traditionibus, 22 c. de pactis: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, juncta simul lege nunquàm; 31, π, de Acquir. rer. dom.: *Nunquàm nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.* Ex his duabus legibus apertè habetur utrumque requiri et sufficere. Ratio est ipsa legum dispositio: nam jure naturæ non est necessaria traditio: est

tamen rationi consona, quia sicut ut possim re aliquâ uti naturaliter, requiritur in me vis utendi, et in re conveniens applicatio : ita, ut possim re aliquâ uti moraliter tanquàm dominus, requiritur ex parte meâ aliquod jus, per contractum aliquem, vel similem modum, et ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem vel apprehensionem. Accedit, quòd hâc ratione evitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium seminarium.

13. *Titulus* est id in quo totum jus primitùs fundatur, ut emptio, donatio, successio hæreditaria, et similia; per hæc tamen nondùm habetur dominium, aut jus in re; sed solùm ad rem : nisi accedat certa quædam traditio, quæ est veluti conditio necessaria ut ex vi prioris donationis vel emptionis resultet dominium. Unde si Petrus tibi vendidisset prædium, domum, pannum, equum, vel aliud quiddam, et ante traditionem venderet alteri et traderet, secundus emptor acciperet ejus dominium, nec teneretur illud tibi cedere, sed solùm haberes actionem damni in venditorem, ut patet ex l. *Quoties*, 15, c. de rei Vindicatione. Nisi fortè alteri esset tradita titulo gratuito; tunc enim posses illam vindicare, similiter, si alteri esset quidem tradita titulo oneroso, sed scienti eam tibi anteà venditam, de quo vide Covarr. lib. 2 Variarum, c. 19, num. 5, et infrà, cap. 21, dub. 19.

14. Notandum est, ex eo quòd per solum titulum vel contractum non consequimur dominium, vel aliquod jus in re ante traditionem; sed solùm actionem personalem, (præterquàm in pignore et hypothecâ) resultare multos effectus, ut benè ostendit Antonius Gomez, de Servit. n. 23 et 24. Primò, promisisti alicui vel vendidisti servitutem in prædio, v. g. jus eundi, vel currum ducendi per tuum prædium, et nondùm tradidisti eo modo, quo tradi debet; si alteri vendis prædium, ille non habebit actionem in emptorem, aut in prædium, sed in te.

15. Secundò, si vendidisti prædium cum pacto de retrovendendo, et ille vendat alteri, non habebis actionem in illum secundum emptorem, aut in prædium, sed in primum; quia nudum pactum de retrovendendo non tribuit tibi jus in re, sed actionem contra emptorem. Tertiò, si alienâsti bona tua in fraudem creditorum, et emptor alienârit in tertium, creditores non habent actionem in illa bona, vel in tertium, sed tantùm in secundum, si fuit conscius fraudis, etc. Vide plura apud Gomez, suprà.

16. Dixi *ordinariè*, quia in quibusdam casibus non est traditio necessaria ad dominium acquirendum. Primò, in *beneficiis* : nam in his acquiritur jus in re, et quasi dominium per collationem et acceptationem, ut patet ex c. *Si tibi absenti*, tit. *De præbendis in* 6. Secundò, in *hæreditate :* ut enim quis fiat Dominus hæreditatis, sive per testamentum, sive ab intestato, non requiritur aliud quàm ut hæreditas adeatur, ut patet ex l. *Cùm hæredes*. 23, π, de Acquirendâ vel Amittendâ possessione, ubi sic dicitur : *Cùm hæredes instituti sumus, aditâ hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt, possessio autem nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet.* Aditur autem hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto, ut habetur Instit. de Hæredum qualitate, § ult. Tertiò, in *legato;* si enim tibi res certa legata sit, statim hoc ipso quo hæres acceptat hæreditatem, efficeris ejus dominus, ut colligitur ex l. *A. Titio* 64, π, de Furtis, ubi dicitur *quòd res legata rectâ viâ ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata est transeat.* Quartò, quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur civitatibus, ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captivorum, ut colligitur ex l. *Ut inter jus divinum*. 23, c. de Sacrosanctis Ecclesiis. Quintò, in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium, de quo vide Covar. lib. 3 Variar. cap. 19, n. 1 et 2. Sextò, si donâsti et tradidisti alteri domum, fundum, vel quid simile, sub eâ conditione ut tibi alimenta præbeat; illo non præbente, ut debet, statim recipis dominium et possessionem illius rei, absque ullâ traditione, l. 1, c. de Donat. quæ sub modo. Septimò, si princeps contrahat cum aliquo, vel donet, et intendat transferre dominium, erit translatum absque aliâ traditione, ut docet Covar. l. 2 Variar. c. 19, n. 3. Ratio est, quia sicut ex voluntate principis est quòd requiratur traditio; ita etiam ipsius arbitrio potest omitti. Præter hos vix invenias alios casus, in quibus ad comparandum dominium sive plenum, sive non plenum, non requiratur traditio jure communi Cæsareo, nam de juribus propriis variorum regnorum, vel dominiorum non est nobis hìc sermo.

Adverte tamen, ad jus hypothecæ vel pignoris, talem traditionem aut apprehensionem non esse necessariam, sed nudam conventionem, vel legis dispositionem sufficere, ut patet l. 1, π, de Pignoribus.

Dico secundò, quando dominium non transfertur, ab uno ad alterum, ad acquisitionem ejus sufficit apprehensio : sic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius sunt; ut infrà dicetur cap. 5.

## DUBITATIO IV.

*Quidnam sit ususfructus.*

17. Respondeo, *est jus rebus alienis utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ.* Ita habetur Instit. de Usufructu, in principio. Habet hæc definitio quinque partes. Prima, *est jus;* quia non loquimur hìc de usu actuali, quem jurisperiti vocant usum facti, sed de ipso jure utendi, fruendi. Secunda est, *utendi*, ut excludatur jus, quod habet creditor in pignore vel hypothecâ, vel depositarius in deposito; hi enim non possunt uti rebus illis : quòd si utantur invito domino, tenentur ei restituere æstimationem usûs. Tertia, *fruendi*, ut excludatur nudum jus utendi re aliquâ, quod non extendit se ad ejus fructus percipiendos : sicut facit hoc jus, quo non solùm datur potestas utendi re illâ, in quâ constitutum est, v. g., equo, domo, agro, silvâ, sed etiam fruendi, id est, percipiendi omnes fructus, ita ut hoc ipso quo eos colligit, acquirat in eis plenum dominium. Si tamen fructuarius, priusquàm eos collegerit, moriatur, etiamsi jam sint maturi, acquiruntur domino proprietatis : non hæredibus fructuarii, ut

habemus Instit. de Rerum divisione, § *Is verò*. Ratio est, quia quamdiù adhærent fundo, censentur unum cum solo, unde pertinent ad dominum soli, donec fructuarius eos colligendo comparaverit sibi eorum dominium; quare si durante suo jure non collegerit, manebunt dominio fundi. *Fructus* autem dicuntur, 1. grege quidem, lana, lac, fœtus : in fundo, fœnum, segetes, virgulta, salices et omnes arbores cæduæ. fructiferæ autem non censentur in fructu, proles ancillæ non censetur in fructu, ob dignitatem naturæ. Vide de his omnibus lib. 7, π, tit. 1, potissimùm l. 8 et 59, et 68. Quarta, *rebus alienis*, ùt excludatur jus utendi et fruendi, quod quisque habet in re suâ. Quinta, *salvâ rerum substantiâ*, quia fructuarius debet rem integram proprietario reservare. Hinc fit ut usus-fructus propriè dictus non possit constitui in rebus quæ usu consumuntur, ut in vino, oleo, frumento, pecuniâ. Utilitatis tamen causa in his constitui potest quasi usus-fructus, tunc autem transfertur dominium in fructuarium; sed hic debet dare cautionem se finito tempore præscripto restiturum pecuniam, vel rei æstimationem. Vide Inst. suprà, § *Constituitur*.

18. Notandum autem est primò, ob hanc ultimam particulam, *ut salva maneat rei substantia*, fructuarium obligari ad hæc quatuor. Primò, si habet usumfructum gregis, vel armenti, quamvis possit utifrui lacte, lanâ, fœtu; tamen in locum capitum demortuorum, vel inutilium, debet è fœtu substituere alia capita : quæ postquàm substituerit, cedent in dominium proprietarii : unde si pereant, ipsi peribunt. Ita habemus Instit. de Rerum divisione, § *Sed si gregis*, hoc tamen non habet locum quando conceditur usus, non gregis collectivè, sed animalium, seu singulorum capitum; tunc enim non tenetur substituere. Ita habemus l. *Quid ergo*, 70, π, de Usufructu. Ratio est, quia grex est æternus; sed singula capita seorsùm pereunt.

Secundò, si usus-fructus sit constitutus in silvâ aut vineâ, tenetur fructuarius loco arborum vel vitium demortuarum alias serere; nisi vi tempestatis, vel simili casu essent eversæ; quod enim fortuitò perit absque culpâ fructuarii, proprietario periit.

Tertiò, si in ædibus sit constitutus usus-fructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, ut integræ permaneant; non tamen tenetur ad magnos sumptus quibus efficiantur meliores.

Quartò, tenetur ad dandam cautionem proprietario, se boni viri arbitratu usurum, fruiturum re ipsius, eamque restiturum finito tempore præscripto : vide plura apud Silv., sed minoris momenti.

19. Notandum secundò, usumfructum acquiri dupliciter, primò, legis ordinatione. Hic dicitur *legalis*, ut is, quem pater habet in peculio filii adventitio, quamdiù filius est sub patriâ potestate, et quem habet mater transiens ad secunda vota in bonis priorîs tori.

Secundò, privatâ dispositione, ut testamento, pactionibus, stipulationibus, ut habetur Instit. de Usufructu, § *Hic dicitur conventionalis*. Vide Gomezium, de Servitutibus, n. 1.

## DUBITATIO V.

*Quomodò usus fructus amittatur.*

20. Respondeo, amitti multis modis : primò, si moriatur usufructuarius; secundò, si res ipsa pereat : ut si domus incendio consumpta sit; tertiò, si tanto tempore non utatur suo jure, quanto opus est ut dominus directus contra eum præscribat. Hoc autem tempus est 10 annorum inter præsentes, et 20 inter absentes, ut colligitur c. de Usufructu, l. penult. Quartò, per maximam capitis deminutionem.

21. Dicebatur autem maxima capitis deminutio, cùm civitas simul et libertas amittebatur : hoc autem fiebat tribus casibus. Primus est, per condemnationem ad metalla, vel ad bestias, vel generatim ad mortem. Sæpè enim condemnatio ad mortem longo tempore antecedebat executionem. Hi dicebantur effecti servi pœnæ; quòd autem omnes ad mortem condemnati hùc pertineant, patet l. *Qui ultimo*, 29, π, de Pœnis, et clariùs l. *Quod ad statum*, 12, ibidem, ubi dicitur, *eos in quos animadverti jubetur, statim servos pœnæ fieri*. Eòdem pertinent damnati perpetuò ad triremes, ut docet Gomesius ad l. 4 Tauri. n. 1. Et quamvis per authent. primam de Nuptiis, c. 8, ablata sit servitus pœnæ, quatenùs erat impedimentum dirimens matrimonium; non tamen est ablata, quâ parte faciebat amitti usumfructum, eumque reverti ad proprietarium, ut eruditè ostendit Molina, disput. 9. Secundus est, quando libertus ingratitudinis in patronum condemnabatur, ideòque rursùs in servitutem revocabatur. Tertius, quando se patiebatur vendi, ut esset particeps pretii. Hi tres casus habentur Instit. de Cap. demin. § 2. Quintò, per mediam capitis deminutionem; quæ est, cùm civitas amittitur, sed libertas retinetur; hoc autem fiebat duobus casibus : primò, cùm quis deportabatur in insulam. Secundò, cùm aliquis proscribebatur interdictus aquâ et igni; ut habetur Instit. sup. ubi.

22. Adverte, hæc debere esse perpetua, et cum amissione omnium bonorum; quo modo fiebat apud veteres : alioquin non inducunt mediam capitis deminutionem. Hi omnes dicuntur mortui civiliter, quia testari non poterant, et respectu bonorum perinde se habebant, ac si mortui fuissent. Vide Silv. v. Testamentum, 1, q. 4. Eòdem pertinent damnati ad carceres perpetuos, juxta communem sententiam doctorum. Per professionem verò non redit usus-fructus ad proprietarium, sed transit ad monasterium, si est capax successionis; ut rectè Navar. commentario secundo de Regular. n. 70, et seq. colligitur authen. *Ingressi*, c. de Sacrosanct. Eccl., de quo infra c. dub 10.

Sextò, si usufructuarius cedat jure suo ipsi proprietario.

Septimò, si acquirat rei proprietatem : quod consolidatio dicitur. Vide Instit. de Usufructu, § *Finitur*, et *Silvestrum*, verbo *Usus*, q. 11.

23. Octavò, si pater fiat hæreticus, hoc ipso amittit usumfructum in bonis adventitiis filii : isque sta-

tim coalescit cum dominio directo, quod habet filius. Ita docet Jacobus Simanchas, Institutionum catholicarum, tit. 9, n. 81, et noster Molina, disp. 9. Ratio est, quia propter crimen hæresis paternum, etsi adhuc occultum, filius omninò exit patriam potestatem, efficiturque sui juris, adeò ut nullâ aliâ emancipatione egeat, ut expressè habetur c. 2, de hæreticis in 6, Alex. 4. Si nullâ aliâ eget emancipatione : ergo etiam quoad bona sua est exemptus à jure paterno, unde sequitur, posse illum uti occultâ compensatione, si aliter suo juri consulere nequit.

## DUBITATIO VI.

*Quid sit usus.*

24. Respondeo, *usus est jus utendi re alienâ, salvâ ipsius substantiâ.* De hoc agunt Institutiones et Digesta, post titulum de Usufructu. Patet ex dictis de usufructu. Additur, *salvâ rei substantiâ*, ut excludatur jus ad usum quo res consumitur, vel alienatur; qui etiam dicitur usus, sed non ita propriè. Quid autem concedatur in usu fundi, ædium, servi, pecoris, eleganter explicatur in Instit., tit. de Usu et Habitatione.

25. Solùm hìc duo notanda. Primum, eum, cui concessus est usus alicujus rei, non posse illam alteri locare, vel gratis concedere : secùs est de eo qui habet usumfructum, hic enim potest rem illam alteri locare, et percipere pretium elocationis, vel gratis concedere. Institut. de Usu, § 1, non tamen ita ut alter fiat usufructuarius : sed ut habeat jus quoddam ad percipiendos fructus dependens à jure usufructuarii.

26. Secundum, in omnibus rebus alienis, quibus aliquo modo uti vel etiam frui possumus, considerari quamdam relationem subjectionis et obligationis respondentem juri nostro, quod in illis habemus; quæ subjectio seu obligatio vocatur *servitus* à jurisperitis, tit. de servitutibus rusticorum prædiorum, et urbanorum, π, eodem tit.

27. Dico, in omnibus rebus alienis, quia *nemini res sua servire dicitur*, secundùm jurisperitos, sed aliena tantùm, ut habetur l. *Uti frui*, 5, π. Si usufructus petatur : idque distinctionis causâ à dominio; quia jus servitutis formaliter minus est quàm jus dominii. Unde jurisperiti subjectionem rei, in quam habemus dominium, non vocant servitutem formalem, sed causalem. Vide Gomezium de Servitutibus in principio.

## DUBITATIO VII.

*Quid sit servitus apud jurisperitos.*

28. Notandum est, hoc nomen dupliciter accipi apud jurisperitos; primò, pro subjectione et obligatione quæ est in re alterius, ut ipsa quodammodò serviat alteri. Secundò, pro jure, quod respondet illi obligationi.

Si accipiatur pro *jure*, sic nihil aliud est quàm jus fruendi, vel aliquo modo utendi re alienâ, vel aliquid circa eam impediendi, hoc modo est quid generalius quàm usus et usufructus; omne namque jus utendi vel fruendi est servitus; ut docet Gomezius de Servitutibus, n. 1 et 2, non contrà : nam jus impediendi ne altiùs attollas murum, est servitus; non tamen est usus vel usufructus.

Si autem pro *subjectione rei*, sic nihil est aliud quàm obligatio realis, quâ res alteri est obstricta, ut possit ex ipsâ percipere fructum, vel eâ aliquo modo uti, vel circa eam aliquid impedire.

29. Dividitur autem in tres species, secundùm Gomezium, et alios; alia enim *servitus* est *merè personalis* ut ea quæ à personâ debetur personæ : ut si mihi usum servi tui ad tempus, vel ad vitam meam concesseris. Alia est *merè realis* : ut ea quæ à re debetur immediatè alteri rei, talis est quæ respondet juri agrorum, vel domorum, et similium rerum. Dixi *immediatè*, quia hæc servitus etiam debetur à re personæ; sed mediatè tantùm, nempe ex eo quòd fiat talis rei dominus vel conductor, v. g., ager meus habet jus ut per agrum tuum possit iri, vel jumentum duci in meum; ager tuus servit meo; estque hæc servitus realis; quia à re debetur immediatè rei; et consequenter hoc jus transit ad eum ad quem transit meus ager. Alia est *mixta*, quæ à re debetur immediatè personæ, hæc extinguitur cum personâ cui debetur, talis est in re, quâ possumus uti vel frui immediatè.

30. *Servitus* autem *realis* dividitur in *Rusticam* et *Urbanam*, id est, in eam quæ prædio rustico, et quæ urbano debetur. *Prædium urbanum* in jure vocatur omne habitaculum, etiamsi in villâ sit, et hortus annexus, causâ amœnitatis. *Rusticum* quodvis aliud; ut stabulum, horreum, ager. *Servitutes* igitur *urbanæ* sunt, v. g., ut ædes tuæ non possint altiùs attolli, ne officiant vicini luminibus : ut in tuum parietem possit immitti tignum à vicino, et similia. *Rusticæ*, ut liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel jumentum agere, vel aquam ducere, et similia; quæ optimè explicantur Instit. de Servitutibus, et lib. 8. Digestorum, tit. 1, 2, 3, 4, qui sunt de Servitutib. Hæc enim non magnoperè pertinent ad nostrum institutum. Vide plura apud Gomezium, de Servitutibus.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm distinguatur usus à dominio, in rebus quæ ipso usu consumuntur.*

Sunt duæ sententiæ admodùm celebres, occasione Ordinis Fratrum Minorum, qui dicunt se nullius rei habere dominium, ne in communi quidem; sed nudum duntaxat usum.

31. Prior est Joannis 22, extr. quæ incipit, *Ad conditorem*, § *Quòd autem*, et duabus seqq. : jus utendi rebus illis, quæ ipso usu consumuntur vel alienantur, non distingui à dominio earum; ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hisce rebus. Hanc sententiam sequitur Franciscus Sarmiento, de Redi. parte 1, c. 1, et 1 parte defensionum contra Navar. pag. 11, et Silv., verbo Dominium, § 3, et Turrecremata, lib. 2 Summæ, c. 112, ad 10 argumentum.

Altera sententia est omninò contraria; nempe in hisce rebus hæc duo distingui, et proinde Minores,

etsi usum habeant talium rerum, nullo tamen modo habere dominium, sed hoc esse penes sedem Apostolicam. Ita declaravit Nicolaus III. Extrav. *Exiit qui seminat*, de verborum significatione, in sexto, et postea Clemens V, in Clementinâ, *Exivi de Paradiso*, eodem tit. Ante Nicolaum in eâdem sententiâ fuêre Innocentius IV et Alex. IV et Gregor. IX quos Nicolaus pro se citat. Hanc sententiam sequitur Soto lib. 4 de Justitiâ q. 1, a. 1, Navar. commentario 2 de Rugular. num. 3, et plerique alii, pro quâ

32. Dico primò, jus utendi potest esse separatum à dominio, etiam in iis rebus quæ unico actu utendi consumuntur, vel alienantur; explicatur simul et probatur.

Dupliciter enim potest alicui concedi usus, et jus utendi pane, vel pecuniâ : 1° *irrevocabiliter*; et tunc non videtur multùm differre à dominio; 2° *omninò revocabiliter*, et dependenter à voluntate concedentis, ita ut quovis momento possit revocari sine ullâ injuriâ usuarii et hoc jus sine dubio distinguitur à dominio, quia dominium est jus in re absolutum, et firmum, non dependens ex alterius nutu et arbitrio; hoc autem est conditionatum, et debilissimum; habeo enim illud, si velis; non habeo, si nolis me habere. Tale est quod singuli religiosi in vestes, libros, cibos, et similia, quæ illis à superioribus conceduntur, habent. Non enim ita conceditur illis jus utendi, quin ad nutum superioris revocari possit, nam ratio religiosæ paupertatis hoc intrinsecè includit.

33. Notandum autem est, *usum irrevocabilem* a Nicolao III. Extrav. *Exiit*, vocari *Usum juris;* tum quia in eo habetur jus absolutum; tum quia jura de eo loquuntur. *Usum* autem *revocabilem* vocat *usum facti;* non quòd in eo nihil sit juris, sic enim injustus esset, ut rectè Joannes argumentatur, sed qui non est jus absolutum et solidum, utpote ab alieno nutu dependens, donec res ipso facto consumatur.

34. Dico secundò, verius est, conventus, totumque Ordinem Minorum, non solùm in rebus aliis, sed etiam iis quæ unico actu utendi consumuntur, habere nudum usum seu jus utendi separatum ab omni dominio.

Patet ex decretis pontificum Nicolai et Clementis, quibus tres alii pontifices consentiunt : estque communior sententia doctorum.

Probatur primò; quia cùm hæc possint separari, nihil mirum si de facto in aliquo ordine sint separata.

Secundò, certum est, religiosos singulos tantummodò habere talem usum, absque omni dominio, nam quidquid habent, potest illis ad nutum superioris auferri sine ullâ injuriâ, quod neque hi, qui sunt alterius sententiæ, negant vel negare possunt; nam hoc est de essentiâ paupertatis Evangelicæ : ergo nihil est incommodi, si idipsum in aliquâ communitate constituatur; ita ut ipsa tota nihil habeat, nisi nudam rei concessionem ad usum, sine omni proprietate dominii.

35. Objicies primò, Joannes 22, extr. *Ad conditorem*, dicit *se abdicare à se et sede apostolicâ, omne dominium harum rerum, ne Fratres Minores prætendant illud esse apud sedem Apostolicam*, ergo vel est apud nullum, vel est apud ipsos Minores.

Resp. : Fideles, qui istas res largiuntur, vel intendunt sibi reservare earum rerum dominium donec consumantur, vel non intendunt : si intendunt, manet apud ipsos : si non intendunt, transit ad sedem Apostolicam; nam post renuntiationem illam alii pontifices rursùs illud admiserunt, ut habetur in privilegiis Minorum, verbo Paupertas. Itaque sedes Apostolica habet dominium non solùm rerum immobilium, sed etiam omnium mobilium ordini à fidelibus absolutè donatorum, ita ut possit ordinem hisce privare sine injuriâ.

Objicitur secundò, usus distinctus à dominio est qui competit alicui in re alienâ, salvâ rei substantiâ; ut habetur Instit. de Usu et Habitatione, et patet ex dictis; ergo ille usus, quo quis potest rem consumere, non est distinctus à dominio : ac proinde Minores talium rerum habebunt dominium.

36. Resp. negando consequentiam : nam solùm sequitur, hunc usum, quo quis potest consumere rei substantiam, non esse talem, qualis est ille de quo jura loquuntur, qui propriè et strictè dicitur usus; est autem magna differentia inter hos duos usus : etsi enim uterque sit jus quoddam utendi, tamen hic de quo nunc loquimur, quem ponimus in Minoribus (quique *usus facti* vocari solet), est jus ad nutum revocabile, unde si dominus tollat rem quam dedit, non faciet illis injuriam; ille verò de quo jura, quem *usum juris* vocant, non est revocabilis : unde si dominus tollat rem ante tempus concessum, faciet injuriam. Deinde hic extendit se ad rei consumptionem, donationem, venditionem, sicut dominium; ille verò solùm ad usum, in quo salva manet domino rei substantia. Unde hic usus ratione juris est minor altero, ratione tamen functionum ad quas se extendit, est major.

Objicitur tertiò, D. Th. q. 78, a. 1, docet, in illis rebus, quæ usu consumuntur, cuicumque conceditur usus, concedi etiam rem ipsam ejusque *dominium*, unde colligitur, in mutuo talium rerum non posse exigi usuram, id est, pretium usûs distinctum à pretio rei : ergo sentit *jus utendi* non distingui in his à dominio.

37. Resp. : D. Thom. loquitur de usu, seu jure utendi absolutè et independenter ab alio, quòd sanè nihil vel parùm distinguitur à dominio in talibus rebus, quæ unico actu consumuntur; nos verò loquimur de jure utendi dependenter ab alio, quod distinguitur à dominio rei.

Inferes : Ergo hoc jus poterit pretio vendi, retento dominio directo; et alio contractu vendi poterit ipsum dominium : quod est aperire magnam fenestram usuris.

Resp. : Concedo, absolutè posse vendi hoc jus seu hunc usum; sed minoris valet quàm dominium rei, vel jus irrevocabile utendi. Non enim tanti valet jus ad nutum alterius revocabile, quanti jus irrevocabile; neque jus quod conceditur solùm ad usum determinatum, quanti illud quod ad indeterminatum. Quòd si

quis alio contractu velit vendere dominium directum, non potest pluris vendi quàm per se valeat seorsim ab illo usu; et ita pretium usûs et pretium dominii illius directi non superabunt justam rei æstimationem : sed hic modus contrahendi non est usitatus; nam facilè palliaret usuras, quamvis per se non sit illicitus.

38. Objicitur quartò, si usus distinguitur à dominio, ergo Joannes XXII erravit.

Respondeo primò, esto; quia non in quæstione pertinente ad fidem; neque ipse asseruit suam sententiam tanquàm ad fidem pertinentem; neque alios obligare ad ita sentiendum voluit : sed solùm quid sibi videretur, ut vir doctus explicuit.

Resp. secundò, si quis benè rem totam introspiciat, deprehendet non esse differentiam inter has sententias, nisi in modo loquendi; non enim negàsset Joannes, Fratres Minores sine consensu superioris non posse vendere cibos, qui illis apponuntur, et superiores posse illis auferre sine injuriâ, unde quando vult eos habere dominium, non loquitur de dominio propriè dicto; sed de quodam jure, quod in effectu æquè valet ad dominium; quia ita liberè consumunt ac si domini essent. Vide Franciscum Sarmiento, de Redditibus, parte 1, cap. 1.

## DUBITATIO IX.

*Quid sit Possessio.*

39. Notandum est *possessionem* dici à *pedum positione*, ut habetur l. 1, π. de Acquir. vel amit. posses.; nam per *pedum positionem* super bona immobilia, quæ sunt potissima, ut super agrum vel fundum, solet acquiri possessio; tribuitur autem hoc nomen interdùm ipsis rebus possessis. Sed hoc loco accipimus pro actu, vel jure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Actus possidendi dicitur possessio facti. Jus possidendi dicitur possessio juris. Utraque nobis est explicanda.

40. Dico primò : *Possessio facti est detentio rei, corporis, et animi, et juris adminiculo.* Ita Silv. verbo Dominium q. 2, ex Hostiensi, eam explicat ex parte Covar. ad regulam possess. p. 2, n. 2, in principio.

Prima pars *est detentio rei*; ubi rem accipio in genere, qui non solùm res corporales, sed etiam incorporeæ, ut census, beneficium, servitus, et similia dicuntur possideri à theologis; quæ à jurisperitis dicuntur quasi possideri, ut notat Covar. supra. Nomine autem *detentionis*, intelligitur etiam apprehensio prima, quæ ordinariè requiritur; quæ apprehensio est possessionis inceptio, et acquisitio, ut notat Covar.

Secunda, *corporis adminiculo;* quia ut res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, vel in alio, in quo censeatur contineri; ut statim dicemus.

Tertia, *animi adminiculo*, quia debet eam apprehendere animo possidendi. Unde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Quarta, *juris adminiculo*, non quòd omnis possessio facti sit justa; nam fur verè possidet rem furtivam, sed quia jus facit ut talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem : nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei sacræ, ut loci religiosi, facta à laico, censeatur possessio: ut patet l. *Qui universas*, 30, π. de Acquir. et amit. possessione.

41. Dico Secundò : *Possessio juris est jus insistendi alicui rei, tanquàm suæ, non prohibitæ possideri.* Ita Bartol. in l. de Acquir. vel amit. poss., et Covar. supra n. 3.

Prima pars *est jus*, ut excludatur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio et detentio, unde hoc jus oritur, si justa fuerit; quòd si illa detentio fuerit injusta, non oritur ex eâ jus in conscientiâ; unde solùm dicetur possessio facti : quamvis jurisperiti omnem possessionem jus appellent, respicientes forum externum.

Secunda, *insistendi rei*, ut excludatur dominium quod per se et formaliter tantùm est jus disponendi de re. Hoc verò jus in eo situm est, quòd possessor possit rem pacificè tenere, et juris remediis, et interdùm etiam armis tueri adversùs perturbantes, quòd hìc dicitur *insistere rei.*

Tertia, *tanquàm suæ*, si quis insistat rei nomine alterius, non erit vera possessio; unde tutor non est possessor bonorum pupilli, quia illa non detinet ut sua, sed nomine pupilli : nam pupillus possidet per tutorem.

42. Sic etiam possum aliquid possidere per servum, et per filium, *ut autem possideam per alium*, requiritur ut ille habeat animum rem detinendi pro me; si enim intendat pro se detinere, id est, tanquàm suam, non possideo per illum, quia non meo nomine, sed suo detinet. Excipio tamen servum et filium nondùm emancipatum; hi enim, cùm sint ejus conditionis ut non acquirant sibi, acquirunt nobis; etsi hunc animum non habeant : ut docet Covar. supra : quod intellige, si justè acquirant; si enim acquisitio esset injusta, nec sibi nec nobis acquirerent; sed possessio maneret apud antiquum dominum. Colligitur Instit. *Per quas personas nobis acquir.*, § *Item placet;* in fine. Et l. *Quod servus.* 24, π, de Acquir. possess.

Quarta, *non prohibitæ possideri*, quia nemo potest habere jus possidendi contra juris dispositionem, seu jure resistente; ut rei sacræ, loci publici, decimarum à laico.

## DUBITATIO X.

*Quomodò dividatur possessio.*

43. Resp. : Etsi variis modis dividi possit, nimirùm vel pro diversitate titulorum, vel ratione bonæ et malæ fidei, usitatissima tamen est ea divisio, qu in *Civilem* et *Naturalem* dividitur. *Civilis est quæ animo retinetur;* quamvis enim Initio ut incipias possidere, requiratur adminiculum animi pariter et corporis ut dictum est; tamen postea ut retineas et continues possessionem, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi à possessione, ut habetur instit. de Interdictis, § *Possidere.* Hoc modo possidet is qui abest

à rebus suis, sed animo eas retinet et occupat. Dicitur autem hæc *possessio civilis*, tum quia magis constat jure civili quàm naturali, cùm naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiam, tum quia parit effectus civiles, scilicet usucapionem rei, et dominium fructuum.

44. *Naturalis est quæ corpore simul et animo retinetur*, ut quando quis occupat rem ut suam; potest hæc *naturalis* conjungi cum *civili*, ut quando quis est præsens per se vel alium, rebus quas civiliter possidet : diciturque tunc possessor civiliter et naturaliter possidere : quæ possessio est firmissima. Potest etiam esse separata à *civili* : ut si invasor occupet rem meam immobilem; ego civiliter, ille naturaliter eam possidet, hæc possessio infirmior est quàm civilis. Ad hoc tamen valet ne possessor possit ab extraneo deturbari, et interdùm ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publicâ.

45. Sed adverte, hæc duo nomina interdùm aliter accipi; nempe, ut *possessio civilis* dicatur, quâ res possidetur quoad dominium directum; *naturalis* autem, quâ possidetur secundùm usumfructum, vel usum, vel habitationem, vel alia jura diversa à dominio, ut docet Covar. ad reg. Possessor, p. 2, n. 4. Sic fructuarius possidet rem nomine suo naturaliter, quoad usumfructum; quamvis non possideat eam nomine suo, quoad dominium directum. Idem possidet usumfructum, seu jus utendi fruendi, quod habet in re civiliter. Supradictis duabus speciebus possessionis à quibusdam DD. addi solet tertia, quam vocant *civilissimam*, quæ solâ legis ordinatione constat, de quâ infra n. 48.

## DUBITATIO XI.

*Quibus modis acquiratur possessio.*

46. Resp. tribus modis acquiri, *apprehensione verâ, apprehensione fictâ, legis dispositione.*

*Apprehensio vera* est quæ fit manibus vel pedibus; hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum quæ dominium non habent, ut ferarum, gemmarum, thesaurorum, insularum, fluminum; item hæreditatis relictæ, quia domino caret, qui eam tradat; quando quis etiam clam, vel vi possidere vult, requiritur vera apprehensio; denique si alius rem possideat, qui nolit tibi possessionem tradere, debes eam verè apprehendere, ut possideas, nisi fortè auctoritate judicis ea tibi eminùs ostendatur, et ficto modo tradatur. Vide Antonium Gomezium in legem 45 Tauri, n. 55.

47. *Apprehensio ficta* locum habet, quando res habet possessorem à quo tradatur, vel quando loco possessoris auctoritate judicis traditur; hujus sunt varii modi; usitatiores sunt isti : 1° Si antiquus possessor tradat alteri, cui vult possessionem cedere, claves domûs in quâ sunt merces tradendæ, idque apud ipsam domum, seu in præsentiâ domûs, ut probat Covar. l. 3 Variarum, c. 16, num. 11. Ratio est, quia dum emptor apprehendit claves, censetur res ipsas intùs conditas apprehendere. 2° Si tradat alteri scripturam, seu instrumentum quo constet de titulo et jure quo rem possidebat. Nam in tali instrumento res ipsa contineri videtur. 3° Si antiquus possessor eminùs vel cominùs ostendat mihi fundum, dicatque se tradere illius possessionem, et ego significem me acceptare : oculi enim sunt veluti longæ quædam manus quibus res visas quasi contrectamus. 4° Quando post contractum, consentiente antiquo possessore, apponitur custodia nomine ejus ad quem res transfertur, sive res sit mobilis, ut pecora, triticum, vel aliæ merces : sive immobilis, ut fundus, castrum, oppidum. 5° Si dem, aut vendam tibi rem absentem, et constituam me tuo nomine ejus rei possessorem : tunc enim per me incipis possidere, nec opus est aliâ apprehensione. Hoc jurisperiti vocant tradere et acquirere possessionem per *clausulam constituti*. 6° Si re tibi venditâ vel donatâ, constituam me conductorem ejus, vel reservem mihi usumfructum : nam hoc ipso censeris per me accepisse possessionem. Vide plura apud Antonium Gomezium, ad legem Tauri 45, à numero 45 et deinceps, et Molinam disp. 14.

48. *Legum dispositione* interdùm transfertur possessio absque ullâ verâ vel fictâ apprehensione, si leges ita statuant, ut optimè probat Covar. lib. 3 Variarum cap. 5, num. 6. Ratio est, quia modus acquirendæ et amittendæ possessionis juri humano subjacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire reipub. pro diversitate rerum et provinciarum. In regno Castellæ, majoratûs possessio, et omnium pertinentium ad jus primogeniti, transit ad proximum cognatum, vel agnatum, cui jure debetur, sine ullâ verâ vel fictâ apprehensione, ut habetur l. 45 Tauri, citatâ apud Covar. Simili modo apud Gallos possessio defuncti transit in ejus hæredem, etiam extraneum, sine ullo apprehensionis actu; teste Covar, ibidem; qui id ex multis DD. probat. Hunc modum possidendi doctores vocant *civilissimam possessionem*, quia fit solâ legis civilis potestate, absque ullo animi vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo qui incipit possidere.

49. Possessio autem *jurium* et *servitutum* apprehenditur dupliciter. Primò, si mittam te in agrum, in quo volo tibi servitutem constituere, tuque illùc eodem animo eas. Secundò, si utaris aliquo jure tanquàm ad te pertinente, sciente et ferente eo cujus intererat concedere vel prohibere : qui modus est generalis, et extendit se etiam ad ea quæ non sunt in re aliquâ constituta, ut ad jus eligendi, præsentandi, et similia; de quo vide Covar. reg. Possessor, 2 p., initio, à § 8. Quomodò autem beneficii possessio acquiratur, idem l. 3 Variarum cap. 16, n. 10, ubi vide multa alia ad hanc quæstionem de acquirendâ possessione variarum rerum et jurium pertinentia. Verùm in his omnibus spectandæ sunt consuetudines regnorum et provinciarum, quæ admodùm sunt variæ.

## DUBITATIO XII.

*Quomodò amittatur possessio, tum mobilium, tum immobilium.*

50. Resp. et dico primò : *Possessio rerum mobilium*

tum civilis, tum naturalis, amittitur : primò, solâ voluntate possessoris nolentis eam ampliùs possidere. Secundò, per furtum aut rapinam alterius. Tertiò, si alterius custodiæ subsit, qui eam incipiat detinere tanquàm suam, ad quod requiritur ut eam corporaliter apprehendat reverâ, animo eam sibi retinendi. l. *Possideri.* 3, π. de acquir. possess. Quartò, per amissionem rei, v. g., bursæ, annuli : vel per fugam, *si sint animalia;* ut si pecus aberraverit à grege, desinit statim possideri à domino : si gallinæ et similes aves domesticæ avolârunt, nec habeant consuetudinem per se redeundi; secùs verò, si habeant consuetudinem redeundi. De quibus et aliis animalibus, ut piscibus, feris, columbis, vide plura d. l. *Possideri.* π. de acquir. et amit. possessione. Dixi, *si sint animalia;* quia possessio servi et ancillæ non amittitur per ipsorum fugam, ut patet l. Pomponius. 13, π ibidem.

51. Dico secundò : *Rerum immobilium possessio civilis et naturalis* amittitur, 1° si possessor sit longo tempore absens; nec per alium rei insistat, neque etiam protestetur se nolle amittere possessionem : quòd si non diù absit, vel protestetur, amittit solùm naturalem, non civilem. 2° Si rem scio ab alio occupatam, et negligat. 3° Si reversus, statim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur, nec audeat ei resistere. 4° Si timens repulsam non audeat repetere, aut invadere possessionem. 5° Si nesciat rem esse suam, et ideò nec censeat illam in bonis suis : tunc enim caret animo possidendi. Hinc per longam oblivionem perditur possessio, ut docet glossa in cap. 11 Clerici. 16, q. 4. et colligitur ex l. Furtum. π. de Usucapionibus. Item si id quod possidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus ubi sit, ut habetur l. Si id quod. π. de acquirend. possess. 6. Si res ita sit occupata, ut non sit probabilis ejus recuperatio, ut si vir valdè sit potens, qui illam occupet; vel mare aut flumen assiduè inundet. Quamdiù verò possessor est in ipsâ re, ut in domo, vel fundo, aut in conspectu ejus, aut saltem propè, ita ut præstò possit adesse cùm opus fuerit, retinet semper rei immobilis possessionem, tum naturalem tum civilem. Vide plura apud Gomezium supra; et π. tit de acquir. et amit. possess.

## DUBITATIO XIII.

*Quid privilegii conferat possessio.*

52. Resp. primò : *Possessio,* si sit bonæ fidei, parit præscriptionem; id est, facit ut res quæ non est tua, elapso certo tempore fiat tua, et omnes fructus percepti. Secundò, si oboriatur dubium de rei dominio, et adhibitâ diligenti inquisitione maneat adhuc dubium utrius sit, melior est conditio possidentis. Tertiò, in judicio parit præsumptionem dominii; unde possessor non debet probare rem esse suam, sed alter qui eam repetit : qui nisi id satis probet, nihil obtinebit. Quartò, possessor potest armis suam possessionem non solùm naturalem, sed etiam civilem tueri, l. 3. π. de vi et vi armatâ. et l. 1. c. Unde vi, et cap. Olim, de restit. spoliatorum; ut si foris rediens, invenias domum tuam, vel agrum ab aliquo injusto invasore occupatum, potes illum armis expellere, convocatis ad id auxiliis necessariis : servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia hoc non est invadere alium, sed suam possessionem tueri; sicut enim non teneor pati ut quis me dejiciat à possessione naturali domûs vel agri, ita neque à civili : dejicior autem, si non audeo illum expellere. Quintò, possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat confestim et non ex intervallo, inquit Ulpianus dictâ l. 3, ut dùm fur rem tuam auferens fugit; dùm rediens domum, repulsus es ab iniquo invasore. *Dicitur autem fieri confestim,* vel *ex continenti,* quod fit quamprimùm commodè fieri potest, spectatâ rei difficultate et cæteris circumstantiis, ut si auxilia contrahenda essent. Vide Sil. Bellum 2, n. 3. Sextò, si dominus rei expellat injustè possessorem à possessione, amittit dominium, et applicatur expulso. Si non sit dominus, tenetur reddere possessionem expulso, et insuper æstimationem ejus, ut habemus l. Si quis in tantam, 7, cod. Unde vi, sed hæc lex, præterquàm quòd pœnalis sit, ac proinde non obliget ad hanc restitutionem ante sententiam, non videtur ampliùs in usu, ut docet Covar. l. 3 Variarum, c. 16, n. 7. Septimò, si is qui amisit possessionem, non expellat occupatorem, sed probet, illum vi, clàm, aut precariò à se accepisse, adjudicabitur ei possessio, sive ille occupator titulum habeat, sive non. Spoliatus enim ante omnia est restituendus, cap. 1, 2, et multis aliis de restitut. spoliat. et 3, q. 1, et π. de vi et vi armatâ, et π. quod vi aut clàm, et π. de precario. Si autem nihil horum trium probare potuerit, alter retinebit possessionem. § Quorum vis. in fine Instit de Interdictis. Sed agendum erit de proprietate, quod vulgò de petitorio dicitur.

Si res subtracta erat defuncto, qui illam tempore mortis possidebat, adjudicanda est ejus possessio hæredi, postquàm hæreditatem adierit. § Sequens divisio. Instit. de Interd. l. 1, π, et c. Quorum bonorum. Nec refert utrùm clam subtracta sit, an palam tradita tanquàm hæredi vel legatario, cùm talis non esset. Si tamen possessor statim posset ostendere legitimum titulum, non esset privandus possessione : ut si res usucapta sit, ut colligitur ex d. l. 1, π. Quorum bonorum, junctâ glossâ.

## CAPUT IV.

QUIBUS ET IN QUÆ DOMINIUM COMPETAT.

(Constat 11 dubit.)

## DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm soli naturæ rationali dominium competat.*

1. Respondeo, *soli naturæ rationali convenire, scilicet Deo, angelis, hominibus.* Ratio est, quia fundamentum omnis dominii est intellectus et libera voluntas, quæ soli naturæ rationali insunt. Quod probatur : Primò, quia illud est fundamentum dominii, per quod

homo habet potestatem disponendi de rebus : hanc autem habet per intellectum et voluntatem : quia per hæc immediatè habet potestatem in suos actus ; et per suos actus in res externas. Secundò, quia ratio dominii includit potestatem liberam, et ordinationem in aliquem finem : atqui solius rationis et voluntatis est ordinare aliquid liberè in aliquem finem. Tertiò, confirm. ex Script. Gen. 1 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, bestiis terræ*, etc., ubi tribuitur homini præfectura et dominium in bestias terræ et pisces maris, ratione imaginis divinæ, quæ consistit in intellectu et voluntate liberâ. Vide Franciscum Victoriam, relect. de Indis, 1 p. num. 20.

2. Deus quidem summum quoddam, absolutissimum, et prorsùs independens in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis et conservationis, per quam tota creatura et secundùm substantiam et secundùm omnes suas perfectiones est ex ipso, et per ipsum, et in ipsum. Unde de omnibus liberè disponere potest prout placuerit ; nec cuiquam fiet injuria : sepositâ tamen ipsius liberali promissione et ordinatione, quæ quamdam obligationem inducit, non quidem, *justitiæ* propriè, sed *fidelitatis*, seu *veritatis*, quæ virtus passim in Scripturâ *justitia* vocatur ; de quo plura 1-2, q. 114. Cùmque sit immutabilis, inducit etiam quamdam necessitatem, ita ut aliter disponere nequeat, quàm ordinavit. Hoc dominium Deus neque potest abdicare, neque ulli creaturæ communicare, neque ullam creaturam ab eo eximere : quia titulus ejus neque communicari potest, neque ab eo quisquam eximi. Ilic enim titulus est creatio et assidua conservatio causæ supremæ et independentis. Itaque omne dominium quod creaturis communicatur, infinitis partibus est minus ; et essentialiter dominio divino circa unamquamque rem subordinatum, ab eoque dependens.

3. Angeli propriè non videntur habere dominium, nisi suarum actionum. Possunt tamen etiam dici habere dominium rerum corporalium, quia magnam habent auctoritatem illas administrandi ; quæ auctoritas interdùm dominium dicitur. Sed hoc dominium non est tale, quale humanum, de quo modò loquimur. Non enim administrant illas ut suas, neque in suum commodum, sed sicut præfecti regii provincias et urbes, regis nomine. Secùs est de dominio Christi hominis, cui omnia dedit Pater in manus, ut sint ipsius ; de quo 3 p. q. 8.

4. Hominibus propriè convenit hoc dominium in res externas : nam his solis res externæ concessæ sunt, ut de illis liberè disponant ad sua commoda : quod maximè verum est de omnibus rebus sublunaribus ; unde, Psal. 8, dicitur : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc.

5. Cœlestia corpora, etsi condita sint ad hominis ministerium, tamen homo non propriè dicitur illorum dominus ; quia nihil circa ea potest disponere, vel mutare : commoditatum tamen quæ ab illis percipiuntur, dominus dici potest.

## DUBITATIO II.

*Utrùm parvuli ante usum rationis habeant verum dominium.*

6. Resp. habere verum dominium, ut patet ad Galat. 4 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium ;* ubi Apostolus illi tribuit verum dominium hæreditatis relictæ. Nec refert quòd careat usu rationis, et libero arbitrio : quia etsi ad usum dominii requiratur usus rationis, non tamen ad dominium ipsum habituale, quod immediatè fundatur in potentiis ; quòd autem non possint habere usum istarum potentiarum, provenit tantùm ab impedimento extrinseco, scilicet ex redundantiâ humorum in cerebro. Idem dicendum de amentibus. Vide Victoriam, relectione de Indis, num. 21 et 22.

## DUBITATIO III.

*Utrùm filii familiâs sub patriâ potestate constituti habeant dominium, et quarum rerum.*

Magni refert hæc nôsse, ut sciamus de quibus validè absque patris consensu possint disponere.

7. Suppono quadruplex genus *peculii* filiis familiâs posse competere, *castrense*, *quasi castrense*, *adventitium*, *profectitium :* est communis sententia DD. Vide Silv. verbo Peculium. et Nav. c. 17, n. 142. *Castrense* dicitur quod in militiâ, vel occasione militiæ partum, ut stipendia militum et aliorum qui castra sequuntur ; prædæ ex hostibus ; donativa ducum, vel commilitonum ; testamenta et legata occasione militiæ ; mobilia à parentibus vel aliis data eunti ad militiam, vel obsequium principis vel in illis versanti ; item quæ in obsequio principis in palatio, et quæ in custodiâ alicujus arcis acquiruntur. Denique omnia lucra quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proveniunt.

*Quasi castrense* dicitur omne id quod ex beneficio ecclesiastico acquiritur ; imò quidquid acquiritur post clericatum, etiamsi aliàs esset adventitium, ut expressè habetur Auth. Presbyteros, 1, c. de episcopis et clericis : quod valdè notandum. Item quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, ut judicis, advocati, tabellionis ; vel professione alicujus artis liberalis, et quod datur intuitu talis functionis, ut libri qui dantur à parente vel alio ei qui artem professurus liberalem ; et quod liberalitate principis ; denique quod ab aliquo datur filiofamiliâs, ut sit tanquàm castrense ; seu ut ipse tantùm, non pater, habeat usumfructum : vocantur hæc quasi castrensia, quia habent privilegium castrensium, etsi verè castrensia non sint, et quia clerici sunt milites spirituales.

*Adventitium*, quod non provenit à parente, respectu cujus dicitur adventitium, neque ejus causâ vel intuitu principaliter datur (sic enim esset profectitium), sed successione, vel donatione alio intuitu factâ, vel industriâ propriâ, vel fortuitò ei obvenit ; ita tamen ut non sit castrense, aut quasi castrense, ut si inveniat thesaurum, si lucretur negotiando ex

pecuniâ furtivâ, aut mutuò acceptâ; tunc enim lucrum est peculium adventitium; si in domo parentis aliquid extra ordinem lucretur, præstitis ordinariis operis ad quas tenetur; si plus lucretur quàm consumit, et insinuet se cupere lucrum : si non insinuat, censetur id concedere amori parentis; de quo vide infra, cap. 12, n. 81. Mortuâ matre ante patrem, bona materna sunt adventitia filio respectu patris. Non tamen si pater præmoriatur, ejus bona sunt adventitia filio respectu matris : quia hoc jus oritur ex patriâ potestate, quam non habet mater in filium. Vide Nav. et Sil. supra, et Molinam disp. 9, et 252, et l. 4 et 6, c. de bonis quæ lib. in potestate, etc.

*Profectitium* est quod provenit à parente vivo, vel principaliter et proximè ejus causâ datur; nec est castrense, aut quasi castrense, ut sunt ea quæ à parentibus conceduntur filiis, ut ea administrent; et quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, vel obsequium parentum : secùs si ob amicitiam vel obsequium filii. L. 6, c. de bonis quæ lib., etc., et Sil. supra cum Navar.

8. His positis, dico primò : Filius familiàs habet plenum dominium in peculio castrensi et quasi castrensi, ita ut tota proprietas, et usufructus, et administratio horum bonorum sit penès filium. Ita communiter DD. Vide Nav. et Sil. supra; sunt enim aperta jura. π. et c. de Castrensi peculio.

Hinc sequitur primò, filium de his posse disponere, non secùs ac si esset paterfamiliàs, per donationes vel contractus, imò etiam per testamentum et ultimas voluntates : si tamen sit pubes, i. e., si expleverit annum 14; ante enim hoc tempus testari nequit. L. A quâ ætate; 5, π. Qui test. fac. poss.; quâ de re infra cap. 19, dubit. 4.

Sequitur secundò : parentem ex his bonis non posse sibi quidquam usurpare, nisi quantùm necessarium ad alimenta filii, cùm illum ex suis alit : alioquin tenetur ad restitutionem, si filius velit; quòd si filius non speret futurum ut parens restituat, potest uti occultâ compensatione, vel mortuo parente petere à cohæredibus : quod est notandum.

9. Dico secundò : *Peculii adventitii* filius est dominus directus, seu proprietarius : non tamen habet usumfructum, seu utilitatem, quamdiù est sub patriâ potestate, exceptis aliquot casibus.

10. Primus est, si pater filio condonet usumfructum; hoc enim non est donare de suis (quod facere non potest), sed non usurpare de bonis filii; unde filius non tenetur hoc conferre in suam legitimam, quando cum fratribus cernet hæreditatem paternam. Secundus est, si aliquid donetur filio, eâ lege ut parens usumfructum non habeat : tunc enim filius habebit etiam usumfructum, ut Navar. supra. Tertius, si aliquid ei donetur patre contradicente; non enim est æquum ut parens ex eo commodum reportet. Quartus, si usufructus alicujus rei filio relictus sit : tunc enim parens nihil habebit. Ratio est, quia super usumfructum non potest statui alius usufructus; nam usufructus est ipsa commoditas et utilitas rei : unde dicunt jurisperiti, *servitutis non esse servitutem.* Quintus, si filius unà cum patre succedat in hæreditate fratris vel sororis. Vide Sil. verbo peculium, 1, q. 3.

11. His adde 6 casum, si parens fiat hæreticus, nam hoc ipso filius efficitur sui juris, c. 2, § fi. de hæret. in 6; ac proinde redit ad eum usufructus, quem pater habebat in bonis adventitiis filii. Simanchas in Cathol. instit. tit. 9, n. 81. His eventis utilitas pertinet ad filium sicut bonorum castrensium et quasi castrensium, et coalescit usufructus cum dominio directo. Spectandæ tamen hâc in re locorum consuetudines et propria jura. Hinc sequitur filium de istis extra casus prædictos non posse disponere, quia administratio et utilitas est penès patrem; potest tamen de istis donare causâ mortis, patre consentiente; ut expressè habetur, l. tam is, 25, π. de mortis causâ donat; non tamen de his testari, etiamsi pater consentiat, nisi ad pias causas, ut patet ex cap. Licet pater, 4, de sepulturis, in 6. Potest tamen de castrensibus et quasi castrensibus absolutè testari, ut ibidem dicitur.

12. Dico tertiò : *Profectitiorum* nullo modo habet dominium : quia dominium directum et utile est apud parentes : neque filius habet auctoritatem administrandi, nisi in eorum utilitatem, unde non potest de his quidquam alienare, vel in suam utilitatem convertere absque consensu parentis, respectu cujus profectitium dicitur; alioquin furtum committit. Hinc fit ut ob crimen filii hæc bona non possint fisco addici.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm servi habeant dominium aliquarum rerum.*

13. Respondeo et dico primò, servos non videri habere aliquod dominium omninò perfectum et independens à potestate dominorum. Probatur primò, quia jura expressè dicunt, *servos, quidquid acquirunt quâvis causâ, vel occasione, dominis acquirere*, ut patet Instit. per quas personas cuique acquir. § Item nobis, et l. Id vestimentum, 25, π. de peculio, ubi dicitur, *servum nec esse dominum vestimenti quotidiani, quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest.*

Secundò, quia Innoc. IV in c. Cùm olim, 2, de privilegiis, dicit *servum et monachum in eo esse pares, quòd neuter alicujus rei dominium habeat;* quam sententiam Nav. de Redd. q. 1, monito 10, in praxi et theoriâ receptam ait.

Tertiò, quia si servus secundùm se totum quidquid est domini est, multò magis ea quæ habet domini sunt; accessorium enim sequitur suum principale.

14. Hinc sequitur dominum non facere injuriam propriè, si servo res suas adimat, sicut faceret si ab alio acciperet : quia jus omnia servi subjecit potestati domini; peccaret tamen dominus, si id quod concessit ei ut proprium, de quo pro arbitrio suo posset disponere, absque justâ causâ auferret; id enim, præterquàm quòd sit inhumanum, est etiam contra fidem tacitè ei datam, nam dùm sic concedit, concedit absolutè et in perpetuum, tacitèque promittit non revocare.

15. Dico secundò : Possunt tamen servi habere aliquarum rerum dominium imperfectum, ita ut eas non teneantur dominis suis tradere, quamvis domini absque injustitiâ possint illos privare.

Probatur primò, quia, etsi jura concesserint dominis potestatem res servorum sibi usurpandi, non tamen idcircò fecerunt servos incapaces omnis juris et dominii, instar Religiosorum, nempe ut non possint ea quæ acquirunt occultare, et teneantur ea dominis exhibere ; imò credibile est id non potuisse facere : tum quia nulla causa legitima suberat (unde ob nullum delictum talis incapacitas hactenùs est inflicta) tum quia non est consentaneum humanæ imbecillitati, ut tale onus imponatur invito : esset enim nimis magna occasio peccandi. Secundò, quia servi possunt seipsos redimere, ut patet l. Vix, 53, π. de judiciis, ubi servis datur actio contra dominos, *si dicant se suis nummis redemptos, et non manumissos contra placiti fidem.*

16. Casus autem præcipui, in quibus potest servus aliquod dominium comparare, videntur esse isti : 1° Si dominus expressè vel tacitè consentiat ut possit aliquod peculium habere. 2° Si servo aliquid donetur, vel legetur eâ conditione ut ad dominum non perveniat : tunc enim si dominus usurparet, hoc ipso amitteretur. 3° Si relinquatur servo absolutè et sine conditione, non tamen intuitu domini, v. g., ob industriam, vel officium exhibitum : hoc enim videtur dari ut non sit domini, sed tantùm servi. 4° Si ei aliquid detur in compensationem injuriæ illatæ ; compensatio enim fit ut ex eâ solatium capiat, loco doloris quem passus est, non ut dominus ejus inde ditescat ; unde contra omnem humanitatem esset hoc ei auferre. 5° Si aliquid lucretur suâ pecuniâ : sicut si filius lucretur peculio castrensi vel quasi castrensi ; lucrum enim subit eamdem rationem quàm sors, quando quis nomine suo eam exponit. 6° Si aliquid sibi subtrahat sine domini incommodo, quod liberè poterat consumere vel expendere ; aut præter opera præscripta quædam alia faciat ex quibus quæstum colligat.

17. Ex his patet, multùm interesse inter monachos et servos quoad dominii rationem ; etsi enim in eo conveniant quòd neutri habeant dominium omninò perfectum, tamen monachi nullum omninò in particulari habent, ut statim dicemus, et præterea sunt omninò incapaces ; servi verò sunt capaces, et præterea habent aliquod dominium imperfectum, ratione cujus possunt suâ auctoritate rebus suis uti et frui, easque alienare absque domini consensu ; et quamvis potestati domini aliquo modo subjectum sit, esset tamen inhumanitas et abusio quædam herilis auctoritatis, si hâc potestate dominus uteretur. Vide Navar. de Redditib. q. 1, monit. 10 et 11, et Petrum Navar. l. 3 de Restit. c. 1, n. 217.

Notandum tamen est, multos DD. concedere servis verum et perfectum dominium in plerisque casibus supra dictis ; eisque fieri veram injuriam obligantem ad restitutionem, si dominus res ipsis concessas auferat. Jura autem, quæ tradunt, servos, quidquid acquirunt, domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina, disput. 38. Posset etiam addi jura illa consuetudine esse mitigata ; et hoc malim in praxi. Itaque posset servus uti occultâ compensatione, si dominus ei res suas abstulisset.

## DUBITATIO V.

*Utrùm Religiosi habeant aliquarum rerum dominium.*

18. Navarrus, Commentario 2 de Regularibus, n. 3, 34, et alibi, docet ne ipsis quidem congregationibus Religiosorum, quæ possunt habere reditus et bona immobilia in communi, competere dominium propriè talium bonorum, sed solùm administrationem : dominium autem consistere apud solum Christum Dominum. Idem docet de omnibus clericis respectu bonorum ecclesiasticorum, in Apolog. q. 1, monit. 24 et sequentib. In eâdem sententiâ est Major in 4, d. 24, q. 6. Ratio præcipua est, quia hæc bona passim in jure vocantur *patrimonium Christi.* Sed contraria sententia est communis DD., pro quâ

19. Dico primò : Religiosi professi possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut ipsa congregatio vero dominio illa possideat.

Probatur primò ex Concil. Trid. sess. 25, c. 3 de Regularibus, ubi conceditur *omnibus monasteriis et domibus tam virorum quàm mulierum etiam mendicantium, exceptis Franciscanis (nempe Capucinis et Minoribus de Observantiâ), ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat :* atqui non propriè dicitur *possessor*, qui solam habet administrationem, sed qui dominium.

Secundò, quia Nicolaus III, extrav. Exiit, docet, *dominium rerum quibus Franciscani utuntur, ad papam pertinere, non autem ad eorum congregationem ;* ubi insinuat, in aliis religionibus, quibus licet habere bona in communi, dominium pertinere ad ipsas congregationes.

Respondet Navar. comm. 2, n. 3, per *dominium* ibi intelligi *jus administrandi.*

Contra, quia Sedes Apostolica plus juris in illa bona, quàm sit jus administrandi, habere videtur ; nam potest ea pro suo arbitratu illis auferre et dare aliis absque injuriâ ; quod non potest in ea bona quorum tantùm habet administrationem. Non enim potest unius monasterii bona sine justâ causâ dare alteri monasterio vel ecclesiæ, absque peccato injustitiæ ; cujus ratio non est alia, quàm quòd non habeat illorum dominium, sed solùm jus administrationis.

Tertiò, quia communis sententia DD. est, *monachum, quidquid acquirit, non sibi acquirere, sed monasterio,* ut docet Innocent. communiter receptus in c. Cùm olim 2, de privilegiis ; atqui hoc impropriissimè diceretur, si solùm jus administrandi, non autem dominium monasterio acquireretur.

Quartò, si communitas non haberet dominium horum bonorum, vel id proveniret ex Ecclesiæ ordinatione, vel ex voventium intentione, vel ex intentione donantium ; sed ex nullo horum potest provenire : neque enim ulla est talis ordinatio Ecclesiæ, quæ communitatem faciat incapacem dominii : neque intentio voventium est, ut per votum paupertatis, aut professionem, exclu-

dant dominium à communitate, sed tantùm à singulis in particulari : neque intentio fidelium donantium hæc bona, est transferre dominium illorum in quemquam alium quàm in ipsos Ordinum Conventus; sicut qui dat pauperi eleemosynam, non intendit transferre dominium in alium quàm in pauperem. Vide Franciscum Sarmentum de Redditibus Eccl. p. 1, c. 2, n. 21 et 22.

20. Adverte tamen, hoc dominium non ita esse absolutum et independens ut secularium : Primò, quia annexum habet onus ut non possit alienari (saltem quoad bona immobilia et mobilia pretiosa quæ servando servari possunt), nisi in commodum Religionis; sed debeat transmitti ad posteros : sic enim illorum Conventui donatum est, et sacris Canonibus constitutum, ut Religio perseverare possit, quâ in re est simile majoratibus, qui etsi alienari non possint, tamen vero dominio possidentur. Secundò, quia ob legitimam causam, per papam (qui est summus administrator omnium ecclesiasticorum bonorum) potest ipsis adimi, et aliò transferri, relictis tamen ad vitam necessariis, ut patet tum ex praxi quotidianâ, tum quia hâc mente à fidelibus censetur donata monasteriis, ut si cultus divinus in ipsis deficiat, possint per summum Ecclesiæ dispensatorem melioribus usibus applicari. Ad rationem Navarri respondebitur infra.

21. Dico secundò : Religiosi professi solemniter sunt in particulari omninò incapaces omnis dominii, ut usûsfructûs, possessionis, et similis juris rerum temporalium, mobilium et immobilium; ita ut nemo ex illis aliquid suo nomine, seu tanquàm proprium tenere possit. Est certa et communis doctorum.

Probatur primò ex cap. Non dicatis, 12, q. 1 : *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Desumptum est ex regulâ D. Augustini. Scripsit in illud Navar. commentarium secundum de Regularibus.

Secundò ex capitulo, Cùm ad monasterium, 6, de statu monachorum, ubi Innocentius III, sic ait : *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat.* Et infra dicit *nec papam in eo dispensare posse;* et cap. Monachi 2, eodem tit. concil. Lateran. ait : *Qui peculium habuerit, nisi ab abbate fuerit ei pro injunctâ administratione permissum, à communione removentur altaris,* etc.

Tertiò, ex concil. Trid. sess. 25, c. 2 : *Nemini Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquàm propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Ratio est, quia religiosus per solemnem professionem non solùm spoliavit se omni dominio, sed etiam se incapacem omnis dominii et juris temporalis fecit; etsi enim voto simplici paupertatis non amittas dominium, nec etiam ejus fias incapax, tamen voto solemni amittis, et incapax redderis.

22. Unde autem votum solemne paupertatis hanc vim habeat, quæri potest; de quo infra, cap. 41, dub. 8. Nunc tamen breviter dico ex ordinatione Ecclesiæ hanc vim habere; quod ex eo constat, quia non habet eam præcisè ex naturâ voti, ut patet in voto simplici, quod non minùs est efficax in ratione voti, quàm solemne, et tamen nunquàm potest inducere hanc incapacitatem. Neque etiam ex intentione voventis : si enim voveas in religione non approbatâ à Sede Apostolicâ, quantùmvis intendas te reddere incapacem dominii, tamen incapax non fies : nemo enim suo arbitratu se potest reddere incapacem. Unde non relinquitur aliud quàm ordinatio Ecclesiæ, statuentis ut professio in religione approbatâ hunc effectum habeat. Simile est in incapacitate matrimonii, per solemne votum castitatis inductâ.

Dices : Supra, n. 21, dictum est papam non posse concedere ut monachus *proprium* habeat; atqui si ex constitutione Ecclesiæ proveniret quòd non sit capax dominii, papa posset ei proprium concedere, quia potest in Ecclesiæ constitutione dispensare.

Resp. : *Proprium* dupliciter accipi potest. Primò ut significet dominium, quod in se et suî usu sit omninò independens ab arbitrio superioris; et tale proprium non potest concedere, quia essentiæ statûs regularis repugnat. Nam ex vi voti paupertatis, et ipsa dominii retentio, et ejus usus arbitrio superioris subjicitur, ita ut si religiosus dominium retineat, illud secundùm se et suî usum debeat assiduè à nutu superioris dependere, ut infra, c. 41, dubit. 9, ostendemus. Itaque constante Religionis naturâ, hoc proprium concedi nequit. De tali loquitur Pontifex d. cap. Cùm ad monasterium. 6, et concil. Lateran. loco citato.

Secundò, potest accipi generatim, ut comprehendat etiam dominium, quod in se, et in suî usu à superioris arbitrio dependet, et hoc modo papa potest *proprium* seu dominium concedere; tale enim proprium cùm essentiâ Religionis non pugnat, ut infra loco notato dicetur; et hujus *proprii* incapacitas ex Ecclesiæ constitutione provenit, non ex ipsius voti naturâ, aut voventis intentione, ut ostensum est.

23. Addo, Ecclesiam etiam absque professione posse aliquem incapacem dominii et matrimonii reddere, ut videreest in iis qui in nostrâ societate cooptantur in coadjutores formatos, sive spirituales, sive temporales; qui etsi professionem non faciant, tamen per formulam suorum votorum redduntur incapaces et dominii et matrimonii, ita statuente Sede Apostolicâ. Simili modo, qui in gradum scholasticorum vel coadjutorum post biennium admittuntur, fiunt inhabiles ad matrimonium, ejusdem Sedis Apostolicæ decreto, quæ hanc incapacitatem et inhabilitatem votis illorum adnexuit.

24. Ex supradictâ propositione infert Navar. lib. de Redditibus, q. 1, monit. 10 et 12, et commentario 2, n. 2, religiosum professum nullius rei habere dominium, ne vestis quidem quâ induitur, aut panis quo vescitur, sed quidquid habet, esse penitùs subjectum administrationi superioris, sine cujus consensu nihil omninò habere possit.

25. Unde sequitur primò, peccare mortaliter, si aliquid notabilis momenti recipiat et retineat, sine tacito

vel expresso consensu superioris. Secundò, si donatione, vel alio modo tale quid alienet, sine superioris consensu; et eum, qui accipit, teneri ad restitutionem. Tertiò, si abscondat, ne superior sciat. Quartò, si possideat aliquid tanquàm proprium, nolens illud permittere superioris dispositioni, aut murmurans tanquàm injuriâ affectus, dùm ei adimitur. Ratio est, quia hæc omnia, dùm absque consensu superioris fiunt, sunt actus dominii independentis, et juris proprietarii, qui per votum paupertatis religiosæ redduntur illiciti; ut quibus votum et professio violetur.

26. Dixi *Religiosos esse incapaces dominii rerum temporalium*, quia jurium et bonorum spiritalium possunt habere dominium vel quasi dominium. Nam regulares beneficiarii habent dominium, vel quasi dominium et possessionem suorum beneficiorum, et possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, et ad adipiscendum, retinendum et recuperandum eorum possessionem. Similiter simplex religiosus potest agere nomine proprio, super jure eligendi sibi competente, et jure alimentorum, et jure manendi in tali vel tali monasterio; de quo vide Navar., q. 1 de Redditibus, monito 9, et commentario 2 de Regularibus. Ratio est, quia religiosi per votum paupertatis non renuntiant bonis spiritualibus, nec juribus prædictis, aut honoribus, qui pro talibus debentur, sed tantùm temporalibus, ut docet D. Th. 2-2, q. 186, a. 7, ad 4; et Cajetan, ibid.

27. Dico tertiò : Quidam religiosi non professi, sed tamen per solum votum simplex acceptatum ab Ecclesiâ facti verè religiosi, non sunt incapaces dominii, sed retinent illud quamdiù superiori videtur; non tamen possunt habere ullum usum suorum bonorum, vel aliorum, sine superioris consensu. Patet ex constitutione Greg. XIII, editâ hàc de re anno 1584, quæ incipit, *Ascendente Domino*, etc. Tales sunt scholastici approbati, et coadjutores, emissis votis post biennium probationis, in Societate Jesu.

Ubi notandum est, non esse de essentiâ paupertatis religiosæ ut reddat hominem dominii incapacem, vel etiam ut dominio privet, sed tantùm ut privet potestate utendi, ita ut absque superioris consensu non possis ullâ re uti, vel de ullâ disponere; et illo volente tenearis etiam ejus dominium abdicare. Ratio est, quia parvi momenti est dominium, cujus usus ita est impeditus et dependens, et alienatio sic obstricta et debita; dominium enim rerum non æstimatur nisi propter usum et potestatem disponendi : unde si potestas utendi et disponendi ita impediatur in aliquo per votum ac si non esset dominium, sanè talis meritò religiosæ paupertatis cultor est censendus; nihil enim ampliùs habet in rebus temporalibus potestatis, quæ in actum possit exire, quàm is qui dominio caret.

28. Hinc sequitur primò, talem, si alicujus rei, etiamsi sua sit, usum usurpet, absque superioris consensu tacito vel expresso, peccare mortiferè, si res sit notabilis momenti; quia non secùs est privatus potestate utendi quàm si sua non esset. Secundò, si de eâ disponat in alium, per donationem, testamentum vel aliter absque consensu superioris, non solùm peccare mortaliter, sed etiam dispositionem esse irritam. Cujus ratio est, quia per votum paupertatis à legitimo superiore acceptatum privavit se potestate disponendi suo arbitrio, solùmque retinuit potestatem disponendi ex arbitrio et consensu superioris; unde si hic consensus desit, dispositio erit irrita, idque multò majori ratione quàm dispositio prælati de re Ecclesiæ est irrita, si fiat absque consensu Capituli. Simili modo dispositio pupilli est irrita absque consensu tutoris; etsi enim totum dominium sit in pupillo, tamen hoc dominium est impeditum, translatâ potestate disponendi in tutorem. Simili modo dominium talis religiosi est impeditum, ita ut non possit exire in actum, nisi dependenter à voluntate superioris; concessâ tamen potestate disponendi, potest disponere in quasvis pias causas : nec superior potest illum ad hanc vel illam restringere, ut ex Constitut. constat.

29. Dico quartò : Religiosi beneficiarii, ut abbates, priores, præpositi, commendatores, et similes habentes beneficia regularia vel secularia, etsi nullum habeant dominium, habent tamen jus administrandi et dispensandi fructus suorum beneficiorum, tum ad sui statûs congruam sustentationem, tum ad alias pias causas. Id enim jure et consuetudine est eis concessum, quamdiù illa beneficia obtinent, ut probat Navar., comment. 2 de Regular., n. 10, quamvis Franciscus Sarmiento primâ parte defensionis, monito 11, contrarium teneat; de quo plura infra, cap. 41, dubit. 11.

Ex his sequitur, Religiosum factum abbatem, commendatorem, vel episcopum, etsi possit expendere in usus proprios necessarios et decentes, et ad pias causas, non tamen posse expendere in res vanas, aut ditare suos amicos; et si fecerit, teneri ad restitutionem: similiter et eos qui illa acceperunt. Ratio est, quia omnium istorum bonorum non est dominus, sed solùm administrator et dispensator, habens tantummodò jus ad expendendum illa bona juxta præscriptum canonum et Religionis, et intentionem eorum qui ea Religioni vel Ecclesiæ reliquerunt. Vide Navar. q. 3 de Redditibus, monit. 17 et 33.

30. Dico quintò : Superiores Religionum non possunt alicui regulari concedere ulla bona stabilia (ut sunt fundi, redditus, ædium locationes) etiam ad usum duntaxat vel administrationem; colligitur ex Trid. sess. 25, c. 2, de regularibus, ubi sic habetur : *Nec deinceps licet superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum vel conventuum, ad solos officiales eorumdem ad nutum superiorum amovibiles, pertineat.* Navar. Comment. 1 de Regular. n. 15 et 16, putat hoc decretum solùm continere jus commune, esseque declarationem capituli *Cùm ad Monasterium :* ac proinde solùm prohiberi concessionem superfluam, aut ad quosvis usus etiam profanos; sed longè verius est hìc novum jus contineri, et introduci; idque tum ad tollendos abusus, qui ex hisce concessionibus bonorum immobilium sequi solent; tum propter speciem proprie-

tatis, dùm regulares talia bona tanquàm sua videntur administrare, et fructus in quosvis usus expendere. Itaque etiamsi non sit contra votum paupertatis aut contra jus commune, habere cum facultate superioris, cumque assiduâ ab ejus nutu dependentiâ, talium bonorum administrationem et usum ad quasvis pias causas, tamen concil. id in posterum prohibet, et vult ad solos officiales horum administrationem deinceps pertinere, ut apertè colligitur ex responsis illustrissimorum cardinalium, qui præsunt dubiis circa decreta concilii Tridentini oborientibus, qui ne nobilissimis quidem personis id concedere voluerunt, hoc concilii decreto permoti.

31. Hinc sequitur, etsi census vitales possunt permitti pro alimentis et usibus necessariis eorum qui monasterium ingrediuntur, tamen horum administrationem non posse ipsis concedi, sed solis officialibus, quamvis eorum fructus usibus destinatis impendantur. Illi quoque, pro quibus relicti sunt, nihil sibi juris in illis vindicare possunt. Unde superior potest illos etiam in alios usus expendere, modò tamen aliunde satis ipsis provideat. Pontifex tamen cuivis Religioso potest talium bonorum liberam administrationem et usum concedere, modò tamen id fiat ad causas pias, quia cùm sit supra concilium, potest in ejus præceptis dispensare; de quo 2-2, q. 1, a. 10.

32. Adverte tamen, si alicubi talis administratio rerum mobilium vel immobilium ad usus necessarios concederetur, non teneri Religiosos ea superioribus spontè tradere, nisi constaret aliâ ratione, ex communi penu (ut fit ubi perfecta vitæ communio servatur) ipsis prospectum fore, unde multis locis possunt excusari; nisi enim hoc modo illis esset provisum, plerùmque necessariis rebus destituerentur, maximè ubi Abbatiæ dantur in commendam, vel malè per prælatos administrantur. Si tamen à superiore legitimo alia ratio certa institueretur, per quam juxta formam vitæ communis, ipsorum necessitatibus satis foret consultum, non possent huic reformationi resistere, etiamsi illam priorem rationem in ingressu invenissent.

33. Dico sextò: Possunt tamen superiores concedere aliqua mobilia suis subditis ad usus necessarios, et etiam ad opera pia. Est communis sententia DD., v. g., vestes, libros, et similem supellectilem (hæc tamen debet esse statui paupertatis accommodata, omni carens superfluo, ut Concil. inquit), et etiam aliquam pecuniam, præsertim ad usus certos et determinatos. Utrùm ad usus suos, vel pios indeterminatè concedi possit, dubium est. Verius videtur posse, quia hoc neque est contra professionem paupertatis, neque ullo jure vetatur.

34. Dices : Concil. Trid. etiam mobilium possessionem hisce Religiosis prohibere videtur.

Resp. : Concilium loqui videtur initio capitis de eis bonis quæ nondùm erant incorporata monasterio, aut sine justâ licentiâ superioris à religiosis obtinebantur : nam immediatè post tantùm vetat ne superiores concedant stabilia, nullâ factâ mentione mobilium. Expedit tamen ob periculum proprietatis et abusus talia non concedi, nisi ad usus omninò definitos.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm clerici non religiosi habeant aliquorum bonorum dominium, et quorum.*

35. Notandum ex Nav. q. 1 de Redditibus, monito 19, *beneficiarios seculares tria genera bonorum habere posse : Patrimonialia*, qualia sunt quæ ipsi hæreditate, vel industriâ, vel donatione, vel alio modo quo laici solent, sibi acquirunt. *Quasi patrimonialia*, quæ ipsi acquirunt ut clerici, ministeriis clericorum absque beneficio, ut celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo, vicariâ temporali : item quæ assignantur alicui ad honestam sustentationem ab episcopo vel pontifice; *merè Ecclesiastica* : ut sunt ea quæ recipiuntur ratione canonicatûs, decantatûs, vel alterius beneficii titulo. His positis,

36. Respondeo et dico primò : Clerici non religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium, et de illis ut laici possunt disponere; est communis DD. Ratio est, quia per clericatum vel ordinem neque fiunt incapaces dominii, neque etiam se abdicant dominio, neque se obligant ad patrimonialia in pias causas expendenda.

37. Dico secundò : Clerici etiam habent absolutum dominium quasi patrimonialium, neque tenentur ea magis in usus pios expendere, quàm bona patrimonialia. Ita Covar. in cap. Cùm in officiis, de testamentis, n. 4, Navarrus et alii. Ratio est, quia hæc dantur ut stipendium quoddam sustentationis, et veluti merces ratione operis præstiti, ut de iis disponant pro arbitrio : non enim fideles qui hæc tribuunt, intendunt illis ullum onus imponere, sed permittunt liberrimæ illorum dispositioni; sicut permittunt operarii arbitrio usum mercedis quam ei persolvunt. Nec refert quòd hæc stipendia interdùm longè excedant operam; quia liberè à fidelibus dantur. Unde si alicui pro uno Sacro dentur 10 aurei, non minùs fiet illius pecuniæ absolutus dominus, quàm is cui datur unus duntaxat regalis; si enim pauper fit absolutè dominus eleemosynæ quæ ei datur sine onere, et si ea magna sit, cur clericus non fiat dominus stipendii, quod ei liberaliter pro aliquo opere constituitur? Vide Navar., q. 1 de Redditibus, monit. 19 et 39, ubi docet contra Innocentium, hæc bona æquari patrimonialibus; ac proinde clericos de illis liberè disponere.

38. Unde sequitur, si de his vivant, vel expendant in pias causas, posse tantùmdem accipere ex redditibus beneficii, deque eo tanquàm de patrimonialibus disponere, quia cùm habeant jus accipiendi totam sustentationem ex beneficio, non tenentur vivere ex aliis suis bonis, unde si ex aliis vivant, possunt uti compensatione, accipiendo tantùmdem ex beneficio. Rursùs cùm alia bona non teneantur absolutè in opera pia expendere, si sic expenderint, poterunt uti compensatione ex bonis beneficii, quæ alioquin in talia opera conferre debuissent, ut docet Navar, monito 32, nisi fortassè intenderint non uti compensatione : quod non est præsumendum, nisi id expressè

intenderint, et voluerint sibi libertatem illam disponendi adimere. Nemo enim se privat jure suo, nisi volens.

39. Dico tertiò : Episcopi, canonici, et alii beneficiarii, quod ad eam partem fructuum attinet, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt domini, ut non magis teneantur ex eâ erogare ad opera pietatis, quàm ex bonis patrimonii ; est ferè communis sententia theologorum, etsi multi canonistæ dissentiant. Ratio est, quia hæc pars est justa merces eorum, qui Ecclesiæ serviunt ; qui enim Ecclesiæ servit, jure potest ex bonis Ecclesiæ vivere. Unde sequitur, si quid velint ex hâc parte sibi detrahere, posse de eo disponere sicut de bonis secularibus : quia nullam habent obligationem particularem cur hæc potiùs quàm secularia bona sua in pauperes vel pias causas teneantur impendere : ut rectè docent Covar. in c. *Cùm in officiis*, n. 2 ; Navar. de Reddit. q. 1, monito 30 ; Sotus l. 10, q. 4, a. 3, concl. 6. Si enim liberè poterant hæc in suos usus convertere, cur si seipsos fraudare, et pàrciùs vivere velint, vel reservatis fructibus beneficii uti patrimonialibus, non possint eos fructus cuivis alteri donare? Idem sentit Covar. de his redditibus, quos dignissimâ, inquit, mercede justitiæ, et laboris impensi in regimine Ecclesiæ, recipit is qui Ecclesiæ curam gessit, ut pastor, lector Capituli, scholasticus, decanus Christianitatis, et similes : quod etiam ex proposit. 2 satis constat ; est enim justa laboris merces, justumque stipendium.

40. Dices : Concil. Trid., sess. 25, cap. 1, omninò interdicit ne Ecclesiastici consanguineos ditare studeant de redditibus ecclesiasticis.

Resp. : Concilium non loquitur de iis quæ quis sibi hoc modo subtraxit, vel quæ justo labore promeritus acquisivit ; (hæc enim non censentur fructus beneficii, sed propriæ industriæ, ut rectè notat Navar.) sed loquitur de iis quæ tantùm ratione beneficii obveniunt, et sustentationi redundant.

Notandum hìc ex Navarro, monito 45, sicut justum pretium rerum non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem (datur enim infimum, medium, et summum), ita etiam congrua sustentatio suos gradus habet ; quare sicut quivis justè potest rem vendere pretio summo seu rigido, ita potest insumere quod ad summum conveniens sustentationis est necessarium : ac proinde si quid velit huic detrahere, poterit de eo disponere, v. g., infimum congruæ sustentationis sit 500, medium 600, summum 700, si velit uti infimo, et expendere tantùm 500, in se suamque familiam alendam, poterit 200 condere, ut liberè de eis disponat.

41. Sed tota difficultas est de eâ parte fructuum, quæ non est ulli gradui convenientis sustentationis necessaria, sed superflua : ut si percipis 1000 florenos ex tuo canonicatu, è quibus 500 omninò sufficiunt, ita ut facilè 500 quotannis recondas ; quæritur utrùm efficiaris dominus illorum 500, ita ut non tenearis ex justitiâ in opera pia expendere? Sunt duæ celebres sententiæ. Prior est Navarri, qui, lib. de Redditibus ecclesiasticis, summis viribus nititur ostendere, clericos non esse dominos illius portionis redundantis, sed solùm dispensatores, ita ut ex justitiâ teneantur expendere in pias causas ; si secùs fecerint, obligari ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno jure retinent : sicut œconomus bona domini sui contrà intentionem illius expendens, ad restitutionem tenetur. Idem docent multi theologi, Alexander Halensis 3. p., q. 36, num. 5, a. 2 ; Richardus in 4, d. 45, q. 1, circa 3 principale ; Henricus quodlib. 8, q. 27. Hi expressè dicunt, clericos fructuum ecclesiasticorum solùm habere usum, non proprietatem, Major in 4 dist. 24. q. 6, ubi etiam dicit nullum doctorem ante ipsius ætatem contrarium tenuisse : in quo tamen fallitur. Gabriel in 4, d. 15, q. 8, a. 2 ; et Palundanus, dist. 24, q. 3, sub finem, inclinant in hanc sententiam tanquàm probabiliorem et dictis sanctorum conformiorem, etsi fateantur alteram esse probabilem. Thomas Waldensis, tom. 1, lib. 4, c. 42, et quatuor sequentibus. Petrus Soto de Instruct. sacerdotum, p. 2, lect. 3, ubi dicit : *Primò omnium constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, et ipso jure divino, bona omnium Ecclesiarum, cùm Christi sint, meritò etiam pauperum esse ; nec ullâ ratione, aut potestate humanâ fieri posse, ut licitè in alios usus quàm Ecclesiasticos et pauperum expendi possint ;* et infra : *Contrarium credimus errorem esse gravissimum ; saltem contra bonos mores, et justitiam : et quiani etiam contra Scripturam.*

In eâdem sententiâ sunt plerique canonistæ, ut ostendit Navar. Tract. 2 de Reditibus, monito 7, et Sarmiento, p. 2 de Reditibus, cap. 1 et seq. etsi in quibusdam minutis inter se discrepent. Eamdem tenet Franciscus Turrianus in quâdam epistolâ ad episcopum Laodicensem, quam refert Navar. Tract. de Redit. q. 3, monito 35.

Altera sententia huic ex diametro adversatur ; clericos beneficiarios esse absolutè dominos omnium proventuum, ques ex beneficiis percipiunt, etiam partis illius redundantis : hanc docent passim recentiores.

42. Dico quartò : Sententia Navarri, quâ parte tenet, beneficiarios non ita esse dominos partis superfluæ, quin ex justitiâ teneantur eam in opera pia expendere, adeò ut si in alia insumpserint, obligentur ad restitutionem ; est valdè probabilis, sacris canonibus et rationi valdè consentanea. Primò, quia est multorum theologorum et omnium penè canonistarum, ut Navarr. ostendit. Secundò, quia multi canones dicunt eam partem, quæ sumptibus necessariis superest, esse pauperum, et ex bonis Ecclesiæ unam quartam deberi pauperibus, ut patet 12, q. 2. Tertiò, quia fideles non contulerunt tantas opes in Ecclesiam, ut Ecclesiastici soli illis fruerentur, sed ut ex illis caperent quod decenti sustentationi necessarium, et reliqua in pauperes aliaque pia opera conferrent : ergo acceperunt illa bona cum tali onere ; quare etsi dominium omnium fructuum accipiant, tamen accipiunt cum hoc onere, ut quod superest, in pauperes expendant. Hanc sententiam tanquàm tutiorem, judico in praxi beneficiariis consulendam. Nihilominùs

43. Dico quintò, verius videri, post erecta beneficia,

certosque proventus singulis titulis assignatos, beneficiarios effici absolutè dominos omnium illorum proventuum, ita ut quamvis partem superfluam profanè expenderint, tamen ad restitutionem pauperibus vel aliis piis causis non teneantur : peccare tamen mortiferè, si hanc partem in opera pia non expenderint ; ita passim DD. hujus temporis. Tradit hanc sententiam Sotus, lib. 10 de justitiâ, q. 4, art. 3 et 4, et videtur esse sententia D. Thomæ, q. 185, a. 7, ut conantur ostendere Sotus et Sarmiento, quamvis Navar. illum à se stare contendat; Adrianus in 4 Tract. de Restit. § *Pro clariori*, conclus. 2 et 4 ; Covar. in c. Cùm in officiis, de Testam.; Franciscus Sarmiento de Reditibus, p. 2, cap. 1 et 2, et p. 4, et alii multi recentiores. Dixi *post erecta beneficia*, quia antequàm essent instituta, et singulis sua portio assignata, alia erat ratio ; tunc enim omnes oblationes et redituum proventus erant bona communia : nam clerici vivebant in communi, sicut modò Religiosi ; et singulis dabatur ab episcopo, qui omnium erat administrator, quantùm cuique opus : quæ superabant, conferebantur in pauperes, vel in alios pios usus, ut colligitur ex canonibus 12, quæst. 2. Unde tunc nemo habebat dominium, nisi ejus partis quam in singulos dies consumendam accipiebat. Verùm processu temporis, refrigescente charitate, multa exorta sunt incommoda ; vel quòd non possent ita communiter pacificè inter se vivere ; vel quòd plerique majores commoditates expeterent ; vel quòd nollent se statui ecclesiastico sub tantâ disciplinâ, tamque tenui diætâ mancipare. Itaque sensim beneficia et præbendæ institutæ, certique proventus annui singulis annexi, ex quibus copiosè, seorsim, et pro suo arbitratu possent vivere.

Nunc probatur prior pars : *Ipsos fieri absolutè dominos omnium proventunm.* Primò, quia canones id satis apertè indicant : nam cap. unico, de Clerico non residente, in 6, dicitur : *Qui divinis officiis non intersunt (nisi infirmitas seu justa et rationabilis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas relevet), non sunt domini quotidianarum distributionum ; neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur.* Supponunt ergo alios, qui intersunt, fieri dominos : quòd si isti fiunt domini quotidianarum distributionum, cur non etiam aliorum proventuum, præsertim cùm omnes dentur propter divinum officium, sive publicè, sive privatim dicendum ?

Respondet Navarrus et canonistæ, *esse dominos* quoad fidelem administrationem. Sed hæc expositio est extorta ; nam sic etiam abbates essent *domini* suorum proventuum, quod nemo dixerit. Secundò conc. Trid. sess. 22, c. 3 de Reformatione, *statuit, ut in omnibus Ecclesiis cathedralibus et collegiatis tertia pars proventuum, omnium dignitatum, personatuum, et officiorum, in distributiones dividatur ; ut scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens ibi servitium quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ vel alteri loco applicetur.* Tertiò idem sess. 23, c. 1 de Reformatione, *statuit, ut episcopi, qui ultra tres menses (nisi urgente necessitate) absunt à suis Ecclesiis, fructus non faciant suos pro ratâ temporis absentiâ, sed teneantur fabricæ vel pauperibus erogare.* Idem statuit de aliis curam animarum habentibus. Ilis et aliis locis apertè insinuat concilium, beneficiarios, si præstent quod debent, fieri integrè dominos omnium suorum proventuum.

44. Altera pars, *quòd non teneantur ad restitutionem, etsi profanè expendant*, videtur sequi ex dictis. Si enim absolutè sunt domini, cur teneantur ad restitutionem ? quisque enim rei suæ est moderator et arbiter. Idem sentire videtur D. Tho. q. 185, a. 7, ubi cùm ex can. De reditibus. 12, q. 2, ostendisset, reditus Ecclesiæ et oblationes fidelium in quatuor portiones esse dividendas, ex quibus prima danda sit Episcopo, secunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta clericis ; subdit : *Si ergo distincta sint bona, quæ debent in usum episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, et ministris, et cultui Ecclesiæ eroganda, et aliquid sibi retinuerit episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda ; non est dubium quin contra fidem dispensatoris agat, et mortaliter peccet, et ad restitutionem teneatur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum et usum, peccet quidem si immoderata sibi retineat, et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.* Hæc ille, ubi videntur deesse hæc verba, *non tamen ad restitutionem teneatur*, ut notat Sotus : quia hanc redditionem requirit illud *quidem* ; alioquin est oratio imperfecta et ἀνακολουθος. Idem postulat illa oppositio, quam statuit inter portionem ipsius usui specialiter deputatam, et inter portiones aliis deputatas, quantùm solùm est dispensator ; deinde, etiamsi illa verba non addantur, tamen satis manifestè res ipsa videtur insinuari, dùm ait eamdem esse rationem de bonis specialiter ipsius usui deputatis, et de propriis seu patrimonialibus ; quod non est ita intelligendum, quasi episcopus possit utraque eodem modo expendere, dùm superflua sunt et honestæ sustentationi redundant : id enim falsum est, et contra conc. Trident., sess. 25, cap. 1, de Reform., et contra multos canones antiquos, quibus jubentur ecclesiastici, quæ ipsis superant, in causas pias erogare. Denique repugnat communi prudentùm judicio ; quis enim dixerit, cui quotannis viginti, triginta vel plura aureorum millia redundant ex fructibus ecclesiasticis, eum posse de illis ita liberè disponere ut de secularibus ? Itaque illud accipiendum quoad dominium et immunitatem à restitutione in utroque bonorum genere, ut colligitur ex verbis præcedentibus in corp. art. Item quoad hoc, quòd non teneatur illa, nisi necessitate urgente, in pauperes erogare : quà non urgente liberum ei sit in alia pia opera insumere. In his igitur est eadem ratio bonorum patrimonialium et fructuum ecclesiasticorum alicui specialiter deputatorum ; non tamen negat D. Thomas quin absolutè teneatur superflua bonorum ecclesiasticorum vel in pauperes vel alia opera pia erogare, et quidem strictiori

jure quàm superflua bonorum secularium, ut colligitur ex resp. ad 2, ubi solùm permittit illis de bonis dari consanguineis, quantùm necesse est ut non egeant. Aliter hunc locum exponit Sarmiento et Sotus, sed meo judicio non rectè; quia sequeretur episcopum vanè insumendo 50 millia aureorum superflua ex reditibus Ecclesiæ, non plus peccare quàm tantùmdem insumendo ex secularibus.

45. Idem probatur ratione. Primò, nemo cogendus est ad restitutionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, vel lege justitiæ alteri debitam : atqui nullâ ratione vel auctoritate constat beneficiarios vel non habere dominium omnium suorum proventuum, vel aliquam partem horum lege justitiæ alteri deberi : ergo non sunt ad restitutionem cogendi. Major patet ex reg. juris, *In dubio nemo spoliandus est jure quod possidet*, et *in pari causâ potior est conditio possidentis*. Minor probatur, quia hoc neque potest convinci ex modo donationis fidelium, quo hæc bona ad Ecclesiam translata sunt, neque ex Ecclesiæ præcepto, aut dispositione. Non ex modo donationis; quia non constat fideles qui hæc bona contulerunt, sub hoc modo et hâc conditione donâsse, ut Ecclesia lege justitiæ teneretur, ex iis quæ ministrorum honestæ sustentationi superessent, pauperes alere, vel alia opera pia promovere, ut diversa opinio supponit; quamvis enim fideles intenderint vel desideraverint ut hoc fieret, tamen valdè credibile est eos Ecclesiæ talem obligationem non imposuisse : tum quia non dubitabant quin episcopi et prælati, qui illa administrabant, id sponte suâ essent abundè facturi, quod eos passim tam sollicitè facere videbant : tum quia modestiores, et in suos superiores reverentiores erant, quàm ut illis auderent hujusmodi obligationem imponere; præsertim cùm hæc darent in redemptionem suarum animarum, vel ut servorum Dei preces et suffragia consequerentur, vel ad cultûs divini amplificationem.

Confirmatur, quia bona Ecclesiæ à fidelibus relicta, vel sunt decimæ, vel prædia, vel census, vel dominia pagorum, oppidorum, provinciarum, etc.; atqui nullum genus horum videtur relictum cum tali onere, nisi fortè in particulari aliquâ donatione id expressum sit : ergo generatim non est putandum tale onus esse impositum. Minor probatur, nam quod ad jus decimarum attinet, fideles ratione illius non potuerunt Ecclesiæ ullam obligationem erga pauperes imponere : decimæ enim debentur illi lege justitiæ, ratione administrationis spiritalium, ut communiter doctores tradunt, et docet D. Th. q. 77, art. 1. Ratio est, quia tenetur populus lege justitiæ eos qui ipsi spiritalia administrant, pro dignitate sustentare : idque lumine naturali constat, etiam apud ethnicos. Porrò ad hanc sustentationem Ecclesia ab initio determinavit decimam fructuum partem, exemplo legis veteris : ubi etsi longè pauciores essent levitæ et sacerdotes, aliique sacrorum ministri; minor quoque esset eorum dignitas, minor labor, minor sacrorum sumptus; tamen decima pars fructuum, præter primitias et oblationes, à Deo constituta et præcepta fuit; neque ipsis ulla obligatio justitiæ ad superflua in pauperes eroganda fuit imposita. Itaque decimæ (de quibus tamen maximè est quæstio) post illam determinationem non dantur liberâ fidelium voluntate, sed solvuntur lege justitiæ, sicut tributa principibus. Quare non potuerunt fideles ullam obligationem clericis ratione decimarum, quoad modum expendendi superfluos illarum fructus, imponere. Verùm de his infra, cap. 39, Dub. 1 et 2.

Dominia, prædia, et census proveniunt quidem ex liberâ fidelium donatione, non tamen videntur donata cum tali onere, dominia enim data sunt Ecclesiæ ad splendorem et auctoritatem : prædia et census, ad fundationem ecclesiarum vel monasteriorum, eorumque conservationem, ad augmentum cultûs divini, ad erectionem alicujus beneficii, ad satisfactionem pro peccatis, ad alimenta ministrorum Ecclesiæ, et aliorum in communi vivere volentium; ut constat ex multis, can. 12, q. 1.

Sed neque ex dispositione Ecclesiæ constare potest beneficiarios ad restitutionem malè expensorum teneri. Primò, quia nusquàm id in canonibus clarè explicatur; cùm tamen sit res maximi momenti ut, quæ ad omnes beneficiarios pertineat, et summoperè ad publicam ædificationem, et pauperum subventionem faciat. Sanè si vel ex naturâ rei, vel ex Ecclesiæ præcepto obligatur, id clarè debuisset per summos pontifices, vel concilia œcumenica, aut provincialia exprimi, nec tanta iniquitas tolerari : cùm in rebus multò minoribus et per se clarioribus id fecerint, ne quis prætextu ignorantiæ se posset excusare; v. g., eum teneri ad restitutionem, qui divino officio non interesset, vel preces canonicas, aut partem earum aliquando prætermitteret, aut à suâ residentiâ supra tres menses emaneret, et alia id genus; ut videre est in conc. Lateran. sub Leone X, conc. Trident. et variis canonibus 12, q. 1 et q. 2, et alibi.

46. Secundò probatur, quia Ecclesia non rescindit pacta, vel donationes quibus beneficiarii fructus redundantes alienant, vel profanè aut vanè expendunt : quod tamen omninò facere deberet, si putaret eos pauperibus stricto jure deberi. Hanc enim providentiam et curam ipsa pauperum causis debet, ut si quid lege justitiæ eis debitum sit, præstari curet, et debitores, si opus sit, compellat; sicut in testamentis et piis legatis facere consuevit. Eamdem debet suis subditis, clericis et laicis, ut nec illis permittat quod pauperum est alienare, nec his retinere. Et sanè mirum esset Ecclesiam permittere tantam injustitiam, et non compellere ad restitutionem, sicut administratores alienorum compelli solent, si illa in suos usus converterint, vel malè expenderint, maximè cùm causa pauperum sit in primis favorabilis. Hæ sunt præcipuæ rationes pro hâc sententiâ; qui plures desiderat, videat Franciscum Sarmiento de Reditibus p. 4, cap. 1, ubi 12 rationes adfert; sed ferè jam dictis continentur.

47. Tertia pars, *quòd mortaliter peccent, si expendant illam portionem redundantem in usus profanos, vel ad ditandos amicos*, est communis sententia DD. ut

fatetur Sarmiento; et probatur primò, quia est contra districtum Ecclesiæ præceptum. Nam conc. Trid., sess. 25, c. 1, de reformatione, sic ait. *Omninò enim eis interdicit* (Episcopis sancta Synodus) *ne ex reditibus Ecclesiæ, consanguineos familiaresve suos augere studeant; cùm et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant.* Et infra : *Quæ verò de episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque ecclesiastica beneficia, tam secularia quàm regularia obtinentibus, pro gradu suæ conditionis observari, sed etiam ad S. E. R. cardinales vertinere decrevit.*

Ubi notanda primò sunt illa verba, *omninò interdicit*, quibus apertè insinuatur strictum præceptum.

Notandum secundò, non solùm ipsos reditus, sed etiam redituum fructus, *res ecclesiasticas*, et *res Dei* vocari; quod ex eo liquet, quòd episcopi non reditibus ipsis, sed fructibus eorum consanguineos locupletare soleant; fructus quoque, non reditus in pauperes distribuantur. Denique quia hoc præceptum extenditur ad omnes minores beneficiarios, quorum pauci administrationem habent, nisi suorum beneficiorum; qui si reditus ipsos in consanguineos transferre vellent, omnes illis obsisterent. Unde etiam constat, concilium loqui non solùm de fructibus alienis, quorum habent solùm administrationem, sed etiam de iis qui mensæ episcopali sunt applicati.

Dicuntur isti fructus esse *res Dei*, quia sunt destinati tum ab Ecclesiâ, tum à donatoribus, ut ad honorem et cultum Dei impendantur; quo modo etiam decimæ dicuntur esse Dei, quæ causa sufficiens est ut Ecclesia singulis possit imponere præceptum, ne ex his consanguineos ditare studeant, aut vanè expendant. Idem probari potest ex antiquis can. quibus præcipitur, ut portio fructuum et oblationum, quæ episcopo, clericis et fabricæ non esset necessaria, distribueretur pauperibus; quod à temporibus Apostolorum multis seculis servatum est, et à variis pontificibus et conciliis confirmatum; cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, et per hoc quòd singulis suæ partis administrationem permisit, derogatum noluit; sed potiùs voluit ei per singulos, pro cujusque facultate, satisfieri; quare sicut episcopi, cùm illa administrarent, tenebantur portionem cæteris non necessariam, pauperibus seponere, ita beneficiarii qui in illam administrationem ex parte successerunt, tenentur ea quæ sibi redundant, in usus pauperum, vel saltem in pias causas, quando graves necessitates non occurrunt, seponere.

Secundò probatur : nisi ecclesiastici obligarentur superflua in pios usus impendere, valdè improvidè faceret Ecclesia, tantam affluentiam fructuum illis permittendo; quid enim hoc aliud esset quàm dare illis ansam et instrumentum luxûs, libidinum, superbiæ, et frustrari pia fidelium vota? Deberet potiùs bonam partem illis detrahere; et inde alia bona operà instituere.

Tertiò clerici ratione gradûs, quem obtinent in Ecclesiâ, sunt veluti patres et tutores pauperum et orphanorum; ergo peculiari nexu charitatis et misericordiæ tenentur illis opem ferre. Confirmatur, quia eleemosyna sæpè est necessaria ad bonum spirituale in subditis conservandum; ut quando pudicitia virginum ratione paupertatis periclitatur, aut aliqui ad furta et latrocinia se convertunt. Ergo ecclesiastici, (maximè episcopi et parochi) qui ex officio bonum spirituale subditorum procurare debent, partem proventuum suorum præ cæteris in opera pietatis impendere tenentur. Vide Sotum lib. 10, q. 4, art. 4, conclus. 2 et 3. Verùm hæc ratio non probat extra tales casus teneri illos sub peccato mortali præcisè ratione superflui. Itaque præcipua ratio, cur tam strictè extra necessitatem gravem corporalem vel spiritalem proximi teneantur superflua illa in pauperes vel opera pia impendere, est Ecclesiæ præceptum; quo semoto, etsi nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Contra 1 et 2 partem propositionis quintæ, quâ parte astruit dominium absolutum beneficiariorum, eosque à restitutione liberat, sunt multa argumenta ex canonibus et Patribus, ut videre est apud Nav q. 1 de Redit., Monito 21, 22, 23, ubi habet 17 rationes, quarum præcipuas attingemus.

Objicitur primò : Multi Patres et pontifices in suis canonibus dicunt bona Ecclesiæ *esse patrimonium Christi, res Dei, bona pauperum : et clericos tantùm esse dispensatores et procuratores bonorum Ecclesiæ;* ut videre est 12, q. 1 et 2.

48. Resp. : Dicuntur *patrimonium Christi*, quia propter Christum, et ad cultum Christi sunt donata. Dicuntur autem *bona pauperum*, tum quia omnia superflua dicuntur esse pauperum, utpote pauperibus eroganda : (quâ ratione Hieron. etiam de secularibus dicit, *aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria retinere probatur*, ut habemus d. 42 can. Hospitale) tum quia peculiari ratione clerici ex his bonis pauperibus subvenire debent : tum denique quia hæ sententiæ referendæ sunt maximè ad illud tempus, quo nondùm beneficia erant divisim erecta, sed vivebatur in communi : tunc enim verè erant bona pauperum, non laicorum propriè, sed clericorum, qui tunc pauperes erant, et in particulari nullum habebant dominium, sed communiter omnia possidebant; et aliqui ex illis erant bonorum communium administratores, sicut in monasteriis. Nos autem agimus de tempore post erecta beneficia et bona divisa.

49. Objicitur secundò : Multi canones jubent fructus redituum ecclesiasticorum et oblationes fidelium dividi in quatuor partes, et unam tribui episcopo, alteram clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus. Ita habemus can. de Reditibus, qui est Simplicii, et can. Vobis, can. Concesso, et can. Quatuor, qui sunt Gelasii; item can. Cognovimus, can. Mos est, qui sunt Gregorii primi, et habentur 12, q. 2; atqui in pleris que locis non videtur quidquam assignatum pauperibus; sed solùm episcopo, clericis et fabricæ : ergo portio pauperum permixta est proventibus clericorum

et episcoporum, ac proinde tenentur ex justitiâ illam in pauperes conferre; ea autem portio censebitur esse pauperum, quæ ipsorum statui non est necessaria. Nec satisfacit si dicas canones illos intelligendos de bonis usque ad illud tempus donatis, non autem de donandis in posterum : quia Gregorius expressè jubet, *ut sive de præteritis reditibus, sive de his quæ in posterum obvenient, quartæ secundùm distributionem canonicam dispensentur.*

Resp., ex istis canonibus satis convinci, clericos teneri præcepto Ecclesiæ iis locis, ubi pauperibus sua quarta non est assignata, quæ sibi redundant, erogare : non quòd ex justitiâ hæc pauperibus debeantur, sed quia sacri canones jubent ut ipsis ex Ecclesiæ reditibus quarta portio detur, ut habetur can. Mos est, 12, q. 2. Unde cùm passim in bonorum ecclesiasticorum divisione et beneficiorum erectione nihil pauperibus videatur assignatum, dubitandum non est quin obligentur beneficiarii singuli pro suâ parte; divisis enim bonis, simul divisa est obligatio his bonis ordinatione Ecclesiæ impositâ. Non enim Ecclesia voluit (sicut antè diximus) per erectionem beneficiorum et bonorum divisionem hanc obligationem exstinguere, ut satis ex conc. Trident. sess. 25, cap. 1, de Reform. constat.

Dices : Hospitalia ex his bonis videntur constituta : ergo pauperibus sua quarta est assignata.

Resp. negando antecedens; pleraque enim aliâ ratione sunt erecta, ita ut bonis ecclesiasticorum nihil sit detractum, et quamvis constaret alicubi ex hisce bonis erecta esse, nihilominùs superflua tenentur in pauperes vel alias pias causas, quæ nunquàm desunt, impendere; quia hæc est mens canonum, et intentio fidelium.

50. Objicitur tertiò : Clerici non possunt de bonis ecclesiasticis testari : ergo non sunt domini; antecedens patet cap. Relatum, 12 et cap. Ad hæc, 8, tit. de Testamentis, et confirmatur, quia agri, domus et similia acquisita bonis ecclesiasticorum pertinent ad Ecclesiam, non ad ipsos clericos, ut patet ex can. Placuit, 2, q. 3, qui est concilii Carthaginensis tertii, et c., Sacerdos, 12, q. 4, ex concilio Toletano 9; item ex toto tit. de peculio clericorum; ergo pecunia, quâ acquiruntur hæc bona, ad eos non pertinet.

Resp. hinc tantùm sequi, usum dominii in certis actibus impediri, sicut in impubere; meritò autem in condendo testamento impeditur, tum quia par est ut quod ipsis superest relinquatur Ecclesiæ, tum quia hâc ratione avocantur à studio accumulandi, et incitantur ut in vitâ ad pios usus erogent. Nunc tamen consuetudine tandem obtentum ut testari possunt, de qua infra cap. 19 Dub. 4. Ad confirmationem, resp. : Neg. consequent., quia Ecclesia potuit statuere, ut si aliqua immobilia comparentur pecuniâ ecclesiasticâ, ea cedant in dominium Ecclesiæ; nimirùm ne clerici opibus congerendis instar secularium inhiarent, sed potiùs suam pecuniam in pauperes conferrent. Vide plura apud Navar. supra, et Sarmiento, 3 p. de Reditibus ecclesiasticis cap. 2, quæ, quia difficultatem non habent, omitto.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ et supellectilis sacræ.*

51. Resp. : Nemo in particulari habet dominium bonorum immobilium Ecclesiæ, vel supellectilis sacræ, sed cœtus ecclesiasticorum cujusque ecclesiæ habet dominium bonorum suæ ecclesiæ; sicut conventus monachorum habet dominium bonorum monasterii; cum his tamen limitationibus : primò, ut pontifex, tanquàm caput omnium Ecclesiarum et conventuum ecclesiasticorum, habeat supremam omnium administrationem : de quo vide Navar., in cap. Non licet, de spoliis clericorum, § 3; secundò, ut, si sit necessarium, vel valdè expediens ad commune bonum Ecclesiæ, possit Pontifex ea ad alios usus, et etiam ad alias diœceses transferre; sic videmus interdùm bona ecclesiastica principibus secularibus concedi ad Ecclesiæ utilitatem; absque tamen justâ causâ id facere non potest, quia non est dominus, sed administrator, ac proinde leges fidelis dispensatoris servare debet; prima autem lex est publica Ecclesiæ utilitas; tertiò, ut conventus ecclesiasticus cujusque diœcesis teneatur illa ad posteros transmittere, nec possit ea vendere, vel exstinguere pro arbitrio, quod vinculum provenit partim ex decreto Ecclesiæ, partim ex donatorum dispositione, qui voluerunt ea perpetuò esse cultui divino dicata. Vide Adrianum in 4 de Restit. § Proclariori, et Turrecrem. lib. 2 de Ecclesiâ, c. 113.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm omnia homine inferiora cadant sub ejus dominium.*

52. Resp. res omnes externas usibus humanis subjectas, cadere sub dominium hominis, idque jure naturæ; ut agros, montes, flumina, plantas, bestias, metalla, et similia. Cœlorum autem et astrorum propriè non sumus domini : etsi enim propter nos condita sint, ut nostris usibus famulentur, tamen non sunt nobis ita subjecta ut de illis possimus disponere, sicut res inferiores, quas contrectamus et aptamus ad nostra commoda. Sumus tamen domini effectuum, ut luminis, caloris, auræ, salubritatis; quia his utimur quodammodò, sicut aliis rebus externis. Alio tamen modo possumus dici domini cœlorum et astrorum, quia in obsequium nostrum facta sunt. Vide D. Th. 1 p., q. 96, art. 2.

53. Adverte tamen, cùm dicitur hominem jure naturæ habere dominium in res inferiores, non esse id ita intelligendum quasi singuli habeant completum dominium à naturâ, sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, et earum dominium completum comparandi; hoc enim jus cuique à naturâ concessum in rem quamlibet, ut eam occupare, sibique vindicare possit, si ab alio ante occupata non fuerit.

## DUBITATIO IX.

*Utrùm homo cadat sub dominium alterius hominis.*

54. Resp. et dico primò : Jure naturæ non habet

homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines naturæ conditione sunt pares, cùm sint ejusdem naturæ, ex eòdem parente, et ad eumdem finem conditi; et quamvis quidam à naturâ sint magis apti ad imperandum, alii ad serviendum (quâ ratione Aristoteles, 1 lib. Polit. c. 1 et 3, dixit *quosdam naturâ servos, quosdam dominos*), nemo tamen naturâ est *servus* propriè; cujus signum est, quòd in statu naturæ integræ nulla futura fuerit servitus, ut communiter docent Patres, Aug. lib. 19 de Civit., c. 15, et Gregorius lib. 21 Moral. c. 11, quia servitus est pœna peccati.

55. Dico secundò : jure tamen gentium et civili potest quis effici servus, idque multis modis, ut statim dicemus. Patet ex Scripturâ, Exodi 21, Levit 25, Deuter. 20 et 21, ubi variæ leges præscribuntur de variis servitutum generibus; et Apostolus, 1 Cor. 7: *Servus vocatus es? non sit tibi curæ.* Unde constat, etiam Christianos posse esse servos, non solùm gentilium, sed etiam Christianorum; de quo vide Gratianum dist. 54, ubi habet multa decreta de servis christianis.

56. Dices : Servitus est contra naturam; ergo. Respondeo : Non est ita contra naturam ut sit contra rectam rationem vel præceptum naturale; sed dicitur esse contra naturam, quia est contra primævam naturæ conditionem, secundùm quam, cùm omnes essent recti et sine peccato, iniquum fuisset si alter alterum servituti subjecisset; nunc autem, supposito peccato, est secundùm rationem : sicut uti pharmacis, et cruciatibus afficere homines, est contra primam naturæ constitutionem; non autem est contra rationem, supposito morbo vel peccato. Docet hoc D. Aug. lib. 19 de Civit., cap. 15 : *Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori; conditio quippe servitutis, jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquàm Scripturarum legimus servum, antequàm hoc vocabulo Noë justus peccatum filii vindicaret; nomen itaque istud culpa meruit, non natura*, etc.

## DUBITATIO X.

*Utrùm homo sit dominus vitæ suæ et membrorum.*

57. Resp. et dico primò, hominem non esse dominum, sed solùm custodem vitæ suæ membrorumque, et quasi usuarium : dominium verò horum esse apud solum Deum. Ita passim doctores, D. Thom., q. 64, art. 1; Cajetan. in Summâ, verbo Homicidium; Victoria relect. de homicidio n. 21; Sotus l. 4 de Justitiâ, q. 2, art. 3.

Probatur ex Scripturâ, Deuter. 32, ubi insinuatur divinæ potestatis esse, posse occidere et vitam concedere : *Videte quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me : ego occidam, et ego vivere faciam.* Id est, habeo jus et potestatem occidendi. Sapientiæ 16 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Idem docuerunt non solùm doctores christiani, sed etiam philosophi. Cicero, de Senectute, refert Pythagoram dixisse, *nemini fas esse injussu imperatoris summi Dei, de præsidio et statione vitæ discedere.* Eadem est sententia Aristotelis, l. 5 Eth. c. 10.

Ratio est, primò, quia dominium non est nisi in res eas, quas nostrâ industriâ nobis possumus adscisscere : has enim sicuti possumus acquirere, ita etiam relinquere : atqui vitam nemo suâ industriâ potest acquirere; secundò, quia vita est fundamentum omnis dominii humani : antequàm enim vitam accipiat, nullius dominii est capax, quia non est : ergo par non est ut ipsa sub dominium cadat, sicut fundamentum omnium accidentium non potest esse quid accidentarium; tertiò, quia dominium non est nisi in res distinctas : vita autem et membra non sunt quid distinctum à nobis, sed pars nostri vel substantia.

58. Dico secundò : Neque princeps, neque etiam respublica est dominus vitæ suorum subditorum, vel servorum. Sequitur ex dictis, et confir. primò, Exodi 21 : *Qui percusserit virgâ servum vel ancillam, et in manibus ejus mortui fuerint, criminis reus erit*, nempe homicidii; secundò, proprium veri dominii est, rem pro arbitratu suo posse perimere, etiam voluptatis causâ : atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem respub.; ergo respub. non habet dominium in vitam hominis; tertiò, nemo est dominus suorum membrorum, sed solùm custos et gubernator, ut ostensum est : atqui quisque privatus se habet ad rempub. ut membrum et pars, ex quâ unà cum aliis partibus ipsa veluti unum corpus constat : ergo non habet dominium in privatos.

Nec obstat quòd principes possint interficere malefactores, et exponere subditorum vitam in bello, quia id faciunt non ut illorum domini, sed ut custodes tranquillitatis et boni publici : sicut homo ut custos vitæ suæ resecat membrum putridum, et exponit partem pro salute totius.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm homo sit dominus suæ famæ, et honoris.*

59. Cajet., infra, q. 37, art. 2, negat; cùm enim fama sit bonum medium inter vitam et res externas, potiùs censet eam collocandam cum vitâ, cujus domini non sumus, quàm cum rebus externis, quarum domini sumus. Idem videtur sentire Silvester, ver. Detractio, q. 3.

Sed dicendum est hominem esse verè dominum famæ suæ, sicut rerum externarum. Colligitur ex D. Th., infra, q. 64, art. 5 ad 3, ubi docet, *hominem licitè posse disponere de seipso, quantùm ad ea quæ pertinent ad hanc vitam; sed transitum de hâc vitâ ad aliam non subjacere libero ejus arbitrio;* et clariùs, q. 73, art. 4, ad 1, ubi docet, *in cujusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Idem docet Sotus, l. 4 de Justitiâ, q. 2, art. 3, et Adrian. in 4 quæst. de restitutione, circa finem. Covar. l. 2 variarum, c. 2, n. 8, et alii recentiores.

Probatur primò, quia homo famam et honorem, post vitam divinitùs acceptam, sibi acquirit et auget, sicut res cæteras : ergo est illius dominus ut cæterarum

Secundò, quia nisi esset dominus, non posset ejus restitutionem condonare (nemo enim condonare

potest quod non est suum): atqui certum est posse condonare ejus restitutionem. Nec obstat (quod contra hanc rationem objicit Adrian.) quòd possimus condonare mutilationem membri, cujus tamen non sumus domini : quia si membrum posset restitui sicut fama, non possemus condonare. Quod igitur condonamus, est satisfactio pro illatâ injuriâ, et restitutio pecuniaria pro damno secuto : non autem propriè restitutio membri.

Tertiò, quia in multis casibus possumus nos infamare : primò, ad petendum consilium ; secundò, ad nostri humiliationem ; sicut latro ille apud Climacum Gradu 4, qui publicè gravissima crimina confessus est ; tertiò, ad vitandum peccatum superbiæ vel aliud ; quartò, quando injustè aliquem infamavimus, tenemur restituere ipsi famam, etiam cum nostrâ infamiâ, si opus est ; atqui si non essemus famæ domini, nihil horum liceret : sicut non licet seipsum occidere, mutilare, vulnerare, ob horum finium aliquem.

Contrà objicitur primò : Ecclesiastici 41 : *Curam habe de bono nomine*, etc. ; ergo non licet famam negligere. Resp. : Non licet eam negligere sine justâ ratione : hinc tamen non sequitur hominem non esse ejus dominum ; quia etiam pecuniæ sine justâ causâ profundi non debent.

Objicitur secundò : D. August., lib. de Bono viduitatis cap. 22, dicit *conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse qui famam negligit.*

60. Resp. : Fama nostra tripliciter potest esse proximis necessaria : primò, quando ex nostrâ famâ ita pendet fama proximi, ut ex nostrâ infamiâ illius infamia sequatur ; sicuti ex infamiâ monachi sequitur infamia quædam monasterii ; secundò, quando fama nostra est necessaria ut proximo præstemus officium ei stricto jure debitum, sicut fama personæ publicæ, episcopi, parochi, abbatis, necessaria est ut benè regat subditos, et in his duobus eventis, multorum judicio, contra justitiam peccat, qui se infamat : non quia præcisè seipsum famâ privat, sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium ; tertiò, quando non officio, sed solùm ex charitate proximo prodesse tenemur, et per infamiam ad hoc reddimur inepti ; tunc solùm contra charitatem peccat, qui se infamat, sicut contra charitatem peccat qui pecuniam, quâ pauperibus prodesse poterat, abjicit. Hæc de dominio vitæ et famæ ; cætera dicentur infra cap. 9 de Homicidio, et cap. 11. de Detractione.

## CAPUT V.

### DE MODO ACQUIRENDI DOMINII IN RES QUÆ VEL NULLIUS, VEL COMMUNES SUNT : UBI DE MANCIPIIS, VENATIONE, PISCATIONE, AUCUPIO, THESAURIS.

*( Constat dubitationibus 18. )*

### DUBITATIO PRIMA

*Quomodò facta sit prima rerum divisio seu distinctio dominiorum.*

1. Respondeo : Hæc distinctio facta est partim *occupatione*, partim *sortitione* ; hi enim sunt primi modi acquirendi dominii. Nam posteri Adæ in hunc mundum veluti in amplissimam domum opibus refertam venientes, ut quisque prior aliquid occupâsset, ita quoque dominus illius efficiebatur. Quòd si dubium erat uter prior occupâsset, vel si ante occupationem plures ad idem adspirabant, sorte decidebatur. Similiter post diluvium, filii Noe alii aliam terræ partem, maximè post linguarum confusionem, occupavêre, vel sorte divisêre ; ut patet Gen. 10 et 11. Deinde crescente genere humano, illæ partes multipliciter rursùs, et propè in infinitum sectæ, divisæ et distractæ sunt.

### DUBITATIO II.

*Utrùm hæc divisio dominiorum licita fuerit, et commoda humano generi.*

*( D. Thom. q. 66, art. 1, 2.*

2. Resp. : Post peccatum hæc dominiorum divisio non solùm fuit licita, sed etiam salutaris generi humano.

Quòd licita fuerit certò tenendum. Nam ex multis Scripturæ locis constat, licitè aliquid tanquàm proprium possideri : et contrarium est hæresis quorumdam, qui vocati sunt Apostolici, ut refert D. Aug. hæresi 40, et Epiphanius hæresi 61, *qui asserebant hominem non posse salvari, nisi viveret instar Apostolorum, nudus ab omni divitiarum proprietate.* Idem docuit Pelagius, ut colligitur ex Augustino, epistolâ 106, quæ est ad Paulinum.

3. Quòd etiam *commoda generi humano*, probatur primò : Si possessiones mansissent communes, relictæ fuissent incultæ, tum quia homines facilè negligunt communia, tanquàm parum ad se pertinentia, maximè autem curant propria, juxta illud Aristotelis : *Amabile bonum, cuique autem proprium ;* tum quia quisque fugit labores, præsertim abjectos et graves ( quales sunt in agricultură et rebus mechanicis ), sectaturque otium et dignitatem ; quamobrem quisque alteri talium rerum curam et procurationem reliquisset.

Secundò, si mansissent communes, mundus arderet perpetuis contentionibus et bellis, quia plerumque plures concurrerent ad eamdem rem occupandam, qui se mutuò conerentur impedire : et potentiores plerùmque omnia raperent ; nec meum et tuum ( quæ dicuntur esse potissima causa dissensionum ), tum minùs fuissent quàm modò : quisque enim conatu fuisset rem communem, dum eâ utendum esset, facere suam ; sicque assiduò rixæ et pugnæ inter homines exstitissent ; his incommodis per divisionem utcumque occursum est : multò enim pauciores et rariores sunt nunc occasiones, quàm tunc fuissent, ( unde Gen. 13, cùm essent jurgia coorta inter familiam Abrahæ et Lot communiter pascentes, divisione regionis conciliati sunt ) : quamvis ob hominum pravitatem non omnia incommoda vitari potuerint. Denique idipsum Aristoteles lumine naturæ ductus docuit, lib. 2 Polit., cap. 2 et 3.

Objicitur primò : *Jure naturæ omnia sunt communia*, ut habetur cap. Jus naturale, d. 1, ergo etiam post peccatum omnia debent esse communia.

Respondent quidam, in statu innocentiæ *omnia* jure naturæ debuisse esse communia, sed hoc jus post lapsum esse revocatum, et ideò potuisse fieri divisionem, Colligitur ex Scoto in 4, d. 15, q. 2, art. 1, conclus. 1 et 2. Sed contra primò, quia etsi communitas rerum valdè fuerit consona statui innocentiæ, nullo tamen præcepto divino vel naturali vetabantur inducere divisionem : quia Deus res istas inferiores hominum dispositioni subjecit, et ex hâc divisione nihil incommodi secutum fuisset; nam singulis relictum fuisset quod abundè sufficeret, et quivis cum altero libentissimè ex rebus suis communicâsset. Secundò, non rectè dicitur jus naturæ abrogatum : tum quia est immutabile et perpetuum, utpote immutabilem rectitudinem continens, tum quia jus non dicitur revocari ex eo quòd cesset ejus obligatio in aliquo ratione alicujus circumstantiæ mutatæ (alioquin jus naturale, quo teneor opitulari in extremâ necessitate constituto, revocaretur eo ipso quo cessat illa necessitas, quod est absurdum ; semper enim manet illud jus et illud dictamen, etiamsi defectu materiæ hìc et nunc non me obliget actu), sed quia cessat voluntate legislatoris, qui manentibus iisdem circumstantiis materiæ, potest illud tollere. Hoc enim interest inter jus naturale et positivum, quòd jus naturale semper vim habeat, manentibus iisdem circumstantiis materiæ; jus positivum possit tolli, etiamsi nulla mutatio fiat circa materiam.

4. Respondeo igitur non fuisse aliquod præceptum naturale jubens rerum communitatem et vetans divisionem : sed omnia dicuntur *jure naturæ communia*, partim negativè, quia *jus naturæ* divisionem non fecit, aut præcepit : partim positivè, quia omnibus potestatem fecit utendi quâvis re, et dominii capiendi, priusquàm ab aliquo sit occupata, quod jus etiamnùm durat.

5. Objicitur 2° : Cap. Dilectissimis, 12. q. 1, dicit Clemens I : *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, et alius istud, et sic inter mortales facta est divisio.* Respondeo, omissis variis expositionibus, sensum esse per iniquitatem hominum fuisse occasionem datam cur recta ratio dictârit esse faciendam divisionem, cùm ante iniquitatem omnia essent communia. Canon enim iste acceptus est ex epistolâ 5 S. Clementis, quâ hortatur fideles, qui erant Jerosolymis, ad vitam communem, ex eo quòd sit consentanea statui innocentiæ, ubi non erat *meum* et *tuum;* rerum autem divisio orta sit occasione peccati.

6. Objicitur tertiò : Patres dicunt neminem debere dicere : *Hoc est meum, hoc est proprium, eò quòd omnia sint communia;* ita Ambros. in cap. 12, Lucæ, Chrysost. homil. 10, in Epist. 1, ad Cor. in morali, et Orat. in S. Philogonium, etc. Respondeo : Tantùm volunt neminem ita sibi rem aliquam debere vindicare, quin paratus sit eam, quando necesse erit, cum altero communicare; eò quòd in necessitate omnia sint communia, de quo plura suprà, de eleemosynâ. q. 32.

## DUBITATIO III.

*Quo jure facta sit hæc divisio.*

7. Resp. et dico primò non esse factam jure divino. Deus enim neque fecit divisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israelitis spolia Ægyptiorum, et regna Canaitarum; hoc tamen factum est præter usitatum morem. Denique Deus nusquàm in Scripturis revelavit hanc divisionem esse faciendam.

8. Dico secundò : Non est etiam facta propriè jure naturali. Probatur quia jus naturæ neque fecit hanc divisionem, cùm omnia reliquerit communia; neque etiam præcepit eam fieri; neque natura secundùm se ad eam inclinat : non enim illam quærit, nisi in vitâ civili, ubi vivendum cum aliis, et suppositis incommodis ex hominum pravitate provenientibus. Hâc ratione matrimonium dicitur esse juris naturæ; nimirùm quia natura secundùm se, id est, extra vitam politicam, et sepositis externis incommodis cælibatûs, ad illud inclinat : non sic ad rerum divisionem.

9. Dico tertiò : Hæc divisio facta est jure gentium, ut habetur d. 1 cap. *Jus gentium est sedium occupatio*, et de justitiâ et jure. L. *Ex hoc jure dominia distincta*, etc. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi sit aliquod præceptum apud omnes, sed quia commune omnium judicium est, divisionem rerum expedire tum ad pacem, tum ad meliorem rerum administrationem; idque spectatâ mortalium conditione, quæ suî est amans, et alieni negligens quæ cupiditati et ambitioni miserè est subjecta. Itaque hoc *jus gentium* nihil est aliud quàm commune hominum judicium et gentium consensus : vel est concessio et jus ex communi judicio et consensu proveniens. Et quia hæc vitia plerùmque in genere humano regnant apud omnes nationes, ideò expedientissimum fuit apud omnes fieri divisionem; unde sequitur, si in aliquo cœtu, dono supernaturali hæc vitia possint tolli, vel comprimi ut non dominentur, jus gentium ibidem non postulare, aut magis expedientem censere rerum divisionem, sed potiùs earumdem communitatem, qualis erat in statu innocentiæ : præsertim cùm multa alia ex hâc sequantur commoda; temperantia, modestia, tranquillitas animi, vacuitas sollicitudinis rerum temporalium, mentis ad res divinas et ad studium sapientiæ expeditio : hoc modo fideles, Ecclesiæ primordio omnia habuêre communia, maximè Jerosolymis et Alexandriæ. Idem servatur, et quidem perfectiùs, in monasteriis et cœtibus religiosorum, qui cùm ex multitudine sint selecti, et toti rebus divinis mancipati, faciliùs illa vitia quæ divisionem rerum postulant, devitare queunt; quare meritò inter eos, ut omnia sint communia, statuitur.

10. Objicitur primò : Instit. de rerum divisione, § Feræ, dicitur : *Id quod antè nullius est, naturali ra-*

*tione conceditur occupanti*; ergo divisio est facta jure naturali. Respondeo, 1° *jus gentium* interdùm vocari *jus naturale*, ut dicitur § præcedenti, eodem tit. 2° Aliud est res esse dividendas, aliud rem fieri occupantis, quòd enim res, quæ nullius est (præsertim fera vel gemma, cujus possessio alteri non adfert incommodum) fiat occupantis, est juris naturæ; nam etiam in statu innocentiæ locum habuisset; quòd verò facienda sit rerum divisio, est juris gentium.

11. Objicitur secundò : Furtum est contra jus naturæ : ergo dominium rei competit alteri jure naturæ. Resp. negando consequentiam, quia jus naturale dictat nihil alteri invito auferendum, quocumque jure illi id competat; sicut etiam jubet superiori obediendum, etiamsi illa potestas ei nisi jure humano non competat.

Objicitur tertiò : Id est juris naturæ, quod ratio naturalis dictat omninò necessarium ad pacem generis humani : sed divisio rerum est hujusmodi : ergo est juris naturæ. Resp. 1° Concedi posse illam hâc ratione esse juris naturæ, quamvis alio modo negetur esse juris naturæ. 2° Naturalis ratio non dictat id esse omninò necessarium : posset enim in singulis communitatibus institui politia, secundùm quam penè omnia manerent communia : ut fit apud Anabaptistas in Moraviâ, excipe tamen uxores, quas illi fœdè nimis contra omnia jura communes faciunt.

Objicitur quartò : *Quòd hæc villa sit mea, et illa tua, est ex jure imperatorum*, ut inquit Augustinus, tractatu 6 in Joannem; ergo non jure gentium. Respondeo : Divisio rerum in genere est juris gentium, non autem hujus vel illius rei variis personis particularibus facta attributio. Hæc enim provenit, vel ex primâ occupatione, vel ex variis contractibus, aliisve modis jure civili approbatis.

## DUBITATIO IV.

### *Quibus modis acquiratur dominium in homines, seu mancipia.*

12. Resp. : Quatuor modis seu titulis : *Jure belli, nativitate, justâ condemnatione, et emptione;* ut rectè docet Silvester, verbo Servitus, q. 3.

Primus titulus est *jus belli*. 1° In bellis servari consuetum, et communi gentium consuetudine receptum; quo non quidem præcipitur, sed datur potestas ei qui aliquem in bello justo capit, ut vindicet illum sibi in servum, ut patet L. Hostes, π, de captivis; cujus juris institutio profecta est ex naturali quâdam commiseratione, ne capti occiderentur, (cùm tamen meritò possent occidi) sed servarentur, morte in servitutem commutatâ, unde et *servi* dicti sunt. Instit. de Jure personarum. Extenditur hoc jus etiam ad parvulos hostium et innocentes; qui etsi non peccârint, tamen servituti possunt addici tanquàm hostilis reipub. membra, quæ uti commodis, ita et incommodis sui corporis participant, in bonis præsertim externis; unde cùm in his etiam censeatur libertas, hâc spoliari possunt. Accedit quòd hâc ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in suis puniantur, sed de his plura 2-2, q. 40. Apud Christianos tamen consuetudine introductum ut Christiani capti à Christianis non fiant servi, idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti; si tamen bellum injustum gerant contra infideles et capiantur, fiunt eorum servi jure gentium. Vide Covar. in reg. Peccatum, 2 p. § 11, num. 6.

Adverte tamen eum qui in bello ex parte suâ justo capitur, non contrahere veram servitutem; quòd si utrinque justitia belli sit ambigua ob probabile jus utriusque partis, capti utrinque fiunt servi; ut rectè Covar. ex lege supradictâ; ubi tamen constare cœperit utri parti faveat justitia, tunc ea pars quæ injustè cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere.

13. Secundus titulus est *nativitas*, ratione cujus efficitur servus, qui ex ancillâ natus est : *nam partus sequitur ventrem*, L. Partum. Cod. de rei vindicatione : idque meritò, quia mater est certior, et plus confert materiæ corpulentæ quàm pater : servitus autem secundùm corpus convenit.

Notandum tamen, si mater fuit libera quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum et partum (etsi vel ad momentum) proles jure Cæsareo non contrahit servitutem, ut expressè habemus Institut. de Ingenuis, § Sed et si quis. Ratio est, quia hoc ipso momento quo mater efficitur libera, etiam proles libertati est restituta; unde calamitas matri superveniens, non debet nocere proli libertatem assecutæ, præsertim cùm causa libertatis sit maximè favorabilis.

Ubi tamen nulla est lex vel consuetudo disponens de servitute prolis, sufficit ut mater in partu sit ancilla, quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Ita servari dicitur apud plerasque gentes, quæ jure communi Cæsareo non utuntur.

14. Tertius titulus est *justa condemnatio*, quâ quis fit servus, si ad hoc propter crimen à legitimo judice condemnetur. Sicut enim potest quis morte damnari, ita etiam servitute, quæ mors est civilis. Sic qui deferunt arma vel alia prohibita ad Turcas vel Saracenos, fiunt servi Christianorum eos capientium, c. Ita quorumdam, 6, tit. de Judæis et Saracenis. Raptor puellæ in servitutem deditur, 36, q. 1, cap. de Raptoribus. Femina quæ sciens contraxerit matrimonium cum eo qui sacro ordine initiatus est, potest à principe in servitutem rapi, cap. Eos qui, d. 32. Filii autem ex tali conjugio suscepti, efficiuntur servi Ecclesiæ, cui parens inscriptus erat, 15, q. 8, c. Cùm multæ. Quæ omnia intellige post sententiam judicis; ante enim illam pœna servitutis legibus statuta non incurritur. Vide Silv. supra, q. 3.

15. Quartus titulus est *emptionis* et *venditionis*; loquor de illâ emptione, quâ quis primò fit servus ex libero, ut quando quis vel seipsum vendit, vel à parentibus venditur.

Quòd autem homo liber possit seipsum vendere, probatur : quia est dominus suæ libertatis, sicut famæ et pecuniæ : ergo eam potest liberè abdicare; quod

confirmatur exemplo tum S. Paulini, qui se vendi in servum voluit, ut filium viduæ redimeret : tum eorum, qui religionem ingrediuntur, qui non solùm bona externa, sed etiam libertatem suam abdicant propter Christum, quamvis hi non efficiantur servi, eò quòd hoc non faciant in commodum prælati temporale, sed suum spiritale. Idem apertè colligitur Exodi 21 et Deut. 15, ubi conceditur Hebræo, ut se sponte possit alteri in perpetuum servum tradere.

Unde patet, jure naturæ hominem liberum posse suam libertatem vendere vel donare ; ut tamen id fiat sine peccato, debet adesse justa aliqua causa : alioquin esset profusio libertatis, quæ bonis fortunæ et famæ est præstantior.

16. Adverte tamen, jure communi, in favorem libertatis requiri 6 conditiones ut hæc venditio sit rata : 1° ut is qui se patitur vendi, sit major viginti annis ; 2° ut intendat esse particeps pretii ; 3° ut reipsà sit particeps ; 4° ut emptor credat ipsum esse servum : unde non permittit jus ut quis seipsum per se vendat, sed ut id per alium fiat ; 5° ut sciat se esse liberum ante venditionem ; 6° ut venditor sciat ipsum esse liberum. His omnibus conditionibus simul concurrentibus, venditio est valida : si vel una desit, jure communi est irrita. Vide Silv. verbo Servitus q. 3 ; ubi tamen jure Cæsareo non utuntur, potest quis seipsum liberè vendere, nullâ habitâ ratione istarum conditionum.

17. Quòd verò etiam parentes possint jure naturæ vendere proles non emancipatas, colligitur Exod. 21, v. 7. Ratio est, quia proles est veluti pars et fructus parentis, trahens ab ipso esse et vitam ; unde parens jus habet ex illâ percipiendi ea emolumenta quæ ipsa de se, si sui juris esset, percipere posset ; atqui ipsa si esset sui juris, posset se vendere : ergo, etc.

Jus tamen civile requirit certas conditiones, ut patet l. 2, c. de Patribus qui filios distraxerunt. Primò, ut id fiat *per nimiam paupertatem et victûs causâ ;* ut illa lex ait ; quòd si ob aliam causam pretio filii egeat, v. g., ad se redimendum à morte vel servitute, vel perpetuâ captivitate, non poterit filium vendere, nec obsidem dare, ut docet Covar., l. 3 Variar., c. 14, n. 4, ex Accursio, Dyno, et Alciato ; quia lex illa 2 id tantùm concedit *victûs causâ*. Si tamen nudum jus naturæ spectemus, poterit ob quamvis gravem necessitatem. Secundò, ut soli patri hoc liceat ; tamen jure naturæ etiam licitum matri. Tertiò, ut solùm possit vendere filium nondùm emancipatum ; qui enim sui juris est effectus, non subest ampliùs patriæ potestati. Quartò, ut filius ita venditus possit recuperare libertatem, soluto pretio, vel oblato alio mancipio, perinde ac si nunquàm fuisset servus ; ita habetur l. 2, supra. Vide Covar., loco citato.

## DUBITATIO V.

*Utrùm servi ita transeant in dominorum potestatem ut non possint fugere.*

18. Respondeo, et dico primò : Certum est posse fugere si non sint justè in servitutem tracti ; nec solùm fugere, sed etiam vi repellere impedientes, et surripere à suis dominis quantùm satis ad compensationem injuriæ, et operæ præstitæ ; imò quantùm possunt, si adhuc duret bellum quod ex parte capientium sit injustum, quia tunc possunt hoc modo nocere hosti, ex tacito principis justum bellum gerentis consensu, ut rectè notat Molina. Sic Christiani à Turcis capti possunt eos spoliare et fugam capessere.

19. Dico secundò : Si à domino incitentur ad aliquod peccatum, qui rogatus nolit desistere ; vel si inhumaniter tractentur, fugere possunt. Prior pars constat, quia non tenentur cum periculo animæ suæ (ob quod etiam maximè conjuncti deserendi, juxta illud, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te*) domino suo servire.

Altera probatur, quia inhumaniter tractando (ut si fame, siti, frigore, verberibus sine causâ affligat) facit eis injuriam, à quâ se possunt eripere per fugam, cùm alia ratio non suppetit. Cessantibus tamen his causis tenentur reverti, si in posterum non est periculum, sicut conjux, quæ ob similem causam toro maritali se subduxit ; nisi fortè injuria tanta fuerit, ut meritò libertate sit compensanda.

20. Dico tertiò : Si dominus sit Judæus aut paganus, jurisdictioni principis Christiani subjectus, vel si sit hæreticus, servus Christianus hoc ipso fit liber, ac proinde potest dominum deserere.

Probatur L. Deo nobis, 56, c. de Episcopis et Clericis, ubi Justinianus ait : *His ita dispositis, repetitâ lege jubemus, ut nullus Judæus vel paganus vel hæreticus servos Christianos habeat ; quòd si inventi in tali reatu fuerint, sancimus servos omnibus modis liberos esse, secundùm antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex c. ult. de Hæreticis, et c. 2, et ult. de Judæis et Saracenis.

Adde, servos infideles istorum posse etiam fugere ad Ecclesiam ut fiant Christiani, et factos Christianos statim esse liberos ; ut habetur dicta L. Deo nobis, supra.

21. Dico quartò : Qui à se vel à parentibus legitimè sunt venditi, fugere non possunt. Ratio est, quia cùm sint facti servi per legitimum contractum, in quem ipsi vel parentes eorum loco justè consenserunt, tenentur contractu stare, nec possunt illum violare absque injustitiâ, sicut nec alias venditiones.

22. Dico quintò : Qui in pœnam criminum justè ad servitutem sunt condemnati, non videntur posse fugere ; est communis ferè DD. sententia. Ratio est, quia reus tenetur exequi justam sententiam, si pœna talis sit ut non possit nisi per reum executioni mandari ; atqui servitus est talis pœna ; ergo. Sed de hoc plura infra. Nam si servitus illa sit valdè calamitosa, probabile est fugere posse oblatâ commodâ occasione, contrarium enim est nimis durum et superans humanam conditionem, præsertim talium hominum.

Dico sextò : Proles eamdem conditionem subit quàm mater. Unde si mater se vendidit, vel à parentibus justè vendita est, vel ob crimen servituti addicta, proles non potest fugere.

25. Hinc sequitur, eum qui hujusmodi servis consilium vel auxilium ad fugam præbet, peccare, et ad restitutionem teneri totius damni inde secuti; ut si fugit et abstulit simul 100 aureos, is qui fugam suasit, tenetur domino restituere non solùm pretium servi, sed etiam damni, quod fugiens intulit; quia totius damni causa censetur, ut rectè notavit Navar., c. 17, n. 103.

24. Dico septimò : Servi bello capti licitè possunt fugere ad suos; non possunt tamen dominis persequentibus vi resistere. Est contra Navar., c. 17, n. 103, et multos alios; sed ita sentiunt D. Soto, lib. 4, de Justitiâ, q. 2, art. 2, Bannes, 2-2, q. 10, a. 1, dub. 13; Covar., ad regulam Peccatum, 2 p., § 11, n. 6, et l. 1 Variar., c. 2, n. 10, et aliqui alii.

Probatur prior pars § Item ea. Instit. de rerum divisione, ubi de servis bello captis sic dicitur : *Qui tamen si evaserint nostram potestatem, et ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Idem insinuatur L. Nihil 26, π de captivis et postliminio reversis. *Nihil interest*, inquit, *quomodò captivus reversus sit, utrùm dimissus, an vi vel fallaciâ potestatem hostium evaserit; ita tamen, si eâ mente venerit ut non illò reverteretur.*

Probatur secundò ratione : primò, quia cùm hæc servitus communi consensu gentium sit introducta, non debet ejus conditio magis onerari quàm consuetudine totius orbis sit receptum; atqui consuetudo habet ut tales servi sine conscientiæ scrupulo possint ad suos fugere, neque hoc censetur illicitum, nisi fortè dedissent fidem de non fugiendo, et eà lege vita eis esset condonata; tunc enim tenentur stare promissis; secundò, quia hæc servitus cæteris est nobilior, minùsque probrosa; unde etiam in viros nobiles cadere potest; ergo non est cogenda in eas angustias, in quas aliæ servitutes; tertiò, si non possent fugere, beneficium illud legum, quo conceditur libertas in termino, esset inutile; quia non possent illud consequi nisi per peccatum; unde esset illecebra ad peccandum.

Dixi, *posse fugere ad suos*, quia non licet eis fugere ad evagandum extra potestatem dominorum, sed solùm animo contendendi ad suos. Hæc enim sola fuga jure et consuetudine servis concessa est, ut per eam possint libertatem in termino recuperare : nempe cùm ad suos, vel ad amicam civitatem, ubi publico nomine tuti sint, pervenerint, ut habetur L. Postliminio. 17, π de captivis; quòd si in viâ intercipiantur, possunt reduci; quia antequàm perveniant ad suos, non recuperant libertatem. Postquàm autem pervenerint, ita sunt liberi, ut etiamsi redeant causâ mercaturæ, vel simili, non possint à priore domino retrahi in servitutem. Si autem fugiant non animo redeundi ad suos, peccant, et tenentur redire, ut rectè Covar., supra, quia privant dominum usu suî, dùm adhuc continentur sub ejusdem dominio; nec sunt in viâ subtrahendi se ab eo per fugam jure permissam.

25. Altera pars, *quòd dominis persequentibus vi resistere non possint*, probatur; nam domini habent jus illos intercipiendi et detinendi quamdiù ad suos non pervenerint; alioqui inutilis esset servitus; quare cùm non possit esse bellum utrinque justum, non possunt se vi tueri. Simile est in reo, qui etsi fugere possit, non tamen ministris justitiæ persequentibus resistere.

Ex his sequitur primò, licitum esse cooperari hujusmodi servo ad fugam, modò scandalum et aliæ indebitæ circumstantiæ absint; secundò, idem esse judicium de prole, quia non est deterioris conditionis suo parente; tertiò, idem jus permanere, etiamsi decies quis vendatur; nam jure belli servus censetur, cujus primæva servitus sic est constituta, etiamsi decies venierit.

26. Objicitur primò à Navar., cap. Si quis servum 17, q. 4, ubi concilium Gangrense sub anathemate prohibet *ne quis alieno servo suadeat ministerium domini sui destituere.* Idem prohibetur cap. sequenti, quod est concilii Romani sub Martino I, et confirmatur L. 1, c. de Servis fugitivis, ubi dicitur *fugitivus servus furtum suî facere domino.* Et L. 3, si in fugâ deprehendatur, gravis ei pœna decernitur, nempe pedis amputatio, vel damnatio ad metalla.

Resp. illis canonibus solùm prohiberi, ne quis prætextu religionis seu libertatis Christianæ doceat servum contemnere dominum suum, et deserere ejus ministerium; unde nihil ad nostrum propositum. Ad confirmationem, lex prima loquitur de eo qui fugit ad alium dominum; lex autem tertia loquitur indistinctè de servis, qui fugiunt ad barbaros, hostes Romani imperii; unde excipi debent illi qui fugiunt ad suum populum, ut colligitur ex aliis juribus allatis.

Objicitur secundò : Qui damnatus est exilio ad certum locum, non potest ex eo loco fugere : ergo cùm servus jure gentium damnatus sit servitute, non potest fugere.

Resp. negando conseq., quia hi servi non damnantur ut malefactores in judicio, sed nobiliori quodam modo, et minùs ignominiosâ servitute, cui ex more gentium hoc privilegium est relictum.

27. Objicitur 3° : Servi à dominis solent graviter puniri, si contingat eos fugere, et à fugâ retrahi; ergo non licet eis fugere, quia alioqui injustè punirentur. Resp. primò, fortè illos dominos sequi alteram sententiam, quæ censet fugam esse illicitam, quæ etiam est probabilis, etsi nostra sit probabilior. Secundò, probabile est, etiamsi dominus putet fugam licitam, nihilominùs servum posse castigari; non quòd peccaverit, sed quia privilegium fugiendi videtur illi cum hoc onere concessum in gratiam domini; sicuti custodiâ publicâ inclusi licitè fugiunt, ut infrà dicetur; et tamen deprehensi puniuntur, L. 1, π de effractor. et alibi; quod magis locum habere potest in servis, quia cùm caperentur in bello, poterant justè occidi : sed mors illis ita commutatur in servitutem, ut si fugiant, nolentes in eâ persistere, prior pœna ex parte possit revocari, irrogato gravi supplicio.

## DUBITATIO VI.

*Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione, aucupio.*

28. Notandum est, animalium quædam naturali in-

dole esse mansueta, ut sunt oves, boves, equi, sues, gallinæ domesticæ, anates domesticæ, et similes : alia esse fera seu silvestria : et horum alia usu sunt mansuefacta, ut cuniculi, cervi, quos domi nutrimus, pavones, columbæ domesticæ : alia retinent indolem silvestrem.

Nunc resp. et dico primò : Animalia naturâ mansueta et domestica, etiamsi dominorum potestatem longiùs evaserint, non licet capere; patet § Gallinarum, Instit. de rerum divisione, ubi dicitur *furtum committere qui hæc animalia cùm effugerint, detinet.* Ratio est, quia hæc, licet fugerint, non tamen ideò recuperant libertatem, cùm naturali suâ indole sint domestica, unde adhuc manent in dominio prioris domini; quare ubicumque hæc inventa fuerint oberrantia, dominis sunt restituenda. Imò etiamsi capta à lupo vel à vulpe fuerint, qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit.

Dico secundò : Animalia fera seu silvestria usu mansuefacta, quæ consuetudinem habent ex liberâ vagatione redeundi in potestatem domini, non licet occupare. Instit. Supra, § Pavonum. Unde qui in suo columbario appositis illecebris, aliorum columbas eò traducit, tenetur ad restitutionem : secùs si id sine fraude accidat, v.g., quia meliùs eas alit, vel commodiorem stationem aptavit; consuetudo tamen est consideranda : nam quibusdam locis dicitur esse moris ut omni arte alienas columbas liceat accersere.

29. Dubitant doctores, an columbaria sint licita; sed dicendum est, ordinariè licita esse, nisi lege aliquâ sint prohibita. Ita Navar., c. 17, n. 126; Cajet. verbo Columbarium; Silv., v. Restitutio 3, q. 4; Sotus, lib. 4, q. 6, a. 4; Molina, disp. 48. Primò, quia passim est consuetudo. Secundò, quia non sentitur ordinariè damnum notabile : non enim minùs vescuntur seminibus pravis, quæ sata suffocant et strangulant, ut lolio, melanthio, orobanche, quàm bonis : unde Astensis dicit quosdam tenere tantùm prodesse quantùm nocent. Tertiò, quia potissimùm vescuntur granis prolapsis è spicâ, nec scalpendo detegunt semina terræ mandata, ut ferunt harum rerum curiosi. Quartò, nisi haberentur columbaria, esset major numerus silvestrium, quia pauciores caperentur, et ita magis nocerent satis. Denique quia cedunt in cibum reipub. Curare tamen debent qui eas fovent, ut pabulum in columbariis non desit, sic enim minùs nocere possunt.

30. Dico tertiò : Si hæc animalia amittant consuetudinem redeundi, licet occupare, et fiunt occupantis, ut habemus expressè Instit. loco citato.

Ratio est, quia tunc censentur se recepisse in naturalem libertatem, et non ampliùs esse in potestate prioris domini; unde columbæ tuæ si se aggregârint columbis alterius columbarii, et consuetudinem redeundi deseruerint, fiunt alterius. Dicuntur autem consuetudinem redeundi deseruisse, si bis terve tempore consueto non redeant, ut docet Navar., c. 17, n. 128, et Silv., verbo Inventum, q. 2; quod de columbis est verum; non tamen de cervis et aliis, quæ interdùm vagantur juxta domum, et spontè non redeunt, tamen facilè patiuntur se reduci. Itaque prudentis arbitrio definiendum est quando censeantur consuetudinem redeundi deseruisse.

31. Dico quartò : Animalia omninò fera et silvestria, si potestatem domini evaserunt, et in libertatem naturalem se vindicaverint, ubicumque reperta fuerint, licet prosequi et capere, et fiunt occupantis. Ratio est eadem quæ supra, quia jam nullius sunt.

Ubi adverte, eum qui ceperit aliquod animal ferum seu silvestre, ut cervum, leporem, perdicem, columbam, tamdiù censeri dominum, quamdiù illud suâ custodiâ coercet; quòd si ejus custodiâ evaserit, rursùs fiet primò occupantis : ut si cervus ex silvâ vel prato concluso evaserit. Dicuntur autem recuperâsse naturalem libertatem, quando ita evaserunt, ut difficilè possint comprehendi; tunc enim sunt extra domini potestatem; quòd si facilè, non censentur esse extra dominium.

32. Unde patet, examen apum, cùm silvestris sit naturæ, si ita evolet ut sit difficilis ejus persecutio, posse à quolibet capi, etiamsi ex arbore tuâ dependeat. Sicut enim avis non ideò fit tua, quia in tuâ arbore nidificat, ita nec examen apum, quia ex tuâ arbore pendet, tuum est; potes tamen alium re adhuc integrâ prohibere ne fundum tuum ingrediatur, vel arborem conscendat, ut illum prævenias, quòd si in tuum alveare involet, tuum efficitur. Hæc omnia expressè habentur Instit. de rerum divisione, et fusiùs in Pandectis L. 3, 4, 5, π de acquirendo rerum dominio; et L. 3, § Item feras, π de acquirendâ possessione. Vide etiam Navar., c. 17, n. 128.

Advertendum tamen, in his omnibus habendam esse rationem consuetudinis locorum et provinciarum.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm principes possint justè prohibere venationem, piscationem et aucupium in locis publici juris.*

33. Covar., ad regulam Peccatum, p. 2, § 8, refert multos doctores qui tenent principes non posse id prohibere, eò quòd jure naturæ vel gentium licitum sit animalia libera capere; quod jus princeps tollere non potest. Ita Hostiensis, Joannes Andreas, Decius, Tiraquellus, Rebuffus, et plures alii, et Jason dicit hanc sententiam esse communem. Sed Covar. tenet contrarium, adductis pro se multis Jurisperitis, et conciliatis illis qui aliter sentire videbantur. Idem ex theologis tenent Cajet., tom. 1 Opuscul., tract. 17, cap. 12, et Joannes Medina, cod. de Restit., q. 12; Sotus, lib. 4 de Justitiâ, q. 6, a. 4, et alii passim. Pro quâ sententiâ,

34. Dico primò : Principes possunt prohibere hanc venationem seu captionem animalium in locis publici juris, ex consensu populi, sive gratis, sive per aliquem contractum præstito. Ratio est, quia populus potest cedere jure suo.

Dico secundò : Possunt etiam eam prohibere, si judicetur id necessarium ad reipub. onera sustinenda; nempe ut inde confletur maxima vis pecuniæ, officio et administrationi principis necessaria. Quo titulo

quidam principes reservant sibi jus piscandi certa genera piscium, ut apud Hispanos reservant sibi jus piscandi thynnos, ut inquit Covar. n. 10.

Sed difficultas est, utrùm ad solam recreationem possint sibi absque populi consensu tale jus reservare.

35. Resp. et dico tertiò : Principes etiam ad solam recreationem possunt absque consensu populi jus venandi in quibusdam locis sibi reservare. Ita Covar., Sotus, et Medina supra.

Ratio est, quia princeps cùm laboret pro repub., potest etiam aliqua loca communia suæ recreationi reservare; præsertim cùm id etiam pertineat ad principis dignitatem.

Dico, *in quibusdam;* quia non potest populum ab omnibus locis publicis excludere, et sibi totam venationem reservare, nisi fortè eam ob causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter compenset. Ratio est, quia est nimis inhumanum et tyrannidem sapiens (ut rectè docet Medina) tantummodò sui commodi et oblectationis gratiâ, universum populum omni recreatione et utilitate venationis, quæ jure naturali et gentium eis est concessa, privare.

36. Notandum primò, posse principem personis de repub. benè meritis jus venandi vel piscandi in loco communi attribuere, cæteris exclusis; modò tamen id absque notabili communitatis incommodo fiat. Sic videmus quibusdam monasteriis et nobilibus varia privilegia in hoc genere concessa.

Notandum secundò, etiam consuetudine legitimè præscriptà posse hujusmodi jus acquiri, tum principi, tum aliis, ut docent Cajet., Medina, et Covar. supra. Ratio est, quia consuetudo habet vim legis et privilegii : et sicut alia jura præscriptione acquiri possunt, ita et istud. Videndum tamen ne hujusmodi consuetudo malo titulo vel tyrannicè sit usurpata, ut monet Covar., num. 10.

37. Notandum tertiò, principes qui sibi tale jus reservant, obligari ad cavenda damna quæ feræ multiplicatæ possent agris vicinorum inferre; et si quæ inferant, teneri ipsos ad restitutionem; ita Covar., supra, n. 10, ex Cajet. Estque communis DD. sententia. Ratio est, quia reservatione istius juris, et lege illâ quâ vetat venationem et ferarum peremptionem, dat causam damni quod per feras infertur; qui autem dat causam damni, ipsum quoque damnum dedisse videtur, ac proinde tenetur sarcire. Neque satis est si dicant se velle sarcire damna quæ inferentur, sed etiam debent cavere quantùm opus est ne inferantur; ut rectè notat Navar., c. 17, n. 125; aliud enim peccatum est inferre damnum, aliud nolle compensare illatum. Quamvis si verè paratus esset totum damnum absque morâ compensare, et diligenter de eo subinde inquireret, non putarem peccare mortiferè, quia non inferret notabilem injuriam. Verùm hoc in praxi rarum est. Excipiuntur tamen duo casus, quibus princeps ad neutrum tenetur : Primus, si consensu reipub. et eorum qui possident agros vicinos, hoc jus haberet : quivis enim potest cedere jure suo. Quo tamen casu dissimulare deberet cum eo qui feram segetes vastantem in agro suo perimeret. Utitur enim ille jure naturalis defensionis, quo populus ille se privare voluisse non censetur. Secundus, si in terrâ hostili à se occupatâ tale jus in aliquo saltu instituat, antequàm agri vicini dividantur; tunc enim agri illi transeunt cum hoc onere seu servitute ad suos possessores.

38. Notandum quartò, eum, qui injustè prohibet alium à venatione, piscatione, aucupio, teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod ille deductis expensis et laboribus facturus erat, ut rectè notat Covar., n. 11 et 12.; Navar., c. 17, n. 120; non tamen ad restitutionem animalium, quæ capta non sunt : quia illa nondùm fuerunt in potestate ejus qui prohibitus est. Unde etiam secundùm quosdam non tenetur Ecclesiæ compensare decimas, quas venatores de rebus captis in quibusdam locis solvere solent (etsi Covar. contra sentiat), quia decimæ, nisi de rebus jam perceptis, non debentur. Idem judicium esto de eo, qui impedimento fuit agricolæ in agriculturâ. Sed de his infrà, cap. 39, dubit. 3.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm quis possit venari in prædio vel saltu alieno.*

39. Resp. absolutè posse, modò illa loca non sint ita conclusa, ut feræ non possint egredi; cavendum tamen ne quid damni inferatur. Quisque tamen potest jus venandi in suis prædiis sibi reservare, et aliis prohibere ne ibi venentur; ut habemus § Feræ, Instit. de rerum divisione. Hæc tamen prohibitio erit irrationabilis, ac proinde parum curanda, si ipse dominus nolit ibi venari, et feræ multiplicatæ damna inferant; imò talis dominus tenebitur tunc ad restitutionem damnorum, quia censetur illorum causa per suam prohibitionem, ut notat Covar., n. 11. Et consentiunt omnes DD., ut supra diximus.

40. Simili modo cavendum venatoribus, ne ipso actu venandi in locis alienis, vel transitu per illa, damnum inferant proterendo sata, sternendo segetes, excutiendo grana, lædendo vineas, dissipando sepes, et similia; alioquin tenentur ad restitutionem. Ita docent omnes DD. qui hanc rem attingunt. Silvester, v. Venatio, *utrùm*, inquit, *venatores concultantes agros, vineas et segetes, et quorum canes occidunt gallinas, et animalia pauperum, et aliorum, teneantur restituere : dicit Astensis quòd sic, ad æstimationem : aliàs peccant mortaliter, nisi damnum sit ita modicum, quòd probabiliter creduntur non curare.* Idem iisdem verbis affirmat Angelus, eodem verbo. Cajetanus, in Summâ, eodem verbo dicit, *actum venandi esse peccatum, si damnum agris aut vineis inferatur, idque pro magnitudine damni.* Barthol. Fumus eodem, n. 1, dicit, *actum venandi esse peccatum si fiat cum damno proximi in personâ vel rebus; ut quia venator exponit se periculo occidendi vel vulnerandi proximum ex defectu circumspectionis, vel destruit segetes, semina, vineas, vel hujusmodi, et tunc judica mortale vel veniale secundùm qualitatem actûs vel periculi cui se exponit; et ultra peccatum tenetur de damno per eum illato, vel ejus occisione.* Navar-

rus, in Enchiridio, cap. 17, n. 125 : *Peccat qui ad venandum profectus permittit ut canes sui noceant alienis avibus domesticis, gallinis, anatibus, anseribus, et id genus aliis; aut ut sui equi aut famuli notabile damnum inferant prædiis, aut satis per quæ transeunt, aut eorum fructibus; et non vult restituere. Hostiensis in Summâ de pœnit. et remiss.* Omitto alios, quia idem omnes, nemine discrepante, docent.

Ratio est perspicua : quia vel venatio instituitur ad oblectationem, vel ad proprium commodum, vel ad bonum commune, v. g., ne feræ multiplicatæ noceant agris, pecoribus, hominibus. Si ad oblectationem vel proprium commodum, manifestum est id non posse fieri cum dispendio aliorum. Nec refert etiamsi fortè sit persona publica vel gubernator patriæ, quia in iis quæ ipse agit in commodum proprium comparatur ad subditos, ut privatus ad privatum; unde non minùs tenetur de damno quàm si esset privatus. Si verò ad bonum publicum instructa sit, nulla æquitas patitur, ut damnum quod occasione boni publici contractum est, à paucis hominibus privatis sustineatur, sed justâ proportione distribuendum in omnes; alioquin peccatur contra justitiam distributivam, quæ sicuti præscribit bona communia certâ proportione distribui in singulos, ita etiam onera et damna, quæ causâ communis boni imponuntur, vel inferuntur. Sicut enim bonum quod intenditur commune est, ita etiam damnum commune esse debet. Itaque deberet hujusmodi ex causâ damnum passis fieri compensatio ex bono communi, v. g., remissione tributorum vel exactionum, vel immunitate à milite, vel simili modo. Pari ratione cùm causâ boni publici solùm alicujus occupatur, ut convertatur in viam publicam, vel ut in eo fiat propugnaculum, vel cùm dejiciuntur ædificia privatorum, facienda est compensatio ex publico. Cùm autem damnum illatum est causâ proprii commodi, ex propriis compensatio facienda, ut per se notum est.

41. Adverte tamen, si damnum est modicum, et dominus loci tantùm ferè commodi adferat agricolis occidendo feras, quantùm damni ipso actu venandi, vel si rebus illorum consulat, suâ auctoritate avertendo milites, eosque ab aliis incommodis tutando, ita ut meritò videri possint illa damna, quæ subinde ex venatione sentiunt, non curare, et condonare; non esse obligationem restituendi : quo modo fortassè aliqui locorum domini possunt excusari; hoc tamen non habet locum quando damna sunt gravia. Quomodò autem damnum grave aut leve agris et satis inferatur, et quodnam tale censendum sit, optimè ex ipsis agricolis cognosci potest.

Dices : Quid si ab hominum memoriâ sit usurpatum, ut tota venantium turba cum equis et canibus, prout occasio tulerit, per media sata sese inferat, non curans quid damni inde resultet; nec ulla ob id fiat restitutio, maximè cùm nemo querelas apud judicem deponat? videtur enim hoc eventu habere locum præscriptio, quo tanti temporis tractu hoc jus sit à domino loci usucaptum. Resp.: Ut titulus præscriptionis hìc locum habeat, debere constare; 1° de ipsâ consuetudine et usu qui memoriam hominum antecedat; 2° non fuisse factam compensationem cùm damna irrogata erant gravia; 3° quòd damno affecti non deposuerint querelas, nec moverint litem, id non factum desperatione obtinendi juris, aut metu majoris mali, sed omninò liberè, et animo condonandi; alioquin cùm præsumptio sit in contrarium, non potest censeri bona fides in venatoribus damna illa inferentibus. Sic tyrannus non potest usucapere jus imperii in populum liberum, quando solo metu illum coercet, ita ut non præsumatur liberè in illum consentire. Ratio est, quia præscriptio in hujusmodi quæ vi præsumuntur usurpata, non potest dare jus, nisi quatenùs tanti temporis usus et possessio parit præsumptionem liberi consensûs eorum ad quos pertinet. Si tamen hujusmodi fundi essent beneficiarii, jure feudi vel emphyteusis domino obnoxii, posset ex hujusmodi consuetudine præsumi, talem servitutem ab initio fuisse voluntate principiis annexam; et idcircò minorem pensionem minusve obsequium domino ab emphyteutâ vel fundatario præstari. Quis autem primo loco, quis secundo, et in subsidium hìc in restitutione veniat, ex regulis generalibus colligendum. Vide infra cap. 13, Dubit. 5, et sequentibus.

## DUBITATIO IX.

*Quomodò peccet, et an teneatur ad restitutionem is qui contra justam prohibitionem venatur, aucupatur, piscatur.*

42. Notandum ex Covar. venationem prohiberi generatim quatuor rationibus. Primò *ratione statûs personæ.* Ita prohibetur clericis, et multò magis monachis; præsertim ea venatio, quæ fit magno strepitu canum et armorum, ut patet c. 1, de Clerico venatore : quod sumptum est ex concil. Aurelianensi, ubi *episcopus qui crebrò talibus venationibus dat operam, jubetur suspendi tribus mensibus à communione : presbyter verò duobus, diaconus ab officio :* unde videtur frequentatio talium venationum esse peccatum mortale. Quieta tamen venatio cum retibus, laqueis, paucisque canibus, modò rarò fiat, non est omninò prohibita Ecclesiasticis, ut notat Medina, q. 12, c. de Restitut., et Silv., verbo Venatio; sive fiat causâ necessitatis, sive exercitii, sive moderatæ recreationis, ut notat Panormit. in illud c. 1 citatum.

Secundò, *ratione temporis.* Sic videri possit prohibita venatio diebus festis et jejunii, ex cap. An putatis, d. 86, sed hoc intelligendum est quando ratione venationis omitteretur Sacrum, vel violaretur jejunium; alioquin absolutè non est prohibita, cùm non sit opus servile, ut notat Navar., cap. 13, n. 11, quamvis in magnis festis et quibusdam jejuniis sit validè indecora, ob nimiam animi effusionem, et corporis agitationem.

Tertiò *ratione publicæ utilitatis*, ne videlicet soboles ferina extinguatur; sic prohibetur interdùm venatio illis mensibus, quibus feræ sunt gravidæ et quando sunt nives, quia tunc facilè capiuntur; et usus certorum instrumentorum, ut bombardarum, retium te-

nuium, et simi.ium, quibus facilè magno numero concludantur.

Quartò, *ratione loci;* ut si in aliquo loco à principe statuta sit immunitas ne quis ibi venari possit, vel si locus sit alienus. Ilis positis,

43. Dico primò : Quando venatio solùm est prohibita ratione statûs vel temporis, ordinariè non est nisi peccatum veniale, modò scandalum absit, et periculum occisionis vel mutilationis, et animal captum non est necessariò restituendum.

Prior pars patet ex dictis : estque Medinæ, Silvestri, et aliorum.

Altera probatur, quia conditio personæ vel temporis non facit illum actum injustum, aut rem obnoxiam restitutioni.

Dico secundò : Etsi venatio prohibita sit ratione utilitatis publicæ, tamen non est peccatum mortale, nisi quando modus venandi censetur notabiliter perniciosus commodo reipub., et idcircò sub gravi pœnâ est prohibitus; vel quando reipsà notabile damnum bono publico infertur (ut si sobolem ferinam notabili ex parte extingueret), animalia tamen capta non sunt in foro conscientiæ restituenda. ita Covar., ad reg. Peccatum, p. 2, § 8, et alii. Ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed usum venationis : uti autem venatione contra legis mandatum, non censetur notabilis injuria vel læsio reipublicæ cùm jure gentium liceat occupare quæ nullius sunt. Unde fit ut venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum, etiamsi instrumentis vetitis ceperit; quia feræ non sunt res reipublicæ.

Adverte tamen, si quis aquas inficeret, unde contingeret magnam vim piscium mori, vel alio modo grave damnum inferret, teneretur ad restitutionem reipublicæ quæ habebat jus piscandi, quatenùs censetur illud jus graviter læsisse, et spem lucri et oblectationis eripuisse, ipsa tamen animalia non tenetur restituere; sed solùm quantùm illa spes, seu jus venandi censebatur valere.

Dices : Ergo semper tenebitur ad aliquam restitutionem, etiamsi unam duntaxat vel alteram feram ceperit; nam iniquè privavit rempublicam jure illius venandi, et sic censetur læsisse.

Resp.: Neg. consequentiam, quia illud jus venandi non censetur notabiliter læsum propter unam atque alteram feram subtractam : quamvis enim duæ vel tres feræ sint magni momenti, jus tamen venandi respectu earum, in magno saltu est parvi momenti.

Dico tertiò : Qui venatur in alieno fundo, vel prædio, vel silvâ, invito domino, non tenetur ad restitutionem ejus quod cepit; peccat tamen pro ratione injuriæ et damni illati (si quod inferat), et tenetur ad ejus compensationem. Docet hoc Covar., supra, n. 4. Medina, q. 12, et alii.

Prior pars probatur, quia animal silvestre non erat domini illius fundi, sed nullius : ergo transit in dominium primò occupantis. Ratio est, quia animantia non sunt fructus agrorum vel silvarum vel fluviorum, sicuti arbores, quæ solo hærent; sed alia ex aliis procreantur. Unde sequitur, etiamsi ager vel possessio talis sit ut ejus fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, non tamen ideò animalia fiunt conductoris, vel usumfructum habentis, quamdiù naturali libertate fruuntur; sed conductor et usufructuarius solùm jus venandi in tali fundo habent, quod jus censetur ad fructus agri vel silvæ pertinere. Vide Covar., n. 9 et 11.

Altera pars probatur, quia is qui venatur in alienâ possessione invito domino, facit illi injuriam. Dominus enim jus habet ut nemo ibi se nolente venetur, ut habemus § *Ferœ.* Instit. de rerum divisione, et l. *Item si fundi*, 9, § *Aucupiorum*, π de usufructu, ubi dicitur : *Reditus aucupiorum, sicut et venationum, ad fructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino, aucupari.* Unde ulteriùs patet, si damnum aliquod inferat, teneri ad restitutionem, ut si segetes proculcet, si sepimenta dissipet : item, si dominus illam feram venari volebat, et probabiliter erat capturus; spectanda est æstimatio illius spei. Denique si jus venandi alteri vendere vel elocare statuerat; et tu crebrâ venatione effeceris ut parvi æstimetur, quòd si nullum damnum sit illatum (ut si dominus ipse nolebat venari, nec jus illud elocare) non tenetur venator ad ullam restitutionem, etiamsi invito domino venatus sit; quia notabile damnum non irrogavit, vexatio quoque illa parùm erat rationi consentanea, cùm ipse eo jure uti nollet.

Advertendum autem est, eamdem esse rationem extranei venantis in loco publico, atque civis venantis in loco privato alterius, invito domino : uterque enim sarcire damnum, si quod illatum fuerit, tenetur, non ipsas feras.

44. Dico quartò, qui venatur in loco publico venationi principum vel aliarum personarum justè assignato, peccat venialiter : et si notabile damnum infert, mortaliter; teneturque ad compensationem damni, non autem ad restitutionem animalis capti.

Probatur prior pars, nam lex illa prohibens in tali loco venationem, etiamsi pœnam appositam habet, communi tamen hominum judicio non censetur gravem inducere obligationem; quamvis ipsi domini ibi venari soleant; nam feræ sunt nullius, et silvæ sunt communes; et aliàs non est notabilis læsio. Unde rationi consonum est ut reservatio illa juris venandi facta per principem, non adeò strictè accipiatur.

Dices : Si est peccatum veniale, ergo ratione gravitatis materiæ potest esse mortale.

Respondeo : Ipsa materia, secluso damno, ex genere suo est parva, et ita non constituit peccatum mortale, si damnum absit.

Altera pars constat; nam ratione damni potest censeri peccatum mortale : ut si animalia capta essent magni pretii et multa; ideòque princeps non posset tam multa capere quàm aliàs solet. Item si feræ sint redditæ fugaces, ut difficillimè postea capiantur. Denique si aliquâ ratione damnum sit notabile. Potest tamen venator excusari à restitutione (ut notat Medina),

quia principes non solent talem restitutionem curare, sed sufficit illis ut deprehensi pœnam luant.

45. Hæc autem pœna non debet esse corporalis; ut mutilatio, vel flagellatio (ut rectè notavit Silv., verbo *Venatio*. Navar. cap. 17, n. 121, et alii doctores communiter), sed pecuniaria, quia non censetur grave crimen, etiamsi grave damnum intulerit. Unde si sit statuta pœna corporalis, non est mandanda executioni; nisi quis valdè sæpè esset deprehensus, et minoribus pœnis non emendatus; tunc enim posset aliqua corporalis, v. g., flagellatio, adhiberi.

Ultima pars, *quòd non teneatur ad restitutionem animalis capti*, patet ex dictis. Notandum est, hoc etiam locum habere, et si quis arte magicâ vel aliâ pravâ machinatione feras elicuerit, et ita extra silvas ceperit, ut notat Covar. n. 14. Nam modus iste capiendi, etsi sit grave peccatum, non tamen facit ut ipsa captio sit contra justitiam. Quamvis iste puniri possit, sicut is, qui intra silvam venatur. Qui tamen feras extra locum suum absque ullâ fraude egressas caperet, non solùm ad nihil tenetur, sed neque ideò puniri debet; ut ibidem Medina et Covar., quia ipsæ feræ cùm sint nullius, jure gentium permittuntur occupari extra saltum prohibitum.

46. Adde: Idem dicendum si quis venetur feram in saltu concluso, sed ita vasto, ut in eo difficillimè capiantur: nam in tali loco non minùs fruuntur libertate naturali quàm si captæ non essent. Quod confirm. quia animalia quæ sunt in insulâ duarum vel trium leucarum, naturali libertate fruuntur, et fiunt primò occupantis: ergo idem dicendum de saltu amplissimo clauso. Ita Covar. supra, n. 15.

Utrùm autem feræ, quæ naturali libertate fruuntur, possint per aliquam legem ita alicui magnati addici, vel bono publico servari, ut non transeant in dominium capientis, dubitari potest. Verius est posse, modò legitima causa subsit: ut si aliâ ratione non posset commodè sumptibus quibusdam necessariis provideri, hoc tamen rarò in praxi usu venit. Ratio est, quia lex ob justam causam potest alios reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanæ subsunt legum dispositioni, adeò, ut per leges possit tibi concedi jus, vel imponi obligatio, aut etiam injici impedimentum ad aliquas actiones obeundas; ita etiam res externæ, earumque dominium et possessio, legum dispositioni subjacet: sic ut jus acquirendi, vel incapacitas, per eas irrogari posset. Hinc quidam sunt incapaces quorumdam officiorum, successionis hæreditariæ, possessionis immobilium, etc.

## DUBITATIO X.

*Utrùm fera à me vulnerata, et postea ab alio capta, sit mea, an capientis.*

47. Respondent communiter doctores esse capientis, et non vulnerantis. Ita Covar. ad reg. Peccatum, p. 2, § 8, n. 13, et alii, quod patet § *Illud quæsitum*, Instit. de rerum divisione. Sed hoc intelligendum est, nisi ita vulnerata sit ut percussor insequens eam certò esset capturus. Unde tria requiruntur ut fiat percussoris. Primò, ut læserit eam quantum satis ad capiendum. Secundò, ut læsam insequatur. Tertiò, ut moraliter certum sit quòd eam sit apprehensurus. Ratio est, quia tunc habet illam quodammodò in suâ potestate, censetur enim quasi capta: unde alius non potest illum prævertere. Secùs est quando dubium erat utrùm fera esset evasura: tunc enim fit occupantis; quia adhuc videtur habere suam naturalem libertatem, ut colligitur ex l. Naturalem, 5 π, de acquir. rerum dominio, ubi dicitur, *feram recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est ejus persecutio.*

## DUBITATIO XI.

*Utrùm fera meo laqueo capta sit mea, an ejus qui fortè superveniens laqueo exemit et abstulit.*

48. Covar. supra n. 13 et Navar. cap. 17, n. 176, adjudicant illam eximenti, nisi contraria sit consuetudo in aliquo loco particulari. Idem sentiunt plerique doctores, ob l. *In laqueum* 55, π, de acqu. rer. domin. ubi insinuatur esse eximentis. Confir. quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem: is autem qui laqueum posuit, nondùm apprehendit; ergo, etc. Hæc sententia est probabilis.

49. Verius tamen videtur, et rationi naturali magis consentaneum, ut sit ejus qui laqueum posuit. Ratio est, quia hic eam apprehendit et occupavit per suum instrumentum, ademptâ ei libertate naturali; quæ apprehensio sufficiens videtur ut debeat illius censeri; sicut enim manibus, ita instrumentis aliquid apprehendere possumus, et in nostram potestatem redigere. Favet dicta l. *In laqueum*, π, de acquir. dominio, ubi hic casus ponitur, et respondetur, *feram meam esse, si in potestatem devenerit*; atqui venit in meam potestatem per meum laqueum. Unde ad argument. contrar. sententiæ respondeo: illam legem, si benè expendatur, videri facere à nobis, in alio sensu non puto receptam. Nemo enim est qui non putet sibi injuriam fieri, si fera sic capta tollatur. Ad Confirm. ille apprehendit per suum instrumentum, quòd si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandum dominium (quod tamen probari non potest) nihilominùs satis est ad comparandum jus ad rem, quò tu, exclusis aliis, possis illam apprehendere; ita ut si alius præveniat, et te impediat à consecutione illius rei, teneatur ad restitutionem. Ita Molina, disput. 42.

50. Hìc tamen advertendum est primò; si fera se erat extricatura, potuisse ab alio occupari; quia tunc non pervenerat omninò in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras. Molina tamen putat tunc æstimandam spem, et ab altero compensandam: quod est satis æquum.

Dices: Si avem caveâ conclusam teneam, parùmque absit quin erumpat, et tu superveniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdùm effugerat: ergo similiter fera laqueo meo capta.

Respondeo: Nego consequentiam; quia hæc fera nondùm facta est mea, cùm nondùm eam omninò occupaverim: illa autem avis jam ante erat mea; unde

nisi reipsà assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

Secundò : Si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, uterque habet jus occupandi; tu, quia laqueo tuo capta; ego, quia meâ industriâ incidit : nisi enim excitàssem, non incidisset ; itaque erit alterutrius qui prior illam occupaverit.

Tertiò : Si nassam in flumine intenderim piscibus capiendis, pisces capti mei sunt : eadem enim est ratio quæ laquei, quòd si tu, ubi plena fuerit, exemptis piscibus, eam eodem loco vel alibi reponas, quod secundo loco captum erit, tuum erit, si prior occupaveris, quia etsi meo instrumento, tamen hoc factum tuâ industriâ, qui nassam ibi tuo nomine posuisti : meum verò, si ego prior, quia meo instrumento captum. Hoc maximè æquitati congruit.

## DUBITATIO XII.

*Utrùm venæ metallicæ auri et argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut feræ; et fiant primò occupantis.*

Notandum est, præter feras, in nullius dominio esse lapillos, gemmas, ambarum, coralium, et similia, quæ in littore maris, vel promontoriis, vel fluminibus inveniuntur; unde hæc omnia fiunt primò occupantis, ut patet Instit. de rerum divisione. § *Feræ*, et § *Lapillorum*. Sed difficultas est de venis metallicis.

51. Respondeo et dico primò : Valdè probabile esse, has in nullius dominio censeri. Sotus l. 5, q. 3, a. 3, et alii.

Probatur, quia principes passim sibi vindicant jus effodiendi hæc metalla, et concedunt privatis jus ea inquirendi ubilibet, etiam in agro alieno ; et bonam partem sibi reservandi, compensato duntaxat damno, quod infertur loco : quod non facerent si ista metalla essent in dominio ejus cujus est ager.

Unde sequitur, si quis eruisset aurum vel argentum in agro alieno, etiam invito domino, non teneri ad restitutionem auri domino agri, sed solùm ad æstimationem damni illati : in quo spectanda etiam est spes illa et verisimilitudò, quâ dominus putabatur auro illo potiturus. Si tamen pars aliqua auri vel argenti eruti per regni leges esset attributa principi, ea esset persolvenda.

52. Dico secundò : Etsi tales venæ nullius sunt, et res eruta fiat occupantis, tamen seclusâ omni lege et consuetudine particulari, potestas et jus effodiendi tantùm competit ei qui est dominus loci : unde si locus est hominis privati, jus etiam est privati ; si est publicus, competit reipub.

Ratio patet ex dictis de venatione, præsertim cùm metalla sint fundo permixta et inhærentia, animalia autem sint vaga ; ergo si cuique competit jus venandi in suo fundo, multò magis jus ibidem effodiendi metalli.

Unde sequitur Indos Occidentales jure potuisse prohibere Hispanos ab occupatione talium venarum in suâ regione : ut rectè docet Sotus libro 5, q. 3, a. 3, ad 2, quamvis contrarium senserit Victoria relect. de Indis, p. 3, n. 4, quod intellige antequàm illæ provinciæ Hispanico imperio essent subjectæ. Nam quæque respub. potest prohibere extraneum à venatione in silvâ publici juris, et quisque privatus alium à venatione in suo fundo ; ut supra dictum est ; ergo multò magis ab eruendis metallis.

53. Dices : Lapidicina, quæ est in meo fundo, mea est, et non tantùm jus cædendi ibi lapides ; ut ostendit Covar. qq. practicarum cap. 37, n. 3, et colligitur ex l. *Vir in fundo*, 8, ff. de fundo dotali. Idem sentiendum est de fodinâ carbonariâ, cretariâ : ergo similiter vena auri et argenti, stanni, cupri, etc.

Respond : Neg. conseq., primò, quia venæ metallicæ sunt maximæ æstimationis ; quare non est æquum illas cedere vilissimo fundo ; quâ ratione, § *Litteræ*, Instit. de Rerum divisione, dicitur *ridiculum esse picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.*

Secundò, quia venæ istæ ab ipsâ naturâ in jus publicum, non autem privatis usibus institutæ videntur, ut rectè Sotus, lib. 6, q. 3, art. 3, ait, suntque difficillimæ inventionis et rarissimæ.

## DUBITATIO XIII.

*Utrùm justè prohiberi possit pastio et lignatio in pascuo vel silvâ reipublicæ.*

54. Respondeo rempublicam posse id justè prohibere, etiam suis civibus, saltem secundùm certum modum et mensuram, v. g., ne tali loco, tali tempore pascant, ne talem exscindant stirpem, ne majorem molem lignorum auferant. Ratio est, quia id potest esse multùm expediens bono publico ; atqui potestas reipub. vel, principis in quem respub. suam transtulit auctoritatem, extendit se ad omnia quæ bono publico conducibilia censentur. Non videtur tamen omninò et in totum posse prohibere, quia singuli jus habent inde necessaria sumendi : quo jure absque suo consensu non possunt spoliari, nisi fortè aliunde sibi illa commodè parare valerent ; de quo plura apud Covar. pract. qq. c. 37.

## DUBITATIO XIV.

*Quale peccatum sit, contra justam prohibitionem pascere, vel ligna cædere.*

55. Respondeo, et dico primò : Si civis in loco publico communitatis, cujus ipse est pars, id faciat, solùm venialiter peccat, nec ad restitutionem tenetur, nisi magnum detrimentum communitati censeatur illatum. Ita Sotus lib. 4, q. 6, art. 4, et alii.

Ratio est, quia in hisce rebus communibus, non censetur notabilis injuria committi per eos qui aliàs jus habent, nisi fortè enorme damnum inferatur : ut si stirpes multæ notabiles incidantur, si grandiores arbores ædificiis idoneæ sternantur.

Dico secundò : Idem dicendum de incolis duorum oppidorum vel pagorum habentium loca compascua vel silvas cæduas, si alteri in alterorum silvis hinc inde lignentur.

Ratio est, quia etsi incolæ hujus loci non habeant

jus lignandi in silvâ communi alterius loci, nec vicissim, tamen quia passim scitur contrarium ab utrâque parte fieri, censentur communitates vicissim condonare quod ereptum fuerit, contenti mulcta, si qui in furto capiantur.

56. Dico tertiò: Si pascas vel ligneris in loco alicujus privati, vel reipub. alienæ, cujus cives non possunt idem facere in loco reipub. tuæ, vel si id facias in loco communi elocato alteri, peccas pro ratione rei ablatæ vel damni illati (quod sæpè multò pluris est, quàm res succisa valeat), et teneris ad restitutionem. Ita Sotus supra: ubi tamen illud de restitutione intellige, si persona vel respub. possidens locum solet curare recuperationem talium; alioquin si non solet curare, sed satis ei sit ut comprehensi mulctam luant, non erit necessaria restitutio. Vide plura de jure pascendi apud Covarr. pract. qq. c. 37, quæ idcò non adfero, quia variantur pro diversitate locorum: unde consuetudo et leges municipales in his servandæ.

## DUBITATIO XV.

*Quomodò acquiratur dominium in thesauros.*

Tractat hoc Covarr. regula Peccatum, p. 3, § 2. Silvester et Summistæ, v. Inventum.

57. Notandum est thesaurum esse dictum quasi θέμενον εἰς αὔριον, quod in crastinum seu futurum reponatur, ut docet Covarr. ex Alciato; definitur autem π. de acq. rerum dominio, l. *Nunquàm*, 31, hoc modo: *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ubi nomine *pecuniæ* intelliguntur quævis opes mobiles, ut catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei et argentei; quòd si non sit vetus, non censebitur thesaurus; unde non fiet inventoris; sed si dominus inveniri nequit, expendi convenit in pios usus, sicut alia bona incerti domini. His positis,

58. Dico primò: Jure naturali et gentium thesaurus transit in dominium inventoris occupantis; est communis sententia DD.: quæ enim nullius sunt, fiunt primò occupantis; at thesaurus in nullius dominio censetur: ergo, etc.

Dices: Quid si possit sciri à quorum majoribus sit conditus?

Respond.: Non refert, quia quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cujusquam.

Notandum tamen, jus commune multa circa inventionem thesaurorum disposuisse, ut patet § *Thesauros*, instit. de Rerum divisione, et l. unica, c. de thesauris: quare hoc jus sequendo.

Dico secundò: Thesaurus inventus in proprio fundo totus est inventoris, Instit. Supra, ubi dicitur: *Thesauros, quos quis in loco suo invenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit;* et l. unica, c. de thesauris, idem habetur, additâ ratione, *ne Dei beneficium invidiosa calumnia prosequatur.*

59. Dico tertiò: Inventus in fundo alieno (etiamsi is fundus principis fuerit), si quidem fortuitò sit repertus, dimidium erit inventoris et dimidium domini fundi; si autem de industriâ quæsitus sine consensu domini, totus erit domini.

Prior pars apertè habetur utroque loco citato, estque servanda in foro conscientiæ, etiam ante omnem judicis sententiam.

Ratio est, quia hæc dispositio juris non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum; ut rectè docet Navar. c. 17, n. 175, et Cajetan. infra, q. 66, a. 5, et alii passim.

Secunda pars, *ut totus sit domini, si de industriâ quæsivisti*, non videtur obligare in conscientiâ ante sententiam judicis; sed sufficit dare dimidiam partem domino fundi, parte alterâ dimidiâ retentâ. Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis ad puniendam injuriam, quam inventor domino loci intulisse videtur, quærendo absque ejus consensu in ejus fundo. Confirmatur ex l. unicâ, c. de thesauris, ubi sic dicitur: *In alienis verò terrulis nemo audeat invitis, id est, nec volentibus vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari; quòd si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur.* Ubi expende verbum *compellatur*, quod indicat legem esse pœnalem, et compulsionem judicis esse expectandam.

60. Dico quartò: Si dominus consensit ut quæreret, sciens quid ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inventoris. Navarr. cap. 17, n. 172, et alii. Ratio est, quia tunc videtur illi partem suam condonâsse: nisi fortè inventor certò sciverit ibi latere thesaurum, et simulaverit se nihil scire; tunc enim dominus ita deceptus non censetur condonâsse, ut rectè Silv. verbo *Inventum*, q. 3.

Sed difficultas est, si fundus habeat duos dominos, nimirùm directum et utilem, utri domino dimidium sit restituendum.

61. Resp. et dico quintò: Quando fundus hoc modo duobus dominis subest, dimidium erit inventoris, et alterum dimidium inter illos ex æquo est dividendum, tanquàm inter dominos loci.

Ex quo sequitur, si dominus utilis (ut feudatarius, vel emphyteuta) inveniat thesaurum, reddet domino directo tantummodò quartam partem, et sibi reservabit alteram quartam partem, quatenùs est ejus loci dominus; dimidium verò quatenùs est inventor: quod est contra Navar., n. 172, et quosdam alios.

Ratio est, quia idem est inventor, et sic debetur illi dimidium; et est etiam dominus loci ex parte, unde ei debetur altera quarta; conductoris autem et usuarii nulla habetur ratio, quia nullo modo sunt domini. Idem dicendum de pigneratore. Vide Molinam disput. 56.

De usufructuario nudo quæri potest utrùm censeatur hic esse dominus loci. Communis sententia est non censeri; colligitur ex l. *Fructus* 7, π. soluto matrimonio, ubi dicitur, *thesaurum inventum in fundo dotali, in quo vir habet usumfructum, non deberi viro, sed*

*uxori, cujus est fundus : quia thesaurus non est fructus fundi.* Navar. tamen, n. 174, et quidam alii putant hunc censendum dominum, et eum quoque qui ad vitam conduxit. Sed quod dixi est verius.

62. Dico sextò : Qui scit alicubi thesaurum latere, et emit locum antequàm eruat, efficitur dominus totius thesauri. Ita Navar. n. 175, et Sotus lib. 5 de Justitiâ, q. 3, a. 3, ad 2, et indicat D. Th. infra, q. 66, ar. 5. Idem insinuatur in parabolâ Domini, Matth. 13.

Ratio est, quia eruit illum ex loco proprio ; nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat uti suâ scientiâ, emendo agrum illum secundùm communem æstimationem ; ad quam æstimationem nihil facit thesaurus absconditus, cujus nulla habetur suspicio.

Petes, quid si thesaurus conditus fuerit in re mobili, v. g., in saccis lanâ plenis, utrùm is qui efficitur dominus lanæ, efficiatur etiam dominus thesauri ?

Resp. non videri hoc ipso effici dominum thesauri, quia non intendit illum occupare. Habet tamen jus illum thesaurum occupandi ante alios. Unde miles, qui excussit hosti saccos lupulo refertos, in quibus erant laminæ aureæ et argenteæ reconditæ, non fuit factus dominus illarum, cùm illos vendiderit antequàm sciret quid lateret.

## DUBITATIO XVI.

*Cui cedat, si in loco publico, vel sacro inveniatur.*

63. Respondeo et dico primò : Si in loco publico, v. g., in flumine, in plateâ effossâ, in viâ publicâ inveniatur, totus videtur esse inventoris, non principis vel reipub. Ita Covar. regula Peccatum, p. 3, § 2, n. 3, citans pro se Baldum, Cynum, et alios quosdam.

Ratio est, quia respub. vel princeps non est dominus talis loci jure dominii specialis, de quo leges loquuntur ; sed dominio jurisdictionis, et auctoritate disponendi.

Dices : § *Thesauros*, Instit. de rerum divisione, dicitur : *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis thesaurum invenerit, dimidium esse fisci, vel civitatis.*

Respond., per *locum publicum* non intelligi forum, plateam, vel similem locum, qui propriè nullius est, omnium usibus deputatus ; sed de loco, quem respublica, specialis dominii jure possidet, ut silva, pascuum, domus, hortus : alioqui dimidium non deberet dari civitati, ut ibi dicitur, sed potiùs principi.

Fateor tamen contrarium esse probabile, quia plerique jurisperiti ita sentiunt, teste Covar. supra.

Adverte, quando agitur de loco publico, nihil interesse utrùm fortuitò ibi repertus sit, an de industriâ quæsitus. Ratio est, quia locus publicus non censetur alienus, sed communis ; distinctio autem illa solùm locum habet in loco alieno.

64. Dico secundò : Si inveniatur in loco sacro vel religioso casu fortuito, totus est inventoris, ut patet § *Thesauros*, Inst. de Rerum divisione. Idem habet Glossa ad c. *Si quid inveristi*, 14, quæst. 5, et Summa Rosella, verbo *Furtum*, n. 11. Contrarium tamen etiam est probabile, quod tenet Covar., et multi alii, qui docent dimidium deberi Ecclesiæ vel prælato quia Ecclesia et prælatus habentur pro domino loci sacri. Verius tamen puto quod dixi, quia Justinianus, etsi optimè noverat conditionem locorum sacrorum apud Christianos, tamen in suis Institutionibus confirmavit legem Adriani, cujus hæc est dispositio ; unde cùm jus canonicum ei non derogaverit, videtur servanda. Intelligo autem hæc de locis sacris et religiosis omninò publicis, quæ in jure dicuntur esse nullius ; secùs de monasteriis et similibus, quæ specialis dominii jure possidentur.

Dico tertiò : Si datâ operâ inventus sit in tali loco, dimidium cedet Ecclesiæ.

Probatur, quia Ecclesia censetur dominus talis loci ; unde secundùm legem unicam, c. de thesauris, debetur ei dimidium.

Dices : Ergo etiam debetur dimidium, si fortuitò.

Resp. : Neg. conseq., quia obstat aliud jus particulare, quod aliter in eo casu disposuit.

## DUBITATIO XVII.

*Quid si per magiam repertus sit.*

65. Resp. : In eo casu pertinere ad fiscum. Ita communiter DD. ex l. unicâ, c. de Thesauris.

Notandum tamen, inventorem non teneri illum tradere antequàm à judice compellatur, ut rectè Navar. n. 175. Ratio est, quia lex illa pœnalis est, et quidem sententiæ ferendæ, non latæ. Nihil enim aliud dicit imperator, quàm *se cuique in suis locis tribuere facultatem quærendi thesaurum, et invento fruendi, dummodò sine sceleratis ac puniendis sacrificiis aut aliâ quâlibet arte legibus odiosâ quærat.* Ille nullum verbum habet quo illum reipsà privet inventis.

66. Porrò hìc advertendum est, primò, si hic thesaurus quæsitus sit in loco alieno arte magicâ, solùm eam partem adjudicandam per sententiam fisco, quæ fuisset inventoris, quia dominus loci ob maleficium alterius non debet suo jure privari.

Secundò, ea quæ hactenùs dicta sunt de thesauris, procedere secundùm jus commune, quòd si in aliquâ provinciâ sint aliquæ leges particulares, vel consuetudines hâc de re justæ, sunt servandæ. Quod autem quidam dicunt, consuetudinem habere ut thesaurus ubivis inventus sit principis, hoc multi censent non obligare in conscientiâ, ut Silv., verbo *Inventa*, n. 13, Sotus, l. 5 de Justitiâ, q. 3, a. 3, ad 2 ; quem vide. Sæpè tamen potest justa subesse causa ut pars aliqua principi assignetur : ut si tale subsidium judicaretur necessarium ad onera reipub. sustinenda : ut autem totus applicetur, durum videtur, quia valdè difficile est et dissonum juri naturali. Fateor tamen contrarium non esse improbabile, quod tenet Covar. supra, n. 4, quamvis rationes ipsius non convincant.

## DUBITATIO XVIII.

*Quænam dicantur haberi pro derelicto, ita ut dominium eorum concedatur primo occupanti.*

67. Respond. et dico primò : *Pro derelicto haberi,*

quod dominus eâ mente abjecit ut id in numero rerum suarum esse nolit; ut patet § penult. Instit. de rerum divisione.

Unde sequitur, ea quæ in tempestate projiciuntur, levandæ navis causâ, non haberi pro derelicto, ut dicitur § ult. supra, quia ea libentissimè dominus servaret, si posset; et postquàm projecit et in portum evasit, summè desiderat ea recuperare. Unde iniqua est consuetudo quæ in quibusdam locis servatur, ut dominus provinciæ, vel territorii, bona naufragorum tanquàm ἀδέσποτα, id est, quæ possessore careant, occupet. Nam præterquàm quòd sit contra jus naturale, utpote alieni occupatio, et magna in miseros crudelitas, est etiam contra jus Cæsareum, auth. Navigia, c. de Furtis, et si sint bona Christianorum, occupantes ea incurrunt excommunicationem Bullæ *Cœnæ Domini*, de quo vide Nav. c. 27, n. 60 et 118, et Covar. ad reg. Peccatum, p. 3, n. 5.

Dices: Quid si ea res certò fuerit peritura, nisi ego eripuissem (ut saccharum, frumentum, farina, papyrus), possumne retinere?

Resp.: Non potes, quia, ut habetur ex l. Pomponius 44, π. de acquirendo dominio, quælibet res nostra, quantumcumque periclitetur, manet nostra, quandiù non est consumpta, nempe si cupimus eam nostram manere: ut si ovis nostra ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio, nostra manet. Unde quod ait Navar., c. 17, n. 99, posse nos talia retinere, si cum aliquo vitæ periculo ea ex undis eripuerimus, non est absolutè verum; nisi quando rationabiliter credi potest, dominum permittere res hujusmodi, sive ejectas, sive ex naufragio periclitantes, ei, qui se periculo voluerit exponere; ut quando res illæ statim essent perituræ, et non sine discrimine possent recuperari, ita ut periculum ferè tanti æstimetur quanti res ipsa: tunc enim etsi dominus jus habet rei vindicandæ, tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris et periculi: unde si dominus nihil dicat, poterit retinere tanquàm ratione periculi concessam.

Dico secundò: Pro derelicto etiam haberi videtur res ea, quæ fluctibus procul abrepta est, et dominus sciens ubi sit quærenda, non curat eam recuperare, vel quia eam parvi facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ.

Probatur, quia dominus rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum conjunctum, secùs est quando omninò vellet eam recuperare, si aliquo modo posset.

Addunt quidam, rem etiam haberi *pro derelicto*, quandò dominus ita eam projicit vel relinquit, ut nulla ei spes supersit industriâ aliquâ vel aliquo casu eam recuperandi. Itaque tunc si ego extraordinariâ industriâ eripiam, vel salvem, efficiam meam. Ita Petrus Navarr. l. 4, c. 1, n. 58; sed non existimo id esse verum, nisi dominus significaverit se eam concedere occupanti, vel æstimatio industriæ sit ferè par illi rei.

## CAPUT VI.

### DE MODO ACQUIRENDI DOMINII IN REM ALTERIUS ABSQUE EJUS CONSENSU; QUOD FIT PRÆSCRIPTIONE.

(*Habet Dubitationes 18.*)

1. Hactenùs diximus de modo acquirendi dominii in res quæ nullius sunt, vel communes: sequitur ut explicemus quomodò acquiratur in res quæ dominum habent, seu quomodò dominia ab alio in alium transferantur. Generatim autem transferuntur vel volente priore domino, vel invito. *Volente*, transferuntur tripliciter: donatione, ultimâ voluntate, contractu, de quibus infra. *Invito*, totidem modis: Primò, jure gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo sup. 2-2, q. 40, quæ est de bello. Secundò, auctoritate alicujus legis particularis; idque vel sine culpâ domini, ut lege præscriptionis, vel ob culpam ejus, ut ob crimen hæresis, læsæ majestatis, incestas nuptias; de quo 1-2, q. 96. Tertiò, sententiâ judicis; ut si fur damnetur in quadruplum; qui modus etiam obligat in conscientiâ, quando sententia non nititur falsâ præsumptione, de quo infra, sect. 4. Itaque ad præsentem locum solùm pertinet tractatio de præscriptione.

### DUBITATIO I.

*Quid sit præscriptio et usucapio.*

2. Notandum est nomen *præscriptionis* tripliciter accipi apud jureconsultos, ut colligitur ex Covar. ad reg. Possessor, in princ., et § unico, relectione 1: Primò, generatim, ut idem sit quod *exceptio*, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore; unde cùm exceptio sit vel *dilatoria*, ut si opponat judicem non esse competentem, testes infames, actorem excommunicatum, vel *peremptoria*, ut si opponas te mandato principis fecisse, jam antè solvisse quod petitur, etiam præscriptio erit vel dilatoria vel peremptoria. Hoc modo accipitur in titulo de Exceptionibus et Præscriptionibus, lib. 44 Digestorum. Simili modo accepit Tertullianus, inscribens librum suum *de Præscriptionibus adversùs hæreticos*: agit enim de illis quæ hæreticis per suam doctrinam veluti litem intentantibus opponi possunt à Catholicis, ne ab eis vincantur.

Secundò, accipitur specialiùs pro *exceptione peremptoriâ* proveniente ex eo quòd tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel jure aliquo usi sumus, vel quòd alius tali tempore ab usu alicujus juris cessaverit, ut docet Covar. supra, § unico, n. 4, et patet ex titulis, c. de Præscriptione longi temporis, et de Præscript. 30 et 40 annorum.

Tertiò, accipitur pro *dominii acquisitione*, vel *juris alieni elisione*, ex tempore legibus definito proveniente. Hoc modo dicimur præscribere domum, vineam, agrum, id est, acquirere dominium domûs, vineæ, agri. Verùm sic non accipitur in jure civili, sed in jure pontificio, et passim ab interpretibus utriusque juris; ut docet Covarr. n. 6. Ratio cur sic acceperint, est quia qui dominium alicujus rei per con-

tinuatam ejus possessionem comparaverat, si impetebatur à priore domino, præscribebat, id est, excipiebat et opponebat certi temporis possessionem, per quam fecerat rem suam : et ita ejus actionem perimebat. Hinc ipsa *usucapio* et *dominii acquisitio* cœpta est vocari *præscriptio*, cùm tamen præscriptio ex usucapione oriatur ; ut patet l. *Emptor*, [illegible], c. de Præscriptione longi temp.

3. Ex his patet quid sit *præscriptio*. Nam si primo modo capiatur, nihil est aliud quàm exceptio, seu oppositio adversùs actionem actoris.

Si secundo modo, est exceptio peremptoria contra priorem dominum, ex tempore legibus definito vim habens.

Si tertio modo, est dominii acquisitio vel alieni juris, sive realis, sive personalis peremptio, per continuationem temporis lege definiti. Ubi adverte, si acquisitionem dominii paulò latiùs accipiamus, non opus est addere illam partem (*vel alieni juris peremptio*) quia qui jus alterius perimit, acquirit dominium sibi libertatis ; liberatur enim obligatione, quâ alteri erat obstrictus ; rectè tamen additur causâ claritatis.

*Usucapio* verò *est acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti*. Ita habetur l. 3, n. de Usucap. ; quæ definitio causaliter est intelligenda. Usucapio enim est causa acquisitionis dominii ; formaliter autem videtur esse *possessio* quædam rei alienæ. Unde dicimus usucapionem interrumpi. Potest tamen etiam accipi pro ipsâ acquisitione formali dominii ; nemo enim dicitur res usu cepisse, nisi jam dominium acquisierit.

Ex his colligi potest quomodò præscriptio ab usucapione differat : si enim primo vel secundo modo sumatur, res est clara, quia præscriptio his modis est oppositio contra actorem ; si tertio modo, sic est magis commune quàm usucapio ; omnis enim usucapio est præscriptio, non contra. Nam præscriptio, quâ extinguitur actio personalis vel realis alterius, non est propriè usucapio, tamen est præscriptio. Generaliter tamen posset dici usucapio, quatenùs jus et libertas ab aliquâ obligatione potest dici usucapi ; et sic æquè latè paterent præscriptio et usucapio.

4. Advertendum tamen juris interpretes passim distinguere præscriptionem ab usucapione, quòd usucapio sit mobilium, præscriptio verò immobilium ; verùm hæc differentia non est fundata in jure. Nam usucapio etiam est immobilium, ut patet Instit. de Usucapionibus, in principio ; ubi non semel ad res immobiles refertur, et l. unica, c. de Usucapione transformandâ. Similiter præscriptio in rebus mobilibus locum habet : nam quando eos usucepimus, utimur præscriptione, seu exceptione erga priorem dominum. Itaque hisce nominibus utemur tanquàm synonymis.

## DUBITATIO II.

*Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem seu usucapionem.*

5. Respondeo, ordinariè requiruntur quatuor, ex communi DD. sententiâ, ut testatur Silv., verbo *Præscriptio*, n. 1 : *Possessio, titulus probabiliter præsumptus, bona fides*, et *continuatio possessionis cum bonâ fide, per tempus lege præscriptum.*

Primò, requiritur *possessio ;* quia ut habet regula *juris* in 6, *sine possessione præscriptio non procedit ;* oritur enim hoc totum jus ex possessione ; debet autem hæc possessio esse quâ quis nomine suo possidet, non autem nomine alieno, quia hic verè non est possessor, sed alter qui per illum possidet ; cùm autem possessio alia sit *civilis tantùm*, alia *naturalis tantùm*, alia *civilis et naturalis simul*, hæc ultima est aptissima gignendæ præscriptioni ; *naturalis tantùm* non sufficit ; *civilis tantùm*, quâ solo animo rei nostræ etiam absentes insistimus, sufficit ; ut probat Covar. reg. Possessor, p. 1, § unico, n. 7 ; hæc enim etiam ideò *civilis* dicitur, quòd hunc civilem effectum pariat.

6. Ob defectum hujus conditionis non possunt præscribi, primò, loca sacra, et jus decimarum à laico ; nam non est capax possessionis civilis talium, cùm jus ei resistat, ut patet ex dictis supra cap. 3, dub. 9. Secundò, religiosus professus non potest quidquam præscribere, seu usucapere, quia nihil potest nomine suo possidere. Tertiò, fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, conductor, commodatarius, pignerator, non possunt rei proprietatem præscribere seu usucapere : tum quia hanc non possident nisi naturaliter, cùm dominus directus eam possideat civiliter ; tum quia non possident eam nomine suo, ne naturaliter quidem, sed nomine directi domini. Unde si post centum annos probare posses initium possessionis, nimirùm rem illam nomine tuo possessam fuisse ab initio, nulla præscriptio tibi obstabit ; ita expressè Glossa in cap. *Clerici*, 11, v. in jus proprium, 16, q. 4. Joannes Andreas ibidem. Silvest. præscriptio 2, n. 20, et alii. Quod probatur d. cap. *Clerici*, ubi dicitur : *Quæ precariò possidentur, in jus proprium præscriptione temporis non posse revocari.* Idem confirm. cap. *Si episcopus*, 12, ibidem. Et quamvis loquantur solùm de rebus Ecclesiæ, eadem tamen sunt intelligenda de rebus aliorum, cùm eadem in omnibus sit ratio, ut Glossa exponit. Idem confirm. jure civili ; nam l. *Malè agitur*, c. de præscript. 30 annorum, sic dicitur : *Malè agitur cum dominis prædiorum, si tanta precariò possidentibus prærogativa defertur, ut eos post 40 annorum spatia quàlibet ratione decursu inquietare non liceat.* Et infra : *Nemo igitur qui ad possessionem conductor accedit, diù res alienas tenendo jus sibi proprietatis usurpet ; ne cogantur domini aut amittere quæ locaverunt, aut locatores utiles sibi fortassis excludere, aut annis omnibus super dominio suo publicè protestari.* Sed hæc intellige, si res apud illum qui nomine alterius possidebat, vel apud ejus hæredem, maneat, secùs si alteri vendita ab hærede bonâ fide fuerit ; sed de hoc plura infra dubit. 15. Possunt tamen isti præscribere jus utilitatis ; non quia naturaliter possident rem, ut quidam volunt, sed quia hoc jus civiliter possident, utpote suo nomine, ut rectè Covar. supra, n. 7. Quartò, si colonus vel quivis fructuarius venderet

domum vel agrum absente domino et ignorante, emptor non posset præscribere, quia non haberet possessionem civilem, sed solùm naturalem; civilis enim manet apud dominum absentem, quamdiù retinet animum possidendi, vel donec sciat rem suam ab alio occupatam, et sciens non audeat eum depellere, ut dictum est c. 3, dub. 12; ubi tamen dominus amiserit possessionem, emptor poterit præscribere, ut dicetur dub. 13. Quintò, nemo potest præscribere quamdiù apud ipsum non est possessio civilis, sed apud alium; nam præscriptio incipit ab eo die quo dominus prior amittit possessionem civilem, ut omnes DD. tradunt, teste Covar. n. 7; tunc enim primùm incipit detentor civiliter possidere.

7. Petes, utrùm hæc conditio requiratur etiam in præscriptione, quæ fit per debitorem vel reum contra actionem personalem vel realem creditoris vel actoris? Quidam negant, eò quòd reus vel debitor qui sic præscribit, nihil videatur possidere : cùm hæc præscriptio ex eo oriatur, quòd creditor vel actor aliquid omittat. Sed conformiùs dicitur, etiam hìc necessariam esse quamdam possessionem, nempe libertatis suæ, quæ certo duret tempore, ut infra dubit. 11, patebit.

8. Secundò, requiritur *titulus probabiliter præsumptus*, id est, qui bonâ fide putetur validus; ut donationis, testamenti, vel successionis ab intestato, emptionis, permutationis, etc. Non est autem necessarium ut ille titulus sit verus, id est, validus : nam hic sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secutâ traditione : sed satis est ut probabiliter putetur verus, quamvis reverà invalidus sit (ut quia venditor non habuit potestatem vendendi); tunc enim jus facit ut res aliena, exacto tempore definito, fiat tua. Debet autem hæc opinio, quâ putas titulum validum, provenire, non ex ignorantiâ juris, præsertim manifesti et indubitati (ut si putares minorem posse vendere rem immobilem sine decreto judicis, aut parentem validè donare filio), ut infra dub. 5 dicetur; sed ex ignorantiâ facti : ut si putes decretum judicis intervenisse, et non intervenit : si id quod parens dedit, putes fuisse donatum per cessionem usûsfructûs, quem in bonis ejus habebat. In dubio autem utrùm ex ignorantiâ juris aut facti provenerit hæc opinio de titulo, exacto tempore præscriptionis præsumendum pro præscribente, ob possessionem bonâ fide toto illo tempore continuatam; secùs si constet provenisse ex errore juris. Advertendum tamen est, non semper requiri titulum ad præscriptionem, ut docet Cov. 2 p., § 8, quia sæpè fit ut tituli obliviscamur; multa enim habemus in rebus nostris, quæ utrùm emptione, donatione, testamento, an aliter acceperimus, ignoramus. Requiritur tamen ut breviore vel ordinario tempore fiat præscriptio.

9. Tertiò, requiritur *bona fides*, ut patet ex regulâ juris in sexto, *Possessor malæ fidei non præscribit*, in quam regulam Covarr. doctissimum commentarium scripsit, quem sæpè hìc citamus. Idem habetur in c. finali de præscriptionibus, quod sumptum est ex concilio magno Lateranensi, ubi dicitur : *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bonâ fide præscriptio, tam canonica quàm civilis; cùm generaliter sit omni constitutioni et consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui præscribit, in nullâ temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ex quibus verbis hoc etiam colligitur, *bonam fidem* in proposito esse credulitatem, quâ quis sibi prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dico *prudenter*, quia si ex ignorantiâ crassâ, vel inordinatâ cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides.

Quartò, requiritur certi temporis continuata possessio : quod tempus varium est pro varietate rerum præscribendarum, ut infra dicetur.

Circa prædictas conditiones, præsertim circa 3 et 4, sunt aliquot dubitationes. Unde sit

## DUBITATIO III.

*Utrùm dubitans an res sit sua, censeatur bonâ fide eam possidere.*

10. Tractat hoc Covar. ad regul. Possessor, p. 2, § 7, n. 3 et sequent.

Resp. et dico primò : Qui dubitat, non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem, quamdiù manet dubitatio. Ita Covar. supra, Joannes Medina, cod. de Restitutione, q. 17; et est communis sententia doctorum.

Ratio est, quia ut rem quam antea non habebam, incipiam mihi vindicare et usurpare, requiritur ut determinatè judicem eam vel esse nullius (et ita fieri meam per occupationem), vel certè esse meam, quamvis id antea non adverterim. Quòd si dubitem an sit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans, cùm non sit melior mea conditio quàm alterius. In hoc casu, si dubium versetur inter duos, quorum neuter bonâ fide possidebat, res est dividenda, quia pars est jus utriusque; neque est ulla ratio cur alteri potiùs quàm alteri adjudicetur, ut dictum est 1-2, q. 19.

11. Dico secundò : Qui dubitat, censetur habere bonam fidem sufficientem ad continuandam possessionem bonâ fide initam; unde quandò dubium supervenit ei qui bonâ fide cœpit possidere, non violat, nec interrumpit eam. Ita Covar. supra, § 7, n. 3 et sequentib., ubi multos citat pro hâc sententiâ. Idem docet Medina loco citato. Est contra Adrianum in 4, q. de Præscriptione; et Sotum l. 4 de Justitiâ, q. 5, a. 4, et quosdam alios, qui dicunt bonam fidem per tale dubium interrumpi, et ita non procedere præscriptionem. Sed probatur nostra sententia ex cap. *Si virgo*, 34, q. 1, ubi dicitur : *In jure prædiorum, tamdiù unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiù possidere se ignorat alienum.* Idem indicatur c. finali de Præscriptione, cùm dicitur : *Unde oportet ut qui præscribit, in nullâ temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Atqui dubius non est sibi conscius rem esse alienam, et ignorat se possidere alienum : ergo manet

possessor bonæ fidei, et procedit præscriptio; loquuntur autem hæc capita de continuatione possessionis, non autem de inchoatione.

Secundò, probatur ratione, quia in pari dubio melior est conditio possidentis quàm non possidentis : ergo cùm is qui incipit dubitare, jam possideat, melior est ejus conditio quàm non possidentis; ac proinde potest rem retinere, etsi adhibitâ diligentiâ adhuc maneat dubitatio : quòd si potest rem retinere, etiam potest continuare possessionem perseverante illo dubio; ergo hæc continuatio poterit perficere præscriptionem; nam sola illa possessio est inutilis ad præscribendum, quæ non est sine peccato, ut patet ex dicto c. finali.

Objicitur contra : Bona fides est existimatio quâ quis prudenter existimat rem, quam retinet, esse suam; atqui dubitans non existimat esse suam : ergo non habet bonam fidem.

Respond.: Non tantùm est bona fides cùm quis positivè credit rem esse suam, sed etiam cùm nescit esse alienam; ut colligitur ex cap. finali supra. Unde cùm dubitans nesciat esse alienam, censetur habere bonam fidem talem, qualis quidem non sufficit ad inchoandam præscriptionem, tamen ad continuandam sufficiens est.

12. Ex his potest colligi resolutio cujusdam dubitatiunculæ, quam Covarr. tractat n. 2, supra : Utrùm detur medium inter bonam et malam fidem? Dicendum est dari medium, si hæc speculativè considerentur : non autem si in ordine ad praxim. Dubitans enim speculativè, nec bonam nec malam fidem habet, quia nec credit positivè rem esse suam, nec alienam; sed hæret in medio. In ordine autem ad praxim habet vel bonam fidem vel malam : bonam, si agatur de continuatione possessionis benè inchoatæ; malam verò, si agatur de possessione primùm ineundâ. Qui enim dubitat an res sit sua, malâ fide possessionem inchoat, quia contra conscientiam facit; scit enim se eam rem, de quâ dubitat an alterius sit, sibi vindicare non posse; bonâ tamen fide possessionem ritè inchoatam continuat, quia cùm possessio ei suffragetur, novit se rem illam ob dubitationem supervenientem non teneri deserere, et alteri tradere; sed satis esse ut diligenter de veritate inquirat; et si adhibitâ convenienti pro rei momento inquisitione adhuc dubium perseveraverit, se in suâ possessione progredi posse : eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis.

## DUBITATIO IV.

*Si quis dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, et tamen retineat, utrùm bonâ fide continuet possessionem, an malâ.*

13. Resp. : Malâ fide continuat possessionem; unde non procedit ei præscriptio, ut expressè habetur l. *Si fur*, π. de Usucapionibus, ubi dicitur : *Si quis id quod possidet non putet sibi licere per leges usucapere, dicendum est, etsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem, vel quia non bonâ fide videatur possidere, vel quia in jure erranti non procedat usucapio.* Sed occasione hujus legis occurrit dubium; de quo fusè Covar. reg. Possessor, p. 2, § 7, n. 5, et sequent.

## DUBITATIO V.

*Utrùm si quis ex ignorantiâ juris rem usurpet ut suam, suamque esse existimet, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum.*

Verbi gratiâ, comparâsti rem aliquam contractu usurario, quem putabas justum, quòd existimares usuras mediocres justè exigi; accepisti à religioso vestem, equum, etc., nesciens religiosum non posse donare; utrùm cum tali errore currat præscriptio? Joannes Medina, q. 17, docet quamvis ignorantiam inculpatam tam juris quàm facti sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ. Sed contrarium est verius, si agatur de præscriptione ordinariâ. Pro quo

14. Dico primò : Juris clari ignorantia non sufficit ad præscriptionem rei, etiamsi sit omninò inculpata. Est communis sententia DD., ut docet Covar. reg. Possessor, p. 2, § 7, n. 6.

Probatur l. *Nunquàm* 31, π. de Usucapionibus, ubi dicitur : *Nunquàm in usucapionibus juris error possessoribus prodest;* et l. *Juris* 4, π. de juris et facti Ignor. : *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat;* et l. *Error* 8, π. eod. tit. : *Error facti, ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest; juris autem error, nec feminis in compendiis prodest; cæterùm omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.* Idem habetur l. sequenti. Quare cùm leges nolint hunc errorem prodesse, non procedet cum eo præscriptio; sicut enim præscriptio jure humano constat, ita ab eodem potest circumscribi.

15. Dico secundò : Hujus tamen juris ignorantia seu error inculpatus sufficit ad præscribendos fructus ex re illâ perceptos. Ita Navar. lib. 1, consil. 6, tit. de Officio judicis; Covar. l. 1 variarum Resolutionum, cap. 3, n. 8, Glossa in l. *Si fur*, 32, π, de Usucap., § 1; Innoc. Ancharana Cardinal. et Imola, in cap. *Ad nostram* 11, de Rebus eccl. non alien., et alii multi. Probatur ex l. *Sed etsi* 25, § *Scire*, 6, π. de Petitione hæreditatis : ubi insinuatur eum qui in jure errans possidet, posse comparare fructus; modò non sit prædo, id est, malæ fidei possessor. Nec refert utrùm fuerit error juris nec assistentis nec resistentis contractui, an juris resistentis, quia utroque casu verum est, ut docet Navar. et Covar. supra; etsi multi jurisconsulti cum Bartolo id non admittant, cùm est error juris resistentis. Ratio est, quia quando jus non distinguit, nec nos debemus distinguere : atqui d. § *Scire*, non distinguit, nec est ullus textus aut ratio efficax, quâ illa distinctio probetur, ut Navarrus ait. Deinde præter auctores citatos, ita docet Glossa in l. 2, c. *Si quis ignorans rem min. esse;* ubi Baldus et Salicetus secuti Glossam docent, errantem in jure bonâ fide, acquirere fructus ex contractu nullo, et jure reprobato. Idem tenet Covar. supra. Præscribuntur autem fructus triennio bonâ fide possessi, ut docet

Covar. supra n. 7, et ex infra dicendis patebit. Ratio cur fructus præscribantur, esse potest, quia error circa fructus videtur esse error facti; putat enim possessor se eos percipere ex re suâ.

16. Dico tertiò : Ignorantia vel error juris valdè dubii, et etiam verè dubii, sufficit ad præscriptionem ipsius rei. Ita Navar. supra : *Error*, inquit, *juris dubii perinde prodest ad hoc* (usucapionem), *sicut error facti*. Probat ex Glossâ, Panor. Felino et aliis in cap. *de quartâ*, de Præscriptionibus. Item tenet Covar. § 7, n. 12, et Sil. verbo *Præscriptio*, § 4, et alii. Nec refert quòd aliqui ex his requirant ut hoc jus sit valdè dubium; quia sufficit esse verè dubium, ut Navar. et Sil. Ratio est, quia quando jus aliquod est verè dubium (id est, de quo utrimque sint multorum sententiæ), prudenter possumus in praxi utramlibet sequi, perinde ac si jus planum esset.

Hinc sequitur posse usucapere eum qui aliquid contractu ambiguo, de quo utrimque sunt opiniones doctorum, comparavit.

17. Sed difficultas est utrùm sententia Medinæ sit aliquo modo probabilis. Quidam negant esse probabilem, etiamsi agatur de præscriptione longissimi temporis, quæ non requirit titulum, qualis est 30 et 40 annorum. Probatur primò, ex juribus adductis n. 14, quæ expressè habent juris errorem in præscriptione non prodesse. Secundò, quia cum malâ fide non procedit ullo tempore præscriptio, cap. fin. de Præscript. Atqui is qui per ignorantiam juris rem acquirit, comparando illam per contractum jure invalidum, habet malam fidem, ut jura loquuntur; ergo. Minor probatur ex l. *Quemadmodùm* 7, c. de Agricolis et censitis, ubi dicitur eum qui emit adscriptitium sine glebâ, non posse usucapere : *Quia*, inquit, *malæ fidei possessorem esse nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur*. Ubi adverte non dici talem præsumi habere malam fidem, sed habere malam fidem. Nam jura malam fidem vocant non solùm credulitatem quâ quis credit aut dubitat rem non esse suam, quam retinet ut suam, sed etiam quâ quis ex errore juris seriò putat esse suam; hanc enim ideò vocant malam, quia est inutilis ad præscriptionem. Tertiò, probatur ex cap. *Dudùm* 31, de Decimis, ubi pontifex decimas, quas rex Hungariæ dederat Hospitalariis S. Stephani, adjudicat episcopo, eò quòd acceperant illas à manu laici, qui jure eas non poterat possidere, ac proinde nec donare : ubi pontifex non ponderat lapsum temporis 40 annorum nondùm expleti, sed titulum ex errore juris inductum, ac proinde invalidum. Quartò, etiamsi pars adversa contra quam Titius intendit præscribere, fateretur illum ignorantiâ invincibili juris laborâsse, nihil ominùs in foro externo Titius condemnaretur : ergo ibi non proceditur ex præsumptione malæ fidei, sed ex eo quòd credulitas ex errore proveniens sit reverà mala fides. Confirm., quia alioquin jus civile foveret peccatum, auferendo rem vero domino, qui jam præscriptione acquisiverat verum dominium. Quintò, etiamsi concederetur illas leges procedere ex præsumptione malæ fidei, tamen res istæ non possent præscribi tempore 30 annorum, sed solùm tempore cujus initii non exstat memoria, quia præsumptio juris illi obstat, juxta cap. 1 de Præscript. in 6.

Hæc ferè sunt argumenta, quibus hæc sententia probari potest, quam proinde tenet noster Molina disput. 64, qui etiam putat contrariam non esse probabilem. Glossa in cap. 2, *De his quæ fiunt à prælato*, et in cap. *Apostolicæ*, 9, de Donat.; Felinus in cap. *De quartâ*, 4, n. 34, de Præscript.; Abbas in cap. *Cùm non liceat*. col. 6; Cynus in l. *Si quis emptionis*, § 1, c. de Præscript. 30 annorum; Bart. in l. *Sed etsi*, § *Scire*, π. de Petit. hæredit. Sed contrariam judico veriorem et probabiliorem, quando agitur de præscriptione 30 annorum. Hanc tenet expressè Covar. ad regul. Possessor, p. 2, § 7, n. 6, concl. 2 : *Error*, inquit, *juris bonam fidem inducit sufficientem ad eam præscriptionem quæ titulum non requirit, sed solâ bonâ fide procedit;* qualis nimirùm est 30 annorum. Et quamvis in sequentibus videatur hoc restringere ad errorem juris nec assistentis nec resistentis, quale plurimorum DD. judicio est de testamentorum solemnitatibus, tamen postea n. 11, idem concedit de errore juris contractui resistentis, modò sit error invincibilis : *Quantùm*, inquit, *ad præscriptionem error juris excluditur, nec ex eo præscriptio procedit, quia illa culpa et negligentia in juris errore, et in non inquirendo diligenter quid leges de illo actu ad ejus justitiam statuerint, efficit ut ad effectum præscribendi juris error vel mala fides judicetur, vel ejus vicem habeat; juxta regulam, Qui contra jura*, etc.; *quo fit ut si contingat errorem juris etiam resistentis invincibilem esse, tunc præscriptio in animæ judicio obtinebit, atque ita defendi poterit Joannis Medinæ opinio. Imò et ea sic intellecta apud Judicem exteriorem admittenda est, sicut apertissimè in tertiâ conclus. probatur*. Hæc Covar. Eamdem sententiam tenet Alexander Imolensis in d. cap. *De quartâ*, et in repetit. cap. fin. col. 4, in fine de Præscript., et col. 10; adducit Antonium Butrio in cap. *Cura*. 11, de Jure patron., qui etiam id docet in cap. *Pervenit*, 4, de Empt. et Vendit., ubi dicit : *Licet error juris circa titulum impediat præscriptionem ad quam requiritur titulus, non tamen impedit præscriptionem ad cujus substantiam non requiritur titulus, sed sola bona fides, ut est præscriptio* 30 *annorum*. Item tenent Paulus de Castro consil. 152, § *Circa præsentem casum*, col. 3, et consil. 40, § *In causâ*, col. 1, et maximè in l. *Celsus*, 27, post principium, π. de Usucap.; Ludovicus Romanus consil. 123, § *Circa primum dubium*, col. 4. Pro eâdem citat Covar. Alexandrum, consil. 125; Felinum in cap. *Cùm contingat* 24, de Rescriptis; Jason. in l. *Si quis id quod notab.* 8; et ibidem Decium, π. de Jurisdictione omnium judicum, et Anton. Rub. cons 75, qui hanc omnium fatetur esse communem.

Probatur primò : præscriptio tricenaria non requirit titulum, sed tantùm possessionem bonæ fidei tanto tempore continuatam · atqui is qui errat in jure, potest habere bonam fidem, et cum eâ possidere tempore præscripto; ergo. Minor probatur, quia doctiores, quos commodè potuit, consului, et omnia fecit

quæ tenebatur facere ad cognoscendas contractûs leges, ita ut ignorantia sit planè invincibilis; ergo habet bonam fidem. Quod confirmatur, quia cùm jus est obscurum seu dubium, ideò error juris non excludit bonam fidem de titulo, quòd error tunc planè sit inculpatus, et homo fecit quidquid debuit ad veritatem cognoscendam; ergo similiter quando jus non est quidem obscurum sed ignotum, error non excludet bonam fidem, si homo fecit quod in se est ut veritatem cognosceret. Ita Covar. supra, ubi dicit hanc rationem apertissimè concludere.

Secundò, ideò error juris impedit præscriptionem, quia qui sic errat, præsumitur habere malam fidem, vel reverà habet; sed jure civili præscriptio tricenaria et quadragenaria locum habet etiam cum malâ fide, ut patet l. *Si quis emptionis*, c. de Præscript. 30 vel 40 annorum : ergo jure civili tricenaria præscriptio valet etiam cum errore juris. Conseq. est clara, et antecedens quoad utramque partem admittitur ab omnibus.

Dices : Jus civile quâ parte concedit præscriptionem tricenariam cum malâ fide, est correctum per canones; ut patet cap. Vigilanti. 5, et cap. fin. de Præscriptione.

Respond. non esse correctum, nisi quoad malam fidem, quæ est cum peccato : tota enim ratio illius præscriptionis tollendæ erat, quia sine peccato et dispendio salutis non poterat servari; atqui cùm est error juris invincibilis, nullum est peccatum in possessione : ergo quoad hanc malam fidem non est correctum. Hæc ratio videtur hanc sententiam planè convincere.

Tertiò, ideò leges juris ignorantiam circa titulum non admittunt in præscriptione ordinariâ, quia is qui jus sui contractûs ignorat, præsumitur non bonâ fide inchoâsse possessionem, quia tenebatur adhibere diligentiam ut sciret quid jus præscribat, ut rectè docet Covar. supra n. 10; ergo si reverà nulla fuit negligentia, et error sit prorsùs inculpatus, in foro conscientiæ, ubi cessat præsumptio, poterit præscribere. Antecedens est Covar. supra, et multorum DD. et confir. ex regulâ 82, in 6 : *Qui contra jura mercatur, bonam fidem habere non præsumitur;* quam regulam intelligi de præsumptione juris docet ibidem Glossa, et ipsa verba satis indicant. Idem confirm. ex l. *Quemadmodùm*, 7, c. de *Agric. et censit.*

Quartò, multi DD. docent præscriptionem ordinariam, quæ titulum requirit, procedere cum ignorantiâ juris in iis in quibus error juris toleratur, ut in minore, rustico, milite, muliere, quia in his non præsumitur mala fides, si aliquam diligentiam adhibuerunt : ita Molina jurecons. lib. 2 de Primogeniis, cap. 7, n. 69, cum aliis quibusdam quos citat; et Baldus in l. *Venditioni*, c. de Usucap. pro empt., et in l. *Possessionis*, c. *Si quis ignor. rem minor. esse.* Ubi dicit excusari si errans est miles, vel mulier, vel est passus in jure difficiliis, de quo interrogans sapientem, habuit responsum erroneum. Ex his patet Medinæ sententiam esse valdè probabilem, et jure veriorem in præscriptione 30 annorum, quæ titulum non requirit : in præscriptione autem ordinariâ, quæ requirit titulum, in foro conscientiæ non esse improbabilem; imò non videri improbabile etiam in foro externo admittendam esse, si probatum fuerit nullam negligentiam possessoris intervenisse, sed illum fecisse quantùm pro suâ conditione potuit, ut jura cognosceret. Idem probant 3 et 4 ratio, et confirmatio primæ rationis.

Nec obstat quòd hæc præsumptio malæ fidei sit præsumptio juris, et de jure, contra quam non admittitur probatio, cùm sit instar juris; quia etsi ordinariè non admittatur, tamen quando subest evidens causa, potest admitti, vel judicis benignitate, vel restitutione in integrum, ex clausulâ generali, si qua mihi justa causa esse videbitur, de quâ l. 1, in fine, π. Ex quibus causis majores, etc.

Ad primam rationem sententiæ adversæ respond. illa jura loqui de præscriptione ordinariâ requirente titulum, quæ triennio, 10 vel 20 annis expletur, non autem de præscriptione 30 annorum. Hæc enim jure Pandectarum (unde sunt illæ leges citatæ) non est cognita, sed jure Codicis introducta. Secundò, dici potest illa procedere ex præsumptione malæ fidei; præsumitur enim, cùm est error juris in contractu, intervenisse saltem negligentiam aliquam, nec adhibitam omnem diligentiam, quæ potuit et debuit adhiberi; et ita error juris non prodest in compendiis, nisi probetur adhibitam omnem diligentiam ut jus sciretur. Cùm hoc tamen stat, quòd possit prodesse in foro conscientiæ, ubi cessat præsumptio, et statur ipsâ veritate.

Ad secundam, nego illum reverà habere malam fidem, si error erat invincibilis; solùm enim præsumitur habere, quia præsumitur non adhibuisse diligentiam quam debuit, ut sciret jura. Neque jura credulitatem ex errore inculpato vocant malam fidem, eò quòd sit inutilis ad præscriptionem : esset enim petitio principii. Ideò enim credulitas aliqua est inutilis ad præscriptionem, quia est mala fides, non autem ideò est mala fides, quia inutilis ad præscriptionem. Deindè valdè impropriè diceretur talis malâ fide possidere. Denique cap. *Vigilanti*, et cap. fin. de præscript., nullam agnoscit in hâc materiâ malam fidem, nisi quæ est cum peccato; talis autem credulitas ex errore juris inculpato non est peccatum.

Nec obstat l. *Quemadmodùm;* sensus enim est : Nullus juris peritus ambigit esse malæ fidei possessorem (nempe quoad forum externum), qui contra legum interdicta mercatur. Confir. 1° quia ex illâ lege sumpta est regula juris 82 : *Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere;* quæ apertè loquitur de præsumptione, illamque legem explicat : unde eodem modo intelligenda. Confirm. 2° quia eâdem l. dicitur emptorem amittere pretium : atqui hoc non est justum, nisi intervenerit aliqua culpa in emptione : ergo agitur de errore culpabili. Addo : Etiamsi mala fides sic acciperetur, tamen cùm præscriptio 30 annorum jure civili cum malâ fide procedat, et talis mala fides non sit rejecta per canones, consequens est eam non obsistere tali præscriptioni; cujus etiam signum evidens est, quòd in d. l. *Quemadmo-*

*dùm*, solùm dicatur, per talem malam fidem excludi præscriptionem longi temporis : infirmando non excludi præscriptionem longissimi temporis, qualis est tricenaria.

Ad tertiam, ad præscribendas illas decimas requirebatur possessio 40 annorum bonâ fide cum titulo; vel possessio à tempore immemorabili sine titulo, quia jus illi præscriptioni resistit, ut constat ex cap. 1 de præscript. num. 6. Illi autem hospitalarii non possederant à tempore immemorabili; unde cogebantur ostendere titulum; in quo titulo acquirendo præsumuntur fuisse malæ fidei, eò quòd erraverint in jure manifesto; qui error præsumitur culpabilis, nisi contrarium probatum fuerit. An tempus 40 annorum fuerit elapsum, non constat ex textu, itaque non est mirum, si pontifex id non ponderârit.

Ad quartam, nego id esse verum in præscriptione tricenariâ; imò probabile est nec in ordinariâ verum esse, si pars adversa fateatur illum omnem diligentiam adhibuisse. Ad confir., non magis fovet peccatum, quàm quando testamenta non solemnia rescindit, vel non protegit, aut promissionem absque stipulatione factam non admittit, etc.; vel dici potest quòd sicut præscriptio est jure civili introducta, ita etiam jure civili in quibusdam casibus possit rescindi, ut patet cùm datur restitutio in integrum contra præscriptionem. Probabile tamen est in foro conscientiæ, si constet omnem operam debitam fuisse adhibitam, non rescindi ratione ignorantiæ juris, etiamsi contra præscribentem sententia feratur, quia sententia procedit ex falsâ præsumptione. Parendum tamen sententiæ ob scandalum, et ne juris ratio perturbetur, sicut in multis similibus usuvenit.

Ad quintam, negandum est antecedens. Ad probationem resp. illud caput loqui non de præsumptione malæ fidei ratione ignorantiæ juris, sed ratione conditionis ipsius rei, eò quòd res ipsa talis sit naturæ, ut jure communi non videatur posse à tali possideri, sicut decimæ à laico, aut decimæ hujus diœcesis ab episcopo alterius diœcesis; itaque nihil ad rem facit.

18. Dico quartò : Error inducens bonam fidem omninò sufficientem ad usucapionem, regulariter est error facti.

Sequitur ex dictis, ut si rem acceperis à fure, nesciens esse furem, tenes illam bonâ fide, ortâ ex errore facti; similiter si emptione vel donatione habeas à pupillo, nesciens esse pupillum, ut patet l. *Pro emptore*, 2, π. *Pro emptore*. Pari modo si emas à prælato rem Ecclesiæ, putans capitulum consensisse, est error facti, et potes præscribere, etiamsi capitulum non consenserit. Si autem emeris à prælato, putans non requiri consensum capituli, est error juris, nec potes præscribere, nisi fructus rei, non autem rem ipsam, ut docet Covar. n. 6. Intellige tempore ordinario, et ut supra explicatum.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm aliquando cum malâ fide procedat præscriptio.*

19. Vide Covar. ad reg. *Possessor*, p. 2, § 11.

Resp : Propriè loquendo nunquàm procedit præscriptio cum malâ fide. Nam leges civiles statuentes præscriptionem 30 aut 40 annorum etiam cum malâ fide procedere, sunt abrogatæ jure canonico, ut patet c. finali, de præscriptionibus. Unde omnes leges particularium locorum, statuentes præscriptionem post certum aliquod tempus, sive in rebus corporalibus sive in spiritualibus (i. e., juribus seu actionibus realibus et personalibus) requirunt suo modo bonam fidem, ut fusè docet Covar. § 11.

Unde infertur primò : Ut præscribam contra debitum pecuniarium, vel contra actionem ad tale debitum, quam habet Petrus in me, non sufficit ut Petrus toto tempore non exigat debitum, aut non meminerit; sed requiritur ut ego certo temporis spatio bonâ fide existimem me nihil debere Petro; v. g., ut putem esse condonatum, vel solutum, vel ut omninò memoriâ exciderit. Ratio est, quia aliàs non censebor bonâ fide possidere jus non solvendi; etsi enim creditor me non interpellet, tamen terminus elapsus ipsaque dies interpellat et monet solutionis; quare cùm peccem non solvendo, non potest mihi procedere præscriptio, juxta cap. finale supra. Similiter, etsi famulus intra biennium, ex quo desiit famulari, non petat stipendium à domino, non tamen potest dominus præscribere contra debitum illud, nisi bonâ fide putet solutum.

20. Adverte tamen non esse improbabile, cum malâ fide posse præscribi contra actionem personalem, ita ut si certo tempore creditor non exigat debitum, postea non possit illud petere in judicio, eique denegetur actio, ut docet Adrianus quodlib. 6, a. 3. Sic Carolus V, anno 1540, Bruxellæ statuit, ut famuli mercedem pactam petant à dominis intra biennium, à die à quo servire cessaverint : alioquin non possint eam petere in judicio, nisi scripturam producant; non tamen per hoc liberatur dominus in conscientiâ, si malâ fide retinet; sicut non liberatur is qui rem emit minoris justo, etsi non infra dimidium; neque is qui nudo pacto promisit aliquid, etsi contra hos non detur actio in foro externo. Contrarium tamen est verius, ut ostendit Covar.; si enim constaret debitorem malâ fide non solvisse, condemnaretur; hoc autem constare vix potest, nisi ex ipsius confessione.

21. Infertur secundò, ut quis præscribat jus eligendi, præsentandi, pascendi, aut venandi in alieno prædio, aut alterius servitutis, requiri ut bonâ fide utatur tali jure tempore lege constituto; si enim malâ fide utitur, sciens se non rectè facere, non currit præscriptio.

Objicitur primò : Is cujus bona per legem pœnalem addicta sunt fisco, ejusque hæredes præscribunt contra fisci actionem, cùm tamen sciant bona sua fisco deberi; ergo aliquando cum malâ fide currit præscriptio.

Resp.: Jurisperiti hoc passim vocant malam fidem; sed rectiùs dicitur cum theologis, tales habere bonam fidem : non quidem quâ sibi persuadeant hæc bona absolutè et pleno jure esse sua, sed quâ judicent licere sibi ea retinere, donec per fiscum auferantur; et se non

teneri fisco ea offerre; de quo vide Covar. ad 4 Decretal. c. 6, § 8, à numero 5.

Objicitur secundò : Possum præscribere contra eum, qui habet jus servitutis rusticæ in meo prædio, etiamsi sciam ipsum hoc jus verè habere : ergo cum malâ fide.

Resp.: Nego conseq.; aliud enim est acquirere jus aliquid agendi in re alterius, aliud extinguere jus, quod alter habet ratione prædii rustici in re meâ; hoc denique nihil aliud est quàm præscribere libertatem rerum mearum : quod fieri potest, etiamsi sciam alterum jus habuisse. Itaque altero habente jus servitutis in prædiis meis (v. g., ut possit transire per meum hortum vel agrum, ut possit pascere in meis prædiis), cùm non requiratur ullus actus in me ut ego contra jus illud præscribam, sed sufficiat ut ipse jure suo certo tempore non utatur (ut habetur l. *Hæc autem jura*, 6, π. *De servitutib. urbanor. prædior.*), non sum in malâ fide, etsi sciam illum jus habere; nam nihil facio illicitum, nec aliquid omitto quod debeo. Non enim teneor illum monere ut jure suo utatur. Itaque sum in bonâ fide, ut rectè Medina, q. 17, c. *de restitutione :* quia bonâ fide sino illum jure suo non uti, et mihi libertatem creari; secùs verò est quando alter habet jus, non quidem aliquid faciendi circa rem meam; sed ut ego aliquid non faciam, v. g., ne altiùs ædificem, ne fenestras in hortum ipsius aperiam, et similia. Tunc enim ut ego extinguam illud jus, requiritur ut bonâ fide faciam contrarium, et ille per certum tempus non contradicat, juxta legem citatam.

## DUBITATIO VII.

*Quantùm temporis requiratur ad usucapionem rerum mobilium.*

Notandum est ante tempora Justiniani res mobiles in Italiâ potuisse usucapi annali possessione bonâ fide continuatâ; immobiles biennio. Verùm ipse hoc jus tanquàm parùm consentaneum æquitati, plenumque litigiorum reformavit, ut videre est tit. *de annali excepti. Italic. contract. tollendâ*, et tit. *de Usucap. transfor.*, cujus reformationem amplexum est jus canonicum. Juxta hanc igitur

22. Respondeo et dico primò : Ad usucapionem rerum mobilium privati hominis, vel etiam Ecclesiæ, cum titulo requiritur et sufficit possessio per triennium bonâ fide continuata. Est communis sententia doctorum, ut docet Covar. reg. *Possess.* p. 2, § 2, n. 5, *de rebus privatorum* habetur c. de Usucapione transformandâ, l. Unicâ, et Instit. de Usucapionibus, § 1.

De *rebus Ecclesiæ* habetur authent. Quas actiones, c. de sacrosanctis Eccl.: *Quæ actiones aliàs decennalis, aliàs vicennalis, aliàs tricennalis præscriptio excludit; hæ, si loco religioso competant, quadraginta annis excludantur : usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus, solâ Romanâ Ecclesiâ gaudente centum annorum spatio vel privilegio.* Quæ authent. recepta est ab Ecclesiâ, ut patet ex Decret. 16, q. 3, c. ult. et penult. Ex quâ constat, in rebus et actionibus, quæ minore tempore quàm decennio usucapiuntur vel præscribuntur, par esse jus privati et Ecclesiæ; talis est actio reddhibitoria, actio de dolo, quanti minoris, et similes. Tituli autem hujus usucapionis à doctoribus numerantur decem.

Primus est, *pro soluto ;* ut si putans me ex aliquâ causâ debere tibi 100 aureos, solvam, vel catenam auream loco solutionis tradam, tuque bonâ fide recipias; ita habetur l. 2, π. *Pro emptore*, ubi dicitur : *Si existimans me debere, tibi ignoranti tradam, usucapies.* Idem dicendum cùm quid per errorem solvitur secundò. Excipe tamen, nisi putem me debere, vel possidere ex emptione quæ non præcessit. Tunc enim triennio id non usucapietur, ut ibidem dicitur.

Secundus, *pro emptore ;* ut si emas rem bonâ fide à furioso quem putabas sanæ mentis; secùs si à prodigo vel aleatore, cui interdicta administratio, quia requiritur bona fides non solùm in accipiente, sed etiam in tradente, idque necessarium in omni usucapione mobilium, quocumque titulo usucapias. L. 2. π. *Pro emptore.*

Tertius, *pro transacto ;* ut cùm aliquid bonâ fide est traditum et acceptum causâ transactionis, ut à lite recedatur. L. *Ex causâ*, c. de Usucap. pro empt. vel. transact., ubi dicitur : *Ex causâ transactionis habentes justam causam possessionis, usucapere possunt.* Nec refert, etiamsi ea res fortè sit aliena : modò non sit furtivè aut vi possessa, aut res fisci, aut pupilli; sed talis quæ usucapi possit : quod in omni usucapione ordinaria est necessarium.

Quartus, *pro hærede ;* ut cùm quis verè est hæres, aut bonâ fide se hæredem putat; intellige ut supra, nisi res sit vitiosa, id est, cujus conditioni obstet usucapio. Adverte tamen, quando exstat hæres qui dicitur *suus*, alios non posse contra illum usucapere, ut infra dubit. 15 dicetur.

Quintus, *pro donato ;* ut cùm quis bonâ fide donavit rem alienam ignoranti. L. 2, π. *Pro donato. Si is qui alienam rem donaverit, revocare constituerit donationem, etiamsi judicium ediderit, remque cæperit vindicare, currit usucapio.* Hic tamen requiritur ut donatio non sit invalida ratione personæ. Hinc filius sub patriâ potestate constitutus non potest usucapere donatum à patre, nec conjux donatum à conjuge, ut habetur l. 1, π. *Pro donato.* Qui tamen emit à conjuge, quod sic donatum novit, potest illud usucapere, quia cum consensu conjugis præsumitur venditum, ut habetur l. *Si id quod*, π. *Pro derelicto.*

Sextus, *pro derelicto ;* ut cùm quis cœpit bonâ fide possidere rem, quæ à domino putabatur habita pro derelicto. Idem dicendum de eo qui conditionem rei sciens, illam emit, ut habetur d. l. *Si id quod.*

Septimus, *pro legato ;* ut si testator credebatur sanæ mentis, non tamen erat : si legatum per codicillum ademptum erat, et id ignorabatur. L. 4, π. *Pro legato. Pro legato potest usucapi, si res aliena legata sit; aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur;*

*in horum enim personâ subest justa causa, quæ sufficit ad usucapionem.* Addit : *Idem dici potest, etsi in nomine erit dubitatio : veluti si Titio legatum sit, cùm sint duo Titii, ut alter eorum de se cogitatum existimaverit.* Idem l. fin. π. eodem.

Octavus, *pro dote;* ut si res aliena bonâ fide pro dote data sit; l. 1. π. *Pro dote.* Incipit autem hæc usucapio à tempore quo cœpit esse maritus per contractum de præsenti, non ante, ut ibidem dicitur, quia dos tunc primùm incipit possideri titulo dotis. Si sponso aliquid à sponsâ detur eâ mente ut statim fiat ejus, poterit illud usucapere *pro suo*, non *pro dote*, ut ibidem habetur.

Nonus, *pro suo;* hic titulus est valdè generalis, et oritur ex omnibus iis quibus putamus nobis acquiri dominum, remque possidemus ut nostram, ut patet l. 1, π. *Pro suo.* Hoc modo potest quis usucapere fructum rei furtivæ, quam bonâ fide emit, v. g., agri, vel ancillæ etsi rem ipsam furtivam usucapere nequeat. L. 4, π. eodem. Sic si hæres putet Titio aliquid legatum, quod non est legatum, usucapiet Titius pro suo ; ibidem. Denique quando quis in rebus suis invenit aliquid non furtivum, aut vi possessum, quod bonâ fide ex aliquo titulo, etsi falso, putat esse suum, potest illud usucapere. L. fin., π. *Pro suo.*

Ili ferè novem tituli habentur lib. 41 Digest., et in c., lib. 7. Addunt doctores decimum, *pro judicato ;* ut cùm res est judicata, et spatio decem dierum non est appellatum. Hoc modo excluditur jus appellationis, et sententia transit in rem judicatam, ut habetur Novella 23. Quod etiam amplexa est Ecclesia in judiciis ecclesiasticis, ut patet cap. 27 Anteriorum, 2, q. 6. Ex his satis patet quomodò se habeat usucapio in mobilibus.

Petes utrùm usucapio triennalis etiam locum habeat contra Ecclesiam Romanam? Videtur non habere; nam post illa verba, *Usucap. triennii*, etc., subjungitur, *sola Ecclesia Romana*, etc., quasi sit exceptio ab utrâquè sententiâ præcedente. Confir. cap. *Cùm vobis*, 14, de præscriptionibus, ubi generatim absque distinctione mobilium et immobilium dicitur, *contra Ecclesiam Romanam , nonnisi centum annorum præscriptio locum sibi vendicat*, ubi Glossa. v° *Centum : Hæc præscriptio obtinet in rebus et possessionibus*, distinguens *res* à *possessionibus*, tanquàm mobilia ab immobilibus, et Panor. in cap. *Cùm dilecta.* 4 de Confir. utili vel inutili, v° *Possessiones : Ecclesia Romana gaudet præscriptione centum annorum, non solùm in rebus privatis ipsius Romanæ Ecclesiæ, sed etiam in omnibus juribus et possessionibus quæ competunt ratione libertatis datæ : ut cùm eximit aliquod Monasterium, vel Capitulum à jurisdictione Ordinarii.* Addit Panorm.: *Et sentiunt DD. hìc ex illâ generalitate verborum hoc procedere tam in rebus mobilibus quàm immobilibus corporalibus et incorporalibus, quod benè notes. Ex hoc enim infertur quòd usucapio triennalis in rebus mobilibus non habet locum contra Ecclesiam Romanam.* Idem tenet Silvest. v° *Præscriptio* 1, n. 7, § 3. Hæc sententia est valdè probabilis. Nihilominùs altera quoque sententia probabilis est; nimirùm triennalem mobilium præscriptionem contra Ecclesiam Romanam locum habere ; ita Covarr. supra, generatim docens par esse jus privati et Ecclesiæ in rebus et actionibus quæ minori tempore quàm decennio usucapiuntur, et Molina disput. 68, citans Glossam, et doctores in illam authent. Probatur, quia illa exceptio, *sola Romana*, etc., solùm intelligenda est fieri ab illis verbis : *Hæ si religioso loco competant*, etc., et illâ : *Usucapione triennii*, etc., veluti per parentesin interjecta. Id apertè indicant doctores in periochâ hujus authent. Confir., quia aliàs non rectè diceretur *usucapionem triennii*, etc., *in suo robore durare;* hoc enim significat nihil in illâ mutari; at aliquid in eâ mutaretur, ut statim ab eâ fieret exceptio. Deinde hæc authentic. ex tribus diversis Justiniani Novellis contexta est. Prima pars est ex Novellâ 131, cap. 6, pro temporalibus præscriptionibus, etc. Secunda, *usuc. triennii*, ex Novellâ 111, cap. 1. Tertia, *sola Romana*, ex parte est ex Novellâ 9, ubi solùm in præscriptione longissimi temporis, quale est spatium 30 annorum, concedit Ecclesiæ 100 annos. Unde hoc non est extendendum ad usucapionem triennalem et quadriennalem. Mihi tamen probatur prior sententia, quia hæc res non solùm pendet ex vi istius authent., sed maximè ex ordinatione canonum, qui generatim loquuntur.

Dico secundò : Ad usucapionem rerum mobilium sine titulo, requiruntur anni 30, sive privati eæ sint, sive Ecclesiæ; est communis doctorum.

Prior pars patet ex l. 3, c. de præscript. 30 vel 40 annorum, ubi res immobiles contra privatum præscribuntur 30 annis, sine titulo. Idem ergo censendum de mobilibus, cùm nihil aliud de his sit statutum, absente titulo.

Altera probatur, quia cùm Ecclesia in mobilibus non habeat privilegium, sed solùm in immobilibus, eodem jure censeri debet quo privatus; de quo vide Covarr. § 5, n. 2. Ego tamen exceperim Ecclesiam Romanam, juxta prædicta.

## DUBITATIO VIII.

*Quantùm temporis requiratur ad immobilium præscriptionem, sive contra privatum, sive contra Ecclesiam, vel piam causam.*

23. Dico primò : Ad præscribenda bona immobilia privatorum, cum titulo requiritur spatium 10 annorum inter præsentes ; 20 inter absentes : sine titulo requiruntur anni 30. Est communis sententia doctorum in cap. *Sanctorum*, de præscript., et alibi.

Prior pars habetur Instit. de Usucap. § 1, et l. *Cùm in longi* ult., c. de præscript. longi temporis, ubi tria notanda sunt. Primum est, longum tempus in materiâ usucapionis vocari spatium 10 annorum inter præsentes, 20 inter absentes ; longissimum autem spatium 30 vel 40 annorum. Patet ex dictâ l. *Cùm in longi.*

Secundum, *præsentes* dici, qui in eodem territorio habitant, ut sunt omnes qui in territorio Lovaniensi, etiamsi non in civitate, *absentes*, qui in diversis ter-

ritoriis, ut docet Panorm. in cap. *De quartâ*, de præscriptione, num. 30.

Tertium, si præsens fueris 7 annis, et postea egrediaris territorium habitaturus alibi, opus est adhuc sex annis, ut res immobilis contra te præscribatur. Ratio est, quia supererant tres anni ad complendam præscriptionem contra præsentem, qui debent duplicari ratione absentiæ: ut habetur expressè auth. *Quòd si quis.*, c. de præscriptione longi temporis; unus enim annus præsentiæ æquivalet duobus annis absentiæ. Silv., verbo *Præscriptio*, 1, q. 7, et reliqui doctores.

Altera pars, *sine titulo requiri annos* 30, patet ex cap. *Sanctorum*, de præscriptione. Idem colligitur ex l. *Si quis emptionis*, 8, § 2, c. de præscriptione 30 vel 40 annorum.

Ubi adverte, quando agitur de præscriptione 30 vel 40 annorum, *ordinariè* neque jure pontificio neque Cæsareo requiri titulum, sed sufficere bonam fidem cum possessione tanti temporis, ut docet Covarr. reg. *Poss.* § 5, num. 2, ex communi doctorum sententiâ. Dixi *ordinariè*, quia interdùm exigitur tituli probatio; nempe quando præsumptio juris est contra præscribentem, ut docet Covarr. l. 1 Variar. cap. 17, n. 7 ut fit quando episcopus unius diœcesis vult præscribere decimas sitas in aliâ diœcesi, ut habemus c. 1 d præscriptione, in 6. Hìc enim ex possessione 40 annorum non præsumitur titulus, sed requiritur titul probatio, vel certè, ut à tempore, cujus initii memoria non exstat, possederit.

24. Dico secundò: Si privatus ille fuerit pupillus, nulla contra eum, quamdiù est in eâ ætate, datur præscriptio, sive mobilium sive immobilium: si autem non sit pupillus, sed minor (id est, nondùm habens 25 annos expletos), requiruntur 30 anni.

Prior pars patet l. *Sicut in rem.* 3, c. de præscriptione 30 annorum; factum id est in favorem pupillaris ætatis et statûs.

Altera pars habetur l. ultimâ, c. In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Ratio est, quia minores non ita rebus suis possunt invigilare, ut majores, præsertim cùm administrationem non habeant.

25. Dico tertiò: Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur anni 100; contra aliam Ecclesiam, vel hospitale, vel monasterium, vel contra pias causas, requiruntur anni 40; est communis doctorum. De Ecclesiâ Romanâ habetur authentica, Quas actiones. c. de sacrosanctis Ecclesiis; ubi præscriptionis tempus contra reliquas Ecclesias et pia loca restringitur ad annos 40 (cùm antea esset annorum 100, ut patet ex l. Ut inter divinum, quæ immediatè præcedit), et soli Ecclesiæ Romanæ inter loca pia reservatur privilegium 100 annorum. Dico, *inter loca pia*, quia hìc non revocatur privilegium, quod in dictâ lege, ut inter divinum, erat concessum civitatibus, ut contra eas non possit præscribi nisi 100 annorum spatio, si quid illis per ultimam voluntatem relictum, vel si quid donatum vel venditum fuisset, ut rectè Covarr. § 2, num. 15. Idem de *Ecclesiâ Romanâ* habent in multis canonib. tit. de præscriptione. De *aliis Ecclesiis* habetur tum alibi, tum cap. *De quartâ*, de præscriptione. De *aliis piis locis et causis* habetur authent. Quas actiones; et probat Covarr. reg. Possessor, § 2, n. 3, ubi etiam refutat quosdam, qui putabant contra pauperes non præscribi.

Hìc tamen notandum est primò, quibusdam monasteriis et collegiis regularium concessum esse ut res immobiles non possint contra ipsos præscribi nisi annis 60. Concessit hoc Eugenius IV de plenitudine potestatis, ordini S. Benedicti, et Julius II congregationi S. Salvatoris, ut ex eorum privilegiis manuscriptis constat. Idem concessum Ordinibus illis qui horum privilegiis participant, ut societati nostræ et quibusdam aliis.

Secundò, si res privati incipiat esse Ecclesiæ, et contra privatum præsentem anni quinque sint exacti, non requiri ulteriùs spatium 35 annorum ad complendam præscriptionem contra Ecclesiam, sed sufficiunt 20, quia quinque priores contra privatum continent dimidium tempus necessarium, ut docet Sil. v° *Præscriptio*, q. 7, § 6; consentiunt alii doctores.

Tertiò, nomine *bonorum immobilium* hìc etiam intelligi jura et actiones ad immobilia: item beneficia, census, reditus, jus patronatûs, ususfructus, et servitutes; hæc enim omnia fixa manent, et instar immobilium fructum vel commoditatem afferrunt, itaque de his judicandum juxta duas propositiones supradictas. Majoris tamen lucis causa, et quia interdùm in his est aliqua diversitas, breviter agemus de singulis.

## DUBITATIO IX.

*Quanto tempore præscribantur servitutes, et quanto amittantur.*

De hâc re fusè agit Gomezius, tractatu de Servitutibus, tom. 2, cap. 15.

26. Dico primò: Servitus merè personalis, quæ debetur personæ à personâ, nullo tempore præscribi potest, id est, usucapione acquiri, L. finali, c. de longi temporis præscriptione; idque verum est, etiamsi bonâ fide putans esse servum, emeris; ratio est quia æquitas non patitur hominem liberum fieri servum ex errore opinionis.

Dico secundò: Servus tamen præscribit libertatem contra dominum, si per 20 annos bonâ fide putaverit se liberum, etiamsi titulum libertatis non habeat. L. 2, c. de longi temporis præscript. quæ pro libert.; Gomez. n. 26. Hoc constitutum est in favorem servorum.

27. Dico tertiò: Servitus mixta, quæ à re debetur personæ, ut est ususfructus, præscribitur cum titulo 10 annis inter præsentes, et 20 inter absentes: sine titulo annis 30, L. fin., c. de præscript. longi temporis, et Gomezius sup.; v. g., aliquis, qui non erat dominus rei, vel non habebat potestatem, constituit tibi usumfructum in agro, silvâ, vel aliâ re simili; tuque in re possedisti bonâ fide hoc jus per 10 annos præsente eo ad quem pertinebat; etiamsi postea constet illum non potuisse constituere, tamen ut retinebis ad

vitam, vel ad tempus constitutum, quia hoc jus effectum est tuum lege præscriptionis : quòd si dominus ad quem pertinebat, sit absens, requiruntur anni 20 Si titulum non habes, quo ad te pervenit (ut si dictum tibi fuit ad te pertinere, nescias autem quâ ratione) sicque bonâ fide per 30 annos possideas, tuus erit ad vitam. Idem dicendum est de feudo et emphyteusi; præscribuntur enim ut usufructus, cùm sint species quædam illius.

Ubi tamen adverte, usumfructum non præscribi ratione possessionis rei fructiferæ, ut agri, silvæ, vel alterius, quia usufructuarius non possidet hanc rem suo nomine, nec possessione civili, sed tantùm naturali et nomine alterius, verùm ratione possessionis ipsius juris, quod vocatur usufructus, ut benè Gomezius supra, qui citat alios; debes enim hoc jus possidere tanquàm tuum.

28. Dico quartò : Servitus merè realis, sive sit continua vel quasi continua (ut tigni immittendi, oneris ferendi, stillicidii, aquæductûs), sive discontinua (ut eundi per tuum prædium, agendi jumentum, ducendi currum), cum titulo et bonâ fide præscribitur 10 annis, præsente eo contra quem agitur; 20 verò eo absente : est communis doctorum ex l. finali, c. de Præscriptione longi temporis; ut si is qui verè non erat dominus rei, tamen putabatur esse, tibi concessit jus immittendi tignum in murum, vel stillicidium in aream, vel ducendi aquam per hortum, vel jumentum, aut plaustrum per agrum; et tu bonâ fide hoc jus per decennium possideas, præsente eo cujus interest, verè efficeris dominus talis juris, lege præscriptionis; neque hìc requiritur scientia et patientia illius, contra quem præscribitur, quando titulus adest, ut communiter doctores tradunt.

Dico quintò : Servitus merè realis, si sit continua vel quasi continua absque titulo, cùm scientia et patientia adversarii præscribitur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; discontinua verò absque titulo, non præscribitur nisi tempore immemorabili, d est, cujus initii non exstet memoria. Prior pars est communis doctorum ex l. 1 et 2, c. de servitutibus et aquâ; eamque tradit Gomezius, tomo 2, cap. 15, num. 27. Si enim dominus, vel is cujus interest, scit et permittit tanto tempore, censetur hoc jus spontè concedere. Altera enim etiam communis, ex l. *Servitutes*, 4, π. de servitutibus. Itaque non præscribis jus agendi jumentum, vel ducendi currum per agrum alterius absque titulo, nisi ab hominum memoriâ fuerit consuetudo : quod ideò leges statuerunt, tum quia non facilè potuit à domino adverti possessio hujus juris, ut posset eam impedire, cùm sit valdè interrupta, tum quia non potest assignari tempus quo possessio cœperit. Itaque hìc non tam præscriptio, quàm præsumptio juris antiqui et veri tituli locum habet, sicut etiam in aliis quæ tempore immemorabili nituntur : secùs est in servitute continuâ, cujus usus cùm sit continuus vel quasi continuus, facilè advertitur. Vide Gomezium num. 28.

29. Notandum est, cùm tota præscriptio nascatur ex continuâ possessione, quæ certo tempore duret, diligenter advertendum initium possessionis, quod aliter accipitur in servitutibus affirmativis, aliter in negativis, ut docet Gomezius supra. In *affirmativis* enim (ut sunt illæ in quibus tribuetur jus ad aliquid agendum circa rem alterius, ut sunt tigni immittendi, stillicidii, aquæductus et similes) incipit possessio ab eo die quo quis tali jure utitur bonâ fide. In *negativis* (ut sunt in quibus datur jus ad impediendum ne aliquid agas, ut ne altiùs attollas domum, ne propiùs ædifices, ne intersis electioni, ne veneris in tali silvâ, etc.) possessio incipit ab eo die quo prohibes vel impedis alterum, qui contrarium molitur. His positis, videndum quomodò servitutes extinguantur præscriptione.

30. Dico sextò : Usufructus et omnis servitus, quæ non usu amittitur, extinguitur 10 annis inter præsentes, et 20 inter absentes : habetur expressè l. penult. c. de servitutibus.

Adverte tamen, esse differentiam inter servitutes rusticas et urbanas. Nam *rusticæ servitutes* sicut et usufructus, extinguuntur per solum non usum : nec requiritur ut dominus prædii aliquid sciat, quo incipiat usucapere suam libertatem, (ut habetur l. *Hæc autem jura* 6, π. de servit. urban. prædiorum); vel ut nesciat te jus habere. Itaque jus itineris, agendi jumenti, ducendi plaustri, derivandæ aquæ per prædium alterius, pascendi pecoris, aquandi, arenæ fodiendæ, et similia, amittis solo non usu per decennium, si præsens sis, si absens, per vicennium. *Urbanæ* autem non amittuntur solo non usu, sed requiritur ut possessor loci debentis servitutem, aliquid faciat bonâ fide, quo incipiat usucapere suam libertatem, ut habetur de l. *Hæc autem jura :* v. g., habes jus immittendi tigni in murum alterius; si eximas tignum, et possessor nihil faciat quo impediat ne rursùs immittas, non perdis unquam jus tuum : sed si ille foramen obstruat, et tu per 10 annos non utaris tuo jure, perdis jus tuum. Similiter si habes jus ne ille altiùs attollat, vel propiùs ædificet, non amittis jus, nisi ille contra faciat, et tu post illud factum 10 annis præsens sileas; requiritur autem ut ille nesciat jus tuum, et bonâ fide agat. Habentur hæc omnia expressè d. l. *Hæc autem jura*, π. de servit. urban. prædiorum. Vide Silvest. verbo *Præscriptio* 1, q. 7, § 11, Molinam disp. 70; Covar. lib. 1 variar., cap. 17.

## DUBITATIO X.

*Quanto tempore præscribatur jus patronatûs (id est, jus præsentandi ad beneficium) et beneficium ipsum.*

31. De hoc Covar. reg. *Possessor.* p. 2, § 10.

Dico primò : Si constet Ecclesiam olim fuisse liberam, jus patronatûs à laico præscribi nequit. Est communis sententia doctorum.

Ratio est, quia hoc jus est spirituale. Hæc ratio tamen non videtur firma : cùm enim laicus sit capax hujus juris, cur ex possessione à tempore immemorabili non debet præsumi justo titulo concessum? sed benè probat non præscribi absque titulo, nisi tempore immemorabili, quia præsumptio juris illis resistit; amplius convincere non videtur.

Dico secundò : Jus patronatûs etiam in ecclesiâ parochiali, de quâ dubium est an olim libera fuerit, potest præscribi à parochianis 40 annis cum titulo; tempore immemorabili, absque titulo : imò etiam annis 40 absque titulo.

Prior pars patet, quia cum titulo colorato vel præsumpto possunt præscribi à laico bona immobilia et jura (ut feudum et emphyteusis) contra ecclesiam; cur non etiam jus patronatûs, quod est minoris momenti? Nec præsumptio juris est contra ipsos, cùm credibile sit ipsos esse fundatores illius ecclesiæ, quando de alio non constat. Altera probatur, quia ex possessione hujus juris per tempus immemorabile, præsumitur justus titulus in parochianis. Addo etiam *absque titulo* posse ipsos spatio 40 annorum hoc jus præscribere, quia neque jus commune, neque malæ fidei præsumptio illis obsistit, ut colligitur ex Covar. loco citato. Idem docet Molina disp. 75, § *Meritò tamen*.

32. Dico tertiò : Jus nominandi rectorem aut prælatum in ecclesiâ collegiatâ vel cathedrali, præscribi non potest à laico contra ipsam ecclesiam, nisi annis 40 cum titulo, aut tempore immemorabili absque titulo. Ratio est, quia jus commune repugnat; unde est vehemens præsumptio usurpationis et malæ fidei. Nam jure communi istorum debet fieri electio, quæ pertinet ad capitulum; nisi patronus, qui ecclesiam ædificavit aut dotavit, id sibi cum consensu episcopi tanquàm ex pacto reservâsset, ut patet cap. *Messana*, 56, de electione. Quia tamen non est incapax talis juris (potuit enim competere majoribus ejus vel ex pacto in fundatione cum episcopo inito, vel ex privilegio pontificis), potest illud præscribere 40 annis cum titulo colorato (ut si concessum fuisset invalidè ob excommunicationem, vel aliâ de causâ), vel absque titulo tempore immemorabili. Tam diuturna enim possessio hujus juris, et usus absque contradictione frequentatus, tollit præsumptionem malæ fidei, et inducit titulum præsumptum. Vide concil. Trident. sess. 25, de reform. cap. 9, ubi declaratur quomodò hæc jura sint examinanda et probanda. Hoc modo multi principes præscripserunt in majoribus beneficiis jus patronatûs.

33. Dico quartò : In ecclesiâ non liberâ, jus patronatûs à laico contra verum patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis inter præsentes, 20 inter absentes; sine titulo annis 30. Est sententia communis doctorum, teste Covarr. Patet, quia est eadem ratio quæ bonorum immobilium et jurium contra privatum, ut feudi, emphyteusis, quæ simili modo præscriptione acquiritur. Non enim hìc agitur contra ecclesiam, sed contra privatum.

34. Dico quintò : Beneficium ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, sicut alia jura quæ bonis immobilibus annumerantur : est communis sententia. Sine titulo non potest præscribi, quia non potest nisi institutione canonicâ acquiri ejus possessio.

Dico sextò : Qui pacificè aliquod beneficium absque simoniaco ingressu triennium possedit, præscribit contra actionem cujusvis impetitoris. Patet ex regulâ Cancellariæ 33.

35. Sed difficultas est, utrùm hæc possessio bonâ fide cum titulo colorato et absque simoniâ per triennium continuatâ, præscribit proprietatem beneficii, ita ut possessor postea non teneatur illud resignare? Covar. tenet non præscribere : itaque beneficium in foro conscientiæ esse dimittendum, simul atque constiterit collationem non fuisse validam.

Verùm Navar. l. 3, consil. 40 et 42, de præbendis, post Covar. et alios, tenet contrarium, cum glossâ antiquâ in regulas Cancell. et Rebuffo, qui affirmat ita judicari in parlamentis Galliæ. Estque rationi validè consentaneum; cùm enim pontifex post triennium nemini ampliùs concedat actionem ad illum beneficium, videtur possessorem reddere etiam securum in conscientiâ, si bonâ fide cum titulo possedit; tanquàm qui triennali usucapione fecerit suum : in quâ sententia etiam est Emmanuel Sà, et alii quidam recentiores.

## DUBITATIO XI.

*Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypothecæ, legata, fideicommissa, et majoratus.*

36. Dico primò : Debita rerum mobilium et immobilium præscribuntur cum bonâ fide annis 30 contra creditores, et excluditur actio ad ea petenda : est communis sententia ex l. Sicut in rem 3, c. de præscript. 30 vel 40 annorum, ubi dicitur, *nec actiones reales, nec personales ultra 30 annorum spatium protendendas;* et infra : *omnes hujusmodi actiones 30 annorum jugi silentio emori*. Idem de omnibus actionibus personalibus undecumque ortis, ut familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, pro socio, furti, bonorum ut raptorum, etc., dicitur l. 1, § *Ad hæc*, c. de annuali except. Excipitur actio hypothecaria, quæ etsi, quando competit contra extraneum, extinguatur annis 30, tamen quando contra creditorem ejusque hæredes, non excluditur nisi annis 40; ut statim dicemus. Hùc pertinet etiam actio illa quam quis habet, cùm rem suam vendidit infra dimidium justi pretii, ad petendum supplementum pretii, vel rescindendum contractum. Similiter cùm quid emit ultra dimidium justi pretii, ad repetendum excessum; excluditur enim 30 annis, ut ex dictâ l. 1 sequitur, et docet Gomezius tom. 2, cap. 2, n. 22, de emptione et venditione : ex communi doctorum sententiâ.

Adverte tamen primò, multas actiones breviori tempore extingui et præscribi adversùs eos quibus competunt. Etsi enim omnes extinguantur 30 annis, non tamen omnes tantùm temporis requirunt. Nam actio, quam habet respub. adversùs quæstores et administratores, postquàm computus sunt subscripti seu expuncti, excluditur ab ipsis quidem annis 20, ab eorum hæredibus annis 10, ut expressè habetur l. In omnibus, π. de diversis temporalibus præscriptionibus.

Actio redhibitoria ad recuperandum pretium,

quando error dedit causam contractui (ut cùm quis emit rem vitiosam, quam non emisset si vitium scivisset), præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis à die quo vitium reseivit. In foro tamen conscientiæ venditor ob dolum non liberatur. Si bonâ fide egit, potest usucapere pretium triennio; ut constat ex dictis dubit. 7.

Actio quanti minoris, quæ est ad recuperandam partem pretii, quam noluisset dare, si vitium ei perspectum fuisset, excluditur anno. Vide l. 1 et sequentes, π. de ædilitio edicto. Si tamen hujusmodi actio utilis competat ecclesiæ, aut pio loco, ad eam excludendam requiruntur anni 40. Omnis enim actio, quæ aliàs 10, aliàs 20, aliàs 30 annis excluditur, hæc si loco religioso competat, non excluditur nisi annis 40, ut habetur authent. Quas actiones, c. de sacrosanct. Eccles. Vide supra num. 22.

Item actio personalis nuda et simplex in Hispaniâ extinguitur 10 annis: si autem habet annexum jus summariæ executionis, quod sæpè fit, extinguitur 20 annis; ipsum autem jus executionis, decem prioribus. Actio famulorum ad petendam mercedem in judicio, extinguitur in Hispaniâ triennio, computando à die quo desierunt servire; in Belgio biennio. Covar. ad Regul. *Possessor*, p. 2, § 11.

Quando locus unius episcopatûs à fide catholicâ defecit, si episcopus loci monitus ab aliis episcopis ut eum reducat, per 6 menses neglexerit, potest alius episcopus eum conari reducere, et si reduxerit, ipsius erit: cap. 15. Placuit ut quicumque 16, quæst. 4. Si autem non monitus neglexerit, et alius reduxerit, et reductum triennio possederit pacificè, ipsius erit: et sic jus repetendi competens priori episcopo extinguitur triennio, cap. 1 de præscriptione.

Pari modo, si colonus prædium, quod reipub. superiorem non recognoscenti in temporalibus vel supremo principi est tributarium, colere neglexerit, et alius agricola id colere curaverit, biennio illud sibi acquirit, priore excluso; si præmissa monitio fuerit, sex menses solùm ad repetendum prior colonus habet. Ita statuitur in favorem boni publici, l. *Loculorum*, et l. *Qui agros*, c. de omni agro desert. Vide Covarr. supra.

Actio injuriarum exspirat lapsu unius anni. L. *Si non convitii*, c. de injuriis; et Panormit. cap. *Ea noscitur*, num. 4, de sentent. excommunic.

Actio ad accusandum adulterium ad pœnam criminalem, vel civilem, perit lapsu quinquennii, l. *Adulter*, c. ad l. *Juliam de Adult.*; non tamen extinguitur ad petendum divortium, c. 8 Admonere 33, q. 2.

Actio de aliis criminibus accusandis ad pœnam, extinguitur annis 20. L. *Querela*. c. de falsis. Non tamen extinguitur jus judicis; quo ex officio potest procedere contra infamatum, vel canonicam purgationem indicere: quod etiam post 40 annos facere potest, ut docet Panormit. cap. *Accepimus* 14, num. de purgat. canon.

Actio ad reclamandum contra professionem extinguitur quinquennio, ut colligitur ex concil. Trident. sess. 25, de Regular. cap. 19, de quo infra cap. 41, dubit. 7.

Actio quòd metûs causâ, in minore exspirat lapsi anni, in majore, si primâ opportunitate eam intentare negligat. Panorm. cap. *Si quis autem*, 2, n. 4, de Regular. Ex his apparet, quanta in hujusmodi actionibus, ut contra eas præscribitur, sit diversitas.

37. Dico secundò: Si res hypothecata possideatur à debitore vel hæredibus ejus, non extinguitur actio hypothecaria, quam creditor habet, nisi 40 annis; requiritur autem in debitore bona fides se non debere; et ut tanto tempore post diem solutioni assignatum creditor non exegerit. Si verò possideatur ab eo qui non est debitor, nec hæres ejus (ut si fuit vendita ei qui ignorabat hypothecatam), extinguitur decennio inter præsentes, et vicennio inter absentes: habentur hæc l. *Cùm notissimi*, c. de præscriptione 30 annorum, et l. 1 et 2, c. *Si adversùs creditorem*. Vide Covar. ad reg. *Possess.* 3 p., § 3.

38. Dico tertiò: Quando bona alicujus ob non solutum vectigal, vel ob similem causam ipso facto sunt commissa (id est, fisco addicta), præscribuntur à reo et ab hæredibus ejus contra actionem fisci quinquennio, ita ut si quinque annis à die commissi non petantur, exspiret jus fisci. L. 2, c. de vectigalibus et commissis, ubi dicitur, *commissum, quod ante quinquennium factum dicitur, nisi litè res anticipata sit, vindicari non posse.*

Dico quartò: Quando ob aliud crimen sunt commissa (v. g., ob crimen perduellionis, ob incestas nuptias), reus quamdiù puniri potest, non potest ea præscribere; alii tamen (sive hæredes sint, sive non) ad quos ea deveniunt, præscribunt ea quinquennio contra fiscum, præterquàm in casu hæresis.

Prior pars, quòd *reus non possit ea præscribere quamdiù potest puniri*, per se patet; quamdiù enim potest puniri, fiscus jus habet ea sibi vindicandi.

Altera probatur ex l. 2 supradictâ, quæ generaliter loquitur. Excipio casum *hæresis*, quia bona hæretici, et consequenter bona apostatæ, nunquàm possunt præscribi contra actionem fisci, nec ab ipso, nec ab hæredibus ejus, neque ab aliis, ad quos ea devenerint, nisi ipsi ignoraverint illum hæreticum esse, et 40 annis cum hâc ignorantiâ ea possederint. Colligitur ex cap. 2 de præscript. in 6. De quo vide Covar. in epitome 4, decret. p. 2, c. 6, § 8, quia hæc res merè est fori externi; non enim in conscientiâ tenentur ea tradere, nisi post sententiam cogantur.

39. Dico quintò: Legata et fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium et fideicommissarium nisi spatio 30 annorum. Colligitur l. ult., c. *Communia de legatis*, ubi dicitur, *nec usucapionem, nec longi temporis* (*id est*, 10 *vel* 20 *annorum*), *præscriptionem contra legatarium et fideicommissarium procedere;* quòd autem 30 anni sufficiant: est communis sententia doctorum, ut docet Covar. regulâ *Possessor*, 3 p., § 3, n. 6.

Ratio est, quia defectus tituli, et mala fides ejus, qui rem transfert, non nocet in præscriptione trice-

narià ; tantum enim spatium temporis supplet defectum tituli in possessore bonæ fidei.

40. Utrùm autem fideicommissum possit etiam præscribi contra eos quibus post 30 vel 40 annos erat tradendum, qui fortè nondùm nati erant currente tempore præscriptionis, disputat Covar. et ostendit multis rationibus, probabile esse absolutè præscribi ; ita ut successoribus non sit unquàm restituendum. Idem dicendum de majoratu et primogenio.

Adverte, hanc tricenariam præscriptionem requiri, si legatum vel fideicommissum, vel majoratus, qui ad alium pervenire debebat, tibi fuit traditus ab eo qui alteri tradere debebat : tunc enim ratione malæ fidei, quæ est in auctore, non potest præscribere ante 30 annos, ut infra dicetur. Secùs si à tertio habeas, qui bonâ fide acceperit ab illo : tunc enim potes præscribere tempore ordinario : ut Covar. et consentiunt alii doctores.

## DUBITATIO XII.

*Quanto tempore possit præscribi adversùs principem.*

Notandum est, quinque genera bonorum principis posse considerari : ut docet Covar. reg. *Possessor*, p. 2, § 2, num. 7.

41. In primo sunt ea quæ per sententiam fisco tradita : hæc non possunt præscribi nisi 40 annorum spatio. L. *Omnes*, 4, c. de præscriptione 30 vel 40 annorum ; nec obstat § *Res fisci*. Institut. de usucapionib., ubi dicitur, *Res fisci usucapi non potest* : hoc enim est intelligendum tempore ordinario, quo res privati potest ; ut tribus, 10, 20 annis. Secùs autem extraordinario, ut ibidem notat Glossa.

Quando autem res nondùm fisco est incorporata, sed manet apud reum vel hæredes, potest præscribi quinquennio, ut dictum est supra num. 38.

In secundo sunt ea quæ quis debet principi in recognitionem subjectionis suæ et supremæ potestatis ipsius, ut sunt census et tributa : horum exemptionem et immunitatem nemo potest præscribere. Panormit. in cap. *Cùm nobis* et cap. *Ad audientiam*, et alii. Secùs est de immunitate ab indictionibus et collectis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed pro expensis alicujus belli vel simili aliquâ publicâ necessitate solvuntur : hoc enim potest præscribi contra civitates annis 40, ut ostendit Covar. ibidem, num. 8. Idem dicendum adversùs principem, ut colligitur ex d. L. *Omnes*, c. de præscript. 30 vel 40 annorum, nisi aliud particulari lege statutum sit, ut ex aliis docet Covarruvias supra, num. 15.

Simili modo præscribi à subditis nequit immunitas ab obedientiâ principis, vel ab ipsius correctione, vel ut ad eum non possit appellari, quia potestas præcipiendi, judicandi, et castigandi omninò intrinseca est auctoritati principis respectu subditorum. Potest tamen subditus præscribere exemptionem et libertatem, per quam desinat esse subditus, et non agnoscat illum superiorem in temporalibus : quod multi principes antea subditi imperio Romano fecêre ; ad hoc autem sufficiunt quadraginta anni cum titulo, et sine titulo tempus immemorabile, ut ex iis quæ nunc dicentur, colligi potest. Exemptio tamen à potestate spiritali summi pontificis nullo modo præscribi potest, sicut nec ipse pontifex potest aliquem à suâ jurisdictione eximere, quia hæc jure divino annexa est pontificatui in omnes Christianos, illis verbis Domini : *Pasce oves meas*, Joannis 21.

In tertio sunt ea quæ etsi dignitati principis non sunt intrinseca, tamen ei propriè conveniunt et reservantur, ut posse indicere vectigal, instituere tabelliones, legitimare, et similia. Hæc acquiri possunt præscriptione ab inferiore, spatio 40 annorum cum titulo : sine titulo per tempus cujus initii non exstet memoria. Panormit. in c. *Cùm nobis*, de præscript., estque communis opinio, teste Covarr. Ratio cur hæc acquiri possint ab inferiore, est quia possunt hæc per principem communicari subdito. Unde si subditus (v. g., comes aliquis ejusque majores) à tempore immemorabili hoc usurpaverit, præsumitur à principibus concessum.

Quadraginta anni non sufficiunt sine titulo, quia nisi titulum ostendat (v. g., concessionem alicujus, qui fuerit princeps vel pro principe habitus), præsumptio est contra eum quòd malâ fide usurpaverit, ut patet in simili cap. 1 de Præscriptione in 6, ubi episcopus sine titulo non potest præscribere decimas alterius diœcesis, eò quòd præsumptio juris sit contra illum, cùm decimæ jure communi pertineant ad ecclesias diœcesis. Simili modo cùm hæc jura principum sint propria, præsumptio malæ fidei est contra subditum ; tollitur autem præsumptio illa, vel ostensione tituli colorati, vel possessione temporis immemorabilis ; idem dicendum de præscriptione meri et misti imperii : ut docet Covarruvias, § 3, num. 3.

In quarto sunt bona principatûs, quæ coronæ sunt annexa, ut prata, saltus, vivaria, prædia rustica et urbana, urbes, castra ; hæc præscribi non possunt contra principem, nisi 100 annis. Probatur ex L. *ut inter divinum*, 23, c. de sacrosanctis ecclesiis, ubi in præscribendo legato, vel donato, vel empto, contra civitates requiruntur 100 anni ; ergo multò magis contra regnum vel provinciam. Hæc enim sunt bona regni vel provinciæ. Est communis sententia doctorum. Secùs est de fisco principis : hic enim non fruitur privilegio præscriptionis centenariæ, sed tantùm 40 annorum, sicut neque civitates, contra quas etiam 40 annis præscribitur, exceptis iis quæ habentur d. L. *ut inter divinum*, quæ sunt hæreditas, legatum, fideicommissum, donatum, emptum : ut enim hæc contra civitatem aliquam præscribas, requiruntur 100 anni. In cæteris sufficiunt 40 ut passim docent doctores

In quinto sunt ea quæ princeps possidet ut privatus. In his quivis præscribit contra principem, sicut contra privatum. Ita Covarr. supra n. 16, ex Baldo et aliis : nam et res patrimoniales clericorum præscribuntur contra eos, sicut contra alios. Neque ullum jus exstat, quo principibus hâc in parte aliquod privilegium præ cæteris, maximè ecclesiasticis, tribuatur.

## DUBITATIO XIII.

*Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel eo qui malâ fide tradidit.*

Respondeo et dico primò : Is qui accepit eam ut hæres immediatus, nullo tempore potest eam præscribere, etiamsi bonâ fide acceperit et possederit. Est communis sententia doctorum, ut docet Covar. reg. *Posses*, § 9, in principio. Colligitur ex L. *Cùm hæres.* π de diversis temporal. præscript. ubi dicitur : *Cùm hæres in jus omne defuncti succedat, ignoratione suâ defuncti vitia non excludit ; veluti cùm sciens alienum ille vel precariò possedit ; quamvis enim precarium hæredem ignorantem non tenet, nec interdicto rectè conveniatur, tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Addit : *Idem juris est, cùm de longâ possessione quæritur, cùm exordium rei, bonæ fidei ratio, non teneatur.* Et § *Diutina.* Instit. de usucap. : *Si ille* (defunctus) *initium justum non habuit* (id est, si malâ fide cœpit possidere), *hæredi et bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Idem habetur L. ult. c. communia de usucapion. Ratio est, quia hæres defuncti personam repræsentat, ita ut fictione juris censeatur una eadem persona, et eorum possessio, quasi una continuata possessio ; unde cùm initium istius possessionis in defuncto sit vitiatum malâ fide, censetur etiam vitiata quâ parte extenditur ad hæredem, ita ut hæres fictione juris malâ fide censeatur possidere ; atqui cum malâ fide non procedit præscriptio ; unde sicut defunctus non poterat rem illam præscribere, ita nec hæres. Hæc ratio colligitur ex juribus citatis.

Adverte tamen, non videri omninò improbabile, hæredem posse præscribere spatio triginta annorum, quia hìc non requiritur titulus, sed solùm possessio bonæ fidei ; atqui iste hæres reverà bonâ fide possidet. Nec obstat quòd juris fictione dicatur possidere malâ fide, tum quia id solùm est verum quatenùs continuatur ejus possessio cum possessione defuncti, et una cum illâ censetur ; non autem quatenùs consideratur ipsa per se, et ut ab ipso hærede habens initium per novum actum, quo aditâ hæreditate cœpit possidere ; tum quia, cùm illa non sit vera mala fides, sed solùm ficta vel præsumpta, quæ etsi impediat præscriptionem ordinariam, quæ tribus, decem, aut viginti annis completur, non debet ei tribui tanta vis, quanta malæ fidei veræ ; unde non debet impedire extraordinariam, quæ est triginta vel quadraginta annorum, et nullum postulat titulum, nisi præsumptio juris ei adversetur ; itaque hæres poterit triginta annis illa bona præscribere, non utendo tamen accessione temporis, quo malâ fide illam possedit defunctus. Hanc opinionem jure canonico veram esse, tenent Dynus, Bartolus, Bellametus, et quidam alii ; imò eamdem etiam jure civili obtinere docet Alexander, consil. 110, num. 7, et multi alii, relati per Baldum. Vide Covar. supra num. 1, 4 et 5, qui etiam satis in illam inclinat. Tamen altera opinio videtur juri conformior, quòd causam cur talis hæres non possit præscribere, refert in malam fidem præsumptam, quâ censetur possidere : quæ mala fides etiam præscriptioni tricenariæ obstat. Eamdem tenet Silvest. præscriptio 1, num. 8, et alii passim.

43. Dixi, *ut hæres immediatus*, quia hæres mediatus, id est, hæres hujus hæredis, potest eam tempore ordinario præscribere, si bonâ fide verâ prior hæres possederit. Ratio est, quia fictio illa juris de malâ fide ad secundum hæredem non extenditur ; vitant enim jura duas fictiones ex eâdem causâ ; unde et si mala fides vera defuncti pariat in hærede fictionem, et veluti umbram malæ fidei : non tamen hæc mala fides facta seu umbratilis potest similem parere in successore ; umbra enim umbram non facit, sed verum corpus ; quare etsi prior hæres succedens immediatè auctori malæ fidei, ac proinde labem malæ fidei juris fictione ab eo contrahens, non possit rem illam usucapere ; secundus tamen hæres, ad quem fictio illa non pertingit, poterit. Quòd si hæres potest illam usucapere, multò magis donatarius, emptor, et legatarius poterunt, cùm personam sui auctoris non repræsentent ; unde si immediatus hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bonâ fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, dubium non est quin is qui acceperit, usucapere possit, ut habetur § *Sed tamen.* Instit. de usucap.

Hoc tamen quod diximus, secundum hæredem posse usucapere, limitandum censent doctores, nisi hic secundus sit hæres, qui *suus* in jure vocatur. Hic enim rem illam non potest usucapere titulo hæredis. Ita colligunt ex L. *Nihil pro hærede*, 2, c. de usucapion. pro hærede, ubi dicitur : *Nihil pro hærede posse usucapi suis hæredibus existentibus, obtinuit :* quam legem doctores communiter sic intelligunt, quasi diceretur *suos* hæredes non posse usucapere titulo pro hærede, si succedant in rebus alienis apud defunctum repertis, quamvis defunctus bonâ fide eas tanquàm suas possederit. Idem confirmant ex L. 2, π. *Pro hærede*, ubi dicitur : *Filius à patre hæres institutus, res hæreditarias à patre sibi donatas, pro parte cohæredum usucapere non potest.* Hæres autem *suus* (quem Græci οἰκεῖον, id est, domesticum, vocant) est filius et filia respectu patris ; nepos et neptis respectu avi morientis in cujus sunt potestate, si tamen pater illorum per mortem vel aliter non ampliùs eidem avo suberat, ut habetur § *Sui autem*, Instit. de hæred. qualit. et differ. Dicuntur isti hæredes *sui*, vel quia proprii et domestici, vel quia sibi ipsis quodammodò succedunt ; nam etiam vivo patre quodammodò domini bonorum existimantur, ut habetur Instit. loco citato. Causa autem, juxta communem doctorum sententiam, cur talis non possit præscribere titulo hæredis, est, non quòd fingatur habere malam fidem, sicut ejus decessor, sed quia non habet titulum possidendi distinctum : censetur enim continuare possessionem sui decessoris, et ex ipsius titulo. Unde cùm ille non haberet titulum, utpote hæres mali auctoris, nec hæres illius habet.

Duo tamen hìc advertenda : alterum est cùm dicitur hæredem *suum* non posse usucapere, id intelligendum de usucapione ordinariâ, quæ requirit titulum, et in

mobilibus peragitur triennio, in immobilibus decennio inter præsentes, et vicennio inter absentes. Unde non dicitur absolutè, non posse præscribere, sed non posse præscribere *pro hærede*, id est titulo hæredis. Huic tamen nihil obstat, quin possit præscribere usucapione extraordinaria non requirente titulum, qualis est tricenaria et quadragenaria, quando præsumptio juris non adversatur, ut patet ex dictis; non tamen potest uti accessione temporis sui decessoris, nisi hic etiam præscribere potuerit. Unde si ponamus hæredem immediatum iniqui possessoris, qui catenam auream malâ fide possidebat, non posse usucapere 30 annis illam catenam etiam cum bonâ fide; hujus filius requiret 30 solidos annos. Si autem juxta probabilem sententiam supra insinuatam dicamus immediatum hæredem potuisse tanto tempore illam usucapere, secundus hæres poterit uti accessione temporis, quo prior possedit; unde si tempus illud sit 10 annorum, solùm requiret annos 20; si sit 20, solùm requiret 10 ad complendam præscriptionem.

Alterum est, ea quæ diximus de hærede suo, ipsum non posse usucapere pro hærede, procedere secundùm intellectum illarum duarum legum, quem communiter amplectuntur doctores. Satis tamen probabile est longè aliam esse mentem illarum legum, ut ostendit Viglius in tit. de hæred. qualit. et differ., § *Sui autem*. Cùm enim L. 2, c. de usucap. pro hærede, dicitur: *Nihil pro hærede posse usucapi, suis hæredibus existentibus*, non significatur hæredes suos non posse usucapere, sed alios non posse usucapere titulo pro hærede, contra hæredes suos. Cùm enim suppetunt hæredes sui ad quos ea res pertinet, alius caret titulo pro hærede; unde non potest usucapere, nimirùm tempore ordinario. Confir. L. *Ex testamento*, 2, c. *Unde liberi*; quæ est ejusdem imperatoris, ubi dicitur: *Ex testamento, vel ab intestato existente filio vel nepote suo hærede, neminem posse ab intestato hæredem existere*. Unde sequitur, illum non posse habere titulum hæredis, ac proinde non posse pro hærede usucapere. Nec obstat dicta L. 2, π. pro hærede, quia solùm agitur de rebus à patre donatis filio, quas cùm filius titulo donationis naturaliter possidere cœperit vivo patre, non potest postea illo mortuo easdem incipere possidere titulo hæredis (ob dictum vulgare, quod habetur eâdem lege, *neminem sibi causam possessionis mutare posse*), unde nec pro hærede usucapere.

Ad rationem contrariæ sententiæ respondet Viglius, *hæredi suo* juris fictione tribui quidem dominium idem quod decessori, non tamen eamdem possessionem. Etsi enim vivo patre filius dicatur dominus ob futuram successionem necessariam, non tamen possessor; unde etiam nihil potest attingere sine concessu patris. Accedit quòd nec primo hæredi, qui immediatè succedit auctori malæ fidei, desit titulus (rem enim habet titulo successionis hæreditariæ), nec defectu tituli negatur ei usucapio, sed defectu bonæ fidei, ut ostensum est. Multò minùs secundo hæredi deest titulus, cùm priori de novo succedit. Juxta hanc sententiam *hæres suus* potest usucapere titulo pro hærede, sicut alii; quæ sententia in re non multùm discrepat à sententiâ multorum doctorum qui dicunt, etsi hæres suus non possit præscribere titulo pro hærede, quatenùs est filius, posse tamen quatenùs est cognatus vel agnatus testatoris: hoc enim nihil aliud est, quàm absolutè fateri illum posse pro hærede usucapere, licet sub aliâ qualitate, seu formalitate quàm filii; quæ tamen qualitas semper includitur. Vide Gomezium, tom. 1, cap. 9, de transmissione hæreditatis, num. 19, et Covar. regul. *Possessor*, p. 2, § 5, num. 3 et sequentibus.

44. Dico secundò: Qui bonâ fide accepit eam alio titulo (ut legati, donati, empti, etc.) ab auctore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario, præterquàm in duobus casibus: Primus est, si res sit immobilis, et is contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri. Secundus est, si res illa sit *furtiva*, vel *vi possessa*: tunc enim requiruntur 30 anni. Est communis doctorum ex L. *An vitium*, 5, π. de diversis temporalibus præscriptionibus, ubi dicitur, *vitium auctoris non obesse emptori vel legatario*, ut si Titius vendat tibi quod alteri oppignoraverat: tunc enim mala fides auctoris solùm versatur circa rei possessionem, quam sibi iniquè usurpat, non circa proprietatem, ut habetur d. L. *An vitium*. Si tradat tibi quod alteri antea à se venditum et nondùm traditum fuerat. Si prælatus sine consensu capituli in te aliquid transferat, cùm putares eum consensum habere. Si tibi donatum à minore quem putabas majorem: secùs si erres in jure, putans prælatum sine consensu capituli posse alienare, aut minorem donare. Si accepisti ab inventore qui putabat id necessariò dandum pauperibus. In his igitur et similibus, cùm res non sit furtiva, nec vi possessa, mala fides auctoris non nocet successori particulari, nimirùm emptori, donatario, etc. Denique si accepisti bonâ fide à possessore malæ fidei; et dominus sciens rem suam alienam, intra decem annos, si præsens fuerit, et intra viginti si absens, litem in te non constituerit, firmiter eam obtinebis, ut habetur authent. Malæ fidei, c. de longi temporis præscriptione, et Novellâ 119.

Fecimus duas exceptiones. Prior de re immobili apertè colligitur ex d. authent. Malæ fidei, ubi dicitur: *Malæ fidei possessore alienante, cessat longi temporis præscriptio, si verus dominus ignoret jus suum et alienationem factam; spectatur ergo* 30 *annorum defensio*. Secùs verò quando scit, et non se opponit, ut dictum est.

Altera exceptio probatur, quia *res furtivæ* et quæ *vi occupatæ* (etiamsi postea ab aliquo bonâ fide emptæ fuerint) non possunt præscribi spatio longi temporis, id est, decem vel 20 annorum, ut expressè habetur § *Furtivæ*, Instit. de usucap. Habent enim ex dispositione juris vitium obsistens ordinariæ præscriptioni, ut patet Instit. loco citato. Quare fallitur Sotus, libro 4 de justitiâ, quæst. 5, art. 4, post secundam conclusionem, ubi docet, latronis filium, si bonâ fide paternam hæreditatem adivit, et toto tempore præscriptionis illâ fide possedit, esse tutum in conscientiâ, etiamsi postea innotescat fuisse aliena. Idem docet de emptore,

qui bonâ fide emit à latrone. Sed est apertè contra jus; hæres enim mali auctoris titulo hæredis nunquàm præscribit, ut ostensum est; emptor verò non præscribit tempore ordinario.

Nec obstat L. *Si aliena*, 10, π. de usucapionibus, quam Sotus pro se citat; nam ex eâdem lege, in fine, constat rem furtivam non posse usucapi, ne à possessore quidem bonæ fidei. Adverte tamen, emptorem talis rei posse illam usucapere tempore longissimo, nempe triginta annis; ut communiter doctores docent, et colligitur ex L. *Sicut in rem*, 3, c. de præscriptione 30, vel 40 annorum, et L. *Si quis emptionis*, 8, § *Quod si*, c. eodem. Unde si breviarium emeris à fure, et 29 annis bonâ fide possederis, et tunc intelligas furto fuisse sublatum, non potes retinere, ut ait Silvest.; secùs si 30 expleveris: quòd si ubi 20 annis possedisti, alteri tradas, potest ille uti accessione temporis tui, et ita præscribere 10 annis: 10 enim et 20 efficiunt triginta annos præscriptionis: idque semper fieri potest, quando alter alteri in possessione succedit: si tamen uterque poterat rem usucapere. Si enim prior non poterat usucapere, eò quòd malâ fide possideret, vel quia est hæres ejus, qui malâ fide possidebat; non potes uti accessione temporis, quo ille rem possedit, sed debes ipse integrum tempus possidendo explere: ita habetur § *Diutina*, et seq. Instit. de usucap., et L. penult. et ult., π. de diversis temporibus præscript.

Idem dicendum de rebus *vi possessis*, cùm aliquis alterum è possessione suâ vi dejiciens illam occupat, quamvis res litigiosa sit, aut ille suam esse putet: talis enim res, etsi bonâ fide ab illo invasore eam emeris, non potest usucapi, nisi 30 annis, secluso tempore quo ille eam possedit. Si tu illam alteri tradas, poterit ille uti accessione temporis quo tu illam possedisti, ut ante dictum est.

Petes quid si illa res vacabat possessore propter longam oblivionem domini absentis, aut negligentiam, aut mortem, et ab altero absque vi occupata fuit?

Resp. Illam rem posse usucapi per eum qui bonâ fide illam ab usurpatore emerit vel dono acceperit, tempore ordinario, nimirùm decem annis inter præsentes, et viginti inter absentes, ut expressè habetur § *Quod autem*. Instit. de usucap., quia res illa nec est furtiva, nec vi possessa, ut ibidem dicitur. Sed hoc jus postea est correctum ab eodem Justiniano, Novellâ 119, ubi requirit 30 annos in emptore, et aliis qui à malæ fidei possessore perceperunt. *Si*, inquit, *verus rerum dominus ignorat, simul quòd eæ res ad ipsum pertineant, simul quòd alienatio intercesserit; jubemus ut non aliter quàm tricennii præscriptione excludatur, cùm is qui res hoc modo possidet, dicere nequeat, quòd ipse bonâ fide possidebat, quando à malæ fidei possessore hasce acceperit.*

## DUBITATIO XIV.

*Quantum temporis requiratur ut consuetudo præscribat contra legem.*

45. Suppono ex dicendis 1-2 quæst. 79, consuetudinem posse præscribere contra jus positivum, illudque tollere, et novam obligationem inducere: modò sit *rationabilis et legitimè præscripta*, ut expressè definitur cap. ult. de consuetudine, ubi Greg. IX sic ait: *Licet longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitimè sit præscripta.*

*Rationabilis* dicitur, quæ lege statui potest, sive quæ justa censeretur et obligaret, si lege statuta esset. Eadem etiam est materia legis justæ et consuetudinis; nam consuetudo est tacita quædam lex, ut insinuatur l. 3, c. *Quæ sit longa consuet.* et ex eodem fonte profluit; unde etiam eamdem vim habet. Quare sicut lex posterior tollit legem priorem, ita etiam consuetudo priorem legem tollere potest. Nec refert, etiamsi in lege dicatur, *non obstante ullâ consuetudine etiam immemorabili;* vel, *nullâ consuetudine in contrarium ullis unquàm futuris temporibus valiturâ.* Nam prior clausula intelligitur de consuetudine quæ viguit ante illam legem, quam ea lex, utpote posterior, abrogare potest, sicut et legem priorem. Altera loquitur quidem de consuetudine futurâ; sed intelligenda, durantibus circumstantiis cum quibus illa consuetudo tunc non videbatur rationabilis: illis tamen mutatis, et subortis aliis cum quibus consuetudo contraria incipit videri rationabilis, potest vim illius legis tollere, et novam inducere, ut passim doctores tradunt. Et Covar. lib. 3, Variarum, cap. 13, n. 4, ubi dicit hanc opinionem esse communem.

Sic consuetudine quædam festa et jejunia juris communis quibusdam locis abrogata, vel alia nova introducta. Sic decimæ multæ sublatæ; sic multa circa ritus sacramentorum consuetudine mutata. Denique idem locum habet in legibus irritantibus, et quibusdam inhabilitatibus ad officia, beneficia, vel etiam matrimonia, inducendis vel tollendis.

Nec obstat quòd sicut lex non potest habere vim absque consensu principis, ita nec consuetudo, quia sicut consuetudo est tacita quædam lex, ita etiam ad eam sufficit tacitus et generalis consensus principis, quo statuit ut consuetudo legitimè præscripta vim legis obtineat, et jus positivum tollat. Similiter non obstat quod habetur L. 2, c. *Quæ sit longa consuetudo*, ubi dicitur: *Consuetudinis usûsque longævi non vilis auctoritas est, verùm non usque adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Sensus enim est consuetudinem debere cedere rationi naturali; unde ut vim habeat, debere esse rationabilem, ut pontifex ad verba hujus legis respiciens ait similiter debere cedere legi supervenienti, quia per legem tolli potest. Hinc tamen non sequitur, quin possit legem priorem abrogare, si legitimè fuerit præscripta, ut d cap. fin. dicitur.

His positis, difficultas est quantùm temporis ad hoc requiratur. Multi doctores putant requiri 10 annos, ut consuetudo legem civilem aboleat; 40, ut legem ecclesiasticam. Ita Panormit. in cap. ult. de consuetudinibus, num. 11; Angelus, v° *Consuetudo*, num. 8

et 9; Silvest. eodem verbo, num. 6; Navar. l. 1, consil. 1, tit. de consuet. Ratio est, quia ad introducendam consuetudinem jus civile requirit longum tempus, c. *Quæ sit longa consuetudo*, atqui longum tempus est tempus 10 annorum, c. de præscript. longi temporis; ergo contra legem civilem requiruntur decem anni.

Quòd verò contra legem ecclesiasticam requirantur 40, videtur ex eo probari, quòd contra Ecclesiam non procedat præscriptio, nisi quadraginta annis.

Sed distinguendum est : vel enim illa consuetudo viget sciente et tolerante principe; vel eo in particulari illam ignorante. Nunc

Dico primò : Si priore modo consuetudo se habeat, verius est non requiri certum tempus ut possit legem tollere. Ratio est quia ut consuetudo tollat legem, solùm requiritur ut passim agatur contra legem, seu ut lex non servetur, quando occurrit servanda, sciente principe et non se opponente, ut docent passim theologi et canonistæ. Panormit. supra, Glossâ in cap. 1 de treugâ et pace, et alii : dum enim scit suam legem non servari, et silet, censetur consentire ut non servetur, ne respub. perturbetur, ac proinde censetur tollere obligationem legis; et hoc modo consuetudo dicitur tollere vim legis, nempe quia princeps permittens consuetudinem, implicitè detrahit suæ legi vim obligandi. Confir. quia consuetudo populi habentis principem non potest per se tollere vim legis quam princeps imposuit (cùm singuli seorsim, et omnes simul ei subsint), sed hanc vim tantùm habere potest à consensu tacito, vel expresso principis : censetur autem tacitus consensus, dùm consuetudini non se opponit, etiamsi id fiat metu difficultatum.

Hinc sequitur, sæpe fieri, ut paucis annis lex abrogetur per consuetudinem, etiamsi antè recepta fuerit, quia ut dicatur esse consuetudo contraria, sufficit bis terve contra actum esse, ut docet Silvest. v° *Consuetudo*, n. 6; Panormit. supra, et alii passim : quam consuetudinem si constaret principem scire et dissimulare, desineret lex obligare.

Nec obstat quòd jus civile ad consuetudinem requirat longum tempus. Primò, quia non omne longum tempus est decennii; tantùm enim in materia usucapionis ita definitur. Secundò, quia ut consuetudo tollat legem, non requiritur ut sit longior, quàm necesse est ut princeps censeatur eam permittere, et suo consensu approbare.

Dices : Cap. fin. de consuetud. dicitur, consuetudinem, ut tollat legem, debere esse *legitimè præscriptam;* sed ad præscriptionem requiritur certum tempus; ergo.

Respondeo hoc intelligendum de consuetudine quam princeps in particulari ignorat. Huic enim non censetur ita consentire, sicut illi quam novit, et spontè tolerat; quod enim quis ignorat, non potest in particulari approbare : solùm ergo huic consentit in genere, quatenùs consentit in decretum, quo statuit consuetudinem legitimè præscriptam esse instar legis. Itaque requiritur certum tempus necessarium ad præscriptionem.

46. Dico secundò : Si consuetudo ignorante principe vigeat, ut censeatur legitimè præscripta, ita ut possit legem tollere, requiruntur decem anni, quibus ea consuetudo bonâ fide à subditis promiscuè sit servata, eosque probabile est etiam sufficere.

Decem annos requiri est communis sententia doctorum. Itemque contra legem civilem sufficere, probatur quia lex civilis longæ consuetudini tribuit vim legis, eamque instar legis jubet servari, c. *Quæ sit longa consuetudo*, L. 1, 2, 3 : atqui tempus 10 annorum eodem jure censetur tempus longum, et longam efficiens possessionem, ut patet c. de præscriptione longi temporis; ergo etiam longum usum et longam consuetudinem.

Quòd etiam 10 anni sufficiant contra legem canonicam nondùm receptam moribus utentium, docet Navar. lib. 5, consil. tit. de excommunic. consil. 8, et fusè probat Felinus in cap. 1, de treugâ et pace, num. 13, pro eâdem adducens multos doctores, nimirùm Chald. Imolensem, Butrium, Zabar, et Dominicum, etc., idem tenet Covar., lib. 2 Variar. cap. 16, num. 6, citans Jasonem in L. *Rem non novam*, § *Patroni*, c. de judiciis; sequitur Azorius, lib. 5, Instit. moral., cap. 4, quæst. 3, et alii recentiores. Ratio est, quia cùm lex moribus utentium minimè recepta non obliget, ac proinde non sit in possessione, facilius inducitur et convalescit adversùs eam consuetudo, quàm si jam recepta esset; quæ consuetudo ad hoc valet, ut non teneamur post decenninum eam admittere, nisi princeps de novo eam constituat, eique novum vigorem tribuat; itaque opus est nova promulgatione : nam lapsu decennii, vis ejus est antiquata ante decennii lapsum, etsi non obligarentur subditi, cùm non viderent illam receptam; tamen poterant compelli ad eam servandam etiam ab inferioribus principe. Ita doctores supradicti.

An verò decem anni sufficiant contra receptam, major est difficultas. Non videtur improbabile sufficere, primò, quia nusquàm jus aliquod distinguit inter legem ecclesiasticam et civilem hâc in parte : ergo si contra legem civilem sufficiunt decem anni, etiam contra ecclesiasticam.

Nec obstat quòd contra Ecclesiam non procedat præscriptio nisi annis 40, quia hoc intelligendum de bonis immobilibus, et juribus Ecclesiæ, quæ sunt instar bonorum immobilium; obligatio autem subditorum ad legem servandam non potest censeri inter bona vel jura ecclesiastica : itaque illæ leges præscriptionum non sunt hùc traducendæ. Secundò, si 10 anni sufficiunt ut princeps secularis censeatur tacito quodam consensu remittere vim suæ legis, cur non sufficiant principi ecclesiastico? præsertim cùm ejus sit curare, ne subditi peccent, neve assiduis angantur scrupulis, qui ex hujusmodi interminatis obligationibus nasci solent. Itaque cùm Ecclesia contrarium non expresserit, probabiliter existimari potest eam sequi, ut in aliis multis solet, juris civilis morem. Tutius tamen est sententiam communem amplecti. Porrò advertendum est, requiri, ut per illud tempus subditi

bonâ fide legem non servaverint, ita ut non servando non peccaverint : alioquin contra eam non præscribent, ut rectè Silvester et alii docent.

Dices : Si currente illo tempore non peccant, quomodò ergo possunt puniri propter legis violationem?

Resp. : Quia præsumuntur peccâsse ; non enim præsumitur legum communium ignorantia, nisi probetur ; deinde quia hâc veluti conditione tacitâ conceditur jus præscriptionis, ut si intra illud tempus deprehensi fuerint agere contra legem, possint plecti, ut hâc ratione lex non exarmetur, dùm adhuc vivit, sed habeat quo se possit tueri.

47. Dico tertiò : Si consuetudo sit aliquo modo contra jus Ecclesiæ, requiruntur anni 40. Patet ex dictis dubit. 8.

## DUBITATIO XV.

*Quæ res non possint præscribi.*

48. Notandum est quædam in jure dici non posse præscribi, seu usucapi, quia ordinario tempore non usucapiuntur ; sic ut res furtivæ, res vi possessæ, et res fisci, dicuntur non posse usucapi ; cùm tamen possint, hæ 40, illæ 30 annis. Simili modo dicuntur non posse usucapi ea quorum alienatio est prohibita, ut feudi dotalis, majoratûs, legati, fideicommissi ; quæ tamen possunt præscribi tempore ordinario, ab eo qui bonâ fide illâ possidebat, et jam usucapionem inchoaverat, antequàm illa bona contraherent hæc onera seu obligationes reales. Ubi verò jam contraxerunt, non potest inchoari præscriptio ordinaria ab eo qui hæc accepit ab auctore malæ fidei ( secùs de eo qui accepit à tertio ) ; benè tamen tricenaria, ut patet ex dictis dubitat. 11. Idem dicendum de bonis adventitiis filiifamiliâs, si pater ea alienet. Ubi enim cœperint esse bona ejus adventitia, non potest inchoari in illis præscriptio contra filium, quamdiù est sub potestate patris ; sed inchoabitur solùm postquàm desierit esse sub illâ, et ab illo tempore debet continuari per 30 annos, ob malam fidem ejus, qui alienavit. Vide L. 1, c. de bonis maternis, et Silvest. præscriptio 2, num. 3.

Pari modo dicuntur non posse præscribi, quæ alieno nomine possidentur, ut precarium, commodatum, conductum, pignus, res emphyteutica aut feudalis : nimirùm ab eo qui hæc sub tali titulo possidet, aut ab ejus hærede, ut constat ex dictis dubit. 3, et insinuatur generatim cap. *Si diligenti*. 17, de præscriptione, et L. *Cùm notissimi*, 7 § *In his*, c. de præscript. 30 et 40 annorum : id expressè habetur de re emphyteuticâ et conductâ. Eadem est ratio rei feudalis, quia feudum et emphyteusis eodem ferè jure constant. Et L. *Nec creditores*, 10, c. de pignoratitiâ actione, idem dicitur de pignore. Azo tamen ad illam legem docet, hæredem longissimo tempore, nempe 30 annorum, posse pignoris proprietatem præscribere. Hæc tamen omnia possunt præscribi à successoribus particularibus, quibus titulo legati, donati, empti, etc., obtigerint, ut constat ex dictis supra dubit. 13. Jus tamen feudale et emphyteuticum quoad proprietatem potest præscribi contra dominum directum annis 30, ut habetur lib. 2 Feudorum, tit. 26, § 4 : *Si quis per 30 annos rem aliquam ut feudum possedit, et servitutem domino exhibuerit, quamvis eâ de re non sit investitus, præscriptione tamen 30 annorum se tueri potest*. Idem dicendum de jure emphyteutico, si uniformem pensionem toto illo tempore solvit. Cum titulo autem præscribitur hoc jus 10 annis inter præsentes, et 20 inter absentes, juxta ea quæ diximus supra n. 27.

Denique, quando jus commune vel præsumptio malæ fidei obstat præscribenti. Tunc enim res illa præscribi non potest ab illo, nisi spatio 40 annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo, ut expressè habetur cap. de præscript. in 6, tam diuturna enim possessio habet vim tituli : nam facit justi tituli præsumptionem, et excludit præsumptionem malæ fidei. Hoc modo dicitur non posse præscribi exemptio à jurisdictione ordinarii, quæ tamen 40 annis cum titulo, et tempore immemorabili sine titulo acquiritur, ut constat cap. *Cùm personæ*, 7, de privilegiis, in 6. Simili modo decimæ et ecclesiæ unius diœcesis dicuntur non posse præscribi ab episcopo alterius diœcesis. Nam jure statutum est, ut omnes ecclesiæ sint in potestate episcopi in cujus territorio sunt sitæ, ut habetur cap. 10, *Omnes*, 16, quæst. 7. Possunt tamen, si possideantur 40 annis, cum titulo, vel tempore cujus initii memoria non exstet, sine titulo, ut patet ex d. cap. 1 de præscript. in 6.

Idem dicendum, primò, de jure patronatûs, ad nominandum rectorem vel prælatum, qui jure communi erat eligendus à capitulo. Secundò, de immunitate à solvendis decimis : omnes enim jure communi solvere tenentur ; quia tamen interdùm aliqui eximuntur, potest hæc exemptio præscriptione 40 annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo acquiri : non tamen ita quin, si opus sit, ecclesia possit rursùs obligationem solvendi imponere, quia jure naturæ populus tenetur ecclesiæ ministros alere, ut infra cap. 39, dub. 1, dicetur. Tertiò de immunitate à contributionibus, aliisque publicis oneribus. Quartò, de potestate faciendi vel concedendi aliquid quod non nisi à principe summo fieri, aut concedi solet, ut ea quæ sunt meri et mixti imperii. Vide supra dub. 10 et 12.

Nullo autem modo præscribi possunt, primò, exemptio ab obedientiâ superioris, et alia de quibus dubit. 12. Secundò, res usibus publicis deputatæ, ut forum, via publica, pons : hæc nec in totum, nec in partem præscribi possunt. Tertiò, jus decimarum percipiendarum à laico. Et quidem si de ipso primævo et fundamentali jure loquamur, nullo modo à laico præscribi potest, quia est spiritale, fundatum in ministerio sacro. Si autem de aliquo jure, quod ab illo primævo sit derivatum, ut est jus feudale, quo olim nimirùm ante concilium Lateranense sub Alexandro III, circa annum Domini 1179, celebratum, laicis interdùm decimæ solent concedi dubium est an hoc

jus aliquâ ratione post illud concilium possit præscribi. Covarr. lib. 1 Variarum, cap. 17, num. 5, negat, quia, inquit, non solùm jus commune illis resistit, et malæ fidei præsumptio, sed etiam facti sunt incapaces per illius concilii decretum; quod habetur cap. *Quamvis*, 17, et cap. *Prohibemus*, 19 de decimis; quando autem est incapacitas, non habet locum præscriptio. Nihilominùs, si cujus majores à tempore cujus initii non exstet memoria, tale jus possedissent, præsumerentur habuisse ante concilium, nec opus esset alia tituli probatione, ut plurimi doctores quos ipse Covar. citat et sequitur, docent. Quartò, limites provinciarum, episcopatuum, et paræciarum: quod intellige, si de his constet; si autem non constet, præscribi possunt. Quintò, res indivisa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo illorum præscribi potest, quia ille nomine aliorum possidet. Colligitur L. *Si communem*, 10, π. *Quemadmodùm servitus amittatur*. Vide plura apud Silvest. Præscriptio secundò.

## DUBITATIO XVI

*Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi.*

49. Respondeo et dico primò: *Præscriptio* dicitur *non procedere*, quando ob aliquam causam non incipit, vel non potest incipere. Ita Covar. reg. *Possess.* § 12. Hoc fit potissimùm ob 4 causas: Primò, si desit possessio civilis. Secundò, si desit titulus, non potest incipere præscriptio triennalis, decennalis, aut vicennalis: potest tamen tricennalis, ut dictum est dubit. 8. Tertiò, si desit bona fides. Quartò, si res non possit alienari, legi resistente, ut dictum est de fundo dotali, de bonis adventitiis filiifamiliâs, de legato, fideicommisso, majoratu.

Dico secundò: Præscriptio dicitur *dormire*, quando jam inchoata aliquanto tempore cessat; ita tamen, ut illo exacto, rursùs vim habeat, et continuetur cum tempore priore. Sic dicitur dormire primò, tempore belli, quando jus non dicitur, vel homines diffugiunt in aliud territorium; similiter tempore pestis. Secundò, quando ecclesia caret rectore, cessat contra ecclesiam. Tertiò, quando is contra quem præscribitur non potest agere, ut est filiusfamiliâs, pupillus durante ætate pupillari (nempe usque ad annum 14 exactum in mare; in feminâ usque ad 12 exactum), uxor vivente marito. Vide Silvest. præscriptio 1, num. 9.

Dico tertiò: Præscriptio dicitur *interrumpi*, quando inchoata cessat, ut si rursùs reviviscat, non continuetur cum tempore priore, sed de novo debeat inchoari.

Hæc *interruptio* generatim fit dupliciter: primò, naturaliter, secundò, civiliter. *Naturaliter* interrumpitur, quando incipit aliquid deesse, quod est necessarium ad naturam præscriptionis, ut possessio, vel bona fides. *Civiliter* interrumpitur, quando per aliquem actum juridicum interpellatur, ut per litis contestationem, vel citationem, ut docet Covar. § 12, ex Panorm. et aliis. *Triennalis* usucapio non interrumpitur litis contestatione. Si tamen is qui volebat ita usucapere, condemnetur, debet rem restituere: si non condemnetur, maneatque in bonâ fide, expleto triennio illam poterit retinere. *Decennalis* tamen, *vicennalis* et *tricennalis*, interrumpitur, litis contestatione factâ coram judice competente. Si tamen actor succubuerit in lite, vel si litem sponte deseruerit, non interrumpitur; similiter si animo tantùm interrumpendi præscriptionem, litem moverit. His addo præscriptionem contra actionem fisci interrumpi solâ citatione. De his plura apud Covar. et Silvest. sed parùm utilia theologo.

## DUBITATIO XVII.

*Utrùm qui legitimè præscripsit rem aliquam, si termino præscriptionis elapso, constet fuisse alienam, teneatur eam restituere.*

50. Multi existimant talem teneri ad restitutionem, nisi intercesserit negligentia domini in re suâ inquirendâ: ita Adrian. in 4, q. 2 de Præscrip., p. 166; Joannes Med., c. de Restit. q. 18; ejusdem sent. videtur Scotus in 4, d. 15, q. 2, § de secundo; nam eodem fundamento nititur; et Gabr. ibid. q. 14, a. 1, in fine, et alii nonnulli: fundamentum hujus sententiæ est, quòd leges præscriptionis videantur solùm vel potissimùm institutæ in pœnam negligentiæ domini; ubi ergo negligentia non intervenerit, ibi locum non habere; quare is qui usucepit, vel præscripsit, ad restitutionem obstrictus erit, ubi constiterit nullam negligentiam intercessisse. Sed contrarium est verius.

Unde dico primò, non solùm quando domini prioris intercessit negligentia, sed etiam quando constat nullam intercessisse, res legitimè præscriptæ transeunt in dominium novi possessoris, ita ut non teneatur eas restituere, nisi prior dominus per judicem restituatur in integrum. Ita Covar. ad reg. *Possessor*, p. 3, § 2, n. 3, ubi multos alios refert, et Sotus, lib. 4 de Justitiâ, q. 5, a. 4, et passim doctores.

Probatur, quia L. 3, π. de usucapionibus, definitur *usucapio esse dominii acquisitio per continuationem temporis lege definiti*; ergo transacto illo tempore, non tenetur is, qui usucepit, ad restitutionem; cùm dominium acquisierit. Secundò, leges præscriptionis nunquàm meminerunt, eam statui in pœnam negligentiæ dominorum: sed ob bonum publicum, nam L. 1, π. de usucapionibus, dicitur: *Bono publico introducta est usucapio, ne diù et ferè semper incerta essent rerum dominia*; et L. ultima, π Pro suo, *concessa dicitur ut aliquando litium esset finis*. Similiter canones indistinctè et absque restrictione negligentiæ, approbant præscriptiones bonæ fidei; atqui princeps per suas leges potest privare subditum re suâ, etiam absque ejus culpâ, si ratio boni communis ita postulat; ergo cùm ratio boni id exigat (nempe ne semper incerta sint dominia, et ne infinita quædam litium seges suboriatur), non est dubitandum quin hisce legibus dominium transferatur.

Tertiò, quia lege pœnali non amittitur dominium ante sententiam; atqui præscriptio simul atque peracta est, dominium adimit, et in novum possessorem omninò transfert: ergo leges præscriptionis non sunt pœnales duntaxat, punientes dominorum negligentiam.

Confirm. quia ista negligentia rei suæ, non est nisi venialis, quæ non meretur oblatione rerum puniri. Unde Adrian. requirit in eâ culpam mortalem; sed hæc vel nunquàm vel rarissimè accidit; et ita ferè nunquàm præscriptio habebit effectum.

Denique non potest sciri quanta negligentia à domino priore sit commissa : itaque hæc res tota erit plena scrupulis, et inutilis ad praxim.

51. Dico secundò : Præscriptio non solùm transfert dominium utile, sed etiam directum, idque tam in bonis immobilibus, quàm in mobilibus. Ita Covar. supra § 1, in fine, et passim theologi. Leges enim et canones indistinctè loquuntur de dominio, nec restringunt ad dominium utile, ut patet cap. 3, 4, 6, de præscript., et ex cap. *Clerici*, 26, q. 3, ubi dominium acquisitum per præscriptionem vocatur *proprietas*. Denique ex c. *Placuit*, 1 et 2, 16, q. 3. Idem colligi potest ex legibus citatis, et ex toto tit. c. de præscript. 30 annorum. Fundamentum jurisperitorum, qui contrarium tenent in bonis immobilibus, falsum esse ostendit Covar. supra § 1, num. 1.

Objicitur primò : Nemo sine culpâ debet privari re suâ; ergo debet intercessisse culpa.

Resp. : Antecedens verum est, nisi ratio boni communis aliud postulet, ut fit in proposito.

Objicitur secundò : Fundamentum præscriptionis est bona fides; ergo postquàm constiterit rem fuisse alterius, subvertitur præscriptio, quia subvertitur ejus fundamentum.

Resp. non subverti bonam fidem ex eo quòd peractâ præscriptione constet rem fuisse alienam, quia tunc verè potest judicare rem esse suam, quamvis antea alterius fuerit.

Objicitur tertiò : Cui res est adjudicata per sententiam nitentem falsâ præsumptione, tenetur ad restitutionem : atqui leges præscriptionis nituntur falsâ præsumptione : ergo is cui res est adjudicata per talem legem, tenetur ad restitutionem.

Resp. primo, negando conseq., quia judex per sententiam non intendit transferre dominium, sed solùm declarare utrius sit; unde si fundamentum est falsum, quo sententia nititur, ipsa quoque corruit, nec est servanda in conscientiâ. At verò princeps per legem præscriptionis intendit transferre dominium absolutè; et quamvis fortè falsâ præsumptione ex parte nitatur, tamen justam causam habet ita statuendi absolutè.

Secundò respondeo : Neg. minor., quia verum non est leges præscriptionis potissimùm præsumptione negligentiæ nixas esse, ut ex dictis constat

### DUBITATIO XVIII.

*Quibusnam adversùs præscriptionem restitutio in integrum concedatur.*

52. Notandum est *restitutionem in integrum* esse quoddam remedium, quod, finitâ præscriptione, relinquitur priori domino, qui rem suam amisit, nempe ut auctoritate judicis possit restitui in dominium et possessionem rei amissæ.

Quo posito, respondeo hoc remedium concedi, primò minoribus ætate, id est, qui nondùm 25 annos expleverunt; secundò, piis locis et ecclesiis, etiamsi præscriptio sit 40 annorum. Ita docent Glossa et doctores in auth. *Quas actiones*, c. de sacros. Eccles. verb. *Excluduntur;* estque communis opinio, teste Panorm. in cap. 1 de præscrip. et in cap. *Auditis*, eodem. Ecclesiæ enim concessum est privilegium minorum, estque instar minoris, vel etiam pupilli; ut tradunt doctores in cap. 1 et 2 de restit. in integrum lib. 6, quibus locis etiam expressè ecclesiis hoc beneficium restitutionis conceditur. Ubi adverte ecclesiis et minoribus hoc concedi, quamvis ipsis scientibus et resistere valentibus præscriptio facta sit, ut docet Covar. ad reg. *Possessor*, p. 3, § 3, n. 3, quia ratione fragilis ætatis id concessum minoribus, quorum privilegium extenditur ad ecclesiam et alia pia loca; conceditur verò per quatuor annos postquàm sciverint completam contra se præscriptionem. L. fin. c. de tem. in integrum restit. Tertiò, majoribus ætate conceditur in præscriptione 10 et 20 annorum, modò tamen probent, cum justâ et probabili ignorantiâ suâ, aut omninò sine suâ negligentiâ præscriptionem fuisse peractam. L. 1, § fin. π. *Ex quibus causis major.* Abbas et Felinus in cap. *Vigilanti*, de præscript., et alii, estque sententia communis, teste Covar. supra n. 1. Habent et hi quatuor annos postquàm sciverint completam præscriptionem. In præscriptione autem 30 et 40 annorum non conceditur majoribus restitutio, juxta Covar. n. 1, quamvis alii aliter sentiant : minoribus autem conceditur. Sed hæc ad forum externum pertinent. Vide infra cap. 17, dubitatione 9.

# Sectio secunda.

# DE INJURIIS ET DAMNIS

## IN OMNIBUS HUMANORUM BONORUM GENERIBUS,

## ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

Explicuimus superiori sectione, per sex capita, quid *justitia*, quid *jus*, quænam ejus species, et inprimis quid *dominium*, quibus et in quæ competat, quibusve modis comparetur. Sequitur nunc ut tractemus de *injuriis* et

*damnis* quibus justitia et jus violatur, et *restitutione*, quæ est principalis actus justitiæ commutativæ, per quem jus violatum instauratur.

Primùm igitur dicemus de injuriâ et restitutione in genere; 2° de injuriâ in bonis spiritualibus; 3° de injuriâ in corpus proximi per homicidium vel mutilationem; 4° de injuriâ in corpus proximi per adulterium et stuprum; 5° de injuriis famæ et honoris per detractionem et contumeliam; 6° de injuriis fortunarum per furtum, rapinam, damnum illatum; 7° de cooperantibus ad hæc; 8° de restitutione ratione rei acceptæ; 9° de ordine servando in restitutione, deque ejus expensis; 10° de excusantibus à restitutione.

## CAPUT VII.

### DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN GENERE.

(*Habet* 10 *dubitationes.*)

### DUBITATIO PRIMA.

*Quid sit injustitia et injuria.* D. Thomas, q. 59.

1. Notandum est, sicut nomen *justitiæ* dupliciter accipitur (ut supra cap. 1, dub. 1, ostensum est): primò, pro omni virtute, quatenùs est quædam legis obedientia; secundò, pro virtute particulari, quæ constituit æqualitatem in commutationibus et distributionibus: ita etiam nomen *injustitiæ* dupliciter accipitur, ut expressè docet Aristoteles 5 Ethic. cap. 1, primò pro *omni legis violatione*, quam ipse ἀνομίαν vocat, nos iniquitatem. Hoc modo omne peccatum est *injustitia* quædam, quia est violatio æqualitatis seu conformitatis debitæ legi vel præcepto superioris. Hinc *peccatum* definitur, *cœlestium inobedientia mandatorum, et divini prævaricatio præcepti.* Unde passim in Scripturis omne peccatum vocatur *injustitia*, et peccatores *injusti*, Joannis 7. *Injustitia in illo non est*, ad Rom. 1. *Revelatur enim ira Dei super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitiâ detinent*, Ezech. 18, et alibi. Similiter omne peccatum vocatur *iniquitas*, seu ἀνομία. E contrario omne opus bonum vocatur *justitia.*

2. Hinc patet hanc rationem *injustitiæ* esse generalem et communem omni peccato, sicut esse contra charitatem; neque videri distingui à ratione generali inobedientiæ, quia hæc *injustitia* consistit in hoc quòd conformitas legi debita violetur, quæ violatio nihil est aliud quàm legi inobedientia.

3. Itaque peccatum non contrahit aliquam specialem pravitatem ex hâc malitiâ (quia generalis est, essentialiter omni peccato conveniens), nisi ipsa in illo peccato speciali modo sit volita, ut cùm quis ex contemptu legis peccat, quod fit, quando quis directè vult legem violare, ut ostendat se eam nihili pendere; generalis enim conditio objecti non potest specialem malitiam tribuere actui voluntatis, nisi speciali modo sit volita, quia malitia formalis in actu voluntatis sumi debet ex ordine quem habet ad malitiam objectivam, quæ cernitur in objecto volito, ut ostensum est 1-2, quæst. 18, art. 1.

4. Secundo modo accipitur *injustitia* ut opponitur justitiæ particulari; idque vel ut actus, vel ut habitus. Si ut actus, sic nihil est aliud, quàm alieni juris violatio; neque differt ab *injuriâ*. Sicut enim actu justitiæ cuique jus suum tribuitur, ita injustitiæ hoc jus violatur: in quâ violatione sita est *injuriæ* ratio. Si verò accipitur ut habitus, habitui justitiæ oppositus, sic nihil est aliud, quàm prava voluntatis dispositio ex injustis actibus orta, et ad similes inclinans. Quanquàm si theologicè magis quàm philosophicè loquamur, *habitualis injustitia* non tantùm consistit in pravâ dispositione reali, sed etiam morali et imputativâ: quod ut intelligatur.

5. Notandum, duplici modo fieri alteri injuriam, *commissione* et *omissione*, neque minùs omissione reddi hominem injustum, quàm commissione. Omissio nuda non relinquit in voluntate aliquam dispositionem realem; relinquit tamen hominem injustum habitualiter, donec restituat, vel satisfaciat. En habitualem injustitiam sine reali dispositione voluntatis. Et quamvis rarò fiat, ut quis debitum officium omittat absque positivâ voluntatis complacentiâ et assensu, tamen fieri potest, et interdùm fortassè fit. Idem in aliis vitiis locum habet, ubi omissione peccatur; remanet enim homo habitualiter vitiosus, absque reali habitu. Idem quoque locum haberet in virtutibus et omnibus vitiis, si ex actu nihil reale relinqueretur: morale enim illud et imputatitium ex actu relictum, sufficeret ad denominandum hominem justum vel injustum, temperantem vel intemperantem. Sed de hoc plura 1-2, quæst. 49, art. 1.

6. Hinc patet, *injustitiam habitualem* generatim non tantùm consistere in reali dispositione, sed etiam in morali, seu imputativâ, quatenùs complacentia interpretativa omissionis, per quam illa omissio fuit voluntaria, censetur manere secundùm moralem æstimationem, et imputatur ut præsens, donec fiat restitutio.

### DUBITATIO II.

*Utrùm aliquis dicatur injustus, eo ipso quòd faciat aliquid injustum.*

*D. Thom., art.* 2.

7. Respondeo, et dico primò: qui sciens aliquid esse *injustum*, spontè illud facit, eo ipso est *injustus*. Probatur: qui vult liberè id quod novit esse injustum, censetur etiam velle ipsam injustitiam et inæqualitatem annexam; ac proinde meritò dicitur injustus. D. Thomas dicit talem intendere formaliter injustum, quia intendit id, quod scit esse injustum; et ita intentio fit formaliter injusta, quamvis ipsam injustitiam per se non intendat.

8. Dico secundò: Qui ignorantiâ inculpatâ nescit esse injustum, vel si scit, non consentit in opus, sed vi externâ impulsus facit, non est dicendus injustus. Ratio est, quia malitia annexa operi, nullo modo est

volita, ac proinde non potest ipsius voluntatem contaminare.

Dico tertiò : Si ignorantia sit culpabilis, vel vis extrinseca, aut passio, quâ incitatur, talis sit, ut ei possit resisti, verè erit injustus, si faciat opus injustum, licet minùs, quàm si sciens et volens. Ratio est, quia hæc non impediunt quin ille absolutè censeatur velle et voluntariè facere quod injustum est, ut ostensum est 1-2, q. 6, a. 7 et 8.

9. Notandum tamen, Aristotelem, lib. 5 Ethic., cap. 8, ubi hanc quæstionem tractat, docere eum qui ex ignorantiâ vel passione quippiam injustum designat, non esse dicendum injustum, quia non operatur injustè, id est, ex habitu et affectu directè inclinante ad id quod injustum est, sed solùm per accidens et indirectè. Verùm hoc intelligendum est, non tam perfectè dici injustum, quàm eum qui sciens et suâ sponte facit : alioqui talis absolutè est injustus ; indirectè enim voluntarium in peccatis, recidit in speciem voluntarii directi, ut constat ex 1-2, q. 6.

10. Notandum secundò, circa respons. D. Thomæ ad 3, dùm quis per ignorantiam inculpatam facit opus injustum, hoc opus non dici formaliter *injustum*, quia non procedit à voluntate (quæ in moralibus est instar formæ) injustâ ; dicitur tamen injustum materialiter, quia constituit veram inæqualitatem rei ad rem. Idem videtur dicendum de reliquorum vitiorum operibus : qui enim accedit ad non suam per ignorantiam, ut Jacob, vel plus comedit quàm natura postulet, facit opus materialiter intemperatum (quamvis formaliter, ut subest voluntatis affectui, possit esse temperatum) ; etsi enim non incongruens sit homini tale dictamen ex errore inculpato habenti, tamen est ei incongruens secundùm se et absque illo errore considerato. Et ita quamvis ratio intemperati non conveniat illi operi in ordine ad actuale dictamen, convenit tamen ei in ordine ad naturam rationalem absolutè consideratam.

## DUBITATIO III.

*Utrùm aliquis possit pati injustum volens.*

(*D. Thom. art.* 3.)

11. Respondeo, et dico primò : Sicut nemo potest facere *injustum* propriè vel injuriam, nisi volens, ita nemo potest propriè pati *injuriam*, nisi nolens ; ita D. Thomas, art. 3, ex Aristotele, 5 Ethic., cap. 9 et 11.

Prior pars patet, quia injustum formaliter et injuria includunt rationem voluntarii ; hinc fit ut amens, et brutum non faciat injuriam, etsi lædat : sufficit autem sive directè, sive interpretativè sit voluntarium.

12. Altera pars probatur, quia nemo potest pati *injuriam*, nisi jus ejus violetur : non potest autem violari jus alterius, nisi ipso nolente, vel expressè, si sciat, vel implicitè, si nesciat ; et ita sit affectus, ut, si sciret, expressè nollet. Cujus ratio est, quia si velit, vel certè positivè permittat se lædi, jam cedit jure suo, illudque abdicat, vel certè in arbitrio lædentis ponit : ac proinde, etsi ipse lædatur, jus tamen ipsius (quà ipsius est) non violatur ; sicut si concedam tibi ut vestem meam auferas, pono dominium rei meæ in tuo arbitrio, unde si auferas, non violas jus meum.

Dixi, *quà ipsius est ;* quia etsi non violetur præcisè quà ipsius est, potest tamen violari quatenùs ad alium pertinet. Servus enim habet jus ut non spolietur rebus suis invitus ; et dominus habet jus ut idem non spolietur etiam volens. Unde qui spoliat servum consentientem, etsi non faciat injuriam servo, facit tamen injuriam domino ; similiter qui vastat vineam custode consentiente. Idem usuvenit quotiescumque alter alteri ita subditus aut connexus est, ut jura eorum inter se connexionem aut dependentiam habeant. Sic qui seipsum interficit, etsi non facit propriè injuriam sibi, facit tamen injuriam reipublicæ cujus ipse est pars, et etiam Deo (juxta D. Thomam) qui solus vitæ humanæ est dominus. Unde tales peccant contra præceptum : *Non occides ;* et pœnâ homicidii, si fieri posset, plectendi essent : et post mortem in tanti criminis pœnam non minore ignominiâ afficiuntur. De quo vide Julium Clarum, lib. 5, recept. opinion. § fin, num. 57. Sed de hoc plura infra, cap. 9, dubitat. 6. Pari modo qui alium volentem interficit, non facit quidem illi propriè injuriam (volendo enim occidi, cedit jure suo, ac proinde interfector non tenetur hæredibus ad ullam restitutionem), facit tamen injuriam reipub. et Deo, et peccat contra justitiam legalem. Unde David punivit Amalechitem tanquàm homicidam, qui se occidisse Saülem volentem dicebat, 2. Reg. 1. Idem dicendum ; quando conjux consentiente conjuge adulterium committit. Non enim facit propriè injuriam consentienti, sed peccat contra matrimonii legem.

Notandum tamen est, non censeri quempiam cedere jure suo, si aliquo modo involuntariè, et renitente affectu consentiat, inductus ab eo qui læsurus est. Sicut enim donatio debet omninò esse libera, ita etiam cessio juris, quæ tollit injuriam. Unde qui solvit usuras, non cedit jure suo : quia non cupit ut usurarius has exigat, nec intendit se ullo jure privare, aut donare ; sed solvit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Ex his patet intelligentia illius regulæ, quæ est 27, inter reg. Juris in 6 : *Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus.*

13. Adverte tamen, quosdam doctores hanc regulam et ea quæ dicta sunt, limitare ad ea, in quibus jure nostro cedere possumus, ut in famâ, honore, et aliis bonis externis, quorum sumus domini. In his enim scienti et volenti non fieri injuriam : quia cùm hæc subsint nostræ dispositioni, hoc ipso, quo volumus his spoliari, jure nostro nos privamus, et illud in alterius collocamus arbitrio ; secùs esse in aliis, quorum non sumus domini, sed custodes duntaxat : ut in vitâ, et membrorum integritate, in conjuge, in prolibus, et similibus, in quibus jure nostro cedere non possumus. In his enim propriè fieri injuriam ei, cui ipsa commissa sunt, vel obnoxia, si perimantur, vel lædantur, etsi id ipso volente fit. Ratio est, quia cùm cessio juris sit invalida, totum jus permanet in suo vigore : ac proinde si contra illud fiat, peccatur contra justitiam, et fit verè et propriè injuria, quamvis con-

sentienti. Unde inferunt eum qui interficit Titium volentem, facere ei propriè injuriam, quia Titius non poterat jure illo cedere : similiter cùm quis adulterium committit cum uxore Titii ipso Titio consentiente. Alii dicunt, non fieri in istis propriè injuriam personæ, sed naturæ, vel statui.

Verùm id quod diximus est magis consentaneum usitato modo loquendi; nemo enim, qui volens in corpore læsus fuerit ab aliquo, vel conjugem alteri violandam dederit, dicet sibi injuriam factam, aut de injuriâ conqueri poterit. Deinde est ipsa doctrina Aristotelis lib. 3 Eth. cap. 9, ubi ostendit *neminem spontè pati injuriam, etiamsi possit spontè lædi, et damno affici* : quia ad illud requiritur ut invitus patiatur. Neque id intelligit solùm in iis quæ subsunt nostræ dispositioni, ut in famâ et divitiis, sed etiam in aliis in quibus jure nostro cedere non possumus, ut in vitâ et membris : quod ex initio capitis constat, ubi ex Euripide adducit exemplum ejus qui matrem volentem et rogantem interfecit. Confirm., nam idcircò nemo sibi ipsi injuriam facere, aut à se injuriam accipere potest, quia non potest à se invitus pati : non enim fieri potest, ut si quis sibi damnum velit inferre, et simul nolit illud à se pati. Idem docet D. Thom. art. 3, q. 59. Confirmatur secundò, quia qui violat filiam consentiente parente, non facit parenti injuriam; et qui furatur à pupillo consentiente tutore, non facit tutori injuriam : et tamen isti jure suo cedere non possunt; ergo ad formalem injuriam non sufficit quòd quis jure suo non possit cedere.

Nec obstat quòd quis in illis jure suo cedere non possit, ac proinde jus illud, quod habet ut in illis non lædatur, permaneat, quia non permanet sub ratione formali juris justitiæ, sed solùm materialiter, cùm ipse nolit eo uti, eoque quantùm in se est, cedat. Unde non censetur injuria in illum nisi materialiter, sicut enim potest esse injuria materialis ex parte irrogantis, ita etiam ex parte ejus cui irrogatur.

14. Dico secundò : Fieri potest ut quis ex parte suâ injuriam inferat, et tamen alter propriè injuriam non patiatur : et è contrario fieri potest ut quis injuriam vel potiùs injustum patiatur, et alter propriè injuriam non inferat; ita D. Thom. ad 3, ex Aristotele supra. Prioris exemplum est, si detrahas famæ alterius, ut illi noceas, et ille cedat jure suo optans haberi infamis propter Christum; posterioris est, si per ignorantiam vendas alteri rem vitiosam, quam ille putet esse probam.

Dices : Ergo Christus et sancti propriè non sunt passi injuriam, cùm libenter passi sint, et pati desideraverint.

Resp. : Nego conseq., quia, ut quis dicatur non pati injuriam, non satis est quòd ob aliquam causam libenter patiatur, seu quòd gaudeat illo malo, sed oportet ut etiam cupiat illud sibi à tali irrogari, cedendo, quantùm in se est, jure suo : alioquin retinet actionem injuriarum in illum; et ille tenetur ad restitutionem, vel satisfactionem. Christus autem et sancti non cupiebant sibi ab impiis illa mala irrogari, nec illis ad hoc ullum jus vel auctoritatem tribuebant, sed solùm permissivè se habebant non repugnando, et se non subtrahendo illorum potestati, ut sic eorum malitiâ ad majus bonum uterentur. Unde retinent actionem injuriarum in illos coram tribunali divino, ut patet Sapientiæ 5 : *Stabunt justi in magnâ constantiâ adversùs eos qui se angustiaverunt.*

## DUBITATIO IV.

(*Quid sit restitutio, et cujus virtutis actus.*)

*D. Thom. q. 62, a. 1.*

15. Notandum est *restitutionem* propriè significare positionem rei in pristinum statum; et quia, dùm res ablata redditur, in priorem statum reponitur, ideò significat *redditionem rei ablatæ, sive jure, sive injuriâ ablata sit;* quod aliter Latinis dicitur *redhibitio*, et redhibere. Sic depositum et commodatum dicitur restitui, et etiam mutuum; quia saltem secundùm speciem est idem. Emptor verò pretium numerans non dicitur *restituere*, sed *solvere :* et qui damnum intulit, *compensat*, non *restituit.*

Apud theologos tamen hoc nomen accipitur generaliùs, ut etiam comprehendat omnem illati damni compensationem; et sic nihil est aliud quàm *rei acceptæ redditio*, vel *damni illati compensatio.* Hoc modo qui damnum intulit, dicitur facere restitutionem, dùm illud compensat, et æquivalens rependit; posset etiam hoc modo emptor solvens pretium dici facere restitutionem, quia reddit rem in æquivalenti, quamvis non ita usitatè.

16. Hinc patet restitutionem esse opus externum justitiæ commutativæ, quia hujus virtutis est constituere æqualitatem inter datum et acceptum, inter damnum et compensationem; quod fit restitutione.

Nec obstat quòd etiam error, contra justitiam distributivam commissus, sarciatur restitutione, et ita videatur etiam esse opus justitiæ distributivæ, quia sæpè in actu distributionis continetur debitum justitiæ commutativæ, quod debitum violatur pravâ distributione : sicque non est mirum, si opere justitiæ commutativæ instaurari debeat, ut ostensum est, c. 1, dub. 4.

17. Petes, quo modo differt restitutio à solutione et satisfactione?

Respondeo : A *solutione* differt, quòd non omnis solutio propriè sit restitutio, nec contra; dicimur enim *solvere* quod ex voto, juramento, charitate aut misericordiâ debitum est (nam et ex his virtutibus debitum et obligatio aliquid dandi in proximum nascitur); non tamen propriè dicimur *restituere*, aut facere restitutionem; et è contrario, qui reddit depositum, restituit, non tamen solvit. *Restitutio* enim postulat ut res quodammodò sit eadem vel in se, vel in æquivalenti : *solutio*, ut sit diversa.

18. A *satisfactione* verò, primò, quòd satisfactio sit quiddam generalius : omnis enim restitutio est satisfactio, non contra. Secundò, quòd satisfactio respiciat personam, dùm præstat id quod alteri satis est,

etsi non sit æquivalens debito; restitutio autem respicit rem, dùm præstat æquivalens, vel rem ipsam exhibet. Tertiò, satisfactio propriè fit pro injuriâ illatâ, et honore violato, quamvis nihil damni illatum sit; restitutio verò propriè ubi damnum illatum, vel res alterius ablata. Sic Deo satisfacimus, cui tamen nihil propriè restituere possumus, cùm omnia perfectissimè sint ipsius. Quartò, satisfactio fit etiam pro damno irreparabili, restitutio solùm pro reparabili.

## DUBITATIO V.

*Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis.*

19. Respondeo, eam ex duplici capite nasci, nempe ex *injustâ acceptione*, vel *ex re acceptâ* sive justè, sive injustè; colligitur ex D. Thom., q. 62, a. 6 et 7; docet Cajet. ibidem, et Covar. ad reg. Peccatum, 2 p., in principio.

Per *injustam acceptionem* intelligo non solùm furtum, sed etiam damnum quodvis per homicidium, adulterium, stuprum, furtum, infamiam, sive alio modo iniquè illatum; quicumque enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo, et sic dicitur teneri ratione injustæ acceptionis.

Per *rem acceptam* intelligo non solùm eam quæ à domino ablata est, ut equus, vestis, pecunia, sed etiam eam quæ ex justitiâ alteri debita est, et apud me retinetur, ut legatum alteri, aut venditum, quod apud me est.

Quòd autem ex priori capite nascatur obligatio restitutionis, probatur, quia qui damnum intulit, violavit æqualitatem quam poscit justitia commutativa : ergo ut æqualitatem illam sarciat, tenetur lege justitiæ ad restitutionem, etiamsi nihil emolumenti acceperit.

Quòd etiam ex secundo capite, patet, quia qui habet rem alterius, etsi nullam injuriam intulerit, habet tamen plus quàm suum; et verus dominus tantùmdem habet minùs quàm suum. Unde ut fiat æqualitas justitiæ, per quam cuique tribuitur suum, debet domino restitui. Vide D. Th. art. 6 et 7, q. 62, quamvis hæc duo capita paulò aliter explicet; sed res est eadem.

Dices : Qui obligatur ex stipulatione, non tenetur ex altero horum capitum : ergo hæc non sufficiunt.

20. Responderi potest, talem non propriè teneri ad restitutionem, sed ad solutionem. Si tamen nomen restitutionis generatim accipiatur pro omni redditione, quâ res ex justitiâ debita redditur in seipsâ vel in æquivalenti, sic assignanda sunt *tria capita omnis restitutionis*. Primum, *ex injustâ acceptione*, seu damno illato. Secundum, *ex re acceptâ* justè vel injustè. Tertium, *ex contractu*. Nam mutuum et pretium rei emptæ, et similia, non debentur propriè ratione rei acceptæ (nam fieri potest ut hæc non extet), sed ex contractu.

21. Notandum est, inter hæc capita esse magnum discrimen; quando enim aliquid debetur ex injustâ acceptione, vel ex contractu, manet obligatio restitutionis, etiamsi res debita pereat, sine nostrâ culpâ : quando verò debetur tantùm ratione rei acceptæ, non manet obligatio, re absque culpâ nostrâ pereunte, ut patet in deposito.

Ex his plurima possunt deduci, ut patebit ex sequentibus.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm nascatur obligatio restitutionis ex damno dato absque culpâ, vel per culpam levem extra officium et contractum.*

22. Notandum primò, tripliciter fieri posse ut damnum alteri culpâ meâ obveniat : Primò, si tenear ex officio impedire, et negligam. Secundò, si ex contractu. Tertiò, extra officium et contractum, de quo modò hìc agimus.

Notandum secundò ex Adriano in 4, de Restitut., § Utrùm in foro animæ, *culpam* aliter accipi apud jurisperitos, aliter apud theologos. Apud theologos enim *culpa* idem est, quod peccatum, sive mortiferum, sive veniale; apud jurisperitos verò est idem, quod omissio alicujus diligentiæ, unde sequitur aliquod incommodum. Dividunt autem culpam in latam, latiorem, latissimam, levem et levissimam.

23. *Culpa latissima est dolus apertus; latior est dolus præsumptus.* Est autem *dolus quævis calliditas, fallacia et machinatio ad circumveniendum, fallendum et decipiendum adhibita. Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum;* ita tradit Glossa π. de dolo, l. 1. Sequuntur passim doctores.

*Culpa lata* est omissio ejus diligentiæ et circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent : ut si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium.

*Culpa levis* est omissio ejus diligentiæ et circumspectionis, quam solent diligentiores illius artis vel professionis adhibere.

*Culpa levissima* est omissio diligentiæ, quam diligentissimi et prudentissimi adhibent. Vide Navarrum cap. 17, n. 177 et sequentibus, et Silv. verbo *Culpa*, in principio.

Ilis positis, Angelus, verbo *Culpa*, n. 6, sentit, ex quâvis culpâ, etiam levissimâ, nasci obligationem restitutionis; idem tenet Adrianus supra : probant ex quibusdam canonibus : sed contraria sententia est tenenda; pro quâ.

24. Dico primò : Quando non intercessit aliquis contractus, non oritur obligatio restitutionis ratione damni dati (saltem in foro conscientiæ) nisi ex culpâ latâ, non autem ex levi, vel levissimâ; ita communiter DD., ut fatetur Angelus; Innocentius in cap. Sicut dignum, de homicidio; Gabr. in 4, d. 15, q. 14, art. 3, dubit. 2; Silv. verbo *Culpa*, n. 6, ubi citat Panor. et alios. et verbo *Restitutio*, secundò, § 12 et 17; Sotus lib. 4, de Justitiâ, q. 7, art. 2, et lib. 5, q. 1, a. 9.

Probatur primò, quia nemo tenetur adhibere majorem diligentiam in suis operibus, ne alteri noceat, quàm ejusdem conditionis homines passim in simili-

bus adhibere solent (nemo enim tenetur esse prudentior et circumspectior hominibus suæ sortis); ergo damnum eveniens non debet illi imputari, sed censebitur involuntarium.

Secundò, talis neque tenetur ratione contractûs (sicut tenetur, qui ignorans vendidit rem vitiosam) neque ratione rei acceptæ, cùm ea non exstet: neque etiam ratione injustæ acceptionis, cùm sine omni peccato damnum sit secutum: nemo enim tenetur ratione injustæ acceptionis, nisi quando in eâ est peccatum (alioqui teneretur quis ex casu fortuito et præstitâ summâ diligentiâ; quod tamen nemo dixerit) ergo cùm hìc non fuerit peccatum, non tenetur. Quòd autem ratione culpæ levis vel levissimæ non interveneret peccatum, patet, quia non tenebatur diligentiam et circumspectionem adhibere, quam prudentiores et prudentissimi solent adhibere, sed solùm eam quam prudentes: ergo hanc adhibendo et illam omittendo, non peccavit.

Teneri verò *ex culpâ latâ*, constat, quia quisque in actionibus periculosis tenetur præstare diligentiam quam homines ejusdem conditionis communiter præstare solent: ergo si hanc non adhibuerit, censebitur damnum illi voluntarium, quia non fecit quod potuit et debuit, ut constat ex dictis 1-2, q. 6, a. 5.

25. Notandum est quosdam limitare hanc propositionem hoc modo: Non teneri ex culpâ levi, etc., *nisi quis adverterit damnum secuturum, vel illud intenderit*. Sed si quis benè consideret, non est necessaria hæc limitatio, quia qui *advertit* ex suâ actione secuturum damnum, tenetur majorem diligentiam adhibere: nam quivis prudens tunc eam adhiberet. Ut autem quis *intendat* damnum inferre per eam actionem, cui adhibet sufficientem circumspectionem, vix unquàm contingit; si enim facit aliquid ut noceat, quomodò adhibet sufficientem circumspectionem ne noceat? Fieri tamen absolutè potest: ut si quis diligenti consideratione adhibitâ, quam prudens adhiberet, putet esse feram, et veniat in mentem fieri posse ut sit hostis, ideòque telo petat.

Utrùm autem tunc ad restitutionem teneatur, est dubium; videtur teneri, cùm directam nocendi intentionem habeat. Sed veriùs videtur non teneri, quia damnum respectu illius actionis censetur fortuitum; actio enim illa, facta cum tali circumspectione, non censetur ullo modo tendere ad homicidium, aut esse periculosa, ut vitari debeat; nec refert quòd ab intentione eò dirigatur, quia dirigitur in incertum tanquàm in effectum fortuitum, sicut si quis jaculetur in altum eo fine, ut cadat in caput inimici, eò quòd cogitet id esse possibile, quamvis credat inimicum longè abesse. Simile ferè est, si quis in aliquo opere omnem diligentiam debitam præstet, ne noceat; optet tamen casu obvenire damnum vel mortem (ut posset contingere in medico vel chirurgo), et ideò non adhibeat circumspectionem diligentioris aut diligentissimi: hic enim non tenebitur ad restitutionem. Ratio est, quia non tenebatur majorem diligentiam adhibere: adhibuit enim totum, quod ex justitiâ debuit: unde omittendo illam majorem diligentiam, non fecit ei injuriam; ac proinde, si æger moriatur, non illi imputabitur homicidium, quanquàm coram Deo sit reus, quòd optaverit, et ut casu, moreretur, omiserit majorem diligentiam: quæ omissio fuit contra charitatem, sicut quando quis omittit pauperi succurrere in necessitate.

26. Ex his infero, si ex facto tuo vel omissione secutum est alteri damnum, et tu nihil in hoc peccaveris, ob naturalem inconsiderationem, vel oblivionem, non teneri te ad restitutionem, quamvis in foro externo, hoc latâ culpâ commissum diceretur; quia neque ratione rei acceptæ teneris, ut quæ non exstet; neque ratione injustæ acceptionis, cùm non peccaveris; neque ratione contractûs, cùm nullus intervenerit, uti suppono. Ita Sotus supra. V. g.: Egrediens cubiculum, et aliâ cogitatione abreptus, non clausisti ostium; hinc ingressi fures multa abstulerunt. Habes lucernam juxta locum periculosum, et quamvis sollicitè proposueris exstinguere, tamen aliquid intervenit, quo absque culpâ oblivisceris, vel in somnum incidis, et excitatur incendium. Aperuisti puteum, et casu oblitus es tegere vel sepire, ne quis incidat: censetur enim hujusmodi eventis damnum fortuitò datum; tales casus solent sæpè contingere inter homines, sine ullo eorum peccato, Deo sic disponente, vel permittente.

Sed difficultas est, utrùm in culpâ latâ, ut quis obligetur ex eâ, debeat esse peccatum mortale.

27. Respondeo et dico secundò, debere esse peccatum mortiferum commissum in damno dato, ut quis ex culpâ obligetur ad restitutionem: ordinariè autem quando damnum est grave, culpa, seu negligentia, quâ commissum est, censetur mortalis, nisi aliunde constet non esse. Prior pars est ex mente Silvestri locis citatis, et auctorum quos ipse citat, Innocentii, Antonii de Butrio, et aliorum, ut constat per exempla ipsorum; Soti, lib. 4 de Justitiâ, q. 7, a. 2, ante solutionem primi argumenti, ubi ne in commodato quidem putat esse obligationem restitutionis damni, nisi intercesserit culpa mortalis, *quia à venialibus*, inquit, *homines liberi esse nequeunt*: sed de hoc infra. Approbamus sententiam Soti, quando nullus intercedit contractus; idem tenent multi recentiores, ut Petrus Nav. l. 2, c. 1, n. 48; Henriquez, tractatu de Irregularitate, c. 15, ubi citat alios; Emmanuel Sâ, v. *Restitutio*. Ratio est quia, quando solùm culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione injuriæ, sed imperfectus: ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, quâ astringat sub peccato mortali; non enim potest obligatio major esse in suo ordine, quàm fuerit injuria, ex quâ nascitur, in suo.

Petes, utrùm saltem sub veniali sit obligatio?

28. Quidam affirmant. Sicut enim, cùm nulla est culpa, nulla est obligatio; cùm est lethalis, est obligatio sub peccato lethali: ita etiam cùm est culpa venialis, videtur esse obligatio sub veniali. Sed verius videtur nullam esse obligationem restituendi, quod

satis indicat Silvest. et alii DD. Nam obligatio in materiâ gravi, non potest esse nisi sub gravi peccato; pendet enim obligatio ex materiæ gravitate, posito præcepto naturali vel positivo; mirum enim esset hominem sub veniali duntaxat obligari ad restitutionem decem millium aureorum, nec posse hoc peccato liberari, nisi proponat restituere. Ratio est, quia cùm solùm venialis culpa in damno inferendo intercessit, ut cùm ex quâdam inconsideratione et animi ἀπροσεξίᾳ provenit, censetur quasi fortuitò obvenisse; quis enim in hujusmodi rebus periculosis non aliquando aliquam negligentiam admittit? rarissimè tamen hinc talia damna accidunt : quare meritò quasi fortuita videri debent.

Ex dictis sequitur eum, qui subitâ irâ correptus aliquem interimit, ita ut fuerit solùm motus secundò primus, non teneri sub mortali ad restitutionem, ut rectè colligit Petrus Navarra.

29. Altera pars probatur, quia quando opus est periculosum, vel advertis periculum, vel non advertis : si omninò non advertis, naturali quâdam mentis distractione, vel quia nihil occurrit quod mentem excitet ad periculi considerationem, non peccas, etiamsi non adhibeas diligentiam; si autem advertis periculum, ordinariè peccas mortaliter, debitam diligentiam omittens : rarò enim in operibus externis contingit inconsideratio imperfecta, quæ sit venialis; quæ tamen frequens est in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus. Ratio est, tum quia opera externa statim periculum suum ingerunt et excitant mentem ad considerationem, tum quia membra exteriora non moventur ad opus, nisi per rationem superiorem, ut docet D. Thomas, 1-2, q. 74, art. 7. Interdùm tamen contingit hanc negligentiam considerationis esse venialem, quamvis exteriùs judicetur esse lata culpa, quia non adhibuit eam omnem circumspectionem quam homines communiter adhibere solent : et tunc verius est non esse obligationem restituendi.

30. Sed contra has duas propositiones objicitur primò ex cap. ultimo de Injuriis, ubi Greg. IX dicit, *non excusari eum, cujus imperitiâ vel negligentiâ damnum est datum, sed solùm eum qui, ut non occideret, de contingentibus nihil omisit.*

Resp. : Loquitur de culpâ latâ, quæ est peccatum : nomine enim negligentiæ et imperitiæ intelligitur peccatum; unde subdit : *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.* Quòd autem ait, *illum non teneri, qui de contingentibus nihil omisit*, intelligendum est de *iis contingentibus* quæ prudens provideret, non autem de omnibus; nam certum est, neminem ex casu fortuito teneri.

Objicitur secundò ex can. Consuluisti, 2, q. 4, ubi Stephanus V scribit : *Monendi sunt et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentiâ quâlibet provemente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi rei homicidii inveniantur.*

Respondeo : Loquitur de negligentiâ quæ sit peccatum, quæ facilè committitur in re tam periculosâ et tam crebrâ; quam negligentiam quivis prudens conaretur vitare.

Objicitur tertiò ex l. Qui occidit, 30, π. ad l. Aquiliam, § In hâc quoque. Sed reverà illa, lex pro nobis facit. Primò enim dicit, in hâc actione puniri dolum et culpam; et subdit exemplum ejus qui in stipulas ignem immisit die ventoso; deinde addit : *At si observavit omnia quæ oportuit, et subita vis venti longiùs ignem produxit, caret culpâ.* Advertendum tamen est, in foro externo, tam ecclesiastico quàm civili, interdùm puniri culpam levissimam, præsertim in committendo positam, partim ob præsumptionem fraudis, quæ potiùs locum habet in commissione, partim ne detur locus negligentiæ vel fraudi. Sed nos loquimur in foro interiori, ubi præsumptio non habet locum.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm nascatur obligatio restituendi ex damno, culpâ levi vel levissimâ in officio vel consilio dando, commisso.*

31. Respondeo et dico primò, neminem teneri in foro conscientiæ ex culpâ levi vel levissimâ in officio, sed solùm ex gravi. Docent hoc auctores supra allati, dub. 6. Ratio est eadem, quia nemo tenetur in officio vel artificio esse prudentior et diligentior quàm passim homines ejusdem conditionis esse solent : v. g., advocatus non tenetur esse diligentior aut prudentior, quàm passim boni advocati esse solent; unde si contingat te cadere causâ, eò quòd non præstitit quod doctissimus et diligentissimus præstitisset, tamen bonâ fide præstitit quod solent diligentes et docti in similibus causis, non tenetur ad restitutionem. Idem dico de medico, architecto, prætore, magistratu, principe, et aliis officium vel artificium aliquod factitantibus. Unde sequitur etiam tutorem et curatorem non teneri in foro conscientiæ ex culpâ levi vel levissimâ, sed solùm ex latâ, quidquid dicat Silv. v. *Restitutio*, 3, q. 8, § 3, cujus sententia in foro exteriori videtur servari.

32. Adverte tamen hæc intelligenda, nisi quis profiteretur se diligentiorem aut peritiorem aliis, aut etiam diligentissimum peritissimumque : et hâc ratione eum, qui talem quærebat, ad se pertraxisset : tunc enim tenetur ex culpâ levi, et etiam levissimâ, ut rectè Silvest. verbo *Culpa*, q. 4. Ratio est, quia tunc promittit saltem implicitè ampliùs quàm alii passim præstent, et alter hanc ob causam cessat meliorem quærere : ergo, nisi hanc diligentiam præstet, tenebitur ad restitutionem, non quidem totius damni, sed quanti judicabitur spes illa valere, quâ sperabat alter, majori illâ diligentiâ et peritiâ, quam quærebat, se voti compotem fore.

Dices : Qui aliquid ex officio facit, videtur semper teneri ex culpâ levi, quia pro eâ re stipendium accipit, ac proinde intercedit veluti contractus quidam in utilitatem utriusque : atqui cùm contractus est in utilitatem utriusque, tenetur ex culpâ levi, ut infra dicetur.

Respondeo, quodam sensu dici posse talem teneri ex culpâ levi, quia debet majorem diligentiam adhibere, quam si nihil commodi perciperet, vel non ex officio faceret. Verùm quia non debet majorem diligentiam, quàm communiter debent homines ejusdem officii, ideò commodiùs dicitur eum non teneri nisi ex culpâ gravi, nempe quæ gravis est inter homines ejusdem officii.

33. Dico secundò : Qui præbet consilium, tenetur ad restitutionem damni secuti ratione ignorantiæ crassæ, vel culpæ latæ, si erat parochus, confessarius, concionator, theologus, jurisconsultus, vel ejus professionis ad quam talis consultatio spectabat. Ita Joan. Medina, cod. de Restit. q. 7, ut si confessarius dicat quempiam teneri ad restitutionem, qui non tenetur; vel non teneri, qui tenetur; vel contractum quempiam esse licitum, qui est illicitus; si ignorantia sit crassa, vel considerandi negligentia sit gravis, tenetur ad restitutionem damni secuti. Probatur primò, quia talis ex officio et professione tenebatur hoc scire, et in respondendo hunc errorem vel negligentiam vitare, et non fecit : ergo censetur causa damni secuti. Secundò, quia ratione suæ professionis vel officii, habetur sufficiens ab eo qui consilium petit : ergo si non sit sufficiens, et tamen respondeat, decipit alterum. Imò quicumque dat alteri consilium, suadens ut hoc vel illud faciat, aut absolutè asserens illum posse facere, tenetur habere evidentiam moralem, illud cum his circumstantiis huic esse licitum. alioquin committit culpam latam, ut patet ex dictis, lib. 1 de Prudentiâ, dubit. 1. Ratio est, quia nemo potest aliquid aggredi, nisi cum tali judicio, ob periculum peccati : ergo neque alteri esse auctor.

Adverte tamen primò, nunquàm teneri eum, qui consultus respondet juxta opinionem verè probabilem, ut ostensum est, 1-2, q. 19, secundò, neque eum qui simpliciter aperit suam opinionem, dicens ita sibi videri, non autem suadet ut alter sequatur; tertiò, nec eum qui indicat se dubitare; tunc enim si alter sequatur, suæ temeritati ascribat.

34. Dico tertiò : Si is qui præbet consilium, erat illarum rerum parùm peritus (v. g., quia non pertinebant ad ejus professionem), et alter sciens ejus insufficientiam petat consilium; consultor non tenebitur illi ad restitutionem. Ratio est, quia sibi debet imputare, si damnum ex illo consilio capiat; scienti enim et volenti non fit injuria. Si tamen agatur de damno alicujus tertii, tunc talis tenebitur illi tertio; ut si suades alicui certum contractum injustum, vel ut non restituat, etc. Ratio est, quia tuo malo consilio illi tertio invito damnum infers. Nec refert quòd tu consultor inculpabiliter ignorabas veritatem, quia nemo potest se miscere dandis consiliis in rebus quas non intelligit; unde latam culpam committis.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm nascatur obligatio restitutionis damni ex culpâ levi, vel levissimâ, quando intercessit contractus commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius similis.*

35. Sotus, l. 4 de Justitiâ, q. 7, a. 2, existimat etiam tunc requiri culpam mortiferam, ita ut si is cui res commodata, vel locata, vel oppignorata est, negligenter eam custodiat, et ipsâ ejus negligentiâ pereat, non teneatur ad restitutionem, nisi negligentia fuerit tanta, ut sit peccatum mortiferum coram Deo : *Nam*, inquit, *à venialibus homo vix liberari potest; unde ob illas negligentias non est tantâ pœnâ plectendus.* Idem tenent multi recentiores. Emmanuel Sâ, v. *Commodatum;* Henriquez de Irreg. c. 15, ubi citat alios, addens, eos qui contrarium tenent, *esse limitandos, ut id locum habeat in foro exteriori.* Verùm contraria sententia est ferè communis.

36. Respondeo igitur, et dico primò : Si res apud commodatarium vel conductorem pereat fortuitò, ad nullam ipse restitutionem tenetur, nisi aliter expressè sit conventum. Ita habetur, c. unico de Commodato. Probatur, quia res quæque domino suo perit, si nulla intercessit culpa vel pactio, ratione cujus tenearis ad damnum sarciendum.

37. Adverte tamen, in tribus casibus teneri commodatarium de eventu fortuito, qui in illo cap. exprimuntur. Primò, si intercessit pactum de restituendo quomodocùmque periret, quod pactum is qui commodat, semper potest exigere, quando gratis commodat; secùs autem quando justo pretio, quia supra justum pretium nihil potest exigi pretio æstimabile; talis autem obligatio præstandi eventum fortuitum, est pretio digna. Secundò, si sit in morâ restituendi, ut si tempore statuto non restituat, et postea pereat; si enim restituisset, fortè non periisset; est autem in morâ, qui potest restituere, et non restituit, cùm tamen teneatur. Tertiò, si ex culpâ data sit occasio casui fortuito, ut si non sis re illâ usus eo loco quo conventum est, sed alio, ubi erat majus periculum, ipsaque periit : v. g., accepisti utendum vas argenteum domi tuæ, et foràs extulisti; vide Instit. Quibus modis re contrah. obligatio, § Item is.

Dices : Quid si bonâ fide putavit se facere volente domino ?

Resp. : Si verè domino placebat ut sic uteretur, vel ut retineret ultra terminum, non tenetur; secùs verò, si deprehendat domino displicuisse. Prior pars probatur, quia usus est sub ratihabitione domini; ergo si postea ratum habeat, liberabitur, *quia ratihabitio retrotrahitur, et mandato æquiparatur*, ut habetur reg. 10 de reg. Juris in 6; quod verum est maximè in contractibus et quasi contractibus; hic autem est contractus commodati. Sicut ergo, si domini expresso consensu fuisset usus, non teneretur de casu illo fortuito, ita nec modò tenetur accedente ratihabitione, quæ æquivalet prævio et expresso consensui.

Dices : Jam est jus acquisitum domino, cui non intendit renuntiare. Confirm., quia ratihabitio non extenditur ad ignorata.

Respondeo : Illi non est jus acquisitum absolutè, sed solùm dependenter à consensu vel dissensu in usum præteritum : sicut, delatâ vel devolutâ hæreditate ad Titium, Titius non habet jus nisi dependenter ab acceptatione.

Ad confirmationem : Ratihabitio non extenditur principaliter ad ignorata, extenditur tamen accessoriè, sicut et consensus in contractibus; ut si emas rem tibi damnosam futuram, vel, si ego nomine tuo contraxerim utilissimè, et tu nolis ratum habere; error enim circa extrinseca in contractibus non vitiat contractum. Hinc fit ut sæpè contrahamus vel ratificemus, ex quibus maximum nobis obvenit damnum.

Altera pars patet ex dictis; et confir., quia non potuit uti re illâ nisi cum animo compensandi in eventu quo dominus nollet ratum habere ipsius factum; alioquin commisisset furtum, contrectando rem alienam invito justâ ratione domino; ergo, si dominus nolit ratum habere illum usum, tenebitur perinde ac si illo invito usus esset. Nam reverà illo invito usus est; nec potest excusari à peccato, nisi per bonam fidem cum animo compensandi, si dominus nollet ratum habere.

Dices : Etiam cùm dominus ratum habet usum præteritum, non videtur id facere nisi salvo jure de compensando si res periit.

Resp. negando assumptum; sicut enim in contractu commodati in futurum non postulavit ut commodatarius teneretur de casu fortuitò, ita nec putandus est id requirere in ratihabitione præteriti, nisi id exprimat. Quod diximus de commodato, multò magis locum habet in conducto : quia conductor ad eventum fortuitum obligari non potest, sicut commodatarius.

38. Nota tamen, si res eodem modo erat peritura apud dominum, commodatarium in his casibus non teneri ad restitutionem, ut docet Cov. reg. Peccatum. p. 2, § 6, n. 1, et multi alii, de fure et omni injusto detentore, quia tunc non censetur domino causa damni : de quo plura infra, c. 12, dub. 15.

Dico secundò : Si consistamus intra limites juris naturalis, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi apud ipsum sit ex contractu, nisi ob dolum aut latam culpam. Colligitur ex Silvest. et aliis dub. 6 citatis, quia generatim loquuntur.

39. Probatur primò, quia jure naturæ nemo tenetur majorem diligentiam præstare in custodiâ rei commodatæ, conductæ, etc., quàm in re propriâ, et quàm ipse dominus adhibuisset, si apud ipsum mansisset : ergo si hæc diligentia sit præstita, si contingat rem perire, sine culpâ peribit, ac proinde sine injustitiâ; atqui nemo tenetur jure naturæ in conscientiâ de damno dato, nisi injustè datum sit : ergo cùm hîc nulla sit injustitia commissa, non obligabitur in conscientiâ. Confirmatur, quia quando quis præstitit omnem diligentiam quam tenebatur præstare, res censetur casu periisse; ergo, etc. Probatur, quia jure naturæ non minorem postulat custodiam *precarium* quàm *commodatum* (cùm precarium nihil sit aliud quàm commodatum ad tempus incertum, nempe ad arbitrium domini) : atqui *precarium* non requirit nisi custodiam communem, ita ut solùm præstare debeas dolum et latam culpam, ut patet l. Contractûs 23, π. de Regulis juris, et l. Quæsitum est, 8, § Eum quoque, π. de precario; ergo, etc.

40. Dico tertiò : Positis tamen legibus humanis de hisce rebus latis, si res alterius sit apud te per contractum, qui in tuam solius utilitatem tendat, teneris non solùm ex latâ culpâ, sed etiam ex levi et levissimâ, v. g. : Si gratis tibi commodavi librum, equum, vestem tuâ causâ, teneris in eâ re custodiendâ adhibere non solùm eam diligentiam quam homines communiter in suis rebus similibus præstare solent, sed etiam quam diligentiores et diligentissimi : unde si librum commodatum reliquisti in cubiculo, et egrediens ostium attraxisti, sed non tentâsti an firmiter clausum esset, teneris ad restitutionem. Probatur hæc sententia ex cap. unico de Commodato, ubi dicitur : *Cùm gratiâ suî tantùm quis accommodatum accepit, de levissimâ etiam culpâ tenetur;* quod doctores interpretantur de culpâ juridicè acceptâ, quamvis Sotus velit eam theologicè accipi pro verâ culpâ in conscientiâ. Idem colligitur ex l. In rebus commodatis, 18, π. Commodati vel contra, et Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, § Item is. Ratio est, quia æquitas postulat ut is qui gratis re alterius utitur in suam utilitatem, summam diligentiam adhibeat, ne domino pereat; id enim jure naturæ ex gratitudine repondere debet; unde sufficiens subfuit fundamentum, ad hoc lege sanciendum, et inducendum strictam obligationem.

41. Dico quartò : Si contractus tantùm cedat in commodum domini cujus ipsa res est, teneris solùm ex dolo vel latâ culpâ, non autem ex levissimâ vel levi. Patet Instit. supra, § Præterea et is, ubi dicitur *depositarium* (nempe qui gratis rem depositam custodit) *teneri solùm ex dolo;* ubi nomine *doli* etiam *lata culpa* continetur, ut ibidem insinuat Glossa. Unde si tibi commodavi librum, arma, vestem, in meum duntaxat commodum, teneris solùm ex culpâ latâ. Ratio est, quia æquitas postulat ut tunc non majorem tenearis custodiam præstare, quàm passim homines in suis rebus solent, cùm tibi nulla fiat gratia, nec tuum commodum spectetur, sed domini.

42. Dico quintò : Si contractus cedat in utilitatem utriusque, teneris ex culpâ latâ et levi, non autem ex levissimâ. Patet hoc ex d. l. Contractûs 23, π. de regulis Juris, et Instit. supra, § Creditor. Talis est contractus pignoris; pignus enim datur utriusque gratiâ, nempe creditoris et debitoris : unde is qui pignus accepit, non tenetur nisi ad exactam diligentiam in eo custodiendo, ut habetur Institut. supra, non tamen ad exactissimam, ut ibidem probat Glossa. Talis etiam est contractus conducti et locati, et contractus depositi, quando datur pretium pro rei custodiâ; secùs si gratis fiat; denique contractus commodati, quando utriusque causâ fit. Ratio est, quia cùm res aliena tibi concedatur in tuam utilitatem, æquitas postulare videtur ut valdè diligenter eam custodias; non tamen diligentissimè, quia non tuâ solius causâ, sed etiam ob commodum domini traditur.

Sed nunc difficultas est, utrùm hæ leges obligent in conscientiâ ante sententiam judicis, ad damni ex culpâ levi vel levissimâ dati reparationem.

43. Sotus putat ante sententiam non obligare ; esse enim pœnales, et procedere ex præsumptione culpæ interioris. Idem videntur sentire cæteri supra citati. Quæ sententia meo judicio non est improbabilis ; non quòd hæ leges pœnales sint, propriè loquendo, cùm restitutio non sit pœna, sed quòd in foro conscientiæ non videantur receptæ : nemo enim est, qui pignori vel rei conductæ putet se majorem custodiam debere ex justitiâ, quàm dominus ipse adhibere solet. Idem videtur de commodato : etsi enim majore curâ hoc custodiat, quàm dominus, non tamen id facit, quòd putet se teneri lege justitiæ, sed ex gratitudine : id enim gratitudo postulat, propter commodum, quod ex re alterius percipit ; nec minùs putant homines se teneri ad custodiam precarii, quàm commodati. Unde etiam plerùmque fit restitutio, non solùm si commodatum periit, sed etiam si precarium, quamvis absque omni culpâ perierit.

44. Dices : Si non tenetur, ergo iniquè cogitur in foro exteriori.

Respondeo, negando consequentiam : potuit enim hoc lege statui propter bonum commune ; tum ut vitetur omnis fraus et negligentia circa res hujusmodi, tum ut omnes excitentur ad diligentiam eam quæ æquitati naturali est consentanea, etsi ex justitiâ non sit debita. Sicut enim qui defloravit virginem volentem, ante sententiam nihil ei ex justitiâ debet, tamen in foro externo cogitur eam dotare, lege sic statuente propter bonum commune : ita etiam qui amisit commodatum absque culpâ, etsi nihil ex justitiâ debeat ante sententiam, tamen potest cogi ad restitutionem, ex vi legis ob bonum commune ita statuentis. Neque hoc mirum videri debet, quia in foro externo, dùm agitur de damno dato, etiam culpa levissima spectatur, ut patet l. In lege 44, π. ad legem Aquiliam : tamen in foro conscientiæ hæc non obligat, ut ostensum est dubitatione 6.

45. Fateor tamen contrariam sententiam, nempe has leges obligare ad reparationem damni ante sententiam, esse communiorem, ac proinde ordinariè in praxi servandam. Ratio est, quia istæ leges sanciunt id quod naturali æquitati est consentaneum circa rem alienam (quam mediante contractu apud nos habemus) præstare ; quâ sanctione positâ, qui facit talem contractum, accipiendo commodatum, conductum, depositum, pignus, implicitè se obligat ad præstandam eam diligentiam quam leges requirunt ; quare si hanc diligentiam non præstet (quamvis id naturali oblivione, sine omni culpâ factum sit, tenebitur ad restitutionem. Vide Covarr. in Epitome 4 decret. pag. 2, cap. 6, § 6, num. 15, et Navarr. cap. 17, num. 184.

## DUBITATIO IX.

*Utrùm oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantiâ comitante.*

46. Respondeo, minimè oriri (quidquid aliqui dixerint), si ignorantia fuit inculpata, ut patet ex dictis 1-2, q. 6, a. 8. Ut si putans esse feram, et telo petens interficias ; deinde deprehendas fuisse inimicum, quem ad necem quærebas. Ratio est, quia occisio illa inimici, vel hominis, nullo modo est voluntaria, ac proinde absque omni culpâ : et consequenter non inducit obligationem restitutionis. Nec refert quòd illum æquè voluisses occidere, si scivisses esse inimicum, et quòd gaudeas occidisse ; quia illa voluntas non est causa operis, cùm non sit, nec fuerit ; sed solùm esset, positâ conditione, quæ non ponitur ; gaudium verò sequitur opus. Unde non magis obligat ad restitutionem, quàm si gauderes ab alio factum.

## DUBITATIO X.

*Utrùm restitutio sit necessaria ad salutem. D. Thom. q. 62, a. 2.*

47. Guido carmelita assignat Græcis hunc errorem, restitutionem iniquè ablatorum non esse necessariam ad salutem, sed sufficere eleemosynam ex illis datam. Sed non puto Græcos doctores hoc docuisse, cùm scriptores antiqui non meminerint, quamvis credibile sit aliquos eorum sacerdotes ex avaritiâ hoc in absolvendis pœnitentibus observâsse, ut partem obtinerent.

Respondeo igitur ipsam restitutionem externam esse necessariam ad salutem, si facultas suppetit : si autem non suppetit, non est quidem ipsa externa restitutio necessaria ; propositum tamen restituendi est necessarium. Docet hoc D. August. epist. 54, quæ est ad Macedonium : *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, et non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur ; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur oblatum.*

Prior pars probatur, quia non restituere, cùm possis, est voluntariè nocere et facere injuriam proximo (non restituendo enim, noces proximo ; nam impedis illum à possessione et usu rei suæ vel debitæ) : atqui necessarium est ad salutem ut nemini voluntariè noceamus, aut injuriam faciamus, ut ex multis Scripturis constat ; ergo necessaria est restitutio. Vide plura apud Alphonsum Castrium, v. *Restitutio.*

Dices : Lucæ 11, cùm Dominus dixisset Pharisæo : *Quod intùs est vestrûm, plenum est rapinâ et iniquitate*, subdit : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis ;* ergo sufficit eleemosyna ad expianda peccata injustitiæ.

Respondeo : Si hoc argumentum valeret, etiam probaret pœnitentiam non esse necessariam furibus ; itaque non vult Dominus eleemosynam sufficere, sed esse optimam dispositionem ad munditiam animi ; q. d. : Date eleemosynam pro vestrâ facultate (id enim videtur significari in Græco, cùm dicitur, τὰ ἐνόντα, id est, κατὰ τὸ ἐνδον), et facilè mundabimini, quia disponetur animus ad veram pœnitentiam et restitutionem. Vide Ambrosium et Theophylactum in hunc locum.

48. Altera pars probatur, quia nemo obligatur ad impossibile ; quòd tamen propositum restituendi tunc sit necessarium, patet, quia ad remissionem peccati necessaria est contritio, vel saltem attritio cum sacra-

mento : hæc autem continent propositum restituendi, tum quia continent dolorem de peccato injustæ oblationis, in quo dolore continetur implicitè propositum restituendi, tum quia continent propositum emendationis et servandi divina præcepta, inter quæ est præceptum restituendi.

49. Petes, quale est præceptum restitutionis, affirmativum, an negativum? Multi dicunt esse negativum, quia idem est dicere : *Restitue*, et : *Ne detine alienum*. Sed verius est esse affirmativum. Primò, quia præcipitur actus positivus ; in negativo solùm præcipitur abstinentia ab aliquo opere positivo. Nec obstat, quòd interdùm videatur fieri restitutio solâ cessatione detinendi : ut si deseras domum vel agrum, quem vi occupâsti : quia hæc cessatio eò dirigitur, ut alter rem suam consequatur, fiatque æqualitas : et ita habet terminum positivum. Unde est instar actionis positivæ, quâ impletur præceptum affirmativum. Secundò, quia non obligat pro omni tempore, sed solùm quando est opportunitas restituendi. Negativum autem obligat pro omni tempore. Illud autem præceptum : *Ne detine alienum*, in re potiùs est affirmativum, quàm negativum, quia non potest servari, nisi per actum positivum, neque obligat pro omni tempore.

50. Adverte tamen præceptum restituendi nasci ex præcepto negativo : *Non furtum facies*. Ejusdem enim rationis est furari, et detinere alienum, cùm potes reddere. Unde hoc ipso quo præcipitur : *Non furaberis*, præcipitur etiam *ut non detineas*, si potes reddere : et consequenter, *ut restituas*, quia actus restitutionis est necessarius ad non detinendum alienum.

## CAPUT VIII.

### DE INJURIIS ET DAMNIS IN REBUS SPIRITUALIBUS, ET NECESSARIA RESTITUTIONE.

(*Complectitur dubitationes* 3.)

### DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm is, qui privat aliquem per injuriam aliquo sensu, vel usu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem.*

1. Sotus, lib. 4, q. 6, art. 3, in solut. 1 argumenti, et quidam alii putant pro his damnis præcisè consideratis esse faciendam restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri.

Resp. breviter, veriùs videri, talem non teneri ad restitutionem præcisè pro ipso damno sensuum, vel usûs rationis, sed tantùm pro damno temporali, quod inde sequitur, ut si non possit eam artem vel functionem obire, quâ lucrum faciebat ; colligitur ex Gomezio, tom. 3, c. 6, num. 12, ubi probat, cicatricem et deformitatem ex injuriâ remanentem non posse æstimari à judice vel offenso, *quia sicut liber homo nullam recipit æstimationem ita nec cicatrix vel deformitas ejus* ; quod expressè habetur l. fin. π. de his qui dejecerint vel effuderint. Idem docet Navarr. c. 15, n. 19 et 20, multique alii infra citandi.

2. Ratio est, quia hæc damna nullo pretio sunt æstimabilia ; sunt enim in bonis quæ supremum locum inter bona humana tenent ; nec quidquam est in hominum potestate, quod his censeatur æquivalens : unde per pecuniam non potest fieri compensatio. Itaque pro his satis est pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro injuriâ illatâ, quando scitur auctor ; sed de hoc infra, cap. 9, dubitat. 23.

### DUBITATIO II.

*Utrùm is, qui alterum graviter læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem.*

3. Resp. et dico primò : Qui alterum metu vel fraude pertraxit in peccatum, tenetur ex justitiâ ipsum suæ libertati restituere, et vim fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo peccet ; est communis sententia DD. Probatur, quia minari, aut vim inferre, est contra justitiam, si sine justâ auctoritate fiat, quæ nunquàm justa esse potest, dùm quis ad peccatum cogitur. Similiter decipere alterum falsâ doctrinâ circa fidem, mores, vel artes humanas ; sicut enim quisque habet jus justitiæ, ne ab alio lædatur in corpore, ita etiam ne in animâ lædatur invitus errore : sed is, qui aliquid facit contra justitiam, tenetur lege justitiæ cessare, et, quantùm in se est, illud retractare et irritum infectumque reddere : ergo ex justitiâ tenetur vim tollere, minas remittere, fraudemque patefacere. Unde non est verum, quod quidam docent, eum, qui fraude pertraxit aliquem in errorem, si ille error non versetur in materiâ justitiæ (v. g., circa contractum vel restitutionem), sed in materiâ fidei, vel temperantiæ, non teneri errorem tollere lege justitiæ, sed solùm lege illius virtutis, circa cujus materiam decepit. Ratio illorum est, quia eodem præcepto quo quis tenetur nihil contra aliquam virtutem sciens facere, eodem tenetur nihil contra illam suadere, aut docere : tam enim est contra rationem malum scientem consulere, quàm facere.

4. Sed etsi hæc ratio optimè probet eum, qui suadet falsum sciens, in materiâ fidei, vel temperantiæ, peccare contra has virtutes, tamen non probat eum non peccare etiam contra justitiam. Nam etsi non invitum et sine fraude induceret, peccaret contra has virtutes ; ergo quando fraude utitur (id est, quando scit vel dubitat se malè docere, vel consulere, et alterum ex simplicitate decipi invitum), peccat contra justitiam.

5. Adverte tamen, si quis putaretur non invitus, sed voluntariè deceptus (quo modo multi jam ad hæreses pertrahuntur avidi novitatum, et auribus prurientes), non nasci obligationem ex justitiæ lege ad errorem dedocendum, sed tantùm ex lege illius virtutis contra quam fuit alteri auctor peccandi et ex lege correptionis fraternæ. Idem dicendum, si deceptus cognoscat aliunde veritatem ; tunc enim deceptor non tenetur ex justitiâ contrarium suadere.

6. Ratio est, quia ablatus est error intellectûs, ratione cujus deceptor censebatur causa operis mali : unde si alter adhuc pergat in opere malo, non id facit ex ignorantiâ, sed propriâ malitiâ ; ac proinde non potest imputari ei, qui ante deceperat, nisi fortè variis

suasionibus animum ipsius inflexerit ad malum : tunc enim tenetur, si damnum tertio impendeat, quantùm in se est, suadere contrarium, quamvis ille sciat aliunde veritatem. Ratio est, quia non solùm veritatis ignoratione, sed etiam tuâ suasione fuit inclinatus in malum : ergo nisi contrarium suaseris, censeberis adhuc causa operis, ratione effectûs relicti in animo ipsius, nempe ratione inclinationis pravæ, et propositi tuâ suasione excitati. Sed de hoc plura infra, cap. 13, dub. 3.

7. Dico secundò : Qui tamen alterum pertraxit ad peccatum, sive prece vel pretio, sive vi vel fraude, non tenetur ex justitiâ curare ut convertatur ; tenetur tamen ad id lege charitatis ; idque magis, quàm alii, docet Sotus, lib. 4 de Justitiâ, q. 6, art. 3, ad primum ; Sil. restitutio 3, q. 1 ; Petrus Navarr. cap. 2, n. 1, et alii recentiores. Videtur esse contra Scotum in 4 d. 15, quæst. 3, art. 1, et Adrianum q. de Restitut. § Ex causâ, et quosdam alios, qui sentire videntur, omnes istos, et etiam qui exemplo suo fuerunt aliis causa peccandi, teneri ex justitiâ ; sed rationes eorum solùm probant teneri ex charitate.

Probatur primò, de eo qui pretio vel prece induxit, sine vi et fraude. Nam qui ita induxit, non abstulit aliquid ab invito, cùm iste inductus, sciens et prudens peccaverit : ergo non est ei illata injuria.

8. Dices cum Adriano : Etiamsi ille actu elicito non fuerit invitus (liberè enim consensit), tamen, actu secundùm legem divinam debito, fuit invitus (nam debebat ei displicere). Sicut si quis te roget ut sibi manum abscindas, etsi ipse spontè hoc damnum patiatur, tamen quia actu secundùm legem debito patitur invitus, peccas contra justitiam.

Resp. : Si sufficeret ad peccatum injustitiæ ut quis actu debito sit invitus, semper esset contra justitiam inducere alium ad quodvis peccatum quia deberet ille invitus induci et facere, id est, deberet nolle tibi obsequi. Unde si alicui suasisses ut pecuniam suam profunderet in lusum vel convivia, tenereris ad restitutionem ; quod nemo dixerit. Neque illa abscissio manûs est injuria in eum qui consentit sed in rempub. et Deum, qui non consentit, quia fit invitâ republ. Deoque nolente. Ut igitur ipsi non fiat injuria, sufficit ut reipsà non sit invitus.

9. Secundò, probatur generatim de omni eo qui inductus est ad peccatum etiam vi et fraude, et scit se esse in peccato, et posse resurgere, quia nemo tenetur ex justitiâ ad resarciendum damnum ei qui censetur illud condonare ; sed is qui à te inductus est in peccatum, postquàm scit se esse in peccato, et posse ope divinâ resurgere, et tamen non vult, censetur tibi damnum spiritale condonare ; nam vult in eo permanere, et gratiam amissam, veluti ante oculos positam, non vult recuperare. Sicut si res ablata Petro esset in ejus conspectu, ita ut eam facilè posset recuperare, et tamen nollet, censeretur eam habere pro derelictâ, et restitutionem condonare.

10. Tertiò, is qui fuit principalis et directa causa damni spiritalis, non tenetur ex justitiâ, nempe is qui fecit opus malum, eò quòd is qui passus est, censeatur condonare, nempe idem sibiipsi : ergo nec is qui est causa remota, consilio, prece, vel etiam vi, tenetur, cùm alter condonet.

Quòd tamen lege charitatis præ cæteris teneatur, patet, quia æquitas postulat ut is qui est auctor mali, præ cæteris laboret ut emendetur ; et hoc benè probant argumenta Adriani : majus enim ille attulit nocumentum, quàm si abstulisset pecunias ; imò multi pervertendo alios exemplo, consilio, vel pravâ doctrinâ, plus mali faciunt, quàm totâ vitâ omni diligentiâ suâ poterunt compensare. Itaque æquitas postulat ut omnem operam per se et alios navent, ut illi emendentur. Puto tamen hanc obligationem, quatenùs præ cæteris obligantur, non esse sub mortali, ut docet Nav. l. 5 Consil. tit. 3, consil. 2, n. 4. Probatur iisdem rationibus, quibus ostensum est non esse contra justitiam : charitas enim non obligat ad correptionem sub mortali, nisi in necessitate, quando etiam alii obligantur ; unde præ cæteris non tenetur sub peccato mortali.

11. Dico tertiò : Si is qui fraude inductus est in errorem, faciat opus malum, priusquàm veritatem cognoverit, imputatur consultori qui decepit : quamvis qui fecit, ob ignorantiam inculpatam non peccârit. Ratio est, quia consultori hoc opus est voluntarium, cùm sciat esse pravum : ei autem qui facit, est prorsùs involuntarium, quà malum, quia omninò ejus pravitatem ignorat. Unde si est homicidium vel mutilatio, consultor irregularitatem incurret, non executor. Adeò verum illud Hesiodi : *Malum consilium consultori pessimum.* Vide 1-2, q. 6, art. 3 et 8.

## DUBITATIO III.

*Utrùm is, qui avertit aliquem à Religione, quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad aliquam restitutionem.*

Dupliciter potest quis abduci à Religione : 1° vi vel fraude ; 2° solis precibus aut suasionibus ; item potest esse quæstio de restitutione vel personæ, vel commodi temporalis. Quibus notatis,

12. Respondeo et dico primò : Qui novitium sine vi et fraude extraxit, non tenetur ex justitiâ Religioni aliquid restituere, etiamsi malo animo fecerit, et gravissimè peccârit. Est contra Adrianum supra. Ita Sotus, l. 4 de Just. q. 6, art. 3, et Petrus Navar. l. 2 de Restitut. c. 2, num. 15. Ratio est, quia Religioni non est facta propriè injuria : nam ante votorum acceptationem (quæ in aliis religionibus fit in professione, in nostrâ verò, dùm post biennium probationis emittuntur vota simplicia scholasticorum) Religio non habet jus ad personas, quamvis ipsæ voto se astrinxissent, ut in votis realibus, et in omni promissione accidit. Hinc patet illum etiam non teneri ad compensandum utilitatem temporalem, quam Religio sperabat à novitio, quia non habebat jus ad eam, nisi mediante liberâ voluntate novitii, quam ille in suâ libertate reliquit, dùm nullam vim vel fraudem adhibuit.

Dixi, *non teneri ex justitiâ*, quia ex æquitate quâdam seu decentiâ tenetur illum hortari ad bonum propositum resumendum (ut reparet magnum illud bonum, quod nefariè in animo ejus destruxit, spiritum Dei exstinguens.

13. Dico secundò: Is qui vi aut fraude abduxit à Religione sive professum sive novitium, non tenetur ex justitiâ vel alio præcepto ipse ingredi; sed tenetur vim tollere et fraudem aperire, suadereque reditum; quòd si ille redire nolit, vel procul absit ut conveniri non possit, tenetur ex æquitate quâdam alium inducere, si commodè potest, non tamen ex justitiâ.

14. Prima pars, *quòd non teneatur ipse seductor ingredi*, probatur, tum quia ipse fortè non est aptus, tum quia status Religionis debet liberrimè acceptari: est enim status perfectionis, quæ nonnisi liberis, minimèque coactis functionibus acquiritur: unde par est ut ejus obligatio non nascatur ex ullo delicto, sed tantùm ex spontaneo voto. Quo fit ut etsi ob delictum possit quis concludi in monasterio ad agendam pœnitentiam, tamen non possit cogi ut Religionem profiteatur.

Secunda pars, *quòd teneatur vim et fraudem tollere*, patet ex dubit. 2.

Tertia verò pars, *quòd ex æquitate teneatur alium inducere*, patet ex dictis. Cùm enim Deo et Religioni subtraxerit obsequium illud quod ille præstabat, par est ut compenset eo modo quo potest. Quòd tamen *non teneatur ex justitiâ*, docet Sotus; et probatur, primò, quia nec ipse religiosus ex justitiâ tenetur redire, sed solùm ex voto Religionis, ut quidam volunt. Secundò, etiamsi teneretur redire ex justitiâ (quod verius videtur), tamen auctor non tenetur ex justitiâ, nisi vim et fraudem tollere, et suadere reditum: nam aliter non potest personam restituere; ut autem aliam hujus loco restituat, nec moribus receptum est, nec justitia postulat quia capessere religionem, non est persuasionis humanæ, sed pendet ex inspiratione divinâ. Tertiò, quia monasterium non possidet religiosum tanquàm mancipium, propter quod, si abductum fuerit vi vel fraude, debet aliud restitui, sed tanquàm filium, propter quem abductum vel occisum non restituitur alius. Quartò, qui religiosum occidit, non tenetur ex justitiâ alium inducere: ergo, etc. Quintò, nullus judex in foro exteriore id ei injungeret; quod signum est non teneri ex justitiâ.

16. Dico tertiò: Qui novitium vi vel fraude seduxit, avertitque à Religione profitendâ, tenetur ex justitiâ monasterio compensari, quanti spes illa temporalis commodi, quod ex ipsius hæreditate, donatione, vel industriâ expectabatur, valebat. Probatur generali ratione, quia qui aliquem impedit vi, fraude, mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum, hæreditatem, aut ne tibi conferat beneficium, quod proposuerat conferre, tenetur tibi ad restitutionem, quanti illa spes, judicio prudentûm, æstimatur. Etsi enim tu non habeas jus ad beneficium, vel legatum istud, habes tamen jus, ne alteri vis aut fraus fiat in tuum detrimentum; pari modo Religio jus habet, ne vi aut fraude eum, qui statuit ingredi, avertas. Unde qui ita avertit, violat jus Religionis, ac proinde tenetur ad restitutionem damni consequentis, quâ parte pretio illud est æstimabile.

Hic tamen adverte, si restituit illum suæ libertati, fraudemque aperuit interea temporis, dùm adhuc illi est integrum redire, probabile esse non ampliùs teneri, quia in posterum non censebitur causa damni monasterio, sed novitius solus spontè non rediens; idem dicendum, si novitius ille fraudem aliquo modo advertit; nam egressio tunc non fuit involuntaria: quòd si non ampliùs sit ei integrum redire, ut si interim contraxit matrimonium, vel aliâ ratione impeditus est, tenebitur deceptor quanti spes illa monasterii æstimabitur, quia censetur causa damni in posterum. Dixi, *esse probabile*, quia etiamsi novitio sit integrum redire, tamen si occasione fraudis vel vis illatæ mutet seriò animum, deceptor videtur causa damni, quia injustè ejus occasionem dedit.

Sed difficultas est, si quis professum seducat, maximè sine vi vel fraude. Quidam putant talem teneri ad restitutionem commodi temporalis, quamvis sine vi vel fraude abduxerit. Ratio est, quia Religio jus habet ad percipienda commoda temporalia ex ejus functionibus (ut si erat concionator, vel doctor, à quo magnus proventus vel eleemosynæ); atqui hoc jus impedit is qui suadet egressum: ergo peccat contra justitiam. Sed contrarium videtur verius; unde

16. Dico quartò: Qui vi vel fraude abduxit à Religione professum, tenetur monasterio compensare, quanti emolumentum temporale ex ipso proveniens æstimabitur: non tamen, si precibus vel consilio absque vi et fraude id fecit.

Docent hoc quidam recentiores, inter quos Petrus Nav. supra, n. 23, et Michael Salonius, q. 62, a. 2.

Prior pars patet, quia est efficax causa damni, modo injusto; idque multò magis, quàm qui novitium abducit; qui enim professum vi vel fraude abducit, non potest id ita facere, ut non censeatur velle nocere Religioni, cùm ipse jam sit astrictus Religioni, et tenetur (saltem ex voto obedientiæ) pro Religione laborare, et habeat voluntatem laborandi, ex quo labore provenit emolumentum; itaque censetur causa propinqua damni, idque modo injurioso.

17. Hìc tamen advertendum est primò, an reverà damnum sit acceptum: si enim ille tantumdem consumebat, vel si alius absque notabili incommodo in ejus locum substitui potest qui parem utilitatem adferat, non est opus restitutione.

Secundò, postquàm religiosus suæ libertati restitutus est, fraude detectâ, vel vi laxatâ, abductorem non teneri in posterum, sed solùm pro eo damno quod datum est interim dùm vis vel fraus durabat. Ratio est, quia in posterum non censetur causa damni, sed ipse religiosus nolens redire.

18. Altera pars probatur, quia religiosus non tenetur ex justitiâ procurare illa emolumenta, sed solùm ex virtute obedientiæ et religionis, ut docet Bannes. q. 62, a. 2, dubit. 6, et alii. Unde etsi nolit labo-

rare, et commoda monasterii conquirere, non peccat contra justitiam. Ergo is qui illi suadet absque vi et fraude ut non procuret, non peccat peccato injuriæ in monasterium, sed peccato irreligiositatis. Si enim ipse religiosus non facit propriè injuriam nolendo laborare, cùm tamen sit principalis auctor damni, ergo neque consultor, cùm solùm teneatur secundariò.

Dices primò : Iste facit injuriam Religioni, dùm suadet egressionem, et ex hâc injuriâ sequitur damnum : ergo tenetur de damno.

19. Respondeo primò, non esse injuriam, quæ sit contra jus justitiæ, sed contra virtutem Religionis, cujus violatio non obligat ad restitutionem.

Respondeo secundò, et meliùs : Etsi sit injuria in Religionem, suadere religioso egressum, non tamen est injuria suadere otium, ut illa commoda non procuret. Ac proinde suasor iste non tenetur ad illius damni vel incommodi sartionem.

Confirm. ex facto ipsius religiosi ; hic enim etsi faciat injuriam Religioni egrediendo, et ex hâc injuriâ sequatur damnum, tamen ad compensationem damni illius non tenetur. Ratio est, quia etsi egredi sit injuria, non tamen nolle procurare utilitatem temporalem est injuria, eò quòd non teneatur ad hoc ex justitiâ, sed solùm ex obedientiâ. Unde non omne damnum sequens ex injuriâ obligat ad restitutionem, sed solùm illud quod ita sequitur, ut per ipsam actionem injuriosam inferatur ; quod hìc non cernitur, quia quamvis suadere egressionem sit injuria, quatenùs est causa egressionis, non tamen respectu damni secuti, eò quòd hoc damnum immediatè ex liberâ voluntate religiosi, non ex suasione illâ dependeat.

Dices secundò : Si quis servo suaderet ne laboraret, teneretur ad restitutionem domino : similiter si servo emptitio suaderet fugam ; ergo etiam qui monacho suadet fugam vel otium.

20. Respondeo : Qui tali servo suasit fugam, effectu secuto, tenetur ad æstimationem servi, in quam veniunt etiam commoda ab illo sperata. Ratio est, quia servus est principaliter commodum domini : imò quatenùs est utilis ad temporalia, est possessio domini, sicut jumentum. Unde si seipsum domino subtrahat, furtum suî committit, et tenetur ad suî restitutionem, ut supra, cap. 4, dubit. 9, dictum est. Secùs est in religioso, quia religiosus non est principaliter propter commodum temporale prælati, vel Religionis, sed ob tuum bonum spiritale : propter hoc enim se Religioni spontè mancipavit ; unde non possidetur à prælato tanquàm servus, sed subest tanquàm filius in suum commodum, ut ad suam salutem rectè dirigatur. Quòd si quis servo suaderet, non quidem fugam, sed otium et cessationem ab operibus injunctis, etsi graviter peccaret, non videretur tamen peccare contra justitiam, et teneri ad restitutionem, quia nec ipse servus dedens se otio videtur contra justitiam peccare, sed contra obedientiam domino suo debitam. Non enim actiones servi sunt debitæ domino lege justitiæ, sicut mercenarii, qui pretium pro illis accipit : nec cogitur in foro conscientiæ compensare, etsi negligentiùs laboravit : sed eo jure debentur, quo servus tenetur obedire domino. Itaque cùm principalis auctor et executor non teneatur, etiam non tenebitur suasor. Posset talis tanquàm corruptor servi puniri.

## CAPUT IX.

### DE INJURIIS IN CORPUS PROXIMI PER HOMICIDIUM VEL MUTILATIONEM, ET DE NECESSARIA RESTITUTIONE.

(*Habet dubitationes* 26.)

### DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm liceat occidere aliquid vivens.*

( D. Thomas, q. 64, a. 1. )

1. Respondetur affirmativè. Notandum Manichæos negâsse animantia aut plantas interimi posse, quòd omnes animas putarent esse quasdam Dei particulas, ut refert D. August., lib. 1 de Civitate, cap. 20, et lib. de Hæres., c. 46. Sed fide tenendum est, homines in suos usus animantia et plantas posse interimere. Probatur, Gen. 1 : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, ut sit vobis in escam ;* et, Gen. 9, post diluvium conceduntur animantia et omnia viventia in cibum ; 1 ad Corinth. 10 : *Quidquid venit in macellum, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Denique ipse Dominus manducavit agnum Paschalem, quem antea oportuit occidere. Idem definitum est in concilio Bracarensi I, c. 14, ubi hæc hæresis damnatur. Ratio est, quia homo naturaliter est dominus omnium rerum inferiorum, juxta illud, Gen. 1 : *Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis bestiis terræ ;* ergo potest eas in suum usum convertere. Confirmatur, quia non potest homo ali elementis simplicibus, ut terrâ, aquâ, etc. ; ergo compositis, qualia sunt animalia et plantæ, quæ sine animâ, non possunt conservari, sed mox corrumpuntur : unde anima est ipsis data instar salis conservantis à putredine (ut rectè dicit Philo), ut homo possit illis uti, cùm libuerit.

2. Adverte tamen, etsi liceat animantia occidere, abstinendum tamen à crudelitate, ne sine causâ doloribus conficiantur ; unde Proverb. 12 : *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia ;* Exodi 23 : *Deus præcepit diem sabbati, etiam propter quietem jumentorum ;* Jonæ ult. : *Parcit Ninive, tum ob homines, tum ob jumenta ;* Deuteron. 22 : *Non arabis simul in bove et asino*, ne videlicet totum jugum in asinum decidat, cùm sit minor ; et cap. 25 : *Non alligabis os bovi trituranti.* Nec obstat quòd Apostolus hunc locum afferens dicat : *Numquid de bobus cura est Deo ?* vult enim dicere hoc non esse principaliter scriptum propter boves sed ob rem significatam, secundariò tamen, etiam ut animantia cum ratione tractentur.

Hinc patet, primò, posse in hâc re esse peccatum, saltem veniale ; est enim abusus quidam potestatis herilis et dominii. Secundò, quanta sit suavitas divini spiritûs, etiam in creaturas ratione carentes.

## DUBITATIO II.

*Utrùm liceat occidere peccatores.*

(*D. Thomas, art.* 2.)

3. Respondetur affirmativè. Ratio est, quia pars est propter totum; quare ob totius conservationem potest exscindi: ergo cùm singuli peccatores sint pars reipub., ob ejus incolumitatem possunt occidi.

Notandum est Scotum in 4, d. 15, q. 3, art. 2, docere, non quosvis peccatores posse à potestate publicâ occidi, sed eos duntaxat quos Deus in veteri Testamento expressit. Ratio est, quia Deus, Exodi 20, et Matth. 5, absolutè et generatim prohibet hominis occisionem: *Non occides;* ergo non licet quemquam occidere, quantùmvis ille malus sit, nisi Deo dispensante in suo præcepto: atqui Deus non dispensavit nisi circa quosdam peccatores, quos excepit, Exodi 22, et alibi. Hinc ulteriùs infert fures non posse occidi, quia non sunt excepti.

4. Sed hæc sententia defendi nequit. Primò, nam D. Thomæ ratio generatim probat de omnibus peccatoribus reipub. noxiis; quævis enim pars est propter totum, ergo ob totius incolumitatem potest rescindi. Secundò, quia si illos solos licebat occidere in veteri Testamento, quos Deus excepit, nempe maleficos, blasphemos, adulteros, sabbatum violantes, et paucos alios; ergo in novo Testamento nullos licebit occidere, quia illæ leges, quibus hi jubebantur occidi, erant judiciales, accommodatæ statui illius populi, ac proinde jam cessârunt: et in Scripturâ novi Testamenti nihil de his vel aliis occidendis habemus. Hoc Julianus Apostata prætexens Christianos privabat magistratu, ut habet Socrates, lib. 3 Histor. c. 11. Tertiò, principes ethnici laudabiliter occidere poterant malefactores (qui tamen Scripturam non legerant, ut possent scire quos Deus excepisset), ut patet ad Rom. 13: *Non sine causâ gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram illi qui malè agit.* Vide D. August. l. 1 de Civitate, cap. 21. Denique Scoti sententia infirmo nititur fundamento; nam præceptum: *Non occides,* intelligitur tantùm de innocentibus, juxta illud: *Justum innocentem non interficies;* et de occisione, quæ fit privatâ auctoritate, aut non servato ordine juris.

## DUBITATIO III.

*Utrùm privatâ auctoritate liceat interficere maleficos.*

*D. Thom. art.* 3.

5. Respondeo, non licere privatâ, sed duntaxat publicâ auctoritate; quod intellige de occisione ad punitionem, non ad necessariam suî defensionem. Ratio est, quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum reipub., sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis; atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem, quæ est in principe, vel magistratu: ergo ad solum principem pertinet, malefactores è medio tollere, sicut ad solum oppositum, membrum secare. Vide D. August., l. 1 de Civit., cap. 17, 21, 29, et Gratianum, 23, q. 5.

6. Nec obstat quòd interdùm permittatur, ut quivis possit occidere publicos hostes reipub., ut latrones et proscriptos, quos Bannitos vocant, quia tunc non occiduntur auctoritate privatâ, sed publicâ, concessâ à principe, qui illam dare potest; primò, quando aliâ viâ malum impendens averti nequit, ut sæpè accidit in conjurationibus; secundò, quando criminosus aliâ ratione castigari non potest; tamen illum castigari omninò expedit, vel ad terrorem aliorum, vel ne plura scelera patret, ut fit in Bannitis; vide infra, num. 15, dubit. 5.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm homini privato liceat interficere tyrannum.*

Alphonsus à Castro, lib. de Hæresibus, v. *Tyrannus,* sentire videtur nullum tyrannum ab homine privato posse interfici: idque probare conatur multis argumentis. Verùm distinctione utendum.

7. Respondeo igitur, dupliciter fieri posse ut quis sit *tyrannus.* Primò, ratione *tituli,* nempe si absque ullo jure, armis principatum invadat, vel occupet, sicut Turca regna Orientis, et alia vicina. Talis potest à quovis de regno interfici. Est communis sententia doctorum, D. Thomæ 2 Sententiarum d. ultimâ, q. 2, a. 2, ad 5, ubi pro hâc sententiâ adducit Ciceronem laudantem eos qui Cæsarem, quamvis familiarem et amicum, occiderunt, eumque explicans ait: *Tullius loquitur in eo casu, quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis; et quando non est recursus ad superiorem, per quem judicium de invasore fieri possit. Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur et præmium accipit.* Idem eruditè docet Cajet. q. 64, a. 3, Sotus, l. 4 de Justitiâ, q. 1, a. 3, et alii passim. Ratio est, quia talis non est princeps, sed iniquus invasor et oppressor reipub. et singulorum: atqui quivis potest iniquum oppressorem reipub. (quando aliud non est remedium) è medio tollere: sicut enim privata persona, si iniquè ab aliquo opprimitur, potest vim vi repellere, et invasorem è medio tollere, quando alius modus liberationis non suppetit; ita respub., si injustè invaditur, potest, per quemvis suorum, vim repellere, et, si opus est, invasorem è medio tollere: sic Aod sustulit è medio Eglon regem Mohabitarum, qui oppresserat tyrannicè Israelitas, Judicum 3; et Judith Holophernem; Brutus, Cassius et alii Julium Cæsarem; denique apud omnes gentes passim maximis honoribus publicè affecti sunt, qui tales tyrannos occiderunt. Vide Herodotum, lib. 3, Xiphilinum in Augusto, et Alexandrum ab Alexand. lib. 3, cap. 26.

8. Potest autem id fieri duplici jure. Primò, jure defensionis innocentis: et hoc jure posset etiam is qui non est pars reipub. oppressæ; mens enim reipub. est ut à quovis defendatur, si aliter liberari non potest. Secundò, jure vindictæ: quia respub., vel ejus princeps, (si principem habet), potest vindicare injurias illatas, ita tamen ut injuriam vindicta non superet. Hoc jure non potest uti nisi auctoritas, ut miles, quia vindicta

requirit auctoritatem. Unde in pace non infertur, nisi per judicem sententiâ interveniente; in bello, nisi per milites.

9. In his tamen observandum primò, necessarium esse, ut constet illum esse injustum invasorem. Si enim aliquod probabile jus habet, non censetur tyrannus, unde non licet interficere. Quamobrem Romani cùm omnes, quibuscum bella gerebant, haberent pro legitimis hostibus, qui jure cum ipsis pugnare possent, noluerunt permittere ut privatus quispiam ducem eorum insidiosè interimeret : unde transfugam, qui promittebat se Pyrrhum veneno necaturum, Pyrrho tradiderunt, ut testatur Cicero, 3 Officiorum. Secundò, ut non timeantur majora mala à filio tyranni, vel amicis. Tertiò, ut non sit contra expressam reipub. voluntatem. Hujus enim est, auctoritatem istam vel certè consensum dare; censetur autem consentire, quando passim cives optant illum sublatum; imò quando non constat de contrariâ voluntate : nam tunc præsumitur velle, quòd justè velle potest ut liberetur : atqui hoc justè velle potest, cùm alia ratio non suppetat : ergo, etc.

10. Secundò, potest quis esse *tyrannus* ratione duntaxat *administrationis*, ut si is, qui est verus princeps, regni administrationem flectat non ad bonum publicum, sed ad sua privata compendia, onerando illud injustis exactionibus, vendendo officia judicum, condendo leges sibi commodas, publico parùm utiles. Talis non potest à privatis interimi quamdiù manet princeps. Hoc tantùm probant rationes à Castro adductæ.

Probari id solet, primò, ex 1 Petri, 2 : *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis;* verùm hic locus non agit de subditis principum, sed de mancipiis, et continet potiùs consilium, quàm præceptum, hortatur enim ut obediant, etiamsi ob fidem multas patiantur injurias à suis dominis, cùm tamen in hoc casu possint fugere, si scandalum absit.

Secundò, probatur ex concil. Constantiensi, sess. 15, ubi damnatur hic articulus : *Quivis tyrannus potest et debet licitè et meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo, non expectatâ sententiâ vel mandato judicis cujuscumque.* In quo articulo sunt multi errores : Primò, quemlibet tyrannum posse occidi, nempe tam eum qui tyrannicè administrat, quàm qui tyrannicè titulum occupat. Secundò, debere occidi per quemvis subditum, cùm tamen ex his plerique excusentur. Tertiò, idque etiam contra juramentum, et fœdus juratum, cùm omne juramentum licitum sit servandum. Quartò, nullâ sententiâ judicis expectatâ, cùm, si superiorem habet, ad eum primò sit confugiendum.

11. Tertiò, probatur, quia princeps, etsi tyrannicè regat, tamen manet superior (unde Scriptura jubet nos, in rebus licitis, parere principibus ethnicis tanquàm superioribus, ad Rom. 13; 1 Petr. 2, et alibi; etsi maximi essent tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur, et ad impietatem cogerent) : ergo non potest à subdito interfici, nisi fortè ob necessariam vitæ suæ defensionem; de quo infra; etsi enim auferat bona, hæc tamen non sunt tanti momenti, ut ob eorum tutelam possit interfici, vim vi repellendo, sicut privatus quispiam : tum quia hæc multis modis possunt per ipsum vel rempub. restitui, tum quia habenda est ratio majestatis principalis, quæ omnibus sacrosancta esse debet, cùm nobis auctoritetam divinam repræsentet, præsertim cùm bona externa administrationi principis sint subjecta.

12. Adde, si tantùm excrescat tyrannis, ut non videatur ampliùs tolerabilis, nec ullum aliud remedium supersit, primùm à repub. vel comitiis regni, vel alio habente auctoritatem, esse deponendum et hostem declarandum, ut in ipsius personam liceat quidquam attentare. Tunc enim desinit esse princeps. Vide Cajetanum et Sotum supra.

## DUBITATIO V.

*Utrùm licitum sit occidere filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum.*

13. Quidam putant, primò, fas esse parenti, si filiam in adulterio deprehenderit, ipsam cum adultero occidere, modò adsint illæ conditiones, de quibus in l. Patri, 20, et sequentibus, π. de Adulteriis; quarum prima est, ut filia sit juncta matrimonio, secunda, ut sit in patris potestate; tertia, ut eodem impetu occidat filiam et adulterum, si possit; quarta, ut id faciat in domo patris vel generi; quinta, ut deprehendat eos in opere turpi.

Secundò, putant idem licitum marito in domo propriâ, in adulterum uxoris, si adulter sit persona vilis, ex l. Marito, 24, π. de adulteriis, et l. Gracchus, 4, c. eodem titulo. Ita sentit Julius Clarus, l. 5 Sententiarum, § Homicidium, n. 48 et sequentibus, et alii quidam recentiores.

14. Probari potest hæc sententia, primò, quia leges civiles non solùm hoc permittunt, quatenùs volunt esse impunè (ut communiter responderi solet), sed etiam expressè dant jus et potestatem. Nam. d. l. 20, π. de Adulteriis, dicitur : *Patri datur jus occidendi adulterum cum filiâ, quam in potestate habet.* L. 22, § 2 : *Jus occidendi patri conceditur domi suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.* L. 23 : *Voluit lex ita demùm hanc potestatem patri competere, si in ipsâ turpitudine filiam deprehendat.* Et c. eodem tit. l. Gracchus : *Permittitur marito ut occidat adulterum, si vilis sit : et hunc* dicit *legitimè interfici.* Idem patet ex l. Duodecim tabularum : *Mœchum in adulterio deprehensum necato;* ut refert ex aliis Covarr. de Matrimonio, 2 p., cap. 7, § 7, quæ lex etiam multò ante Athenis viguit, lata à Dracone et Solone, teste Plutarcho in Solone.

Ex his patet, legem dare hanc auctoritatem, et constituere parentem et maritum veluti executores justæ

punitionis; unde non faciunt auctoritate privatâ, sed publicâ.

Respondent quidam has leges esse injustas. Ita Fortunatus, tractatu de Ultimo fine, illatione 11. Sed contra primò, mirum est tot præclara ingenia Græcorum et Romanorum hanc injustitiam tot seculis non vidisse, eamque legibus et moribus à tempore Solonis probâsse. Secundò, eædem leges redactæ sunt in codicem Justiniani principis christiani, et à reliquis principibus et jureconsultis christianis acceptatæ. Tertiò, lex civilis potest facere potestatem occidendi Bannitos, quos vocant, ob grave aliquod crimen: nam passim in Italiâ exstant statuta, per quæ licet impunè tales occidere, ut refert Clarus, supra, n. 52; item transfugas, qui ad hostes fugere tentant, l. 3, § *Transfugas*, π. ad l. Corneliam, de Sicariis. Cur non etiam possit dare potestatem occidendi adulterum et filiam in scelere deprehensos? cùm enim tales mortem mereantur, cur non potest ea, concessu legis, per patrem vel maritum inferri? Adde olim apud Germanos pœnam adulterarum maritis permissam sine omni judicio: ut refert Tacitus, de moribus Germanorum.

15. Hìc tamen adverte, jure Cæsareo non permitti maritis ot occidant uxores adulteras, ut quidam theologi recentiores putant, sed tantùm ut occidant adulterum, et tunc uxorem accusent in judicio ut puniatur, ut docet Covarr. supra, et colligitur ex l. 2, π. de Adulteriis: olim quidem aliquandiù licuit; sed Augustus sustulit, ut refert Suetonius in Augusto; patri tamen permittitur ut occidat filiam simul et adulterum.

16. Ob has rationes videri possit hæc sententia non improbabilis.

Respondeo tamen, et dico primò, contrarium, nempe in foro animæ non esse licitum ante sententiam, esse tenendum. Primò, quia est communis sententia DD., ut affirmat Covarr. supra, n. 15, à quâ, in quæstione practicâ tanti momenti, non est facilè recedendum. Secundò, quia istæ leges videntur improbatæ per canones. Nam 33, q. 2, cap. *Inter, hæc*. Nicolaus Papa consultus, utrùm marito liceat secundùm *legem mundanam*, nempe Longobardorum, ut ait Glossa, quæ tunc in Italiâ servabatur, uxorem, quæ adulterium perpetravit, interficere, respondit: *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquàm constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritalem, quo non occidit, sed vivificat.* Ubi occultè insinuat Ecclesiam improbare illam legem. Ad idem confirmandum adduci solet caput *Admonere*, ibidem; sed si benè examinetur, nihil probat. Confirmari potest ex D. August. l. 2 de adulterinis Conjugiis, c. 15: *Postremò quæro abs te an marito christiano liceat, vel secundùm veterem Dei legem, vel Romanas, adulteram occidere* (alii legunt *abjicere*, sed malè); et post pauca, *Si, quod verùs dicitur, non licet homini christiano adulteram conjugem occidere, sed tantùm dimittere; quis dicat tibi: Fac quod non licet, ut tibi liceat quod non licet? cùm enim utrumque secundùm legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive illâ vivente aliteram ducere, ab utroque abstinendum est.* Idem credibile est Augustinum dicturum de parente et filiâ, marito et adultero.

17. Ratio autem potissima, cur illa potestas non sit concedenda, est, quia exponitur manifesto periculo salus animæ eorum qui sic interficiuntur; idque absque ullâ necessitate: nam possunt capi, accusari, et per sententiam puniri: secùs est de Bannitis, qui capi non possunt: deinde quia datur occasio occidendi impunè quem velis, domi tuæ, fingendo quòd cùm uxore vel filiâ voluerit habere commercium.

18. Dico secundò: Post sententiam legitimè latam, potest parens occidere filiam, et maritus uxorem, si per judicem ei occidenda tradatur, ut fit in quibusdam regnis: tunc enim committitur executio justæ sententiæ, quæ sicut cuivis alteri, ita etiam ipsis concedi potest.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm liceat seipsum interficere.*

(*D. Thomas art.* 5.)

19. Notandum est Donatistas, qui dicti sunt Circumcelliones, censuisse esse genus martyrii, seipsum interimere: unde passim se variis modis perimebant, ut August. refert hæresi 69 et alibi; contra hos disputat toto ferè lib. 2, quem scripsit contra epistolam Gaudentii, et lib. 1 de Civitate, à cap. 17 usque ad 28, et alibi.

20. Respondeo igitur, et dico primò, absque divinâ auctoritate non esse licitum seipsum directè seu ex intentione perimere; est communis sententia DD. Probatur primò, quia est contra illud Exodi 20: *Non occides*, ubi prohibetur occisio cujusvis hominis sine legitimâ auctoritate, ut docet August. cap. 17, supra: atqui nemo habet auctoritatem in seipsum, cùm non sit seipso superior: ergo, etc. Secundò, quia est contra illud præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* ubi dilectio nostrî constituitur mensura dilectionis proximi: atqui non licet occidere proximum sine auctoritate in ipsum; ergo nec seipsum: nam hoc est summi odii signum.

Dices: Optare sibi mortem, si causa subsit, non est signum odii, imò nec illicitum: ergo nec irrogare.

Resp. negando conseq.: Multa enim sunt, quæ nobis aliisque optare possumus, nimirùm ut inculpato modo obveniant; quæ tamen inferre non possumus: exemplum DD. multi afferunt in pollutione; sic possum malefico imprecari commeritum supplicium, non tamen inferre: possum optare multa pati pro Christo, quæ non possum inferre aut procurare, etc.

Tertiò, qui se occidit, reipub. injuriam facit: nam, illâ invitâ, veluti quoddam ipsius membrum abscindit; etsi enim Respub. non habeat dominium in suos cives, sicut dominus in servum, habet tamen jus quoddam illis utendi in rebus necessariis.

Dices, non videri propriè injuriam in rempub., sed tantùm generali ratione, quatenùs est contra legem reipub., si qua talis lex vel consuetudo id prohibens in repub. sit; quod confirmatur, tum quia respub. non putat se ob id injuriâ affectam; sicut si quis ærarium

expilaret : tum quia quivis potest se subtrahere à repub. et conferre se ad exteras provincias, et tunc non plus commodi ex ipso constabit in rempub. quàm si mortuus esset : tum quia fieri potest ut is qui se interficit, sit reipub. inutilis, vel etiam molestus : tum denique quia fieri potest ut sit solitarius, nulli reipublicæ insitus.

22. Resp. : Quidquid sit de istis rationibus, saltem est contra justitiam legalem, quæ non est minoris, sed potiùs majoris momenti, quàm commutativa ; vera ratio est, quia deest auctoritas.

Quartò, qui se interimit, injuriam quamdam Deo facit, rem eam, quæ ipsi soli subjecta est, absque auctoritate destruens ; nam *ipse solus vitæ et necis potestatem habet*, ut Sapientiæ, 16, dicitur ; ordo enim rerum naturalis postulat, ut ea quæ homine sunt inferiora, ipsius potestati sint subjecta, ita, ut ea possit in usum suum interimere : ipsa verò humana vita non sit subjecta nisi Deo ; et in certis casibus, nempe quando vita alicujus, reipub. est noxia, ipsi reipub. loco Dei : non enim par est ut illud donum, quod nullâ suâ industriâ homo potest sibi comparare, nulloque modo ab ipsius consensu pendet, in ipsius sit potestate, sicut res inferiores.

Dices, si est injuria in Deum, ergo est contra virtutem religionis.

Resp. : negando consequentiam propriè loquendo, dicitur enim injuria in Deum, quia interimitur res, quæ tantùm generali modo est in dominio solius Dei, idque sine auctoritate à Deo concessâ : tunc autem est propriè contrà religionem, quando speciali modo est res Deo consecrata, et violatur absque auctoritate. Denique hanc sententiam multis locis docet D. Aug. ; lib. de Civit., cap. 26, sic ait : *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus : neminem spontaneam mortem sibi inferre debere velut fugiendo molestias temporales ne incidat in perpetuas ; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum ; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari ; neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur ; quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit.*

23. Sed contra objicitur primò : quidam coluntur ut martyres, qui tamen directè seipsos occiderunt ; ut feminæ illæ, quæ cùm ad tyrannum essent adducendæ, se in flumen præcipitaverunt, ne pudicitiam amitterent ; de quibus Eusebius l. 8, c. 12 et 17, et Ambros. lib. 3, de Virginibus, ante medium : et S. Apollonia seipsam in rogum conjecit, ut refert idem Eusebius l. 6, c. 33. Palladius etiam, historiæ Lausiacæ c. 150, aliam quamdam feminam laudat, quæ cùm accerseretur à tyranno, seipsam interfecit.

Resp. : Has et similes ; dupliciter posse excusari. Primò, quòd id fecerint divinâ inspiratione ; ita excusat eas D. August. loco citato. Simili modo etiam excusat Samsonem ibidem cap. 21 ; quamvis hic etiam aliter facilè possit excusari, ut infra, n. 33, dicetur. Secundò, possunt excusari per ignorantiam inculpatam. Nam se occidere ob patriæ salutem aut pudicitiæ custodiam, non est ita evidens esse malum, quin inculpatè possit ignorari, et putari licitum : cùm non solùm ethnici, præsertim Stoici, quorum sententiam eleganter explicat Justus Lipsius cent. 2, epist. 26, sed etiam multi Christiani, etsi doctissimi, ita videantur sensisse. D. Hieronymus in cap. 1 Jonæ, versùs finem : *Unde in persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo, ubi castitas periclitatur ;* ubi apertè insinuat, in periculo castitatis id licere. Scio Glossam et alios quosdam hunc locum Hieronymi in contrarium sensum explicare ; sed violentè. Ambros. et Eusebius supra, laudant mulieres illas, quòd se occidissent, ne violarentur. Neque id tribuunt divinæ inspirationi ; sed laudant factum tanquàm honestum, ob talem finem. Palladius quoque non meminit ullius revelationis. Simili modo excusat Sotus S. Apolloniam : et excusari potest Razias, de quo 2 Machab. 14.

24. Dices : Quomodò coluntur ut martyres, si se illicito modo occiderunt ; cùm martyr ab alio debeat occidi ?

Resp. : Quia propter fidem Christi ad hoc fuerunt quodammodò impulsæ. Unde cùm ipsæ in eo facto non peccaverint, secundùm moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, et sic sunt martyres.

25. Objicitur secundò : quando aliquis legitimè condemnatus est ad mortem, potest cuivis à judice committi executio ; ergo etiam ipsi reo : ergo saltem in hoc casu poterit seipsum directè occidere. Confirmatur quia tunc omnes rationes supradictæ cessant, non enim tunc agit contra charitatem sui, neque contra præceptum : *Non occides*, quia non occidit innocentem, neque propriâ auctoritate, neque absque juris ordine. Denique nulla videtur posse adferri ratio, cur tunc non liceat, saltem absque peccato mortali. Si dicas esse contra naturalem inclinationem, esseque nimiùm crudele, hoc quidem probat reum non teneri in se exequi, neque judicem id posse præcipere, ita ut obliget in conscientiâ ; non tamen convincit, reum spontè non posse hanc commissionem suscipere : præsertim si permittatur illi mors facilis, ut venâ abruptâ, veneno hausto, corde transfixo, alioquin subituro acerbissima. Sanè multò leviùs est, minusque natura horret sibi consciscere letum suave quàm ab alio perpeti dirissimum. Adde neminem sine causâ et justâ auctoritate posse in seipsum esse crudelem : tamen ex causâ, et cum tali auctoritate non videtur esse peccatum, saltem grave, si in seipsum crudelis sit. Secùs tamen si tyrannus juberet, vel is qui non potest justè condemnare : quia sicut tunc non potest alteri committi executio, ita nec reo : deest enim justa auctoritas, quâ in re multùm errârunt Stoici, non intelligentes veram causam, cur homo non possit se interficere.

Ob has rationes hæc sententia videri possit alicui non improbabilis, eamque insinuat Franciscus Victoria relect. de homicidio n. 30, ubi docet, *eum qui*

*damnatus est ut veneno pereat, posse illud haurire; imò posse ad hoc obligari.* Idem docet Arragon. q., 69, art. 4, et Corduba lib. 1, q. 36, addens esse eamdem rationem aliarum pœnarum. Et sanè dubitandum non videtur, quin possit os aperire ut infundatur; parùm autem videtur referre an ipse infundat, an alius, quando nulla datur ampliùs dilatio vel tergiversatio : item si serpentis ictu pereundum, an ipse reus applicet, an alius eum præstò habens. Quòd autem talis se directè occidat, quidquid Arragon. excuset, patet; quia intrò sumit rem, quæ non minùs directè extinguit, quàm ignis, vel gladius, vel plumbum liquatum. Neque inter hæc videtur esse alia differentia, quàm quòd haustus veneni minùs habeat horroris, nec possit commodè decorè per alium inferri, sicut supplicium ignis et gladii.

26. Verùm mihi placet contraria sententia : tum quia communis doctorum, à quâ in rebus practicis non facilè recedendum : tum quia sicut nemo est idoneus executor sententiæ mortis in parentem, ob reverentiam illi, qui est principium vitæ, debitam, et ob naturalem conjunctionem; ita multò minùs in seipsum: est enim actio directè pugnans cum inclinatione communis naturæ; nulla enim res seipsam ullo casu perimere intendit. Ex quo fundamento solvas argumenta alterius sententiæ.

27. Dico secundò, etsi non liceat seipsum directè occidere, licitum tamen est quando justa causa subest, aliquid facere vel omittere, unde certò scitur secuturus interitus indirectè. Ita passim DD. infra citandi; ratio est, quia non est prohibitum homini ne vitam suam periculis unquàm exponat, ut eam conetur semper servare; sed tantùm ne ex intentione illam quasi exosam auferat, et ne absque causâ illam exponat, aut conservare omittat, tunc enim censeretur illam ex intentione perdere; sicut prohibitum est, ne se ex intentione polluat, aut absque justâ causâ, ejus periculo se exponat. Explicari autem hoc potest multis casibus.

Primò, miles potest et tenetur non deserere stationem in periculo communi, etsi certus sit se occidendum.

28. Secundò, reus potest non fugere ex carcere, etsi certò sciat se morte plectendum, ut multi martyres fecêre, imò potest malefactor zelo justitiæ et exempli publici, se offerre judici puniendum, ut docet Petrus Navar. l. 2, c. 3, n. 73, quia ob justam causam potest quis desiderare mortem, et etiam procurare legitimo modo, sicut alteri, ita et sibi.

29. Tertiò, condemnatus ad mortem per famem, potest abstinere à cibo clanculùm oblato; ut rectè docet Henricus quodl. 5, q. 31, Sotus l. 5, q. 6, a. 4, Lopez c. 63 Instruct.; quod mirum est negari ab Arragon et Victoria, cùm doceant reum teneri bibere venenum, si ad hoc condemnetur; qui enim haurit venenum, positivè sibi infert aliquid directè interimens : qui non comedit, nihil infert, sed permittit calore interno vitam absumi; itaque solùm non conservat vitam · ad quod satis gravem causam habet, nempe ut se justæ sententiæ conformet. Confirmatur, quia si quis tantùm haberet idolothyta in extremâ necessitate, posset iis non vesci, et præoptare mortem; ut docet August. epist. 154, in fine, et Henricus supra. Idem dico, si solùm haberet carnes humanas, quamvis etiam eo eventu talibus posset vesci, ut docet Cajet. q. 148, a. 2, ad 2.

Quartò, si duo in extremâ necessitate constituti sint, potest alter alteri cedere pane, quem habet, quo vitam tueri poterat, et sinere se emori : habet enim justam causam non comedendi, officium charitatis in proximum. Victoria n. 26, supra, Toletus l. 5, c. 6, et alii.

30. Quintò, potest quis se objicere telo ad conservandam vitam principis, et etiam ad conservandam vitam amici : imò si amicus sit condemnatus ad mortem, potest se pro illo offerre occidendum, inquit Toletus; intellige, si injustè : si enim justè, alliceret alterum ad peccatum.

31. Sextò, in naufragio potest alteri permittere tabulam nondùm à te occupatam (imò etiam occupatam) et committere te undis, etsi non sit spes evadendi, ut docet Victoria n. 26, supra, et Petrus Navar. Hoc enim non est directè se interimere, sed exponere se periculo, ut ab undis, deprimenti corporis pondere, vincatur. Ubi adverte, eum qui prior rem occupavit in tali eventu, non teneri alterum admittere, sed posse impedire, nisi utrique sufficiat : si simul occupârunt, sorte dirimendum, nisi alter alteri sponte cedere velit.

Septimò, potes servire infectis peste, etsi putes te inficiendum.

32. Octavò, potes injicere ignem in pulverem tormentarium, ad evertendam turrim hostilem, etsi certum sit momento te dissipandum; neque enim tu te interimis propriè, sed ignis impetus, vel turris ruina; quibus te ob justissimam causam exponis, non secùs ac is, qui se objicit telo ut corpus principis salvet; sic Eleazarus interfecit elephantem, à quo videbat se opprimendum; qui laudatur lib. 1 Machab., cap. 6.

33. Sic Samson Judicum 16, ut interficeret hostes populi, evertit domum, cujus ruinâ est et ipse obrutus. Nec obstat quòd D. August., lib. 1 de Civitate, c. 21, dicat, Samsonem non excusari, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat; quia alii hìc nullam talem jussionem censent necessariam; vide Cajetanum in illum locum, et Ambros., lib. 1 Officiorum, c. 40, ubi factum Eleazari, quod est omninò simile, valdè laudat. Idem tenet Lopez 1, p. c. 65, in fine, et multi recentiores; estque res in bellis penè quotidiana : alioquin non liceret cum periculo vitæ suffodere turres et mœnia.

34. Hoc modo excusari possunt nostri milites et socii navales, qui sæpè fortissimè cum hæreticis prælio navali dimicantes, cùm jam vident navem in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulveri injiciunt, et se mari committunt, ne ipsi et navis veniant in hostium potestatem; non enim intendunt sui interitum, sed ne hostis navi cum publico damno potiatur, et ut se ipsi, si quâ ratione possint,

morti certissimæ ab hoste inferendæ eripiant : si enim quis potest desilire in mare ut salvet amicum, cur non ut evadat hostis crudelitatem ?

35. Nonò, grassante incendio, si non suppetat alia ratio tam horrendæ mortis evadendæ, potes te è sublimi per fenestram demittere, etiam cum certo vitæ periculo : non enim intendis te occidere, sed dirum illud tormentum fugà evadere, quin etiam animantia instinctu naturæ, modis talibus se salvare nituntur.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm in aliquo eventu liceat interficere innocentem.*

(D. Thom., art. 6.)

*V. G. Si tyrannus persequeretur innocentem, ut olim Constantius Athanasium, et minaretur urbi excidium nisi illum interimat.*

36. Respondeo et dico primò, non posse interfici. Probatur, Exod. 23 : *Insontem et justum non occides ; quia aversor impium ;* est ergo impietas hoc facere ; ratio est, quia cùm nullus hominum habeat dominium vitæ alterius, nemo potest eam tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem. Unde divus Augustinus, lib. 1 de Civitate, cap. 17 et 19, docet, gravius esse peccatum occidere innocentem quàm peccatorem.

Dices primò : Respublica potest exponere vitam suorum civium, ob communem salutem : ergo etiam potest vitam alicui eripere, quando id necessarium est ad commune bonum. Secundò, potest quis ad obtinendam victoriam dirigere tormentum in locum, ubi videt multos innocentes : quod nihil est aliud, quàm eos occidere. Tertiò, viri Samariæ occiderunt 70 filios Achab timore belli quod Jehu illis minabatur, ut patet 4 Regum c. 10, et factum illud Deo placuit : ergo ob commune bonum licet interficere innocentes.

37. Ad primum respondeo, rempublicam posse suorum civium vitam exponere imperando justam defensionem, necessariam ad patriæ salutem, ad quam defensionem jure naturæ obligantur : quod longè aliud est, quàm ipsam vitam directè eripere, seu inferre mortem ; eripere enim vitam innocenti, nihil per se confert ad avertendam reipubl. calamitatem, sed solùm ex malitiâ tyranni. Itaque cùm per se malum sit, non fit licitum ex eo quòd referatur ad talem finem, alioquin licitum esset sacramenta profanare, et hæreticas cæremonias inducere, si tyrannus id præciperet, excidium interminans.

Ad secundum, hoc non est directè et ex intentione occidere innocentes, sed præter intentionem ; intendit enim demoliri turrim, quod licitè potest ad obtinendam urbem. Neque tenetur abstinere, quòd hostes ibidem pueros et turbam imbellem collocent ; alioquin nunquàm victoria posset obtineri, sed cœpta prosequi potest, quatenùs ad victoriam necesse, etiamsi inde sequatur illorum interitus. Si tamen illi essent in castris obsidentium, non possent interfici, ut civitas cogatur ad deditionem.

Ad tertium, valdè verisimile est, Jehu indicâsse ipsis voluntatem Domini esse, ut progeniem Achab deleret : alioquin peccâsse inducendo eos ad peccatum ; fuisse autem Dei voluntatem, qui vitæ necisque in omnes potestatem habet, patet 2 Paralip. c. 22, ubi dicitur Deum unxisse Jehu, ut deleret domum Achab.

38. Dico secundò, potest tamen respub. cogere innocentem ut tyrannum accedat, et, si ire nolit, potest illum tyranno tradere. Ita docet Lopez, 1 p., c. 6, Instruct. et Adrianus, quem ibidem citat, et Petrus Navar. lib. 2, c. 3, n. 120, quamvis Sotus lib. 5, q. 1, art. 7, et quidam alii negent. Probatur primò, quia ille innocens tunc ex charitate et pietate in patriam et ex justitiâ legali tenetur egredi, et se morti exponere, si certum sit calamitatem communem aversum iri : ergo etiam ad hoc potest cogi.

Respondet Sotus, eum non teneri ex justitiâ particulari, ac proinde non posse cogi. Sed in hoc fallitur ; nam ad multa cogi possumus per Magistratum, ad quæ ex justitiâ non obligamur : ut ad dandam elcemosynam in magnâ fame, ad vendendum frumentum, ad vitandos sumptus immodicos in vestes et convivia ; ad vitandam ebrietatem, fornicationem, incestum, sodomiam, blasphemiam, certos ludos, et similia ; ad quæ tamen ex justitiâ non obligamur ; ergo similiter poterit iste innocens cogi, ut tyrannum accedat, etiamsi certissimè sit interficiendus : sicut cogi potest ut stationem suam tempore belli obeat, etiamsi constet esse interficiendum, quòd si nollet ire, jam verè non esset innocens : unde posset à repub. tyranno tradi ; similiter si timeretur fugâ elapsurus cum pernicie reipublicæ.

39. Secundò, si principe in extremâ necessitate constituto, non suppeteret nisi unus panis hominis privati, posset ille cogi ad cedendum eo principi, et etiam vi spoliari, etiamsi esset moriturus fame : ergo etiam potest cogi ut accedat tyrannum, quando id necessarium est ad salutem reipub. Consequentia patet ; quia qui aufert illi panem, non minùs videtur ad mortem cooperari, quàm qui cogit adire tyrannum, vel qui alium tradit.

Tertiò, si in hoc esset aliqua injuria, id proveniret ex eo quòd iste tradatur invitus ; atqui hoc non obstat : quia panis etiam aufertur ab invito, et tamen non fit ei injuria, eò quòd ex charitate obligetur illum spontè dare : ergo cùm hìc sit obligatio spontè accedendi ad tyrannum, si cogatur, non fiet injuria, potest enim legitimus superior cogere ad ea, ad quæ jure naturali obstringimur.

40. Dices primò, tradere innocentem tyranno in hoc casu, est ipsi cooperari ad necem innocentis : atqui hoc est illicitum, ergo, etc. Antecedens probatur, quia si satellites ipsius caperent et traderent illum, verè cooperarentur ; ergo similiter si respub. id faceret.

Secundò, si tyrannus in hoc casu peteret sibi tradi virginem ad violandum, non posset respubl. illam invitam tradere : similiter si peteret codices sacros ad comburendum, vel sacramenta ad temerandum : ergo nec innocens poterit tradi, qui ad mortem quæritur.

Ad primum respondeo, negando id esse propriè cooperari ad necem. Ad probationem : est dispar ratio inter satellites tyranni et rempub., nam illi nullam auctoritatem habent in innocentem ; unde inferunt ei injuriam, respub. verò habet auctoritatem ; est enim jure naturæ superior singulorum : unde potest cogere ad id, ad quod ille jure naturæ erat obstrictus ; utitur enim jure suo.

Ad secundum, nego consequentiam : est enim ratio dissimilis ; virgo enim ob periculum animæ non tenetur ire ; unde nec respub. potest eam cogere vel tradere ; potest tamen urbe excludere, et non tueri : non enim cum tanto suo damno tenetur illam protegere, vel apud se retinere.

Quod ad codices sacros et sacramenta attinet, dici potest esse disparem rationem ; quia neque in rebus ipsis est obligatio ut tradi debeant, neque Deus tenetur sustinere illam injuriam, ut homines non occidantur. Accedit, quòd in hujusmodi tradendis ad imperium tyranni, ferè semper sit periculum scandali publici ; videtur enim proditio quædam rerum sacrarum. Unde veteres illud semper pro magno crimine habuerunt, ut patet ex D. Augustino, epist. 64, et 71, et Hæresi 69.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem.*

(*D. Thom., art.* 7.)

41. Respondet D. Thomas licere, quando id necesse, modò tamen non intendatur mors invasoris.

Notandum est Augustinum de Anconâ, tractat. de potestate Ecclesiæ, q. 52, art. 3, docuisse, *occidere invasorem non esse licitum, sed solùm permissum.* Idem videtur sensisse Gerson tract. de Eucharistiâ. Ratio eorum est, quia tenemur potiùs corporalem mortem oppetere, quàm ut proximum in æternam damnationem præcipitemus. Sed contraria sententia est communis ; pro quâ dico primò fas esse occidere injustum invasorem, ob defensionem vitæ suæ, et integritatis membrorum, cum moderatione inculpatæ tutelæ. Ita D. Thomas hoc loco, et Victoria relect. de homicidio, num. 17; Gomez, tom. 3, cap. 3, num. 22, et sequent. Covar., relect. in Clement. Si Furiosus, 3 p., § unico, num. 6; Sotus, lib. 5 de Justitiâ, q. 1, art. 8, et alii. Probatur primò, quia Exodi 22, dicitur, *eum qui furem nocturnum occiderit, non esse reum homicidii*, nempe quia discerni nequit, an venerit animo occidendi, an furandi tantùm, ut D. August., q. 84 in Exodum exponit. Secundò, quia *vim vi repellere, leges omniaque jura permittunt*, ut ait Alexander III, cap. Si verò, 1 de sententiâ excommunicationis, et Innocent. III, cap. Significàsti, 2 de Homicidio. Quare etiam clericis et monachis hoc concessum, sicut et laicis : idque contra quoscumque, etiam contra superiores, ut monacho contra abbatem, filio contra parentem, servo contra dominum, vassallo contra principem, et in quocumque officio sit quis occupatus : ut si celebret et invadatur, potest se tueri, et occidere invasorem, si necesse sit, et postea Sacrum continuare, ut docet D. Anton., 3 p. tit. 4, cap. 3, § 1 ; Silvester, verbo Bellum, 2, § 7 et 5, et alii.

42. Unde quod Sotus ait, si invasor sit princeps vel persona admodùm utilis reipub., ego verò parum utilis, teneri me perpeti mortem, tantùm verum est eo eventu, quo ex interitu alterius sequeretur magnum reipub. damnum, ut bella civilia ob successionem, etc. Idem jus suo modo locum habet in bestiis. Si enim bos tuus invasus à bove alterius, occidat invadentem, non teneris dedere eum noxæ, domino bovis occisi, ut colligitur ex L. 1, § Cùm arietes, π Si quadrupes pauper fecisse dicatur. Eodem jure furiosi et amentes occidi possunt quando invadunt, si aliter elabi nequeas.

43. Dixi *cum moderamine inculpatæ tutelæ* ( sic enim loquitur Alexand. III, supra ), id est, cum eâ moderatione, sine quâ injuria depelli non potest : quia in defensione non potest uti majori vi, quàm sit necesse ad injuriam arcendam : alioqui non est defensio, sed ultio, unde teneberis ad restitutionem. Itaque eum qui percussit, et jam fugit, vel certè destitit, et amplius non metuitur, non potes occidere vel repercutere ( nisi fortè interdùm ad defensionem honoris, de quo infra ), quia illa repercussio non est necessaria ad vitam tuendam ab injuriâ, ut quæ jam illata sit, si tamen paret se percussor ad feriendum secundò, vel putetur aliter non destiturus, potest statim repercuti, si alioquin vis ejus declinari nequeat.

Ut autem meliùs intelligatur quo modo quisque vitam suam tueri possit, et in quibus periculis, notandum est vitam multis modis impeti posse et invadi.

Primò, si reipsà me ferias armis. De hoc nullum est dubium.

44. Secundò, si accedas ad feriendum, nec possim evadere, nisi vel fugiam, vel te præveniam. Et quidem si possim absque periculo vel ignominiâ declinare vel fugere, teneor ex charitate, ut grave damnum in me vel in proximo caveam. Unde religiosi et ecclesiastici tenentur fugere, quia id illis non probro, sed laudi datur : non enim illorum laus est in armis et audaciâ, sed in pietate et humilitate. Si tamen nolint fugere, non peccabunt contra justitiam, etiamsi invasorem occidant, justâ moderatione servatâ, ut docet Julius Clarus de Homicidio n. 32, addens hanc esse communem sententiam ; incurrent tamen irregularitatem. Si absque periculo, vel notâ ignominiæ non possim fugere, possum te prævenire ; non enim teneor expectare donec percusseris. Ita Covar., Sotus, Gomez, et alii, estque communis sententia doctorum, teste Julio Claro, num. 33.

45. Tertiò, si nondùm accedis, tamen instructus es ad invadendum, nec possum evadere nisi præveniam : tunc enim possum prævenire, ut iidem doctores docent, et Navar., c. 15, n. 3, ubi ponit exemplum de marito qui pugionem condidit sub cervicali ut uxorem interficiat ; quem uxor id certò sciens, si aliud remedium non superest, potest prævertere. Ratio est, quia etsi nondùm actu invadat, putat tamen invadere, et ita illam tenet conclusam et obsessam, ut aliter evadere

nequeat. Idem docet Cordub. lib. 1, quæst. 38, de eo qui alteri paravit venenum; posse enim illud industriâ converti in auctorem, si alia ratio evadendi non supersit.

46. Quartò, si per famulum vel sicarium me statueris occidere, nec alia sit spes evadendi. Hoc etiam casu videtur licitum prævenire, si periculum sit præsens. ut, si actu mandes vel suadeas; videtur enim eadem ratio quæ in tertio; parùm enim refert an per te, an per alium, invadas et coneris interficere; quòd si periculum adhuc esset longinquum, ut si conjuraveris in meam necem, jamque cum sicariis egeris, ut opportunitatem quærant exequendi, major est difficultas. Sed videtur eadem ratio, si nulla alia supersit via evadendi; quia ita vitæ meæ insidiatur, ut aliâ ratione non possim elabi. Non enim teneor perpetuò me intra domum concludere, vel in exteras regiones concedere; esset tamen insidiator ille aliquoties ante monendus ut desistat. Ita docet Bannes, q. 64, art. 7, dub. 4, et quidam alii recentiores.

Mihi tamen hic modus in praxi non probatur, tum ob alias causas, tum ob periculum abusûs, tum quia perrarum est, ut non suppetat alia ratio mortis evitandæ.

47. Quintò, si falsis criminationibus, testibusque subornatis (verbi gratiâ, imponendo sacrilegium vel crimen nefandum) vitam meam impetas in judicio, nec alia sit ratio effugii, quidam doctores concedunt, inter quos Bannes loco citato; ubi dicit licitum esse occidere eum qui vadit ad judicem ut imponat falsum testimonium, propter quod eris occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia. Ratio ipsius est, quia hoc non est invasio, sed justa defensio. Item extendit ad eum qui contra justitiam legalem pandit crimen occultum.

Petrus Navarra, lib. 2, c. 3, num. 361, sentit esse probabile. Favet Cajetanus infra, q. 95, art. 8, ad 3. Probari potest primò, quia nihil refert utrùm invadas me gladio tuo, an alieno, ut ait Cajetanus: atqui calumniator ille invadit gladio alieno, nempe judicis; unde Nathan ad David ait: *Interfecisti Uriam gladio filiorum Ammon;* et Judæi, juxta D. August., occiderunt Dominum *gladio linguæ*. Secundò, si dominus vocaret famulos ut me occiderent, possem prævenire, occidendo dominum, ut famulos in meam necem concitare desinat, si aliter salvus esse nequeam; ut docet Bannes loco citato. Atqui eadem videtur ratio, cùm calumniator conatur per judicem: cogit enim illum ut me occidat. Tertiò, quia in hoc casu licitum est mihi acceptare duellum, ut docet Cajetanus supra, et in Summâ verbo Duellum, et alii doctores passim. Atqui tunc possum occidere in pugnâ, si aliter evadere nequeo injuriam: cur non etiam sine duello? Nam acceptatio duelli nullum jus tribuit, sed solùm facit, ut honestiore modo videar me tueri. Imò Bannes apertè indicat, in eo casu licitum esse non solùm acceptare, sed etiam provocare calumniatorem ad duellum, citans in eam sententiam Cajetanum, quamvis ego id apud Cajetanum non inveniam. Sed et hæc sententia, etsi fortassè speculativè probabilis videri queat, non tamen in praxi est admittenda, ob incommoda quæ ex eâ sequi possunt. Facilè enim homines sibi persuadent se per calumniam accusari, et non esse effugium, nisi morte accusatoris: sicque multæ cædes injustæ patrarentur; denique talis in repub. benè constitutâ, ut homicida plecteretur.

48. Sextò, si malefica positis certis signis magicis assiduè per dæmonem noceat. Hoc casu si aliud remedium non suppeditet, uti poterimus jure defensionis, cogendo eam verberibus, ut ab injuriâ cesset; si tamen certò constet eam esse mali auctorem, et putetur sine novo maleficio prius maleficium tollere posse Ratio est, quia illa perinde facit, atque si tyrannus aliquis per suos satellites torqueret: utitur enim dæmone tanquàm instrumento, eum assiduè instigans signis illis, quibus se dæmone obstrinxit, ad noxam inferendam. Nihil autem interest, per te, an per ministros tuos noceas.

49. His adde, quando necesse est ad vitæ defensionem, nec alia patet ratio contra injustum invasorem, posse acceptari duellum, imò etiam offerri: ut si inimicus armatus te inermem inveniens, permittat tibi arma, ut militariter te occidat, vel si roges ut arma tibi permittat: tunc enim est vera defensio. Cajet. supra, Navarrus c. 21, n. 39 et cap. 15, n. 9; Angelus, v. Duellum, n. 2; Lyranus, in c. 17, l. 1 Regum, et alii. Eadem videtur ratio in invasione fortunarum, ut colligitur ex iisdem auctoribus, traduntque in specie Angelus et Bannes. Nam fortunæ sunt necessarium vitæ instrumentum, subsidium, et ornamentum.

Contra hanc propositionem objicitur primò, Matth. 26, ubi Dominus Petro volenti se et ipsum defendere, dicit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et confirmatur ad Roman. 12: *Non vos defendentes, charissimi.*

50. Respondeo: Petrus reprehenditur, primò, quia defensio illa habebat potiùs speciem vindictæ quàm defensionis; non enim erat probabile, tantam turbam tali modo posse repelli. Secundò, quia erat contra Domini voluntatem, cujus responsum debebat exspectare. Tertiò, quia Dominus non habebat opus tali defensore, nec decebat eum tali modo defendi. Quartò, quia erat contra Patris ordinationem, qui volebat ut Filius illorum vim iniquam non defugeret. Vide D. August., tract. 112, in Joannem.

Ad confirmationem, *defendere* ibi accipitur pro *occisi*, ut patet ex Græco οὐχ ὑμᾶς ἐκδικοῦντες. Simili modo Judith cap. 1 et 2, accipitur.

51. Objicitur secundò, plus tenemur diligere salutem animæ proximi, quàm vitam nostram corporalem: ergo ad hanc servandam non licet proximum occidere quia si occidatur, anima peribit.

Resp. negando consequentiam; quia non tenemur lege charitatis exponere salutem corporis pro salute animæ alterius, nisi quando ea est in extremo discrimine, ex quo non potest se nisi meâ ope vindicare; ut si infans esset moriturus sine Baptismo. Hic autem

sponte et merâ malitiâ conjicit se in discrimen salutis, et potest liberrimè se eximere. Deinde qui invaditur, non est certus suæ salutis, si se permittat occidi; invasor enim jam vulneratus, potest pœnitere, et salvari.

Tertiò, possent multa objici ex Patribus, qui insinuant hoc esse illicitum. Sed hi Patres loquuntur vel de vindictâ, ut Cyprianus lib. 1, epistolâ 1, et Cyrillus Alexandr. lib. 11, in Joannem cap. 35; vel de defensione non necessariâ, ut Ambros. lib. 3 Officiorum, cap. 4; vel de aggressione, ut August. epistol. 154, quæ est ad Publicolam; vel denique loquuntur de periculo excessûs odii, iræ et debitæ moderationis, ut idem Augustinus lib. 1, de libero Arbitrio, cap. 5.

Objicitur quartò : Clerici olim ante, Clement. Si furiosus, fiebant irregulares, si aliquem, se defendendo occiderent : ergo non erat illis licitum.

52. Resp. : Verius est non fuisse irregulares, ut colligitur ex cap. Si verò, et cap. Significâsti, supra citatis, et c. de his Clericis, d. 50. Neque D. Th., hoc art. ad 3, contrarium sentit : quia loquitur de illo qui in defensione suî, modum excessit. Citat enim cap. de his Clericis, quod agit de illis qui debitum modum non servârunt, ut exponit Glossa; quibus ob id pœnitentia ibidem dicitur imponenda. Nunquàm autem pœnitentia imponenda fuit, quando defensio cum debito moderamine facta est; ut apertè ex Alexandro III et Innocentio III, locis supra citatis, colligi potest; sed de hoc plura sua loco.

Sed difficultas est, utrùm liceat occisionem intendere, an solùm ipsam defensionem, ita ut occisio solùm per accidens inde sequatur, ut videtur dicere D. Th. hîc, Cajet. et plerique Thomistæ. Alii videntur aliter sentire, sed in re non est discrepantia. Unde

53. Dico secundò : Licitum est in actu defensionis intendere omne id quod judicatur ad vitæ membrorumque defensionem necessarium; ac proinde interdùm etiam læsionem mortiferam, et consequenter ipsam mortem, nempe in causâ. Ita docet Sotus supra, et Victoria relect. de homicidio n. 17, et Navar. c. 13, n. 3. D. Antoninus, 4 p. tit. 4, cap. 3, § 1. Ratio est, quia nisi liceret eam sic intendere, defensio suî sæpè redderetur impossibilis : sæpè enim fieri nequit ut te defendas, nisi invasori vulnus lethale infligas, ut sclopo vel hastâ. Quòd autem D. Th. insinuat, privatæ personæ non licere occidere invasorem nisi per accidens, omissâ Soti solutione, sensus est, personæ privatæ non esse licitum absolutè desiderare ut invasor moriatur; hoc enim non est necessarium ad suî defensionem; sufficit enim ut occidat viribus destitutus, ne ampliùs lædere possit. Non tamen vult negare quin modis omnibus possit se tueri, et intendere quidquid ad hoc prudenter judicatur necessarium. Unde in periculoso conflictu non debet esse scrupulosè anxius ne hostem lethaliter vulneret; sed potest eum ferire eo modo, quo commodius fuerit, ut vim ipsius comprimat, etiamsi caput vel pectus trajiciendum foret; quòd si mors sequatur, id ei displicet; non enim ad directè et secundùm se intendebat, et hoc est quod vult Cajetanus, et alii.

54. Petes, quâ auctoritate id facit, publicâ, an privatâ?

Resp : Privatâ, quia non facit ut judex, vel princeps repræsentans rempub., vel publico nomine, seu ut custos boni publici : sed eo jure, quod quisque habet, ut est custos rei suæ : quo jure noxia retundere, et vim vi repellere potest, quo etiam omnia animantia utuntur. Si publicâ auctoritate faceret, posset illum occidere animo vindictæ, sicut facit judex.

55. Dico tertiò : Etsi licitum sit occidere invasorem, quando aliter nos tueri nequimus, tamen *sæpè* est salutare consilium, permittere se potiùs occidi, quàm occidere. Ita D. Antoninus supra, et Silv. verbo Bellum, 2, §. 7, et patet exemplo Christi et multorum sanctorum. Idem colligitur ex D. August., l. 1 de libero arbitrio, c. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales* (latrones invadentes) *permittit interfici; sed quomodò istos, qui interficiunt, defendam, non invenio;* nempe quia facilè excedunt modum, vel opere, vel affectu. et D. Ambros., l. 10 in Lucam, exponens illa verba Lucæ 22 : *Emat gladium*, dicit *licitum esse se defendere usque ad Evangelium, non autem postea;* non quòd absolutè non liceat, sed quòd non ita deceat; quod insinuat cùm ait, *ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* Ratio est primò quia periculum est, ne ira vel odium se admisceant, neve modum excedamus : et sic dùm volumus servare vitam corporis, vitam perdamus animæ.

Secundò, quia hoc modo magis conformamur Christo, ejusque Apostolis, et martyribus.

Tertiò, quia charitas, etsi non obliget, tamen ad hoc magis inclinat, ne proximus in æternum pereat.

Ob has rationes, sentio hoc consilium magni faciendum, et omnibus clericis, maximè viris religiosis amplectendum, ut malint mortem perpeti, quàm iniquum invasorem occidere.

56. Dixi *sæpè*, quia si quis putaret se esse in peccato, et valdè timeret damnari, si tunc occideretur, teneretur se tunc omnibus modis tueri : quia magis tenetur diligere salutem animæ suæ quàm proximi. Ita docet D. Antoninus supra.

## DUBITATIO IX.

*Si is qui invaditur non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo invasor se protegit, utrùm ei liceat se cum illo periculo defendere.*

57. Resp : Probabilius est posse; ita Corduba, q. 33, lib. 1, et Petrus Navar., l. 2, c. 3, n. 147.

Probatur primò, quia qui invaditur, jus habet se defendendi, quo jure non privatur ex illâ innocentis interpositione, ut quæ ipso invito facta sit. Secundò, à simili : qui urbem justè obsidet, potest dirigere tormentum in turrim vel mœnia, prout necessarium ad victoriam, etiamsi hostes ibi ligaverint aliquos innocentes, ut communiter sentiunt doctores; ergo simili-

ter ad necessariam vitæ defensionem, potest petere adversarium, quamvis ille innocentem objiciat.

58. Adverte tamen primò, si potes fugere, teneris, saltem ex charitate, ne innocentem interficias.

Secundò, non potes directè impetere innocentem, ut illo sublato faciliùs superes adversarium; potes tamen petere adversarium, etiamsi ipse innocentem ante se teneat; ut notavit Corduba.

59. Petes, quid si fugiens hostem, non possit evadere nisi per angustum iter, ubi proteret infantem, vel claudum; poteritne illà fugere, ut se salvet?

Resp.: Petrus Navarra negat, nisi sit aliqua probabilis spes non interficiendi. Sed reverà videtur eadem ratio, quæ in casu superiori; ita Corduba, l. 1, q. 38, dub. 2, et colligitur apertè ex Cajetano, q. 67, a. 2, ubi dicit, *occidere innocentem per accidens, dando operam rei licitæ et necessariæ, non est contra jus naturale, divinum, vel humanum.*

Probatur: Nam iste jus habet ad fugam viâ publicâ; quo jure non potest privari in tanto discrimine, ratione infantis, vel claudi ibi fortè constituti: sicut si fugienti amens quispiam vel ebrius se objiceret, non teneretur cum certo vitæ periculo aliò deflectere; sufficit igitur in tali casu, ut eam circumspectionem adhibeat, quam pro tempore et loco potest, ne noceat; quòd si læsio vel mors secuta fuerit, non censebitur ab ipso intenta, sed solùm permissa. Nam utitur jure suo, extremè sibi necessario, eâ circumspectione quâ potest.

Si tamen infans sine Baptismo esset moriturus, eo eventu, lege charitatis teneretur potiùs se permittere occidi; quia salutem proximi spiritualem, suæ corporali tenetur anteponere.

## DUBITATIO X.

*Utrùm ad conservationem vitæ matris liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura.*

60. Quidam doctores sentire videntur, licitum esse dare pharmacum ad faciendum abortum, si fœtus nondùm sit animatus, quando id necessarium putatur ad curationem matris periclitantis: secùs verò si sit animatus. Ita videtur sentire divus Antoninus, p. 3, tit. 7, cap. 2, § 2, ex Joanne de Neapoli. *Medici*, inquit, *dando medicinas prægnantibus ad procurandum abortum, et mortem ejus, ut occultetur peccatum, mortaliter peccant; sed si faciunt hoc ad præservandam prægnantem à periculo mortis, in quo est ex puerperio, tunc secundùm Joannem de Neapoli, in 10 quodlibeto, distinguendum est de puerperio: si enim erat animatum, dando talem medicinam, medicus peccat mortaliter, quia est causa mortis puerperii corporalis et spiritalis: si autem puerperium nondùm est animatum, posset et deberet tunc dare talem medicinam*, etc. Eadem verba refert Silvest., v. Medicus, quæst. 4, et Fumus v. Aborsus, num. 2. Eamdem sententiam tenet Henriquez, et noster Sanchius, lib. 9 de Matrim., disput. 20, num. 6 et 10. Ratio est, quia in hoc casu fœtus est aggressor: nam velutì invadit matrem, dùm ejus saluti periculum creat, sicuti pravi humores invadunt naturam; ergo simili ratione pelli potest, cùm nihil incommodi majoris momenti ex eâ re sequatur. Melius enim est depellere partum nondùm animatum, quàm extingui matrem. Secùs est cùm proles est animata, tunc enim esset directum homicidium innocentis. Confir., quia ob salutem totius licitum est abscindere partem, ut infrà dubit. 14, dicetur; atqui fœtus est pars ventris, priusquàm distincta anima informetur. L. 1, § 1, π. de ventre inspiciendo.

Etsi hanc sententiam non damnem, tamen contraria mihi videtur omninò vera, si de directâ intentione abigendi partûs loquamur. Unde,

61. Respondeo et dico primò: Non licet ei præbere pharmacum eo animo ut faciat prolis abortionem, sive ante, sive post animationem. Ita Covar. Clement. Si furiosus p. 2, § 3, num. 1, et cæteri doctores; est enim communis omnium sententia, ut inquit Petrus Navarr., l. 2, cap. 3, num. 140. Probatur: non licet post animationem, quia non potest directè occidere innocentem, ut alium serves; unde ei qui hoc fecerit constituitur pœna mortis. L. penul., c. de sicariis, et L. Divus, 4, π. de extraord. Crimin. Neque etiam antè; quia procurare aborsum propter sanitatem, est illicitum, sicut procurare pollutionem ob eumdem finem: utrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem. Confirmat Covarruvias ex Tertull. in Apol. c. 9: *Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dùm adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci; nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Homo est qui futurus est: nam fructus in semine est.* Item c. Si aliquis, 5, de Homicidio, dicitur, *eum qui fecerit ut mulier non possit concipere, vel generare, vel ut proles non possit nasci, ut homicidam tenendum.* Quia tamen verè non est homicida, non punitur morte, sed exilio, si est nobilis; ad metalla, si ignobilis, ut expressè habetur L. Si quis aliquid. 38, § Quia abortionis. π. de Pœnis.

Dices: Quid si certa sit mors utriusque, nisi adhibeatur tale pharmacum, et probabile sit matrem posse salvam conservari illo adhibito?

Resp.: Non refert; nunquàm enim licet ista directè procurare, ut patet in simili de pollutione, et de acceleratione mortis infirmi, quæ nullo casu procurari possunt. Imò est magis directè et propinquè contra naturam generationis, expellere fœtum, quàm procurare pollutionem; sicut fœtus, etsi nondùm animatus, longè propinquior est naturæ humanæ quàm semina nondùm commixta. Deinde in pollutione solùm expellitur semen rude unius generis, idque ex sede non ultimâ sed instrumentariâ; in abortu expellitur semen geminum, commixtum, elaboratum, idque ex sede primariâ et finali à naturâ ad hoc destinatâ.

Dices, pollutionem nullo casu esse licitam ob voluptatem conjunctam, quæ tanta est ut homines in eâ locarent summum suum bonum, si aliquo casu per-

mitteretur : ea autem voluptas non est in abortione ; ita quidam Doctores.

Sed contra : primò, quia sic non tam jure naturali, quàm positivo divino pollutio est prohibita, quod est contra communem doctorum sententiam ; illa enim causa prohibendi est omninò extrinseca et remota, et etiam locum haberet in actu conjugali. Secundò, quia pollutio non est prohibita propter voluptatem, sed voluptas illa est prohibita ob pollutionem, seu seminis inordinatam emissionem ; tum quòd naturâ suâ incitet ad spermatismum ; tum quia voluptas in ratione moris sequitur conditionem operationis ex quâ resultat.

Ad rationem contrariæ sententiæ. Etiam semen simili modo invadit quando abundantia vel retentio morbum creat ; et tamen directè pelli non potest, imò proles animata multò magis invadit quàm inanima, cùm sit robustior, et plus alimenti absumat, magisque naturam offendat ; ergo si hæc directè potest depelli, etiam illa. Ad confirm., concedo majorem ; sed nego fœtum propriè partem esse. Lex illa citata non loquitur de fœtu inanimo tantùm, sed etiam animato. *Partus, inquit, antequàm edatur, mulieris portio est vel viscerum.*

Quod ad auctores illos tres primo loco citatos attinet, verba illorum sunt obscura, et solùm videntur velle dicere, licere dare medicinam talem quæ abortum faciat, non quidem directâ intentione pellendi partûs, sed curandi morbi ; ut si necesse sit ad salutem matris movere menses, an detrahere sanguinem, licitum est hæc intendere, etsi certissimè inde sequatur aborsus. Si tamen partus est corruptus, tunc liceret directè abigere ob matris salutem, quia non habet ampliùs rationem fœtûs aut puerperii, sed molæ aut malignæ massæ.

62. Dico secundò : Si mater periculosè laboret, et non supersit aliud remedium, potest ei præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiamsi putetur inde abortio secutura, modò proles nondùm sit animata. Est communis sententia DD. Silvestri, v. Medicus, q. 4 ; Anton., 3 p., t. 7, c. 2, § 2 ; Navar., cap. 25, n. 62.

Probatur primò, quia mater ante prolem conceptam jus habebat utendi remediis necessariis ad vitæ suæ conservationem, quod jus superventu prolis non est ei ablatum.

Secundò, quia abortio tunc censetur solùm permissa, non procurata ; quia præter intentionem supervenit, matre suo jure utente : sicut si valetudinis causâ utendum sit medicamento, vel certo cibi potûsve genere, unde pollutio secutura putetur, quam nullo modo intendis, censebitur solùm permissa, et per accidens eveniens.

63. Dico tertiò : Si proles jam sit animata, non est licitum præbere matri medicamentum directè curativum, cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valdè probabile, prolem sine illo vivam edendam ; est contra Cordubam q. 38, dub. 2, et Ludovicum Lopez cap. 63. Sed nostram sententiam docent D. Anton., Navar. et alii supra. Ratio est, quia quilibet tenetur præferre salutem æternam proximi, suæ vitæ corporali, et hanc pro illâ exponere ; ergo si matre à medicamento abstinente, proles ad Baptismum servari potest, alioquin ante Baptismum moritura, tenetur mater abstinere, quamvis cum certo vitæ discrimine id futurum esset.

64. Adde tamen, si valdè probabile esset, non adhibito remedio utrumque moriturum, eo verò adhibito saltem matrem posse servari, eo casu licitè posse hæc remedia adhiberi.

Petes : Quando proles animatur animâ rationali ?

65. Resp. : Covarruvias supra putat mares animari die 40 à conceptu, feminas 80, et ita communiter sentire doctores. Sed nulla videtur ratio, cur tanta sit discrepantia inter marem ac feminam. Itaque verius est, utrumque fœtum animari simul atque fuerit formatus. Nam Exodi 21, juxta versionem Septuaginta dicitur : *Qui percusserit mulierem prægnantem, et illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro animâ : si nondùm erat formatus, mulctabitur pecuniâ.* Ubi apertè insinuatur fœtum habere animam, simul atque formatus fuerit. Idem docent Medici. Quoto autem die formatio absolvatur, docet Lævinus Lemnius cap. 11, citans Hippocratem lib. de Naturâ fœtûs, *maris formationem absolvi aliquando die* 30, *aliquando* 35, *aliquando* 40, *aliquando* 45, *feminæ verò, nunc* 35, *nunc* 40, *nunc* 45, *nunc* 50. Verùm Hippocrates id non docet : nam lib. de naturâ fœtûs num. 10, docet masculum, ut longissimè, 30 diebus formari ; feminam, ut longissimè, 42 diebus, idque duobus locis eodem libro repetit, et probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat diebus 30, post feminæ 42, ut diutissimè.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm liceat occidere furem, in defensionem suarum facultatum.*

Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, p. 3, § unico, n. 6, putat id esse licitum. Primò : Si sit fur nocturnus ; eò quòd præsumatur animo occidendi venisse. Secundò : Si sit fur diurnus, et telo se defendat, dùm possessor vult impedire ne rem auferat. Ratio est, quia in his duobus casibus miscetur periculum personæ cum periculo rei familiaris. Tertiò, non esse licitum, si cum re fugiat ; quia non miscetur periculum personæ.

Alii putant id absolutè esse licitum laicis, non tamen clericis.

66. Resp. et dico primò, laicis id esse licitum, si illæ facultates sunt magni momenti, nec sit probabilis spes aliter illas recuperandi : est communior sententia DD. Antonini 3 p., tit. 4, cap. 3, § 3 (ubi docet non solùm pro rebus suis quemque posse defensionem suscipere, vim vi repellendo, sicut pro suâ personâ : sed etiam pro rebus apud se depositis vel commodatis, et pro rebus amicorum, eos adjuvando), Cajetani q. 67, art. 7, Silvest. Homicidium 1, n. 5, Joannis Medinæ cod. de Restit. q. 4, Soti lib. 5, q. 1, art. 8, et multorum aliorum doctorum. Idem te-

nent plerique Jurisperiti, teste Silvestro et Covarr.

Probatur primò ex Scripturâ, Exodi 22, ubi dicitur *non fore reum sanguinis qui furem nocturnum occiderit, sed qui diurnum*, quod non ideò tantum dicitur, quòd nocturnus præsumatur venire ad occidendum, diurnus minimè, sed potissimùm ideò quòd ea quæ noctu surripiuntur, ordinariè non possint recuperari, fure ignoto, ut rectè docet Joannes Medina. Cod. de Restit. q. 4. Ea verò quæ interdiu, plerumque possunt. Hinc qui furem diurnum non se telo defendentem interficeret, non excusaretur ab homicidio in foro externo; in foro tamen conscientiæ excusaretur, si non erat probabilis spes recuperandi; vel si recuperatio non erat certa, sed dubia, ut Sotus ait: quia non tenetur res suas perdere, aut probabili periculo exponere, ut fur salvus sit.

Secundò probatur ex Jure Canonico. Primò, ex cap. *Interfecisti*, 2 de Homicidio, ubi ex pœnitentiali Romano dicitur: *Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti; si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, et eleemosynas fac largiter.* Ubi indicat non esse necessariam pœnitentiam, ac proinde hoc licitum fuisse; hortatur tamen ad eleemosynas, ad cautelam, ne fortè modum excesserit. Secundò, ex cap. *Olim* 1 de restitut. spoliatorum, ubi Innocentius III approbat quòd episcopus Tridonensis, Templarios, qui ipso ignorante possessionem occupaverant, vim vi repellendo ejecerit.

67. Tertiò, ex cap. Dilecto. 6, de sententiâ excom. in 6: *Cùm omnes leges, omniaque jura, vim vi repellere, cunctisque sese defendere permittant, licuit utique ipsi Decano (si prædictus Ballinus eum bonis suis mundanis injuriosè spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit) contra illius violentiam injuriamque se tueri.*

Tertiò probatur ex Jure civili L. Furem. 9, π. ad L. Cornel. de sicariis, et l. 4, π. ad L. Aquiliam.

Quartò, ratione: 1° Quia bona temporalia sunt ad vitam servandam necessaria: ergo sicut licet vitam tueri, ita etiam hæc quæ vitæ sunt necessaria, non solùm præcisè ut vivamus, sed etiam ut convenienter et honestè vivamus. 2° Quia alioqui daretur occasio furibus et latronibus viros probos spoliandi; nihil enim ab illis esset tutum, si defensio necessaria non posset objici; concessâ autem defensione, etiam concessa censetur occisio, sine quâ sæpè non potest esse defensio.

68. Dixi in propositione: *Si res illæ sint magni momenti;* quia pro re minimâ, non videtur concessum jus defensionis cum tanto alterius malo: est enim valdè iniquum ut pro pomo, vel etiam uno aureo servando, alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, nisi rem furi extorqueas, posses conari, et si opus esset, etiam occidere, juxta Sotum; tunc enim non tam rei quàm honoris esset defensio.

69. Dixi: *Nec sit probabilis spes aliter recuperandi*, quia si possit aliter recuperari (v. g. per judicem), sæpè erit saltem contra charitatem pro illius defensione occidere: ut si fur re ablatâ fugiat; quòd si non fugiat, sed vi se velit tueri contra eum qui nititur furtum impedire, poterit vicissim illa vis vi repelli, quantùm necesse est ut res salva sit (ut fatetur Covar. et alii); etiam si res per Judicem recuperari possit: quia non dictat charitas ut patiar res meas in meâ præsentiâ capi, utque tantæ furis improbitati non resistam. Ratio est quia hoc faciendo magnam contumeliam infert, quæ vi repelli potest. Confirmatur ex cap. *Olim*, supra, ubi Innocentius III docet licitum fuisse episcopo vi ejicere injustum occupatorem possessionis; et tamen facilè judicio potuisset recuperari. Idem docet Silvester verbo Bellum 2, num. 3, ubi dicit: *Quando res per viam judicii potest rehaberi, non licet eam defendere, nisi dum est in ipso rapi;* intellige, dum raptor adhuc præsens est, nitens alterum possessione naturali ipsius rei spoliare, etsi eum præsentem videat; hoc enim est magna contumelia.

70. Idem dicendum, quando in judicio non potest nisi magnis molestiis recuperari.

Petes an sit contra justitiam si furem procul fugientem conficias, quando res judicio est recuperabilis?

71. Respondeo verius videri non esse, ut docet Cajetanus art. 7, et colligitur ex dictis: quia quisque jus habet defendendæ suæ possessionis, etiam civilis; quam retines quamdiu furem habes in conspectu. Unde potes eam tueri: erit tamen contra charitatem, quæ postulat ut cum quàm minimo malo proximi rem tuam salves.

72. Dico secundò: Idem licitum clericis pro defensione rerum suarum; ita expressè D. Antoninus supra, ubi docet omnibus concessam esse defensionem rerum, quibus concessa defensio vitæ. Idem tenent reliqui supra, et colligitur evidenter ex cap. *Olim*, et cap. *Dilecto*, supra. Nam ibi conceditur episcopo et Decano. Ratio est, quia jure naturæ id illis est concessum, neque jure humano illis est prohibitum sub peccato: ergo, etc. Unde idem jus extenditur ad religiosos, secundùm prædictos doctores. Neque obstat cap. *Suscepimus*, de homicidio; quia illi duo fratres Benedictini non judicantur ibi peccâsse, et esse irregulares, quòd res suas moderatè defenderint; sed quòd occasionem dederint homicidio, latrones captos ligando, et cùm se solvere vellent, occidendo, cùm sine occisione se suaque salva habere possent.

73. Utrùm autem clericus vel laicus sit irregularis, qui ob defensionem rerum suarum occiderit, alibi dictum est. Nunc breviter dico laicum non esse. Idem probabile est de clerico, si id fecerit cum debito moderamine. Cur enim fiat irregularis ob id quod (ut habetur cap. *Dilecto* 6, de senten. excom. in 6) omnes leges et omnia jura ei permittunt? Confir.: Quia occisio, privatâ auctoritate facta, non inducit irregularitatem defectu lenitatis, sicut cùm fit publicâ auctoritate à judice ejusque ministris; sed ratione culpæ. Unde cùm absit culpa, non debet censeri irregularis. Vide Sotum l. 5, q. 1, a. 8, Covar. Clem. Si furiosus, 3. p. § ultimo. Idem postremò egregiè defendit noster Suares in præclaro opere suo de Censuris.

Sed difficultas est, quousque se extendat hæc defen-

sio; quare notandum est variis modis posse rem meam invadi.

Primò, si per te nitaris auferre, teque defendas contra impedientem. In hoc casu est communis sententia, posse interfici, et fatetur Covarr.

74. Secundò, si re acceptâ fugias. Tunc possum insequi, et ferire; vel si necesse sit, eminùs telo petere, ut si quis equo meo fugiat. Ita Sotus, sup., a. 8. Silvester v. Bellum, 2, n. 3 et 10, et alii passim.

Probatur primò, quia invasio rei durat, donec se in tutum receperit, ubi quietè possidere incipiat.

Secundò, quia nisi id esset licitum, defensio rerum maximâ ex parte esset inutilis; possent enim fures quidlibet rapere, et statim fugâ se proripere : in fugâ enim essent tuti.

75. Tertiò, si re certo loco depositâ, volentem ingredi in eum locum, vi impedias. Tunc videtur concessum ut vim vi repellam, meamque rem vi recuperem : si tamen desit judex, cujus ope id possum consequi, ita Silvester v. Bellum 2, n. 13 et Panormit. in cap. *Sicut*, 3 de Jurejurando. Idem sentiunt multi doctores fieri posse quando quis nullâ morâ interpositâ rem suam persequitur. D. Antoninus supra. Silvest. v. Bellum, 2, n. 10. Joannes à Lignano, cujus verba citantur ab Anton., Silvestro, Fumo et aliis, quibus docet : *Si vi possideas rem meam, posse me eam recuperare in continenti; nec posse te mihi resistere; secùs si id tentem ex intervallo. Si possideas precariò, et ego eam velim mihi restitui; si deneges restitutionem, posse me ex continenti vim tuam repellere. Nam denegando, videris spoliare. Si possides rem meam clandestinè, posse me domum tuam ingredi; quòd si me nolis admittere, posse me vim tuam repellere.* Verùm puto hæc non concedenda, si res per judicem possit recuperari, vel si major perturbatio metuenda.

Quartò, si invadas res meas per famulum, vel arte magicâ per dæmonem; nec aliâ ratione, quàm nece tuâ possit impediri.

Quintò, si conjuraveris in mea damna.

Sextò, si impedias iniquè meos creditores, ne mihi satisfaciant.

Septimò, si falsâ accusatione, vel falso testimonio, me fortunis coneris evertere; nec alia ratio impediendi suppetat.

Sed de his modis satis constat ex dubit. 8, et rursum aliquid dicetur dub. 12.

## DUBITATIO XII.

*Utrùm pro defensione pudicitiæ et honoris liceat occidere eum qui tentat violare.*

76. Respondeo, et dico primò : Licitum est mulieri, adolescenti, et cuivis alteri, pro defensione pudicitiæ occidere invasorem. Est communis sententia doctorum, quamvis D. Augustinus lib. 1 de libero Arbitrio, cap. 5, videatur dubitare. Ratio est quia pudicitia pluris meritò æstimatur, quàm multæ opes : præterquàm quòd in hâc re sit periculum peccati. Idem ethnici senserunt. Nam, ut scribit Cicero Oratione pro Milone, adolescens qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitûs imperatore absolutus fuit.

77. Dico secundò : Fas etiam est viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita docet expressè Sotus art. 8. Navarr. cap. 15, n. 3, et Silvest. verbo Homicidium, 1 q. 5, et Ludovicus Lopez, cap. 62. Antonius Gomez, t. 3, c. 3, n. 23; Julius Clarus, § Homicidium, n. 26, ubi dicit *periculum famæ æquiparari periculo vitæ*. Ratio est quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines æstimatur quàm damnum multarum pecuniarum; ergo si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam ne hanc ignominiam cogatur sustinere.

78. Notandum est variis modis honorem alterius posse impeti et auferri, in quibus videtur concessa defensio. Primò, si baculum vel alapam nitaris impingere, de quo jam dictum est. Secundò, si contumeliis afficias, sive per verba, sive per signa. Hìc etiam est jus defensionis. Nam, ex sententiâ omnium, licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit (quanquàm ipse armis non invadat), ait Petrus Navar. lib. 2, cap. 3, num 376. Etsi autem id non inveniam apud auctores expressum, tamen videtur ex illis posse colligi ( præciso scandalo, et aliis gravibus incommodis), quando contumeliæ sunt atroces, et aliâ ratione vitari nequeunt. Ratio enim naturalis dictat licitam esse eam defensionem quæ necessaria sit ad contumeliam depellendam et comprimendam : alioqui daretur licentia improbitati, optimos quosque contumeliis vexandi : quæ tamen multò quàm damna rei familiaris sunt acerbiores, magisque mordent animos. Cavenda tamen vindictæ libido. Non enim licet privatâ auctoritate contumeliam vindicare, sed tantùm compescere, quod etiam in vitæ et rerum defensione servandum : tanti interest quo animo quid agas. Verùm hæc sententia non est sequenda. Satis enim esse debet in repub., ut injuriæ verbales verbis repelli, et legitimâ vindictâ comprimi et castigari possint.

79. Tertiò, si illatâ alicui alapâ, cesses, vel etiam fugias, multi DD. censent in hoc casu, si vir nobilis vel honoratus hujusmodi injuriâ sit affectus, posse statim repercutere, vel fugientem insequi, et tantùm infligere verberum vel vulnerum, quantùm putatur necessarium ad honorem recuperandum; ita tenet Navar., c. 15. nu. 4; Henriquez, de Irregularitate, cap. 10, ubi citat multos pro hâc sententiâ; inter cæteros Jasonem, Cordubam, Mantium, Pennam, Clarum, Cajetanum, et Antoninum; eamdem docet Petrus Navar., lib. 2, cap. 3, num. 380, et citat pro hâc sententiâ Mercatum. Idem tenet Victoria, relect. de Jure belli, num. 5, ubi dicit *eum qui colaphum accepit, posse statim repercutere, etiam gladio; non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam et ignominiam, etiamsi invasor non esset ulteriùs progressurus.* Unde sequitur, si ille fugiat, posse læsum statim insequi et percutere; si enim potest repercutere manentem, cur non fugientem?

Probari potest hæc sententia. Primò, qui rem meam accepit, et cum eâ fugit, potest à me percuti, ut eam relinquat, vel redeat, si aliter nequit recuperari. Atqui is qui illatâ gravi ignominiâ fugit, honorem meum quodammodò secum defert : nam in potestate illius est eum mihi restituere, offerendo satisfactionem : ergo possum illum percutere, ut honorem meum restituat, vel saltem ut eum sic recuperem.

Dices : Est dispar ratio, nam res adhuc extat, et manet tua; sed contumeliâ illatâ, honor jam periit : ergo hìc non est defensio.

Respond. : In eo est paritas, quòd sicut res potest recuperari, ita etiam honor qui in signis excellentiæ et hominum æstimatione consistit. Secundò probatur, quia si damnum à te rebus meis illatum, non posset aliâ ratione sarciri quàm tuî percussione, posses statim percuti, ut illo modo fiat damni reparatio : ergo si violato honore, non potest fieri aliter reparatio, quàm si feriatur is qui eum læsit, poterit feriri; debet autem hoc fieri in continenti, dum adhuc læsio honoris veluti pendet, suspensis hominum de tuâ fortitudine et generositate judiciis.

Tertiò, quia aliàs dabitur licentia improbis, quodvis genus contumeliæ in quemvis ingerendi : nam solâ fugâ vel cessatione tuti erunt, præsertim quando desunt testes, qui eos nôrint, vel quando non morantur in eodem loco.

Hìc tamen adverte, si læsor veniam petat, offendi non posse; quia quantùm in se est, honorem restituit; unde si alter velit ipsum impetere, poterit se tueri, ut rectè notat Petrus Navarra.

80. Ob has rationes, hæc sententia est speculativè probabilis; tamen in praxi non videtur facilè permittenda. Primò, ob periculum odii, vindictæ et excessûs : si enim D. Augustinus ob has causas ægrè admittit, ut quis pro vitâ tuendâ alterum possit occidere, quantò minùs in tali casu, ob honorem tuendum concederet? Secundò, ob periculum pugnarum et cædium; unde qui tali casu occideret, puniretur in foro externo, ut docet Gomez, supra, num. 24, etsi mitiùs, tum quia alter dedit causam, tum quia homo intenso dolore permotus, non est omninò sui compos.

81. Quartus modus est, si nomini meo falsis criminationibus apud principem, judicem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec ullâ ratione possim illud damnum famæ avertere, nisi te occultè interficiam. Petrus Navar., n. 375, inclinat, licitum esse talem è medio tollere. Eamdem tanquàm probabiliorem defendit Bannes, q. 64, ar. 7, dub. 4, addens idem dicendum, etiamsi crimen sit verum; si tamen est occultum, ita ut secundùm justitiam legalem non possis pandere; idem tenent quidam alii recentiores. Probari potest :

Primò, quia si baculo vel alapâ impactâ velis meum honorem vel famam violare, possum armis prohibere : ergo etiam, si id coneris linguâ. Nam parùm videtur referre, quo instrumento quis nitatur inferre noxam, si æquè efficaciter nocebit.

Secundò, quia contumeliæ possunt armis impediri; ergo etiam detractiones.

Tertiò, *periculum famæ æquiparatur periculo vitæ*; quod est commune pronuntiatum jurisperitorum, inquit Clarus, num. 26; atqui ob periculum vitæ evadendum, licitum occidere; ergo, etc.

Quartò, quia jus defensionis videtur se extendere ad omne id quod necessarium est, ut te ab omni injuriâ serves immunem; monendus tamen detractor priùs esset, ut desisteret.

82. Verùm hæc quoque sententia mihi in praxi non probatur, quia multis occultis cædibus cum magnâ reip. perturbatione præberet occasionem. In jure enim defensionis semper considerandum, ne ejus usus in perniciem reipub. vergat : tunc enim non est permittendus. Accedit, quòd etsi speculative vera esset, tamen vix in praxi posset habere locum. Nam infamia vel est illata, vel non est. Si est illata, non extinguetur per mortem infamantis. Si non est illata, plerùmque non satis constat, aliter non posse eam impediri : ac proinde non poterimus eo modo defensionis uti.

83. Quintus modus est, si aliquâ occasione me provoces ad duellum, et nisi acceptem, censebor ignavus et meticulosus; nec potero ampliùs in aulâ comparere, vel ullam promotionem militarem sperare, ut in quibusdam aulis principum dicitur usitatum. Cur enim tali eventu non possim duellum acceptare : non equidem animo illum interficiendi, sed comparendi in loco condicto, ne famam et opinionem strenuitatis (quæ nobilibus æquè est chara atque ipsa vita) amittam? ita tamen ut si me invaseris, statuam me tueri cum debito moderamine. Confirmatur primò, quia si quis mihi velit adimere vitam vel bona, nec possim aliter ea tueri nisi acceptando duellum, possem acceptare, ut patet dub. 8; cur non etiam ut servem meum honorem et famam?

Dices, recusare duellum non est dedecus apud sapientes, sed tantùm apud stultos : ergo, etc. Respondetur : Quidquid sit, est tantum dedecus, ut passim apud nobiles pluris æstimetur quàm omnium bonorum amissio, imò sæpè quàm mors ipsa : ergo jure naturæ possunt hoc dedecus à se depellere, etiam cum vitæ periculo.

Confirmatur secundò, quia acceptare duellum, et comparere tali loco, non est intrinsecè malum, sed quiddam adiaphorum, quod benè et malè fieri potest : ergo si justa causa subsit, poterit licitè fieri; at conservatio honoris, qui tanti æstimatur, est justa causa : ergo, etc.

84. Hæ rationes videri possint alicui probabiles. Nihilominùs in praxi contrarium sequendum sentio, tum ob alias causas, tum etiam quia Ecclesia sub gravissimis pœnis vetuit duella, ut patet ex conc. Tridentino, sess. 25, cap. 19, de reformat., quod meritò potuit, ob maxima mala quæ alioquin sequerentur; tum denique quia is qui duellum offert, non nititur me spoliare meo honore : sed si honoris amissio sequi videtur, id solùm est per accidens et ex consequenti, aliâque ratione impediri potest : primò, si dicat se

paratum fore, si per Ecclesiæ decreta liceret; secundò, provocantem experturum, quicum negotium habeat, si palàm et non proditoriè aggressus fuerit.

85. Dico tertiò : Qui fuste vel pugno invaditur, non tenetur fugere, si fuga illi esset ignominiosa, sed potest sistere gradum, cum animo se defendendi, et ignominiam impediendi : ita communiter DD. Ratio est, quia non tenetur sustinere illam ignominiam (quæ pluris æstimatur quàm multæ pecuniæ jactura), ne lædat invasorem. Idem dicendum, quando vita vel fortunæ invaduntur. Quòd si fuga non sit illi ignominiosa, tenetur fugere, vel alapam sustinere, (saltem lege charitatis), ut tantum malum evitetur. Unde ecclesiastico vel religioso non liceret se tueri cum morte alterius, ad alapam vitandam ; maximè quando fugere posset, quia fuga illis non est ignominiæ.

86. Utrùm verò si religiosus nolit fugere, sed se tueri, peccet contra justitiam, lædendo vel occidendo invasorem quæri potest. Puto non peccare contra justitiam, maximè si vita vel fortunæ invadantur; non enim ex justitiâ tenetur fugere, et hæc bona talia sunt, ut possit ea defendere. Idem dicendum, si graves ictus baculi vel pugni inferendi, quia ut hos avertat, potest se tueri. Ita Julius Clarus, de homicidio, nu. 32, ubi generatim docet invasum non teneri fugere, etiamsi possit, sive fuga sit dedecori, sive non, dicitque esse communem opinionem jurisperitorum; quod intellige, non ita teneri, ut peccet contra justitiam, si se defendat; videtur tamen peccare contra justitiam, si ob levem alapam vitandam occidat : quia res quam defendit magni momenti non censetur : ac proinde non videtur ei esse jus, causâ illius retinendæ, tantum malum irrogandi.

## DUBITATIO XIII

*Utrùm pro defensione alterius liceat occidere invasorem, et an ad hoc teneamur.*

87. Dico primò, posse nos vitam proximi, quæ ab alio privatà auctoritate impetitur, tueri, etiam cum interfectione invasoris, si aliter defendi nequit. Est communis DD., ut docet Clarus, § Homicidium, nu. 27 et 28. Probatur primò, quia sicut quisque potest tueri vitam suam, ita etiam proximi, qui charitatis et naturæ nexu ipsi est conjunctus. Secundò, quia talis censetur innocens, etsi fortè invasioni causam dederit; nam injustè invaditur : atqui licitum est defendere causam innocentis, imò charitas ad hoc obligat, quando sine gravi incommodo nostro vel alterius id fieri potest.

88. Idque verum est, etiamsi ille nollet defendi, sed vellet se pati occidi : quia cùm non sit dominus suæ vitæ, non potest eam alteri donare; ac proinde non potest aliis jus defensionis adimere.

Idem dicendum de pudicitiâ, honore et fortunis proximi, si sit sanguine junctus, vel opem nostram flagitet; ut docet D. Antonius, 3 p., tit. 4, c. 5, § 2, et alii passim. Injuria enim, quæ fit personæ nobis conjunctæ, in nos redundat. Unde pater potest tueri pudicitiam honoremque filiæ, et maritus uxoris, etiamsi ipsæ nolint; et occidere invasorem, quia injuria in ipsum redundat.

89. Dices : Ergo maritus etiam uxorem volentem adulterari poterit occidere, si aliter tantam injuriam prohibere nequit. Respondeo negando consequentiam : dùm enim occidit invasorem pudicitiæ uxoris, defendit rem suam, nempe corpus uxoris, ut illud sibi salvum conservet : occidendo autem uxorem, non defendit rem suam, sed eam interimit.

Dices : defendit honorem; uxor enim marito magnam facit contumeliam, si in ejus conspectu tantum nefas tentare audeat.

Resp. id minore damno prohiberi posse, feriendo illam pugno vel baculo, vel ipsum adulterum armis abigendo.

90. Dico secundò : Nemo tamen tenetur tueri vitam hominis privati, cum probabili periculo vitæ suæ, etsi jure possit, si velit. Ratio est quia non teneor exponere vitam meam pro vitâ corporali proximi : possum enim vitam meam diligere præ vitâ cujusvis alterius privati. Unde neque pro defensione parentis, quamvis id esset valdè laudabile. Secùs est, si persona principis, unde pendet boni publici conservatio, periclitetur.

Dices : Quid si ex officio teneatur defendere, ut prætor, magistratus, princeps? Silvester, Homicidium 1, q. 6, indicat, tunc cum periculo vitæ teneri.

91. Sed contrarium est verius; non enim officium obligat, ut pro homine privato vitam exponat, sed tantùm ut pro bono publico, cujus propriè et directè est custos; unde cum periculo vitæ tenetur hostes reipub. et latrones è medio tollere; non autem causam privati cum eodem discrimine persequi.

92. Dico tertiò : Privatus non tenetur tueri vitam alterius privati, quando non potest sine occisione invasoris. Ratio est quia ubi mala sunt paria, nemo tenetur alterum inferre, ut excludat alterum, præsertim cùm id fieri nequeat, nisi horrendo illo modo occisionis proximi. Unde etiam nemo tenetur tueri vitam suam per mortem alterius. Adde, si invasor sit parens tuus, non potes illum occidere, ut defendas alterum : id enim repugnat pietati filiorum in parentes; idem, et potiori ratione, si princeps; præsertim si aliàs in gubernatione reipub. benè se gerat. Sed difficultas est an teneamur vitam proximi tueri vel liberare cum jacturâ facultatum, et quousque. Quâ de re dictum est q. 32, a. 5, dub. 1 de Eleemosynâ.

93. Dico quartò : Qui non defendit vitam vel fortunas proximi, dùm commodè potest, peccat quidem mortiferè contra charitatem; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex justitiâ teneatur defendere. Prior pars per se patet. Altera probatur, quia peccata quæ solùm sunt contra charitatem non obligant ad restitutionem. Tertia probatur, quia qui lege justitiæ tenetur, si omittat, peccat contra justitiam, et consequenter tenetur ad damnum ex omissione illà secutum. Sicut enim dùm quis commissione peccat contra justitiam, tenetur ad damnum ex commissione illà secutum, ita etiam dùm omissione, tenetur ad damnum secutum ex omissione.

94. Petes, quinam tenentur lege justitiæ alios defendere? Navarrus, cap. 24, num. 18, putat omnes superiores ad hoc teneri erga inferiores, et inferiores erga superiores. Sed verius est ad hoc obligari, primò, omnes superiores publicâ auctoritate ad aliorum gubernationem præditos, idque juxta modum et finem gubernationis cujusque; ut sunt principes, prætores, magistratus : item episcopi et parochi; nam et hi quoque ex officio ad hoc obligantur secundùm modum suæ potestatis, et media suæ gubernationis; sed in ordine duntaxat ad spiritalia, v. g., ne subditi doctrinâ pravâ inficiantur, ne sacramenta eis denegentur. Secundò, qui ad hoc potestate magistratuum vel principum sunt constituti, ut tutores et curatores. Tertiò, qui ad hoc specialiter conducti, ut milites. Quartò, qui ad hoc se explicitè vel implicitè obligârunt, ut feudatarii et omnes famuli. Alii non videntur obligari ex justitiâ. Nam parens non tenetur defendere vitam et fortunas filiorum lege justitiæ, sed pietatis et officii paterni. Similiter filii non tenentur parentum vitam defendere lege justitiæ, sed pietatis filialis. Unde si non faciunt, peccant contra præceptum : *Honora patrem.*

95. Pari ratione, parochiani non tenentur episcopum et parochum lege justitiæ defendere (quia hoc officium non susceperunt), sed lege observantiæ. Et subditi, qui neque sunt feudatarii, neque stipendiarii, non tenentur magistratum vel principem defendere lege justitiæ particularis, sed legalis, et etiam observantiæ, quamvis princeps et magistratus eos ex justitiâ defendere teneantur.

## DUBITATIO XIV.

*Utrùm aliquandò licitum sit se mutilare, et quibus eventis.*

*D. Thomas, quæst.* 65, *art.* 1.

96. Suppono primò potestati publicæ licitum esse mutilare malefactores, sicut et occidere.

Secundò, licitum esse se mutilare, quando id necessarium est ad corporis salutem, ut si cancer membrum occupet, si vipera vel aspis momordit, nec aliud remedium præstò sit. Ratio est, quia membra sunt ob bonum totius : ergo quando aliquod membrum est toti corpori perniciosum, jus naturæ dictat posse secari.

Ubi adverte hominem teneri permittere sibi membrum secari, si medici id judicent necessarium, nec magni dolores sint perferendi, ut docet Sotus, lib. 5, q. 2, art. 1. Ratio est quia tenetur vitæ suæ periclitanti, mediis ordinariis non admodùm difficilibus opitulari; si tamen ingentes essent cruciatus tolerandi, non tenetur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi. Ratio est quia non tenetur quisquam cum tanto cruciatu vitam incerto eventu conservare. Unde Marius, cùm ei crus aperiretur, ait : *Non est tanto dolore digna salus.* Excipio tamen duos casus : primò, quandò vita alicujus censetur bono communi necessaria : tunc enim ob bonum publicum tenetur, et posset cogi à republicâ.

97. Secundò, si esset religiosus, qui se totum constituit in potestate sui superioris, quamvis de hoc dubitari possit, quia non videtur superior rem tam heroicam inferiori imperare posse. Ita docet Salonius in hunc articulum, et hoc videtur probabilius; nisi fortè ille religiosus esset necessarius reipub. vel communitati, et salus esset omninò certa (quod rarum est) et dolores non nimis diuturni.

Difficultas superest de duobus casibus : prior est, utrùm ob animæ salutem, v. g., ad carnis tentationes vitandas aut superandas, liceat se mutilare : alter est, utrùm jubente tyranno possis tibi manum abscindere, si alioquin mox esses interficiendus.

98. Ad priorem respondeo id nunquàm licere, ut patet can. 22 Apostolorum, et can. 1 concilii Nicæni, ubi id expressè cavetur. Ratio est quia id nunquàm est medium necessarium ad animæ salutem; non enim membra adferunt homini perniciem (alioquin Deus pravè naturam instituisset), sed malitia et negligentia liberæ voluntatis. Unde qui ob hanc causam membrum aliquod secant, tacitam quamdam injuriam et blasphemiam Deo irrogant. Adde, neque etiam esse conveniens remedium vel utile, quia abscissio seu castratio (de quâ præcipuè est quæstio) non tollit tentationes carnis, sed solùm impedit generationem; quin potiùs illi qui castrantur, præsertim in virili ætate, magis incitantur libidine, ut docent Patres : Basilius, libro de Virginitate, circa finem, ubi id probat rationibus et exemplis : et Chrysostomus homil. 63 in Matthæum, et Augustinus libro 6 contra Julianum, cap. 5. Unde passim reprehenditur Origenes, de quo vide Euseb. lib. 6 hist., c. 6, et fusè apud Baronium, tom. 2 Annalium, ad annum Domini 208.

99. Dices : D. Marcus dicitur sibi pollicem præscidisse ex humilitate, ne cogeretur sacris initiari : ergo ob similem casum licebit. Respond. hunc non fuisse Marcum Evangelistam, ut rectè docet Baronius, tom. 1, ad annum 45, sed alium quemdam Marcum anachoretam, qui nisi divinâ inspiratione id fecerit, vel ignorantiâ probabili excusetur, laudandus in eo non est. Tali inspiratione putatur fecisse adolescens ille, qui linguam mordicus sibi præscidit, et in faciem meretricis, ut se ab ejus impuro contactu tueretur (cùm aliter non posset), expuit; de quo Hieronymus in Vitâ Pauli, in principio, quamvis etiam sine peculiari inspiratione eam cruentare, vel exiguâ particulâ ob hunc finem mutilare potuerit, cùm alia ratio defendendi non suppeteret.

100. Sic miles in extremâ necessitate posset sibi dentes excutere, iisque loco plumbeæ glandis uti; quod aliquando factum à Lusitanis, in historiis Indicis legimus.

De secundo casu, Sotus supra dicit, quando necessitas abscindendi membri venit ab intrinseco, ut à morbo, vel saltem quando id per se est necessarium ad salutem corporis (ut si esses manu alligatus intra ædes, accedente incendio vel hoste), posse te manum tuam præscindere : quia id per se est necessarium ut vita sit salva : non autem, quando provenit ex alterius imperio.

101. Sed probabilius et verius videtur, etiam tunc

licere, ut quando tyrannus vel judex hoc imperaret. Sicut Josephus Clitoni auctori rebellionis cujusdam imperavit, ut mox sibi manum abscinderet, ut refert ipse Josephus, lib. 2 de bello Judaico, cap. ult.; ita Toletus, lib. 5, cap. 6, etsi hoc factum non benè narret, memoriâ fallente.

Probatur primò, quia pars naturaliter est propter totum : ergo ad conservationem totius, licitum est auctoritatem habenti, partem è medio tollere : atqui quisque habet hanc auctoritatem respectu suorum membrorum, quia est gubernator et custos eorum, potestque de illis disponere ut expedit saluti totius : ergo, etc.

Secundò, ideò nullo casu licitum est privatâ auctoritate se interficere, quòd occisio sui nunquàm possit esse medium necessarium ad salvandum aliquid in ipso homine præstantius vitâ : atqui in homine est aliquid præstantius membro, propter quod ipsum membrum est, et ad quod conservandum aliquando est necessarium amputare membrum : ergo est licitum. Nec refert illam necessitatem provenire ab intrinseco; quia necessitas est in ipso homine, sive proveniat à naturâ, sive ab ipso tyranno; itaque licet peccet is qui hanc necessitatem imponit, non tamen peccat qui tantâ necessitate pressus, eo medio ad finem suum naturalem utitur. Nec obstat quòd respub. non possit jubente tyranno et excidium minante occidere innocentem, quia iste est suppositum per se consistens et sui juris, non habens essentialem ordinem aut dependentiam à repub., sicut membrum naturale à corpore. Unde respub. non habet eam auctoritatem in suos cives, quam homo in membra vitæ suæ non necessaria. Confirm., quia hæc membra non sunt absolutè necessaria corpori, sed solùm ad ornatum et commoditatem : ergo potest hæc perdere propter salutem totius; sicut et alia omnia quæ non sunt omninò necessaria ad vitam, possumus propter vitam prodigere, quando aliter salva esse nequit. Et sanè valdè mirum videtur, hominem non posse sibi præscindere digitum, vel auriculam, vel nasum, ut mortem evadat à tyranno intentatam, cùm hæc omnia sint propter commoditatem totius, et salus totius possit sine his consistere. Quare non solùm jubente tyranno puto hæc posse abscindi et perdi, sed etiam absque præcepto, quando sic putaretur flectendus ad misericordiam.

Dices : Ideò licitum est abscindere membrum alligatum, quia vim infert toti; vim autem vi repellere licet, atqui hæc ratio non habet locum jubente tyranno. Non enim tunc membrum, sed tyrannus vim infert, unde ipse, non membrum perimi potest. Confirm., quia non sumus domini membrorum nostrorum, sed custodes; ergo non possumus de illis pro arbitrio tyranni disponere.

Respond.: Non illa sola est ratio, sed etiam quia possumus disponere de membris non necessariis ob salutem totius, quando aliter salvum esse non potest, ut dictum est. Deinde non propriè vim infert membrum alligatum, sed vinculum, vel potiùs ipse alligans: alioquin si homo medio corpore alligatus esset, sibi ipse vim inferret; ac proinde seipsum posset interimere, si cum ingenti cruciatu vinctus esset; sicut si alius me cum ingenti cruciatu vinciret, possem illum perimere, etiamsi ego simul periturus essem. Ad confirm., inde rectè sequitur non posse nos pro nostro vel tyranni nudo arbitrio de partibus corporis nostri disponere; verùm quando id ad gravissimum malum avertendum est necessarium, non fit pro nudo nostro arbitrio; neque ad id necessarium est dominium. Sic possum mihi infligere vulnus, et detrahere adipem, si id necessarium sit ad aliud vulnus unde alioqui mors impendet, curandum. Imò valdè probabile est, ob salutem reipub. posse me mihi præscindere nares, aures et labia, sicut fecit Zopyrus, de quo Herodotus, lib. 4. Etsi enim non simus horum domini, ita ut pro arbitrio possimus de his disponere, tamen nulla apparet ratio cur ob causam tanti momenti non possimus ea perdere, cùm ad vitam non sint necessaria, sed solùm ad ornatum et commoditatem. Sic Propheta jussit se vulnerari, 3 Reg., 20, quod sanè Dominus ei non præcepisset, si esset ita intrinsecè malum, ut auctores alterius sententiæ imaginantur. Sic etiam quædam sanctæ virgines sibi nares præsciderunt, ut evaderent petulentiam tyranni. Nec refert, si dicas hæc membra esse minoris momenti, quia neque horum sumus domini, sed solùm custodes et rectores, et ita idem fundamentum in his locum habet; quòd si hæc minoris momenti possimus perdere ob minores causas, poterimus manum totam perdere propter causam maximam, nimirùm ad vitam servandam.

Dices : Etiamsi id possit fieri ob gravem causam, non tamen tali modo, nimirùm ad imperium tyranni. Sed nulla est ratio cur non possit fieri cogente tyranno, et minante mortem odio privato, vel ob causam politicam. Secùs autem si ob causam religionis, verbi gratiâ, quia absolvisti pœnitentem, quia fecisti sacrum; tunc enim præscindendo tibi manum ad imperium tyranni, videreris punire et improbare factum tuum veluti pœnâ dignum; quod redundaret in injuriam religionis.

## DUBITATIO XV.

*Quando homicidium casuale sit peccatum et quando non.*

(*D. Thomas, quæst.* 64, *art.* 8.)

102. Respondeo et dico primò : Homicidium quod omninò casu sit, non est peccatum; unde nec propriè *homicidium* vocatur, sed occisio simplex; dicitur autem casu fieri, quod nec in se, nec in causâ suâ est voluntarium.

Tale est primò, quando causa non erat efficax, ita ut ex eâ non soleat ut plurimùm talis effectus sequi; sed aliunde, nempe ex eo quòd per accidens conjungitur : ut si alicui inflixisti vulnus non lethale, sed mors secuta est vel malitiâ medici, qui noxia apposuit, vel negligentiâ ejusdem, vel temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluit. Hæc occisio censebitur tibi fortuita; unde non eris reus homicidii, nec teneberis ad restitutionem ut homicida, sed solùm ut

vulnerans; ut rectè Sotus, libr. 5, q. 1, art. 9, et Antonius Gomez, tom. 3, c. 3, n. 25; estque communis sententia jurisperitorum, ex L. Qui occidit 30, § finali, π. ad L. Aquiliam. Et probari potest ex cap. Significàsti, 2 de Homicidio, ubi Innocentius III dicit : *Si percussio medicorum judicio lethalis non fuit, percussor post pœnitentiam, ad cautelam injustam, poterit in officio sacerdotali ministrare;* apertè indicans non esse irregularem. Ratio est, quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen reverà non est causa mortis, sed negligentia medici, vel ipsius læsi : tenebatur enim uterque diligentiam adhibere.

103. Unde illi qui neglexit imputandus effectus. Secùs tamen, si eo loco non erant qui possent vulnus curare, et læsus debitam diligentiam præstitit : tali enim tempore et loco vulnus censeretur lethale.

Secundò, si dans operam rei licitæ, vel illicitæ, adhibuisti sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur : tunc enim etiamsi fortè secuta fuerit mors alicujus, non tibi imputabitur; quia nec in se, nec in causâ erit volita. Nec obstat, quòd causa fuerit periculosa, ac proinde videatur mors volita in causâ, quia diligentia abstersit periculum. Ita sentiunt passim recentiores, qui etiam volunt tunc non incurri irregularitatem. Si enim nulla est hìc culpa occisionis, cur sit irregularitas? Nam hæc, cùm in pœnam statuta est ( ut in præsenti casu), sine culpâ non contrahitur. Sed quidquid sit de irregularitate (de quâ alibi), certum videtur hìc nullam esse culpam homicidii, vel obligationem restitutionis : eò quòd mors sit verè fortuita, ut docet Cajet., art. 8, quod declaratur exemplis :

104.— 1. Clericus dans operam venationi cum armis ( quod ipsi est vetitum ), casu hominem interficit : nempe quia crepuit fistula, vel hominem ferinâ pelle tectum putavit feram; etsi enim sic venando, peccet contra dignitatem statûs ecclesiastici, et consequenter contra virtutem religionis, nullo tamen modo peccato injustitiæ, vel homicidii.

105. 2.—Clericus peritus chirurgiæ incidit strumam vel apostema ex artis præscripto; monet ægrum, ne se vento committat. Ille, neglectis monitis, confert se ad messem, corripitur febri, moritur. Hæc mors non potest clerico imputari, ( quamvis operam rei illicitæ dederit ) sicut nec laico, si laicus chirurgus incisionem fecisset. Habetur iste casus cap. Tua nos, 19 de Homicidio, ubi etiam satis significatur non esse irregularem, si id causâ pietatis fecit, et sufficientem diligentiam adhibuit; quâ de re vide plura apud Medin., 1-2, q. 73, art. 8.

3. Accedit quis ad uxorem alterius, intervenit maritus, invadit adulterum; adulter se debito moderamine defendens, maritum interficit : non est reus homicidii, sed occisio illa censetur fortuita.

106. Ratio est, quia neque est culpabilis in causâ. Nam adulterium est causa remota, et occasio duntaxat; non enim est via ad occisionem mariti, sed potiùs adulteri; rariùs enim mors mariti ex eo sequi solet. Neque etiam est culpabilis in defensione; quia positus in illis angustiis poterat se defendere ( non enim tenebatur se pati interfici), cum debito moderamine; unde etiam non contrahit irregularitatem, juxta probabilem multorum sententiam; quam tenet Petrus Navar. lib. 2, c. 3, n. 362, ubi pro eâdem adducit Mercatum et Silvest. Idem tenet Medina suprà. Idem dicendum quando aliquis alterum convicio incitavit ad se invadendum; convicium enim non est via ad occisionem læsi, sed conviciatoris potiùs. Contrarium docet Navar. cap. 15, n. 7; citat pro se Antoninum; sed hic nihil tale ibidem docet; et Cajetanum q. 64, art. 8; sed Cajetan. loquitur de eo qui dat operam rei illicitæ, quæ naturâ suâ ad occisionem tendit. Nec obstant c. Dilectus, 13, c. Ex litteris. 15, et c. Joannes, 23 de Homicidio; quibus insinuatur dantem operam rei illicitæ esse irregularem, si inde sequatur mors; quia id intelligendum de re illicitâ quæ ideò illicita est, quia periculosa ex se; eò quòd plerùmque ex eâ mors sequatur; ut auctores citati docent, et optimè Bannes, q. 74, art. 8.

107. Adverte tamen, si suspicabatur talia incommoda ex adulterio secutura, tenebatur ex charitate abstinere. Unde volendo adulterium committere, peccat, non solùm peccato adulterii, sed etiam contra charitatem proximi, quatenùs per adulterium constituit se in necessitate damni proximo inferendi; adulterium enim tunc non solùm habet rationem adulterii, sed etiam periculi alterius, quamvis indirectè et per accidens, ratione invasionis alterius. Quando tamen constitutus est in tali periculo, non peccat, etiamsi se defendendo occidat alterum, quia jus habet se tuendi. Idem dicendum, si imminente marito poterat fugere : tenebatur enim ex charitate, si videbat inde marito periculum, unde non fugiendo peccat contra charitatem proximi : non tamen peccat, si postquàm non potest ampliùs fugere, se defendendo occidat invasorem; occisio enim illa non est peccatum ( quia non censetur voluntaria), sed effectus per accidens secutus ex peccato. Simile est in eo qui post votum castitatis contrahit matrimonium; peccat enim contrahendo, quia exponit se periculo faciendi contra votum per debiti redditionem : cùm tamen post contractum petitur debitum, non peccat reddendo, quia negare non potest; si tamen commodè posset avertere petitionem, peccaret reddendo.

108. Dico secundò : Si occisio non omninò casu fiat, eò quòd in opere periculoso non sit præstita cautio necessaria, erit peccatum injustitiæ et homicidii, mortale vel veniale, pro ratione negligentiæ; ita Cajetan., a. 8, et alii probatur; quia erit voluntarium in causâ, nempe in omissione cautionis, et diligentiæ debitæ, sicut submersio navis est voluntaria in negligentiâ gubernationis; unde non censebitur omninò casualis.

109. Quòd tamen non sit majus peccatum, quàm illa negligentia, probatur, quia non est voluntaria, nisi ratione illius negligentiæ : unde non potest nisi ratione illius, imputari ad culpam. Si ergo negligentia sit

gravis, erit culpa mortalis; si levis, erit venialis; si nulla, culpa quoque erit nulla.

## DUBITATIO XVI.

*Utrùm mors, vel aliud damnum alicui tertio ex tuo maleficio obveniens, tibi imputetur.*

Exemplum sit : occidisti occultè Petrum; imponitur homicidium Paulo, qui cum Petro exercebat simultates; capitur Paulus, afficitur supplicio.

110. Respond., et dico primò : Si nec eâ intentione occidisti Petrum, ut Paulo inde damnum eveniret, nec advertisti eventurum, non censeris causa mortis vel damni Paulo, unde nec teneris ad restitutionem.

Probatur primò, quia hoc damnum Paulo merè per accidens evenit ex actu tuo (non enim occisio Petri erat directa via ad nocendum Paulo); per se autem et directè provenit ex malitiâ accusatoris, vel testium : ergo non potest tibi imputari.

Secundò, quia tale damnum non provenit ut plurimùm tertio ex hujusmodi actione, sed rarò; ergo non tenebaris advertere illud secuturum; ergo si non advertisti, non teneris ad restitutionem, quia nihil omisisti considerare vel cavere in tuâ actione, quod ratione tertii considerare vel cavere tenebaris.

Tertiò, illud damnum nec in se nec in causâ est volitum : ergo censetur fortuitum. Consequentia patet ex dub. superiore. Antecedens probatur : non in se volitum est, quia ignoratur eventurum, nec de eo cogitatur : non in causâ, quia effectus non censetur volitus in causâ, nisi probabiliter in eâ proveniat; qui enim rarò provenit, non censetur magis in illâ causâ contineri quàm non contineri; sed potiùs minùs.

111. Sed quid si advertas damnum secuturum tertio? Multi doctores videntur sentire tunc committi peccatum injustitiæ respectu tertii.

Resp., et dico secundò probabilius videri, etiamsi putes inde damnum tertio obventurum, te nec peccare peccato injustitiæ in tertium; ac proinde non teneri ad restitutionem; colligitur ex dictis dubit. 15; ità docet Sotus, lib. 4, q. 6, art. 3, ad quartum argumentum; Lopez, tom. 1, c. 63, et multi alii. Probatur quia quando ex aliquâ actione sequitur damnum tertio, non ex naturâ actionis, vel ut plurimùm, sed ex malitiâ vel ignorantiâ aliorum, quæ se immiscet; non censetur illa actio injuriosa tertio, ut patet ex supradictis; atqui hæc occisio Petri est talis : ergo non censetur injuriosa Paulo.

Dices : Qui advertit ex opere suo secuturum damnum alteri, tenetur debitam cautionem adhibere, ne sequatur : omnis enim prudens hoc faceret; atqui iste non adhibuit debitam cautionem : ergo omissione istius censetur causa damni.

112. Resp. : Quando damnum sequitur ex opere, non naturâ operis, sed per accidens, non tenetur ex justitiâ cavere ne sequatur, sed solùm ex charitate (unde quando habet gravem causam aliquid faciendi, ne ex charitate quidem tenetur); itaque omittendo cautionem, et non impediendo damnum, non peccat contra justitiam, sed solùm contra charitatem, quæ non obligat ad restitutionem.

Confirmatur aliquot exemplis : primum, si fureris Petri thesaurum, unde putes illum dolore moriturum, non censeris homicida, nec es irregularis, quia hoc damnum non ex illo furto directè, sed ex animi voluntario affectu secutum; poterat enim et tenebatur dolorem mitigare; si non fecit, sibi mortem suam imputet : secundum, vendis arma militi, quibus malè usurum putas; non tamen ideò censeris auctor illorum malorum : quamvis pecces contra charitatem, si ipse alioqui illa mala non fuisset facturus. Vendis Judæo agnum, quem putas sacrificaturum; non tamen es causa sacrilegi sacrificii.

113. Sed quid si intendas, ut tertio damnum sic eveniat? ut si cùm vendis arma militi, optes in animo occidi inimicum tuum, et eâ intentione vendas. Quidam putant te tunc teneri. Ita Sotus suprà et Cordub., lib. 1, 31, art. 3. Sed contrarium verius videtur. Unde dico tertiò : Etiamsi intendas damnum tertii, si tamen actio exterior cum circumstantiis talis sit, ut ex eâ non sequatur damnum ut plurimùm, seu ex conditione actionis, sed aliunde, non erit peccatum injustitiæ. Probatur, quia secundùm communiorem opinionem theologorum, intentio non facit, ut opus sit injustum, nisi aliàs ex naturâ suâ et circumstantiis tale sit; ergo cùm hæ actiones, de quibus agimus, non sint injustæ respectu tertii ex naturâ et circumstantiis, non fient injustæ ex intentione. Ratio est quia intentio accipit speciem suam ab objecto : ergo si objectum non est injustum respectu intendentis, neque intentio injusta erit, sed solùm contra charitatem. Objectum autem intentum non esse injustum respectu intendentis patet; quia quod intenditur est ut mors illi eveniat aliorum malitiâ : atqui hìc nulla est actio injusta, quæ ab intendente in tertium dirigatur. Etsi enim illatio mortis sit injusta respectu eorum à quibus procedit, non tamen respectu illius à quo non procedit, quamvis illam optet fieri; quare nulla etiam est injustitia in illâ intentione : ac proinde illa intentio non potest eam communicare operi externo. Deinde, intentio non facit ut opus externum magis sit damnosum aut noxium, aut magis violet æqualitatem : ergo si per se non est injustum, intentio nocendi non facit injustum : suppono enim aliàs esse satis voluntarium. Vide plura inf. c. 12, dub. 18, n. 129.

Ex his innumeræ quæstiones solvi possunt, quibus quæritur utrùm sit peccatum contra justitiam, an tantùm contra charitatem.

114. Dico quartò : Si actio exterior talis sit ut ex eâ plerumque tale damnum tertio sequi soleat, erit peccatum injustitiæ, etiamsi illud damnum non intendas, nisi fortè in eâ actione jure tuo utaris.

Prior pars patet ex dictis. Altera probatur, quia qui utitur jure suo, nemini facit injuriam : quamvis possit peccare contra charitatem, si parum ipsius intersit illo uti : ut si venas aquarum per tuum prædium cur-

rentes, à quibus aqua in puteum vicini influebat, prætextu alicujus operis intercipias : si cloacam in prædium alienum aperias, etc.

## DUBITATIO XVII.

*Utrùm homicidium, vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputetur; et quid si per filium.*

115. Respondeo, et dico primò : Si tuâ *culpâ latâ* id factum est, tibi imputatur, et teneris ad restitutionem totius damni, ut si jusseris, suaseris, impuleris, vel si negligens fuisti in præcavendo. Neque tunc sufficit servum vel animal noxæ dedere, id est, ad noxam seu damnum sarciendum, sed totum damnum compensandum, ut habetur L. *Si servus*, 2, π. de noxalibus action., et cap. *Si culpa* 9, de injuriis et damno dato. Dixi *culpâ latâ*, quia de *levi* et *levissimâ* extra contractum et officium non teneris, ut supra cap. 7, dub. 6.

116. Dico secundò : Si nullâ tuâ culpâ intervenerit, non teneris ad totum damnum, sed sufficit mancipium vel animal noxæ dedere : liberum tamen tibi est vel damnum compensare, vel rem quæ nocuit dedere. Est communis sententia doctorum, et habetur expressè locis citatis. Vide Silvestrum, restitutio 2, versùs finem, et restitutio 3, q. 4. Ratio est quia dominus non tenetur hìc ratione sui, sed ratione rei suæ, quæ restitutioni obnoxia manet : mancipium quidem ratione culpæ (si enim non peccavit, non manet obnoxium), animal verò ratione legis ita disponentis. Cùmque mancipium et brutum nihil habeant à se distinctum quod pro damno accipi possit, concessum est ei qui damnum accepit, ut ex ipsorum corporibus sibi compenset; utrumque enim pretio est æstimabile. Hinc fit ut dominus subeat obligationem restituendi pro damno, vel corpora ipsorum, vel damni pretium.

Sed dubium est utrùm in conscientiâ tenearis ante judicis sententiam.

117. Resp., et dico tertiò : Seposito jure positivo, non tenetur dare corpora, vel pretium damni, ante sententiam. Probatur primò, quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cùm hæc non exstet, nec ratione injustæ acceptionis vel damnificationis, quia absque omni ejus culpâ commissum; secundò, quia servus jure naturæ non manet obnoxius restitutioni, ita ut ipse se debeat tradere læso in compensationem; quinimò potest se abscondere et fugere : ergo nec dominus jure naturæ tenetur illum tradere, sed potest juvare ad latebras et ad fugam. Si enim est aliqua obligatio in domino ad eum tradendum, ea est secundaria, orta ex obligatione servi, qui est auctor damni; itaque cùm servus non teneatur se tradere pro damno, nec dominus tenetur. Idem dicendum de animali : non enim animal jure naturæ manet obnoxium læso, quia non peccavit; sicut neque statua ænea, quæ casu lapsa aliquem læsit, obnoxia manet.

Dices : Is qui læsus est, jure naturæ potest compensare sibi damnum ex re quæ læsit, si præter seipsam illa nihil habeat : ergo, etc.

Resp. primò, antecedens non esse verum, ut patet in statuâ; non enim statuam illam sibi vindicare potest. Secundò, etiamsi verum esset, non tamen inde sequeretur dominum teneri tradere, nec posse abscondere. Nam illud jus læsi solùm est conditionatum, nempe si possit animal vel servum capere. Servus enim potest fugere, et se abscondere. Itaque dominus ut sibi vel servo consulat, potest ad hoc juvare, nisi aliunde prohibeatur.

118. Dico quartò : Probabile est, neque jure positivo ad id teneri ante sententiam. Petr. Navar. l. 2, c 1, n. 38, putat id esse verius, quia istæ leges videntur esse pœnales. Sed non propriè possunt dici pœnales, cùm apertè excludant omnem culpam domini, ut patet L. *Si servus*, etc.; c. *Si culpa*, supra; sed constituunt id quod est consentaneum naturali æquitati, et quid in tribunalibus debeant judices judicare : interdùm enim judex auctoritate legis potest decernere per sententiam, aliquam restitutionem, quæ ante sententiam non erat debita; sicut enim in pœnam potest injungere aliquam solutionem; ita etiam ob pacem publicam, dùm æquitati est consonum.

119. Ratio igitur, cur istæ leges ante sententiam non obligent, est, quia videntur solùm pertinere ad forum externum, neque aliter usu receptæ. Nam homines passim ignorant has leges.

Dices : Gregorius IX, cap. ult. de injuriis, sic ait : *Quòd si animalia tua nocuisse proponas, nihilominùs ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare teipsum;* ubi apertè insinuat obligationem ante sententiam.

Resp. : Ob hoc argumentum, est satis probabile contrarium, idque multi doctores tenent. Responderi tamen potest illa verba posse intelligi de obligatione in foro externo; quod insinuant illa verba, *nisi velis liberare teipsum*, nempe ab impetitione actoris : vel certè non est usu receptum.

120. Notandum est : Si servus vel animal cœperit esse extra potestatem domini, desinit erga illum actio, ut habetur § *Omnis autem*, Instit. de noxal. action. Si in alterius potestatem venerit, erit actio contra illius dominum : si fuerit manumissus, convenietur ut liber; poterit quidem dominus vendere, sed tenetur emptori indicare vitium, id est, esse obnoxium. Hæc et alia vide Institut. et π. de noxalibus actionibus; pertinent enim ad forum externum.

121. Sed quid si filius familiàs occiderit, vel damnum dederit?

Resp. et dico quintò : Parentem non teneri ex delicto filii vel damnum sarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpâ commissum. Institut. supra, § ultimo. Ratio est, primò, quia iniquum est ut nequitia filii vel filiæ parenti, ultra ipsorum corpora, damnosa sit, ut de servis dicitur Instit. supra, § 1. Cùmque ex aliâ parte parens non sit dominus corporum horum (sunt enim libera), non etiam ratione locorum, actio contra parentem potest institui. Confirmatur, quia nimis asperum est ut parens cogatur corpora liberorum suorum noxæ dedere; se-

cundò, quia filius familiàs, cùm sit liber, pro suis delictis conveniri potest, ut habetur § ultimo, supra : manet enim ex suo delicto obligatus tanquàm liber, et capax dominii. Vide Silvestrum restitutio 2, versùs finem.

## DUBITATIO XVIII.

*Utrùm homicidia et damna quæ inferuntur per triremes Turcarum, imputentur remigibus Christianis ibi captis, ita ut peccent contra justitiam, vel saltem contra charitatem.*

122. Navarrus, cap. 27, num. 63, docet eos peccare mortaliter ducendo remos, quando contra Christianos agitur; potiùsque debere oppetere mortem : non tamen explicat, utrùm contra justitiam, an contra charitatem. Ratio ipsius est, quia cooperantur ad homicidia et damna Christianorum. Etsi enim remigatio ista per se et in genere spectata non sit opitulatio ad malum, nec mala; tamen, ut hìc et nunc fit, est verè et propriè cooperatio homicidii, ac proinde mala : actiones enim spectandæ in individuo cum circumstantiis sicuti fiunt. Addit tamen Navar. non videri excommunicatos per bullam *Cœnæ* (ubi *excommunicantur qui Turcis et aliis nominis Christiani hostibus auxilium quomodolibet præstant*), quia gravi metu compulsi faciunt, quales non videtur summus pontifex velle comprehendere. Idem docet fusiùs in cap. *Ita quorumdam*, 6, de Judæis, notab. 21.

Sed verius est non peccare, quando flagris et metu mortis ad id compelluntur. Neque enim peccant contra justitiam, quia remigatio non est actio naturâ suâ periculosa Christianis, sed indifferens, sicut aurigatio : est enim delatio navis per mare, quâ Turcæ vectores benè et malè uti possunt; quòd autem cedat in perniciem Christianorum, est ex malitiâ Turcarum : ergo quando gravi supplicio urgentur, non censentur cooperari voluntariè ad damna Christianorum : sicut qui timore mortis reddit depositum furioso, non censetur ei cooperari ad necem quam infert inimico; et auriga, qui dominam suam vehit ad locum adulterii non censetur ei cooperari, ut fatetur Navarrus. Secùs de iis qui tormenta in Christianos dirigunt, ignemque applicant, quia directè damnum inferunt.

Neque etiam contra charitatem, quia nemo tenetur ex charitate vitam suam exponere, nisi probabile sit illi damnum aversum iri : atqui id non est probabile illis remigibus; etsi enim unus vel alter cesset à remigando, non ideò alii cessabunt, sicque damnum æquè eveniet. Si tamen aliquis esset, qui suo exemplo vel exhortatione putaret reliquos cessaturos, et ita grave damnum impediendum (v. g., ne classis Christiana superetur), teneretur ille ex charitate, etiam cum certo mortis periculo, id præstare; secùs, si damnum non sit tanti momenti.

123. Ad rationem Navarri respondeo illam remigationem, ut hìc et nunc fit, non esse formaliter cooperationem, quia non fit intentione cooperandi ad cædes, sed solùm materialiter; neque propriè est cooperatio, quia per se est indifferens, et solùm ut subest malitiæ et usui Turcarum concurrit ad malum, idque remotè; talis autem cooperatio non est illicita, quando non est voluntaria, sed coacta, metuque gravissimo extorta, ut patet exemplis supra allatis. Sic non propriè cooperantur captivi, qui coguntur tormenta trahere ad locum pugnæ, munire arces, advehere arma bellica vel annonam in castra, quia hæ actiones non sunt noxiæ, nisi per accidens, ex malitiâ eorum qui his præviis ad malum utuntur. Simili modo valdè probabile est licere Catholicis nautis et aurigis in Hollandiâ devehere annonam ad urbes et præsidia hæreticis insessa, et ad eorum castra, etiamsi metu gravi non compellantur : modò absit prava intentio, et illis cessantibus non desint hæretici plurimi qui id facient. Ratio est quia hæc actio est indifferens; et si Catholici excludantur, soli hæretici, quorum maxima copia suppetit, totum lucrum capient, et Catholici ad magnam penuriam redigentur, cùm vix alia ratio vivendi hoc tempore id genus hominibus ibi suppetat. Confirm. primò, quia hæc actio nec est mala per se, ut patet, nec ex intentione agentium, quia Catholici non intendunt quidquam mali; nec ex eventu, ut fit à Catholicis, quia si ipsi non facerent, plurimi alii non deessent : ergo non est Catholicis illo rerum statu prohibenda, præsertim cùm id esset ipsis gravissimum, et permissio nullo modo augeat vires adversariorum. Repub. enim perturbatâ et tyrannide oppressâ multa licent quæ aliàs sunt illicita. Confirm. secundò, quia si detrectent, reddent se suspectos, et fortè cogentur, aut aliis modis gravabuntur, tanquàm osores boni publici. Ita mecum sentiunt viri doctissimi in hâc universitate.

Quòd verò Navarrus putat non esse excommunicatos, supposità alterâ ipsius opinione, nimirum, quòd non excusentur à peccato mortali, contrarium est longè probabilius : quando enim metus non excusat à peccato mortali, non excusat quoque à censurâ, ut apertè colligitur ex cap. *Sacris*, 5, *de iis quæ vi;* ubi dicitur eum qui metu communicavit cum excommunicato, esse excommunicatum, *quia*, inquit, *licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsùs excludit (cùm pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere), excommunicationis labe credimus inquinari.* Torquent se hìc canonistæ, quomodò metus non excusat à censurâ, cùm sæpè excuset à culpâ. Sed dicendum tunc excusare à pœnâ, quando excusat à culpâ; quando verò non excuset à culpâ, ita ut culpa maneat mortifera, tunc non excusare à pœnâ, ut hoc loco pontifex clarè pronuntiat.

---

### DE RESTITUTIONE, AD QUAM TENETUR HOMICIDA.

Explicatâ ratione homicidii, tum voluntarii, tum fortuiti, sequitur ut dicamus de restitutione seu compensatione necessariâ.

## DUBITATIO XIX.

*Quantùm teneatur homicida vel mutilator restituere.*

124. Respondeo et dico primò, teneri solvere in-

tegras expensas, factas in curationem læsi; nam earum ipse causa efficax fuit.

Dico secundò, teneri etiam restituere, non quidem quantùm ipse erat lucraturus, sed quantùm illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio vel artificio faciebat; iis tamen detractis, quæ ipse consumere solebat, si obiit : quæ enim ipse consumebat, non possunt censeri in lucris ad hæredes pervenientibus. V. g. : Spes lucri æstimetur 1000, id quod consumpturus erat æstimetur 500, supersunt tantùm 500 restituendi; quod valdè notandum. Vide Covarr. lib. 2 Variarum resolut., c. 10, n. 7, et Sotum lib. 4 de Justit. q. 6, art. 3, ad 3.

Sed difficultas est, utrùm ex hâc summâ etiam detrahi debeat æstimatio laboris. Joannes Major in 4, d. 15, q. 19, affirmat.

125. Sed contraria sententia est communis, istius laboris non esse rationem habendam, sed integrè restituendum, quantùm spes lucri, omnibus perpensis, æstimabitur. Ita Covarr. supra, num. 7, ultra medium, et alii passim. Probatur primò, quia si æstimationem laboris detrahamus, vix aliquid supererit; nam sæpè lucrum non est majus, quàm æstimatio laboris, ut patet in iis artificiis, in quibus est parùm ingeniosæ industriæ; secundò, quia qui alium injustè impedivit à labore diurno, tenetur integrè lucrum illius diei sarcire, nullâ parte detractâ, ratione laboris non obiti : nam alter cupiebat laborem subire : ergo, etc.

126. Sententia tamen Majoris videtur satis æqua, si hoc modo temperetur, ut tantùm detrahatur lucro, quantùm ille artifex libenter pro laboris redemptione daturus fuisset : sic enim non videtur fieri ulla inæqualitas; quòd si ille laborem nullo modo voluisset redimi cum lucri imminutione, tunc integrè restitutio erit facienda, juxta communem doctorum sententiam.

127. Dico tertiò : Si homicida, vel qui damnum intulit, moriatur, tenentur hæredes ex ejus bonis. Ratio est, quia hæredes succedunt in locum defuncti, et in omnia ejus bona et jura; unde etiam in omnes ejus obligationes, quibus ex justitiâ obligabatur.

Nec obstat l. *Ex judiciorum*, 20, π. de accusationibus, ubi dicitur, *pœnam pecuniariam, quæ descendit à delicto, non transire ad hæredes, lite non contestatâ*, quia vel intelligitur de pœnâ propriè dictâ, quâ puniendus erat per sententiam is qui crimen contraxerat; quæ pœna non debetur ante sententiam, nec ab homicidâ, nec ab ejus hæredibus; ita eam intelligit Covarr. Vel certè lex ista solùm negat hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem ejus lis contestata fuerit; ita Antonius Gomezius, tom. 3, c. 3, n. 37; non tamen iberat eos in foro conscientiæ : nihil enim facit ad obligationem coram Deo, quòd lis ante mortem contestata vel non contestata fuerit.

## DUBITATIO XX.

*Quomodò æstimatio lucri futuri facienda est, cùm ignoretur quamdiù fuisset victurus.*

Angelus, restitutio 1, § *Homicida*, dicit eam faciendam juxta dispositionem legis, *Computationi*, π. ad legem Falcidiam. Idem docet Covarr. lib. 2 Variar., c. 10, n. 7, circa medium. In hâc lege certum tempus constituitur futuræ ætatis æstimandæ : ita ut si quis sit annorum 30 vel infra, is putetur adhuc victurus 30; si sit 35, putetur victurus 25; si 40, adhuc 20; si 50, adhuc 10, semper diminuendo usque ad 60, sicut ibi expressè habetur.

128. Sed cùm hæc lex tantùm loquatur de alimentis alicui ad vitam legatis, non videtur extendenda ad nostrum casum. Deinde in foro conscientiæ, spectandæ quoque sunt multæ aliæ circumstantiæ, ex quibus æstimandum est futuræ ætatis tempus et lucrum. Denique qui occiderit senem 59 annorum, non teneretur nisi restituere lucrum unius anni; qui sexagenarium, nihil : quod est contra omnem æquitatem : fieri enim potest ut sit validus, et putetur adhuc 20 annos victurus.

129. Respond. igitur non posse commodiorem regulam præscribi, quàm ut illud restituatur, quod probi prudentesque viri, spectatis omnibus circumstantiis, ratione lucri cessantis, vel damni, ex occisione, mutilatione, aut etiam vitæ abbreviatione emergentis, indicaverint esse æquum. Nam si vita alicujus accisa breviorque effecta est ex percussione injustâ, æstimandum tempus, quo ulteriùs putabatur eam producturus.

130. Hic tamen advertendum est : Si quis vel naturali, vel *aliàs justâ morte* erat è medio tollendus, qui injustè præveniret, non teneretur ad restitutionem, quamvis injustitiam committeret, ut rectè docet Petrus Navarra, lib. 4, c. 1, num. 78, qui pro eâdem sententiâ citat Navar. et Sylvestrum. Ratio est, quia non infert damnum pecuniarium; tam brevi enim tempore non erat ille lucraturus quidquam. Dixi, vel *aliàs justâ morte*, quia si injustè erat interficiendus, vel à latrone, vel etiam à magistratu, et ego præveniam, omninò teneor restituere.

131. Ratio est, quia alter, qui eum interfecturus erat, fuisset obligatus : ergo, si ego præveniam, similiter obligabor; non enim aliquid juris adeò amittit vel vivendi, vel lucri faciendi in vitâ, quia alius eum injustè statuerat interimere : sicut amittit, quando vel naturaliter, vel justè per magistratum perire debet.

Idem dico de quovis alio damno injustè illato, si res apud dominum certò erat peritura, vel justâ pœnâ, vel casu fortuito; si enim tunc culpâ meâ, vel etiam dolo perit, sub ejus dominio manens, non tenebor ad restitutionem, v. g., si incendi segetes quas eluvio fluminum certò erat eversura. Sed de hoc plura inf. c. 12, dub. 15.

132. Petes utrùm id quod restituendum est pro lucro probabili hæredibus occisi, æstimatum sit 50 aureis, ut docet Navarr. cap. 15, n. 24, in quam sententiam adducit Hostiensem.

Respond. legem quam citat Navarr., illis verbis non agere de restitutione damni (hæc enim debetur etiam ante condemnationem), sed de pœnâ, seu mulctâ quæ per sententiam debetur : sic enim habet edictum præ-

torium : *Si eo ictu homo liber perisse dicatur*, 50 *aureorum judicium dabo;* et immediatè ante dixerat *se in duplum daturum judicium, si ex ejecto vel effuso damnum datum esset;* unde manifestè patet legem loqui de pœnâ homicidii, non cujusvis, sed fortuiti, non autem de damno sarciendo. Idem docet Glossa in c. 1 de injuriis, dicens : *Si liber homo periit*, 50 *aureorum fit condemnatio.*

## DUBITATIO XXI.

*Quantùm teneatur restituere, qui modum justæ defensionis excessit.*

133. Respondeo, et dico primò : Qui ab altero fuit provocatus ad pugnam, etiamsi modum fortè excessit, non tenetur ad restitutionem : ita multi recentiores. Ratio est, quia provocatus videtur ei condonare, dùm facit ei potestatem, ut contra se agat quod poterit. Idem docet Bannes, q. 62, a. 2, dub. 5, ubi dicit eum qui voluntariè se exponit periculo, provocando alterum ad certamen, si occidatur, non esse injustam occisionem respectu illius, sed solùm respectu reipublicæ, vel Dei, qui est Dominus specialis vitæ; et paulò ante dicit talem renuntiare juri suo, etiamsi in damnum filiorum id cedat. Idem videtur dicendum quando duo provocant se vicissim, et pari consensu pugnam aggrediuntur.

134. Dico secundò : Qui invaditur ab altero sine provocatione, si justam moderationem notabiliter excedat, ita ut mortiferè peccet occidendo suum invasorem, tenetur integrè damna compensare. Ita docet Navarr. c. 15, n. 27, et plerique hoc tempore. Ratio est, quia qui ita occidit, facit alteri injuriam, et est causa totius damni, sicut is qui dolo vel latâ culpâ est alteri causa damni.

Dices : Qui alterum injustè aggreditur apertâ vi, vel ex insidiis, et occidit, majorem infert injuriam quàm qui invasus et rei indignitate commotus occidit aggressorem : ergo ad majorem tenetur restitutionem.

Resp. negando conseq. ; non enim quantitas restitutionis ex injuriæ quantitate æstimanda est, sed ex quantitate damni per injuriam mortiferam illati; itaque cùm hìc intervenerit injuria, quæ sit peccatum mortiferum, integrè damnum sarciendum est. Secùs est in pœnâ; hæc enim respondet injuriæ, non damno; unde ubi major fuit injuria, major quoque pœna est irroganda.

135. Adverte tamen quosdam doctores ob argumentum prædictum docere eum qui modum justæ defensionis excedit, non teneri tantùmdem restituere, quantùm aggressorem qui ex insidiis vel apertâ vi occidit, sed multò minùs. Ita Angelus, restitutio 1, § *Homicida*, Silv. restit. 3, q. 2, et Gomezius tom. 3, c. 3, n. 38. Idem docet Sotus, lib. 4 de Justit. q. 6, a. 3, ad 3. Ubi notandum est Silvestrum non loqui de pœnâ propriè dictâ (ut Navarrus eum exponit), sed de restitutione damnorum, quam vult fieri judicio boni viri : de quâ etiam apertè Gomezius et Angelus. Quæ sententia mihi videtur probabilis, et consentanea æquitati naturali : etsi enim damnum illud par sit, sive hoc, sive illo modo illatum sit, et compensatio non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine injuriæ, tamen is qui alterum invadit, videtur ex parte amittere jus ad compensationem damni; nam sibiipsi est causa mali, alterum injustè invadendo : quare si occidatur vel lædatur, sibi ex parte debet imputare. Deinde difficillimum est justum temperare dolorem, ut ait Angelus. Quare æquitas naturalis videtur postulare, ut non tam severè teneatur omnia damna rependere; idque communis humani generis sensus approbare videtur.

136. Dico tertiò : Qui invasus ab altero potest fugere, vel aliter declinare, etsi id non faciat, sed, debitâ moderatione se vel sua defendens, occidat invasorem, non tenetur ad restitutionem.

Probatur, quia non peccavit contra justitiam, sed solùm contra charitatem, ut ostensum est supra, dub. 15 et 16; non enim ex justitiâ tenebatur fugere, vel à viâ declinare.

Confirmatur, quia nemo ex suâ malitiâ, quâ vult alterum invadere, acquirit jus in illum, quo illum obliget ad fugam, ita ut nisi fugiat vel patiatur se interfici, censeatur ipsi facere injuriam; sed solùm tenetur fugere ex charitate, si sine honoris dispendio possit; et ecclesiasticus tenetur etiam lege religionis, ne, videlicet non fugiendo, aliquid committat quod sanctitatem statûs ipsius dedeceat; lege tamen justitiæ non magis tenetur quàm secularis.

137. Dico quartò : Idem omninò dicendum de eo qui alium contumeliâ vel aliâ injuriâ affecit; si ab illo invasus, justâ ratione se tueatur, et illum occidat, non tenetur ad homicidii compensationem : est contra Navar. cap. 15, n. 7; ita tenet Navarra, lib. 2, cap. 3, n. 362, ex Silvestro et Mercato; colligitur ex dictis supra, dub. 15.

Probatur, quia is qui injuriam alteri intulit, si armis ab eo invadatur, potest se cum justâ moderatione tueri, præsertim veniâ petitâ vel satisfactione oblatâ, quia alter tunc nullum jus habet sic invadendi privatâ auctoritate : ergo si eum occidat, non facit ei in hoc injuriam. Confirm., quia invasor non habet jus justitiæ in alterum, ut ille se non defendat, neque etiam ut fugam capessat, sed solùm ut satisfactionem pro injuriâ offerat : ergo si moderatione debitâ se defendens occidat invasorem, non facit contra jus ipsius, ac proinde non peccat contra justitiam : sed habet se illa occisio tanquàm per accidens, et mediante alterius malitiâ proveniens, occasione operis injuriosi; ut si quis seipsum occideret præ impatientiâ, quia domum ejus succendi, non censerer ego idcircò homicida : nam ista actio injuriosa, non est verè injuriosa, respectu occisionis, per accidens ex eâ provenientis, sed solùm est contra charitatem, ut supra, dub. 16, n. 112, ostensum; unde nec obligat ad restitutionem, causa mortis illatæ.

## DUBITATIO XXII.

*Utrùm quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.*

138. Summa Rosella, restitutio 3, et quidam recentiores dicunt tunc non deberi aliam compensatio-

nem, quod etiam videtur sentire Scotus, d. 15, q. 3, art. 2; Gabriel ibidem q. 15, art. 2; Angelus restitut. 1, § *Homicida;* Adrianus quæst. ult. de Restitut.

Respondeo : Verius est in rigore omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda. Ita Navar. cap 15, n. 25; Covarr. lib. 2 Variar. cap. 10, n. 7, circa medium; Gomez tom. 3, cap. 3, num, 37, et alii. Ratio est, quia pœna infligitur à judice, non ut damnum parti læsæ compensetur, sed ut injuria reipub. et legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Unde etiam ea crimina, quæ nemini damnum inferunt, pœnâ mortis puniuntur, ut sodomia, gravis blasphemia, hæresis.

139. Quamvis hæc sententia in rigore sit vera, tamen contraria est probabilis, et consentanea æquitati, præsertim cum hâc limitatione : ut hæredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit, in conscientiâ non teneantur quidquam solvere, nisi hæredes occisi id exigant; ita enim ferè habet usus, ut pœnæ talionis censeantur acquiescere, et injuria illata videatur sic esse compensata : sic docet Michael Salonius, q. 62, art. 2. Si hæredes occisi exigant aliam compensationem, præter pœnam homicidæ (quod tamen honesti non solent), tunc hæredes homicidæ videntur teneri, quia damnum injustè datum non est per pœnam talionis reparatum. Certum tamen est, hæredibus occisi nihil deberi pro ipsâ vitâ ablatâ, etiamsi aliàs pro eâ restitutio debetur. Ratio est, quia damnum vitæ censetur pœnâ talionis abundè compensatum. Ita docet Scotus in 4, dist. 15, q. 3, art. 2; Gabriel ibidem q. 15, art. 2, et alii.

## DUBITATIO XXIII.

*Utrùm sit aliquid restituendum pro vitâ, membro, vel, cicatrice.*

140. Multi doctores censent non solùm pro damnis pecuniariis ex læsione vel homicidio secutis, restitutionem pecuniariam deberi; sed etiam præcisè pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri. Indicat id D. Thomas, q. 62, art. 2, ad 1; Sotus, lib. 4 de Justit. quæst. 6, art. 3, ad 3; Silvest. restitutio 3, q. 2, et quidam alii. Ratio est, quia qui non potest damnum totum integrè compensare, tenetur eo modo quo licet, juxta arbitrium prudentûm. Confirmatur, quia alioqui sequeretur, teneri quempiam restituere pro vitâ bovis occisi, et non pro vitâ hominis : quod tamen videtur absurdum, eò quòd hæc sit multò pretiosior. Sed contrarium videtur verius.

141. Respondeo igitur, etsi pro vitâ servi vel animalis necessariò restitutio pecuniaria sit facienda, tamen pro vitâ, membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil in conscientiâ necessariò deberi.

Prior pars patet, quia vita servi et animalis pretio æstimantur, quod ad æqualitatem rependi potest : unde pro horum vitâ tantùm solvendum, quanti plurimi vendi poterant : pro mutilatione et cicatrice, quantis pluris venderentur, si illæsa fuissent.

Secunda pars est Navarri, cap. 15, num. 22, ubi id egregiè probat; et Glossæ in cap. 1 de Injuriis et damno dato; Ledesmæ in 4, d. 24, q. 25, art. 2, dub. 7; Petri Navar. lib. 4 de Restitut. cap. 1, num. 80. Eamdem tenet Covarr. lib. 2 Variarum resolut. cap. 10, num. 7, circa medium, et Gomezius tom. 2, cap. 6, num. 12, ubi dicunt, *cicatricem hominis liberi, pecuniâ compensari non posse;* unde idem multò magis (si consequenter loqui velint) dicere debent de vitâ et membro.

Probatur primò ex l. ultimâ π. de his qui effud. vel deject : *Cùm liberi hominis corpus, ex eo quòd dejectum effusumve quid erit, læsum fuerit, judex computet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operarum, quibus caruit aut cariturus est ob id quod inutilis factus est. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Idem habetur l. *Ex hâc lege*, 3, π. *si quadrup. paup. fecisse dicatur.*

142. Dices has leges solùm negare actionem in foro externo. Contra, quia apertè indicant nihil pro his deberi, eò quòd naturâ suâ sint supra omne pretium; ac proinde non possint conferri cum iis rebus quæ in humanos contractus veniunt, et sanè ratio nulla est cur neganda sit actio, si in conscientiâ aliquid debetur: et cur non fiat ejus taxatio per judicem, dùm reliquorum damnorum fiat, ipseque meliùs, quàm alius quivis, eam facere possit.

Probatur secundò : Hæredes non tenentur compensare damnum vitæ, aut injuriam illatam, ut Scotus fatetur : ergo nec ipse occisor : si enim occisor ex justitiâ tenebatur ex suis bonis, cur non hæredes ex iisdem teneantur, cùm succedant in ejus obligationes, sicut in jura?

143. Tertiò, quando homicida punitur pœnâ talionis, satisfacit illa pœna pro damno vitæ, uti praxis omnium tribunalium habet et doctores supra dicti sentiunt : neque enim justum videretur ad am; liùs sontem obligare. Atqui per hanc pœnam corporalem nulla fit læso pro vitâ compensatio; sed solùm fit vindicatio, quæ à reo non debetur ex justitiâ commutativa, sed à magistratu : ergo, cùm post hanc pœnam censeatur in conscientiâ liber ab illâ compensatione, quæ pro ipsâ vitâ sit facienda, signum evidens est, ipsum antea etiam liberum fuisse, nec justitiæ lege damnum vitæ debuisse compensari; sicut alia damna, à quibus non est liber post pœnam.

Quartò, quia non potest statui quantùm pro vitâ vel membro ex justitiâ sit restituendum, neque vir prudens certum quid arbitrari potest : si enim dixerit mille deberi pro vitâ, cur non duo millia, vel tria, et sic deinceps? etsi enim homicida non teneatur ita se exhaurire restituendo, ut in extremam aut gravem necessitatem incidat, tamen si opibus abundet, nunquàm poterit ab arbitris tantùm taxari, quin dici possit ampliùs deberi.

Quintò, quia vitæ omnium hominum sunt æqualis dignitatis : ergo æqualis debet fieri pro omnibus restitutio, quod est absurdum.

144. Sextò, restitutio, quæ debetur ex justitiâ, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem : ergo

ubi damnum naturâ suâ irreparabile est, non debetur restitutio lege justitiæ.

Septimò, quia nemo obligatur damnum sarcire ex bonis diversi ordinis, sed tantùm ejusdem ; hæc enim sola inter se sunt commensurabilia ; ergo quando non potest fieri commensuratio, non est obligatio justitiæ. Antecedens patet, quia alioquin qui læsisset in vitâ, deberet restituere in honore, vel potiùs in bonis spiritalibus, si pecunia non posset ; quod tamen neque moribus gentium est receptum, neque ullo modo necessarium, ut passim doctores tradunt.

145. Ex quibus patet primò solum damnum pecuniarium, secutum ex homicidio, esse ex justitiâ compensandum : pro damno autem vitæ et pro injuriâ solùm deberi satisfactionem quamdam, signis doloris et petitione veniæ. Fieri tamen potest, ut obligetur ex charitate ad aliquam pecuniariam satisfactionem, si hæredes sunt pauperes, et non putentur mœrorem aliter deposituri ; et ipse eam sine gravi incommodo possit præstare : tunc enim videtur saltem ex charitate et quâdam æquitate naturali teneri : fortè hoc voluit D. Thomas.

Secundò, si vir nobilis aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil restituendum, præter expensas in medicos, si quæ factæ sunt.

Tertiò, patet responsio ad contrariam rationem : non enim omne damnum ex justitiâ est compensandum, ut patet de damno spirituali, quod tamen maximum est. Neque mirum videri debet, si pro vitâ animalis fiat restitutio, non autem pro vitâ hominis liberi ; quia vita hominis libera est super omne pretium pecuniarium et humanum, sicut et bona spiritualia : non tamen vita animalis vel mancipii. Hinc tamen non sequitur, minus esse peccatum occidere hominem, quàm bestiam.

146. Dices : L. *Prætor edixit*, 7, § 6, π. de injuriis, dicitur : *Posse hodiè de omni injuriâ, sed et de atroci civiliter agi, imperator rescripsit :* ergo potest agi in judicio de damno vitæ sarciendo.

Respondeo, negando consequentiam ; aliud enim est agere de injuriâ vindicandâ, aliud de damno sarciendo : injuriæ enim non debetur restitutio, sed vindicatio et mulcta etiam pecuniaria, quæ fit operâ judicis ; satisfactio etiam debetur, sed non pecuniaria ante sententiam : itaque potest civiliter agi, quia potest exigi aliqua satisfactio pecuniaria, per judicem imponenda.

## DUBITATIO XXIV.

*Utrùm aliquid restituendum pro expensis funeris.*

147. Respondeo ordinariè nihil pro his expensis restituendum, quamvis contrarium affirmet Navarrus, cap. 15, num. 22. Ratio est quia etiamsi naturali morte obiisset, nihilominùs hæ expensæ fieri debuissent, unde per occisionem nihil damni ex hâc parte illatum nisi fortè ex acceleratione, eò quòd citiùs isti sumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuisset : sed hoc sub lucro cessante comprehenditur. Vel nisi extra patriam, aut alieno loco occisus sit, ubi majores sumptus, quàm domi fieri debuerunt, quod pertinet ad damnum emergens.

## DUBITATIO XXV.

*Utrùm animæ occisi aliquid restituendum ex justitiâ.*

148. Scotus, dist. 15, q. 3, art. 2, Gabriel, Adrianus et Angelus supra, docent, si homicida subeat pœnam talionis, nihil ampliùs deberi pro vitâ occisi ; si non subeat, debere satisfacere pro vitâ illius, bonis spiritualibus, per eleemosynas, orationes, missas, etc.

Sed communior sententia est, non obligari ex justitiâ ad hanc restitutionem, quamvis sit saluberrimum consilium, et æquitas naturalis videatur quodammodò postulare. Unde meritò pro satisfactione sacramentali, ipsi à sacerdote potest injungi : ita docet Sotus lib. 4, q. 6, art. 3, ad tertium, Silvester supra, et alii.

149. Ratio est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis ; ergo non potest ex justitiâ deberi pro damno vitæ. Antecedens probatur, quia sunt res diversi ordinis, et vita per hoc non restituitur nec in se, nec in æquivalenti, quod apud homines habeat parem æstimationem.

Dices deberi hæc bona non pro vitâ, sed quia illum privavit facultate merendi et satisfaciendi.

150. Respondeo : Facultas merendi est irreparabilis, similiter meritum amissum est irreparabile, quia meum meritum non potest alteri donare, ita ut fiat ipsius. Deinde privatio hujus facultatis non potest ullo opere nostro compensari, sicut nec vita. Et quamvis satisfactio unius alteri prodesse possit, non tamen constat, an alter aliquâ satisfactione sit privatus, nec utrùm ei profutura sit. Denique non potest in his certa mensura constitui, quæ lege justitiæ debeatur.

## DUBITATIO XXVI.

*Utrùm tantummodò uxori et liberis, an etiam aliis restituere teneatur, ut creditoribus, et iis quos occisus alebat.*

Multi doctores sentiunt his omnibus faciendam restitutionem, quia per injuriam impediti. Verùm hæc sententia est valdè difficilis in praxi, et fortè in rigore non vera ; unde

151. Respondeo et dico primò : Probabile est homicidam non teneri creditoribus defuncti. Colligitur hoc ex dictis supra dub. 15 et 16. Tenent Sotus, Salonius, Lopez, et alii ibi citati.

Probatur, nam planè per accidens obvenit damnum creditoribus : non enim illa actio occisionis ex naturâ suâ vel ut plurimùm est ipsis damnosa : ergo non est injuria in illos.

Secundò, quia creditor non habet jus in debitorem, nisi quantùm extendunt se bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter erat habiturus : ergo cùm homicida restituit hæredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, ea quæ ipse putabatur lucraturus, non facit injuriam creditoribus ; possunt enim ab hæredibus solutionem petere.

Tertiò, creditor non est ita conjunctus debitori, ut damnum, quod huic fit, debeat censeri fieri creditori, nam solùm per accidens, seu civili modo ei cohæret, quâ ratione innumeri possunt cum ipso conjungi. Ab-

surdum autem videtur omnes eos, qui cum ipso contrahunt, habere jus justitiæ in ipsius inimicum, ne ipsum occidat. Confirmatur, quia qui cum aliquo contrahunt, debent videre an ille habeat sufficientia bona, vel certè curare, ut det sufficientem cautionem : quod si non fecerint, sibi imputent; non enim tenetur inimicus ex justitiâ tam procul respicere.

Quartò, non videtur hæc obligatio usu recepta; imò communi hominum judicio non censetur homicida creditoribus obligatus, nisi fortè eâ intentione occiderit, ut eis obesset.

152. Dices primò : Homicida tenetur filiis occisi, quia parens illis ex justitiâ obligabatur : ergo cùm etiam obligetur ex justitiâ creditori, tenebitur ei occisor.

Resp. negando antecedens; ideò enim tenetur filiis occisi, quia videntur una persona cum parente, ita ut censeantur damnum passi in bonis propriis, quæ per parentem possidebant. Neque verum est, parentem debere ex justitiâ filiis, cùm solùm teneatur lege pietatis.

Dices secundò : Qui hypothecam perimit, tenetur creditori de damno : ergo etiam qui interimit debitorem qui, ratione obligationis personalis, est instar hypothecæ.

153. Respond. primò, negando antecedens : Nam satisfacit dando æquivalens illi hypothecæ, ut, si erat domus, ædificando domum similem, vel dando æstimationem, et compensando fructus pro tempore, quo eos impedivit.

154. Secundò, negando consequentiam, quia debitor non obligatur secundùm se, ut hypotheca (non enim potest vendi), sed ratione bonorum quæ actu habet, vel habiturus erat, quæ compensantur ab homicidâ, ipsius hæredibus, quorum est defuncti debita solvere.

Dico secundò : Etiam probabile est non teneri illis quos occisus alebat ex liberalitate. Ita docet Sotus, Lopex et Salonius supra.

Probatur primò, quia hoc damnum merè per accidens illis obvenire censetur; secundò, quia interfectus non tenebatur, ergo nec interfector, cùm ipsi non censeantur una persona cum interfecto; tertiò, quia alioqui teneretur alere omnes famulos ejus et pauperes quos ipse sustentabat, quod tamen non est usquàm receptum.

Dices : Qui per vim impedit ne quis alteri benefaciat, tenetur illi de damno illius incommodi sperati; at homicida per vim impedit; ergo, etc.

Resp. : Major vera est, si eo modo vis afferatur, ut censeatur his velle nocere; hic autem non eo modo, neque eo fine vim infert, sed quia est inimicus, cui per accidens conjunctum est damnum aliorum. Adde quòd si ille pauperes alebat, fortè hæredes facti ditiores alent multò plures; nam singuli aliquas eleemosynas dabunt.

155. Dico tertiò : Occisor solùm videtur obligari parentibus occisi, filiis et uxori. Ita Sotus supra, lib. 4, q. 6, art. 3, ad tertium, et Lopez c. 62, et Salonius, q. 62, art. 2; Bannes ibid. q. 6. Idem tenent multi alii. Ratio est, non quia hæres succedit in jura defuncti; nam defunctus nunquàm jus habuit ad illam restitutionem, utpote cujus obligatio per mortem ejus orta sit, sed quia parens et filius censentur una persona, similiter maritus et uxor; quare qui interficit Petrum, ille uxori, liberis et parenti ejus damnum infert, eosque in re suâ lædit. Nam veluti partem quamdam abscindit, à quâ illis strictissimo nexu proveniebat utilitas. Itaque si filius interfectus sit, et parens debeat succedere, eò quòd interfectus careat prole, ipsi restitutio facienda. Similiter eo casu quo filius debuisset parentem alere, occisor tenebitur. Idem dico de uxore; ea enim commoda filiis, parentibus et uxori ejus rependenda, quæ ipse interfectus præstare debuisset.

156. Quòd si tantummodò habet fratrem qui fratri succedat, probabile est ei nihil deberi, nisi ratione juris quod defunctus ante mortem acquisivit; quod totum in hæredem etiam extraneum transit. Ita Bannes, Sotus, et alii supra.

Primò, quia nec est hæres necessarius, nec censetur una persona cum eo; unde non censetur læsus in re suâ.

Secundò, quia communi hominum judicio non dicitur ei damnum illatum, sed potiùs commodum; citiùs enim fruitur ejus bonis; et si vixisset, fortè alios hæredes instituisset.

157. Adverte etiam probabile esse homicidam non teneri uxori, si illa nullum notabile detrimentum accepit, vel si æquè commodè potest nubere, ut iidem doctores tradunt. Tunc enim non censetur in rebus pecuniâ æstimabilibus læsa. Neque parenti occisi, nisi fortè sit hæres, vel filius occisus illum alebat, et aliunde ei non sit prospectum. Quia alioquin non censetur in re suâ læsus, ita ut damnum pecuniarum acceperit.

158. Dico quartò : Si læsus interfectori omnia remittat, ad nihil tenebitur, sicut qui volentem interficit : est communior sententia doctorum, Bannes q. 62, a. 2, dub. 6, Soti, Salonii, et aliorum sup. Ratio est, quia filiis non fit injuria per homicidam in bonis fortunæ, nisi quatenùs læduntur in parente, contra ipsius voluntatem : ergo quando parens condonat omne damnum, nullum jus eis remanet. Sicut enim per eum jus acquirunt, ita etiam amittunt.

159. Nihilominùs non rectè faciet læsus, si, filiis valdè egentibus, condonet occisori omnem restitutionem; valebit tamen in conscientiâ, nisi fortassè lege positivâ non permittatur ei nisi alicujus certæ portionis bonorum dispositio, v. g., tertiæ, quartæ, vel quintæ : tunc enim non valet remissio, nisi juxta hanc moderationem, ut quidam volunt. Alii tamen non addunt hanc limitationem, quia tale debitum, cùm ab honestissimis viris plerùmque condonari solcat, non videtur censeri inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, portionem legitimam præscribentes; nemo enim cogitur hujusmodi actiones ex delicto vel injuriâ nascentes in censu suo numerare.

## CAPUT X.

### DE INJURIIS IN CORPUS PROXIMI PER STUPRUM ET ADULTERIUM, DEQUE CONGRUA RESTITUTIONE.

(*Constat dubitationibus* 7.)

Notandum esse varias luxuriæ species, ut docet D. Thomas infra, q. 154, art. 1, inter quas duæ sunt quibus potissimùm injuria fit proximo, *stuprum et adulterium*. Quare de hisce duabus dicendum, et de restitutione hùc pertinente; de cæteris infra, lib. 4, cap. 3.

### DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm stuprum, si fiat consentiente puellâ, contineat specialem deformitatem vel injuriam supra simplicem fornicationem.*

1. Cajetanus, 2-2, quæst. 154, art. 6, fusè nititur probare *stuprum* (seu defiorationem virginis) per se continere specialem deformitatem, atque adeò specialem injuriam in ipsam puellam, et in parentem ejus sub cujus custodiâ manet, eò quòd per illud violetur et reseretur claustrum virginale, cui per se debetur parentis custodia.

2. Dico primò : Si puella non est sub potestate parentum vel tutorum, vel si illis consentientibus se patiatur violari, illud stuprum non continet specialem malitiam mortalem supra fornicationem. Ita Sotus in 4, d. 18, art. 4, post septimam conclusionem, et Petrus Navarra, lib. 2 de Restitution., cap. 3, n. 433. Probatur, quia in stupro non est speciale peccatum, nisi sit specialis injuria; quod etsi quidam negent, tamen cæteri cum Cajetano fatentur; sed hìc nulla est injuria, quia consentienti non fit injuria; ergo, etc.

Dices ex Cajetano : Nec ipsa, nec parentes poterant consentire, sicut nemo potest consentire, ut sibi abscindatur manus : atqui per stuprum fit scissio quædam et ruptio membri : ergo fit verè injuria, etiamsi consentiant.

3. Respondeo primò verius esse nullam fieri rupturam, ut peritissimi medici docent. Deinde, etiamsi esset aliqua ruptura, illa per se non est illicita, nam potest fieri per actum matrimonii; et in se considerata, est parvi momenti, cùm non lædat naturam.

Tertiò, si alicui volenti abscinderetur manus, non fieret ei injuria, ut docet Bannes ex D. Thomâ in 4, q. 64, art. 5, in fine, et constat ex dictis supra, cap. 7, dub. 3; multò ergo minùs ob innocuam illam rupturam. Deniquè ipsa est domina sui corporis, et habet jus utendi eo, etiam ad hoc opus, ita ut nemini faciat propriè injuriam : sicut corrupta nemini facit injuriam, si suo corpore abutatur.

Dices secundò ex Cajetano : Si stuprum non habet peculiarem malitiam, quando parentes et puella consentiunt, ergo neque adulterium, si maritus et uxor consentiant.

Resp. negando consequentiam : violatur enim indissolubile illud vinculum, quod matrimonii contractus induxit; quod non est in mariti potestate.

4. Unde etsi uterque consentiat, adhuc duplex in adulterio malitia remanet. Primò, quia est commercium earum personarum inter quas nullum matrimoniale vinculum intercedit; sic enim habet turpitudinem fornicationis, estque contra castitatem. Secundò, quòd per illud violetur insolubile vinculum quod naturæ auctor alterum alteri obstrinxit, quodque sacramenti sanctitas confirmavit; hâc ratione habet malignitatem adulterii, estque quodammodò contra justitiam, ut multi doctores volunt, quia conjux jure illo cedere non potest : non tamen propriè est injuria in conjugem, ut ex dictis supra, cap. 7, dub. 3, constat; de hoc infra, lib. 4, cap. 3, dub. 10, plura.

Notandum tamen est Bannes supra constituere malitiam propriam stupri in quâdam deformitate, non contra justitiam, sed contra castitatem, quia natura ordinavit illam integritatem ad placendum viro in matrimonio. Sed profectò, hæc obligatio videtur parvi momenti; nam potest abstinere à nuptiis : potest etiam ita agere, ut vir non percipiat fuisse corruptam; denique potest ante matrimonium cum illo pacisci, vel esse parata perferre ipsius molestias. Unde etiam ipse non multùm huic sententiæ inhæret.

5. Dico secundò : Si puella potestati parentum subjecta absque illorum consensu patiatur se violari, illa violatio non continet specialem culpam mortiferam, ratione resignationis claustri virginei, quamvis ratione mœroris et infamiæ, quam affert parentibus, possit interdùm specialem et gravem culpam continere. Prior pars sequitur ex dictis, quia ipsa est domina sui corporis, nec parens majus habet jus in corpus filiæ inviolatæ, quàm violatæ. Secunda pars patet, quia ingens mœror parentibus inde solet obvenire, ob dedecoratam familiam et spes frustratas. Sed hæc incommoda per accidens conjuncta sunt violationi virginitatis, nempe ratione evulgationis : si enim occulta maneret, nihil tale sequeretur. Adde eadem sequi posse ex fornicatione filiæ corruptæ. Unde patet, hanc malitiam non constituere propriam speciem stupri. Est tamen valdè ponderanda, quia potest esse mortifera, utpote quæ sit contra charitatem proximorum, et pietatem seu reverentiam parenti et familiæ debitam; et sæpè ex eâ gravissima mala, ut inimicitiæ et cædes, sequuntur.

6. Dico tertiò : Si puella consensit liberè in sui violationem, non est propriè *stuprum* à fornicationis specie distinctum, sed tunc demùm propriè est tale, quando violatio fit ipsâ omninò invitâ. Ubi adverte *stuprum* aliquando accipi pro omni coitu lege prohibito : sic etiam adulterium, et sodomia, et incestus, *stuprum* vocantur, ut patet l. *Inter liberas*, π. de adulteriis; aliquando accipitur strictiùs : et sic in virginem et viduam committitur, ut habetur câdem lege. Sed propriissimè accipitur pro violentâ virginis corruptione, quæ Græcis propriè dicitur φθορὰ, id est, corruptio : unde *stupratores* et *corruptores* virginum propriè dicuntur qui vim inferunt : et sic propria ratio *stupri* consistit in hoc quòd virginitati seu claustro virginali vis afferatur. Quare supra fornicationem addit injuriam in puellam, quâ per vim integritas corporis (quæ maximi fieri solet) ei adimitur; unde est

gravissimum peccatum, pœnâ mortis plectendum.

7. Differt autem à *raptu*, quòd *raptus* vim includat, quâ puella abripitur à domo suâ, vel paternâ, et locum habere potest in corruptâ; *stuprum* autem tantùm in integrâ, et potest fieri sine omni raptu, sicut et raptus potest fieri sine violatione.

8. Ex his sequitur cogitationes seu declarationes morosas in virgine, et in adolescente circa virginem, etsi sint peccata mortifera, non habere tamen specialem malitiam mortiferam supra alias delectationes morosas, nisi conjunctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ.

## DUBITATIO II.

*Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit ei conjugium.*

9. Respondeo et dico primò: Si puella liberè consensit, ipse ad nihil ei tenetur. Sequitur ex dictis, quia volenti non fit injuria; neque tunc est propriè stuprum. Addo cum Soto, lib. 4, q. 7, art. 1, ad 2, neque parenti ejus quidquam tunc deberi. Ratio est, quia nec illi fit injuria, nisi fortè quatenùs censetur lædi honor, et dedecorari familia: puella enim est domina sui corporis. Neque D. Thomas, q. 62, art. 6, ad 3, contrarium tenet, ut quidam dicunt. Similiter ad nihil tenetur, si puella remisit damni compensationem: potest enim cedere jure suo, quod habet ad detrimenta nuptiarum sarcienda, præsertim cùm liberum ei sit à nuptiis abstinere.

10. Dico secundò: Si vi aut fraude usuram corporis extorsit, etsi absque promissione, tenetur tamen vel eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ita docent Navar. cap. 16, n. 16 et sequentibus, Silv. v° *Luxuria*, qu. 5, Anton. 2 p., t. 5, cap. 6, § 1, et alii. Probatur, quia damnum tunc per injuriam illatum est, ergo debet rependi. Hoc autem fiet vel matrimonio, vel damni æstimatione.

Sed contra, c. 1 de Adulteriis, dicitur: *Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, et habebit uxorem;* quod desumptum est ex cap. 22 Exodi, et c. 2: *Disponimus ut quam stupraverit uxorem habeat; ac si renuendum putaverit, corporaliter castigatus et excommunicatus, retrudatur in monasterium;* hìc non solùm ad alterum, sed ad utrumque teneri dicitur; nec solùm ad æstimationem damni, sed ad integram dotem.

11. Resp. hæc intelligenda esse post sententiam judicis, ut rectè docet Sylvest. supra: ante enim sententiam non tenetur, nisi ad alterum; neque ad integram dotem, sed solùm quanti pluris valebat spes nuptiarum, quam adhuc integra habebat: nam jure naturæ ad ampliùs non tenetur: ita Covarruv., 2 p. de Sponsal. cap. 8, § 8, num. 19.

Dixi, *absque promissione*, quia si intercessit promissio, implenda est, ut statim dicemus, n. 35.

12. Petes, quid si parens vel puella nolit admittere matrimonium, utrùm ipse damnum teneatur reparare pecuniâ? Respondeo: Si vi deflorata fuit, potest recusare ipsius matrimonium, et exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro suâ conditione nubendum. Idem dico, si fallaciter inducta fuit, ut si adolescens fingebat se nobilem vel divitem, ut eam deciperet: qui enim fingit aliquid, ob quod ipsa consentit, et cupit gratificari, sine quo nullo modo consensisset, injuriam ei facit, ac proinde tenetur de damno secuto. Covarr. tamen, p. 2 de Sponsalibus, cap. 6, § 8, n. 19, existimat puellam in hoc casu admittere debere matrimonium, si ipsius conditio ei respondeat: quæ sententia nititur quàdam æquitate. Sed verius putamus eam in rigore non teneri acceptare, quia circa ipsum decepta fuit per injuriam, ut existimaret esse alterius conditionis quàm revera sit; quæ deceptio causa fuit damni: unde potest justam compensationem exigere.

13. Sed quid si ipsa velit matronium? teneturne corruptor? Respondeo: Si nec tacitè nec expressè promisit (ut si vi aut minis extorsit), non tenetur ante sententiam, sed sufficit in foro conscientiæ damni illati compensationem præstare, sive vi sive fraude et mendaciis illam induxerit, modò promissio non intervenerit.

14. Petes utrùm adolescens teneatur ad alterum prædictorum, si precibus importunis usuram corporis impetrârit? Quidam putant non teneri, nisi conjunctæ fuerint minæ, aut metus reverentialis, ut si erat illius dominus aut superior, aut magnæ auctoritatis, cui ipsa nihil audeat recusare: ita Petrus Navar. lib. 2, c. 3, n. 444, et quidam alii recentiores; quæ sententia est satis probabilis, et ordinariè vera. Fieri tamen potest ut importunitas tanta sit, ut ratione illius solius teneatur, ut si adeò importunè eam sollicitet, ut ipsa malit grave illud virginitatis detrimentum pati, quàm assiduè tam improbâ sollicitatione enecari. Tales erant preces Dalilæ, quibus expugnavit Samsonem. Sed hoc rarum est, quia molestiam illam plerùmque aliter excutere possunt, conceptâ irâ, qualem in hâc causâ decet; deinde quamvis initio videatur multùm repugnare, postea tamen sæpè libenter consentiunt. Promissa verò vim non afferunt, sed blandè alliciunt, multòque magis munera; alioqui qui promissis vel muneribus impetrâsset officium, vel legatum, teneretur ad restitutionem, quod non est probabile. Vide plura infra, cap. 17, dub. 6.

15. Dico tertiò: Si puella vi aut fraude violata, fortè postea æquè commodis potita est nuptiis, ita ut nihil detrimenti acceperit, non debet ei quidquam necessariò restitui. Ita docent Navar., cap. 16, num. 17 et 19, multique recentiores. Probatur, quia neque pro ipsâ defloratione pudicitiæ, ut quæ irreparabilis sit, et pretio non æstimanda; neque pro damno inde secuto, cùm nullum reipsà secutum sit.

16. Dices: Stuprator constituit eam in periculo non inveniendi commodas nuptias, quod periculum est pretio æstimabile: ergo debet rependi.

Respondeo: Inferre alter periculum, etiam vitæ et fortunarum, non obligat ad restitutionem, nisi damnum reipsà sequatur; huic tamen non obstat quin aliqua compensatio possit in pactum deduci, antequàm se periculo quis exponat. V. g., possum justè exigere

100, ut me exponam vitæ periculo; tamen si alius me injustè adducat in tale periculum sine pacto, non tenetur ad ullam restitutionem, si fortè damnum secutum non fuerit, quia periculum etsi magni æstimetur ob damnum quod potest sequi, si tamen non sequatur reipsà, nihil pro illo restituendum (nisi pactum intervenerit), nam periculum damni non est damnum.

17. Dices secundò: Ergo puella, quæ jam centum acceperat pro defloratione, tenebitur restituere, si postea æquè benè nupsit, et nihil incommodi est perpessa. Respond. negando conseq.; primò enim, poterit retinere pro ipso pudicitiæ damno, juxta alteram sententiam, quæ probabiliter sentit illud esse pecuniâ reparandum; secundò, etiam juxta nostram sententiam non tenebitur. Ratio est, quia qui in aliquo periculo vitæ, fortunarum, vel infamiæ est constitutus, potest pacisci cum eo qui ipsum per injuriam in tale periculum conjecit, de damno quod probabiliter timetur, et quamvis postea non obvenerit, poterit tamen pretium conventum retinere, et si nondùm solutum fuerit, poterit ex vi pacti exigere, eò quòd illud periculum, quod alter præstare debebat, in se susceperit: quòd enim damnum non evenerit, vel suæ industriæ, vel benignæ Dei providentiæ adscribat. Confirmatur, quia potest quis pacisci de lucro cessante, vel damno emergente, antequàm eveniant (nempe, certo pretio periculum horum in se recipiendo); nec tenetur restituere pretium conventum, etiamsi non eveniant, quandò alterius causâ hoc periculum suscepit: ergo etiam poterit, quandò alterius culpa in periculum conjectus est, quia tunc ille tenetur periculum præstare.

18. Debet tamen hoc pactum iniri, dùm periculum adhuc durat: nam si nullum sit ampliùs, non est pretio æstimabilis ejus præstatio: itaque tunc pro eâ non poterit quidquam exigere. Similiter, nec hæredes puellæ poterunt exigere, si ipsa ante tempus nubendi obierit, et ante obitum pacta non fuerit, quia damnum non est secutum.

19. Denique si, postquàm pacta est, condonaverit: potest enim hanc condonationem facere, etiamsi sub parentum curâ fuerit, quia non parentibus, sed ipsi debetur.

## DUBITATIO III.

*Ad quid tenetur corruptor, si eam decepit promissione conjugii.*

20. Respondeo: Si promisit conjugium, et eâ spe seu conditione usuram corporis impetravit, tenetur eam ducere, etiamsi fictè promisisset. Est communis sententia doctorum. Probatur, quia hæc promissio facta est in modum contractûs; unde cùm ipsa ex parte suâ compleverit contractum, tenetur etiam ipse complere, prout exteriùs judicio prudentûm sonat; alioquin si tali artificio uti liceret, inimitis fraudibus humana commercia paterent. Confirmatur, quia ipsa, consentiendo bonâ fide in copulam pro matrimonio futuro, jus justitiæ acquisivit ad ipsius matrimonium, cui juri non potest ipse satisfacere, nisi consentiendo in matrimonium. Unde sequitur non satis esse eam dotare, vel largis donationibus damnum sarcire, si ipsa nolit acquiescere.

21. Idem dicendum si animo ficto cum eo per verba de præsenti contraxit, eo tantùm fine ut eâ potiretur, ut docet Sotus in 4, d. 27, q. 1, art. 3, et Adrian. q. 2, de matrimonio, et alii. Etsi enim matrimonium illo casu sit nullum, tamen manebit obligatio eam ducendi, si ipse velit, ratione injuriæ et damni secuti.

22. Adverte tamen excipi aliquot casus, quibus non tenebitur eam ducere, sed sufficiet aliter damnum sarcire. Primò, si ipse longè sit nobilior vel opulentior, idque ipsa sciverit; tunc enim facilè potuit suspicari ipsum simulatè nuptias promittere, ut eâ frueretur.

Dico, *si ipsa id sciverit*, quia si omninò ignoravit ipsius conditionem, et exteriùs non habuit ullam causam suspicandæ fraudis, tenebitur eam ducere, si ipsa velit: ita Petrus Navarra supra, et multi alii doctores. Ratio est, quia tenetur ex parte suâ contractum complere, ne ipsa detrimentum patiatur. Neque illa facit injuriam exigendo promissum, quia pacta fuit corpus pro corpore, bonâ fide: reliqua, ut divitiæ, nobilitas, per accidens se habent ad hunc contractum.

23. Quidam tamen dicunt posse eum pecuniâ satisfacere arbitrio prudentûm; quod est probabile: insinuat D. Thomas in 4, d. 28, art. 2, ad 4; ait enim *quòd teneatur eam ducere, si sint æqualis conditionis, vel si ipsa est melioris conditionis*, indicans non teneri, si ipse sit melioris. Idem tanquàm valdè probabile tenet Corduba lib. 1 sui Quæstion., q. 13. Ratio est, quia qui in contractu fictè aliquid promittit quod est longè melius, non tenetur illud dare, sed sufficit ut det aliud quod judicio prudentis sit æquale: sufficit enim ad justitiam ut contractus reducatur ad æqualitatem.

24. Secundò, si ex aliis conjecturis facilè deprehendi poterat ipsum non sincerè agere (ut verbis ambiguis uti, inconstanter loqui, nimiis uti exaggerationibus). Ratio est, quia in his casibus puella facilè potest advertere vel suspicari ipsum reverà nihil seriò promittere, sed se ludificari. Utrùm verò teneatur tunc damnum, si quod secutum fuerit, rependere, dubium est: quidam putant teneri, quia per injuriam causam damni dedit; fraude enim et mendacio eam decepit.

25. Sed verius videtur non teneri: si enim fraudem facilè potuit advertere, non præsumitur decepta, sed fingere deceptionem, ut ait D. Thomas supra, et Silvest. *Matrimonium* quartò, q. 8; Tabi. v° *Matrimonium* 2, q. 7, et Fumus, v° *Restitutio*, n. 22, citatque D. Thomam et Vercellensem.

26. Tertiò, si aliquod impedimentum legitimum intervenerit, ut si fiat ejus affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si grave aliquod damnum vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur: denique si pater nolit eam dare. In his casibus sufficiet damnum sarcire, de hoc tamen ultimo est difficultas; nam si corruptor non admittitur à parente puellæ ad matrimonium, paratus alioquin promissorum fidem præstare, cur in conscientiâ teneatur alio modo damnum sarcire? Quidam distinguunt,

si ex animo promisisset, ad nihil aliud obligandum, quia nullam injuriam intulisset; si autem animo fallaci promisisset, tunc à parente et à puellâ posse repudiari tanquàm impostorem et pudicitiæ insidiatorem, et tamen ratione injuriæ teneri nihilominùs damnum sarcire.

27. Sed puto, in conscientiâ ad aliud non teneri quàm ad implendum promissum, ducendo eam in uxorem; sic enim abundè videtur satisfacere pro injuriâ per fictionem illatâ. Quod confirmatur ex aliis contractibus; si enim fictè tibi promittam mutuum, eoque nomine tu emas merces, facio tibi injuriam, et teneor sarcire damnum, nisi servem promissum: si tamen servare volo, tu verò nolis accipere, non teneor damnum secutum compensare.

28. Quartò, si illam contingat postea cum alio fornicari, prior non tenebitur eam ducere. Ratio est, quia in promissione sponsalium hæc conditio tacitè subintelligitur. Sed difficultas est, utrùm tunc teneatur illi aliter satisfacere? Respondeo non teneri, nisi ante fuerit conventum; nam ex vi promissionis solùm tenetur eam ducere; quæ obligatio extinguitur per supervenientem fornicationem; unde nisi antea fuerit mutata in obligationem pecuniariam, nihil ei ex justitiâ debebitur.

29. Quintò, si dicenti se virginem promisit nuptias, ut eâ potiretur, et postea deprehendat non esse virginem, non tenebitur stare promissis: ita Lopez, 1 p., c. 76, citans pro se Armillam; idem tenet Corduba lib. 1, q. 13, sui Quæstionarii dicto 3. Ratio est, quia sicut eam decepit, ita vicissim ab eâ deceptus est: itaque est compensatio injuriæ; unde nec videtur pecuniâ compensare debere: cur enim teneatur, cùm ab eâ deceptus sit? Confirmatur, quia si seriò promisisset, non teneretur propter illam deceptionem, ergo neque dùm fictè.

30. Sextò, si putabat illam esse virginem, et in conjunctione deprehendat reverà non fuisse, quamvis ex verbis ejus deceptus non fuerit, quo casu non tenebitur illam ducere, ut docet Corduba supra lib. 1, c. 13, quia illa causa sufficiens est ad solvenda sponsalia; tenebitur tamen, juxta prædictum auctorem, pecuniâ compensare, quia ipsa illum non decepit fraude aliquâ. Contrarium tamen fortè non improbabile, quia si seriò promisisset, non solùm non teneretur eam ducere, sed neque dotare. Nam ex vi promissionis solùm obligatur ad eam ducendam; quæ obligatio cessat ex eo quòd deprehendat non esse virginem, ut alibi dictum est: quam sententiam invenio probatam doctissimo viro Thomæ Sancio lib. 1 de Matrimonio, disp. 10, n. 12.

31. Adverte tamen: Si sciebat eam non esse virginem, et promisit ei matrimonium fictè, ad obtinendam copulam, eâ secutâ, tenebitur illam ducere, si ipsa velit, quia ipse deceptus non fuit, et illa ex parte suâ præstitit conditionem contractûs: ita docent Silvest. v° *Matrimonium*, 4, q. 8, Palud. d. 28, q. 1, art. 2, concl. 4. Contrarium tamen esse verius, si non timetur infamia, docet Thomas Sancius, citans Lopezium, Veracruz, et reliq.; quare sufficiet compensare pecuniâ. Ratio est, quia corrupta, exigendo tale matrimonium pro corporis sui usurâ, nimium exigit. Non enim tanti æstimatur copula cum corruptâ, ut matrimonio ejus debeat compensari. Unde cùm non teneatur ad matrimonium ratione promissionis (ut quæ nulla fuerit), nec ratione damni, cùm nullum secutum sit, ut suppono: solùm tenetur judicio prudentis compensare copulam, per talem injuriam obtentam; secùs tamen si esset honesta vidua, et impenderet infamia.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm is qui ante voverat ingredi religionem, si postea puellam sub promissione verâ vel fictâ matrimonii deceperit, possit ingredi.*

32. Resp. non posse intrare, sed teneri eam ducere, ut passim doctores tradunt: si tamen ipsa votum ejus omninò ignoravit, et recuset omnem aliam satisfactionem. Probatur, quia ingressus religionis jam factus est ei illicitus; non enim potest ingredi, nisi gravem injuriam irrogando puellæ; ergo, etc.

Secundò, à simili. Si ego vovissem 100 dare in eleemosynam, et postea inferrem alteri damnum tanti æstimatum, nec haberem aliunde quo illud compensarem, tenerer dare illa 100 Deo vota, nec possem persolvere votum, omissâ damni compensatione, quia obligatio strictæ justitiæ præponderat obligationi religionis: ergo similiter hìc, cùm ratione contractûs et damni pudicitiæ, corpus illius sit obnoxium puellæ, nec aliter possit ex æquo sarciri, nisi cum illâ contrahendo, tenebitur contrahere, et etiam consummare matrimonium; nam contrahendo et non consummando, non censebitur reparatum damnum pudicitiæ, nec occurretur efficaciter infamiæ imminenti.

Tertiò, quia puella bonâ fide ex parte suâ complevit contractum, cum damno suæ pudicitiæ: ergo alter tenetur complere ex parte suâ. Neque puella tenetur admittere aliam compensationem, tum quia pudicitia non est pecunia æstimabilis, tum quia non tenetur subire infamiam amissæ virginitatis, ut ille votum suum impleat.

33. Adverte tamen, si puella scivit eum habere votum castitatis vel religionis, non potest urgere ipsius nuptias, quia non bonâ fide contraxit, cùm videret ipsum non posse nuptias promittere. Sed teneturne tunc aliter compensare? Certè non videtur teneri (nisi fortè persuaserit puellæ se facilè obtenturum dispensationem), quia non fuit ab ipso decepta; scivit enim quod promissum est non posse ab ipso licitè præstari.

34. Petes utrùm in his casibus impetrari debeat dispensatio voti. Respondeo non videri necessarium, quia executio voti facta est illi illicita; consulendum ut petatur, quia aliàs tenebitur ex parte suâ servare castitatem, si eam vovit; unde non poterit debitum petere, sed tantummodò reddere, eâ implicitè vel explicitè petente.

35. Quod dictum est de eo qui promissione matrimonii virginem decepit, non posse illum ingredi religionem absque ipsius consensu, idem dicendum de eo qui contractis sponsalibus non obtinuit quidem usuram corporis, sed magnam familiaritatem quæ moveat suspicionem copulæ, ita ut absque notabili infamiâ puellæ non possit recedere à contractu : ita Corduba et Lopez supra, n. 29, citati. Ratio est, quia non potest hanc jacturam aliter sarcire. Idem dicendum si erat vidua bonæ famæ, et non infimæ sortis, ob eamdem causam. Denique idem docet Sancius lib. 8, disput. 36, si puella vi vel dolo fuit deflorata, vel precibus violentiæ æquipollentibus, et corruptor ut huic injuriæ satisfaciat, spontè promittat ei matrimonium : tunc enim tenetur stare promissis, nec potest illâ invitâ religionem capessere. Ratio est, quia ex vi illius defloralionis injuriosæ tenetur illam ducere, vel dotare, juxta cap. 1 de adulteriis, quod ex lege veteri translatum in jus canonicum. Itaque cùm ratione injuriæ violationis teneatur ad alterum disjunctivè, ubi semel elegerit alteram partem, non potest mutare absque consensu puellæ : *quod enim semel placuit, ampliùs displicere non potest :* juxta regulam 21 de regul. juris in 6. Quod intellige, si alterius intersit, ut ibidem Glossa : atqui hìc plurimùm interest puellæ te non mutare. Confirm., quia cùm obligatio est disjunctiva, factâ electione alterius partis, hæc sola debetur, ut patet in aliis debitis; electio autem in hujusmodi est debitoris; unde debet esse libera. Quare si metu cogatur ad illam partem, nempe ad promittendum matrimonium, non tenetur ad illam; sed solvendo dotem, vel damnum sarciendo, est liber. Si viduam honestam vi vel fraude absque promissione matrimonii cognovit, etsi postea ei promitteret matrimonium in satisfactionem, nihilominùs posset alio modo pro injuriâ satisfacere, et ita religionem ingredi : ita Sancius supra ; quod intellige, nisi sequeretur illam gravis infamia, cui aliâ ratione non possit occurri. Ratio est, quia talis promissio fuit omninò libera (solùm enim de deflorante virginem statutum est, ut teneatur eam ducere, vel dote augere, cap. 1 et 2 de adult.); unde habet tacitam conditionem, nisi religionem ingrediar. Sicut qui promissione pecuniæ puellam defloravit, et si postea loco pecuniæ promittat matrimonium, nihilominùs potest religionem ingredi solutâ pecuniâ promissâ, quia cùm sit promissio omninò libera, non à jure imperata, habet tacitam conditionem prædictam.

Verùm etsi hæc sint probabilia, verius tamen puta esse eamdem rationem in foro conscientiæ ; sive promissio facta sit viduæ honestæ, sive virgini, in prædictis casibus, modò cætera sint paria. Ratio est, quia jus illud c. 1 de adult. eum obligat ante sententiam judicis, ut supra dictum est, et communiter docent auctores. Itaque promissio illa matrimonii in utroque casu censetur liberalis; ac proinde tacitam habens conditionem, nisi religionem ingrediar : poterit ergo ingredi, solvendo dotem, aut prudentis arbitrio compensando, nisi per sententiam coactus fuerit illam ducere. Ubi etiam advertendum eum qui consentientem defloravit, si postea ei matrimonium promittat, in foro externo cogendum ut eam ducat. Ratio est, quia quando vi vel dolo fecit secutâ promissione, est compellendus, ut dictum est : atqui præsumitur ita fecisse, quia non videtur spontè consensisse; unde cogetur, nisi probet illam vel non fuisse virginem, vel spontè præbuisse consensum, ut rectè Sancius supra.

## DUBITATIO V.

*Utrùm adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ pro injuriâ, si partus non sit secutus.*

36. Respondeo et dico primò : Si nullum aliud damnum secutum est, non teneri quidquam pro hâc injuriâ marito illatâ rependere. Ratio est, quia injuriæ ab omni damno separatæ, non debetur ex justitiâ, nisi satisfactio, per signa doloris, veniæ petitionem, etc.; quæ tamen locum non habet, quando injuria ignoratur; unde nisi maritus resciscat, non tenetur adulter ad talem satisfactionem : hæc enim satisfactio non fit, nisi sentienti se injuriâ affectum, cùm consistat in placatione animi exacerbati; quòd si resciscat, et putetur cupere, tenetur : aliàs minimè.

37. Dico secundò : Si maritus exigat satisfactionem pecuniariam, alter non tenetur eam præstare. Ratio est, tum quia tale damnum non est illatum, tum quia hæc conventio seu transactio pro injuriâ adulterii jure est interdicta, l. *Transigere*, 18, c. de transactionibus, ubi dicitur : *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est.* Idem vetatur l. *Miles*, 11, π. *ad legem Juliam*, de adulteriis ; quod idcircò jus vetuit, ne maritus videatur suæ uxoris lenocinium facere, ejusque corpus ad quæstum tanquàm leno prostituere.

38. Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri, quia leges illæ magis pertinent ad judices, ne concedatur actio, nimirùm in pœnam, ob præsumptionem lenocinii, quàm ad mores privatos.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm si secutus sit partus, teneatur adulter ad restauranda damna quæ consequuntur marito vel hæredibus legitimis, ex sustentatione ejus et hæreditatis partitione.*

39. Respondeo et dico primò : Adulter non tenetur ad ullam damni compensationem, nisi ei moraliter certum sit esse suam prolem. Ubi adverte non videri certum, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario, ut dictum est 1-2, q. 19, a. 6. Id enim moraliter certum censetur, quod prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile : talia enim passim humano more certa dicuntur.

40. Nunc probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis; nemo enim tenetur aliquid solvere, et re suâ se spoliare, nisi ei constet se debere : con-

sentiunt ferè in hoc doctores. Quamvis enim quidam dicant illum teneri, quando probabiliter credit esse suam prolem, hoc tamen non est ita generatim intelligendum; sed quando ita credit, ut non habeat probabilem rationem dubitandi de contrario. Fieri enim potest ut quis probabiliter credat esse suam prolem, et etiam probabilitatem habeat non esse: quo casu certum est non teneri. Vide Sotum, lib. 4 de Justit. q. 7, art. 2; Navar. c. 16, n. 48 et 49.

41. Dico secundò: Si ullo modo suasit vel procuravit, ut adultera prolem susceptam marito supponeret, fingeretque esse ejus prolem, tenetur de damno secuto, nempe de alimentis et hæreditate, unà cum adulterâ. Ratio est, quia uterque est causa totius damni.

Ubi adverte utrumque teneri æquè primò pro ratâ: adulterum, quia utriusque nomine suasit; adulteram, quia utriusque nomine fecit. Quando enim consilium est in commodum consultoris, ipse tenetur primo loco, executor solùm in defectum; si tantùm est in commodum executoris, executor tenetur primò, consultor solùm secundariò in defectum; si in commodum utriusque, uterque tenetur æquè primò pro ratâ; in solidum verò, ex defectu alterutrius, ut inf., c. 13, dub. 5, dicetur.

42. Dico tertiò: Si adulter agnoscat esse suam prolem, vel certè nullam habeat justam rationem dubitandi, tenetur restituere saltem ea quæ impensa in alimenta prolis, à tertio anno ætatis et deinceps, quamdiu parens tenetur filium alere, quamvis non suaserit suppositionem. Est communis sententia doctorum contra Sotum supra. Probatur, quia pater à tertio anno tenetur alere filium et deinceps, donec sibi de alimentis providere possit; à partu autem ad tertium annum inclusivè, tenetur mater: colligitur ex c. 2 de conversione infidelium, et probat ibidem Glossa; et ex l. *Nec filium*, 9, c. de patriâ potestate.

43. Sed præcipua difficultas est de restitutione hæreditatis, quam nothus ille cum aliis filiis, tanquàm unus ex legitimis prolibus, cernit.

Quidam docent, etiamsi adulter agnoscat esse suam prolem, tamen non tenere sarcire damnum legitimis filiis, ex illegitimi successione obveniens; modò non fuerit auctor suppositionis: docet hoc Sotus supra, et Henriquez lib. 1 de Matrimonio, cap. 21, ubi pro eâdem sententiâ citat Pennam. Alii quidam recentiores, etsi contrarium teneant, tamen fatentur hanc Soti sententiam non esse improbabilem.

Probari potest primò, quia iste adulter non est verè causa hujus damni; neque enim illud intendit, neque suâ actione attingit, sed alienâ actione provenit: nempe matris suppositione, et fictione, quæ illum tanquàm legitimum marito suo supponit; cujus fraudis adulter non est auctor, nec consultor, uti ponimus.

Secundò, si adultera procuraret sibi abortionem, non censeretur adulter causa homicidii, nisi fortè suasisset vel adjuvisset: ergo similiter non censebitur causa suppositionis, et consequenter neque damni ex suppositione secuti; non enim videtur esse magis causa suppositionis quàm abortionis, cùm neutrum consuluerit, et utrumque ex solâ voluntate adulteræ secutum sit: ipso materiam, circa quam utrumque fit, duntaxat suppeditante, id est, prolem.

44. Dices censeri auctorem hujus suppositionis, quia matrem in eam necessitatem conjecit, ut necessariò deberet prolem supponere, alioquin debuisset seipsam prodere. Respondetur non ideò censeri auctorem, quia non conjecit illam nolentem rem et invitam in eam necessitatem, sed volentem: unde ipsa sibi debet imputare, quòd in eâ necessitate sit constituta.

45. Addi potest probabile videri quòd, etsi per injuriam illam in hanc necessitatem conjecisset (quamvis teneretur illi de damno quod ipsa pateretur), non tamen obligatum ita hæredibus, quibuscum illegitimus operâ matris hæreditatem dividit; ut si constituam aliquem in necessitate accipiendi mutui aut vendendi supellectilis, et ille ratione istius inopiæ faciat injuriam tertio, non tenebor tertio, cui ille injuriam, occasione inopiæ, fecit; sed illi, cui ego injuriam intuli.

Verùm contraria sententia mihi placet, primò, quia communis, à quâ proinde in re tanti momenti non est facilè recedendum; secundò, quia non expedit in re tam nefariâ favere adulteris; tertiò, quia etiamsi adulter non suasit suppositionem, tamen est causa cur nothus ille credatur esse legitimus filius mariti, idque iniquo modo, videlicet commercio cum uxore alienâ.

46. Unde cùm ex injurioso facto ipsius sequatur hæc falsa credulitas, censetur etiam causa damni, quod ex illâ credulitate nascitur.

Neque dici potest hoc damnum inde nasci per accidens, quia sicut ille error ut plurimùm sequitur ex tali facto iniquo, ita ex errore damnum; idque facile erat prævidere.

Et confirm., quia adulter verè est causa suppositionis: hoc ipsò enim quo facit nasci prolem ex alienâ uxore, supponit illam marito ejus, tanquàm esset ipsius vera proles; nam id sufficit ut censeatur proles mariti, et consequenter ut supponatur marito tanquàm sua: ergo est causa suppositionis, et consequenter damni quod sequitur. Sicut si ipse poneret prolem vivam actu in utero uxoris alterius, verè supponeret prolem marito, non minùs quàm si occultè in domo, subtractâ vel interfectâ prole illius, supponeret extraneam: atqui eadem est ratio de semine, quod est proles in potentiâ; sicut perinde est, sive serpentem actu, sive semen ejus ponas in loco, unde postea nociturus est.

Dices: Sola mulier supponit pariens in domo mariti, vel affirmans ejus esse prolem.

Resp. negando antecedens, quia non est opus ad suppositionem, ut dicat esse prolem mariti. Nam hoc ipso quo non est suspicio adulterii, censetur esse mariti; quare eo ipso quo causam dedit pariendi, suppositionis crimen admisit; unde cùm non sola, sed unà cum adultero causam dederit, etiam adulter est causa suppositionis. Nec refert etiamsi foris non pariat,

quia ad id non tenetur, nisi salvâ famâ et vitâ commodè possit : et quamvis posset, non tamen idcircò, id omittendo, ipsa esset sola causa suppositionis, quia per hoc non excusaretur adulter, neque idcircò ex ejus facto minùs damni proveniret.

Similiter non excusatur ille, etsi ortâ suspicione adulterii, ipsa juret esse prolem mariti, quia damnum aliarum prolium semper ex ejus facto injusto sequetur, si nothus succedat; sicut quando duo causam efficacem damni futuri dederunt, non excusatur alter ex eo quòd alter causam illam occultet. V. g., Titius et Caius propinârunt alicui latens venenum, unde ille moriturus est, nisi ei succurratur; oritur suspicio de Titio : negat Titius; hinc fit ut ille moriatur : non excusatur Caius à restitutione, sed unà cum Titio tenetur, quia causam efficacem dedit, unde reipsà damnum secutum est.

Hinc etiam patet non esse necesse ut tempore adulterii exstent liberi, quibus fiat injuria, quia sufficit per actum injustum poni causam, ex quâ liberis exstantibus damnum sequetur. Manet enim actus ille injustus virtute in causâ, velut in semine; sicut cùm tyrannus legem injustam scribit, quæ etiam ad 100 annos nocet.

Ex his facilè solvas rationes sententiæ diversæ.

## DUBITATIO VII.

*Ad quid teneatur adultera, si partus secutus sit.*

47. Respondeo et dico primò : Tenetur, quantùm fieri potest sine famæ dispendio et vitæ periculo, procurare, ne legitimi hæredes ratione hujus illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant. Ita communiter doctores. Unde si habet parapherna, tenetur ea relinquere legitimis in compensationem. Similiter, si quid ex labore capiat lucri, ad quod ei etiam diligentia præstanda. Debet etiam solitos sumptus imminuere, quantùm commodè potest, spectatâ conditione statûs, valetudinis, etc. Quòd si hisce modis non potest satisfacere, tenetur eum inducere ad capessendam religionem, si ad eam videatur idoneus. Ratio est, quia omnibus modis debet cavere damnum hæredibus.

48. Dico secundò : Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur ad aliud, sed potest permittere ut illegitimus succedat. Ratio est, quia nullum tunc sequitur damnum legitimis hæredibus.

Dices : Illegitimus per leges civiles est incapax hæreditariæ successionis : atqui hæ leges obligant in conscientiâ.

49. Respondeo primò non esse incapacem, quando eo nomine illa portio cæteris est compensata, et res omninò est occulta; atque in hoc casu leges illas accipiendas.

Secundò, etiamsi sit incapax, tamen potest permitti ut succedat, ne ipsa infametur, præsertim quando alii inde damnum non sentiunt, ob compensationem.

50. Dico tertiò : Etiamsi nullo modo possit mater compensare damnum, non tenetur tamen prodere suum crimen marito aut proli, nisi moraliter certa sit damni avertendi. Est communis doctorum præter Adrian. q. 1 de restitut., § *Sed restat*, et Palud. in 4, d. 27, q. 2, art. 1, qui putant eam teneri sese prodere, quamvis existimet se nihil effecturam, quia, inquiunt, fieri potest ut filius ei credat, et fortè occidat.

Probatur nostra sententia, quia in dubio melior est conditio possidentis : ergo quamdiu prudenter dubitat an proderit revelatio, non tenetur famam suam, crimen occultum pandendo, prodigere, multòque minùs, quando parùm est credibile profuturum. Imò id magnæ esset imprudentiæ; redderet enim se infamem et exosam apud filium, et ipsum conjiceret in magnos æstus animorum; quod non est faciendum absque certo fructu, de quo probabiliter non dubitetur.

51. Ubi adverte primò rarò accidere ut adultera non habeat justam rationem dubitandi an revelatio proderit.

Primò, quia filius matri dicenti ipsum spurium non tenetur credere, etsi sciat ipsam adulteram fuisse, ut docet Glossa in c. *Officii* 9, de pœnit. et remissionib., et fatentur omnes canonistæ in cap. *Per tuas*, 10, de probationibus, et jurisperiti in l. *Si posthumus*, 14, π. de liber. et posthumis. Ratio est, tum quia alleganti suam turpitudinem, nulla debetur fides, ut in regulis juris dicitur; quod intellige, cum alterius præjudicio, ut in præsenti casu accidit; tum quia, cùm ipse et suâ et publicâ opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi convincatur; itaque quamdiu subest aliqua ratio suspicandæ fraudis vel erroris, non tenetur credere : tum denique quia ingenium mulierum est alios præter modum amare, alios odisse.

Secundò, quia mater potest sibi persuadere filium, etiamsi credat animo, tamen verbis negaturum, nec ideò cessurum hæreditate, sed potiùs omnia litibus et tumultibus mixturum.

52. Adverte secundò : Si filius omninò convincatur (ut quia mater testibus probat parentem toto illo tempore abfuisse), tenetur non adire hæreditatem.

Dices : Qui alterum infamavit, tenetur revocare, quamvis non putet aliquem crediturum : ergo mulier tenetur se filio aperire, etc. Ita Adrian.

Respondeo : Si infamator certus sit nihil profuturum, non tenetur; si dubius, tenetur, quia ipse damnum intulit in famâ, quod etiam cum famæ dispendio debet sarciri : mulier autem ipsa damnum non intulit, sed solùm causam dedit, ex quâ damnum sequetur, non famæ, sed pecuniæ; unde tenetur impedire, si potest, etiam cum dispendio pecuniæ, non tamen cum dispendio vel periculo famæ.

53. Dico quartò : Quamvis certa spes esset per revelationem criminis, damnis hæredum occursum iri, non tamen tenetur crimen suum patefacere, si inde periculum vitæ vel famæ sibi impendere putaret.

*De periculo vitæ* est communis sententia doctorum. *De periculo famæ* docet Scotus d. 15, q. 2, sub finem; Gabr. ibidem, q. 2; Cajet. q. 62, a. 6, et opusculo 31, responsione 14, et Navar. c. 16, n. 44, et c. 17, n. 89, ubi fusè et doctè id probat, et c. 28, n. 47; Covarr. regulâ *Peccatum*, 1 p n. 7; Innocent. Panor.

et alii canonistæ in c. *Officii*, 9, de pœnit. et remiss.; Castro lib. 2 de Potestate legis pœn. cap. 11; Medina, c. de restitut. q. 3. Et quidem *de periculo vitæ* patet primò, quia vita nullo pretio est æstimabilis : ergo propter rei pecuniariæ restitutionem, non tenetur quis unquàm vitam prodigere aut periculo exponere.

Secundò, quia in periculo vitæ cessat dominiorum distinctio, ita ut licitè re alienâ tanquàm tuâ uti possis; nec tenearis eam restituere, quamdiu periculum durat, ut si in fugâ alienum equum consecenderis, et ille perierit : ergo, etc. Hinc fit ut etiamsi amplissima hæreditas, aut primogenitura, aut etiam regnum ad spurium devolvi deberet, non tamen ad hoc impediendum vita exponi debeat : nunquàm enim potest esse tanta externorum bonorum copia, ut ipsam per se solam præferri vitæ oporteat.

54. Si tamen spurius esset perditis moribus, ita ut ex dominatu ejus timeretur mala reipublicæ administratio, legitimus autem esset optimæ spei, teneretur adultera etiam cum vitæ periculo impedire spurii successionem : hoc enim non provenit ex obligatione quâ tenetur impedire damnum legitimi hæredis, sed malum reipublicæ; estque hæc obligatio potiùs ex lege charitatis vel justitiæ legalis, quàm justitiæ commutativæ.

55. Altera pars, quòd *neque cum famæ periculo*.

Probatur primò ex cap. *Officii*, 9, de pœnitent. et remissionibus, ubi pontifex consultus de quâdam muliere quæ partum sibi insigni artificiò supposuerat, essetne absolvenda, cùm crimen suum timeret marito detegere, respondet : *Sicut mulieri quæ ignorante marito de adultero prolem suscepit, quamvis id timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi; sed competens satisfactio debet injungi per discretum sacerdotem.* Hìc pontifex loquitur in genere de eâ quæ ob aliquam justam causam timet marito detegere crimen; nempe ob periculum vitæ, vel famæ, vel etiam perpetuæ offensionis.

56. Secundò, quia facta est res superioris ordinis, quæ juxta Regulam Cajet. et Navarri nunquàm est necessariò exponenda pro rebus inferioris conditionis. Hinc enim fit ut homo etiam infimæ sortis non teneatur vitam exponere pro maximis thesauris restituendis, vel famâ etiam illustris hominis reparandâ.

Tertiò, quia fama apud homines pecuniâ non solet æstimari; et si quis eam sic æstimaret, præoptando pecuniam famæ, contra rectam rationem faceret; *melius enim est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, ut habetur Proverbiorum 22, quo fit ut etiamsi ad perfectionem pertineat pecuniarum renuntiatio, non tamen famæ et boni nominis, cùm hæc ad ædificationem proximi et rectam officii administrationem pertineant. Vide infra, c. 11, dubit. 15.

Quartò, quia quòd soli succedant legitimi, legibus humanis est introductum, quæ non videntur obligare, sed omninò cessare, quando imminet tale dispendium.

57. Adverte autem primò nos loqui de muliere honestæ conditionis, et quæ pro tali passim habetur; hæc enim propriè est bonæ famæ. Nam si suspecta sit, vel adeò vilis, ut ipsius fama prudentùm judicio parvi sit pretii, putarem locum habere posse sententiam Soti, famam judicio prudentùm esse componendam cum æstimatione hæreditatis : quod tamen non admiserim de verâ famâ, qualem honestæ conditionis et vitæ materia possidet.

58. Secundò, si maritus sit vir valdè bonus et prudens, et pariter filius, ipsique rem silentio sint compressuri, neque idcircò mulierem osuri, aut probris vexaturi, non censebitur se infamare, quamvis crimen illis detegat. Unde si hæ circumstantiæ adsint, et simul si certa spes damni avertendi ( quod sanè rarissimum est ), tenebitur se ipsa prodere.

## CAPUT XI.

### DE INJURIIS FAMÆ ET HONORIS, PER DETRACTIONEM ET CONTUMELIAM, DEQUE NECESSARIA RESTITUTIONE.

( *Complectitur dubitationes* 27. )

## DUBITATIO PRIMA.

*Quid sit fama et honor, et quomodò distinguantur.*

1. Respondeo : Jurisperiti sic definiunt : *Fama est illæsæ dignitatis status, legibus et moribus comprobatus.* Ita habetur l. *Cognitionum*, 5, π. de extraord. Cognit.; sed hìc tantùm bona fama describitur. In genere sic describi potest : *Fama est multorum existimatio de vitâ et moribus alterius.* Sermo etiam de hisce et rumor, fama dici solet, nempe à *fando*; sed potissimùm consistit in ipsâ opinione et judicio interno, estque duplex, *bona*, *mala*. Nos hìc solùm de bonâ agimus, quæ potissimùm consistit in opinione virtutis et sapientiæ ( in quibus etiam intelligo functiones ex his procedentes ); hæc enim duo sunt propria hominis bona, ob quæ sola est laude dignus : secundariò autem in opinione ingenii, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ, opum, et similium; quæ etiam magni æstimantur apud homines, qui et famam ex hisce quærunt.

2. *Honor autem nihil est aliud quàm testificatio quædam excellentiæ alterius*, ut docet D. Thom. q. 103, art. 1, ad 2; immediatè tamen est testificatio nostræ opinionis, de excellentiâ alterius, cum quâdam nostrî submissione; et mediatè, ipsius excellentiæ : nam signa externa immediatè significant nostros conceptus et affectus; mediatè res ipsas. Hoc autem fit vel verbis, vel signis : verbis, ut quando quis alterum honorificè compellat, ut sapientem, eximium, magnificum, clarissimum, etc.; signis, ut genuflexione, corporis inclinatione, cessione primi loci, erectione statuæ, etc.: qui enim cupiunt honorari, nihil aliud optant, quàm talia signa suæ excellentiæ exhiberi.

3. Excellentia autem quam respicit honor, potissimùm consistit in sapientiâ et virtute ( quæ etiam sanctitas dicitur ); hæc enim habent præcipuam excellentiam; deinde etiam in aliis perfectionibus et dignitatibus vel moralibus, vel realibus à Deo communicatis, sive mediante ratione naturali, sive supernaturaliter. Sic potestas, quæ est in principibus ecclesiasticis et

secularibus, et quæ est in sacerdotibus, est honoranda, quia est communicatio quædam divinæ potestatis; dignitas quoque principii, seu causæ, quæ est in parentibus ; denique omnis perfectio rationalis naturæ, quia est principatio quædam perfectionis divinæ , est aliquo modo ratio honorandi, si nihil aliud impediat. Quod addo, propter *dæmones* et *damnatos*, qui quia in malo obdurati, et omni ignominiâ digni, nullo honore sunt afficiendi.

4. Denique id quod singularem quemdam ordinem, vel ut effectus, vel ut instrumentum ad hasce perfectiones habet, etiam est ratio honorandi. Sic nobilitas et divitiæ honorantur : nobilitas, quia ex præclarè gestis orta est; divitiæ, quia ad opera præclara facultatem præbent, suntque virtutis instrumentum.

5. Ex his patet differentia honoris et famæ : nam fama est opinio virtutis, sapientiæ, et rerum præclarè gestarum alterius; honor autem est testimonium excellentiæ. Fama igitur consistit in internâ opinione, et dùm exit in opus externum, dicitur laus, vel vituperatio; honor autem consistit in externâ significatione nostræ æstimationis de excellentiâ alterius, et submissionis nostrî, unde supponit opinionem excellentiæ, et intentionem exteriùs per aliquod signum eam testandi (in quo signo consistit honor), idque ideò, quia hoc excellentiæ est debitum. Hinc fit ut honor sit excellentius quid, quàm fama : nam includit famam, seu opinionem excellentiæ, et præterea ejus testificationem et manifestationem. Unde meritò Aristoteles, lib. 4 Ethic. cap. 3, docet *honorem esse maximum inter bona externa*, cujus signum est, quia, ut ipse ait, *principatus et divitiæ propter honorem sunt optabilia;* sed de his plura infra c. 36, dubit. 1 et 2.

## DUBITATIO II.

### *Quid sit detractio.*

### (*D. Thomas quæst.* 37, *art.* 1.)

6. Respondeo : *Est alienæ famæ occulta et injusta denigratio seu violatio.* Ita ab omnibus passim doctoribus definiri solet. Ubi adverte duo requiri ad *detractionem :* primò ut aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, ut alicujus famam et existimationem quam possidet in animo alterius, extinguere aut minuere valeat; secundò, ut fiat occultè, saltem juxta intentionem dicentis : si enim quis in præsentiâ alterius , famæ detrahere intendat, jam non erit simplex detractio; sed *contumelia*, quæ dictis vel aliis signis incoràm violat alterius honorem : ut patet ex D. Thomâ, q. 72, a. 1.

7. Unde dupliciter differt *detractio* à *contumeliâ*, primò, quòd detractio directè lædat famam , contumelia autem honorem ; secundò, quòd detractio fiat occultè, seu in absentiâ , sicut furtum , juxta illud Ecclesiastæ 10 : *Si mordeat serpens in silentio , nihil eò minus habet , qui occultè detrahit ;* contumelia autem potissimùm fit incoram : sicut enim honor non exhibetur nisi præsenti, vel absenti tanquàm præsenti ( desiderat enim is qui honoratur, ut honorato innotescat et opinio, quam de illius excellentiâ habet, et testimonium, quod exhibet ); ita contumelia non fit nisi præsenti, vel absenti tanquàm præsenti. Unde patet detractionem cæteris paribus esse minus peccatum quàm contumeliam , tum quia minus bonum aufert, tum quia est minùs contra alterius voluntatem; nam occultè et altero nesciente aufert famam, sicut fur pecunias, quod est signum ipsum revereri eum cui nocet; sed contumelia , quasi vi illata, honorem aufert scienti et actu renitenti, sicut raptor pecunias.

8. Notandum est detractionem fieri octo modis, ut colligitur ex D. Thomâ : quatuor directè, et quatuor indirectè. Directè primò, imponendo crimen falsum; secundò, amplificando crimen verum; tertiò, pandendo crimen occultum ; quartò, sinistrè interpretando alterius factum : qui quartus modus, quatenùs in animo alterius per tuam interpretationem lædis bonam opinionem quam ipse de proximo conceperat , vel ingeneras pravam, pertinet ad detractionem : ut verò in animo tuo, sic judicando temerè, proximo injuriam facis , ad temerarium judicium. Indirectè primò, negando rectè facta, vel dotes alterius ; secundò, ea extenuando; tertiò, tacendo bona alterius eo loco et tempore quo tuum silentium alii interpretabuntur tacitam vituperationem ; quartò, simulatè vel frigidè laudando : ut quando quis simulat se velle laudare aliquem, et tamen nihil affert laude dignum. Nam ut Phanorinus apud Gellium lib. 19, Noctium Attic. c. 3, ait : *Pejus est frigidè laudare, quàm apertè reprehendere.*

## DUBITATIO III.

### (*Quale peccatum sit detractio.*)

### *D. Thom. art.* 2 *et* 3.

9. Notandum est non esse detractionem, si quis servato ordine correptionis fraternæ, patefacit testibus vel superiori crimen fratris ut emendetur, quia non est injusta famæ læsio. Nam pro bonis superioris ordinis, licitè exponuntur bona inferiora, ut pecunia pro vitâ corporali et fama pro salute spiritali. Ut autem sit detractio, requiritur ut injustè fama lædatur ; quod dupliciter fieri potest : primò, directâ intentione; secundò, indirectâ.

10. Nunc, dico primò : Si directè intendas famam alterius lædere, erit formalis detractio , ex genere suo peccatum mortiferum, gravius quidem furto, quia lædit proximum in bono quod pecuniâ est præstantius, sed levius homicidio, quia illud bonum est minùs præstans quàm vita, et levius adulterio , quia adulterium triplicem malitiam continet : nempe contra bonum prolis, contra sanctitatem matrimonii, et contra jus conjugis, ut supra ostensum est.

11. Dixi, *ex genere suo*, quia ratione exiguitatis materiæ, in quâ quis intendat famam alterius lædere, potest esse veniale, ut si de industriâ aliquam parvam imperfectionem alterius narres.

Similiter , ratione materiæ vel circumstantiarum fieri potest, ut aliquod furtum sit gravius aliquâ detractione, et aliqua detractio adulterio : infamare enim

graviter aliquem ordinem religiosum, vel prælatum ecclesiasticum, pejus est peccato adulterii. Inter omnes detractiones ea est pessima, quæ fit per libellos famosos, tum quia ad plurimos permanat, tum quia ægerrimè potest aboleri, cùm auctor nequeat deprehendi. Unde morte punitur et qui libellum famosum sparserit, et qui inventum vulgaverit, ut patet l. unicâ, c. de famosis libellis.

12. Dico secundò, quòd si non intendas lædere famam, sed ex quâdam loquacitate narres peccata vel defectus alterius, est detractio materialis, quia læsio alterius non est directè volita; est tamen peccatum mortiferum, si id quod narratur, graviter proximi famam lædat. Ratio est, quia etsi expressè non intendas lædere, tamen intendis implicitè, dùm vis illud unde per se læsio sequitur.

13. Dico tertiò : Si id quod narratur, parùm lædat, erit veniale : hinc fit primò, ut narrare defectus veniales proximorum, non sit nisi veniale; ut docet D. Anton. p. 2, tit. 8, c. 4, et Silv. v. *Detractio*, n. 2.

14. Ratio est, quia cùm nemo ferè ab his sit liber, non notabiliter lædunt famam, nisi fortè conditio personæ talis esset, ut in eâ hujusmodi defectus censeantur magni momenti, ut si quis diceret de viro gravi et religioso, esse mendacem, id est, crebrò mentiri : nam dicere illum semel vel bis mentitum, non esset mortale, quia non ideò amitteret famam. Secundò, ob eamdem causam ordinariè non est peccatum mortiferum revelare defectus naturales ( nisi inde aliquod notabile damnum sequatur ); sive illi defectus sint animi, ut si dicas quempiam esse ignarum, parvi judicii, parvi ingenii; sive corporis, ut esse cæcum, gibbosum, etc.

15. Idem locum habet in defectibus natalium, ut si quis dicat esse filium clerici, natum ex adulterio, et similia : ut docet Pet. Navar. lib. 2, c. 4, num. 307, et insinuat Navar. c. 18, n. 24, nisi fortè propterea putaretur valdè in animo eorum, quibus dicitur, contemnendus. Ratio est, quia ob hæc non censetur quis infamis.

16. Si tamen in faciem hæc et similia, præsertim viro honorato, dicantur conviciandi causâ, erit peccatum mortale, quia censetur notabilis contumelia, secùs si vilis sit conditio, nisi fortè gravem mœrorem inde putetur concepturus.

17. Tertiò, quando ratione conditionis personæ, peccata, etiam mortifera, non censentur notabiliter lædere famam, non est peccatum mortale, horum revelatio : ut si quis dicat militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam : vel, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus.

18. Quartò, idem dicendum, si generalibus nominibus peccatorum mortalium aliquem infames, ut si dicas esse superbum, avarum, iracundum; ut docet Silvester, Detractio n. 2, ex D. Anton. supra. Ratio est, quia hæc nomina ordinariè non ita accipiuntur, ut sonent peccata mortalia, sed ut naturalem inclinationem, vel veniales defectus denotent. Fieri tamen potest ut ratione dignitatis personæ, de quâ dicuntur, vel quia putantur accipienda pro gravibus vitiis, sit in his peccatum mortiferum. Vide Navar. cap. 18, n. 14.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm auditor detractoris peccet mortaliter.*

(*D. Thom. art.* 4.)

19. Respondeo et dico primò, qui ita audit ut inducat vel excitet ad detrahendum, non minùs peccat quàm ipse detractor, sed potiùs magis : similiter qui detrahentem verbis vel gestibus animat ad prosequendum. Ita D. Thom. art. 4, et alii. Quòd magis peccet, probatur; quia non solùm ipse in se peccat affectu detractionis, sicut detractor, sed etiam alteri est causa detrahendi; detractor enim solùm est auctor sui peccati, ille verò et sui et alterius : unde tenetur ad restitutionem, nisi detractor ipse restituat. In hoc casu locum habet quod ait Bernardus lib. 2 de Consid. sub finem : *Detrahere vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facilè dixerim.*

20. Dico secundò, qui audiendo detractorem, lætatur, non tamen inducit nec animat ad continuandum, peccat mortiferè contra charitatem, ut qui alieno malo lætetur, et etiam contra justitiam, quatenùs gaudet eo opere quo alteri injustè damnum datur : non tamen tenetur ad restitutionem, quia non est causa damni.

Dices : Tenebatur impedire, et non impedivit : ergo est causa. Respondeo : Non tenebatur obligatione justitiæ, sed solùm charitatis; unde saltem non est causa per injuriam.

Adverte tamen, si quis solùm delectetur eloquentiâ detractoris, vel curiosâ cognitione factorum proximi, non tamen desideret ut ille detrahat, non esse peccatum mortale : sed tunc solùm, quando vel delectatur damno proximi, quod non potest provenire nisi ex aliquo odio, vel ita delectatur eloquentiâ vel curiosâ cognitione, ut placeat ei quòd alter detrahat. Nam, ut Apostolus ad Rom. 1 ait : *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

21. Dico tertiò : Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit, nec resistit, cùm possit, aliquando peccat venialiter, aliquando mortiferè. Mortiferè peccat, si infamia sit gravis, et facilè possit eam impedire, nec putet eam aliâ ratione avertendam, vel brevi recuperandam. Ratio est, quia charitas obligat ut grave damnum proximi, quod ipse invitus patitur, impedianus, si commodè possumus. Unde si sit superior, qui ex officio tenebatur impedire proximè infamiam, obligabitur ad restitutionem, in defectum inferioris.

22. Venialiter peccat primò, si detractio est levis. Secundò, si est quidem de re gravi, tamen solùm fit apud unum, vel ut summùm duos, qui rem omninò silebunt, tunc enim non censetur notabilis infamia; ita Cajet. 2-2, q. 73, art. 2, dub. 1; Cordub. q. 2, conclus. 5; Pet. Nav. lib. 2, cap. 5, n. 334 : sed hæc sententia non est ita universè amplectenda, ut infra, dub. 11, dicetur. Tertiò, si nimiâ verecundiâ vel

animi pusillitate non audeat resistere. Ratio est, quia tunc valdè difficile est efficaciter impedire : unde tunc non tenetur, saltem sub peccato mortali, nisi fortè infamia esset valdè atrox, vel gravia incommoda putaretur paritura ; tunc enim deberet sibi vim facere, excussâ verecundiâ, et modestè contradicere. Quartò, si putet detractorem spontè revocaturum vel emendaturum quod dixit, idque brevi et efficaciter : quod ut faciat, adhibenda correptio fraterna, si opus sit. Quintò, si putet auditores non credere.

23. Nullo autem modo peccas, si vel non putes profuturam tuam monitionem, vel metuas aliquod magnum damnum, ut contumelias, verbera ; vel si rationabilis verecundia obstet, ut si sis famulus, vel nullius auctoritatis : debes tamen tunc, si commodè possis, vel discedere, vel faciem tristiorem ostendere, vel sermonem aliò divertere : nam hâc ratione impeditur, vel saltem minuitur detractoris fervor, juxta illud Proverb. 25 : *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguas detrahentium.* Vide Chrysost. hom. 3 ad populum, à medio usque ad finem ; Bernard. serm. 23 in Cantica, et serm. de triplici Custodiâ, manûs, linguæ, cordis.

## DUBITATIO V.

*Utrùm audita, vel alia quælibet referens absque asseveratione et dubitanter, peccet mortaliter, et teneatur restituere.*

24. Respondeo et dico primò, non esse peccatum mortiferum, si ita referat, ut ei probabile non sit ullam inde infamiam orituram, eò quòd alii non sint credituri. Ita Scotus d. 15, q. 4 ; Nav. c. 18, n. 50, et multi alii DD. Ratio est, quia tunc non est probabile periculum damni proximo.

Notandum tamen, si crimen esset valdè grave, ut hæresis, proditio, præpostera libido, et verisimile esset ex narratione auditoribus malam suspicionem suborituram, posse esse peccatum mortiferum, quia talis suspicio videtur esse magnum malum, respectu honestæ personæ.

25. Dico secundò : Si quis audita referat coram iis quos probabile est ex suâ levitate credituros, etiamsi ipse sufficientem occasionem ad id minimè dederit, peccat mortiferè contra charitatem, non tamen contra justitiam ; ac proinde non tenetur ad restitutionem. Quòd *mortiferè peccet*, probatur, quia qui advertit ex suis dictis vel factis alium graviter lædendum, sive in fortunis, sive in famâ, sive in corpore, tenetur ex charitate abstinere, si commodè possit, quamvis id ex alterius culpâ proventurum videat. Quisque enim tenetur impedire notabile damnum proximi, quantùm commodè potest, et maximè quod suî occasione proveniret.

26. Quod autem non *teneatur ad restitutionem*, docet expressè Cajet. q. 73, a. 3, cùm ait, *eum qui audita refert, non teneri ad restitutionem ;* et Nav. c. 18, n. 48, ubi dicit, *non teneri, qui non dedit justam causam credendi.* Adrianus in 4, q. de Restit. famæ, in fine ; Sil. v. *Detractio*, q. 4, et aliquot alii DD. Ratio est, quia non est causa efficax damni, sed merè per accidens ex ipsius narratione sequitur : non enim ejus narratio est talis, ut idonea sit fidem facere ; sed quòd illi credant, id provenit ex illorum levitate vel malitiâ. Unde is qui narrat audita ab hominibus parùm fide dignis, indicatis suis auctoribus, non tenetur ad restitutionem, etiamsi auditores ex suâ levitate credant, imò etiamsi id malo animo faceret, quia intentio nocendi non obligat ad restitutionem, quando opus ex se non est damnosum, ut supra, cap. 7, dubit. 2, dictum est.

27. Dico tertiò : Qui refert audita eo modo, vel nominatis iis auctoribus, ut audientes meritò possint induci ad opinandum malum de proximo, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. Ita Sotus l. 4 de Just. q. 6, a. 3, circa quartum argumentum.

28. Probatur, quia dat sufficientem causam aliis malè opinandi, ex quâ mala opinio reipsà sequitur : ergo, etc. Antecedens probatur primò, quia si absolutè diceret Petrum commisisse adulterium, et alii crederent, peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem : atqui quando eo modo narrat, vel eo auctore nominato, cui meritò æquè sit credendùm atque ipsi, non minùs efficaciter inducit audientes ad sic opinandum, quàm si ipse ex se asseveraret : ergo, etc. Secundò, quia inducere alterius testimonium, est adferre argumentum non exigui ponderis ad persuadendum : ergo, etc.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm sit peccatum mortale, infamare seipsum.*

29. Cajetanus q. 73, art. 2, et in Summâ, v. *Detractio*, existimat esse peccatum mortiferum contra justitiam, se infamare, quia censet hominem non esse dominum suæ famæ. Unde colligit primò, esse gravius peccatum se infamare, quàm proximum, sicut gravius est se occidere, quàm proximum : in quâ sententiâ videtur etiam esse D. Aug. l. 1 de Civit. c. 20 ; secundò, hominem teneri ad restituendum sibi famam. Sed communis sententia est in contrarium ; pro quâ

30. Dico primò, seipsum infamare, ex genere suo non est peccatum mortiferum, neque contra justitiam, neque contra suî charitatem. Ita Sotus l. 5, q. 10, a. 2 ; Nav. c. 18, num. 27 et 61, et alii passim. Probatur *non esse contra justitiam*, quia homo est dominus suæ famæ, sicut suarum opum, ut supra cap. 4, dubit. 11, dictum est : ergo illam dissipando, nulli facit injuriam (sicut neque dissipando alia bona), sive id fiat revelando crimen verum, sive crimen falsum sibi imponendo : quæ enim lex justitiæ obligat illum, ut retineat bonam existimationem in mentibus hominum ?

*Non esse etiam contra charitatem*, probatur primò, quia charitas non obligat hominem ad bona hujus vitæ, quæ extra nos sunt, comparanda vel conservanda, nisi quatenùs sunt necessaria ad bona spiritualia vel nostra, vel proximorum : ergo non obligat ad famam conservandam, si ipsa secundùm se consideretur.

Secundò, quia prodigalitas, quæ versatur in bonis externis, ex genere suo non est peccatum mortiferum, aut contra charitatem, sed solùm veniale contra liberalitatem · ergo cùm fama sit etiam quoddam bonum exterum, ejus profusio non erit contra charitatem, sed solùm erit quædam prodigalitas.

31. Dico secundò, ratione tamen alicujus circumstantiæ, nempè damni, quod nobis vel aliis contingit ex nostrà infamià, potest esse peccatum mortale, se infamare. Est communis DD. : primò, si ex meà infamià sequatur notabile scandalum, vel mihi, vel proximo. Mihi quidem, ut si ex infamià redderer effrenatior ad peccandum. Sed existimo rarò fieri ut ex hoc capite infamare se sit peccatum mortale, quia ordinariè est occasio remota. Proximo verò, ut si ille sciens me aliquando tale peccatum admisisse, inde occasionem acciperet idem patrandi, quamvis et hoc fortassis rarò usu veniat, præsertim si cum dolore vel vituperatione crimen meum commemorem. Secundò, si inde mihi immineat periculum vitæ, ut si dicam me occidisse parentem Petri, vel violàsse ejus torum : hoc enim non solùm est famæ, sed etiam vitæ profùsio; et est alteri dare occasionem peccandi. Tertiò, si mea fama sit necessaria muneri quod gero; ut si sim episcopus, parochus, abbas, prior : tunc enim peccabo contra justitiam.

32. Adverte tamen, in hoc casu se infamare, aut famam suam negligere, non esse per se contra justitiam, sed velle munus prælati cum hâc infamiâ, quâ factus est ineptus, retinere. Unde si quis vellet deponere officium, aut novis virtutum exercitiis infamiam vincere, ut muneri non obsit, non erit hâc ex parte contra justitiam se infamare, aut famam negligere, ut docet Sotus, l. 4, q. 6, a. 3, ad 4.

33. Quartò, si mea infamia redundat in alios, v. g., in liberos, in familiam, in ordinem religiosum; est enim magna infamia liberis (præsertim in Hispaniâ et Italiâ), habuisse parentem hæreticum, præterquàm quòd fiant inhabiles ad officia et beneficia : et familiæ honestæ infamia est, esse aliquem in eâ proditorem patriæ, sodomitam, latronem, vel qui publico supplicio sit affectus : ordini religioso, habere religiosum impuræ vitæ, ebriosum. In his igitur et similibus casibus, plerùmque erit peccatum mortale seipsum infamare, tum quia notabiliter existimatio aliorum læditur, tum quia gravi mœrore afficiuntur. Utrùm autem sit contra justitiam, dicendum infra, dubit. 23.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm possit quis sibi falsò crimen imponere, ad vitanda tormenta, præsertim si ob id esset extremo supplicio afficiendus.*

34. Cajetanus, verb. *Detractio*, et quidam alii negant id licere, etiamsi hoc modo posset mortem evadere, eò quòd homo non sit suæ famæ dominus. Sed hoc fundamentum neque verum est, ut supra ostensum; neque si verum esset, quidquam efficeret : quia etiamsi non esset dominus suæ famæ, tamen ad vitæ suæ vel proximi conservationem posset sine omni peccato crimen occultum, quod verè commisit, pandere, et sine peccato mortali crimen, quod non commisit, sibi falsò imponere. Ratio est, quia rectus ordo habet ut bona minoris momenti exponantur conservandis majoribus (sic enim naturæ impulsu pars exponitur ad conservationem totius); ergo pro conservatione vitæ tuæ potes famam perdere, etiamsi famæ non sis dominus. Idem dico de vità proximi, quia licitum est pro illo vitam exponere : ergo multò magis famam, præsertim cùm fama sit bonum recuperabile.

35. Unde respondeo et dico primò, ad vitanda tormenta levia falsò sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus, est peccatum mortiferum. Ita Sotus, lib. 5 de Justit. q. 10, art. 2, estque communis sententia DD.

Probatur primò, quia quisque tenetur suam vitam conservare et tueri, etiam cum aliquo dolore et incommodo, maximè quando mortem non est commeritus. Secundò, quia in hoc casu censeretur sibi spontè mortem immeritam accersere, et seipsum quodammodò occidere, sine causâ dando occasionem suæ mortis.

36. Dico secundò, non tamen erit peccatum mortiferum, si ob hujusmodi tormenta pandas verum tuum crimen occultum, etsi ob id morte sis plectendus; colligitur ex Scoto, d. 15, q. 3, ubi dicit : *Expediret animæ homicidæ ut solveret per passiones voluntarias vel patienter susceptas, ut scilicet occideretur pro homicidio;* ubi indicat expedire ut se offerat magistratui puniendum. Idem tenet Pet. Navarra, l. 2, c. 4, num. 134.

37. Probatur, quia iste meritus est mortem : ergo potest eam sibi optare et procurare, si bonum finem propositum habeat, nempe vindictam suorum scelerum, exemplum publicum, et ut abrumpat peccandi consuetudinem, quam aliâ ratione sibi non videtur posse deserere; denique ut benè se disponat ad mortem : nam alioquin est in periculo ne subitò pereat imparatus. Ob has causas sine omni peccato videtur se posse judicio sîstere, et crimen aperire : ergo idem poterit in tormentis. Neque dici potest eum hìc peccare contra charitatem; tum quia majus bonum sibi propositum habet, quàm sit vita, ob quod vitam optat deserere; tum quia si alius, qui criminis esset conscius, illum accusaret ob bonum publicum, ejusque salutem, non peccaret contra charitatem : ergo nec ipse.

38. Notandum tamen, si quis mollitie quâdam animi, quòd parva tormenta nequeat perferre, crimina sua occulta proderet, non excusari à peccato, quamvis putem non fore mortiferum, nisi fortè per accidens, ratione alicujus magni damni indè secuturi, ut est infamia familiæ, scandalum publicum, et similia.

39. Dico tertiò, ad vitanda levia tormenta, confiteri crimen suum occultum, vel imponere sibi falsum, non est peccatum mortiferum, si nullum aliud gravius malum inde metuitur. Sequitur ex dictis, quia quisque famæ suæ est dominus : ergo sicut eam sine causâ prodigere, ex genere suo non est mortale, ita multò minùs mortale erit, si ob aliquam causam, licet non omnino justam et parem, eam prodigat.

40. Dico quartò, ad parentem vel amicum à morte vel tormentis magnis eripiendum, non est per se peccatum mortiferum, absque juramento sibi crimen falsò impingere, quando in quæstione non proceditur juridicè. Probatur, quia possum sine peccato mortifero mihi crimen falsum imponere, ad vitanda tormenta, si nihil aliud mali inde timeatur : atqui interitus amici vel parentis æquivalet magnis doloribus; ergo, etc. Imò si parens vel amicus sit omninò inculpatus, nec sit alia via mortis illorum avertendæ, videtur non esse peccatum, etiam se morti offerre illorum loco, quia nemini fit injuria; et aliàs licitum est vitam pro parente et amico exponere, ut docet Toletus, l. 5, cap. 6, et Sotus, lib. 5 de Just. q. 1, art. 6.

Dixi, *si injustè procedatur;* quia si justè procederetur, perverterem justum judicium, et facerem injuriam judici et accusatoribus et reipub.; unde sine dubio esset grave peccatum mortiferum.

41. Dico quintò : Ad vitanda tormenta valdè gravia, quibus meritò possis celerem mortem præoptare, non peccas mortiferè, si crimen falsum tibi imponas, quamvis certò ob id sis morte plectendus; est contra Navarrum et quosdam alios; sed ita tenet Angelus, v. *Detractio*, n. 6, Silvest. eodem, q. 3, Sotus supra, Toletus, l. 5, c. 66, et multi recentiores hoc tempore; unde hæc sententia est tenenda; favet enim multis miseris, qui alioquin non solùm corpore, sed etiam animâ perirent, confitendo crimina falsò contra conscientiam, quæ non audeant revocare metu tormentorum.

Probatur primò, quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat, sicut non tenetur permittere sibi tibiam abscindi, cum tanto dolore; non enim, ait ille, tanto dolore digna est salus.

Secundò, quia si tunc fateri crimen, de quo falsò accusatur vel interrogatur, esset peccatum mortiferum, vel id ideò esset, quòd sit mendacium perniciosum, vel quòd sit perversio judicii : atqui non est perniciosum, quia neque alteri adfert aliquod malum, quod tanti sit, ut ille ex charitate aut justitiâ teneatur illud cum tanto incommodo suo avertere, uti suppono.

42. Neque etiam sibi infert malum, quod notabiliter præponderet ipsius tormentis : nam crimen fatendo, brevi morte longam mortem redimit, vel potiùs multas mortes unicâ simplici commutat : talia enim tormenta pati, est longâ quàdam et multiplici morte mori. Neque etiam est perversio judicii propriè, quia nec pervertit judicem ut faciat contra officium, nec accusatorem, nec testes ; mendacium enim in judicio, cùm nullius fit injuriâ, non est peccatum mortiferum : ut si Petrus à me exigat in judicio 100 aureos, et ego juridicè interrogatus, ad vitandas lites, fatear me debere, non pecco mortiferè, imò ne venialiter quidem, si commodâ ratione me à mendacio vindicem. Neque etiam facit injuriam judici aut reip., quia non ducerent hoc sibi injuriæ (sicut si negaret crimen verum), sed potiùs commiseratione moverentur, si scirent.

43. Tertiò, vel interrogatur secundùm juris ordinem per tales torturas, vel contra illum ordinem. Si contra, non ipse judici, sed judex ipsi injuriam facit. Si secundùm ordinem juris, adhuc judici non facit injuriam, fatendo crimen falsum, quia non tenetur judici cum tantis tormentis suam innocentiam probare.

44. Dices primò, ex Navarro cap. 18, num. 29 : Talis homo moraliter loquendo se interficit : ergo peccat.

Respondeo : Nego illum se interficere : non enim physicè, ut patet; neque etiam moraliter ( sicut is qui sine justâ causâ se conjicit in certum periculum mortis, dicitur sibi causa mortis), quia justam causam habet, ob quam se interficiendum exponit; sicut si quis se exponeret hostium telis, ut gravissima tormenta ab illis inferenda evaderet, non se occideret.

45. Imò si honesta persona rogaret eum qui illâ nefando modo vellet abuti, ut ipsam potiùs interficeret, non censeretur homicida suî, quamvis fortè aliâ ratione peccaret : ergo neque hic est homicida suî, fatendo tale crimen. Quod confirmatur, quia si rogaret judicem ut se interficiat potiùs quàm ita torqueat, non censeretur homicida suî.

46. Dices secundò : Ergo etiam poterit alteri sine peccato mortifero falsum crimen imponere, ut tormentis se eximat.

Respondeo, negando consequentiam; quia non est dominus, nec eam habet potestatem in famam alterius, quam in suam, præsertim contra veritatem; unde faciet illi gravem injuriam, si invito falsum crimen impingat; quæ injuria non habet locum, dùm sibi impingit.

47. Admitto tamen non fore mortiferum, si illi constet id non esse contra alterius voluntatem; ut si procul abesset, nec quidquam illi periculi immineret, essetque tantâ amicitiâ alteri conjunctus, ut non sit dubium quin æquo animo sit laturus.

48. Dico sextò : Qui hoc modo vi tormentorum fassus est crimen falsum, ob quod erit morte plectendus, non tenetur illud postea revocare, quamvis antea perjurio illud confirmâsset, si prudenter metuit se rursùm ad tormenta raptum iri, uti ordinariè fieri solet; sed potest sine peccato mortifero in eo persistere et mori. Ita Angelus, Sotus, et alii. Patet ex dictis, præterquàm illud de perjurio, quod nunc probatur; quia etsi peccaverit mortiferè, quando perjurio confirmavit, tamen postea non tenetur retractare. Ratio est, quia perjurium jam transiit, et, non retractando, nemini facit injuriam : retractando autem, culpam perjurii delere non potest, sed coram Deo pœnitendo, quod potest facere absque externâ revocatione : secùs est de perjurio, quod in detrimentum alterius cedit; hoc enim debet revocari.

49. Petes utrùm teneatur ea quæ sibi imposuit retractare, saltem in extremo vitæ, cùm jamjam est occidendus? Ita enim docet Silvester supra ex Panormitano. Sed verius est non teneri, si ea revocatio nihil prodesset, sicut ordinariè nihil prodest.

50. Dico septimò, si religioni vel familiæ, ex confessione falsi criminis sequeretur gravis infamia, prudenter expendendum, utrùm tormenta ipsi infamiæ præponderent, an contra : nam fieri potest ut tanta sit illa infamia, ut potiùs tenearis quævis tormenta perpeti, quàm illam tibi cum tanto aliorum damno irrogare, v. g., si inde bonum publicum notabiliter læderetur, si aliqui ideò in hæresim lapsuri, etc.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm ad vitanda gravia tormenta, possis alterius peccatum occultum, vel aliud secretum pandere, præsertim si ipsi inde mors immineat.*

51. Respondeo, et dico primò, posse te ob hanc causam illud aperire, si nullum aliud incommodum alteri, quàm infamiæ impendeat. Ita docet Navar. c. 18, num. 54, et alii passim. Probatur, quia non teneor alterius famam cum tanto meo incommodo servare, sicut nec alterius pecunias, si eas apud me occultatas habeam.

52. Dices : Hoc non solùm est non conservare famam, sed etiam positivè auferre; quod non licet. Respondeo id eo casu non esse positivè auferre; quia non intendo auferre opinionem bonam quam de ipso habent; sed solùm id, quod latebat occultum in mente meâ, profero per signa in lucem, ad quod jus habeo, eò quòd ille reverà hoc crimen fecerit, et ego illius cognitionem sine ipsius injuriâ sim assecutus. Sicut enim, si epistola, quædam secreta tua continens, apud me recondita foret, possem eam proferre ad vitanda gravia tormenta, ita etiam si tua secreta in meâ cognitione recondita sint, possum ea proferre in lucem, ut aliquod grave incommodum evitem, etiamsi inde sequatur ut alii de te malam opinionem concipiant, et bonam è mentibus suis excludant; ad hoc enim permissivè solùm me habeo, dùm jure meo utor.

53. Hinc fit ut ad vitanda gravia tormenta, possim aperire quodvis secretum alterius mihi cognitum; modò non sit vel ex confessione Sacramentali acceptum, vel injuriâ extortum, ut quidam excipiunt, vel nisi inde gravissima incommoda timeantur : ut si esset secretum principis, vel reipublicæ, vel exercitûs; ut rectè docet Sotus lib. 5 de Just., q. 10, a. 2, et Navar. c. 18, num. 54. Ratio est, quia illud secretum est veluti quoddam depositum, apud me occultatum, quod ego non teneor servare occultum cum tanto meo incommodo, etiamsi certum sit alteri inde damnum obventurum; si tamen sine causâ proderem, esset injuria, et teneror ad restitutionem, quia voluntariè essem causa damni.

54. Dico secundò : Ob eamdem causam potes illud aperire, etiamsi inde alteri esset periculum mortis : modò illud sine vi et fraude, et extra confessionem acceperis. Ita Sotus et Nav. supra, et alii. Ratio est, quia non teneor cum tanto meo incommodo servare famam aut etiam vitam proximi. Non negamus tamen quin sæpè laudabilius sit, etiam quævis tormenta perferre, quàm secreta, vel etiam crimina occulta privati hominis patefacere : qui tamen patefecit, non peccavit; tenetur tamen postea extra tormenta revocare confessionem, quâ parte cedit in damnum proximi, servatâ veritate commodo aliquo sensu, si potest, nisi rursùs tormenta, vel aliud grave incommodum metuat.

Sed dubium hic est, si vi aut fraude extorsisti. Sotus putat tunc te non posse revelare, etiamsi tormentis esses necandus. Navarrus autem distinguit : Si damnum, inquit, irreparabile alteri immineat ex revelatione, non potes; si autem reparabile, potes.

55. Resp., et dico tertiò : Probabile est absolutè, etiam in hoc casu, posse tale secretum vel crimen alterius aperiri ad vitanda gravia tormenta, etsi ipsi inde sit vitæ periculum; docet Petrus Navar. lib. 2, cap. 4, num. 131. Ratio est, quia, juxta Sotum et alios, possum aperire secretum tali casu, quamvis stipulatus sim alteri silentium; ergo etiam licet injuriâ extorserim. Nam qui ex contractu aliquid debet, non minùs tenetur, quàm qui ex delicto, ut infra dicetur.

Secundò quia, etsi antea injuriam feci extorquendo secretum, vel fraude expiscando, jam tamen postquàm scio, jus habeo utendi et revelandi in tantâ necessitate; sicut si quis furatus esset equum, posset eo in necessitate uti, etiam cum interitu equi, imò etiam cum interitu domini : ut si hostibus invadentibus fugiat, domino in periculo relicto.

Tertiò, quia in hoc casu reverà non infero damnum; sed si quod sequatur, ex alterius malitiâ sequitur, qui me injustè torquet; nam mea confessio tormentis expressa, non est alicujus ponderis, nec ei debet adhiberi fides, ut patet ex cap. 1, causâ 15, q. 6, Alexandri PP. Quæ ratio benè probat confessionem non esse per se causam damni, sed solùm per accidens, et damnum illud provenire non ex meâ confessione, sed ex malitiâ judicis torquentis, et consequenter non censeri me causam illius damni, nisi permissivè.

56. Dices : Si talis confessio non censetur causa damni, ergo si vi tormentorum de altero crimen falsò confitearis, non peccas mortiferè, nec teneris ad compensationem damni.

Resp. : Sylvester, v. *Detractio*, q. 3, fatetur totum, modò tamen post tormenta revoces. Idem docet Pet. Navarra, lib. 2, c. 4, n. 131, quæ sententia videtur probabilis, si nihil aliud quàm infamia metuatur; quia talis confessio verè non inducit infamiam, quando postea revocatur. Si tamen inde mors vel aliud grave damnum illi impenderet, omninò mortiferè peccares : quamvis enim, si judex legitimè procedat, talis confessio nihil mali inferre possit, secùs tamen res habet, si captet occasionem illi nocendi. Sicut si latro minetur mihi mortem, nisi dixero quis se accusârit, non possum falsò id imponere ei, quem ille ob id esset interfecturus. Ratio est, quia cum talibus circumstantiis falsum imponere est per injuriam dare causam magni damni. Meritò enim potestis queri de injuriâ, cui cum tanto damno falsum imponitur.

## DUBITATIO IX.

*Utrùm possim manifestare alterius crimen occultum, ad impediendum damnum proximo impendens.*

57. Respondeo, et dico primò, si illud damnum est alicujus momenti, sive sit temporale, sive spiritale, posse crimen proximi manifestari ad illud impediendum, quatenùs id ad illud est necessarium. Ita Sotus, lib. 5 de Justitiâ, qu. 7, art. 1, et Navar. cap. 18, num. 31, et alii; v. g., novi Petrum esse furem, possum monere eos quibuscum habitat, ut sibi caveant: si gerit se pro medico, et ego novi ejus imperitiam, possum monere quibus impendet periculum; homicidium à Petro commissum imponitur innocenti, qui ob id erit plectendus, possum aperire Petrum auctorem.

58. Imò in hujusmodi casibus sæpè fit, ut non solùm possim, sed ut etiam tenear ex charitate crimen alterius manifestare, nempe si grave damnum ex eo aliis immineat, et damnum, quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, ut ejus ratio præ altero haberi debeat. In dubio autem, utrùm præponderet, inclinandum in favorem innocentis; huic enim in dubio favendum. Ratio horum est quia nemo habet jus tuendæ famæ cum tanto damno, quod inde alteri injustè obveniret. Item quisque habet jus ad proferendum in lucem id quod in suâ cognitione abditum tenet, si ex occultatione aliis damnum proveniret: si enim quisque id potest ad sua damna avertenda, cur non etiam possit ad damna proximorum, cùm debeat diligere proximum sicut seipsum?

59. Hinc fit ut quando agitur de officio beneficioque conferendo, de matrimonio contrahendo, de religione suscipiendâ, si ego sciam aliquod justum impedimentum, unde aliquod notabile incommodum meritò timeri debeat, possim ejus occulta pandere.

60. Dico secundò, si ad avertendum illud damnum non est necesse crimen alterius patefacere, sed superest alia via commodior seu minùs noxia, verbi gratiâ, per fraternam correptionem, non possum aperire: similiter, si nihil juvaret ad damnum avertendum. Prior pars patet, quia esset contra charitatem: tenemur enim minimùm lædere proximum, quantùm fieri potest, tum in illo curando, tum in malis ab illo proventibus avertendis.

61. Sed difficultas est an sit contra justitiam crimen tunc aperire? Videri possit non esse, quia nemo habet jus ad famam, per quam aliis nocere parat, seu per quam tribuitur ei probitas vel peritia, cujus simulatione aliis esset nociturus. Unde etiam nemo potest conqueri sibi factam injuriam, quòd illis sui defectus sint patefacti, sed sibi id imputare debet, ut qui per hanc famam aliis nocebat.

62. Deinde quia potest quis interdùm habere jus in famam et vitam alterius, etiamsi malum aliter averti possit; ut si invadaris et possis fugere: non enim ex justitiâ teneris fugere, ut supra ostensum est. Sic, si accuseris injustè, et possis evadere vel exceptione fori, vel exceptione contra accusatorem, pandendo crimina ejus occulta, non facis illi injuriam, si pandas. Nihilominùs altera sententia est communior, præsertim si ille alioquin erat bonæ famæ. Vide infra, n. 132.

Altera pars probatur, quia si revelatio illa non videtur profutura, frustra fiet: in dubio tamen est licita.

## DUBITATIO X.

*Utrùm liceat infamare eum qui fictis virtutibus sibi famam paravit, vel qui crimen commisit cui jure infamia est annexa.*

63. Respondeo, et dico primò, licitum est aperire hanc simulationem, si ea vergat in alicujus detrimentum: ut si quis simulet se peritum advocatum, medicum, confessarium, pharmacopolam, et constet mihi non esse talem. Ratio est, quia ille jus non habet famam suam retinendi cum aliorum periculo vel incommodo, præsertim cùm eâ sit indignus, et tota in errore fundetur.

64. Dico secundò, si hæc simulatio nemini noceat, non licet eam patefacere. Probatur, quia est saltem contra charitatem. V. g., est paupercula, quæ simulat pietatem, ut eleemosynas conquirat, non possum ejus occulta peccata manifestare, nisi ex illâ hypocrisi damnum alicui proveniat; cùm enim sit verè pauper, est capax eleemosynarum. Idem dicendum de iis qui simulant nobilitatem, eruditionem, et quamvis peritiam, sine periculo alicujus damni.

65. Sed dubium est utrùm sit contra justitiam hanc fictionem aperire: videtur enim non esse; tum quia ille hypocrita non habet jus ad illam famam, cùm fraude et factorum mendaciis illam comparârit; tum quia iste nititur decipere et ingenerare falsam opinionem mentibus aliorum, non secùs atque is qui verbis mentitur: potest ergo veritas aperiri. Ita sentit Adrianus, quodlibeto 11, quæst. 1.

Si dicas, non licet aperire crimen occultum alterius, ergo nec hypocrisim: responderi potest hoc esse proprium hypocrisis, ut eam patefacere non sit contra justitiam, quia intendit decipere, in falsam opinionem alios pertrahendo.

66. Sed verius est esse contra justitiam; quæ quamdiù ipsius malitia est occulta, jus habet, non quidem ut positivè judicetur esse probus, sed ut non judicetur esse malus, quia palam nihil improbè gessit: qui autem aperit hypocrisim, facit ut positivè judicetur malus; ergo facit ei injuriam. Nec obstat quòd intendat falsam opinionem suæ virtutis ingenerare: tum quia per hoc non efficaciter lædit; nam alii non tenentur positivè credere esse talem (sufficit enim ut non judicent contrarium; an autem talis sit, Deo committant); tum quia illud incommodum per se est parvi momenti. Fateor tamen contrarium esse probabile.

67. Quod attinet ad eum qui crimen commisit, ob quod lex ipso facto ante omnem sententiam infamiam infligit, jubens auctorem eo ipso esse infamem, etc., (de quo multa habentur π. de his qui notantur infamiâ,) ut si quis contrahat simul cum duabus, vel simul habeat duas sponsas; si quis deprehendatur in adulterio,

si exerceat improbum fœnus, exigens usuras usurarum; si lenocinium exercet, si filias vel neptes prostituit, si quæstûs causâ ludibrium suî facit, etc.; quæri potest, utrùm talis absque injuriâ infamari possit, cùm per legem jure famæ sit privatus. Sed dicendum est, non posse, quamdiù factum est occultum. Ratio est, quia retinet adhuc justam famæ possessionem, quâ absque injuriâ privari non potest. Sicut cùm lex infligit hæretico, vel incestas nuptias contrahenti, amissionem bonorum ipso facto, etsi ille dominium amiserit, non tamen potest statim spoliari; quia retinet justam possessionem usque ad sententiam declaratoriam criminis, imò usque ad juridicam sententiæ executionem, ut infra, c. 29, dubit. 8, dicetur. Valet tamen hujusmodi infamia legalis ad duo. Primò, ut simulatque delictum fuerit publicum, possit ejus auctor ubique repelli et tractari tanquàm jure infamis. Secundò, ut secutâ sententiâ declaratoriâ retrahatur infamia ad tempus commissi delicti, et ab eo tempore censeatur inhabilis ad officia et beneficia, tanquàm verè infamis: imò valdè probabile est, statim commisso crimine hanc inhabilitatem in conscientiâ contrahi; non tamen valet ad hoc, ut quamdiù manet res occulta, possis illam propalare. Sola enim publicitas, ut sic dicam, facti, et necessitas impediendi majoris mali, hanc licentiam tribuit.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm revelare crimen proximi uni vel duobus, quibus dicere perinde sit ac si nulli dicèretur, sit peccatum mortiferum.*

68. Cajetanus, q. 73, art. 2, dubit. 1, putat non esse mortiferum. Idem docet Petrus Navar. lib. 2, cap, 4, num. 335, et Corduba, tract. de Detractatione q. 2, concl. 5, et Navarr., cap. 18, n. 33. Idem tenent quidam alii hujus ætatis DD. Fundamentum est, quia illud censetur esse leve detrimentum in famâ, si non est periculum evulgationis, aut alterius incommodi.

Quod probatur primò, quia qui confitetur sua peccata sacerdoti, non censetur sibi notabile detrimentum famæ irrogare: præceptum enim confessionis non obligat cum notabili jacturâ famæ, sicut nec cum notabili jacturâ fortunarum; ergo hæc infamatio, quæ fit apud unum vel alterum, qui perinde se habebunt erga infamatum, ac si nihil scirent, non censetur notabilis, et consequenter nec mortifera,

69. Secundò, quia si illud detrimentum famæ esset notabile, non liceret explicare in confessione eam circumstantiam, ex quâ sacerdos cognosceret socium criminis, quod tamen licitum esse docent penè omnes DD., exceptis paucis recentioribus, quia non est licitum in confessione alterum notabiliter infamare. Quare, cùm ex communi sententiâ DD. id licitum, imò præceptum sit, evidens signum est non censeri notabilem famæ læsionem.

70. Verùm hæc sententia non videtur ita universè affirmanda: nam fieri potest, ut quis malit sua crimina multis externis et plebeiis esse nota, quàm prælato, vel alicui viro gravi, cum quo assiduè versatur, vel à quo dependet, ut rectè Sotus, l. 4, de Justitiâ, q. 6, a. 3, et l. 5, q. 10, a. 2, conclus. 4. Nec obstant rationes allatæ: præceptum enim confessionis, etsi non obliget cum notabili jacturâ famæ, quæ jactura sit extrinseca confessioni (unde non tenetur quis confiteri per interpretem, etiamsi fidelissimus sit, nec sacerdoti qui timetur revelaturus alteri), obligat tamen cum jacturâ famæ confessioni ipsi intrinsecâ, sive pœnitens illam magni faciat, sive non: fructus enim confessionis hoc incommodum abundè compensat, ut meritò ejus non debeat haberi ratio; unde etiam circumstantia complicis explicanda, quia ad integritatem confessionis spectat. Fateor tamen viros prudentes, quando nihil aliud incommodi inde metuunt, parvi facere, nec gravatè ferre crimen suum innotescere Prælato, vel alteri, à quo potiùs auxilium expectant quàm incommodum. Neque hoc est vera infamia; hæc enim est plurium opinio et sermo. Secùs est, quando metuit, ne ille aliter erga se afficiatur, et ne exteriùs ab illo malè tractetur; etsi enim neque tunc sit propriè infamia, meritò tamen magni æstimatur.

71. Dices, temerarium judicium de proximo in re gravi est peccatum mortiferum, ut communiter docent DD.; et tamen hìc solùm apud unum fama amittitur: ergo vel uni aperire crimen est peccatum mortale.

Respondeo negando consequentiam. Nam temerarium judicium non est peccatum mortale præcisè propter damnum, quod infert, sed propter gravem injuriam, dùm ex levibus indiciis ei grave crimen impingit, et in corde suo contemnit; hoc enim perinde est ac si falsum imponeret, quod est peccatum mortale, etiamsi apud unum duntaxat fieret. Secùs est quando aperitur crimen verum; multò enim major injuria est falsum imponere, quàm verum aperire.

## DUBITATIO XII.

*Utrùm injuriam sibi ab aliquo factam referens amico, peccet.*

72. Respondeo: Si faciat intentione detrahendi, ut se hoc modo vindicet, sine dubio est peccatum; et fieri potest ut sit mortale. Si autem ut consolationem accipiat ab amico, sive ut querelâ expositâ dolor mitigatur, non est peccatum, saltem mortiferum, quia jure suo uti videtur. Ita Petrus Navarra, lib. 2, cap. 4, num. 345. Nimis enim grave est et præter humanam consuetudinem, ut quis cogatur injurias acceptas solus in silentio concoquere, nec possit eas cum amico communicare; nam hâc ratione magnam partem earum veluti pondere quodam levatur. Unde si inde aliqua infamia auctori injuriæ proveniat, non ipsi, sed auctori imputandum; adhibenda tamen moderatio, ne pluribus dicatur, quàm ad consilium et solatium sit necesse; nec nominanda persona, nisi ad consilium sit opus, vel ad necessariam consolationem valdè expediens.

## DUBITATIO XIII.

*Utrùm crimen proximi, quod publicum est in aliquâ civitate, liceat alibi patefacere, ubi ignoratur.*

73. Notandum est, in proposito crimen tripliciter

dici publicum; primò, si sit notorium jure; secundò, si facto; tertiò, si famosum.

*Notorium jure* dicitur, de quo constat per juridicam sententiam, vel per confessionem rei in judicio, vel per legitimam testium dispositionem.

*Notorium facto* dicitur, quod in præsentiâ multorum est perpetratum, ut in aliquo conventu, vel in loco publico, v. g., in foro, vel celebri plateâ, eo tempore quo multis innotescere potuit, vel quo majori parti viciniæ passim ob oculos versatur, ut si quis in publicâ plateâ pugnet, vel jurgia cum clamore misceat : si quis publicè concubinam habeat et domi filios alat.

*Famosum* dicitur, cujus fama ex sufficientibus indiciis orta, ad multos pervenit, ita ut major pars civitatis, vel pagi, vel parœciæ, vel viciniæ illud nôrit.

74. Addit Navar. c. 25 Enchir. num. 73, etiam dici *notorium*, quod evidenter notum est majori parti alicujus congregationis seu collegii, ubi non sint pauciores quàm decem; itaque si 6 aut 7 in congregatione, ubi 10 vel 11 sint, factum sciant, dicitur esse *notorium*, quod verum est respectu illius congregationis, non autem absolutè; quidquid enim notum est majori parti alicujus collegii vel congregationis, est notorium in illâ congregatione, non autem absolutè respectu totius urbis vel parœciæ. Unde etiam talia non possunt absolutè dici publica; sed illa duntaxat absolutè publica dicuntur, quæ eo loco, et cum illis circumstantiis sunt gesta vel propalata ut cuivis innotescere potuerint, v. g., in foro, vel publicâ plateâ : quia non curavit auctor, quis videret vel non videret. His positis,

75. Dico primò : Revelare alicujus crimen, quod aliquo istorum trium modorum sit publicum, eo loco ubi ignoratur, non est contra justitiam. Docet hoc Cajetan., opusc. 31, resp. 9, et Navar., c. 18, num. 26. Ratio est quia quando hoc modo crimen est publicum, auctor amisit jus ad famam; nam ipsa facti evidentia, et justi judicii ratio ei repugnat, ne possit queri sibi fieri injuriam narratione factorum, quæ jam in propatulo sunt posita; et quidem si per sententiam sit publicum, non potest esse dubitatio. Nam una ex pœnis, quâ judices afficiunt reos, est, quòd eo loco et tempore judicia exerceant, et pœnas infligant, quo eorum crimina in plurimorum notitiam venire queant; ergo non est contra justitiam, ea quovis loco divulgare. Si verò sit publicum evidentiâ facti vel judiciorum, jam sponte videtur cessisse jure suo, quod ad famam habebat; nam hoc ipso, quo non est veritus in publico crimen admittere, vel ejus indicia manifesta dare, non videtur curâsse quis sciat, vel non sciat : eo enim loco et modo fecit, ut quivis videre posset; quòd si reipsà multi non viderint, id per accidens est, quia accidit, ibi tunc non adesse. Secùs de eo, qui in aliquâ domo coram aliquibus peccat; non enim hic censetur abjicere suam famam, nisi respectu domesticorum, qui ad talem locum convenire solent. Idem confirmatur ex consuetudine totius orbis; nusquàm enim homines putant se iniuriam facere, si publica crimina alibi referant, vel litteris perscribant, historiis commendent, vel historiis commendata legant vel referant.

76. Dices : Is qui hìc amisit famam, non adeò alibi est infamis : ergo cùm ibi adhuc retineat bonum nomen, non potest eo spoliari.

Resp. : Petrus Navarra et alii quidam putant eum retinere jus ad famam in locis remotis; unde si quis crimen, quod hìc publicum est, ibi referat, peccaturus est contra justitiam. Sed contrarium videtur verius, unde dicendum est, retinere quidem aliis locis famam re ipsâ et facto, non tamen jure; postquàm enim crimen publicum factum est, amisit jus famæ, ita ut nemo ex justitiâ teneatur ampliùs priorem existimationem de illo retinere, ut ex Cajetano et Navarro supra colligitur.

77. Sed quid, si per injuriam factum sit publicum?

Respondeo : Non refert (etsi quidam aliter sentiant), nam hoc ipso, quòd factum est verè publicum, jus amisit ut homines aliter de se sentiant; ut si confessus fuit crimina sua occulta, per tormenta.

Dices : Per injuriam nemo amittit jus; ergo.

Respondeo : Non amittit jus præcisè per injuriam, sed per id quod ex injuriâ sequitur, quod est esse publicum et in propatulo. Publicitas enim facti tribuit licentiam loquendi, ita ut non censeatur ampliùs injuria, sive sit publicum per se, sive ratione famæ, ut ostensum est. Nunc videndum an hoc sit contra charitatem.

78. Dico secundò : Detegere crimen eo loco, quò fama communis illud brevi erat perlatura, non est peccatum contra charitatem, saltem mortiferum : quòd si fama non erat eò perlatura, aut saltem non nisi post longum tempus, sæpè erit peccatum mortiferum, si ille ibi erat bonæ famæ. Prior pars probatur, quia tunc non censeor aliquod notabile damnum inferre, cùm jam sit paratum in famâ et rumore communi, ex quo necessitate quâdam eveniet, spectatâ hominum conditione et communi consuetudine; idque sine peccato, saltem mortali eorum. Idem docet Navarr. supra, ex D. Thomâ, in 4, d. 19, q. 2, art. 3.

79. Secunda pars videtur esse contra Navarrum et Cajetanum; insinuant enim non fore peccatum mortiferum. Sed, quidquid sit de horum sententiâ, est ferè communis aliorum esse mortiferum : quod probatur, quia tunc lædo proximum in re magni momenti, quod meritò ægerrimè ferrem mihi fieri. Nec refert quòd ille jus ad famam non habuerit; quia sine cujusdam injuriâ et absque fraude eam possidebat, eâque adhuc diù fuisset fruitus : ergo contra charitatem est illum spoliare bono nomine, præsertim si nihil commodi proveniat detractori.

80. Adverte tamen non fore peccatum mortale, primò, si ille parùm curet se alibi infamari; quod sæpè fieri solet, præsertim si procul absit. Secundò, si quis ob grave crimen fuerit publicè punitus; tunc enim sæpè expedit ista ad aliorum exemplum narrari. Et in his casibus potest intelligi Navarrus et Cajetanus

81. Petes : Quid si damnum aliquod in corpore vel

fortunis inde provcniat ( ut si subtrahatur pensio, vel conjiciatur in vincula) : tenebiturne is qui divulgavit ? Respondeo : Quidam putant teneri ; sed verius credo non teneri. Ratio est, quia hæc infamatio non fuit contra justitiam, sed solùm contra charitatem, ut ostensum est : ergo etiamsi inde illi damnum obveniat, non tenebor, quia non censebor causa injusta illius, quamvis peccatum contra charitatem tunc sit grandius. Confirmatur , quia si actio ipsa non est injuriosa, neque id quod ex illâ sequitur, ut patet in eo qui absque vi et fraude impedit legatum, vel beneficium, quod alius tibi volebat conferre ; si enim actio, quâ impedit, non est tibi injuriosa, non inducit obligationem restitutioni , quamvis ex eâ tibi damnum proveniat.

82. Dico tertio : Si is qui olim ob sua crimina fuit infamis, nunc famam honestè vivendo recuperavit, est peccatum contra charitatem, illa crimina apud eos qui ignorabant commemorare ; non tamen videtur esse contra justitiam, modò non detur occasio opinandi illum adhuc improbum esse. Esse *contra charitatem*, patet ex dictis. Non esse tamen *contra justitiam*, probatur, quia etsi jus habeat ad famam, quam ex eo tempore benè vivendo comparavit, non tamen unquàm acquirit jus, ut dicatur vel æstimetur fuisse probus, illo tempore quo crimina sua publica fecit : ergo qui narrat eum olim illa fecisse, non facit ei injuriam, modo id non eâ formâ narret, ut indicet eum etiamnùm improbum esse. Quòd si alii inde acciperent occasionem dubitandi de præsenti probitate, teneretur saltem ex charitate illam suspicionem amoliri.

## DUBITATIO XIV.

*Utrùm eum, qui uno aut altero crimine infamis est, liceat de aliis infamare.*

83. Respondeo et dico primò : Si illa alia sint valdè affinia et ordinariè conjuncta graviori crimini, quod jam publicum sit, non erit peccatum, saltem mortiferum, illud aperire apud eos qui principale nôrunt, ut si narres de adultero, cujus crimen sit publicum, scripsisse litteras amatorias, misisse munera, etc. ; si de ebrioso, non rectè curare familiam, rixari cùm uxore; si de illo qui insigne furtum commisit, referas alia minora fecisse. Ratio est, quia non censetur nova infamia. Opus tamen hìc est magnâ circumspectione, an crimen ita sit annexum alteri, ut non censeatur notabiliter infamiam augere.

84. Dico secundò : Si crimina illa non sint ita connexa, non solùm est contra charitatem, sed etiam contra justitiam illa patefacere, præsertim si sint alterius generis. Est communis sententia DD. contra Paludianum in 4, d. 19, in fine, quem refutat Adrianus, quodlib. 11, art. 1.

Probatur primò, quia est infamis in uno genere vitii, non ideò amisit jus ad famam, quam habet in aliis virtutibus ( potest enim quis haberi ebriosus, et tamen esse et haberi justus in contractibus, fidelis uxori, catholicus ) : ergo non potest infamari de aliis occultis.

Secundò, sicut diversarum virtutum diversa laus est, alia major, alia minor ; ita etiam diversorum criminum diversa est infamia, et alia pluris, alia minoris æstimatur; multi enim parùm curant infamiam fornicationis, vel ebrietatis, qui tamen maximi faciunt infamiam furti et perjurii : ergo nullo modo qui amisit jus famæ in unâ virtute, censetur amisisse in aliis ; sicut qui læsus est in uno membro, non amisit idcircò integritatem in aliis.

85. Ratio à priori est, quia fama non est quid simplex, sed constat variis quasi partibus, quarum una sicut non pendet ullo modo ab aliâ, sic sine aliâ haberi potest, et à diversis diversæ partes famæ possidentur. Rarum autem est, ut quis in omni virtute, famâ sit clarus, omnesque bonæ famæ partes sit consecutus.

## Sequitur altera pars hujus Capitis.

## De famæ restitutione, quomodò, quibus, et à quibus faciendâ.

## DUBITATIO XV.

*Utrùm fama cum periculo vitæ sit restituenda.*

Dominicus Sotus, lib. *4*, *q.* 6, art. 3, et quidam alii affirmant, si fama sit illustris familiæ.

86. Resp. et dico primò : Quando ex infamiâ, quam intulisti, non evenit alteri damnum in bonis superioris ordinis, nempe in spiritalibus, aut in vitâ corporali, non teneris cum vitæ periculo famam illi restituere. Ita Cajet. supra, q. 62, art. 3, et opusc. 31, resp. 14, ubi generatim docet *rem inferioris ordinis, nunquàm esse restituendam ex justitiâ, cum jacturâ rei superioris.* Quam regulam optimè defendit Petrus Navarra, lib. 2, cap. 4, n. 405. Idem eruditè probat Navar., cap. 17, n. 89, 90, 91, contra Sotum. Idem breviter repetit, c. 18, n. 47 : *Quatuor*, inquit, *sunt bonorum ordines, videlicet animæ, corporis, famæ* ( cui annexus honor ) *et pecuniæ : et nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis, cum jacturâ bonorum ordinis superioris.* In eâdem sententiâ est Corduba, l. 1, q. 31, et Silvester v. *Detractio*, q. 4, casu 2.

Probatur primò, quia nullum temporale bonum, sive pecunia , sive fama , sive vita , exponendum vel restituendum cum damno boni spiritalis; idque ideò quia bonum spiritale est superioris ordinis , nec æstimabile bono inferiore ; ergo similiter fama non est restituenda cum periculo vitæ, cùm vita sit bonum præstantius.

Secundò, nemo tenetur sarcire damnum pecuniarium jacturâ suæ libertatis, seipsum vendendo , aut tradendo in servitutem , ut passim omnes docent ; idque ideò quia libertas est superioris conditionis : ergo, etc.

87. Tertiò, quia justitia commutativa solùm postulat ut fiat restitutio in bonis, in quibus injustè alterum læsisti ; nempe ut vitam exponas pro vitâ proximi, si eam in periculum per injuriam conjecisti ; famam pro famâ , pecuniam pro pecuniâ , quia duntaxat per illa fit æqualitas. Quòd si hæc æqualitas per te fieri nequeat sine jacturâ boni superioris, censetur impossibilis ; ac proinde non te obligat justitia, ut restitutio

nem exsequaris : sed tribuit jus læso, ut per judicem procuret vindicationem.

Quartò, idem confirmari potest ex iis quæ supra, cap. 10, dub. 7, diximus de adulterâ, quæ sibi partum supposuit, quæ cum periculo vitæ vel famæ non tenetur se aperire, etiamsi maximâ hæreditate legitimi hæredes essent privandi; ut plurimi doctores tenent.

Dices : Res inferioris ordinis potest sumi tantâ quantitate, ut prudenti judicio præponderet rei superiori ; v. g., tanta potest assignari vis pecuniæ, ut præstantior censeatur quàm fama, et tam illustris potest esse fama, ut præstantior habeatur quàm vita : ergo tunc debebit fieri restitutio, etiam cum damno boni superioris. Confirmatur, quia qui latrocinio sibi amplum statum adscivit, tenetur facere restitutionem, etiam cum amissione illius statûs et honoris : ergo, etc.

88. Respondeo : Etsi fierit possit ut prudenter præferas ingentem pecuniæ tuæ summam famæ vel vitæ alterius conservandæ, non tamen prudenter eam præferes famæ aut vitæ tuæ ; nemo enim prudenter pro quantâvis magnâ famâ eliget mori, vel pro maximâ vi pecuniæ suscipiet infamiam, quia fama omnibus thesauris melior, Ecclesiastici 41. Itaque vita et fama propria non possunt pecuniâ æstimari. Unde non sequitur : Ego possum pluris facere mille aureos quos habeo, quàm vitam hujus rustici ex latronibus redimendam : ergo, si rusticus mihi eos abstulerit, tenebitur reddere cum vitæ periculo ; potest enim ille vitam suam pluris facere quàm centum millia aureorum.

89. Ad confirmationem : qui furtis sibi honorificum statum paravit, non habet jus ad illum statum, cùm per injuriam eum obtineat ; unde non est mirum, si teneatur restitutionem facere cum amissione illius statûs et famæ, quæ ex illo præcisè orta est. Adde, amissione statûs non amitti famam : potest enim status sine culpâ amitti.

90. Adverte tamen licitum esse vitam pro famâ restituendâ exponere ; non quòd fama pluris æstimetur quàm vita, sed quòd pro virtute licitum sit vitam periclitari.

91. Dico secundò : Si ex infamiâ (de falsâ intelligе) periculum vitæ uni vel pluribus impendeat, vel mala reipublicæ administratio, vel aliud grande malum, teneris etiam cum vitæ periculo reparare. Est communis doctorum, quia tunc obligaris non ratione solius infamiæ, sed ratione damni quod ex eâ sequitur ; quod contingere potest in infamiâ principis, papæ, prælati, religiosi ordinis, et similium, unde magna in republicâ damna

## DUBITATIO XVI.

### *Utrùm, si fama restitui nequeat, debeat pecuniâ compensari.*

Respondeo et dico primò : Probabilius videtur justitiam minimè postulare ut infamia compensetur pecuniâ, si revocatione dictorum tolli nequit.

92. Colligitur ex Navarro, cap. 17, num. 90. Ubi ait : *Quando fama restitui nequit, aliquam pecuniam dari, non quidem pro famâ, quæ nullum pretium habet, sed pro damni compensatione, quod ob ejus jacturam quis incurrit.* Idem docet Silvest., v. *Detractio*, q. 4, casu 2, et Franciscus Victoria, ut refert Salonius, Pet. Navarra, supra num. 417, multique recentiores ; quod probari potest illis rationibus, quibus supra ostendimus, pro ipsâ vitâ ablatâ non esse necessariò faciendam restitutionem pecuniariam. Ratio est, quia justitia commutativa tantùm postulat ut restituatur quod ablatum est, vel quod communi hominum æstimatione est æquivalens; quòd si neutrum fieri possit, cessat ejus obligatio. Unde qui damnum pecuniarium non potest sarcire pecuniâ, non tenetur illud compensare orationibus, aut honore exhibendo. Item qui vi aut fraude aliquem pertraxit in peccatum, non tenetur ipsi aut hæredibus pecuniam rependere.

93. Dices : Pecunia est mensura omnium rerum humanarum : ergo in pecuniâ potest dari æquivalens. Deinde etiamsi non debetur æquivalens, tamen debet dari opera, ut quàm proximè ad hoc accedatur, sicut is qui intulit damnum mille aureorum, si non potest reddere æquivalens, tenetur tamen dare quantùm potest, ut quàm proximè accedat ad æqualitatem.

Respondeo : Pecunia, secundùm communem usum hominum, non est mensura, nisi rerum venalium, quas homines solent pecuniâ commutare ; fama autem neque naturâ suâ, neque gentium consuetudine, pecuniâ solet æstimari. Quod etiam patet ex Scripturis, Ecclesiastici 41 : *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi et magni.* Et Proverb. 22 : *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ*, id est, infinitæ. Quamvis interdùm ex quorumdam animi vilitate accidat, ut famam pretio exponant : sed hoc æstimationi famæ non officit.

94. Ad confirmationem, is qui damnum mille aureorum irrogavit, tenetur vel totum damnum sarcire ex æquo, si potest, vel, si non potest, tenetur partem ex æquo : quòd si nec totum nec partem, cessat obligatio justitiæ commutativæ ; atqui hìc nec tota fama, nec pars pretio æstimatur ex æquo. Quod confirmatur primò, quia alioqui infamator posset eam pecuniâ compensare, etiam nolente infamato ; sufficit enim ut restituat id quod æstimatione æquale est. Confirmatur secundò : si vir dives pro compensatione infamiæ acceptæ pecuniam exigat, ridiculus erit, eò quòd exigat id in quo nullum damnum accepit, quodque non solet pretium vel totius vel partis famæ censeri. Unde sequitur eamdem esse rationem pauperis : nam status ejus, qui injuriam accepit, non mutat jus, seu rationem justitiæ commutativæ.

95. Fieri tamen potest ut ex quâdam æquitate, et etiam ex charitate, tenearis infamiam pecuniâ compensare, nimirùm, si infamatus sit pauper, qui talem satisfactionem desideret, nec aliter mœrorem videatur depositurus ; et is qui infamavit sit dives. Sicuti enim ratione alicujus conjunctionis vel beneficii accepti, ex

charitatis me magis obligat erga hunc quàm erga istum, ita etiam ratione alicujus incommodi, quod alteri ex me obvenit; ut si aliquem induxi in peccatum; magis ego ex charitate teneor illum emendare, quàm alius, et quàm alium, cæteris paribus, ut patet ex dictis c. 8, dub. 1.

96. Dico secundò : Si infamator per judicem condemnetur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo quem infamavit certâ pecuniæ summâ, tenetur ex justitiâ eam numerare. Probatur, quia suppositâ tali injuriâ, potest judex in pœnam criminis talem satisfactionem imponere, et ille ex justitiâ tenetur eam exsequi, quia justæ sententiæ tenetur ex justitiâ parere. Idem posset judex, etiamsi fama jam esset recuperata, idque in pœnam prioris delicti; quia potest justa pœna punire delicta, etiam post damna sarta. Similiter pacta et conventiones justæ obligant; atqui hoc pactum potest esse justum, quia infamatus habet jus accusandi infamatorem, et etiam exigendi restitutionem, quando erit possibilis : unde ut hoc jure cedat, et omne debitum condonet, potest certâ pecuniâ pacisci.

97. Dico tertiò : Debitor pecuniæ, v. g., 100 aureorum injustè læsus in famâ vel honore à creditore, non tenetur ad solutionem illius pecuniæ, sed potest uti compensatione secundùm æstimationem damni accepti judicio prudentis faciendam, si à creditore aliam restitutionem obtinere nequit. Sequitur apertè ex sententiâ eorum qui famam pecuniâ compensandam docent, quando aliter sarciri nequit. Quæ sententia est satis probabilis, et plurimorum doctorum, sicut et illa quæ vitam ipsam, et cicatricem pecuniâ compensari vult. Si enim infamator tenetur dare pecuniam, v. g., 100 aureos pro infamiâ vel dedecore quod intulit, eò quòd aliter satisfacere nequeat, vel nolit : ergo alter potest eam exigere, vel si debet, potest non solvere. Hæc enim omnia paria sunt. Quòd si infamator possit quidem restituere famam, sed nolit, tunc etiam in alterâ sententiâ tenetur vel famam restituere, vel certè tantùm pecuniæ, quantùm judicio prudentis alter potest exigere; et si enim fama non possit, juxta eam sententiam, pecuniâ æstimari, obligatio tamen illius restituendæ, quâ ille tenetur, et incommodum quod læsus patitur, potest pecuniâ æstimari. Confirmatur, quia cùm possit restituere, tenetur, vel restituere, vel aliâ ratione ei satisfacere, ita ut ille liberè acquiescat.

## DUBITATIO XVII.

*Utrùm, si fama aliâ viâ sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere; v. g., si virorum gravium testimonio, vel probitate vitæ penitùs absterserit infamiam.*

98. Respondeo, tunc non teneri ad famæ restitutionem, quia jam restituta est; sicut si dominus recuperaverit, vel suâ vel aliorum operâ, equum quem sustulisti, non teneris ad restitutionem, quia non potest bis eamdem rem accipere. Si tamen interea ratione infamiæ aliquid damni accepisset, v. g., si impeditus fuisset à consecutione beneficii, officii, vel legati, tenereris ad illius conpensationem, quia hoc damnum ex injustâ tuâ infamatione illi obvenit.

99. Utrùm autem aliquid sit restituendum pro ipsâ infamiâ, quam ille medio tempore usque ad illam recuperatam subiit, quæri potest. Sed respondendum est deberi aliquam satisfactionem, si putetur illam velle (quod addo, quia alioquin censetur condonata, nec consuetum est aliàs offerre), nempe significatione doloris et veniæ petitione, vel honore aliquo aut laude, juxta conditionem personarum : ut rectè docet Petrus Navarra, lib. 2, cap. 4, n. 421, et Navarrus, cap. 18, n. 47.

## DUBITATIO XVIII.

*Utrùm, si infamia jam penitùs abierit in oblivionem, sit restituenda; v. g., infamavit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitùs obliviscuntur.*

100. Respondeo, teneri restituere etiam post viginti annos, si periculum est ne aliquando illa infamia reviviscat; quod facilè fieri potest; nam homines datâ occasione facilè recordantur eorum quæ antea exciderant; quod maximè locum habet, quando falsum impositum fuit, ut docet Cajet. q. 62, art. 2; si enim verum fuit, non facilè memoria renovanda, nisi periculum sit evidens; quòd si putetur nullum esse periculum non tenebitur, ut docet Navarrus, c. 18, n. 47, contra Cajetanum, quia fama jam censetur restituta, vel certè damnum illatum omninò evanuisse; idque verum est, sive crimen fuerit verum, sive falsum, ut ibidem Navarrus.

## DUBITATIO XIX.

*Utrùm totum damnum, quod sequitur ex infamiâ, sit compensandum.*

101. Respondeo, et dico primò, damnum quod sequitur ex infamiâ falsâ, est integrè reparandum. Est communis sententia doctorum. Ratio est, quia hæc infamia est penitùs injuriosa; impositio enim falsi criminis duplicem continet injuriam : primò, calumniam, eò quòd crimen impingatur ei qui scitur innocens; secundò, infamationem, quòd hoc aliis persuadeatur; itaque hæc actio omninò est injuriosa : atqui omne damnum, quod alicui sequitur ex actione in ipsum injuriosâ, est restituendum : ergo, etc.

Dices : Hoc damnum per accidens sequitur; v. g., infamàsti Petrum adulterii, unde præter intentionem tuam factum est ut exciderit officio vel beneficio quod ambiebat.

102. Respondeo hoc non censeri per accidens sequi, quia etsi non intendebas, tamen labes infamiæ quam intulisti, est quædam veluti prava dispositio, moraliter apta impedire varia commoda, et accersere incommoda, ita ut hæc crebrò ex eâ sequantur; qui ergo hanc per injuriam infert, censetur esse causa injusta damnorum quæ inde sequuntur.

103. Adverte tamen non esse tantùmdem restituendum, quanti officium vel beneficium jam obtentum va-

let (nisi fortè obtento privatus fuisset), sed quanti spes illa obtinendi valebat.

Sed major difficultas est, de patefactione criminis veri. Nam Sotus, l. 4 de Just., q. 6, art. 3, ad 4, sentit damnum, quod hinc sequitur, non esse integrè compensendum, sed partem duntaxat arbitrio boni viri definiendam. Ratio est, quia si ille privetur officio, vel impediatur ab eo consequendo, id non tam provenit ob criminis manifestationem, quæ est injuriosa, quàm ob ipsum crimen, quod verè commissum est; manifestatio autem est solùm conditio quædam veluti applicans et adducens crimen occultum, tanquàm causam principalem, in cognitionem. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim cùm multi recentiores illam sequantur; contraria tamen est communior, pro quâ

104. Dico secundò, verius videri eum qui patefacto crimine occulto alteri fuit causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsam; ut si impedivit à beneficio, ab opimo matrimonio, ab eleemosynis, cùm esset probè dignus. Ita Nav., c. 18, n. 45, et alii passim, qui in genere dicunt infamatorem teneri ad restitutionem omnium damnatorum; nec distinguunt inter crimen falsum et verum.

105. Ratio est, quia est causa principalis (moraliter) illius damni; sicut is qui ignem occultum cineribus detegit, et applicat straminibus, unde vento flante accenditur domus. Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedente cognitione; unde quamdiù crimen manet occultum, non potest inferre damnum, et ita se habet ac si non esset; ergo qui illud manifestat, tribuit illi veluti vim nocendi: ergo censetur causa principalis damni secuti.

## DUBITATIO XX.

*Quomodò fama est restituenda.*

106. Respondeo et dico primò: Si crimen falsum disseminâsti, debes adhibere omnem industriam, ut falsa illa opinio animis hominum eximatur; unde teneris illis significare, te deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, sicut videris opus esse ut credant; adhibito etiam juramento, si aliter non putentur crediturі, et rei gravitas postulet. Ratio est, quia revocatio efficax debet adhiberi.

Sed quid si auditores ne juranti quidem credere velint? teneberisne testibus confirmare?

107. Resp. fieri posse ut tenearis, ut docet Sotus, l. 4, q. 6, a. 3, præsertim si id sine magno tuo incommodo facere possis; tunc enim vel charitas ad hoc obligaret, imò interdùm etiam justitia; ut si alii haberent aliquas probabiles causas suspicandi, te non ex animo, sed pretio inductum revocare. Ratio est, quia justitia obligat ut efficaciter revoces, id est, eo modo ut auditores meritò possint debeantque tibi credere, nec habeant occasionem suspicandi rem fictè geri; rarò tamen accidit ut hoc usu veniat.

108. Navarro tamen, c. 18, n. 45, videtur durum ut quis aliquando ad testes obligetur. Ratio ipsius est, quia si ne juranti quidem contra seipsum credere velint, id ex malitiâ eorum proveniet; itaque mala opinio quam retinent, censetur non ampliùs provenire ex dicto tuî, qui illud satis efficaciter revocâsti, sed ex suâ ipsorum malitiâ, qui sine illâ causâ volunt malè de proximo sentire. Idem sentit Pet. Navarra, l. 2, c. 4, n. 378. Sed quod diximus, verius est, ob rationem allatam.

109. Adverte tamen, si auditores nullam habentes probabilem rationem, nolint tibi sive juranti, sive testes adhibenti fidem habere, ad nihil ampliùs te obligari, quia non ampliùs censeris causa istius pravæ opinionis, sed illorum perversitas.

110. Dico secundò: Qui crimen occultum alterius manifestavit, quatuor modis potest famam restituere. Primò, si dicat se quidem tale quid narrâsse, sed in eo fuisse mentitum, aut dixisse falsum. Hoc modo restitui posse probatur, quia etsi uno sensu dictum tuum falsum non fuerit, nempe quia erat conforme rei (verè enim commiserat crimen, quod eum commisisse dixeras), alio tamen sensu falsum fuit; idque dupliciter: primò, quia non fuit conforme legi divinæ, utpote peccatum quod in Scripturis vocatur mendacium et falsitas, sicut omne opus bonum, quia conforme legi divinæ, vocatur veritas; secundò, quia non fuit verum veritate publicâ, licet veritate occultâ verum fuerit. Hoc modo reus, cujus crimen est occultum, potest negare se fecisse, quia non fecit publicè, vel ita ut teneatur fateri, et judex aliquem condemnans ex allegatis et probatis contra suam privatam scientiam, pronuntiat illum reum et criminosum, quamvis verè non sit, quia secundùm publicam probationem talis est. Pari modo potest iste dicere, sed dixisse falsum, vel mendacium, quia non est verum secundùm publicam scientiam, ut rectè Pet. Nav., l. 2, c. 4, n. 381. Verùm, etsi hic modus sit valdè bonus et efficax, tamen, ad illum non teneris; tum quia non teneris te infamare, tanquàm qui falsum crimen imposueris, cùm verum dixeris; tum quia multi putant hunc modum illicitum, ut qui continere videatur mendacium; quorum sententia est probabilis, quamvis contraria sit probabilior.

Secundò, si dicat deprehendisse se fuisse deceptum, vel errâsse: qui modus est etiam bonus; sed non tenetur eo uti, quia etsi fortassè hoc modo se non infamet, tamen videtur decipere auditores specie quâdam mendacii: quod non tenetur facere, imò non potest, secundùm Cajetanum et Sotum.

Tertiò, si dicat se malè vel iniquè locutum esse de proximo, rogetque ut talem opinionem deponant; verùm hic modus parùm est utilis apud ingeniosos: inde enim magis confirmabuntur illum crimen commisisse; apud simplices tamen sæpè est utilis et usurpandus.

Quartò, laudando infamatum, et honorificè de eo loquendo, ubi datur occasio; hic modus necessarius est, dùm quis non vult uti primo, vel secundo, et tertius esset inutilis vel noxius; sic enim sensim ex unâ parte tantùmdem famam ejus illustrare poterit, quantùm ex alterâ obscuravit. Hunc tradunt Sotus, l. 4 de

Just. q. 6, a. 3, ad 4; Cajet. q. 62, a. 2, et 72, a. 3; Navar. c. 18, n. 45, et multi alii.

Petes : Teneturne infamator revocare apud eos quibus ipse non dixit, sed alii qui ab ipso acceperant; v. g., narrâsti tribus, illi verò narrant aliis?

111. Resp. : Si ab illis tribus stipulatus est silentium, vel putatur omninò rem tacitam fore, non tenetur nisi apud eos revocare, quia infamia per illos irrogata censetur quasi fortuita respectu ipsius. Secùs verò si advertit probabile periculum ulterioris infamiæ, et maximè si crimen sit falsum; tunc enim si isti non restituant, tenetur tanquàm causa : ut rectè Pet. Navarra, l. 2, c. 4, n. 443.

## DUBITATIO XXI.

*Utrùm hæredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionem, si ipse eam non restituit.*

112. Resp. et dico primò, hæredes loco defuncti non teneri ad famæ restitutionem. Ratio est, quia hæc obligatio est merè personalis (non enim est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum), ut obligatio voti personalis, et restitutionis honoris, orta ex contumeliâ, quæ non transit ad hæredes, cùm nullo modo afficiat vel respiciat bona, in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam.

113. Dico secundò : Tenentur tamen ad reparationem damnorum quæ ex infamiâ illâ secuta sunt. Ita Navar., c. 18, n. 54, et Adrian., quodlib. 11. Ratio est, quia hæc obligatio non est purè personalis, sed afficit quodammodò bona infamatoris; unde cum eâ affectione seu obligatione perveniunt ad hæredes : veluti si defunctus domum alterius per injuriam incendisset, hæredes tenerentur damnum ex bonis illius rependere.

Dices : Quid si is qui ratione infamiæ damnum passus est, jam obierit?

Resp. : Tunc restitutio facienda est hæredibus ipsius, quia hi succedunt in omnia jura defuncti; sunt enim hæc veluti partes hæreditatis.

Petes, utrùm defuncto sit fama restituenda?

114. Resp. affirmativè, quia fama est bonum quod homo etiam post mortem censetur possidere; per hanc enim vivit quodammodò in memoriâ hominum : unde maximè solent homines appetere famam post mortem, quasi per hanc consequantur quamdam immortalitatem.

## DUBITATIO XXII.

*Utrùm is teneatur ad restitutionem famæ qui bonâ fide existimans esse verum et publicum, narravit et infamavit proximum : item quid si auditores de alio intellexerint.*

115. Respondeo, et dico primò : Qui hoc modo proximum infamavit apud superiorem vel alium, etiamsi fraternæ correptionis causâ id fecerit, simul atque ognoverit errorem, tenetur ad restitutionem.

Probatur, quia qui damnum dedit injustum in re alienâ, etiam absque culpâ, ubi cognoverit, tenetur illud reparare, saltem ex charitate, si potest. Atqui hic damnum dedit injustum in famâ alterius, uti supponimus; ergo. Item qui abstulit rem alienam injustè, quamvis sine culpâ, et solùm materialis injustitia fuerit, tenetur eam restituere, simul atque sciverit injustè se abstulisse; atque hic abstulit injustè materialiter; ergo, etc.

116. Dico secundò : Non tenetur eam restituere cum gravi suo incommodo, ut cum propriâ infamiâ, vel magno damno fortunarum. Probatur, quia sine culpâ eam abstulit : ergo non tenetur cum suo gravi damno eam restituere; sicut si deprehendas equum vel librum alterius apud te sine tuâ culpâ, non teneris remittere magnis tuis expensis. Pari modo si damnum absque culpâ intulisti.

Ubi adverte differentiam inter eum qui infamavit proximum cum culpâ injustitiæ, et eum qui sine culpâ : quòd ille teneatur famam restituere etiam cum detrimento famæ suæ; sicut qui injustè formali injustitiâ damnum intulit, tenetur etiam cum æquali damno suo sarcire; hic verò non teneatur cum notabili damno, sed solùm cum modico, uti prudentia et charitas dictabit.

117. Dico tertiò : Si is qui ita infamatus est sine culpâ infamatoris, interim aliquid damni patiatur, impediatur ab officio, aut etiam privetur, non tenetur alter ad restitutionem. Ratio est, quia non est causa hujus damni, nisi quatenùs est causa infamiæ, ex quâ hoc damnum est secutum, sed est causa infamiæ sine culpâ : ergo etiam sine culpâ est causa damni inde consecuti, ac proinde non tenetur illud sarcire. Hæc ratio benè probat, si damnum illud secutum sit ex infamiâ, priusquàm ille suum errorem resciscat; nam tunc sine ullâ ejus culpâ sequitur.

Sed difficultas est, si ille, antequàm damnum sequatur ex infamatione, agnoscat suum errorem, et revocando quæ dixit, possit damnum avertere. Videtur adhuc non teneri; nam communis sententia doctorum est eum qui rem alterius absque suâ culpâ peremit, si inde non est factus ditior, non teneri ad restitutionem, quia neque ratione rei acceptæ, ut quæ non ampliùs exstet, neque ratione injustæ acceptionis, cùm in eâ non peccaverit, neque ratione contractùs, cùm nullus intervenerit; quæ tria tantùm sunt radices restitutionis ex justitiâ debitæ, ut patet ex dictis c. 7, dubit. 5. Atqui iste absque suâ culpâ rem alterius, nimirùm famam, peremit; ergo non tenetur lege justitiæ ad ejus restitutionem : ac proinde neque ad reparationem damni quod inde secutum.

Dices, aliam esse rationem famæ, aliam rerum pecuniâ æstimabilium : illa enim solo verbo absque ullius rei jacturâ restitui potest; damnum verò aliarum rerum non potest absque similium rerum amissione sarciri : unde in damno rerum meritò lex justitiæ non obligat, quando sine culpâ datum est, ne homo sine suâ culpâ cogatur se rebus suis spoliare; secùs tamen in damno famæ, quod sine ullo detrimento sarciri potest.

Resp. hoc argumentum benè probare in damno famæ esse majorem obligationem charitatis, quia

charitas magis obligat ubi malum minore incommodo potest tolli; non tamen videtur probare obligationem justitiæ: hæc enim non pendet ex facilitate restitutionis, sed ex radicibus supradictis. Unde etiamsi solo verbo posset reparari damnum rerum absque culpâ illatum, cùm res est destructa, non tamen esset obligatio ex justitiâ, sed solùm ex charitate. Confirmatur hæc sententia; si enim qui absque culpâ aliquem infamavit, teneretur lege justitiæ, etiam teneretur cum famæ suæ amissione. Justitiæ enim lex obligat etiam cum bonorum ejus ordinis jacturâ, ut patet in eo qui injustè damnum in rebus vel in famâ intulit: atqui iste non tenetur cum jacturâ suæ famæ; ergo non ex justitiâ. Ob has rationes hæc sententia non videtur improbabilis.

118. Nihilominùs contraria sententia mihi placet, nimirùm eum qui sic infamavit, lege justitiæ teneri ad restitutionem famæ cùm errorem suum deprehenderit, si absque notabili incommodo suo possit.

Probatur primò.: qui famam alterius lædit, potiùs est similis furi rem alienam auferenti, quàm damnum inferenti peremptione rei : nam ex naturâ rei fama illius manet in ejus potestate, quasi eam apud se retineat: unde dicitur fama auferri, surripi, restitui, sicuti res dicitur auferri à fure, detineri et restitui; atqui is qui rem alterius abstulit, et habet in suâ potestate, tenetur ex justitiâ illam restituere, simul atque cognoverit se injustè abstulisse; ergo idem dicendum in famâ.

Secundò, qui ex errore dixit falsum testimonium, tenetur, si commodè potest, lege justitiæ revocare, ubi deprehenderit suum errorem : alioquin censebitur intulisse gravem injuriam, et poterit puniri in foro externo tanquàm falsus testis. Ergo etiam qui ex errore infamavit.

Tertiò, qui est auctor mali etsi absque culpâ, longè strictiori jure tenetur illud emendare, si commodè potest, quàm alius qui non est auctor; sed alius tenetur lege charitatis; ergo ille tenetur lege strictiori, quæ non videtur esse alterius virtutis quàm justitiæ.

Quartò, etiamsi consideremus talem non teneri lege justitiæ ad reparationem famæ præcisè quâ parte jam est perdita, tamen videtur omninò teneri ad impediendum damnum impendens, sicut qui absque culpâ incendit stramina ædibus vicina, ubi advertit periculum, tenetur lege justitiæ cavere, ne serpat ulteriùs, neve sequatur inde aliud damnum : et qui laqueum vel aliud instrumentum periculosum intendit, aut pulverem tormentarium certo loco posuit, tenetur, ubi advertit periculum, impedire ne noceat; adeò ut si neglexerit, teneatur de damno secuto; atqui ex infamiâ ferè semper impendet damnum, tum quia ordinariè tanquàm flamma quædam serpit ulteriùs, juxta illud poetæ :

*Fama malum quo non aliud velocius ullum*, etc.;

tum quia alios bonos successus in temporalibus et spiritalibus impedit.

Denique ratio est, quia quisque ex justitiâ tenetur neminem lædere, et consequenter cavere, quantùm commodè potest, ne ex suâ actione vel opere, quod in ipsius est potestate, alteri nocumentum inferatur.

Adverte tamen eum qui absque culpâ læsit, aut causam lædendi posuit, non teneri cum tanto onere restituere, aut damnum impendens impedire, cum quanto tenetur is qui cum culpâ injustitiæ; par enim non est æquè gravari inculpabilem atque culpabilem, cæteris paribus. Unde qui ideò solùm lege justitiæ tenentur impedire malum aliquod, quòd ratione officii ad id obligentur, non tenentur cum pari suo damno, ut infra, cap. 13, n. 70, dicetur. Iste autem qui absque culpâ causam læsionis dedit, est similis illi qui tenetur ex officio, non autem illi qui ex culpâ injustitiæ. Ex quibus ad argumenta alterius sententiæ respondeas.

119. Dico quarto : Si te narrante de aliquo, auditores alium intelligant quàm tu velis, sicque illi oriatur infamia, teneris ex charitate ad restitutionem, si commodè potest, non tamen ex justitiâ.

Prior pars patet, quia charitas postulat ut damnum proximi avertamus et tollamus, si absque notabili incommodo possumus.

Altera probatur, quia tua narratio non est causa directa illius infamiæ, sed illorum prava intelligentia, qui imprudenter id ex verbis tuis colligunt. Adverte tamen, si ea esset conditio et dispositio auditorum, ut eâ spectatâ tale quid prudenter vel probabiliter ex verbis tuis videantur posse colligere, idque avertas, teneris non solùm lege charitatis, sed etiam justitiæ, te explicare et infamiam avertere : quia etsi narratione tuâ non des hominibus perspicacibus, vel circumstantias rei intelligentibus, justam occasionem talis opinionis pravæ; das tamen istis rudioribus et rerum ignaris, vel alias opiniones sinistras non improbabiliter de tali viro conceptas habentibus, coram quibus narras; sermones enim operantur pro capacitate et dispositione auditorum.

## DUBITATIO XXIII.

*Utrùm prælatus non impediens infamatorem teneatur ad restitutionem.*

120. Respondeo et dico primò : Prælatus, seu superior non impediens externum à quo videt infamari suum subditum, non tenetur, saltem ratione famæ, suo subdito ad restitutionem. Ita Sotus, lib. 5 de Justitiâ, q. 10, art. 4. Ratio est, quia ex officio non suscepit defendendam subditi famam, sed salutem procurandam.

121. Dixi, non teneri *saltem ratione ipsius famæ*, quia videtur aliquando teneri ratione bonæ vitæ, salutisque spiritalis subditi; nempe si bona fama putaretur necessaria, vel valdè commoda, ne ille licentiùs vivat : multi enim amissâ famâ fiunt impudentes ad peccandum, tanquàm fræno honestatis, quo coercebantur, sublato. Itaque cùm superior ex officio teneatur impedire ea quæ subditorum saluti adversantur, tenebitur etiam impedire subditorum infamiam, et si neglexerit, bonam famam restituere.

122. Dico secundò : Si non impediat subditum al-

teri non subdito detrahentem, cùm facilè potest, tenebitur ad restitutionem famæ, nisi subditus restituat. Probatur, quia ex officio incumbit illi subditum suum corrigere et impedire ne alteri injustè noceat; ergo si non impediat cùm facilè possit, censebitur causa moralis damni; sicut si prætor non impediat furta et latrocinia in civitate, tenebitur ad restitutionem, quia indirectè censetur causa.

Dico tertiò : Si tamen subditus in absentiâ superioris famam alterius violaverit, non tenetur superior eam restituere, subdito non restituente; modò quantùm in se est compellat subditum ut restituat. Prior pars patet, quia non censetur tunc causa damni, cùm absens non potuerit impedire.

Secunda pars probatur, quia superior ex officio tenetur compellere inferiorem, ne persistat in injuriâ alteri inferendâ, sicut ne primò illam inferat; atqui is qui infamavit, et non restituit famam cùm possit, persistit in injuriâ, eamque continuat, sicut is qui rem alienam detinet invito domino : ergo prælatus tenetur eum compellere.

Petes, qui superiores hìc intelliguntur obligari?

123. Resp. : Parentes respectu liberorum, quamdiù eorum regimini subsunt; domini respectu servorum, superiores regularium, episcopi, et ex parte parochi, quia hi etiam possunt suos subditos compellere : denique principes et magistratus. Sicut enim hi tenentur contumelias impedire, ita et detractiones, maximè per libellos famosos, qui capitali sententiâ vindicantur, ut patet l. Unicâ, c. de famosis libellis. Non tamen tenentur cogere ad restitutionem famæ, nisi parte id juridicè petente, nisi fuerint aliquo modo infamiæ causa; sic enim usus habet : ratio est, quia parte non petente, præsumi potest condonata.

## DUBITATIO XXIV.

*Utrùm restitutio famæ possit condonari, præsertim à prælato.*

124. Respondeo restitutionem famæ, sicut et aliorum bonorum externorum, posse condonari, nisi fortè nobis sit necessaria, vel ad proximi ædificationem, vel ad vitandum scandalum, vel ad officium quo proximo obstringimur, ritè obeundum. Unde infero primò, privatum posse condonare hanc restitutionem, nisi fortè esset infamatus de crimine, unde timeretur scandalum (ut de hæresi), vel ejus infamia redundaret in familiam; tunc enim eam condonare, esset contra charitatem; condonatio tamen esset valida. Quod intellige, si non aliâ ratione redundat in familiam, quàm quòd ille infamis homo dicatur esse illius familiæ, illorum frater, cognatus, etc.

125. Secundò, si vir valdè utilis bono publico, qui suis concionibus vel doctrinâ multùm proderat reipublicæ, condonaret restitutionem famæ, unde postea impediretur fructus consuetus, peccaret contra charitatem : infamator tamen non ampliùs teneretur ex justitiâ; ex charitate tamen teneretur, si commodè posset, quia tenetur ex charitate istud damnum reipublicæ, cujus ipse causam dedit, avertere, tollendo causam.

126. Tertiò, si fama tua videtur necessaria ad rectam muneris tui administrationem, non potes condonare. Excipio tamen duos casus : primò, si possis et velis officium deponere : tunc enim posses condonare sine peccato mortifero, ut patet dictis supra, et docet Sotus, lib. 4 de Just., q. 6, art. 3, ad quartum.

Secundò, si humilitate et aliis virtutum officiis facilè hanc jacturam possis apud subditos sarcire.

127. Sed quid si condonet reipsà, nolens officium deponere, vel aliter suæ auctoritati consulere; eritne condonatio valida?

Respondeo cum Soto supra, validam videri, quia ipse verè est dominus suæ famæ, non subditi. Neque per hanc condonationem facit injuriam subditis (nisi fortè infamia in ipsos redundaret, quia non habent jus, ut ipse suam famam conservet, nisi supposito quòd velit manere superior, et aliis modis eam recuperare nolit : quorum utrumque in ipsius arbitrio positum est; unde non tam condonando restitutionem, quàm volendo cum illâ ineptitudine permanere in officio, injuriam illis facit.

128. Dices : Parens non potest condonare restitutionem bonorum quæ sunt necessaria alendæ proli : ergo nec superior restitutionem famæ necessariæ ad gubernandum subditos.

Resp. primò negando consequentiam, quia parens non potest cedere officio parentis, sicut superior officio superioris.

Secundò, negando antecedens (si consistamus præcisè in jure naturæ), quia potest mendicatò illis victum conquirere si velit; quòd si nolit, sibi imputet : non enim manet illâ condonatione absolutè impotens ad prolem alendam.

129. Quartò, si infamia tua redundet in alios, ita ut ipsi inde maneant infamati vel suspecti, tunc enim condonatio non videtur valere. Talis est infamia religiosi, quæ redundat in monasterium; valdè enim læditur bonum nomen Ordinis, dùm dicitur habere sceleratum monachum; nam tota communitas quodammodò redditur plebi suspecta. Unde etiam sæpè ingenti pecuniâ vellent hanc labem redimere. Nec obstat quòd religiosus videatur dominus suæ famæ, ut dictum est cap. 4, dub. 5 (non enim per votum paupertatis renuntiat famæ et honori suo), quia non est dominus famæ conventûs, quæ per ipsius infamiam violatur. Talis etiam videtur infamia parentis, præsertim de crimine hæresis, proditionis, vel alio simili, quæ redundat in liberos. Habentur enim viles, et inhabiles ad officia et dignitates. Idem dicendum de gravi infamiâ filii vel filiæ, si adhuc sub curâ parentum existant, imò etiamsi non existant, si tamen infamia illorum parentes suspectos reddat; eadem enim in his omnibus ratio. Si enim mea infamia vel labes ex tuâ pendet, non potes tuam sine meo consensu condonare. Secùs si tua infamia non aliter redundet in me, quàm quòd dicar habere fratrem vel cognatum sceleratum, ut dictum est num. 124.

## DUBITATIO XXV.

*Utrùm in restitutione famæ fieri possit compensatio.*

130 Respondeo et dico primò : Non potest ita fieri

compensatio infamiæ, ut si alius te infamârit, tu vicissim illum possis infamare. Ratio est, quia est manifesta vindicta, quam nemo privatâ auctoritate potest facere; reddere enim malum pro malo, ut fiat æqualitas, solius est publicæ potestatis.

131. Dico secundò : Si quis te infamet, nec tu possis infamiam aliâ ratione avertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, ne ipsi fides adhibeatur. Ita Sotus supra, et alii passim; v. g., potes dicere, isti fidem non esse habendam, eò quòd aliàs in mendacio vel perjurio sit deprehensus.

Probatur primò, quia quisque habet jus tuendæ non solùm vitæ, sed etiam famæ, cum justâ moderatione (id est, sine quâ injuria prohiberi nequit); ergo cùm infamiam, quam ille per injuriam tibi irrogare nititur, aliter prohibere nequeas, nisi criminibus ejus patefactis, potes ea patefacere. Secundò, quia potes aperire crimen alterius ad vitanda tormenta tua, vel damna proximi, ut patet ex dubit. 8 et 9; ergo multò magis ad avertendum damnum quod ipse criminosus tibi parat inferre; nam ratione injuriæ amittit jus quod habet, ne crimen ejus occultum pandas.

132. Adverte tamen primò : si criminis detectio non est utilis ad famæ tuæ defensionem, est iniqua; quia non est defensio, sed vindicta : unde si tibi restituat, teneris illi vicissim ad restitutionem.

Secundò, si aliâ viâ famam tuam possis tueri, v. g., interposito juramento, vel adhibitis testibus, erit contra charitatem aperire crimen occultum ad fidem ei detrahendam, quia lædis illius nomen plusquàm est necesse : videri tamen possit non esse contra justitiam, quia non teneris ex justitiâ confugere ad istos modos; non enim ille jus habet, ut parcas nomini ipsius in defensione tuî, cùm ipse famam tuam injustè oppugnet; non tamen potes plura in illum dicere, quàm necesse sit ut ei fides non habeatur. Communior tamen sententia doctorum id vult esse contra justitiam, quam et ego probo, auctoritate illorum ductus.

133. Dico tertiò : Si tu alium injustè infamâsti, qui te antea infamaverat, non teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit; sed potes uti compensatione, servatâ tamen æqualitate, quantùm fieri potest. Est contra Navarrum, cap. 18, n. 47, et Cajet., q. 62, art. 2, et Petrum Navarra, c. 4, n. 395. Sed nostra sententia est verior, eamque docet Adrian., in 4, q. penult. de restit., § Circa prædicta; Sotus, lib. 4, q. 6, art. 3, ad 4; Josephus Angles, in 4, de restit. famæ, dubio 3; Tolet., lib. 5, c. 70, et alii.

134. Dixi, *servatâ æqualitate;* quia si tu intulisti ei multò graviorem infamiam, divisibilem tamen, detegendo plura crimina, teneris ad restitutionem, donec damnum à te illatum sit æquale damno quod ipse tibi intulit. Probatur, quia in rebus temporalibus, quando jura sunt paria, si alter non vult tibi servare jus et solvere debitum, nec tu teneris illi servare et satisfacere, ut patet in debitis pecuniariis; atqui fama est bonum temporale, cujus sumus domini : ergo est eadem ratio. Idem videtur dicendum, quamvis jura non sint paria, si infamia quam intulisti, non posset per partes restitui (ut si illum de graviori crimine infamâsti, quàm ille te); tunc enim eam instar pignoris detinere potes, ut eum ad restitutionem compellas; et ipse sibi imputet quòd non restituas; sicut si annulum aureum habeas ab eo qui tibi debet tres philippicos, potes retinere instar pignoris, ut cogas ad solutionem.

135. Dices cum Navarro : Damnum famæ à te illatum, per reciprocum damnum non tollitur, sicut debitum pecuniarium unius tollitur per debitum reciprocum alterius : ergo est dispar ratio.

Resp. : Etsi damnum à te illatum non tollatur per infamiam tibi vicissim illatam, tamen tollitur debitum sarciendi illius damni, si alter sarcire nolit quod à se illatum est; quod etiam usu venit in damnis fortunarum; si enim tu incendisti ædes Petri, et Petrus vicissim tuas, non tollitur per hoc damnum à te illatum Petro; sed tollitur debitum satisfaciendi Petro, propter compensationem.

Hinc patet compensationem hanc fieri posse etiam altero invito, si ipse nolit restituere : multò ergo magis mutuo consensu, contra Cajetanum. Quæ omnia intelligenda sunt de iis qui possunt facere condonationem infamiæ sibi irrogatæ; nempe quorum infamia non pertinet ad subditos vel socios, ut patet ex dictis dub. 24; inter tales enim non potest fieri compensatio, propter injuriam quæ subditis vel sociis fieret.

Petes, utrùm possit fieri compensatio infamiæ cum damno fortunarum; v. g., intulisti Petro damna in fortunis, et ille te graviter contra justitiam infamavit; utrùm possis illi denegare damnorum restitutionem, si ipse nolit tibi famam restituere.

136. Resp. : Probabile est hanc compensationem fieri posse, quia probabilis est ea sententia, quæ asserit, infamiam pecuniâ esse compensandam, quando in suo genere non restituitur. Itaque si ille non velit, vel non possit eam in suo genere compensare, possit tamen pecuniâ, licitum tibi est pro eâ pecuniæ certam summam, judicio prudentis arbitrandam, exigere, ac proinde denegare debita usque ad illam summam. Idem etiam in alterâ sententiâ locum habet, quando famæ restitutio est possibilis, et infamator non vult eam restituere; tunc enim jure pro eâ pecuniam exigere potes, seu potiùs pro redemptione obligationis restituendi. Secùs tamen in hâc sententiâ, si restitutio famæ esset impossibilis; tunc enim nihil pro eâ exigere posses, nisi fortè competeret tibi actio injuriarum, pro cujus cessione aliquid pacisci potes.

## DUBITATIO XXVI.

### *Quænam excusant famæ restitutionem.*

137. Respondeo : Primò, justa condonatio, id est, quæ ab eo facta est, cujus infamia non redundat in alios, ut patet dubit. 24.

Secundò, justa compensatio : ut si ab eo, quem infamâsti, pari modo sis infamatus, ut patet dubit. 25

Tertiò, si fama aliâ ratione jam sit recuperata, dubit. 17.

Quartò, si infamia prudenter existimatur abiisse in oblivionem; tunc enim non teneris, sive falsum imposueris, sive verum, dubit. 18.

Quintò, si crimen occultum, quod aliquibus dixisti, aliâ ratione fiat publicum; tunc enim amisit jus restitutionis, dubit. 13.

Sextò, si restitutio sit impossibilis, dubit. 15 et 16.

Septimò, si non possit fieri sine periculo vitæ, dubit. 15.

138. Octavò, si non possit fieri sine amissione famæ, quæ si longè majoris momenti, ut si prælatus, vel vir illustris infamavit plebeium, non tenetur cum jacturâ sui nominis revocare; sed sufficit ut illum laudet in eo genere virtutis, ubi infamavit; quòd si sic videatur non satis restituta, reliquum poterit pecuniâ compensare arbitrio prudentûm, vel potiùs remissionem restitutionis pecuniâ impetrare; si tamen commodè possit, alioquin non tenetur. Ratio est, quia ille plebeius non potest cum ratione exigere, ut ille famam suam tanti momenti amittat; sed debet esse contentus laude, humanitate et muneribus pecuniariis ex arbitrio prudentûm. Ita Sotus, lib. 4, q. 6, art. 3, ad quartum; Toletus, lib. 3, cap. 70; Corduba, lib. 1, q. 33, art. 2; Covar. ad regulam Peccatum, 1 p., num. 8, § Tertiò, adultera; et alii.

Nonò si bonâ fide persuasus esse verum et publicum, narrâsti, nec possis sine damno famæ tuæ restituere, dubit. 22.

Decimò, si reverà nulla fuit infamia secuta, eò quòd infamator esset nullius fidei (quod sæpè accidit), vel quia illi apud quos infamavit, sciebant similia, ita ut infamia non fuerit notabiliter aucta.

## DUBITATIO XXVII.

*Utrùm honor sit restituendus, et quo modo.*

139. Notandum est, honorem lædi contumeliis, irrisione, sannis, alapâ inflictâ, aliisque similibus modis; sicut enim honoramus aliquem edito signo, quo testemur ejus excellentiam, nosque eum magnificare, cum quàdam nostri submissione, ita honorem lædimus edito aliquo signo, quo testemur ejus vilitatem, nosque illum contemnere, quod fit modis enumeratis.

140. Dico primò: Qui injustè alterius honorem læsit, tenetur ad restitutionem seu satisfactionem, sive id publicè coram aliis, sive privatim fecerit coram illo solo. Est communis doctorum. Prior pars patet, quia fecit veram injuriam contra justitiam commutativam.

Dices: Alter nullum accepit damnum ex contumeliâ, præsertim si nemo alius id advertit: ergo nihil restituendum.

Resp.: Esto, non acceperit damnum, tamen illata est ei verè injuria; unde teneris saltem ad satisfactionem, si nolis hoc vocare restitutionem; quod confirmatur illâ sententiâ Domini, Matth. 5: *Qui dixerit fratri suo, Fatue* (id est, grave convicium), *reus erit gehennæ ignis;* et subjicit Dominus: *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo;* ubi manifestè Dominus exigit satisfactionem, etiam pro contumeliâ privatâ.

141. Respondeo secundò, inferri etiam damnum quoddam hominum æstimatione, non fortunarum, sed dignitatis; dùm enim contumeliâ afficis, veluti labem quamdam dignitati irrogas, eamque quantùm in te est, viliorem reddis. Unde contumeliâ affecti, dicunt honorem et dignitatem suam læsam et imminutam. Hanc autem læsionem tanti æstimant, ut sæpè damna fortunarum gravissima præoptent; unde etiam solent maximâ indignatione ob hanc injuriam commoveri.

142. Dico secundò: Omissio honoris debiti superioribus vel æqualibus, non est contra justitiam commutativam, sed contra virtutem observantiæ: unde per se non obligat ad restitutionem. Patet, quia aliud est non honorare, aliud contumeliam irrogare.

Dixi *per se*, quia fieri potest, ut ratione alicujus contumeliæ interpretativæ, quæ illi omissioni conjuncta est, obligeris; ut si aliis honorantibus episcopum, vel pastorem prætereuntem, tu illum sine ullo honoris signo impudenter aspicias.

143. Dico tertiò: Qui in alterius absentiâ aliquid fecit vel dixit apud alios in ejus contumeliam, tenetur apud eosdem restitutionem facere, si probabile est aliquid honori ipsius apud eos detractum. Patet ex iis, quæ sunt dicta de famâ; si enim in animis eorum, dignitas ipsius imminuta est, ibi quoque instauranda est.

Dico quartò: Varii sunt modi honoris restituendi: ex quibus is tantummodò est necessariò adhibendus, quo, judicio prudentis, satisfit honori violato. Hæc propositio per se patet; et docet eam Cajet. Opusc. 31, resp. 13, dub. 5.

144. Primò, restitui potest honor amicâ et honorificâ salutatione aut compellatione; et hic ferè sufficit prælatis et superioribus erga inferiores, et viris nobilibus erga plebeios, ut rectè Cajet. q. 73, art. 3; non enim tenentur ii adeò sese demittere, ut veniam petant; quod expressè D. Augustinus docet in suâ Regulâ de superioribus.

Secundò, adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando, etc.; qui modus sæpè sufficit, etiam inter eos qui sunt paris conditionis.

Tertiò, petendo veniam: qui modus est efficacissimus, quo debent uti inferiores erga superiores, et sæpè etiam æquales inter se; nam si læsus hanc satisfactionem justè exigat (ut si gravi contumeliâ affectus fuerit), nec aliam velit admittere, tenebitur alter veniam petere, si sit inferior vel æqualis.

145. Notandum primò, fieri posse, ut non sufficiat veniæ petitio; ut si atrox injuria viro nobili illata sit; tunc enim potest exigi major humiliatio, v. g., ut flexis genibus cum fune in collo veniam petas; sed qui injuriam intulit, non tenetur eam præstare ante sententiam judicis; sic enim moribus gentium est re-

ceptum, ut etiam pro summis injuriis non teneatur quisquam spontè majorem satisfactionem exhibere, quàm humilem veniæ petitionem cum signis doloris. Quòd si alter majorem exigat, eam per judicem curet imponi vel infligi.

Dices : Satisfactio exhibenda est ad æqualitatem.

Resp. : Satisfactio pro injuriâ dupliciter potest esse æqualis injuriæ : Primò exactè, ita ut gratiam non habeat admixtam, et hæc quia valdè difficilis est, infligenda est per judicem. Secundò, quâdam proportione, sic ut tota ferè nitatur gratiâ condonantis : et hæc consistit in humili veniæ petitione, signisque doloris, estque præstanda, etiam ante sententiam.

146. Notandum secundò, si petas veniam omnium injuriarum, et alter eam concedat, non censeri condonatas, nisi eas injurias, quas verisimiliter intendit condonare. Itaque si aliqua illum latet, quam si nôsset, nollet sine satisfactione condonare, non censetur eam condonâsse; quia ignorantia condonationem reddit involuntariam.

## CAPUT XII.

DE INJURIIS FORTUNARUM, PER FURTUM, RAPINAM, DAMNUMVE ILLATUM : ET DE NECESSARIA RESTITUTIONE OB HANC CAUSAM.

(*Constat dubitationibus* 20.)

### DUBITATIO PRIMA.

*Quid sit furtum.* (*D. Thomas q.* 66, *art.* 3.)

1. Respondeo : Jurisperiti sic definiunt : *Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs possessionisve.* Ita habetur L. 1, § Furtum. π. de furtis. et Institut. de obligationibus quæ ex delicto, § 1, quam supplet et explicat Navar. cap. 17, n. 1. Clariùs et breviùs theologi : *Furtum est occulta rei alienæ acceptio invito domino.* Hæc definitio habet tres partes : Prima est, *occulta*, ut distinguatur à rapinâ et aliis injustis acceptionibus, per iniquos contractus; occulta enim acceptio est, quæ fit domino nesciente, vel quam quis intendit facere domino nesciente. In contractu autem non intendit contrahens aliquid tollere domino nesciente, quamvis non cupiat ut dominus advertat rei justitiam.

Dices primò : Qui accipit rem, domino vidente, non accipit occultè, et tamen committit furtum : ergo.

Resp. : Si sciat dominum videre, et non curet, potiùs committit rapinam quàm furtum : si autem ignoret dominum videre, est furtum; quia intendit ipso nesciente accipere, ita ut aliter nollet.

2. Dices secundò : Detentio rei alienæ habet rationem furti : ergo non tantùm consistit in acceptione.

Resp. : Detentio est instar acceptionis; quia acceptio et accepti detentio moraliter censetur eadem actio; quòd si quis id, quod justè accepit, postea iniquè retineat, perinde facit ac si primò tunc injustè acciperet; vide D. Thomam in respons. ad 2, et Cajet. ibidem.

3. Dices tertiò : Crimen non accipit speciem ex eo quòd sit occultum : ergo de ratione furti non est ut occultè fiat.

Resp. : Quando quis in injuriâ inferendâ utitur modo occulto, tanquàm medio ad exequendum opus, facit speciem distinctam à manifesto, quia tunc occultum et manifestum continent diversas injurias. Hâc ratione furtum differt specie à rapinâ, et dolosa invasio à manifestâ, et contumelia à detractione. Si autem utatur modo occulto ob verecundiam, vel ad vitandum scandalum, aut supplicium, est circumstantia generalis.

4. Secunda est, *rei alienæ;* quia acceptio rei suæ quæ est apud alienum, non est furtum, saltem quà suæ, quamvis possit esse furtum quatenùs illa res est alteri commodata vel oppignorata; tunc enim auferitur illi usus, vel securitas, quam per illam rem habebat.

Tertia est, *invito domino.* Si quis enim putaret domino non displicere, non esset furtum, quamvis occultè illud acciperet; eò quòd per verecundiam vereatur petere; debet autem esse cum ratione invitus; unde qui occultè accipit in extremâ necessitate, non est fur. Item qui compensandi causâ, quando aliter quod suum est recuperare nequit. Addunt aliqui, *rei corporalis et mobilis*; sed meliùs omittuntur; nam potest quis etiam furari jura, ut census et servitutes, et res immobiles, occupando domum vel agrum alienum, domino absente.

5. Ex his patet primò, eum qui accipit hominem liberum, v. g., uxorem vel prolem alicujus, non committere *furtum;* quia homo liber non habet dominum à quo possideatur : sed dicitur committere *plagium* seu *crimen plagiatûs*, si fiat ad vendendum, vel ad retinendum in mancipium; si verò fiat ad fruendum, dicetur *raptus :* quæ propriè non sunt species furti. Quòd si quis furetur ancillam vel mancipium, ut illud vendat, erit verum furtum, quia est acceptio rei alienæ, quà aliena; intendit enim eam accipere ratione utilitatis temporalis, quæ est domini; si autem furetur, ut ad tempus abutatur, non dicetur furtum, quia illa ancilla secundùm illum actum non subest dominio alterius, nec ipse quærit in eâ id quod alterius est, sed quod ipsius ancillæ. Infert quidem damnum domino, dùm privat ancillæ obsequio; sed non omnis damnificatio est furtum.

6. Quamvis enim furtum non sit peccatum, nisi quia infert alteri damnum, privando eum re suâ, contra ipsius rationabilem voluntatem (si enim una eademque res in duobus locis esset, vel à duobus possideri integrè et usurpari posset, nullum peccatum committeretur), tamen non omnis damnificatio est furtum; sed differunt hæc saltem materialiter; furtum enim postulat acceptionem seu usurpationem, quâ quis rem sibi vindicet, etsi ad breve tempus, et animo eam paulò post abjiciendi : quo modo Augustinus furabatur poma; unde qui incendit alterius segetes, non est fur; tamen damnum infert, nec minùs peccat, quàm si eas auferret.

7. Patet secundò, eum qui rem sacram accipit, aut profanam in loco sacro, tanquàm in asylo depositam, committere peccatum furti, quia accipit alienum invito domino; quamvis huic furto conjuncta sit malitia sacrilegii, quæ quia præcipua est, ei nomen tribuit. Sunt

tamen in hoc peccato duæ malitiæ distinctæ contra duas distinctas virtutes.

## DUBITATIO II.

*Utrùm furtum et rapina differant specie.* (*D. Thom. art. 4.*)

8 Respondeo, specie differre in ratione injuriæ; ita D. Thomas et Cajetanus. Ratio est; quia *rapina* includit violentiam, quæ fiat domino scienti, quam *furtum* excludit. Itaque novam rationem injuriæ continet, quia novam rationem involuntarii; aliter enim est involuntarium quod quis ignorans patitur, aliter quod sciens et renitens; quamvis enim utrumque sit absolutè involuntarium, tamen alterum est longè magis involuntarium, et alterius rationis. Unde etiam patet, rapinam esse gravius peccatum quàm furtum, cæteris paribus, ut docet D. Thomas, art. 9, et ibidem Cajet.

9. Petes, quo modo furtum et rapina differunt ab injuriâ, quæ fit per iniquos contractus?

Resp. quòd furto et rapinâ patiatur dominus damnum omninò involuntariè, nempe per ignorantiam, vel per vim: in contractibus autem patiatur damnum involuntariè mixtum, si sciat iniquitatem contractûs, id est, partim voluntariè, partim involuntariè; mavult enim hoc damnum injustè pati, quàm contractum omittere. Si autem ignoret contractûs iniquitatem, et ideò contrahat, erit furtum, seu ejusdem ac furtum, rationis. Ex his constat, rationem genericam communem furto et rapinæ, esse *injustam ablationem rei alienæ, absolutè involuntariam.* Ut autem contineat etiam injustitiam contractuum, dicetur *injusta ablatio rei alienæ;* vide Joannem Medinam, q. 4, c. de rebus restituendis.

10. Advertendum tamen est, aliquando omnem injustam acceptionem vocari furtum et rapinam, ut patet cap. 4. Si quid. 14, q. 5, ex D. Augustino: *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.* Sic, Exodi 20, dùm prohibetur *furtum*, omnis iniqua acceptio rei alienæ intelligenda est, ut docet D. Augustinus, lib. 2, quæst. 72 in Exodum; et hoc modo dividitur furtum in fraudulentum, occultum, et violentum. Sed propriè accipitur pro occulto, ut dictum est.

## DUBITATIO III.

*Utrùm fur et raptor continuè peccent donec restituant.*

Cajetanus, q. 66, art. 3, circa solutionem tertii argumenti, putat ipsam detentionem non posse continuare peccatum actuale furti, eò quòd non sit actio, sed effectus actionis: unde vult detentorem esse solùm in peccato habituali. Sed contrarium est verius; unde

11. Resp. et dico primò: Fur et omnis iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, continuè actu peccat, toto eo tempore quo, cùm possit, non restituit; colligitur ex Gabriele in 4, d. 15, q. 2, art. 2, conclus. 2; et Soto lib. 4, q. 7, art. 4.

Probatur primò, quia non restituendo lædit continenter proximum, ipsum impediens à possessione et usu rei suæ vel debitæ: quæ læsio quò diutiùs durat, eò censetur major; atqui hæc læsio assiduè pendet vel à voluntate liberâ non restituendi, vel à liberâ voluntatis omissione: ergo est peccatum actuale, eo saltem modo, quo in omissione operis externi, quâ alius læditur, est peccatum actuale.

Secundò, qui non restituit cùm possit, voluntariè detinet rem alienam: atqui detentio rei alienæ, etsi non sit propriè actio, est tamen instar actionis, sicut possessio: ergo quamdiù hæc detentio exterior liberè pendet à voluntate, est actuale peccatum, actu nocens proximo.

12. Tertiò, qui conjicit proximum injustè in vincula et ibi relinquit, continuè peccat actu, quia continuè nocet: perinde enim est, sive manibus sive vinculis eum assiduè tenendo affligat, cùm utrumque æquè liberè continuetur: ergo etiam qui assiduè rem alienam cum incommodo continuo detinet, continuum peccatum committit.

13. Dices primò: Ergo is qui alteri vulnus inflixit, continuè peccat, quia continuè nocet.

Resp. neg. conseq. Non enim propriè continuè nocet, sed semel nocuit, et tunc peccavit actu; omne autem nocumentum deinceps secutum, naturaliter manat à primo nocumento, ita ut non dependeat ampliùs à præsenti ipsius voluntate, ut si vel non sit, sed solùm à præteritâ, in quâ semel censetur volitum. Quòd si esset in ipsius potestate tollere quotidianam molestiam ex vulnere provenientem, et non faceret, continuè noceret præsenti voluntate, et sic continuè peccaret, sicut is qui præsenti voluntate continuè nocet, constrictum tenendo, quem singulis momentis posset solvere.

14. Simile videmus in tyranno, qui idolum erigit, vel iniquam legem sancit; tamdiù enim peccat, quamdiù illud idolum vel illa lex assiduè ex ipsius libertate dependens, manet; nam ex parte suâ tamdiù actu nocet, quòd nocumentum quovis momento potest et debet tollere.

Nec refert, quòd erecto idolo, vel lege datâ, nihil ampliùs agat; quia illa libera dependentia rei nocentis, est instar continuæ noxiæ actionis; qui enim omnibus momentis causam noxiam, quam posuit, potest auferre, si non auferat, continenter nocet et peccat.

15. Dices secundò: Ergo singulis momentis peccat.

Resp.: Verum est, non quidem novum peccatum addendo, sed prius actu continuando: sicut si mala voluntas per integrum diem duret, est unum continuum peccatum, quod, quò plus liberè durat, eò cæteris paribus est gravius. Similiter detentio rei alienæ toto tempore, quo commodè restitui potest, est unum peccatum continuum actuale, quod singulis momentis crescit, idque dupliciter.

16. Primò, ratione majoris liberæ durationis; secundò, ratione majoris nocumenti, quod inde domino provenit; si enim inde dominus continuè crucietur animo, vel nova experiatur incommoda, hæc detentio fit continuè pejor, idque intrinsecè quodammodò. sicut si ignem segetibus immissum singulis momentis possis extinguere, et omittas, assiduè crescit peccatum, ratione majoris damni: et si proximum, quem

vides fame cruciari, non juves, cùm singulis momentis possis, assiduè crescit illa omissio, ratione majoris incommodi. Quòd si inde nihil aliud incommodi eveniat, quàm quòd dominus careat re suâ, solùm augebitur priore modo; sicut omne peccatum, et omne meritum augetur ex circumstantiâ durationis, quamvis in bonitate vel malitiâ intrinsecâ non crescat, ut ostensum est 1-2, quæst. 74.

Dices tertiò: Si hæc detentio est unum continuum peccatum actuale, ergo homo actu peccat, etiam cùm dormit, tunc enim detinet.

17. Resp. primò, quodam sensu concedi posse, hominem peccare dùm dormit; non quidem quòd tunc novam culpam contrahat, vel contractam augeat, sed quia pravum propositum exequitur, vel in executione cœptâ perseverat: quo modo ipse somnus peccatum esse potest; ut si dormias loco vel tempore vetito, vel ut divinationem assequaris in somno, vel turpi voluptate perfruaris; his enim eventis ipse somnus est peccatum externum, seu executio peccati; pendet enim à priori voluntate, et ab eâ informatur. Simili modo, tempore somni potest continuari aliud peccatum antea incœptum; ut si innocentem duris vinculis constrictum relinquas, et ita cubes.

18. Resp. secundò: Dùm dormit, propriè loquendo, actu non peccat vero et formali peccato, quia neque somnus, neque id quod fit in somno, dependet ab aliquâ voluntate liberâ, tanquàm actio quæ assiduè liberè fit et continuatur, sed tanquàm effectus voluntatis præteritæ, à quâ ita pendet, ut cùm cœperit, non sit in nostrâ potestate continuare vel abrumpere: unde peccatum non crescit, etsi somnus longior fuerit opinione; neque minuitur, si brevior.

19. Hinc etiam fit, ut quando somnus est executio peccati, non teneamur somnum in confessione explicare, sed sufficiat dicere, nos tali fine ad somnum composuisse; hoc enim est actio libera, non autem somnus. Hinc patet peccatum detentionis in somno non continuari formaliter, sed effectivè, quia effectus ejus antea prævisus et prævolitus continuatur, qui effectus etiam dicitur peccatum, quia est executio malæ voluntatis, vel continuatio executionis, antea per malam voluntatem inchoatæ. Ut autem formaliter continuetur, requiritur ut assiduè dependeat ab hominis libertate, ita ut quovis momento possit et debeat tollere; non est tamen necessarium, ut continenter actu formali nolit tollere: sufficit ut non tollat, et advertat se posse tollere; tunc enim si omittat, liberè omittit, habetque actu voluntatem interpretativam continuam detinendi seu non restituendi, ut patet ex dictis 1-2, q. 6, art. 3.

20. Ex his sequitur, toto eo tempore quo commodè potest fieri restitutio, non fieri novum peccatum moraliter loquendo, per illam voluntariam retentionem, sed continuari antiquum, quod antea per acceptionem erat inchoatum; nam illa retentio informatur à primâ voluntate retinendi, quæ interpretativè censetur actu manere. Et quamvis interim ille haberet aliquoties voluntatem expressam toto eo tempore non restituendi, non censeretur tamen moraliter novum peccatum, neque plura numero peccata, nisi physicâ ratione, sed unum peccatum gravius: quia omnes illæ internæ voluntates referuntur ad unum idemque opus externum continuatum, et cum eo unum numero peccatum efficiunt; sicut cùm quis versatur in conatu occidendi inimici, omnes actus prævii occisioni sunt unum numero peccatum, quia omnia interna desideria tendunt ad eumdem conatum.

## DUBITATIO IV

*Quibus modis istud peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpatur.*

21. Respondeo, tripliciter interrumpi, ita ut formaliter non continuetur. Primò, ratione ipsius propositi, ut dùm quis propositum detinendi mutat, constituens primâ opportunitate restituere, et hæc est perfecta interruptio. Secundò, ratione detentionis externæ, quando illa in se incipit non ampliùs esse injuriosa, eò quòd restitutio eo tempore facta sit impossibilis, ut si procul absit, vel gravi penuriâ laboret; tunc enim externa detentio non est ampliùs peccatum; unde etiamsi ferretur excommunicatio in eum qui rem illam detineret, detentor tunc non incurreret, etiamsi animum nunquàm restituendi haberet, quia, etsi illa voluntas interna peccatum sit, detentio tamen externa peccatum non est; non enim est voluntaria, seu à voluntate dependens, etiamsi fortè sit volita. Incurreret tamen, simul atque offerret se opportunitas restituendi, et eam negligeret, quia tunc detentio rursùs inciperet esse voluntaria, ac proinde peccatum externum.

22. Dices: Quid si detentor non advertat se tali tempore non teneri ad restitutionem, putetque se teneri? Respondeo: Tunc externæ detentionis peccatum interrumpitur quidem materialiter, quia illa detentio reverà in se non est injusta, aut peccatum; non tamen interrumpitur formaliter, quia ipse putat eam esse injustam, et vult continuare. Sicut si acciperem à te rem meam nesciens esse meam, acceptio illa esset injusta formaliter (id est, ut subest illi iniquæ voluntati), non tamen in se et materialiter, quia est actio in se justa, quæ justè potest appeti et fieri.

23. Tertiò, ratione somni vel alterius distractionis, per quam fit ut homo non habeat tunc in suâ potestate, de illius rei detentione cogitare; ut enim illa detentio sit libera, necesse est ut in potestate hominis sit advertere se detinere; alioquin pro illo tempore non est libera, ac proinde non est peccatum formaliter, sed materialiter tantùm, vel effectus peccati. Itaque interrumpitur peccatum detentionis; formaliter tunc non peccat, cùm illa detentio ab illo liberè non pendeat; continuatur tamen effectivè, quia effectus prioris peccati immediatè volitus continuatur: qui effectus est peccatum in suâ causâ, à quâ dependet, nempe in voluntate quæ præcessit. Hinc fit ut peccatum ratione hujus detentionis non sit majus vel minus, sive ea diutiùs duret, sive breviùs, nisi quatenùs id est prævisum et prævolitum, et consequenter solùm ratione voluntatis præcedentis.

24. Petes, utrùm interruptio hujus peccati debeat explicari in confessione? Videtur sanè id non esse necessarium, sed sufficere ut explicetur, primò, quamdiù rem retinuerit; secundò, quoties interim occasionem restituendi habuerit et neglexerit; tertiò, an interim dominus grave damnum vel afflictionem magnam senserit. Primum requiritur, ut intelligatur aliquo modo multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquivalens multis actibus internis. Secundum, ut intelligatur multitudo actuum seu omissionum exteriorum. Tertium, ut quanta in illis actibus externis fuerit malitia; non requiritur verò ut explicet, quoties resiliit à proposito restituendi : tum quia is qui decies mutavit propositum, non magis peccavit, quàm qui permansit continuè in voluntate retinendi, si cætera sint paria : tum quia omnes istæ volitiones non restituendi, referuntur ad continuationem unius actûs externi, ac proinde moraliter censentur unum peccatum.

Mihi probatur, ut etiam numerus talium volitionum explicetur : quia per se sunt distincti actus, puta, si potest meminisse.

## DUBITATIO V.

*Utrùm dùm quis utitur re alienâ, quam detinet invito domino, peccet novo peccato quotiescumque id facit.*

Resp. : Quidam putant, id esse novum peccatum. Ita Navar. cap. 17, num. 54, et Cajet., q. 66, art. 3.

25. Sed verius est, non esse novum, sed unum idemque continuatum; colligitur ex Gabr. et Soto supra cit. n. 11. Ratio est, quia rem alienam accipere, retinere, uti, et destruere, censentur ejusdem rationis et speciei moralis : ergo quando hæc simul concurrunt, est unum peccatum continuatum.

26. Hic tamen duo advertenda : Primò, si domino perinde sit, utarisne re suâ, an eam apud te detineas otiosam, non magis crescere culpam usu, quàm nudâ detentione; ut, si sit gemma, annulus, torquis, vel quid simile, quod usu non fit deterius : si sit pecunia, eamque alienes, modò eâ alienatione non fias ad restituendum impotentior; quòd si dominus longè ferret ægriùs usum, quàm otiosam detentionem, eò quòd res usu atteratur, vel periculo exponatur, tunc peccatum magis usu augesceret quàm detentione (semper tamen intra eamdem speciem), ut si sit vestis, vel equus, etc.

Secundò notandum : Si res ita apud te facta sit deterior, ut verisimile sit dominum eam non ampliùs velle, sed pretium ejus, non est peccatum eâ uti, aut etiam destruere, quia hoc non fit ampliùs invito domino, cùm eam nolit sibi restitui; peccatum tamen esset non restituere ejus pretium, si commodè posses; quòd si etiam id tunc commodè non posses, neque hoc peccatum esset.

## DUBITATIO VI.

*Quale peccatum sit furtum.*

Respondeo et dico primò, ex genere suo esse peccatum mortiferum. Ratio est, quia infert proximo nocumentum; atqui hoc est contra charitatem : ergo.

Adverte tamen, furtum ex genere suo esse minimum peccatum, quod in proximum committitur; quia bona fortunæ sunt infima; ratione tamen incommodorum, quæ inde sequuntur, posset esse majus aliis.

27. Dico secundò : Fieri tamen potest, ut ex indeliberatione, vel ex materiæ parvitate, sit tantùm peccatum veniale. Est certa. Et quidem ratione parvitatis materiæ patet; quia in furto tali non est notabilis læsio. Ratione autem indeliberationis, quomodò possit esse peccatum veniale, difficilius est; nam opus illud externum videtur vix fieri posse absque plenâ consideratione.

28. Sed quidquid sit de opere externo, saltem voluntas furandi potest carere plenâ et sufficienti advertentiâ, ut patet, dùm quis tentatur ad furtum; ac proinde in hâc peccatum veniale erit. Puto tamen etiam fieri posse, ut hæc voluntas exeat in opus externum, auferendo rem alienam sine plenâ animadversione. Quidam enim ex consuetudine ita sunt propensi et veluti determinati ad furandum, ut rem auferant priusquàm perfectè advertant quid agant. Idem fieri potest ex vehementiâ tentationis, præsertim in festinatione, ubi non conceditur deliberatio.

29. Dico tertiò : Ut furtum sit peccatum mortale, requiritur, ut materiæ quantitas notabilis sit. Patet, quia non cujusvis rei ablatio potest esse culpa mortifera, v. g., pomi vel oboli.

Sed difficultas est, quænam censenda sit quantitas notabilis. Navarrus c. 17, num. 4, putat dimidium regalem esse quantitatem notabilem, quæ constituat furtum mortiferum. Toletus l. 5, c. 16, unum regalem, vel duos, etiam respectu ditissimi. Bartò. Medina 1-2, q. 88, art. 4, duos regales. Sotus lib. 5, q 3, art. ad tertium, unum vel duos aureos. Denique quidam centum aureos requirunt, vel amplius, seposito omni incommodo extrinseco. Alii verò docent, non posse in genere taxari, quæ quantitas sit notabilis, sed hanc statuendam arbitrio prudentùm, pro variâ personarum et locorum conditione. Ita Joannes Medina c. de Restit. q. 10, et Petrus Navar. lib 3, cap. 1, n. 35. Ratio est, quia quod respectu unius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed modicum et parvi momenti; juxta quam sententiam dici potest, primò, respectu omnium, etiam regis et hominis prædivitis, unum aureum videri quid notabile, unde furtum unius aurei, erit mortiferum. Ita Pet. Navarra, et Sotus supra.

30. Nec obstat, quòd hæc quantitas respectu regis modica videatur : quia etsi modica sit ad donationes pro regiâ magnificentiâ faciendas, non tamen est modica, spectatis omnibus regis oneribus, ad quæ sublevanda hæc quantitas notabiliter juvat : ut patet cùm militi solvendum est, qui per mensem unum, pro duobus aureis vitam exponit. Deinde censetur notabilis, cùm agitur de injuriâ subeundâ : non enim minùs rex se suaque omnia tuta esse vult ab injuriâ, quàm alius quilibet. Secundò, respectu mediocriter divitum, quatuor regales sive unum florenum censeri quid notabile, juxta Petrum Navarram, quia sufficit illis ad

victum unius diei ; addit ille, minorem quantitatem non censeri notabilem. Tertiò, respectu mechanicorum, duos regales, juxta sententiam Medinæ; inde enim commodè victitant, et hæc summa ferè æquat mercedem diurnam. Sotus tamen et Petrus negant duos sufficere.

31. Quartò, respectu pauperis, unum regalem, vel etiam dimidium. Sententia illa de centum aureis, est nimis laxa, nec satis consentanea Scripturæ, quâ dicitur : *Fures regnum Dei non possidebunt* ; pauciores enim sunt, qui tantas summas surripiant.

Nihilominùs, etsi hæc ultima sententia satis probabilis videatur, placet tamen sententia Bartholomæi Medinæ, et Toleti, qui duos regales absolutè quantitatem notabilem statuunt, quamvis etiam minor summa talis censeri possit, si notabilem læsionem secum trahat; ut si pauperi surrepta fuerit : ut Toletus notat. Quod confirmari potest ex Navarro, qui dicit : In quibusdam Episcopatibus solitam ferri excommunicationem ob furtum duorum regalium. Hoc tamen modo post concilium Tridentinum fieri non debet : imò per se res satis indigna videtur, nisi in casu aliquo particulari, circumstantiæ tale remedium postulent. Vide Concil. Trident. sess. 25, c. 3, de Reform. ubi statuitur ut hujusmodi excommunicationes non ferantur, nisi ob rem non vulgarem, causâ diligenter per episcopum examinatâ ; unde non facilè excusaverim eos, qui pro tribus vel quatuor florenis excommunicant.

32. Dices : Si furtum duorum regalium, in divitem commissum, est peccatum mortiferum, non infra ; ergo si quis auferat duos regales, minùs uno obolo, non peccavit mortiferè.

Respondeo : Non posse hanc quantitatem mathematicè statui, sed moraliter ; sicut justa rerum pretia, quæ non consistunt in indivisibili termino. Itaque censebitur etiam peccare mortiferè, qui saltem uno vel altero asse non abest ab hâc quantitate : quæ enim parùm distant, nihil distare videntur.

33. Dico quartò : Quamvis ipsa res, quæ surripitur, non sit notabilis pretii, tamen si auferatur ei qui inde grave incommodum accipiet, est peccatum mortiferum ; quamvis non mortiferum in specie furti. Prior pars, *esse peccatum mortale*, probatur ; quia notabile damnum proximo irrogatur ; ut si sutori surripias setas, vel sartori acum ; nec possint aliunde habere : sic si auferas cuipiam rem parvi momenti, quam tamen ille maximi facit, et propter quam valdè perturbabitur, vel diras imprecabitur, ut ait Sotus supra.

34. Secunda pars, *Non esse peccatum mortiferum* in specie furti, optimè probatur à Navarro supra, c. 17, n. 2, quia res quæ surripitur, non est notabilis pretii : ergo non est materia furti mortiferi. Unde sequitur, si talis ferretur excommunicatio : Quicumque rem notabilem furatus fuerit, ipso facto sit excommunicatus, hunc non fore excommunicatum.

Petes : ad quam speciem ergo pertinebit hoc peccatum, quà est mortiferum ?

Resp. : Si sequatur damnum, v. g., lucrum cessans, erit in specie damnificationis injustæ ; quæ proprio nomine caret, quia hujus damni causam injustè dedit : si autem sciat fur, talem solere pejerare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali, pertinens ad eam peccati speciem, cujus sciebat suo furto, etsi exiguo, se fore causam.

35. Ex his sequitur, eum qui surripit minima, cum animo majora furandi si posset, peccare quidem mortiferè ; non illo actu, quo vult furari hoc minimum, sed alio huic conjuncto ; talis enim habet duos actus voluntatis : unum absolutum, quo vult hanc rem parvam furari ; et hæc voluntas exit in actum externum, estque solum peccatum veniale : alterum conditionatum, scilicet vellem auferre majora si possem : et hæc velleitas est peccatum mortiferum, sed non exit in actum externum : unde talis fur non involveretur sententiâ excommunicationis latæ in eos qui rem notabilem furati essent.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm is qui minutis furtis intendit surripere quantitatem notabilis pretii, peccet mortiferè.*

36. Respondeo : Qui per furta minima intendit ditescere, aut conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortiferè illâ intentione, et quovis externo furto minuto, ex ejus vi procedente. Est communis DD. sententia. Prior pars patet, quia intendit accipere rem alienam magni momenti invito domino.

37. Dices : Intendit accipere à diversis, et nemini cupit facere notabilem injuriam : ergo non est peccatum mortale. Ob hoc argumentum Hieronymus ab Hangesto, cap. 9 Moralium, pag. 130, admittit hoc non esse peccatum mortale, nec teneri ad restitutionem. Sed hanc sententiam non facilè concesserim in praxi. Primò, quia alioquin non peccarent mortiferè, qui utuntur ponderibus vel mensuris justo minoribus : quod videtur esse contra illud Proverb. 11 : *Statera dolosa, abominatio est apud Deum ;* et Deuter. 14 : *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus*, etc., *abominatur enim Deus eum qui facit hoc*, ubi satis insinuatur esse peccatum mortale. Secundò, quia præbet occasionem hominibus, ut ex alieno ditescere studeant. Tertiò, quia est contra communem DD. sententiam. Joannes Medina c. de Restitut. q. 10, in fine, putat *non esse peccatum mortale, si ille id in fraudem legis de non furando, non faciat ; sed quia fortè non habet aliàs, unde ipse et familia sua vivat ;* quæ sententia teneri potest, primò, si illius hominis conditio sit talis, ut alii teneantur ei succurrere : ut docet Angelus, v. *Furtum*, n. 37. Fumus eodem verbo n. 10, et alii. Secundò, quando constat illos, à quibus accipit, si nôssent hominis statum, non fore invitos circa rei substantiam, etsi circa modum inviti sint ; dùm displicet occulta surreptio vel fraus ; aliàs non est tuta.

38. Unde ad objectionem respondeo negando consequentiam, nempe quòd ille non peccet mortiferè, dùm intendit à multis parùm accipere. Ratio est, quia

multis inferre parvum damnum, perinde est ac si uni inferas magnum; nam omnia illa parva simul juncta, efficiunt unum magnum, quod est illius communitatis.

Nec refert, quòd singuli vix sentiant aliquid incommodi; quia etsi nemo in particulari sentiat; tamen respectu communitatis est notabile incommodum; quia tali summa potest respublica aliquem notabiliter juvare, vel aliquod debitum dissolvere, sicut supra dictum est de rege; quia etsi in suâ personâ ex furto duorum aureorum nihil sentiat incommodi, tamen censetur ei quid notabile, spectatis omnibus ejus oneribus et obligationibus. Simili modo, qui ex immenso tritici numero, ad rempublicam pertinente, duos modios auferret, parùm incommodi singulis inferret; tamen peccaret mortiferè, quia respectu reipublicæ id censetur notabile. Adde, hanc rationem furandi, remque suam augendi, valdè repugnare societati humanæ, et in omni republicâ benè institutâ valdè exosam; ac proinde tanquàm rem valdè noxiam hominum societate, censeri prohibitam sub peccato mortifero: sicut fornicatio prohibita est sub peccato mortali; quia per se noxia est educationi prolis.

39. Altera pars probatur, quia singula externa furta procedunt ex intentione mortiferâ, suntque ejus executio: ideò enim furta parva committit, ut sensim ad magnam quantitatem perveniat: unde singulæ acceptiones, sunt executiones partiales illius intentionis mortiferæ, et consequenter in illis est peccatum mortiferum: quidquid enim fit ex intentione mortiferi peccati, est peccatum mortiferum.

40. Notandum tamen, in singulis non committi novum peccatum mortale, sed continuari jam cœptum: omnes enim istæ acceptiones et detentiones acceptorum censentur una continua executio illius pravæ voluntatis. Sed committitur novum peccatum veniale in singulis; et simul continuatur executio mortiferæ intentionis. Itaque quæque voluntaria acceptio est intrinsecè peccatum veniale; denominatione autem extrinsecâ est mortale. Unde fieri potest, ut is qui sic furatur, non magis peccet, quàm si uno actu eamdem quantitatem furaretur, sed potiùs minùs, si cætera sint paria.

41. Petes: Utrùm iste, qui sic à plurimis corrasit, teneatur ad restitutionem, et cui?

Resp.: Teneri ad restitutionem iis, à quibus accepit, si tamen commodè possit; quòd si non possit, vel quòd ignorentur, vel quia executio est difficilior, quàm res tantilla postulet, vel quia est periculum infamiæ, injungendum illi à confessario, ut det in pauperes, vel alia pia opera: hoc enim videtur maximè consentaneum justæ voluntati dominorum, à quibus subtractum. Sed de hoc plùs infra, cap. 14, dub. 6.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm is, qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, peccet mortiferè.*

42. Respondeo et dico primò: Antequàm perveniat ad quantitatem notabilem, non peccat mortiferè; tamen simul atque ad eam pertingit, mortiferè peccat, nisi per inadvertentiam excusetur. Prior pars est manifesta. Secunda etiam est communis doctorum et probatur; quia jam incipit voluntariè detinere alienum notabili quantitate.

Sed difficultas est, utrùm illud ultimum furtum complens quantitatem notabilem, sit peccatum mortiferum. Multi affirmant. Exempli causâ; accepit quis nonum furtis parvis, novem asses: tandem ex occasione accipit decimum: in acceptione decimi dicunt esse peccatum mortiferum. Sed contrarium videtur verius, unde

Dico secundò, furtum illud decimum, per se non est nisi veniale; sed detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, est peccatum mortiferum. Prior pars est Navarri, c. 17, n. 139. Altera patet ex supradictis.

43. Dices: Hoc decimo furto infert jam notabile damnum: ergo peccat per illud mortiferè.

Resp. damnum illatum incipere tunc quidem esse notabilis pretii; tamèn hoc non infertur per decimum furtum; sed per hoc et præcedentia collectum sumpta, quorum unumquodque est solùm veniale.

Admitto tamen, tunc incurri peccatum mortiferum, si ille fur advertat se jam habere quantitatem notabilem, et non proponat restituere, cùm tamen commodè possit; tunc enim saltem implicitè habet voluntatem retinendi alienum quantitate notabili: peccat ergo mortiferè, non quidem voluntate accipiendi hunc decimum assem, sed voluntate illâ, quâ hunc decimum cum aliis ante acceptis, qui simul juncti faciunt rem notabilem, vult retinere.

Si tamen non adverteret se jam habere alienum, quantitate notabili, non peccaret mortiferè. Similiter si adverteret quidem, sed non haberet commoditatem restituendi, proponeretque primâ opportunitate restituere. Ratio est; quia talis neque accipit tunc alienum quantitate notabili, neque etiam habet voluntatem culpabiliter tale quid retinendi, licitè enim potest adhuc nolle restituere priores novem, et acceptio decimi non est peccatum mortiferum, sed solùm veniale: ergo non peccat nisi venialiter.

Dices: Quid si post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addat quis furta alia parva, eruntne mortifera?

44. Resp.: Per se non fore mortifera, sed mortifera erit voluntas retinendi illa minuta cum aliis; et hoc peccatum voluntatis et externæ retentionis sensim crescet, prout plus et plus detinebitur; ut si post 10 illos accipiat alios duos, et aliâ occasione tres, et postea unum, sicque sæpiùs, retinens interim omnia priora. Si tamen non sit commoditas restituendi priora, illa voluntas retinendi, mortifera non erit, modò concipiatur propositum restituendi primâ opportunitate; sed tunc quando illa nova furta rursùs ad quantitatem notabilem ascendent, committetur novum peccatum mortiferum, juxta modum supradictum.

45. Ex his patet, fieri posse ut quis commiserit tantùm furta venialia, et tamen sub peccato mortali teneatur restituere; quia velle retinere illam quantitatem sic partam per furta venialia, est peccatum mortale.

46. Adverte tamen, ad peccatum mortale majorem quantitatem requiri, quando quis eidem magnis temporum intervallis subtrahit parvis furtis, et non ex industriâ, sed per occasionem, quàm dùm brevi tempore vel de industriâ vel simul accipit, ut ibidem Navarrus docet. Ratio est; quia homines minùs ægrè ferunt sibi auferri longo intervallo et casu quædam minima, etiam ad notabilem quantitatem, quàm eamdem quantitatem simul vel per partes, de industriâ. Unde si is mortiferè peccat et ad restitutionem tenetur, qui ab eodem aufert 10 simul, vel per partes de industriâ, requirentur 15 vel 16 aut etiam viginti ut quis sub peccato mortali teneatur restituere acquisitum per minuta furta fortuita; præsertim si longis intervallis sint facta. Ratio tamen, quâ id probat Navarrus, non videtur firma; ex illâ enim sequeretur, nunquàm peccari retentione sic ablatorum, etiamsi essent 10 scuta : ita enim argumentatur Navarrus : Minùs peccat qui retinet, quàm qui capit, cæteris paribus : et capiendo illa parva sine animo perveniendi ad quantitatem notabilem, non peccat plus quàm venialiter : ergo nec retinendo. Etsi enim minùs quis peccet retinendo quàm capiendo, cæteris paribus, hìc tamen non sunt paria; nam retentio comparatur ad quantitatem notabilem, tanquàm ad unum objectum : unde potest esse mortifera; sed acceptiones singulæ comparantur ad res non notabiles; unde non possunt esse nisi veniales; hæc tamen ratio Navarri ad hoc juvat, ut ostendatur requiri majorem quantitatem ad peccandum mortiferè solâ retentione, quàm acceptione quæ simul fit.

47. His adde, majorem quoque quantitatem requiri, quando quis à diversis minuta furatur, quàm quando ab uno; quia diversi illi parùm læduntur, nec ita curant rerum minutarum casu surreptarum restitutionem. Denique, major requiritur quantitas in furtis filiorum à parentibus, quàm famulorum à dominis; et in furtis famulorum, quàm externorum.

48. Ubi adverte, furta esculentorum et poculentorum, quæ committuntur à famulis, et ancillis, etiamsi sensim perveniant ad notabilem quantitatem, non esse peccata mortalia, si furentur ea, ut ipsimet consumant (secùs verò si ut vendant) sintque ordinaria, quæ non solent accuratè concludi; de quo vide Navarrum, cap. 17, n. 138. Ratio est, quia dominis non omninò displicet, ut hæc capiantur : cujus signum est, quòd etsi sciant ista passim fieri, tamen non impediunt; et si rogarentur, facilè concederent.

49. Unde potiùs displicet modus accipiendi quàm ipsa acceptio seu consumptio; atqui non est peccatum mortiferum accipere aliquid occultè ab eo, cui non displiceret acceptio, si res ab eo peteretur; quamvis modus accipiendi displiceat; ut rectè docet Cajetan. in Summâ, v. Furtum, et Navar. c. 17, n. 138, et comment. 2 de Regular. n. 20, quia dominus non est invitus circa substantiam acceptionis, sed solùm circa modum; quod valdè notandum, ob furta filiorum, uxorum, famulorum, amicorum, et similium, qui per verecundiam vel timorem non audent petere.

50. Si tamen surripias ad eum usum, ad quem ille nullo modo voluisset concedere, ut ad compotationes, ludos, etc., erit verum furtum, quia non vult rem esse tuam ad talem usum; et ita acceptio secundùm substantiam censebitur fieri invito domino : id enim maximè ex usu et fine, ad quem res accipitur, spectandum est. Vide infra, c. 41, n. 80.

Monendi mihi sunt hoc loco pro his et similibus casibus confessarii, ut non facilè in furtis etiam minutis, et quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent; sed pro conditione et capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, quæ fiat vel reddendo rem eamdem si exstat, vel ejusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando majore obsequio, quàm ex contractu teneantur; vel si creditoribus non possunt, conferendo tantumdem in pauperes. Hâc enim ratione, cùm non impunè transeunt, magis ab hujusmodi peccatis absterrentur, quàm aliis pœnitentiolis : alioquin fiunt ad hujusmodi furtula faciliores, et ad majora gradum faciunt.

## DUBITATIO IX.

*Quando plures uni per minuta furta grave damnum inferunt, ut cùm multi vineam prætereuntes, botrum unum vel duos carpunt; utrùm singuli peccent mortiferè, et teneantur ad restitutionem.*

Resp. et dico primò : Si id fiat communi consilio, peccant mortiferè, et tenentur ad restitutionem in solidum, juxta multorum sententiam, de quâ infra, c. 13, dub. 2.

Dico secundò : Si casu id fiat, ita ut alter alterius non sit conscius, nemo peccat mortiferè, neque tenetur ad restitutionem. Ita Navar. cap. 17, num. 130, et alii. Ratio est, quia nemo est causa notabilis damni.

51. Sed quid si advertant notabile damnum inferendum?

Resp. : Multi doctores, affirmant, tunc singulos mortiferè peccare, et ad restitutionem suæ partis teneri. Ita docet Covar. l. 1 Variarum, c. 3, n. 13, Medina, c. de Restitutione, q. 10, Petrus Navarra l. 3, c. 1, n. 48, et alii. Ratio est, quia si advertas magnum damnum à pluribus per minuta furta dari, et ipse nihilominùs fureris, ad illud cooperaris et auxilium præbes : atqui hoc est peccatum mortale. Unde ulteriùs sequitur, teneri te ad restitutionem tuæ partis sub peccato mortali; quia retinendo, cooperaris cum aliis ad retentionem rei notabilis : debet ergo fieri restitutio, donec res retenta non fuerit ampliùs notabilis pretii. Sed contrarium videtur verius; unde.

52. Dico tertiò : Is qui alteri nullo modo suo exemplo vel hortatione est causa accipiendi, etiamsi sciat alios accipere, non tamen peccat mortiferè, modicum

accipiendo; neque tenetur sub peccato mortali ad restitutionem: colligitur ex Soto in 4, d. 22, q. 1, art. 2, casu 3. Probatur, quia iste infert parùm damni: ergo ex hàc parte non peccat nisi venialiter, et nemini est causa vel occasio furandi, ut suppono: ergo ex eo quòd alii furentur, peccatum ipsius non aggravatur, sicuti is qui novit alios furari à rege, et parùm furatur, non peccat mortiferè, quando suo exemplo aliis non est causa; quod addo, quia etsi exemplum non inducat obligationem restitutionis, tamen est ratio cur quis peccet mortiferè,

Nec obstat, quòd talis cooperetur magno damno; quia solùm in parvâ parte cooperatur, et præter ipsius intentionem est, quòd illa cum aliis jungatur, et magnum damnum constituat; unde non est verum, quòd consentiat in totum damnum: quia displicet illi, quòd magnum damnum inferatur.

53. Dices primò: Iste est causa cur damnum, quod alioquin non fuisset notabile, sit factum notabile (v. g., alii abstulerunt 9 asses, quod damnum suppono nondùm esse notabile, sed sit tale ablato decimo, quem iste furatur): ergo peccat mortiferè.

Respondeo negando conseq.; quia non est verè causa damni notabilis, sed parvi; quòd autem, hoc furto posito, jam illatum sit damnum notabile, id omninò per accidens est et præter ipsius intentionem, neque ullo modo sequitur ex conditione illius furti, sed ex eo, quòd accidit alios ante abstulisse novem; itaque complere hoc modo damnum, et efficere ut ex non notabili fiat notabile, non est notabiliter lædere, vel notabili injuriâ afficere, sed totum illud, quod est notabile, accipere vel retinere; quod iste non facit. Sicut qui complet lineam 10 pedum, addendo unum pedem, non est causa longæ lineæ: et qui complet summam 100 florenorum, dando unum florenum, non dat summam 100 florenorum: ita qui auferendo unum, complet damnum decem assium, non dat damnum notabile. Quod etiam inde confirmatur, quia alioquin si sciens alium abstulisse novem, auferas unum, infinitè ampliùs peccabis auferendo unum, quàm ille auferendo novem, quod per se est absurdum. Unde patet, istud argumentum, quod est fundamentum contrariæ sententiæ, parùm esse firmum.

54. Dices secundò: Qui hoc modo damnum vineæ intulerunt, possunt sub pœnâ excommunicationis compelli ad restitutionem: ergo peccârunt mortiferè, etc.

Resp. negando consequentiam; potest enim quis ex justâ causâ compelli sub peccato mortali ad id, ad quod aliàs non tenebatur; ut, v. g., venire ad supplicationem, solvere mulctam lege impositam: ad hoc enim satis est, ut sit justa causa præcipiendi, etiamsi hæc causa per se absque præcepto superioris non sufficiat ad obligandum. Itaque, cùm hìc sit justa causa præcipiendi sub pœnâ excommunicationis, ut singuli suam partem restituant, nempe ut ille grave damnum acceptum resarciat, potest sic præcipi. Hæc tamen causa non sufficit, ut singuli jure naturæ absque præcepto superioris teneantur sub peccato mortali; quia quisque in particulari potest cogitare suam restitutionem parùm profuturam ad damni compensationem, eò quòd alii non restituent. Addo, non videri posse compelli sub pœnâ excommunicationis eos qui notabilem quantitatem non acceperunt, nisi quando res ita essent comparatæ, ut ex defectu restitutionis unius, notabile damnum sequeretur: ut si, Titio particulam suam non restituente, alii quoque restituere nollent.

55. Dices tertiò: Ergo fieri potest, ut quis magnum damnum accipiat, et tamen nemo teneatur sub peccato mortali restituere.

Resp. concedendo totum: neque enim hoc absurdum videri debet, quando à multis datum est, cùm etiam locum habeat, quando ab uno absque culpâ lethali irrogatum, ut supra ostensum, cap. 7, dubit. 6.

## DUBITATIO X.

*Utrùm occultè vindicare rem suam vel sibi debitam, surripiendo eam alteri, sit peccatum mortiferum.*

56. Resp. et dico primò: Si res tua justo titulo, v. g., pignoris, locationis, commodati, etc., apud alium exstet, eamque occultè recuperes, peccas peccato furti, et teneris ad restitutionem. Est communis doctorum opinio. Ratio est, quia iniquè spolias alterum suo jure, quod in illam rem habebat; quod si magni sit momenti, necessariò est restituendum; hoc tamen intellige, si probabile erat te rem tuam, jure alterius finito, commodè recuperaturum.

57. Dico secundò: Si injusto titulo apud alium fuerit, vel aliàs tibi debita, non teneris ad restitutionem, etiamsi eam occultè receperis: peccas tamen, nisi certæ conditiones adsint.

Prior pars patet, quia nulla fit inæqualitas; neque alter justâ ratione est invitus, teneris tamen tunc monere, si commodè potes, nihil tibi deberi, vel remittere debitum, ut ille sentiat se non ampliùs obligatum, tum ne permaneat in peccato, existimando se detinere tuum vel tibi debitum; tum ne secundò tibi satisfiat, ut rectè Sotus, lib. 5. de Justit. q. 3, art. 3, Cajet. q. 66, art. 5; Navar. cap. 17, num. 113, et alii.

Altera pars: Quòd pecces, probatur; quia fit injuria publicæ potestati, quæ ad hoc constituta, ut singulis jus suum tribuat, ut rectè D. Thomas, q. 66, art. 3, ad tertium.

58. Dixi: *Nisi certæ conditiones adsint*; his enim positis, licitum est rem suam occultè recuperare, et pro debitis compensatione uti.

Prima est: Ut moraliter certum sit, rem tuam esse, vel tibi ex justitiâ deberi; si enim id esset dubium, non posses eam accipere; nam in dubio melior est conditio possidentis. Similiter, si non esset debita ex justitiâ, sed solùm ex gratitudine.

59. Secunda est: Ut non possis eam aliâ ratione redipisci, vel certè non absque notabili molestiâ, vel expensis, vel amissione benevolentiæ et favoris.

Tertia: Ut non accipias rem aliquam apud debito-

rem depositam, sed tuam vel tui debitoris; nam compensatio fieri debet ex bonis debitoris, quæ in ejus sunt dominio.

Quarta : Ut absit periculum scandali vel infamiæ, ne tanquàm fur puniaris vel habearis. Hæ conditiones si adsint, licitè potes uti compensatione.

60. Quidam addunt, *ne compensatio fiat in deposito;* ita enim expressè docet Greg. IX, c. *Bona fides*, de deposito. Sed hoc videtur pertinere ad forum exterius, in quo cogetur reddere depositum ob præsumptionem perfidiæ, ut ibi insinuatur, quod video etiam placuisse Emanueli Sâ.

61. Ex dictis sequitur primò : Si feratur excommunicatio in eos qui surripuerunt, non comprehendi eum qui in compensationem accepit, etiamsi aliâ viâ recuperare potuerit (quod est contra Joannem Medin., quæst. 11), nisi in hisce tribus casibus : Primò, quando debitum erat dubium ; secundò, quando notabiliter ultra æqualitatem progressus est ; nam respectu illius excessûs est verum furtum ; tertiò, quando rem alienam accepit, quæ non erat debitoris. Extra hos casus non ligatur hâc excommunicatione. Ratio est, quia etsi peccaverit sic accipiendo, non tamen peccat retinendo ; quia solùm peccavit in modo accipiendi, unde etiam non tenetur ad restitutionem. Neque judex intendit illum cogere, sed injustum detentorem ; et quamvis intenderet, nihil tamen efficeret, quia ille non tenetur restituere : unde excommunicatio esset inefficax; quamvis enim peccaverit, fortè etiam mortiferè, tamen illud peccatum jam præteriit : unde propter illud non potest excommunicari : ulteriùs autem detinendo, non peccat; unde neque ob hanc causam.

62. Dices : Judex per modum pœnæ poterit imponere hanc restitutionem ob peccatum præteritum.

Resp. negando posse ; quia judex non potest aliquem punire pœnâ pecuniariâ vel simili ob delictum, nisi priùs juridicè audiatur reus et convincatur.

Sequitur secundò, si is, qui justè accepit, rogaretur à judice, num sciret quis acceperit, vel an ipse non acceperit, posse negare se scire, etiam cum juramento ; mente intelligendo, se nescire quis ita acceperit, ut judex intendit, nempe injustè ; quòd si non rectè accepisset (eò quòd viâ juris facilè potuisset recuperare), quamvis nunc justè retineat, tamen juridicè interrogatus tenebitur fateri, quia judex tunc habet jus interrogandi, sicut de aliis criminibus ; unde non potest uti artificio prædicto. Vide Navar., c. 17, n. 114 et duobus sequentibus. Contrarium tamen non est improbabile, quia alia videtur mens judicis, nempe an acceperit injustè, non quoad modum tantùm, sed quoad substantiam acceptionis.

63. Sequitur tertiò, famulos non posse sibi occultè compensare ex bonis dominorum, dùm queruntur stipendia sua esse justo minora, nisi reverà judicio prudentis ita sit, nec solùm lege gratitudinis, sed etiam justitiæ plus debeatur; quod potest fieri dupliciter : Primò, si parvo quidem sit conventum, eâ tamen mente, ut dominus, servitio diligenter præstito, esset suppleturus, et hanc mentem famuli dominus satis adverterit; tunc enim ex justitiâ dominus tenetur supplere, quia hoc tacitè in pacto continetur. Secundò, si pressus necessitate, exiguo convenit, quia dominus ampliùs dare noluit; tunc enim quòd operam suam multò pluris valentem tam parvo locet, non sponte facit, sed necessitate compulsus (sicut si quis, necessitate pressus, parvo vendat rem aliquam magni pretii); tenetur ergo dominus supplere stipendium ad æquivalentiam ; hoc tamen intellige, si tali servitio egebat, vel si magnum ex eo capiat emolumentum ; quòd si non egebat, sed solùm ad preces alterius, nullo magno suo commodo, admisit, meritò potest minus offerre ac dare ; *merces enim ultroneæ*, ut dici solet, *vilescunt* : vide Navar., cap. 17, num. 109 et sequentibus.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm aliquando liceat vim adferre debitori, si aliter nequeas rem tuam obtinere.*

64. Respond. : Dominicus Sotus putat id licere, quando respublica ita est perturbata, ut nemo jus suum obtinere valeat, modò tamen sine armis et moderatè fiat. Sed utendum distinctione.

65. Si res tua exstet apud alterum in suâ specie (v. g., equus, vestis, torquis, etc.), et non possis eam aliter recuperare ob reipublicæ perturbationem, non est improbabile posse te domum ingredi, et eam auferre : et si ille velit impedire, posse te etiam armis tueri ; habes enim jus recuperandi rem tuam. Neque hìc videtur propriè aggressio, sed defensio, ut supra dictum est, ex D. Antonino et Silvestro. Si tamen res non exstet, sed ille tantùm sit debitor tuus, non potes hoc modo illam vindicare, quia tu non es dominus rei illius, sed ipse : unde habet jus tibi resistendi, si eam vi auferre nitaris; et tu censeris aggressor, non ille, quia ipse non detinet rem tuam, sed tu invadis rem ipsius.

## DUBITATIO XII.

*Utrùm in extremâ, vel etiam in gravi necessitate, licitum sit aliena surripere.*

(*D. Thomas, quæst.* 66, *art.* 7.)

66. Notandum est, eum, qui in necessitate versatur, non posse alienum usurpare, nisi ante petierit juvari, explicatâ suâ miseriâ, vel nisi certò sibi persuadeat, se nihil obtenturum ; si enim probabilis spes sit posse te convenienti modo petendo (non enim tenetur vir honestæ conditionis ostiatim mendicare), consequi ut sit tuum, non videris redactus ad eam necessitatem, ut cogaris surripere alienum. Hoc enim tunc demùm jure gentium conceditur, quando alia via occurrendi necessitati non suppetit. Quare si aliter facis, contra debitum ordinem facis ; nemo enim potest vivere ex alieno, quando potest ex proprio, efficiendo ut res aliena fiat sua per donationem, vel aliter. Non tamen videtur esse peccatum mortale, si hic ordo non servetur, modò scandalum absit ; quia, sive dominus concedat, sive non concedat, potes accipere ; est enim duntaxat inordinatio in modo.

67. Nunc dico primò, quamvis in extremâ necessi-

tate constitutum posse accipere rem alienam, quâ extremè indiget ad vitæ suæ conservationem. Est communis sententia doctorum; probatur, quia in extremâ necessitate *omnia sunt communia*, ut habet receptum axioma; non quòd per illam statim transferatur dominium (ut rectè probat Navarrus, cap. 17, num. 61), sed quia quoad jus utendi, communia sunt, ita ut licitè quivis, illis angustiis pressus, possit occupare sibique vindicare rem quamlibet adeò sibi necessariam, et ex ejus usu sibi et proximo opitulari.

68. Cujus ratio est, quia finis rerum inferiorum est ut hominibus in necessitate sint subsidio, et ut homines per illas possint vitam suam conservare et tueri; ac proinde omnibus à naturâ hoc jus competit. Neque divisio jure gentium introducta potuit hoc jus adimere; quia jus gentium supponit, non evertit jus naturale, præsertim quod tantoperè necessarium ad vitæ conservationem; censeri itaque debet divisio esse facta, reservato cuique jure naturali, quatenùs erat necessarium ad vitam tuendam: alioquin non esset rationabili modo facta.

69. Hinc sequitur primò, si quis, in tali necessitate constitutus, vellet aliquid sibi necessarium occupare, non posse à domino illius rei prohiberi, quia jure suo utitur; quare poterit se tueri, tanquàm qui injustè ab altero invadatur, etsi necesse sit, servato justæ defensionis moderamine, impedientem occidere.

Sequitur secundò, talem acceptionem non esse furtum aut rapinam, quia non fit domino jure invito; tenetur enim consentire, cùm tu jure tuo utaris.

70. Adverte tamen, si dominus sit, in pari necessitate te non posse ab illo accipere, ut omnes fatentur, quia in pari causâ melior est conditio possidentis. Utrùm autem tenearis restituere, dicetur infra, cap. 16, dub. 1.

Sed difficultas est, utrùm idem sit licitum in gravi necessitate. Multi doctores negant, putantes id juris soli extremæ necessitati reservatum. Ita Cajet., q. 66, art. 7; Sotus, l. 5, q. 3, art. 4; Covar., ad reg. Peccatum, p. 2, § 1, n. 3, et multi alii. Aliis placet contrarium.

71. Dico secundò: Probabile est, non solùm in extremâ, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculùm surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. Angelus, *v. Furtum*, § 37; Sil., eodem, q. 5; Navar., c. 17, num. 5; Joan. Medina, c. de Eleemosynâ, q. 7; Covaruvias supra sentit esse probabile; Petrus Navar., l. 3, c. 1, n. 375. Per gravem intelligo, non quovis modo gravem, sed valdè gravem, etsi non extremam.

Probatur primò, quia sicuti à naturâ omnibus concessa est potestas succurrendi extremæ necessitati ex rebus humanis, ita et valdè gravi; cur enim hæc potestas restricta sit ad extrema? Secundò, ex gravi necessitate facilis est lapsus in extremam; ergo quod in extremâ concessum est, extendendum est etiam quodammodò ad gravem. Tertiò, sicut divisio rerum non debuit, nec jure potuit efficere quin extremâ in necessitate haberes jus surripiendi ab iis qui non sunt in simili necessitate, nempe superflua naturæ, quamvis essent aliquo modo necessaria statui: ita neque potuit efficere quin, dùm gravis necessitas premit, quando aliud remedium non suppetit, liceat surripere superflua vel parùm necessaria alterius statui. Itaque in divisione et attributione rerum, quâ factum est ut nemini jus sit in rem alterius, semper debuit hæc conditio tacita intelligi: *Nisi extrema vel certè valdè gravis necessitas postulet;* alioquin contra rationem et æquitatem facta esset. Secùs de necessitatibus communibus et non admodùm gravibus, quæ creberrimæ sunt, et non sic urgent, ut divisio et attributio jure gentium facta debeat violari; alioquin omnia furti plena essent, nec posset pax inter homines conservari.

72. Hinc patet, talem surreptionem non esse furtum, quia dominus tenetur consentire, nec potest cum ratione esse invitus circa substantiam acceptionis; quamvis modus displicere possit, si accipias priùs quàm petieris tuamque inopiam aperueris.

73. Si tamen ipse sit in pari necessitate, vel status ipsius notabiliter læderetur, posset recusare, sicque esset furtum, quia in hâc necessitate non licet surripere ab alio, cum notabili detrimento statûs illius, sicut in extremâ non licet accipere, cum gravi detrimento naturæ illius.

74. Dices primò, cap. Si quis 3 de furtis, dicitur: *Si quis ob necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres, et, si reddiderit, non cogatur jejunare.* Hìc imponitur pœnitentia ei qui ob gravem necessitatem furatus fuerit. Ita Covarruvias.

Respond., primò, ibi fortè agi de necessitate non ita gravi, ut docet Glossa ibidem et D. Thomas, q. 66, art. 7, ad primum. *Decretalis*, inquit, *illa loquitur in casu, quo non erat urgens necessitas;* ubi tamen adverte istud cap. non esse ex decretalibus pontificum, sed ex pœnitentiali Theodori.

Respond., secundò, fortassè agi de iis qui indebito modo suæ necessitati consuluerunt, surripiendo clanculùm, cùm facilè potuissent obtinere, si suam necessitatem aperuissent.

75. Dices secundò: Si in gravi necessitate posses surripere, posses etiam ad dandum cogere, vel in judicio vel extra: sed non potes cogere, ergo nec surripere. Minor probatur, quia nemo potest cogi ad id, ad quod non tenetur ex justitiâ; ille autem non tenetur ex justitiâ tibi dare; ergo. Ita Sotus.

Respondeo: Si hoc argumentum valeret, concluderet ne in extremâ quidem necessitate te posse surripere, quia dives non tenetur ex justitiâ dare, sed solùm ex charitate, ut Sotus fatetur. Itaque neganda est minor; potest enim dives cogi per legitimam potestatem ad succurendum pauperi, et si te volentem occupare rem tibi sic necessariam conetur impedire, potes te tueri, si scandalum absit.

Ad probationem respondeo, negando assumptum; ad multa enim cogi possumus, ad quæ ex justitiâ non obligamur, ut ad non se inebriandum, ad non fornicandum, non blasphemandum, imò ad dandam elee-

mosynam; ut enim quis cogi possit, satis est eum obligari alicujus virtutis præcepto, et necessarium esse vel valdè expediens ad bonum publicum ut hujusmodi opera fiant.

## DUBITATIO XIII.

*Quando filius peccet mortiferè, accipiendo vel expendendo bona paterna, et quando non.*

76. Respondeo : Peccat mortiferè primò, si notabilem summam accipiat occultè ex bonis parentum (nempe quorum dominium vel usufructus est parentum), ipsis meritò invitis, et tenetur ad restitutionem; est communis sententia doctorum, quia est verum furtum in materiâ notabili; unde, Proverb. 28, dicitur : *Qui subtrahit aliquid à patre suo, et à matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est;* ubi satis indicatur esse mortiferum.

Sed advertendum est, non idem censeri *notabile* in furtis filiorum vel uxoris, quod censetur tale in furtis externorum, ut rectè inter alios notavit Petrus Navarra, lib. 3, p. 2, cap. 1, sed majorem quantitatem requiri : neque hæc quantitas est eadem respectu omnium, sed varia pro conditione statûs, ætatis, personarum, locorum, et aliarum circumstantiarum, prout prudens judicabit; unde si filius subtraxit duos vel tres aureos parenti prædiviti, non statim putandum est mortale, præsertim cùm parens talis sæpè non sit multùm invitus: secùs si parenti mechanico, vel cui res angusta.

77. Secundò, si expendat in res turpes aut vanas (ut in ludum, in compotationes, in feminas) notabilem summam contra voluntatem parentum, ex iis pecuniis, quas parens ei ad honestos usus dedit, v. g., ad emendos libros, vestes, ad solvendum didactra magistris, ut rectè Navar., cap. 17, n. 164. Ratio est, quia parens non concessit ei pecunias illas ad tales usus, sed ad alios; neque intendit illas simpliciter donare, et dominium earum in filium absolutè transferre, juncto solùm mandato, ut honestè vel in hos usus impendat: sic enim ad restitutionem non videretur teneri, sed solùm contra paternam obedientiam fecisse; sed intendit donare cum restrictione ad usus determinatos, v. g., ad emendos libros, ita ut filius non accipiat earum dominium, nisi ad tales usus. Potest enim parens suam donationem limitare pro suo arbitrio, ita ut non plùs juris conferat, quàm ipse conferre intendit; quare si filius aliter expenderit, tenebitur ad restitutionem, cùm ad alium usum jus non habuerit. Hoc tamen intellige, si parens inde damnum acceperit, ita ut ei idcircò plùs causâ filii expendendum fuerit : secùs, si in solius filii incommodum cesserit; quòd si non possit restituere, tenetur adducere in divisionem, nisi fortè constet alios tantùmdem expendisse, vel nisi parens condonaverit, vèl putetur facilè condonaturus, si filius auderet rogare : quâ ratione multi excusantur ab hâc restitutione.

78. Et quamvis donatio patris facta filio non valeat, nisi in certis casibus, ut infra, cap. 18, dubit. 12, dicetur, tamen morte confirmatur, nisi excedat eam summam, de quâ parens potest disponere. Vide Navarrum, cap. 17, num. 158.

79. Non peccat accipiendo, vel certè non mortiferè, primò, si quantitas pro conditione statûs et personarum non censeatur judicio prudentûm notabilis.

Secundò, si putes parentem rogatum, facilè concessurum; tunc enim non videtur invitus circa substantiam acceptionis, sed tantùm circa modum, ut dictum est dubitat. 8, num. 49.

Tertiò, si dùm versatur in studiis, vel extra domum paternam, expendat more aliorum suæ conditionis, in eleemosynas, ludum et honestas recreationes : præsumitur enim parens id permittere, nisi constet de contrariâ voluntate; Navarrus, num. 157.

80. Quartò, si in extremâ vel etiam gravi necessitate proximi surripiat ad eleemosynam; tunc enim parens non potest esse cum ratione invitus, quia ipsemet tenetur dare.

Quintò, si accipiat ex bonis suis castrensibus vel quasi castrensibus, nempe ex partis occasione militiæ, vel officii publici, vel beneficii, etc.; quia hæc non pertinent ad patrem, nec pater ullum jus in his habet, sed ipse filius est in his veluti paterfamiliâs, ut ostensum est cap. 4, dubitat. 3.

Sextò, si parens sibi vindicet bona castrensia, vel quasi castrensia filii, ultra id quod expendit in ejus alimenta, filius potest tantùmdem repetere; quòd si non audeat, potest occultè uti compensatione, vel repetere à cohæredibus. Quod valdè notandum confessariis, ne facilè cogant filium ad restitutionem, cujus fructus beneficii percipiuntur à parente.

Septimò, si parens sit hæreticus, bona adventitia filii, in quibus ille habebat usumfructum, redeunt ad filium; et usufructus consolidatur cum proprietate, ut patet ex dictis cap. 3, dubit. 5; unde filius potest ea sibi vindicare, quòd si non audeat vel non possit, potest occultâ compensatione ex aliis bonis paternis sibi consulere.

81. Octavò, si filius gerit negotia patris, potest deductis expensis, quas pater facit in illo alendo, pro suo labore et industriâ tandùmdem accipere, quantùm daretur extraneo; nisi intendat facere gratis. Ita Navarrus, cap. 17, num. 144; Angelus, v. *Peculium*, num. 11, et alii.

Hic tamen sunt tria necessaria, primò, ut filius protestetur se velle lucrari : qui enim negotium alterius gerens petit mercedem, debet id explicare, si potest, maximè quando alter est præsens : nam hic fortè nolet, rebusque suis aliter consulet; quòd si ob reverentiam paternam non audeat, non est necessarium; quia parens non potest tunc id jure ægrè ferre. Secundò, ut constet parentem non facturum per se, neque inventurum alium, qui gratis vel minoris faciat. Tertiò, ut usumfructum istius lucri non sibi vendicet ante mortem patris, vel suam emancipationem, quia pertinet ad patrem; censetur enim hoc lucrum in bonis adventitiis, ut dictum est cap. 4, dub. 3.

Dices : Filius jure naturali tenetur servire parenti sine stipendio : ergo.

Resp. negando antecedens, nisi pater egeat, vel nisi alii filii etiam lucrentur patri; nulla enim æquitas

dictat, ut ipse teneatur suæ stipendio laborare, aliis otiantibus.

## DUBITATIO XIV.

*Quando uxor peccet mortiferè, capiendo et donando ex bonis mariti, vel quorum ille habet administrationem, et quando non.*

82. Respondeo : Mortiferè peccat, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso cum ratione invito, accipiat. Ratio est, quia accipit illud cujus dominium vel certè administratio et ususfructus est alterius. Itaque tenetur ad restitutionem, etiamsi ex dote, vel ex bonis communibus accepisset : quia, etiamsi tota dos et dimidia pars communium bonorum ad ipsam pertineat, quod ad proprietatem attinet, tamen administratio et dimidia pars emolumentorum sunt mariti, quibus iniquè illum privat. Secùs de pupillo, qui clam surripit à tutore : quia tutor non administrat bona pupilli in suum commodum, sicut maritus bona uxoris.

83. Si tamen putaretur maritus non utiliter administraturus, non teneretur tunc quidem : sed soluto matrimonio debet adducere in partitionem cum hæredibus mariti, quantùm subtraxit, dimidium ejus sibi detrahendo. Idem faciendum in aliis casibus, quando non habet unde restituat.

Hinc patet non esse verum quod ait Paludanus, in 4, dist. 15, quæst. 3, art. 6, uxorem ex facultatibus communibus posse facere eleemosynas, quantùm rediret ad eam vel ad liberos, ejus nomine, soluto matrimonio ; sic enim totam suam partem posset dare, et privare maritum ejus administratione : vide Navarrum, cap. 17, num. 155, § ad tertium.

84. Non peccat mortiferè, primò, si quantitas judicio prudentis, spectato statu, opibus et cæteris, non sit notabilis.

Secundò, si maritus rogatus concederet.

Tertiò, si det in extremâ vel gravi necessitate proximi : in extremâ enim quisque tenetur ex eo quod superest naturæ ; in gravi, ex eo quod statui.

Quartò, si det ex suis quorum habet liberam administrationem, ut ex paraphernis vel ex lucris suæ industriæ (præsertim si attulit dotem sufficientem ad se alendum), ut docent Navarrus, Silvest., et alii : quod intellige jure communi Cæsareo ; nam quibusdam locis hæc lucra censentur communia.

Quintò, potest facere donationes et eleemosynas secundùm consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum ; quòd si maritus vetet, videtur vetare excessum. Ita passim doctores ; Paludanus, supra, Silvester, v. *Eleemosyna*, quæst. 5, Angelus, ibid. num. 7, et alii.

85. Si tamen constet illum omninò vetare, Navarrus et alii quidam dicunt, illam non posse quidquam dare. Sed contrarium est verius, quod etiam tenet Molina disputat. 274, et Petrus Navarra, l. 3, cap. 1, n. 83, et colligitur ex ratione quam Silvester, Angelus, Paludanus et alii doctores adferunt ; quia *consuetudo tribuit jus, non secùs ac privilegium vel lex ;* quo jure maritus illam privare nequit, præsertim cùm jus positivum magnam vim habeat circa bonorum administrationem, ut eam vel restringat marito, vel laxet.

Confirmatur primò, quia vir tenetur uxori præstare decentem sustentationem, spectatâ ejus conditione, suisque opibus : atqui in hâc sustentatione continentur non solùm victus, vestitus, ornamenta et famulatus, sed etiam alia, quæ feminæ similis conditionis, illis locis, habere et facere consueverunt, ad recreationes, eleemosynas et largitiones ; ergo tenetur ei hoc concedere. Secundò, quia uxor non est mancipium viri, sed socia, habens etiam auctoritatem administrationis, etsi sub viro, ne quid inordinatè aut profusè faciat : ergo non potest ei maritus omnes donationes prohibere.

Sextò, potest dare ad impediendum damnum mariti, sive temporale, sicut fecit Abigail, 1 Reg. 25 (hoc enim damnum redundat in uxorem), sive spirituale, largiendo eleemosynas, ne Deus illum ob flagitia puniat, vel ut convertat, ut docent Angelus, Silvester, supra, Navarr., n. 154, et alii. Hìc enim utilissimè gerit negotium mariti, nec ipse potest cum ratione esse invitus.

Septimò, si pro rebus familiæ vel sibi necessariis accipiat, ut pro vestibus, pro victu, pro medicamentis : quia maritus non potest justè recusare.

Octavò, si maritus est amens vel fatuus ; tunc enim administratio ad illam devolvitur, nisi aliter à magistratu sit provisum.

86. Nonò, si maritus est absens ; nam tunc etiam pertinet ad eam administratio, nisi aliud à marito sit præscriptum. Navarrus tamen putat eam in his duobus casibus non posse amplius dare, quàm maritus præsens, vel compos mentis solitus erat. Sed verius est eam posse dare, prout ratio dictabit : quia potest secundùm suam prudentiam administrare, unde alii doctores non addunt eam limitationem, ut Paludanus, Silvester, Angelus.

87. Decimò, si maritus est dissipator, rem communem in compotationes, largas donationes, vel mulieres profundens ; tunc enim facit uxori injuriam, partem ipsius sine ipsius consensu profundens ; nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum, est uxoris, et dos tota ; unde, soluto matrimonio, tenetur maritus vel ejus hæredes ad restitutionem uxori vel ejus hæredibus ; quare, si uxor difficultates metuit, potest occultè uti compensatione, accipiendo ex bonis mariti ut sibi vel liberis consulat, quantùm opus est, ut sua pars salva sit, ut rectè docet Petrus Navar. l. 3, c. 1, n. 114, contra Navarrum, cap. 17, n. 155, qui putat maritum non teneri ad restitutionem, si malè impendat ex lucris communibus. Ratio ipsius est, quia non censentur lucra, nisi quæ tempore divortii inveniuntur. Sed hæc ratio non est vera. Primò, nam uxor reverà acquirit dominium et possessionem istorum lucrorum, simul atque percipiuntur, sicut in omni societate, singuli socii acquirunt dominium et posses-

sionem totius lucri ab initio, quo illud cedit societati, etsi partialiter. Neque maritus quidquam habet amplius, quàm jus administrandi in suum et uxoris commodum. Debet autem hæc administratio fieri secundùm dictamen rationis; sicut et omnium bonorum communium; alioquin non est administratio, sed dissipatio, quæ non debet obesse sociæ, sed soli auctori. Secundò, quia alioquin maritus, si faceret notabiles donationes absque consensu uxoris, non teneretur computare in suam partem (quod tamen Navarrus negat, affirmans eum teneri); nam daret de iis quæ nondùm cesserant in rationem lucrorum communium.

88. Adverte tamen, si maritus ludo perdidit, damnum censeri commune; quia ludus est contractus fortuitus, quo potuit perdere et lucrari; unde communia hìc esse debent et lucra et dispendia, sicut et in aliis contractibus, nisi fortè ordinariè amitteret, et uxor nollet consentire; non enim tenetur, cùm videatur esse dissipatio, rem suam ita periculo exponere.

Undecimò, si pater vel mater uxoris sint pauperes; ita ut miserè secundùm statum suum vivant; tunc enim si maritus nolit illis succurrere, potest uxor ex bonis communibus vel ex suâ dote subtrahere, ut illis det. Idem dicendum, si habeat prolem ex alio matrimonio, quæ similiter egeat. Ita Petrus Navarr., num. 159, et Cordub., q. 125. Ratio est, quia jure naturæ tenetur istis succurrere, si potest; et isti jus habent alimenta ab eâ petendi; unde maritus non potest jure id iniquè ferre. Tenetur tamen uxor hæc omnia, quæ sic dederit, referre in suam partem, cùm ad partitionem cum hæredibus viri ventum erit.

Probabile tamen est quod docet Molina, disput. 274, si matrimonium fuit celebratum contractu medietatis bonorum, posse hujusmodi necessitati succurri ex bonis communibus : ita ut uxor non teneatur id in suam partem referre. Similiter si matrimonium sit celebratum contractu arrharum et dotis (ut solet jure communi), et exstent aliqua lucra communia, posse de his lucris sumi, ut onus in utrumque recumbat. Idem dicendum de marito, si in suos donationes fecerit.

89. Duodecimò, si frater vel soror uxoris simili paupertate conflictentur, probabile est uxorem posse illis simili ratione succurrere. Ita Petrus Navarra, n. 161. Probatur, quia maritus jure communi tenetur fratribus suis subvenire (ut docent communiter doctores cum Glossâ in l. Qui filium, 4, π. ub pupillus educari debeat); cur uxor id non possit? Confirmatur ex l. Mutus, 73, § 1, π de Jure dotium : *Manente matrimonio, non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest : ut se suosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium vel in insulam relegato parenti præstet alimonia, aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat.*

## DUBITATIO XV.

*Utrùm si res furtiva pereat, fur teneatur ad restitutionem.*

90. Respondeo, et dico primò : Si res furto vel aliter iniquè parta, casu pereat, nihilominùs is qui sustulit, tenetur ad pretii restitutionem, si non putetur similiter peritura fuisse apud dominum. Est communis doctorum, D. Thomæ, q. 66, art. 6, Covar., ad regulam Peccatum, p. 2, § 6, num. 1, et aliorum. Probatur : Primò quia qui eam injustè accepit, non solùm obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis; ergo, sive res exstet, sive non, tenetur sarcire damnum. Consequentia patet, quia injustâ acceptione est causa interitûs; nam credibile est, si non accepisset, non perituram : ergo, etc. Secundò, qui injustè detinet semper est in morâ : ei autem qui est in morâ, etiam casus fortuitus imputatur, ut patet ex cap. 68.

91. Decimæ, 16, q. 1. Si tamen purgâsset moram, rem offerens domino, et is noluisset tunc accipere, sed ei custodiendam commisisset, non teneretur ex casu fortuito, quia non esset ampliùs in morâ.

Sed controversia est inter doctores, utrùm fur aut iniquus possessor teneatur ad restitutionem, quando possessor teneatur ad restitutionem, quando res certò erat apud dominum peritura. V. g. : Abstulisti vestes, frumentum, pecuniam ex domo alterius; quæ paulò post incendio vel hostili incursione peritura erant apud dominum. Incendisti segetes, quas inundatio postridiè erat eversura. Paludanus in 4, d. 15, q. 2, a. 1, conclus. 5, docet, etiam in hoc casu teneri iniquum detentorem. Ratio ejus est, *quia semper est in morâ : mora autem trahit ad se periculum, ut jura determinant.* Hæc ille. Idem tenent plerique jurisperiti, ut refert Covarruvias, loco citato.

92. Dico secundò : Si res casu, vel justâ hostium incursione certò erat peritura apud dominum, non tenetur fur ad ejus restitutionem, si apud eum similiter periit. Ita Covarruv. supra, et Joan. Medina, c. de Restitut. quæst. 6, concl. 6, Silvester, *Restitutio* 7, quæst. 5, § 3, Petrus Navar., lib. 4, c 1, n. 17; Navarrus, c. 17, n. 8.

Dixi, *casu vel justâ hostium incursione*, quia si non erat peritura apud dominum, nisi per injuriam, tenebitur; qui enim eam sic abstulisset vel destruxisset, teneretur : ergo, si tu prævenias, teneberis; nam obligatio, quam alius subiisset, in te ratione damni transfusa est.

Dixi : *Si certò erat peritura apud dominum;* quia si id sit dubium, vel si dominus eam erat venditurus vel alienaturus ante illud tempus, teneberis; quia in dubio *melior est conditio innocentis.*

Nunc probatur propositio : Primò, quia si res certò erat apud dominum peritura, ita ut nihil juris vel commodi inde ad eum rediturum esset, nihil quoque novi detrimenti est illi illatum, dùm apud te periit : ergo nihil est ei compensandum pro re illâ. Antecedens probatur; quia illud detrimentum jam erat præparatum in causâ, ita ut non posset impediri à domino, ac proinde secundùm æstimationem moralem perinde se habebat, ac si jam illatum esset : ergo non censetur ille fur novum damnum intulisse. Secundò, quia fur non est causa damni ratione interitûs rei, cùm ad hunc non cooperetur, ut suppono, neque ra-

tione iniquæ acceptionis, cùm similiter interitura fuerit apud dominum, etiam si non fuisset accepta : quid enim dominus potest queri de damno per acceptionem illato, cùm res illa, etiam non accepta, esset peritura? Tertiò, quia iniqua acceptio non inducit restituendi obligationem, nisi quatenùs infert damnum efficaciter: atqui hæc acceptio non fuit talis; ergo. Quartò, probatur ex l. *Si plures*, 14, § *Sive autem*, π. *Depositi vel contra*, ubi dicitur, *eum, contra quem agitur, ut reddat depositum* (qui sanè habet instar furis), *si suâ naturâ res ante rem indicatam interciderit*, veluti, *si homo mortuus fuerit*, *absolvi debere* (id est, liberari à restitutione pretii). Ratio subditur, *quòd æquum sit naturalem interitum ad actorem pertinere; utique cùm interitura esset ea res, etsi restituta esset actori.* Hæc ibi. Quintò probatur ex l. fin., § finali π. *De lege Rhodiâ, de jactu*, ubi dicitur : *Si eâ conditione navem conduxisti, ut eâ merces tuæ deportarentur, easque merces nauta nullâ necessitate coactus, cùm id sciret te fieri nolle, transtulit in navem deteriorem, et merces cum eâ nave perierunt; habes ex conducto locato cum priore nautâ actionem : imò contra, inquit Paulus; si modò eâ navigatione utraque navis periit :* ubi clarè constat, nautam non teneri, si etiam melior navis periit; quia ex eo quòd merces translatæ sint in deteriorem contra pacta, non censetur datum damnum, unde patet, hanc sententiam etiam foro externo esse conformem. Vide Covarruviam et Silvest. supra. Sed quid si res periit culpâ furis?

93. Dico tertiò, probabile esse, furem non teneri, etsi culpâ ipsius res talis perierit; v. g., si eam negligentiâ perdiderit, vel etiam vastârit aut consumpserit, modò eam peremit eo loco, quo alioquin peritura erat, et intra illud tempus, quo apud dominum periisset. Probatur, quia illa res in eo statu considerata, domino nullius est pretii, nam eo loco certò est peritura, absque ullo domini commodo : ergo etiam si fur illam perimat, non censetur irrogare damnum alicujus momenti : ut si incendas segetes, quia vides mox eluvione evertendas; si absumas annonam, quæ projicienda est in mare, vel naufragio peritura; si interficias equum, quem justus hostis erat abducturus; quamvis enim in his et similibus casibus rem perimas, vel consumas, vel alienes, non tamen censeris notabile damnum inferre, ac proinde non teneris ad restitutionem. Ob eamdem rationem, si occidas eum qui certissimè paulò post moriturus erat, vel vi morbi, vel justâ sententiâ magistratûs, etsi graviter pecces, non teneris tamen damni secuti.

94. Dices : Si res mea, quam pretio tradidi custodiendam, pereat culpâ depositarii, tenetur ipse ad restitutionem, etsi apud me peritura fuisset : atqui fur non minùs tenetur rem custodire quàm depositarius; ergo si culpâ ipsius periit, tenebitur, quamvis apud dominum peritura fuisset. Ita Petrus Navarra, lib. 4, c. 1, n. 17, qui etsi fateatur nostram sententiam probabilem, tamen contrariam tenendam putat.

Respondeo, non quovis eventu furem æquè teneri ad custodiam ac depositarium; nam depositarius, quando ullo modo verisimile est rem salvari posse, si aliò transferatur vel abscondatur, tenetur ex justitiâ id præstare; nam ad hoc conducitur, ut omni ratione rem salvam præstet; si tamen constet, interitum rei caveri non potuisse, non tenebitur depositarius, etiam si negligens in eâ custodiendâ fuerit, vel eam consumpserit. Fur verò non tenetur ex justitiâ eam aliò transferre, si videt eam apud dominum, et eo loco ubi nunc est perituram esse, unde, etiamsi eam tunc consumat, non tenebitur ad restitutionem : quia in eo statu considerata, domino nullius est pretii.

95. Dices : Hoc ipso, quo est apud furem, qui potest cavere ne pereat, res incipit domino esse majoris æstimationis, quia tenetur eam domino custodire, sicut ex eo quòd est apud depositarium, qui potest eam salvare, est pluris, quàm si apud dominum esset : ergo.

Respondeo : Si custodia non est ei commissa, non tenetur hoc casu ex justitiâ eam custodire, sed solùm ex charitate (sicut tenetur ignem avertere à domo proximi, qui casu ibi accensus est) unde si nolit, res non valet pluris domino apud furem, quàm apud ipsum (secùs apud depositarium); quare si rem perimat, non censetur causa novi damni.

96. Dixi : *Modò eam perimat eo loco*, etc.; quia si eam perimat alio loco, vel postea, ubi non periisset, tenebitur ad ejus compensationem. Exemplum: Si furatus es vestem vel equum è domo alterius, quæ paulò post casu cum totâ supellectile conflagravit (in quâ etiam res illæ periissent, nisi apud te servatæ fuissent) et hæ res postea apud te pereant, vel casu surripiantur, teneris. Ratio est, quia quando periculum transiit si res exstet, rursùs incipit domino valere, quia ipsius mansit : ergo etsi casu pereat, fur tenetur, cùm fuerit in morâ; si enim restituisset quando debebat, dominus eam salvam recepisset, neque apud eum periisset. Idem dicendum de rebus, quæ ex naufragio eripiuntur : jam enim incipiunt domino valere; secùs erat ante naufragium, cùm jam tempestas sæviret. Idem dicendum, si alio loco; v. g., detulisti annonam in alium locum, ubi non periisset : si eam ibi consumas, teneris. Ratio est, quia res illo loco constituta, jam incipit domino rursùs valere, et consequenter debet ei restitui.

97. Dices : Si eam restituisset, per jura erat apud dominum; ergo non censetur domino valere.

Resp. negando consequentiam; quia reipsà restituta non fuit, sed mansit in loco tuto, ac proinde non potuit ibi consumi, sine obligatione restituendi.

98. Dico quartò : Si fur rem vendidit, vel eam consumendo factus est locupletior, tenetur ad restitutionem, quatenùs factus est locupletior, etiamsi apud dominum fuisset peritura. Probatur, quia pretium et illud augmentum fortunarum furis, successit in locum rei, ita ut res censeratur exstare veluti in altero se et æquipollenti : ergo hoc totum domino rei restituendum. Confirmatur, nam pretium est instar rei, ejusque vice fungitur apud omnes gentes. Nec refert, quòd dominus non habeat actionem realem in pretium; suf-

ficit enim personalis, ut ei debeat restitui. Satisfacit tamen restituendo rem similem; vide infra, n. 107.

## DUBITATIO XVI.

*Utrùm fur et quivis alius iniquus possessor, teneatur restitutionem facere juxta summam æstimationem, quam tempore detentionis habuit.*

99. Quidam affirmant, v. g.: Furatus es modium tritici, qui tunc valebat tres aureos, sed ante restitutionem excrevit ad quinque, deinde sensim remisit ad tres: dicunt teneri ad quinque. Ita Navarrus, c. 17, n. 26. Idem videtur sentire Gabriel, dub. 15, q. 2, art. 3, dubio 1, conclus. 3. Ratio est, quia quidquid incrementi accessit, est domini; unde totum illud tenebaris domino reddere: quâ obligatione non es liberatus, non enim per solutionem, nec per remissionem, nec per donationem: ergo, etc.

Sed utendum est distinctione cum Joanne Medinâ, Cod. de restit., q. 6, et Covar. ad reg. Peccatum, p. 2, § 6, n. 2. Unde.

100. Dico primò: Si res effecta sit melior vel majoris pretii apud furem, et adhuc exstet, tota domino reddenda, etiam cum illo incremento. Ratio est, quia res semper mansit in dominio prioris domini; unde ad eumdem pertinet ejus incrementum et status melior, ut si abstuleris pullum equinum, aut vitulum, qui postea apud te adolescat: si nummos, quorum pretium apud te sit auctum.

Nec refert quòd apud dominum non fuisset effecta melior, vel fortè periisset: quia hoc ipso quo exstat, domini est; unde ratione rei acceptæ et exstantis, debes restituere. Hinc sequitur, eum qui accepit frumentum vel pecuniam, et retinuit donec excrevit æstimatio, teneri restituere simile frumentum, si prius consumpsit; vel illam æstimationem, si adhuc durat. Etsi enim fortè non statuisset illam tunc temporis vendere, tamen quamdiù durat illa æstimatio, est in ipsius potestate, tanti vendere; unde non tenetur in restitutione tunc temporis minore compensatione esse contentus.

101. Notandum tamen ex Covarruviâ, n. 3, expensas esse deducendas (saltem in foro interiori), quibus res effecta est melior, quas dominus facere debuisset, si rem ad eum statum voluisset perducere: nemo enim cum damno alterius locupletari debet, ut si ex argento furtivo pateram confeceris, vel equum magnis expensis educaveris vel curaveris. In foro tamen externo leges non patiuntur expensas æstimari; sed in pœnam fur illis privatur. Verùm, cùm hoc pœnale sit, non obligat ante sententiam judicis, teste Covarruviâ ibidem. Itaque dominus accipiens rem suam ita meliorem effectam, tenetur in foro conscientiæ æstimationem expensarum facere, non solùm necessariarum, sed etiam utilium, industriæ item et laboris à fure adhibiti, ut docent Covar. et Medina supra, et Petrus Navarra l. 4, c. 1, n. 32. Si tamen dominus interim cum damno suo caruisset usu vel fructu rei suæ, hoc etiam æstimare potest, ut omnibus consideratis, fiat æqualitas.

102. Dico secundò: Si res permanserit in eodem statu, sufficit eam uti est restituere; lucrum tamen cessans et damnum emergens ex detentione, domino sarciendum est. Quare si industriâ domini res futura erat multò melior, hoc est æstimandum, deductis laboribus et expensis ejus; nam hoc ad lucrum cessans pertinet.

103. Dico tertiò: Si res effecta sit deterior, vel minoris pretii quàm erat antea; sed idem eventurum erat apud dominum, qui eam usque ad hoc tempus erat servaturus; satis est illam reddere uti modò est, ut si pretium frumenti vel pecuniæ rursùs decrescat: si equus, ante sanus et valens, debilitetur, etc., colligitur ex dub. 15; res enim accrescit et decrescit domino suo. Idem docent Covar. et Medina supra. Itaque in casu illo tritici, teneris solùm ad tres aureos (nisi fortè eo tempore, quo valebat quinque, coactus fuerit dominus emere quinque; tunc enim ratione damni emergentis, teneris ad quinque). Ratio est, quia licet incrementum illud, quod res habuit sive in se, sive in æstimatione, totum fuerit domini, tamen dùm ponimus eam tunc non vendendam, sed servandam in aliud tempus, quo rursùs futura erat deterior, aut minoris pretii, censetur illud incrementum domino prorsùs inutile ac nullius pretii; unde si res sic effecta deterior illi restituatur, nullum damnum superest; tantùm enim habet, quantùm si ablata nunquàm fuisset, et aliàs de illo incremento nihil ampliùs exstat.

104. Hinc patet responsio ad argumentum pro sententiâ Navarri supra allatum. Fur enim solvitur obligatione sarciendi illius incrementi, per hoc quòd non ampliùs exstet et simili modo apud dominum erat desiturum. In hoc enim casu tenebatur solùm ad illud incrementum ratione rei acceptæ, non autem ratione damni illati, quia non censetur domino damnum ex omissione restitutionis illatum esse, quando res apud dominum simili ratione deterior futura, aut incrementum nullius utilitatis domino est futurum.

Petes: Quid si fur illam vendidit in optimo statu?

105. Resp. et dico quartò: Si res intrinseco augmento melior effecta, vendita est vel aliter alienata per furem, tenetur domino restituere æstimationem, quam habet in illo statu (detractis tamen impensis), etiamsi apud dominum non erat melior futura: si autem solùm extrinsecâ æstimatione aucta est, eamque tunc vendidit, et dominus eam venditurus non erat, tenetur solùm ad æstimationem, quâ domino erat valitura. Loquor autem in eventu, quo neque rem ipsam, neque similem paris bonitatis potest restituere.

Prior pars patet; nam totum illud incrementum intrinsecum statusque optimus, rei inhærens, est quiddam pertinens ad dominum rei, ratione cujus ipsa res pluris valet: ergo sicut æstimatio substantiæ rei est domino restituenda, ita etiam æstimatio hujus augmenti, ut si abstulisti pullum equinum, et adultum vendidisti: quidquid enim accessit illi pullo magnitudinis, roboris, dexteritatis, est domini; ac proinde si domino restitui non potest, æstimatio restituenda est, non solùm pulli, sed etiam illius accessionis; nam in

utroque damnum datum est. Puto tamen non esse restituendam domino æstimationem rigorosam, etiamsi ipse ita vendidit; quia non censetur domino in hâc damnum illatum, nisi ipse rem tanti erat venditurus. Sufficit igitur restituere mediam, vel etiam infimam. Sufficit etiam restituere rem ejusdem speciei æquè bonam, detractis expensis et compensato damno si quod intervenit, etc.

106. Altera pars probatur; quia quando solâ æstimatione aucta est, nihil ei accessit, ratione cujus pluris valeret, quàm ante vel post; sed incrementum pretii provenit ob causam extrinsecam : v. g., ob raritatem rei, vel copiam emptorum, ut patet exemplo tritici et pecuniæ, supra; ergo si eo tempore vendita fuit, quo valuit plurimi, non tenebitur restituere illam æstimationem, si dominus illam non erat tunc venditurus. Ratio est, quia hoc ipso quo dominus eam rem non erat venditurus, sed servaturus donec pretium decresceret, non censetur accepisse damnum quoad illud incrementum, unde fur potest illud retinere, quia censetur fructus industriæ; sicut enim industriæ est rem efferre in locum ubi pluris valet, ita etiam eam scire vendere eo tempore, quo pluris valet. Confirm. Quia res suo tempore scitè vendita, est majoris utilitatis, quàm servata in tempus importunum, quod pretium erit vile; atqui quòd opportunè sit vendita, est ex industriâ furis, neque id habitura erat apud dominum; ergo lucrum illud est fructus industriæ, ac proinde non debitum domino, cùm opportunitas effluxerit, et pretium decreverit; tunc enim non est ampliùs in potestate domini, tanti vendere. Quare qui accepit modium frumenti, cùm valeret tribus aureis, et vendidit eo tempore, quo valuit quinque, non tenetur restituere domino nisi tres, si rursùs pretium eò usque decrevit, et dominus usque ad hoc tempus erat servaturus : vel si erat venditurus aut consumpturus, antequàm pretium intenderetur.

107. Dices : Dominus habet jus ad pretium rei suæ: ergo est ei totum restituendum. Confirmatur, quia nemo potest ditescere ex alieno.

Respondeo : Dominus in præsenti casu non habet jus ad pretium rei per furem venditæ, nisi quatenùs id est necessarium ad sarciendum damnum ex ablatione rei acceptum. Nam totum pretium est furis, ut patet ex L. *Qui vas*, 48, § ultimo, π, De furtis. Unde solùm potest à fure repetere æstimationem damni : quare si eam non erat venditurus dùm valebat quinque, non potest exigere quinque, nisi adhuc tanti valeat.

Ad confirmationem : Non potest quis ditescere ex re alienâ, ita ut per eam formaliter fiat ditior, hoc enim est detinere alienum; sed benè potest ex eâ, tanquàm ex causâ, ditescere absque damno alterius; sicut cùm quis pecuniâ furtivâ negotiatur.

Dices secundò : Si fur, cùm res apud dominum esset peritura, eam accipiat et vendat, dominus potest repetere pretium, quia pretium succedit in locum rei, et ad bonam fortunam domini pertinet, rem tunc fuisse surreptam : ergo similiter si fur eam vendat quando valet plurimi, dominus poterit pretium repetere : cùm id in locum rei succedat, etiamsi eam ipse non erat venditurus. Quòd enim tunc vendita sit, ad bonam ejus fortunam pertinet : unde non erit ullum discrimen inter augmentum rei intrinsecum et extrinsecum.

Respondeo negando conseq.; est enim dispar ratio. Cùm enim à fure venditur res apud dominum peritura, tenetur fur non ratione injustæ acceptionis (si enim periisset similiter apud furem, ad nihil obstrictus mansisset), sed ratione rei acceptæ, quæ apud illum exstat in æquivalenti, quatenùs ex pretio factus est ditior, sine ullâ peculiari industriâ; ut dictum est supra, n. 98. Si enim peculiari industriâ suâ pluris vendidisset (v. g., pretio rigoroso, aut quia repentina supervenit charitas, quæ mox cessavit) non tenetur nisi de pretio ordinario, id est, quanti res tunc temporis communiter æstimatur. Nam illud auctarium esset fructus industriæ. Nos autem loquimur hic in eventu, quo fur factus est ditior ex peculiari industriâ, per quam res illi pluris valuit quàm domino; quem excessum dicimus non teneri restituere. Confirmatur : Quia in prædicto casu fur satisfacit restituendo tantumdem frumenti paris bonitatis; atqui non valet jam nisi tribus aureis : ergo non suppetente frumento, restituendo tres aureos satisfacit ad æqualitatem. Pari modo in altero casu, si fur restituat domino rem venditam, vel aliam similem paris bonitatis, non est quòd dominus, apud quem erat peritura, pretium venditionis exigat. Pretium quidem succedit in locum rei, non tamen succedit in omnes rei obligationes, neque quâ parte censetur fructus industriæ : et semper res similis paris bonitatis restitui potest compensato damno, si quod ex detentione domino obvenit. Confirmatur : Quia non minùs res empta alienâ pecuniâ succedit in locum pretii, quàm pretium succedit in locum rei alienæ venditæ. At fur pretii non tenetur restituere rem emptam, sed satisfacit restituendo pretium acceptum; ergo fur rei non tenetur restituere pretium rei venditæ, sed satisfacit restituendo rem venditam, vel similem paris bonitatis.

Dices, cùm pretium frumenti decrevit, non censetur frumentum paris bonitatis, ac proinde non satisfaciet ad æqualitatem. Sed hoc est contra communem modum loquendi. Nemo enim dixerit, frumentum esse melius quia charius, aut deterius, quia minùs charum. Deinde si non est paris bonitatis quando est minoris pretii, ergo si cùm modius frumenti valebat 5 aureis dedisti mihi mutuum unum modium, concesso termino usque ad messem, non satisfaciam reddendo tantumdem in messe, si tunc minoris valet; quod est absurdum. Tertiò, bonitas æstimationis est tibi nullius pretii, si non statueras vendere, et occasio vendendi jam est elapsa. Nec refert, quòd hâc ratione homo commodum perciperet ex dilatione restitutionis; quia id per accidens est. Sicut enim accipit commodum quando pretium decrescit, et talis res faciliùs haberi potest : ita potest incurrere incommodum, si pretium crescat, et res illa difficilior sit obtentu. Addo, semper accipere incommodum spiritale incomparabiliter majus.

108. Dico quintò : Si dominus rem erat venditurus in optimo statu, vel summâ æstimatione, tenetur fur præter rem ipsam, restituere æstimationem illius incrementi, vel pretium rei quo dominus eam vendidisset, etiamsi ipse inde incommodum non perceperit. In hoc casu vera est sententia Navarri. Ratio est quia tunc est verè causa hujus damni per suam iniquam detentionem, impediendo ne dominus inde lucrum faceret, quod alioquin facturus erat.

Nec refert, utrùm res casu an culpâ furis perierit, deteriorve facta sit ; quia mora sua est damni causa. Idem dicendum, si res intrinsecè melior effecta apud furem, deinde facta est deterior, vel periit ; quæ si suo tempore reddita fuisset, id incommodi apud dominum non accepisset, quo casu etiam vera est Navarri sententia ; nam totum hoc incrementum erat domini, ac proinde illi restituendum. Si ergo non restituit, est in morâ ; et consequenter tenetur etiam in casu fortuito.

109. Dico sextò : Si incertum sit quo pretio aut in quo statu dominus eam erat venditurus, restitutio facienda secundùm optimum statum et summam æstimationem, quam interea habuit. Ita passim doctorum. Ratio est quia in eo statu vendi poterat, et in dubio melior est conditio innocentis ; in ejusdem favorem inclinandum.

Dices : Non constat, an verè damnum illud optimi statûs intulerim ; ergo non teneor : nemo enim tenetur plus restituere, quàm constet abstulisse.

Ob hoc argumentum, verius videtur, in rigore non debere restitui secundùm optimum statum in foro conscientiæ, sed posse detrahi æstimationem illius incerti : cur enim tantùm teneatur restituere quando est incertum, quantum dùm est certum ? illud enim esse incertum, minuit æstimationem damni. Inclinandum autem in favorem innocentis in foro externo, ubi nocens est puniendus, et quando non suppetit melior ratio constituendæ æqualitatis.

## DUBITATIO XVII.

*Utrùm fur et quivis alius malæ fidei possessor, fructus perceptos, et eos qui percipi poterant, teneantur restituere.*

Notandum est, eum qui detinet rem alienam, detinere vel bonâ fide (ut si putet esse suam, vel legitimè concessam), et hic dicitur possessor bonæ fidei, de quo infra agendum, vel malâ fide (ut si sciat, vel putet se non legitimè detinere) ; sic dicitur possessor malæ fidei, qualis est fur, raptor.

110. Notandum secundò, fructus esse duplices ; quidam sunt fructus rei, qui nimirùm ab ipsâ re proveniunt, quamvis intercedat humana industria ; ut sunt fructus agrorum, arborum, ædium, et earum rerum quæ habent usum locabilem : pretium enim locationis est fructus earum, quem mediante usu sui, qui pretio est æstimabilis, pariunt. Alii sunt fructus industriæ, ut quæstus, qui percipitur negotiatione, ut emendo viii, vendendo carè, ratione temporis vel loci. Nudum autem rei pretium non censetur fructus rei, sed succedit in locum rei, tanquàm altera res. Item quæstus, ex usu artificioso alieni instrumenti ; ut si alieno penicillo, vel coloribus alienis pingas.

111. Nunc sit prima propositio : ossessor malæ fidei tenetur restituere non solùm rem alienam, sed etiam fructus ex eâ perceptos : nempe fructus rei, non autem nudæ industriæ ; est communis sententia doctorum. Ratio est, quia fructus rei hoc ipso quo producuntur, cedunt in dominium ejus qui est dominus rei. § *Is verò*, Instit. de rerum divisione : ergo non minùs sunt restituendi, quàm res ipsa. Deducendæ tamen sunt expensæ, quas dominus facere debuisset ad illos percipiendos : ut si fur agrum coluit alterius ; si equum furtivum aluit. Quod non solùm intellige de impensis necessariis, sed etiam utilibus, quibus res effecta est melior et fructuosior. Item de operâ et labore non solùm conductitio, sed etiam quem fur per se præstitit. Horum omnium æstimatio detrahi potest, si dominus tantumdem impendere debuisset. Secùs, si ipsemet sine impensis, vel certè minoribus, æquè multùm erat præstiturus.

112. Dices : Si expensæ possunt deduci, id fiet ratione damni, quod fur incurrit, rem alienam curando ; atqui dominus non tenetur illud damnum æstimare, sed fur sibi imputet quod fecit : ergo.

Resp. : Non præcisè ratione damni furis, expensæ deducuntur, sed quia rem alterius suo sumptu vel labore meliorem reddidit, quod dominus sine pari sumptu non fecisset.

113. De impensis in ea quæ solùm ad ornamentum et voluptatem pertinent, distinguendum est. Si enim dominus illud ornamentum velit retinere, debent deduci ; si nolit, non debent. Poterit tamen tunc iniquus possessor illud auferre, ut si horologium ædibus affixit. Si nequeat auferri, res arbitrio prudentis transigenda. Dixi *fructus rei, non autem nudæ industriæ* ; quia *fructus nudæ industriæ* non sunt restituendi : ut si alienâ pecuniâ es negotiatus, non teneris lucrum dare ; sed duntaxat summam surreptam, compensato simul damno emergente, si quod ratione inopiæ pecuniæ intervenerit : si alienum frumentum vendidisti, sufficit restituere frumentum ejusdem pretii, nisi dominus illius chariùs interim erat venditurus.

114. Ex his sequitur primò, eum qui torquem aureum furto surreptum aliquoties pretio locavit, teneri non solùm ad restitutionem torquis, sed etiam pretii locationis, quamvis dominus eum locare non consueverit, quod est contra Navarrum, c. 17, n. 25 Ratio est quia illud lucrum non est fructus industriæ, sed pretium locationis, seu usus ; qui usus est instar fructûs rei, ac proinde ejus utilitas est domini. Idem dicendum de equis et mulis surreptis et elocatis, quamvis dominus elocare non sit solitus. Navarri tamen sententia locum habet, quando dominus est vir dives, qui tale pretium non putaretur velle.

115. Sequitur secundò, eum qui agrum sterilem sibi oppignoratum, quem dominus coli non curabat, excoluit, et aliquos inde fructus percepit, teneri ad illorum fructuum restitutionem, contra Sotum lib. 6,

q. 1, art. 2, ut rectè docet Navarrus, c. 17; deducenda tamen sumptuum, laboris et industriæ æstimatio.

116. Dico secundò : Non solùm fructus perceptos, sed etiam non perceptos, quos tamen dominus singulari suâ diligentiâ percepisset, tenetur sarcire. Ratio est, quia suâ detentione iniquâ est causa illius lucri cessantis. Ubi notandum, perinde esse utrùm illi fructus percipiendi fuerint ex re, mediante industriâ domini (ut ex agro per diligentissimam culturam), an ex nudâ industriâ, ut ex peritiâ negotiationis et contractuum : tenetur enim malæ fidei possessor omne lucrum cessans et damnum emergens, quod dominus ratione iniquæ detentionis patitur, reponere ; nam hujus totius censetur causa injusta.

Petes : Quid si fur rem meliorem fecit, sed postea suâ negligentiâ exiguos fructus percepit, quam si dominus cum illo incremento recepisset, longè plus fructuum collegisset, tamen apud ipsum res illud augmentum habitura non fuisset.

117. Resp. Quidam tenent, furem tunc non teneri de excessu illo fructuum, quos dominus percepisset, ita Covar., lib. 1 Variar., cap. 8, num. 4. Ratio est, quia in his non intulit domino damnum : nam si illa res apud dominum mansisset, non fuisset melior reddenda, ac proinde, nec dominus illos fructus percepturus erat. Hæc sententia est probabilis, quia nititur quàdam æquitate. Tamen contrarium videtur verius ; quia rei melioratio eo ipso quo est, domini est, et iniquè à fure detinetur, ex quâ detentione lucrum domino cessat. Confirmatur ; quia fur non restituendo illud melioramentum, est in morâ ; ac proinde tenetur de casu fortuito, et de omni damno, quod ex detentione sequitur ; quod aliàs, si suo tempore restituisset, non erat secuturum. Quamvis enim non sit causa damni primâ acceptione, est tamen causa damni detentione rei, postquàm facta est melior ; quod Covarruvias non videtur advertisse.

118. Dico tertiò : Tenetur etiam restituere fructus rei, quos ipse suâ singulari industriâ percepit, deductis tamen expensis, quamvis dominus eos percepturus non fuisset. Probatur : Omnes fructus rei cedunt in dominium ejus cujus est ipsa res, eo ipso quo exstant, ut patet Institut. de rerum divisione, § *Si Titius*, et duobus sequentibus, ubi dicitur, *plantas quæ terræ coaluerint, et frumenta, quæ sata sunt, solo cedere* : ergo si fructus exstent, vel iniquus detentor sit factus ex illis locupletior, domino sunt restituendi.

119. Sed difficultas est : Si neque exstent, neque illis fur factus sit locupletior, eò quòd consumpserit cum sociis, an sint restituendi, quando dominus eos non fuisset percepturus. Quidam tenent, in hoc eventu non esse restituendos, primò, quia fur nec tenetur causâ rei acceptæ, cùm non exstet ; neque causâ iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio rei alienæ non obligat ad restitutionem, nisi quatenùs efficaciter intulit damnum ; atqui hic verè non intulit damnum secundùm æstimationem moralem ; quia etiamsi rem alterius non accepisset vel detinuisset, dominus non ideò esset locupletior ; ponimus enim rem ei futuram infrugiferam, vel certè minùs frugiferam. Secundo, quia quando res apud dominum non erat fructificatura, et industriâ alterius effectum est ut fructificaret, adscribendum videtur industriæ, non rei : ergo. Ita Covar. ad reg, Peccatum p. 2, § 6, n. 4, et Joannes Medina q. 6, de restit. et Silv., v. Restit. 3, n. 9, in principio. Petrus Navarra l. 4, c. 1, n. 44. Hæc sententia est probabilis ; nititur enim quâdam æquitate, et juxta eam posset etiam defendi, quod Navarrus docet de torque et equo furtivo elocato, si à domino elocari non solent, ut colligitur ex Silvestro.

120. Contrarium tamen in rigore est verius. Ratio est, quia fructus hoc ipso quo exstant, quomodocumque proveniant, etiamsi casu vel spontè, domino cedunt, ut patet ex jure citato : ergo statim debent domino restitui, cùm sint in specie debiti : ergo eos consumere, est domino verum damnum inferre ; est enim consumere rem ipsius ; quæ si suo tempore reddita fuisset, apud dominum non periisset. Item cùm debeant restitui, statim, si fur eos tunc non restituit, est in morâ ; ac proinde etiamsi fortuitò pereant, tenebitur ad restitutionem. Si tamen pereant fortuitò, vel etiam culpâ levi, priusquàm commodè possent restitui, non tenebitur ; quia non censetur fuisse in morâ : etsi enim rem iniquè detinuit, non tamen fructus.

121. Hinc patet solutio rationis prioris contrariæ sententiæ ; etsi enim non censeatur intulisse damnum iniquâ detentione rei (quia apud dominum fuisset infrugifera), intulit tamen damnum, quia fructus perceptos debito tempore non restituit ; qui hoc ipso quo sunt, domini sunt. Secùs est, quando, si res reddita fuisset, apud dominum erat peritura.

Ad secundum respondeo, non esse fructum nudæ industriæ, sed ipsius rei, supposità industriâ. Unde solùm sequitur, pretium industriæ deducendum.

## DUBITATIO XVIII.

*Utrùm is qui alteri est causa damni, sive impediendo ab aliquo bono, sive aliâ aliquâ ratione, teneatur ad restitutionem.*

Omissis opinionibus, notandum est ex Navarro cap. 17, num. 69.

122. Dupliciter posse aliquem petere beneficium, officium, vel aliud commodum.

Primò, si habeat jus in re vel ad rem (de quibus supra, c. 2, dubit. 2) ita ut res ei ex justitiâ sit debita, scilicet per justam promissionem, stipulationem, venditionem, præsentationem, oppositionem, expectativam, regressum, accessum, coadjutoriam, primogenituram, etc., aut alium titulum, per quem datur actio ad rem petendam ; qui talem impediret, etiam solùm suadendo, sine vi et fraude, ne res ad quam jus habet, ei detur, teneretur ad restitutionem, non quidem quanti illa res valebat, sed quanti illud jus, illaque spes judicio boni viri, consideratis omnibus circumstantiis, æstimaretur.

Secundò, si nullum habeat jus in re vel ad rem propinquum, quod ei tribuat actionem in judicio, sed

solùm remotum, quia dignus est, vel benè meritus; et de hoc est tota difficultas.

123. Nunc dico primò : Qui vi aut fraude impedit aliquem à consequendo aliquo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel ne instituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, legatum, etc., tenetur ad restitutionem, quanti judicio prudentis ea spes ipsi valebat. Est communis doctorum. Probatur; quia fraus et vis vel exercentur circa eum qui beneficium sperat; (ut si quis illum vi detineat, vel timetur ei ne sollicitet, vel litteras intercipiat, vel fraude avertat à re prosequendâ) et sic manifestè fit ei injuria, ex quâ sequitur damnum : nam contra voluntatem suam modo injusto impeditur à prosecutione, ad quam jus habet (etsi enim non habeat jus ad illud bonum, quod prosequitur, habet tamen jus ad illud prosequendum, rogando, sollicitando) : ergo damnum, quod inde sequitur, censetur per injuriam datum. Vel exercetur circa ipsum collatorem (ut minando, ne conferat tali, aut persuadendo ipsum esse indignum, ignarum, etc., idque falsò); et sic etiam fit injuria petenti. Ratio est; quia violatur jus ipsius, quod habet ad illud bonum; quod jus non est quidem absolutum sed conditionatum, quia in liberâ voluntate collatoris positum : si enim velit, res tibi debetur : si nolit, non debetur. Unde si quis voluntatem ejus, qui proposuit vel deliberat tibi dare, per vim aut fraudem directè impediat, aliòve inflectat, veram tibi injuriam facit; nam jus tuum, in libertate collatoris constitutum, violat.

124. Dices : Ergo si crimen tuum occultum pandam ob quod collator mutavit animum, non tenebor; quia collator non involuntariè (non enim fraude deceptus vel metu compulsus), sed voluntariè statuit tibi non conferre.

Respondeo : Vel ita pando, ut sequatur infamia apud plures; vel soli collatori et iis quorum interest, patefacio. Si priore modo, et illa infamia sit causa cur collator non conferat, aliàs collaturus, teneor ad restitutionem; quia per injuriam sum damni causa. Si secundo modo, non teneor : quia jus est, quando de officiis vel beneficiis agitur, patefacere ea quæ hominem minùs habilem, vel collationem minùs decoram reddunt. Unde solent capi occultè informationes. Quare fortassè etiam in priore casu non tenebor, si non tam ob infamiam, quàm ob crimen occultè commissum nolit conferre. Confirmatur : quia non est iniquum patefacere id, cujus ignoratio collationem reddit involuntariam, ita ut eo cognito nollet conferre : atqui ignoratio hujus occulti criminis redderet illam collationem involuntariam : ergo patefactio hujus, quâ parte ad collatorem pertinet, non est injusta, etiamsi apud alios injusta sit. Secùs est, quando falsa dedecora impinguntur; tunc enim collator decipitur, ejusque libertas impeditur, et involuntariè sententiam mutat.

Petes : quid si is qui falsò collatorem informavit, sua dicta revocet, tenebiturne adhuc ad restitutionem?

Respondeo : Si revocet dùm res non est integra, tenebitur; quia ex vi prioris injuriæ damnum est secutum : nec est ampliùs in arbitrio collatoris illud impedire vel non impedire. Si verò res est planè integra, non tenebitur; quia non censebitur causa damni in posterum, sed libera voluntas collatoris. Ratio est, quia quamdiu res est integra, infamator non censetur intulisse damnum, sed solùm posuisse causam unde damnum timetur. Fecit enim per injuriam, ut collator nollet quod antea volebat, quod *nolle* erit causa damni, videlicet *non collationis;* at sublatâ falsâ informatione, si collator perstet in proposito, et nolit conferre, non ampliùs hujus *nolle* causa erit infamator, (quia non propter ejus dicta pergit nolle), sed libertas collatoris, qui pro suo arbitratu voluntatem mutare poterat. Circa prædicta quædam sunt advertenda.

125. Primò : Si is qui petit, nullo modo est dignus seu idoneus officio vel beneficio, non teneris ei restituere pro illo incommodo, etiamsi vi aut fraude impedivisti. Ratio est, quia tunc nullum jus habebat in liberâ collatoris voluntate positum; non enim poterat ei conferre; teneris tamen ad famæ restitutionem, nisi ratione mali impediendi potueris ejus crimen detegere, ut ex supra dictis constat.

Secundò, si erat dignus et idoneus, tamen nulla spes erat in ipsum fore conferendum : tunc, etsi vi aut fraude nisus fueris impedire, non teneris ad restitutionem. Ratio est, quia tuus conatus est inefficax; nam ex eo nullum reipsà damnum obveniet : æquè enim illi collatum non fuisset. Nec refert, quòd fuerit dignus, quia si hæc dignitas nullam ei spem pretio æstimabilem tribuebat, nihil ei censetur injustè ablatum. Si tamen aliquam ei spem tribuebat, quamvis parvam, hæc judicio boni viri æstimanda est et compensanda.

126. Tertiò, si erat dignus et spem habebat, sed eam impedivisti ut conferretur digniori vel aptiori, quidam putant te teneri ad restitutionem, quanti illa spes ipsi valebat. Sed verius est te non teneri, nisi ad restitutionem famæ, de quâ modò non disputamus. Ratio est, quia officia et beneficia secundùm rectam rationem, et reipublicæ Ecclesiæque intentionem, debent conferri dignioribus; et contra rationem est, conferre ea digno, relicto digniore, quando collatio est libera. Neque is qui dignus tantùm est, jus habet, ut collator non cogatur conferre digniori. Unde etsi fiat injuria collatori, si ab eo qui potestate caret, vis ei inferatur; tamen petenti officium non fit injuria. Ita Covar. ad reg. Peccatum., p. 2, § 7, n. 8, et Michael Salonius q. 62, a. 2, controvers. 25. Secùs est, si procurâsti ut æquè digno conferretur; tunc enim teneris illi, quem injustè impedivisti : nam respectu alterius æquè digni, jus habebat ut collatori sua libertas relinqueretur.

127. Quartò, si iniquè impedivisti dignum ut daretur indigno, teneris non solùm digno, sed etiam Ecclesiæ vel reipublicæ, quæ inde damnum patitur, idque juxta damni æstimationem, judicio prudentum faciendam. Patet, quia es causa utriusque damni. Pari ratione teneris Ecclesiæ, si dignior quærebatur,

tuque vi aut fraude impedivisti ne id fieret, ut conferretur ei qui erat minùs dignus, quia Ecclesia jus habet quærendi optimos ministros, quod jus tu iniquè impedivisti. Sicut si quis optimum operarium quærens, per te deciperetur, ut acciperet minùs idoneum : huic enim teneberis, juxta damni æstimationem.

Quintò, si erant plures competitores digni, et tu illos omnes vi vel fraude impedivisti, teneris singulis, quanti cuique sua spes judicio prudentis æstimabitur.

128. Dico secundo : qui sine vi aut fraude, precibus, blanditiis, muneribus, impedit dignum vel digniorem ab officio, beneficio, et similibus, non tenetur illis ad ullam restitutionem, etiamsi illud malo animo et ex odio faciat. Est contra Cajetanum q. 62, art. 2., et Covarruviam supra, qui putant eum qui quovis modo impedit digniorem ut detur digno, teneri ad restitutionem digniori, quia secundùm justitiam distributivam ei erat debitum. Est etiam contra Majorem, in 4, d. 15, q. 16, qui docet eum qui quovis modo impedit dignum vel digniorem, teneri si id faciat ex odio, secùs si ut sibi vel alteri consulat. Sed nostram sententiam docet et probat Navarrus c. 17, num. 69 et sequentibus, et Sotus, lib. 4 de Just., q. 6, art. 3, versùs finem, et alii passim. Ratio est, quia iste dignus et dignior jus non habent, nisi in liberâ voluntate collatoris ; ergo si relinquas collatorem in suâ libertate, nec aliquid facias quod illi libertati repugnet, non censeris hoc jus violare : ergo cùm preces, munera, blanditiæ non repugnent libertati (non enim collator involuntariè censetur facere, quod ita inductus facit), nullo modo infers illis injuriam.

Nec obstat, quòd malo animo id facias. Primò, quia iste malus animus non est contra justitiam, sed contra charitatem : non enim est contra aliquod jus, quod illi habeant, quando non intendis impedire libertatem collatoris. Secundò, quia generatim loquendo, verius est malum animum seu intentionem nunquàm obligare ad restitutionem, nisi opus externum secundùm se sit injustum, etiamsi Scotus et Richardus d. 15, et Cajet., q. 62, art. 2, contrarium sentire videantur. Ratio est, quia nisi opus externum secundùm se sit injustum exteriùs, nulla committitur injustitia ; ac proinde damnum, quod fit opere externo, non censetur illatum contra justitiam. Sicut si quis animo hæretico aliquid dicat quod exteriùs nullam habet speciem hæresis, non est hæreticus exteriùs, nec excommunicatus, ut dictum est 2-2, q. 11. Neque D. Thomas q. 62, a. 2, ad 4, contrarium sentit, quia intelligi debet de eo qui impedit alium modo injusto.

Dices : Lege 2, π. de aquâ, et aquæ pluviæ arcendæ, § *Idem Labeo*, dicitur : *Qui avertit torrentem, ne sibi noceat, unde factum sit ut vicino noceatur, cum eo aquæ pluviæ arcendæ agi non posse à vicino, si modò non hoc animo fecit ut vicino noceat, sed ne sibi noceat.* Idem habetur L. 1. Unde sequi videtur, si id fecit ut vicino noceat, injuriam fore : ergo pari ratione qui impedit alterum ab officio ut illi obsit, non ut sibi vel alteri prosit, est illi injurius, quamvis sine vi et fraude id faciat.

Resp. Omissâ solutione Navarri, quam habet n. 71, illâ exceptione indicari, concedi actionem in foro externo, si probari possit, nullo suo commodo, animo duntaxat nocendi id factum : potest enim talis in pœnam cogi ad reparationem damni, et operis in priorem statum restitutionem ; hinc tamen non sequitur illum obligari ante sententiam.

129. Notandum primò : Si absque vi et fraude procurâsti ut beneficium daretur indigno, non teneris quidem aliis competitoribus dignis, quia nihil contra jus illorum fecisti, sed teneris Ecclesiæ vel reipublicæ, cujus jura violâsti procurando ei ministrum ineptum : sicut is qui ad opus publicum operarios ineptos curavit, ad restitutionem tenetur. Ubi hic servandus est ordo, ut primo loco teneatur is qui officium administravit, et stipendia accepit : hic enim primò tenetur restituere stipendia quæ eî data pro officio, quia id vel non præstitit, vel non ut oportet ; deinde sarcire damna quæ ipsius negligentiâ vel imperitiâ sunt contracta. Secundo loco tenetur collator ; tertio suasor.

Hinc patet, quanti oneris sit conferre beneficia vel officia publica, quod tamen jus plerique tantoperè expetunt.

Notandum secundò : Si absque vi et fraude impedivisti digniorem ut daretur minùs digno, peccâsti quidem, non tamen teneris ad restitutionem ; non enim digniori, quia contra jus ejus nihil est actum ; non etiam Ecclesiæ, quia nullum damnum per injuriam illi illatum : nam in potestate prælati erat eligere dignum, relicto digniore, quamvis in eo non sit fidelis dispensator. Hinc peccat contra fidelitatem dispensandi, et quidem sæpè mortiferè, ut infra dicetur. Etsi enim Ecclesia non ita obliget prælatum, aut respublica principem, ut semper teneatur lege justitiæ, restitutionis vinculum inducente, conferre digniori-bus, obligantur tamen ad hoc lege fidelitatis.

Dices : Ergo nunquàm poterit petere beneficium vel officium, qui suos competitores videt esse digniores et aptiores.

Resp. : Si certò illi constaret alios multò meliùs et fructuosiùs obituros officium, peccaret sollicitando, sicut et collator conferendo, quia debet bonum commune præferre privato. Si tamen hoc illi non constet (ut ferè semper fit ; non enim qui maximè videtur idoneus, semper optimè præstat officium), et ope divinâ confidat se tam benè functurum munere quàm alios, non peccat, si bonâ fide se collatori offerat, quia ministros eligere non est ipsius, sed collatoris.

130. Dico tertiò : Si fraus vel injuria non censeatur verè causa damni secundùm æstimationem moralem, sed occasio duntaxat, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia tunc damnum non sequitur ex vi actionis injuriosæ, sed aliunde. Explico exemplis. Das alapam alicui, qui inde per impatientiam incidit in morbum, et moritur : vel libidine ulciscendi,

te vult interficere, à quo non potes te expedire, nisi ipsum interimas : non teneris de damno secuto, ut supra ostensum, cap. 9, dubitat. 8. Scripsisti falsò litteras, et sparsisti per viam, magnam esse in Hispaniâ frumenti inopiam, quas Petrus repertas aperiens, mittit magnum frumenti numerum cum ingenti damno suo : non teneris de damno, etsi graviter contra charitatem peccâsti, quia suæ levitati assignare debet, quòd hujusmodi litteris fidem adhibuerit; secùs, si ad ipsum eas scripsisses, et misisses : ita Lopez, 1 p., cap. 124.

131. Petes utrùm is qui secretum alterius per injuriam cognovit, si eo utatur in suum commodum cum incommodo alterius, teneatur ad restitutionem : v. g., Titius Cameraco scribit Romam ad Caium vacare beneficium in mense pontificis. Litteræ veniunt ad manus Sempronii : hic suspicatus quod res erat, illos aperit, et postea clausas reddit Caio, sed illum prævenies apud S. Sanctitatem impetrat beneficium.

Dico primò : Si Sempronius litteras illas suppressit, vel serò reddidit, ita ut Caius non posset sollicitare, tenetur ad restitutionem, quanti spes Caii æstimabitur. Ratio est, quia per injuriam impedit illum à prosecutione istius beneficii. Tenebatur enim ex justitiâ tempestivè tradere, prout ei erat mandatum : ac proinde omissio tradendi, vel dilatio, est contra justitiam; ex hâc autem directè sequitur quòd non possit prosequi illud beneficium, et consequenter amissio illius beneficii; unde et hæc injustè inferuntur : nam quod directè ex actione injustâ sequitur, injustè irrogari censetur. Tenetur ergò illi non quanti valet beneficium, nisi fortè certum erat illum fuisse obtenturum, sed quanti spes obtinendi æstimabitur.

Dico secundò : Si litteras tempestivè tradidit, sed illas antea artificio quodam apertas legit, et sibi beneficium impetravit, probabilius est non teneri ad restitutionem. Probatur, quia etsi commissa sit injuria adversùs Caium in litterarum apertione et lectione, non tamen in comparando beneficio, cùm Caius non haberet majus jus quàm alter, et cuivis esset jus sollicitandi. Confir., quia etsi notitia aliqua per iniqua media sit parta, tamen postquàm jam habetur, est illius qui illam possidet, et potest eâ uti in suum commodum, non minùs quàm si justo modo acquisita esset : ut si nôris secretam artem alterius operâ dæmonis, vel occultè ingressus illius musæum, chartas ejus evolveris, artificia inspexeris, potes illâ arte uti, etiamsi lucrum alterius inde minuatur. Similiter si illum coegeris ut te doceat, ut machinas suas tibi ostenderet, etc. Etsi enim fortè pro operâ docendi aliquid solvendum sit, tamen ratione usûs illius notitiæ, et lucri quod inde consecutus es, ad nihil ipsi teneris : cùm nemo per talem usum censeat alteri fieri injuriam. Sicut enim illa notitia est tua, ita etiam usus illius, et consequenter fructus qui inde provenit.

132. Dices : Illa apertio et lectio litterarum est injuriosa Caio : atqui hinc sequitur ipsi damnum : ergo censetur damnum illatum per injuriam.

Resp. : Damnum illud non sequitur ex apertione aut lectione litterarum, nisi remotè et per accidens, quatenùs inde sequitur notitia rei, et ex notitiâ sollicitatio, et ex sollicitatione permotio voluntatis collatoris, et collatio beneficii : itaque injustitia statim intercipitur, et damnum illud sequitur Caio, ex eo quòd tu, utaris jure tuo, et re tuâ : non enim ille caret beneficio, quia tu eum per injuriam impedivisti, sed quia tibi conferri curâsti; quod jure poteras. Simile esset, si visâ vel contractâ bursâ alterius (qualis fingitur fuisse bursa Fortunati), tantumdem tibi pecuniæ comparares quantùm ea continetur : tunc enim etiamsi per injuriam et vi illius bursam contrectâsses, et tantumdem tibi illo contractu comparâsses, posses illâ uti non minùs quàm si tibi ab illo donata fuisset; unde si illum prævenires in emptione mercium, non teneris ad restitutionem.

133. Petes : Quale peccatum est in illâ litterarum apertione? videri possit non esse peccatum mortale. Primò, quia non facit animo lædendi, aut aliquod damnum inferendi, sed solùm sibi consulendi : atqui non videtur esse peccatum, nisi quis animo lædendi id faciat, aut læsionem injustam inde secuturam putet, aut dubitet, ut indicat Nav., c. 18, n. 53. Secundò, quia si litteræ illæ non fuissent signatæ, vel si jam resignatæ fuissent inventæ in cubiculo alterius, non esset peccatum mortale illas legere : atqui resignatio non est peccatum mortale, nisi ratione lectionis : ergo cùm lectio per se non sit peccatum mortale, neque resignatio erit. Tertiò, possum aperire litteras inimici, si ex illis metuo mihi notabile nocumentum; ergo etiam litteras amici, si inde spero magna commoda absque injuriâ alterius.

Sed verius videtur esse peccatum mortiferum. Ratio est, quia communi hominum judicio resignare litteras alterius, et legere in re magni momenti, censetur gravis injuria, et in eum qui illas misit, et in illum ad quem mittuntur. Sigilla enim consensu gentium adhibentur tanquàm supremum munimen, et custodia secreti chartis commissi; unde jure gentium debent esse inviolata, sicut legati. Sine enim hujusmodi immunitate et veluti privilegio vix posset esse communicatio inter absentes : quod in magnum damnum reipub. redundaret. Violare ergo sigillum, est res gravis, utpote tendens ad eversionem communicationis inter absentes, ac proinde peccatum mortiferum.

Potest tamen excusari : 1° si sit superior regularis qui aperit; hic enim jus habet aperiendi litteras quæ mittuntur ad subditum ab iis quibus superior iste non subest : idem dicendum de parente et aliis qui sunt loco parentis. 2° Ex ratihabitione mittentis, vel ejus ad quem mittuntur. 3° Causa sibi cavendi ab injuriis et insidiis : quomodò litteræ interdùm intercipiuntur et aperiuntur à magistratibus. 4° Si ex inadvertentiâ fiat, putans eas ad te scriptas, 5° Si contineant res parvi momenti. 6° Si ex curiositate, et nullum sit periculum alterius incommodi. Vide Navar. supra, et Emmanuelem Sà, v° *Litteræ*.

134. Petes secundò : Quid si is, cujus bona ob crimen justè sunt confiscanda vel diripienda, fraude aut mendaciis impediat ; teneturne ad restitutionem ? Videtur teneri ; quia injustè impedit fiscum ab eo consequendo, ad quod jus habet, maximè si crimen sit saltem semiplenè probatum ; tunc enim tenetur veritatem fateri. Unde in hoc casu talem teneri ad restitutionem, docent Sotus l. 1 de Justitiâ q. 6, a. 6, paulò ante quintam conclus., et Molina dis. 95, § *Duo sunt ;* estque opinio probabilis.

Sed contraria est verior et probabilior, quam tenent Navar., cap. 18, n. 49, Bannes 2-2, q. 62, a. 3; Petrus Arragon. et Michael Salon. ibidem, Sancius, lib. 10 de Matrimonio, n. 14. Probatur, quia hujusmodi occupatio bonorum constituta est in pœnam criminis : atqui pœna non debetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, ut communiter Doctores tradunt ; imò non est solvenda ante sententiam constitutivam pœnæ, quâ ipsa pœna jubeatur solvi : ergo sententiâ non secutâ non debetur pœna.

Dices non deberi per modum pœnæ ratione criminis initio commissi, sed per modum compensationis damni, ratione doli, quatenùs mendaciis impediendo cursum judicii et sententiam, impedivit commodum, quod inde erat obventurum fisco.

Sed contra primò, quia opus illud quo sententiam impedit, non est contra justitiam commutativam, nec propriè injuria, sed solùm contra veritatem, obedientiam et justitiam legalem, quæ virtutes non obligant ad restitutionem. Non enim, positâ semiplenâ probatione, tenetur lege justitiæ commutativæ veritatem fateri, sed lege obedientiæ et justitiæ legalis, vel religionis, si juravit. Deinde, etiamsi opus illud quo impedit esset injuria, in ordine ad ferendam sententiam (ut si minaretur judici ne sententiam ferat, vel actori ne in causâ pergat), non esset tamen injuria in ordine ad ista bona, quatenùs fiscum vel actorem ab istis obtinendis impedit. Ratio est, quia sicut quisque habet summum jus in tuendâ vitâ ; ita etiam in tuendis bonis quæ sunt instar vitæ, cùm absque illis *vita* sit *invita*, vel, ut Græci dicunt, βίος, ἄβιος : unde etiam ipsa bona βίος, *vita*, vocantur. Ergo sicut is qui non sinit sibi eripi vitam alioquin justè ob crimen auferendam, non facit injuriam restitutioni obnoxiam, etiamsi alteri inde maximum commodum erat obventurum ; ita nec is qui non sinit sibi eripi bona justè alioquin in pœnam criminis auferenda, facit injuriam restitutioni obnoxiam. Facit quidem injuriam resistendo armis judici, vel illi minando ; hæc tamen injuria non est in illum cui pœna erat applicanda, quia ille jus non habebat, nisi supposita sententia judicis. Imò illâ suppositâ, nor habet jus ut reus spontè bona sua ei tradat, aut cum illis non fugiat, cùm ad horum nihil sit condemnatus ; sed solùm ut per ministros publicos ea occupet et auferat : quâ occupatione factâ, et pacificâ eorum possessione obtentâ, reus non ampliùs jus habet illa surripiendi aut vi auferendi, cùm illorum dominium et possessionem omninò amiserit ; unde si postea auferret, teneretur ad restitutionem.

Confirmantur supradicta, primò, quia cùm bona sint alteri applicanda, reus non minùs juris habet ad ea defendenda ne sibi auferantur, quàm cùm nulli sunt applicanda, sed igne vastanda. Non enim ipse ob utilitatem alterius minùs est liber ad impediendam rerum suarum ablationem ; hæc enim ipsi æquè gravis est, imò gravior cùm alteri prodest. Atqui cùm sunt vastanda, non facit injuriam restitutioni obnoxiam, etiamsi fraude, dolo aut vi impediat ablationem ; ergo neque cùm alteri sunt applicanda. Confirm. secundò, quia obligatio illa restituendi nimis esset gravis, nec accommodata fragilitati humanæ. Quotusquisque enim est hominum, qui ubi bona sua hoc modo eripuisset periculo amissionis, spontè ea offerret fisco, vel alteri, cui in pœnam ea erant cessura ? Sanè vix ullus reperietur. Atqui lex ut justa sit, debet esse hominum moribus et fragilitati attemperata, ut communiter theologi et canonistæ docent, cap. *Erit.*, cap. *In istis.* d. 4.

135. Hinc infertur primò, hæreticum qui fraude, mendaciis, falsis testibus se defendit, et impedivit sententiam, aut confiscationem bonorum, non teneri ad restitutionem. Quia non fecit injuriam fisco, vel saltem non talem quæ restitutioni sit obnoxia, propter summum jus defensionis suî ipsius et rerum suarum.

Secundò, idem dicendum de adulterâ, quæ ipso jure amittit dotem. Non enim tenetur ea quæ habet tradere ante sententiam definitivam et ultimam. Unde etiamsi falsis probationibus se defendat, aut falsò probet etiam maritum mœchatum esse, sicque sententiam divortii impediat, non tamen tenetur ad restitutionem. Similiter si à sententiâ appellet, etsi iniquè ; nam appellatio suspendit sententiam. Ita Sancius supra, multos alios citans. Si tamen maritus dotem habet, non tenetur eam repetenti restituere, quia potest ei opponere exceptionem adulterii, ut apertè colligitur ex cap. *Plerùmque*, de donationibus inter virum et uxorem.

Tertiò, idem locum habet in eo cujus bona ob non solutum vectigal, vel res prohibitas importatas aut exportatas, sunt ipso facto commissa seu addicta fisco, vel redemptori : hoc enim cùm fiat in pœnam criminis, requirit sententiam judicis, vel evidentiam tantam, ut possit justè ferri sententia. Unde si sententia impediatur, vel ita agatur ut crimen certò constare non possit, non tenetur. Similiter, si cum rebus suis priusquàm occupentur, fugiat. Ipsum tamen vectigal, si justum erat, tenetur solvere, quia non est constitutum in pœnam, sed in justam compensationem ratione securitatis vel gubernationis, quam princeps in patriâ præstat.

Quartò, idem cernitur cùm miles justè oppidum aliquod concessu principis expilat. Fit enim hoc in pœnam delicti, cujus omnes præsumuntur participes. Unde etiamsi mendaciis, fraudibus, vel etiam vi militem impedias ne res tuas diripiat, non teneris ei ad restitutionem. Addo tamen, in prædictis casibus, si aliquod damnum injustè inferatur ab eo qui res suas

tuetur, teneri ad illius compensationem, ut si falsis testibus se defendat, tenetur ad expensas litis, si resistendo lædat, tenetur ad expensas medicorum.

136. Petes tertiò : Quid dicendum de testibus qui falso testimonio impediunt sententiam, et consequenter confiscationem ? Videntur sanè non teneri ad restitutionem, etiamsi rem suam non defendant, sed alienam. Si enim principalis auctor, et qui mandat, non tenetur, cui teneantur secundarii, qui illum juvant ? Deinde quia fiscus vel actor non habet jus ad bona occupanda, nisi positâ sententiâ : ergo si illa non ponatur, non fit ei hâc ex parte injuria. Confir., quia à tali teste detectâ falsitate fiscus non solet exigere compensationem damni, quòd bona rei non obtinuerit, sed satis habet illum puniri ut perjurum ; non ergo censet sibi factam injuriam restitutioni obnoxiam.

Utrùm autem judex teneatur ad restitutionem, si hujusmodi reum non condemnet, vide infra c. 13, n. 73

## DUBITATIO XIX.

*Utrùm si quis damnum intulerit in re adhuc indies crescente, teneatur integrè, perinde ac si adulta esset, rependere.*

137. Dominicus Sotus lib. 4, q. 6, art. 5, et Michael Salonius q. 62, art. 4, affirmant, si ex malitiâ rem illam peremit, non autem si ex negligentiâ : ut si conculcâsti segetem, nunc æstimatam 100, in messe 200 ; si interemisti pullum equinum, nunc valentem 20, intra biennium 100. Ratio illorum est, quia dominus rei non tenetur eam vendere pretio quo nunc valet, sed potest eam retinere, præstando omnes casus, eosque non æstimando.

Resp. contrarium esse verius. Ratio est, quia restitutio damni illati non est unquàm facienda nisi secundùm æqualitatem, prout prudentes arbitrabuntur ; itaque pro talibus segetibus non est ampliùs restituendum, quàm illæ judicio prudentum spectatis circumstantiis tunc valebant. Idem dicendum de pullo equino et similibus.

Nec obstat quòd ille eo pretio vendere noluisset ; hinc enim non sequitur damnum esse majus quàm ipsa res nunc valeat, sed injuriam esse majorem, quia hinc fit ut damnum sit magis contra domini voluntatem, quod ad incrementum injuriæ pertinet, non damni : pro quâ injuriâ, non pecunia, sed veniæ petitio, vel quid simile præstari solet ; unde illa distinctio damni ex malitiâ et negligentiâ, sententiam Soti non juvat : etsi enim majorem faciat injuriam qui infert damnum ex malitiâ quàm qui ex negligentiâ, non tamen infert majus damnum ; unde neque ad majorem tenetur restitutionem.

## DUBITATIO XX.

*Utrùm qui in tempestate ejicit merces alienas, teneatur ad sarciendum damnum.*

138. Respondeo et dico primò : Si is qui ejicit alienas, habet suas, tenetur illi pro suâ parte ad restitutionem. Ratio est, quia cùm etiam propriæ merces cooperentur ad navis depressionem, iniquum est totum onus conferre in merces alterius. Imò hoc casu, omnes tenentur pro suâ parte, qui ibidem merces habent, ut patet L. 2 et 4, π. de lege Rhodiâ de jactu.

Sed teneturne pro mercium suarum æstimatione, an pondere ? Quid si tantùm habeat gemmas vel margaritas, quæ navem parùm onerant ?

Resp. : Sepositâ lege positivâ, videtur tantùm habenda ratio ponderis, quia pondus affert navi periculum, non æstimatio vel pretiositas. Lege tamen positivâ statutum est, ut habeatur ratio æstimationis, ut quisque pro mercium pretio conferat ad compensandum ei, cujus merces sunt ejectæ. Cujus ratio esse videtur, quia quò merces tuæ sunt magis pretiosæ, eò pluris interest tuâ, ut navis salva sit ; ac proinde eò ampliùs te in collationem dare par est : quæ ratio habet quidem aliquid æquitatis, ob quam possit lege sanciri : si tamen lex absit, alterum videtur servandum.

139. Dico secundò : Si is qui alienas ejicit, nullas habeat, non tenetur ad ullam restitutionem. Colligitur ex l. secundâ, ubi dicitur : *Liberi corporis, non oportere fieri æstimationem ;* nempe ad sarciendum damnum. Idem docet Joannes Medina, c. de Restit. q. 3, causâ primâ, et Petrus Navar. lib. 3, c. 1, num. 381. Probatur, quia id potest duplici jure, *usûs* et *defensionis :* jure usûs, quia quando alicujus rei usus mihi est extremè necessarius ad vitam conservandam, possum eam rem licitè consumere, et si inde non sum factus ditior, non teneor ad restitutionem, ut si hostem fugiens insiliam in equum alienum, qui in fugâ perimitur : non enim ratione acceptionis, ut quæ sit concessa ; neque rei acceptæ, ut quæ non exstet in se vel in suî pretio ; neque contractûs, cùm nullus intercesserit, uti suppono. Hæc tamen ratio non habet locum, nisi in paupere ; et fortè contrarium hujus fundamenti est verius, ut infra c. 16, dubit. 1, dicetur. Altera tamen ratio est solida, nempe ex jure defensionis, quia jure naturæ quivis potest à se repellere, quidquid ei affert interitum, vel est impedimento, ne se possit in extremo periculo salvare : atqui merces illæ afferent interitum, deprimendo navem, cui insideo. Idem dicendum, si quis fugiens pertundat parietem, vel conculcet segetes, aliter se salvare non valens, ut rectè Petrus Navarra.

## CAPUT XIII.

### DE COOPERANTIBUS AD FURTUM VEL DAMNUM.

(*Complectitur dubitationes* 11.)

Notandum est dupliciter furtum vel damnum inferri posse : primò, immediatè exequendo, et de hoc dictum est cap. 12 ; secundò, mediatè cooperando, ut consulendo, mandando, etc. De his modis nunc agendum est : sic enim plenè intelligetur quis ad restitutionem teneatur.

## DUBITATIO I.

*Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius.*

Respondeo passim à doctoribus novem modos numerari, qui continentur hisce versibus :

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Et sic universim sunt 9 genera personarum, quæ tenentur ad restitutionem, præter executorem. De quibus modis vide D. Thom. q. 62, art. 7, et Gabrielem in 4, q. 2, d. 15, art. 3; Silv. Restit. 3, q. 6; Adrianum in 4, tract. de Restit. q. 1, § *Circa prædicta;* Joannem Medin. c. de Rest. q. 7 et 8; Soturn lib. 4, q. 7, a. 3; Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 2, § 12; denique Navarrum, c. 17, num. 17 et seq.

Advertendum est, sex prioribus modis positivè cooperari, tribus posterioribus privativè.

## DUBITATIO II.

*Utrùm ii qui positivè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem : an solùm quando sunt causa sine quâ damnum non fieret.*

1. Quidam doctores sentire videntur, hosce cooperatores solùm teneri ad restitutionem, quando ita cooperantur mandando, consulendo, consentiendo, etc., ut sine ipsis damnum non fieret; quando verò sine ipsis æquè damnum inferretur, non teneri. Ita docent D. Anton. p. 2, cap. 1, tit. 12, § 12, ex Paludano et Richardo; Silvest. Restit. 3, q. 6, § 3, ubi dicit hanc esse communem sententiam; Adrianus in 4, § de concurrentibus cum fure; Navar. c. 17, num. 17 et sequentibus; denique ipse D. Thomas in 4, d. 15, q. 1, a. 5, ad 3 quæstiunculam : quæ sententia quodam sensu est apertè falsa, quodam certa, quodam probabilis. Ut autem res intelligatur,

2. Dico primò : Qui jubet, consulit, consentit, laudat, vel refugium præbet executori, ita ut ex hisce causis ille motus fuerit ad damnum inferendum, non ideò excusatur à restitutione, quòd alius non defuisset, qui jussisset, consuluisset, etc. Ita docent Cajet. q. 62, art. 6; Joannes Medina q. 7; Sotus l. 4, q. 7, art. 3, et alii. Est certa, nec credibile est auctores prioris sententiæ id negaturos; quòd si eorum sententia sic accipiatur, ut huic repugnet, est apertè falsa. Probatur, quia talis ita est causa damni in hoc casu, ut si ipse vel alius similis non moveret executorem, damnum non fieret; ergo verè est causa sine quâ non fieret. Patet consequentia. Nam causa sine quâ non est ea quæ ita cooperatur, ut sine ipsâ vel simili superveniente, non fieret effectus à causâ executrice, non autem illa duntaxat quæ, si absit, effectus non fiet; nam alioquin is qui suadet vel præcipit homicidum, non esset causa, si alius erat suasurus, vel præcepturus; imò occisor non erit causa damni, si alius erat occisurus : quæ apertè sunt falsa; sicut enim ille iniquè erat facturus, et restitutionis obligationem incursurus, si suasisset vel præcepisset maleficium : ita etiam is qui in ejus locum succedit.

3. Dices : Illa duntaxat est vera causa, quâ positâ sequitur effectus, et quâ non positâ non sequitur : ergo si, tuo consilio non posito, effectus nihilominùs sequeretur, tuum consilium non potest censeri causa.

Resp. non esse de ratione causæ, ut illâ non positâ, effectus non ponatur; sed tantùm ut illâ positâ, effectus ponatur : idem enim effectus potest poni per multas causas. Pari modo, causa sine quâ non, est ex cujus cooperatione sequitur effectus, ita ut nisi ipsa vel similis superveniens cooperetur, non sequatur effectus.

4. Dico secundò : Si executor absque illo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio æquè benè et eodem modo damnum erat illaturus, quamvis nulla alia similis causa esset superventura, tunc illi non tenentur ad restitutionem. Est communis sententia doctorum, ut si consilio, mandato, laude, invites eum qui ante ad facinus paratissimus erat, quique non ideò celeriùs, atrociùs, aut ampliùs inferet mali, nec firmabitur in proposito, non teneris ad restitutionem.

5. Ratio est, quia etsi graviter pecces etiam contra justitiam, tamen consilium et mandatum tuum inefficax est, quia damnum ex ipso tanquàm ex causâ non sequitur, ipsumque duntaxat ut quid concomitans se habet; hoc modo Petrus Navarra, l. 3, c. 4, n. 48, et quidam alii putant explicari posse sententiam illorum doctorum, quo sanè sensu est certa.

6. Sed si quis eorum verba perpendat, illi non requirunt ut damnum eodem modo sit inferendum ab executore, sed tantùm ut absolutè sit inferendum, sive cum iisdem circumstantiis, sive cum diversis. Sententia igitur illorum doctorum est hos non teneri, etiamsi executorem moverint, ut citiùs vel animosiùs, vel alio loco faceret, si ipse jam ita erat comparatus, ut sine ipsis vel similibus supervenientibus absolutè esset facturus. Pari modo si causam dederint, ut plus damni inferret, quàm alioquin illaturus erat, non tenentur nisi ad illud amplius.

7. Probatur, quia D. Thomas supra, ut consulens tencatur ad restitutionem, duo requirit, nempe, *ut probabiliter credat consilium suum fuisse efficax, et quòd sine eo injusta ablatio commissa non fuisset;* ubi satis insinuat, etsi consilium sit efficax, ita ut moveat executorem, ut citiùs vel expeditiùs faciat, tamen non inducere obligationem restituendi, si executor absque consilio erat facturus, licet non eodem modo. D. Antoninus, ex Paludano : *Si sine consilio vel mandato fuisset nihilominùs facta rapina vel damnificatio, et nihil amplius per illa est additum, non tenentur, nisi quantum ad eos de rapinâ pervenit; si verò aliquid amplius ex mandato vel consilio factum est, ad illud amplius tenentur in solidum.* Hic solùm requirunt ut ipsa damni substantia absque consilio fuerit inferenda, non autem ut eodem modo vel tempore. Idem disertè docent Navarrus, num. 20, et cæteri supra citati, et Gabriel in 4, d. 15, q. 2, art. 3, dub. 2.

8. Hæc sententia est probabilis : primò, propter doctorum auctoritatem; secundò, propter rationem, quia isti tunc non tam sunt causa substantiæ damni, quàm modi vel circumstantiæ, cum quâ mandatur executioni, ut quòd fiat hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento, ergo non tenentur substantiam damni rependere.

9. Dices : Sunt causa totius actionis, ut hìc et nunc fit : ergo tenentur. Confirmatur, quia non potest quis esse causa istorum accidentium et circumstantiarum, niśi etiam sit causa substantiæ actionis.

Resp. : Ob hoc argumentum altera sententia (hos obligari in solidum) est valdè probabilis; quam tenent Cajetanus, Medina, Sotus, et Petrus Navarra supra. Responderi tamen potest : Etiamsi sint causa totius actionis individuæ, ut hìc et nunc fit, tamen, quia lla actio, quatenùs damnosa, secundùm suam speciem jam erat parata in causâ exequente, et omninò secutura, non videntur circa eam quidquam efficaciter operari, nisi inducendo novas circumstantias; quod non est magni momenti ad substantiam damni. Quando etiam aliqua causa est exitura per se in actum, parùm refert utrùm hoc celeriùs fiat an tardiùs, hìc an alibi, hâc an illâ actione individuâ, hoc an illo instrumento. Ad confirmationem, concedo esse causam substantiæ illius actionis in individuo, nempe quòd potiùs sit hæc individua actio quàm illa; sed hoc parùm facit ad obligationem restitutionis.

Primò, quia qui est causa ut differatur damnum in crastinum, est causa cur sit alia actio individua damnificans, et tamen non tenetur. Similiter qui rogat ut alio loco occidat, ubi minùs erit scandali.

Secundò, qui volenti furari 10 suadet ut furetur 20, est causa illius individuæ actionis quâ vult 20, et llius quâ accipit 20, et tamen non tenetur nisi ad 10, cò quòd furti duntaxat horum censeatur causa, ut docet Medina, Covar., Petrus Navarr. et alii : ergo ut quis teneatur in solidum, non sufficit ut sit causa totius actionis ut hìc et nunc fit, sed ulteriùs requiritur ut actio illa secundùm suam speciem, sine tali cooperatione à tali executore non sit processura.

10. Ex his patet hanc sententiam esse probabilem, etsi altera quoque probabilis sit, et hoc tempore in scholis receptior; unde sentio in praxi ordinariè sequendam; id enim isti iniqui cooperatores merentur, ut in posterum sibi caveant.

## DUBITATIO III.

*Quomodò oporteat positivè cooperari, nempe jussione, consilio, consensu, palpatione, receptione et participatione, ut censearis causa damni.*

11. Respondeo primò, de *jussione* : Qui ita jubet ut alterius animum ad maleficium moveat, censetur damni causa, imò inter causas præcipua, quia non est efficacior modus quo creatura rationalis liberè ab alio moveatur, quàm per mandatum : mandans enim quamdam obligationem et necessitatem imprimit alteri. Dupliciter autem potest quis mandare, primò, expressè, ut si dicas famulo : Occide, volo occidas; secundò, implicitè, ut si dicas : Utinam mihi hoc obsequium quis præstet! charus mihi erit qui hoc fecerit.

12. Adverte tamen primò : Si revoces mandatum ante maleficium patratum, idque mandatario innotescat, non teneris, quia jam tollis causam : quâ de re sunt multa jura, π. mandati.

13. Secundò, eum qui ratum duntaxat habet maleficium nomine suo factum, non obligari in foro conscientiæ ad reparationem damni, ut rectè Medina, quæstione 7, ad quartum argum., quod est contra Navarrum, cap. 27, num. 233, qui putat ratihabitionem obligare instar mandati, si dùm mandare poteras, damnum tuo nomine sit illatum. Sed contrarium est verum. Ratio est, quia ex illâ ratihabitione facti præteriti, ipsum factum, per quod damnum illatum est, nullo modo pendet, tanquàm ex causâ movente. Nec refert quòd nomine tuo factum sit, quia inde tantùm sequitur voluntatem tuam fuisse causam finalem, et ideò illum fecisse, ubi tibi gratificaretur, quia putat tibi gratum futurum : sed hoc non sufficit, ut tu censearis causa efficiens, et voluntariè movens ad damni irrogationem. Finis enim non movet voluntariè, sed naturaliter, ex parte suâ.

Dices : Cap. *Ratihabitionem*, de regulis juris, in sexto, dicitur : *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.*

Respondeo : Comparatur mandato, non respectu operis patrati, et obligationis restituendi, sed respectu contractuum (quia solâ voluntate foris expressâ firmari possunt contractus præteriti, non autem causari damnum præteritum). Item respectu pœnæ in foro externo, quia qui ratum habet maleficium, punitur sicut qui mandavit.

14. Secundò, de *consilio*. Hoc similiter est causa, dùm quis ex eo permovetur ad faciendum opus. Hùc etiam pertinent preces et promissiones. Ex quâ verò culpâ in dando consilio quis teneatur, explicatum est supra, cap. 7, dub. 7. Modò satis sit eum teneri, qui fraude vel culpâ latâ iniquum consilium dedit.

Sed difficultas est primò, si consultor ante perpetratum maleficium revocet consilium, utrùm nihilominùs teneatur.

15. Resp. et dico primò : Si dedisti consilium falsum vel falso fundamento subnixum (v. g., dicendo contractum esse licitum, bellum esse justum, et similia), sufficit ut postea retractes sententiam, dicendo te deceptum, et sincerè veritatem explices, eo modo, iisque rationibus, ut is cui consilium dedisti, intelligat te ex animo, non muneribus corruptum loqui : sic enim prius consilium satis eliditur; unde si ille nihilominùs in concepto facinore persistat, jam non tuo consilio, sed suâ duntaxat malitiâ, vel privatâ opinione videbitur moveri; ac proinde tibi non putabitur.

16. Dico secundò : Si dedisti consilium verum, ostendendo utilitatem vel honorem qui ex opere iniquo consequetur, vel machinanti malum, occultam nocendi rationem aperuisti, non sufficit revocare ostendendo rem esse illicitam, suadereque contrarium; sed oportet persuadere : si enim ipse permotus istâ utilitate vel commoditate exequendi, quam aperuisti, facinus perficiat, teneberis. Ratio est, quia ostensione commodi vel honoris, voluntatem ipsius ad damnum inferendum permovisti, et hæc motio manet, quamdiù ipse eodem motivo incitatus, conceptum facinus vult prosequi : ergo cùm sis causa istius voluntatis,

etiam es causa effectûs ejus, scilicet damni secuti. Simili modo, occultum nocendi artificium aperiendo, veluti armis et auxiliis instruxisti ut noceat, sine quibus non potuisset nocere, et per quæ in proposito nocendi fuit confirmatus : sicut qui furenti præbet arma ut inimicum occidat, tenetur, nisi reipsà abstulerit, nec illis occidat. Confirmatur, quia cùm pravum consilium dares, debebas cogitare mala quæ inde sequi poterant, et non fore postea in tuâ potestate impedire, quin consilium illud exeat in opus.

17. Hinc intelligi potest distinctio inter *mandantem* et *consulentem :* cùm enim mandatarius agat nomine mandantis, ut ipsius voluntati morem gerat; hoc ipso quo mandans revocat mandatum, et revocatio innotescit mandatario ante operis executionem, cessat omnis ratio agendi à mandante proposita, ac proinde omnis motio ab ipso proveniens, non secùs ac si vis telo impressa subitò cohibeatur et extinguatur. Dixi : *Si revocatio innotescat mandatario*, quia si non innotescat, tenetur mandator effectu secuto, non minùs quàm si non revocâsset, quia ex vi mandati damnum datum est. Unde etiam incurrit censuras et irregularitatem, si fortè mandanti (ut, v. g., in percussione clerici) posita sit; nec refert quòd modò sit in statu gratiæ, quia etsi censura talis non contrahatur nisi propter peccatum mortiferum, non tamen est opus, ut illius peccati culpa tunc committatur, sed sufficit commissam esse, et effectum ejus, seu opus externum ex vi illius tunc fieri : sicut in proposito accidit. Nam opus externum imputatur mandanti tanquàm auctori principali, qui altero sit usus ut instrumento. Qui verò consilium accipit, agit nomine suo, id est, ut rebus suis consulat; unde non statim cessat ratio agendi ipsi impressa, nisi contrarium persuadeatur, vel certè nisi ostendatur, illam rationem, ob quam motus fuit, non subesse ; unde effectu secuto, censuras incurret.

Quando verò quispiam precibus, blanditiis, promissis induxit alterum ad conflandum maleficium, sufficit ut quantùm in se est, ostendat sibi displicere, seque propositum mutâsse, et promissa rescindere; nam alter nomine ipsius acturus erat, seu ut ipsi gratificaretur.

18. Adverte tamen non esse impossibile consultorem non teneri, si consilium, quantùm in se est, revocet, et contrarium persuadere nitatur, quamvis reipsà non persuadeat. Ita Pet. Navarra, l. 3, cap. 4, n. 27, citans pro se Joan. Medinam. Idem docet Salonius, q. 62, art. 7, controvers. 6. Neque ponunt in hoc discrimen inter mandantem et consultorem. Ratio esse potest, quia quando fecit quod potest ut consilium prius evertat, vel ostendit, omnibus consideratis, esse iniquum et non sequendum, non videtur executor ipsius consilio moveri, sed suâ malitiâ. Sed quod diximus videtur verius.

Petes utrùm, si mandatarius post revocationem mandati ipsi insinuatam perstet in proposito patrandi maleficii, v. g., occidendi Titii, teneatur mandans lege justitiæ monere Titium ut sibi caveat, vel aliter impedire effectum. Quidam putant sic teneri. Ratio est, quia mandans dando mandatum de Titio occidendo, fecit injuriam; ergo ex justitiâ tenetur impedire damna quæ ex illâ injuriâ sequi possent; ergo si scit inde ipsi imminere periculum, ex justitiâ tenetur illud impedire, prout commodè potest, v. g., admonendo illum ut sibi caveat, etc. Confirm. quia ad hanc obligationem sufficit ut Titius ex injuriâ à mandante illatâ sit constitutus in hoc periculo.

Sed contrarium tenent plerique doctores, non teneri lege justitiæ, sed solùm charitatis, etsi fortè strictiùs quàm alii, eò quòd occasionem periculi dederit. Ratio est, quia etsi fecerit injuriam Titio, mandando ejus homicidium, et voluntatem alterius ad hoc flectendo, tamen hæc injuria ante effectum fuit ablata. Nam voluntas illa occidendi in gratiam mandantis, planè evanuit. Nec refert quòd ille dicatur perstare in voluntate occidendi, quia hæc voluntas non est eadem, sed diversa, utpote ex alio motivo concepta, quæ planè per accidens et fortuitò sequitur priorem voluntatem. Ad confirm., periculum in quo post revocationem mandati Titius versatur, non est ex injuriâ vel opere mandantis, sed ex malitiâ et arbitrio mandatarii. Denique, si illa sententia vera esset, mandans semper teneretur ad restitutionem secuto effectu, etiamsi non solùm revocâsset mandatum, sed etiam omnibus aliis modis conatus fuisset impedire : sicut qui per injuriam constituit aliquem in periculo hostium, ex quo illum non potest eripere, tenetur secuto damno.

19. Secundò difficultas est, utrùm consulens minus damnum ad avertendum majus, teneatur ad restitutionem.

Resp. : Si consulas inferri alicui damnum minus, ne eidem inferatur majus, non teneris. Ratio est, quia utiliter negotium illius geris, et meritò tibi gratiam debet pro hoc beneficio. Neque peccas suadendo minus, etsi ille de eo non cogitâsset, (ut putat Pet. Navarra, supra, n. 29), quia non suades absolutè (hoc enim est illicitum, sicut et facere), sed sub conditione, nempe si alterum omninò velit facere, vel si aliter à majore abduci non potest : quæ conditio intelligitur, quando suadetur ei, cujus animus putatur obfirmatus. Si autem suadeas latroni, ut alteri, de quo non cogitabat, damnum minus inferat, teneris, quia injuriam illi facis, dùm illum animo latronis, nocendi cupido, objicis : non enim licet impedire damnum Petri cum injuriâ Pauli. Hinc sequitur peccâsse Loth, Gen. 19, dùm Sodomitis in hospites irruere conantibus, suasit stuprum filiarum, quia suasit injuriam in eas, de quibus ipsi non cogitabant, ut omittam quòd ex officio paterno earum pudicitiam tenebatur tueri, quamvis fortè excusari possit, quòd vel ex perturbatione id dixerit, vel ad declarandum sceleris, quod attentabant, immanitatem : quomodò dicere solemus : Me potiùs interfice, quàm illi noceas. Vide Cajetanum in illum locum, et Lipomani Catenam.

20. Adverte tamen primò : Si Paulus esset vir opulentus, qui non putaretur gravatè suscepturus minus

damnum ad avertendum damnum Petri multò gravius, liceret illud consulere. Idem videtur, si Petrus illud minus damnum Paulo esset repensurus : tunc enim Paulus ex charitate teneretur permittere.

21. Secundò, si latro de utroque cogitaret, et anceps esset utri vellet damnum inferre, constituisset tamen firmiter inferre alterutri, posses suadere in genere quod minus est : malum enim minus respectu majoris non censetur malum. Neque per hoc consilium fit injuria ei cui minus damnum infertur, quia non revocas malefico in mentem aliquid quod non cogitabat, sed tantùm in genere doces, minus malum potiùs esse faciendum, quàm majus, si necesse sit alterum fieri (quæ doctrina vera est et utilis), et indicas utrum ex duobus sit minus ; in quo etiam veritatem, quam nôsse expedit, ostendis. Unde non potest alter queri sibi factum à te injuriam ; non enim dicis : Fac huic potiùs injuriam quàm isti ; sed tantùm proponis veritatem speculativam ; quod ut facias, justam causam habes. Juxta hæc intelligendus est Sotus, lib. 4 de Justitiâ, q. 7, a. 3, sub finem. Contrarium videtur sentire Pet. Navarra, supra, n. 30. Sed nihil aliud ejus ratio concludit, quàm in particulari non licere directè maleficum inclinare in alterutrum, rogando ut huic potiùs quàm illi noceat. Nos autem tantùm dicimus, posse in genere suadere, ut faciat id quod minus est, et indicare utrum sit minus, relinquendo ipsius judicio, utrum malit amplecti.

22. Tertio loco est *consensus* : hic est causa, quando ab alicujus consensu pendet, ut res fiat vel non fiat, v. g., ut huic inferatur bellum, ut iste eligatur in prælatum. Quòd si id à consensu tuo non pendeat, eò quòd auctoritatem nullam habeas, vel si absque tuo consensu jam antea æquè erant parati, neque illum expectârint, non censetur causa damni.

23. Hinc fit ut quando plures ferunt suffragia, vel subscribunt in causam iniquam, si tu etiam consentias, postquàm sufficiens numerus suffragatus est, non tenearis ad restitutionem damni secuturi (etsi mortiferè peccaveris consentiendo), nisi spes fuerit, te contrario suffragio posse malum impedire. Ita Navarrus, c. 17, n. 21, et Cajetanus, v. *Restitutio*, c. 1, § *Consensus*. Ratio est, quia jam causa damni ità est disposita, ut æquè et eodem modo damnum sit secuturum absque tuo suffragio, atque cum illo ; quare tuum suffragium accedens, non est ullo modo causa damni. Si tamen tuum suffragium ante contulisti, quàm sufficiens numerus esset causæ iniquæ suffragatus, teneris ad restitutionem, etsi certò sciveris, sequentes in eamdem partem concessuros, ut rectè Cajetanus. Ratio est quia suffragium tuum causæ damnosæ aliquid contulit, ejusque pars in effectum influens est effecta.

24. Dices : Hoc suffragium non fuit causa sine quâ non : ergo, etc.

Resp. negando antecedens ; fuit enim causa sine quâ non fieret damnum, nullâ aliâ simili causâ accedente ; nam quando se adjunxit causæ damnosæ (suffragantium numero), nondùm ipsa erat ita disposita et valida, ut sufficeret ad damnum inferendum. Hoc autem suffragium accedens illam complevit. Similiter teneris, si spes erat te alios ab iniquo suffragio posse revocare, quia ex officio quisque suffragantium tenetur damnum impedire, si potest.

25. Quarto loco est *palpo*, id est, adulator, qui laudat malefactorem, aut scelus patrandum commendat. Quò etiam pertinet exprobratio ignaviæ, ut quòd injuriam, quam accepisti, non sis ultus. Hic tenetur, quando ex tali laudatione vel exprobratione alter impellitur ad maleficium. Ratio est quia est instar consilii ; proponit enim laudem, gloriam, decus, vel ignominiæ abstersionem, quæ ex maleficio videntur consecutura.

26. Quinto loco est *recursus*, seu recursum præbens ; hic tenetur, quando eo modo præbet recursum, ut moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum, v. g., si illum recipiat et non alios passim, si illum aut ejus instrumenta occultet, ita ut hinc animetur ad damnum inferendum.

Dices : Ergo qui occultat furem, dùm quæritur à lictoribus, tenebitur ad restitutionem, si postea ille damnum intulerit.

27. Resp. : Verum est, si id ita faciat ut in posterum det spem similis opitulationis, et fur illâ fidens, rursùm damnum inferat ; alioquin si non det illi spem refugii in posterum, non tenetur, quia non eo fine, nec eo modo abscondit, ut moraliter censeatur causa damni : sed tunc merè per accidens ex illo opere damnum sequitur. Dicitur etiam *receptator*, quia rem furtivam in custodiam accipit, ut furi servet : hic tenetur domino, si eam furi reddiderit (si tamen absque notabili incommodo poterat ei denegare), quia non poterat eam in deteriori statu constituere, quàm apud se erat. Item quia censetur cooperari furi ad retentionem rei alienæ. Vide Silvestrum, Restit. 3, q. 6.

28. Sexto loco est *participans*. Dupliciter autem dicitur quis *particeps* : primò, qui particeps est prædæ ; et hâc ratione tenetur pro eâ parte, quæ ei obvenit. Secundò dicitur participans, qui particeps est iniquæ operationis, præbendo auxilium et adjuvando ad executionem, sicut qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente, qui excubias agit, qui instrumenta suppeditat, qui furem comitatur defendendi causâ, qui juvat effringere, asportare, etc., qui remos in triremibus hostium impellunt, qui tormenta ad mœnia vel propugnacula hostilia pertrahunt, et similes. Hi semper tenentur ad restitutionem hoc ipso quo aliquid auxilii ad iniquam executionem contulerint, si id sponte et sine compulsione fecerunt, et maximè quando alias damnum non fuisset secuturum.

29. Dixi : *Si id sponte fecerunt*, quia si quis justo metu coactus fecerit, non tenetur, modò id quod facit non sit per se malum. Itaque hoc metu compulsus, potest apponere scalas, præbere instrumenta effringendi, juvare conscendere murum ; hæc enim per se sunt indifferentia, neque lædunt dominum, nisi ex iniquâ intentione et usu furis, qui his auxillis uti-

tur ad malum finem ; pari modo potest juvare in re, postquàm sublata est, asportandà, et in pecore abigendo : in his enim non est injuria in dominum, si ex gravi metu fiant, postquàm res sublata est : sicut enim fur ipse, justo metu urgente, non tenetur rem ablatam restituere, ita potest eam ob similem metum de loco in locum transferre; quare multò magis id poterit innocens, qui rem non surripuit.

30. Hinc sæpè excusantur rustici qui prædas militum injustas coguntur avehere, vel pecora sublata deducere. Non tamen hoc metu potest quis domum alienam perfringere, vel per fenestram penetrare, et res foràs projicere, vel pecora è stabulo abigere; nam hoc est esse causam principalem et directam furti et injuriæ; quicumque enim res meas primò aufert vel damnificat, injuriam mihi facit, quocumque metu id faciat, nisi fortè id faciat cum animo compensandi : tunc enim dominus id meritò debet permittere, ne alter gravissimum malum incurrat.

Dices : Isti cooperatores, qui functiones illas ad malum prævias obeunt, possunt interfici ab iis qui injustè oppugnantur, vel impetuntur, si malum aliâ ratione nequit averti; ergo iniquè agunt. Consequentia patet, quia alioquin daretur bellum utrimque justum, sepositâ ignorantiâ. Confirmatur, quia etsi illud quod faciunt, in abstracto et per se consideratum non sit malum, sed adiaphorum; tamen, ut hìc et nunc fit, est vera cooperatio injustæ invasionis.

Ob hoc argumentum putant quidam cum Navarro, remiges Christianos, qui coacti metu mortis, agunt remos apud Turcas, non excusari.

Sed responderi potest posse interfici, non jure vindictæ tanquàm reos criminis, sed jure necessariæ defensionis (alioquin enim impossibilis esset defensio); quo modo etiam pueri et amentes interfici possent : etsi enim illi jus habeant ad illam actionem, quatenùs est necessaria ut mortem evitent, qui tamen impugnantur, adversùs quos hostis utitur illorum operâ, jus habent ut se defendant, et victoriam persequantur, et consequenter ut faciant ea quæ ad hunc finem necessaria sunt. Ad probat. consequentiæ, concedo posse dari speciem quamdam belli utrimque justi, maximè ubi ex alterâ parte non est propinqua vel directa oppugnatio. Sic servo bello capto licitum est fugere; tamen si fugerit, dominus potest eum castigare, ut dictum est supra c. 5, dub. 5, et reus potest effracto carcere erumpere; tamen si fecerit, potest puniri, ut infra c. 31, dub. 5, ostenditur; idem aliis exemplis posset ostendi : secùs tamen, si utrimque sit propinqua impugnatio; unde illi dùm causâ defensionis impetuntur, non possunt se defendere, lædendo justos defensores vel invasores, sed tenentur desistere, quia cessat coactio, vel si adhuc durat, illi parendo, mortem non vitabunt, sed aliundè incurrent.

Ad confirmationem, dicendum est illud opus non esse malum ut procedit à voluntate ejus qui coactè agit, sed solùm ut subest directioni cogentis et utentis eo ad malum finem, quæ malitia non est imputanda illi misero; nec actionem, ut ad ipso est, contaminat : sicut cùm quis restituit gladium ardenti in cædem hostis sui, metu mortis adactus.

31. Petes utrùm is qui vendit arma properanti ad bellum injustum, vel venenum machinanti mortem alterius, censeatur cooperari, ita ut teneatur ad restitutionem?

Resp. primò : Si vendas arma soli parti iniquæ, et recuses alteri, teneris, quia ita vendis ut censearis cooperari. Secundò, si vendas passim omnibus petentibus, non teneris, quia externo actu venditionis non censeris magis cooperari parti iniquæ, quàm alteri; deinde quia damnum omninò remotè et per accidens sequitur ex hujusmodi venditione : non enim magis tendit ad irrogandam injuriam, quàm ad depellendam. Tertiò, si vendas jam contractâ pugnâ, vel proximè impendente, teneris, quia vendendo ei qui jam proximè comparatus est ad injuriam inferendam, censeris ei propinquè cooperari, sicut qui furenti in cædem inimici, præbet gladium; cùm enim tantum malum possis et tenearis impedire, arma negando, si ea præbeas, non videris ob exiguum illud lucellum præbere, sed ut juves et servias ejus intentioni. Secùs si magnum lucrum vel damnum esset propositum. Quartò, si vendas venenum ei qui dicit se petere ad interimenda noxia animalia, non teneris, etiamsi putes eum malo fine petere. Ratio est, quia eo modo vendis, quo aliis vendi solet. Confirmatur, nam qui vendit agnum Judæo, quem putat sacrificii causâ emere, non censetur ei cooperari ad superstitionem, quia ista venditio cum his circumstantiis facta est indifferens ad usum bonum et malum, et ex modo quo fit, non videtur fieri ad usum malum quem alter occultè intendit, sed ad bonum quem ex naturâ suâ vel justâ institutione habet : ergo neque qui arma vel venenum, si eo modo vendat quo passim aliis consuevit.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm is qui aliquo horum sex modorum cooperatur, teneatur in solidum.*

32. Respondeo : Quod ad quinque priores modos attinet, *consulens, mandans, consentiens, laudans* et *receptans*, tenentur ad reparationem totius damni, si totius causa fuêre, partis verò, si solùm partis damni causam dederunt : patet ex dictis. Sed quid, si volenti furari 10, suaseris ut acciperet 20, teneberisne ad 20?

Resp. : Si volenti furari 10, suasisti ut præterea alios 10 furaretur, non teneris nisi ad 10, quia non fuisti causa prioris volitionis, quâ cepit hæc 10, sed posterioris tantùm, quæ ad alia 10 pertinet. Si verò suasisti ut furaretur 20, putat Adrian. q. 1 de Restit. § *Jam dicam*, eum teneri ad 20, quia est causa novæ voluntatis, pertinentis immediatè ad 20.

33. Sed contrarium est verius, ut docet Medina, c. de Restit. q. 8, et Covar. ad regul. *Peccatum*, part. 2, § 12, n. 4, nempe solùm teneri ad 10. Ratio est, quia suo consilio non fuit causa, nisi ablationis 10, nisi fortè suo consilio reddiderit ipsum in proposito

firmiorem, vel causa fuerit ut citiùs ageret, quàm alioquin erat facturus : tunc enim censetur causa totius iniquæ damnificationis, quatenùs hìc et nunc peragitur, juxta Cajetanum, Sotum et Medinam, de quo dubit. 2.

Utrùm autem aliquis alterius consilio sit firmior redditus, non potest facilè deprehendi, nisi exteriùs aliqua cernatur in opere variatio, ut si citiùs, audaciùs, ardentiùs solito faciat, vel indicet se ambiguum antè fuisse.

34. Sed præcipua difficultas est de sexto modo : nempe de *participante* vel *adjuvante*, ut quando milites spoliant urbem : quidam enim videntur existimare singulos damni socios teneri in solidum, alii negant. Sed utendum est distinctione; vel enim cooperantur ad idem individuum damnum, vel ad diversum. Quo posito,

Dico primò : Si cooperetur ad idem damnum individuum, tenetur in solidum, etiamsi socius constituerat solus inferre, juxta sententiam Cajetani, Soti, et Medinæ supra, ut si juves ad eamdem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, ad eumdem gregem abigendum, ad eamdem domum effringendam. Et de tali cooperante intelligendi sunt prædicti doctores, dùm dicunt eum qui cooperatur ad idem damnum, teneri in solidum ; hoc enim limitandum est ad idem individuum damnum, quod à pluribus, tanquàm partibus unius integræ causæ, infertur ; quisque enim tunc est causa partialis totius damni, ut hìc et nunc fit, et in totum vim confert, licèt partialem : sicut dùm plures unam navem trahunt, unum pondus gestant. Nec refert quòd sine te fieret, quia non fieret, nisi tu vel alius tuo loco similem vim conferret; nam per solam illam vim, quam nunc socius adhibet, executio non fieret, vel certè non eodem modo fieret; per plures enim fit faciliùs, celeriùs, animosiùs.

35. Hìc tamen adverte hanc sententiam maximè habere locum, quando quis cooperatur immediatè exequendo maleficium cum alio, tanquàm causa partialis : tunc enim proximè est causa damni, ita ut sine ipso, vel alio similem opem conferente, non fieret, ut patet in eo qui juvat rem auferre. Si verò solùm cooperetur mediatè, præbendo instrumenta, juvando conscendere, ligando vinctum, probabilis est sententia Navarri, Silvestri et aliorum, non teneri, si damnum æquè per executorem erat inferendum, juxta ea quæ diximus dubit. 2.

36. Dico secundò : Si verò non concurrat ad idem damnum individuum, sed distinctum irroget, non tenetur in solidum, sed duntaxat pro suâ parte. Ita docet Adrianus q. 1 de Restit., Silvest. Restit. 3, q. 6, § *Quartum*, Navarrus c. 17, n. 21, et alii. Ratio est, quia tunc quisque solùm est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius, aut partis, quam alius fecit, nisi fortè alium impulerit, ut citiùs aut alacriùs faceret, aut nisi se vicissim permoverint vel animârint, sicut quando tres vel quatuor milites se mutuò excitant ad alicui damnum inferendum ; tunc enim singuli censentur causa totius damni ; hoc tamen ordinariè non accidit, nisi inter paucos.

37. Hinc fit ut miles gregarius non teneatur nisi de damno, quod ipse per se in bello iniquo dedit : non autem ad totum illius belli ( quod est contra Covarr. reg. *Peccatum*, 2, part. § 12, n. 2, et Josephum Angles in 4, difficultate 10, de Restitut. ex bello), quia totius damni causa non fuit, sed duntaxat suæ partis, ut rectè Silvest. v. *Bellum*, 1, q. 10, § *Sexta*, et Navarr. n. 22. Nec obstat quòd singuli juverint ad iniquam expugnationem et ingressum in urbem, quia solùm juverunt faciendo partem suam : non autem procurando ut alii suam in illo damno facerent, aut ut urbem expugnarent; undè sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis quam ipse intulit, ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro suâ parte. Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ tantùm partis, nisi aliâ ratione alios juverint vel incitaverint. Dux tamen tenetur ad totum, quod per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxit, vel si non direxit, saltem tenebatur ex officio impedire.

Petes : Quid, si dubium sit an alios tuo consilio vel laude permoveris?

38. Resp. : Communis ferè sententia doctorum est, te non teneri, quia melior est conditio possidentis. Cur enim tantum onus in te suscipias, si dubitas an causa damni fueris ? debet ergo moraliter esse certum. Idque locum habet in omni casu in quo dubitatur an causa damni fueris, si post diligentem inquisitionem dubium manet. Ita docent Silvester supra q. 6, in principio, ubi dicit esse sententiam communem, et Petrus Navarra l. 3, c. 4, n. 58, Joannes Medina, c. de Restit. q. 7, et multi alii ; et favet apertè S. Thomas q. 61, art. 7.

Sed contrarium docet Thomas Sanchez lib. 2 de Mat. disp. 41, n. 17, cum Covar., Clem. *Si furiosus*, 2 p. § 2, n. 1, et multis jurisperitis. Idem docet in Summâ lib. 1, c. 10, n. 44. Ratio ipsius est, quia cùm dubio nemo præsumatur delictum admissurus, L. *Meritò*, π. *Pro socio*, in hoc dubio an absque meo consilio Titius esset perpetraturus, præsumendum est non fuisse perpetraturum ; ac proinde ipsum meo consilio fuisse impulsum ac determinatum ad facinus ; quæ sententia videtur verior, quando reverà planè erat dubium an sine meo consilio vel laudatione fuisset facturus. Secùs, si in eo tales erant dispositiones, ut meritò possit præsumi per se facturus. Vide infra c. 27, dub. 3, num. 13.

## DUBITATIO V.

*Quo ordine teneantur isti in solidum restitutionem facere.*

39. Omissis variis sententiis, respondeo : Si aliquid ablatum sit, primo loco et antè omnes tenetur is, ad quem res furtiva pervenit, sive exstet in specie, sive non exstet, si tamen indè factus sit ditior. Ratio est, quia hìc obligatur ratione rei acceptæ, quæ obligatio in summâ ; nam ex alienâ, quamdiù exstat in specie, per se debetur, semperque clamat, ut dici solet. Si

consumpta sit, vel consumpta est bonâ fide ab eo qui ignorabat esse furtivam, et sic non tenetur, nisi quantùm ex eâ factus est ditior; vel consumpsit malâ fide, sciens esse alienam, vel certè dubitans; et sic tenetur restituere pretium, quia quòd consumpserit eam malâ fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur, perinde ac si exstaret; alioquin nova illa injuria liberaret eum à restitutione; cùm enim ipse ex eâ re commodum sciens et volens perceperit præ reliquis, par etiam est, ut præ aliis quoque veniat in onus restitutionis.

40. Si aliquis ex sociis damnum compensaverit, illi restituenda est res illa vel pretium ejus, non domino, quia in jus domini successit. Vide Cajetanum q. 62, art. 6, et Covar. reg. *Peccatum*, p. 2, § 12.

41. Dubium tamen est, an is qui bonâ fide rem furtivam emit, possit eam furi restituere, ut pretium redipiscatur, etiamsi dominus eam non esset recuperaturus, de quo infra c. 14, dubit. 3. Si verò nihil ablatum sit, sed tantummodò damnum irrogatum, primo loco tenetur is qui coegit, vel fraude induxit, vel qui impetravit, cui alter non fuit ausus contradicere, ut si dux imperet militi ut occidat, incendat, spoliet; si quis persuadeat id esse licitum, si conviciis impellat. Ratio est, quia hic injustè conjecit alterum in obligationem restitutionis; undè si hic restituit, executor, vel his qui hoc modo inductus est in maleficii societatem, non tenetur quidquam ei refundere, quia hic inductor totum debet compensare.

42. Pari modo tenetur primo loco qui suo nomine fecit, vel rogavit fieri, vel suasit. Primò, quia is cujus nomine fit, est causa principalis, quæ instar finis et efficientis moralis movet cæteras : ergo tenetur antè cæteras. Secundò, quia qui commodi vel honoris vel oblectamenti sui causâ cupit fieri maleficium, implicitè hoc ipso censetur in se totum onus restitutionis suscipere; par enim non est, ut onus et obligationem maleficii in alios rejiciat, qui suâ causâ illud fieri postulat, ut si roges Petrum ut interficiat tuum inimicum: in hoc casu vera est sententia Cajetani, Soti et Bannesii, quâ affirmant eum qui alios induxit, teneri primo loco, et inductos non teneri illi quidquam refundere.

43. Adverte tamen esse quamdam sententiam, quam Petrus Navarra l. 3, c. 4, n. 101 et sequentibus, multis rationibus confirmare nititur : nempe hunc non teneri primo loco, quin executor et alii teneantur suas partes conferre, etsi minores, v. g., damnum sit 6 aureorum : is qui jussit suo nomine fieri, tenebitur in restitutionem conferre 3, executor 2, laudator 1. Ratio præcipua est, quia omnes isti verè concurrunt ad damnum inferendum; ergo etiam concurrere debent ad restitutionem. Quæ sententia non est improbabilis, maximè quando executor mercedem habuit pro maleficio; tunc enim etiam suo nomine fecisse videtur. Contrarium tamen puto esse verius, quia qui maleficium suâ causâ fieri cupit, censetur etiam onus restitutionis in se recipere.

44. Secundo loco tenetur executor, quatenùs est executor.

Tertio loco, cæteri qui consilium dederunt, qui consenserunt, qui laudaverunt vel animaverunt, qui præbuêre recursum, et qui præstiterunt obsequium, instrumenta, comitatum. Probatur, quia executor, post eum qui jussit, vel suo nomine fieri voluit, est principalis; cæteri verò sunt causæ accessoriæ et secundariæ, fulcientes, et quodammodò servientes executori : quod enim faciunt, non suâ causâ faciunt, sed ut ipsum instruant et arment; alius enim ostendit viam perficiendi, alius utilitatem, alius laudem promittit, alius securitatem, alius obsequium et instrumenta præbet.

45. Unde sequitur primò, si executor restituerit, hos nihil teneri ipsi refundere, quia tenentur solùm in ejus defectum, quamvis, ut ante insinuavi, non sit improbabile, quòd cæteri teneantur illi ad aliquid refundendum, si illum induxerunt aliàs non facturum, et ipse non suâ causâ executus est. Ita enim tenent Cajetanus q. 62, art. 6, ad tertium argum., Bannes ibidem art. 7, et Sotus lib. 4, q. 7, art. 3; ubi etiam dicit : Si auctor non intentaret malum, nisi comitatus sociis, socii tenentur ei restituere. Ratio illorum est, quia qui inducunt aliquem ad maleficium, sunt causa cur ille incurrat obligationem restitutionis; similiter qui comitantur eum qui aliàs non auderet. Sed quod diximus est verius; quamvis enim sint executori causa vel occasio mali, tamen quia nullâ vi vel fraude illum inducunt, non tenentur ipsi ratione hujus inductionis, neque censentur obligationem in se recipere, quia non suâ causâ fieri volunt.

46. Sequitur secundò, si executor noluerit, vel non potuerit restituere, teneri istos, quia succedunt in defectum executoris, sicut executor in defectum jubentis.

Sequitur tertiò, si isti solverint, executorem (secundùm veriorem sententiam) teneri illis refundere totum. Ratio est, quia solvendo successerunt in jus quod dominus habebat in executorem qui priùs tenebatur; unde sicut executor debuisset solvere domino ante ipsos, ita tenebitur ipsis solvere, qui jus domini in se transtulerunt, solvendo loco executoris : sicut si fidejussor, qui secundo loco tenetur, solvat, transfert in se actionem domini, quam habebat in principalem debitorem. Pari modo, si executor solverit, tenebitur ei jussor, vel is qui causâ suâ fieri voluit. Vide de his Silvestrum Restit. 3, q. 6, § 5, ubi, pro hâc sententiâ citat D. Thomam, Rosellam, et Supplem. Idem docet Covar. ad regulam *Peccatum*, p. 2. § 12, num. 3.

47. Sequitur quartò, si executor nomine omnium executus est facinus, omnes simul teneri primo loco, quia illorum causâ factum est, et illi, in hoc consentiendo ut sic fieret, tacitè in se receperunt obligationem; executor autem, quâ executor, tenetur secundo loco, quamvis ut unus illorum quorum nomine factum est, teneatur primo loco. Itaque si ipse restituerit in solidum, reliqui tenentur ei conferre suas partes : ita tamen ut ipse quoque pro suâ parte in

compensationem veniat non ut executor, sed ut unus illorum, quorum nomine factum est ; v. g., totum damnum sit 100 aureorum : omnes quorum nomine factum, comprehenso executore, sint 10, reliqui novem debent ei singuli 10 aureos.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm inter causas secundarias quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem, consentientem, animantem, receptatorem et subministrantem, sit aliquis ordo in restituendo.*

48. Petrus Navarra lib. 5, c. 4, n. 81, ponit inter has causas ordinem aliquem. Ratio ipsius est : Nam illa prior tenetur, quæ priùs et immediatiùs effectum attingit ; atqui inter has alia priùs et magis attingit, alia posteriùs et minùs : aliter enim attingit consultor, aliter laudator, aliter receptator. Idem docet Alcoçer in Summâ, c. 21, ubi primo loco dicit teneri imperantem et consulentem ; secundo, executorem ; tertio, receptatorem ; quarto, qui non impediunt, cùm ex officio teneantur ; quinto, custodem specialiter deputatum ; sexto, qui tacuerunt, ut testes juridicè interrogati.

49. Sed verius est non esse inter has causas secundarias ordinem talem, qualis est inter principalem et secundariam, ita ut unâ solvente, reliquæ maneant liberæ ; sed in defectum principalis, omnes hæ causæ videntur teneri æquè primò, sic tamen ut alia ad plus, alia ad minus teneatur. Ratio est, quia una non est operata ad damnum, tanquàm instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed quæque per se in suo ordine ; laudans enim non servit consentienti vel consulenti, nec ejus nomine agit, neque contra, ut suppono (si enim ponamus aliquem ex his alterius nomine agere, non tenebitur ille æquè primò, sed secundariò et in defectum illius cujus causâ egit, ut dictum est, quia ille in se suscipit obligationem). Itaque æquissimum videtur, si executor non restituat, ut isti omnes in locum ejus immediatè succedánt, et teneantur pro ratâ portiones conferre, majorem quidem is qui magis videtur executorem movisse, minorem, qui minùs ; unde is qui est causa sine quâ damnum non fieret absolutè, plus tenetur conferre quàm is qui solùm est causa sine quâ non fieret tali modo, id est, ita celeriter, audacter vel atrociter.

50. Ex quo ulteriùs sequitur quòd plus interdùm teneatur conferre consulens, quàm receptans vel consentiens ; et interdùm contrà, prout executor magis vel minùs ab hâc vel illâ causâ motus fuit. Et hoc videtur velle Petrus Navar. ; nihil enim aliud probat ejus ratio : omnes enim mediatè et secundariò attingunt effectum (non unâ mediante, alterâ ut instrumentum alterius), quamvis alia efficaciùs aliâ. Unde solùm sequitur aliam plus debere in restitutione, aliam minùs, non autem priùs vel posteriùs ; alioquin si receptator restitucret, cæteri nihil tenerentur ei refundere.

51. Ille autem ordo, quem ponit Alcoçer, non probatur, quia nulla est ratio cur receptator teneatur prior quàm superior consentiens, aut consultor, prior quàm receptator. Imò si quis ordo ponendus sit, post executorem, prior teneri videbitur superior consentiens, quàm consultor vel receptator, quia ille tenebatur etiam ex officio impedire ; unde dupliciter ex causâ tenetur, et quia consensit, et quia non impedivit.

## DUBITATIO VII.

*Quando plures sunt causæ damni æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ teneantur.*

52. Respondeo primò : Tenentur æquas portiones ad restitutionem damni conferre. Secundò, in defectum reliquorum, quisque tenetur in solidum. Tertiò, ei qui priùs solvit, tenentur reliqui, singuli pro suâ parte ; v. g., tres communi consilio incenderunt domum valentem 3,000 aureorum, quisque tenetur conferre 1,000 pro suâ parte : si duo nolint, tertius tenetur in solidum ; sed tunc habet jus exigendi 1000 ab utroque sociorum. Primum patet, quia cùm eodem modo et æquè principaliter ad damnum sint cooperati, æqualiter tenentur ad ejus reparationem ; ac proinde æquis partibus. Secundum patet, quia quisque cooperatur ad totum damnum : ergo in defectum sociorum tenetur ad reparationem totius.

53. Tertium patet, quia jus quod habebat dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum qui pro sociis satisfecit ; non enim pro eis satisfecit ut essent omninò liberi, sed quia illis nolentibus, tenebatur domino restitutionem procurare ; ergo potest ab illis repetere quod nomine illorum domino dedit, quodque ipsi dare debuissent. Confirmatur primò : Quia in hoc rectè eorum negotium gessit, ac proinde ipsi ratum habere tenentur. Secundò, quia dùm nolunt solvere, non solùm creditori, sed etiam socio injuriam faciunt, cogentes eum solvere pro ipsis ; ergo potest ab ipsis repetere.

54. Tertiò, quia aliàs pejor esset conditio ejus quem priùs pœnitet. Nec obstat quòd ipse alios induxerit ad damnum inferendum, quia si non imperavit, nec coegit, nec induxit in suî gratiam, ut facerent, sed ob communem utilitatem, omnes censentur eodem gradu et loco cooperari ; nec quisquam videtur totum onus damni in se recipere ; unde singuli ad suas portiones conferendas eodem gradu tenentur ; ac proinde qui totum solvit, potest à cæteris suas partes exigere.

55. Contrarium tenent Cajetanus, Sotus, et Bannes supra, nempe eum qui induxit alios, non posse exigere ab illis ut partes conferant, eò quòd ipsis sit causa damni, inducendo in societatem maleficii. Sed quod diximus est verius, quia non fecit illis injuriam, sed volentes et consentientes induxit.

56. Ex his sequitur non esse universè verum, quod docet Angelus v° *Furtum*, num. 16 : *Uno solvente, cæteros non teneri illi refundere, nisi fuerint causa sine quâ ille qui solvit, non fuisset inductus in*

*crimen*; etsi enim hoc sit verum in principali auctore solvente, respectu executoris, et in executore, respectu reliquorum, ut dictum est, non tamen est verum in duobus executoribus, vel consultoribus, vel laudatoribus, etc., quorum alter non induxit alterum in crimen : neque, in laudante, consentiente, consultore, etc., quorum alius alium non induxit, sed tantùm induxerunt executorem. Fateor tamen, in foro externo non dari actionem in socios, propter commissum crimen; et hoc est quod significatur l. *Si plures*, 17, π. de dolo, quam citat Angelus.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm, si is qui damnum accepit, uni sociorum obligationem restituendi condonet, reliqui maneant liberi.*

57. Respondeo et dico primò : Si condonet auctori principali, qui secundo loco tenebantur, manent liberi. Est communis sententia doctorum. Patet, quia hæc remissio est instar solutionis (unde solet à jurisperitis vocari acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio); atqui solvente eo qui primo loco tenebatur, cæteri manent liberi, ut patet ex dictis : ergo, etc. Vide Medinam q. 8, dub. 3, et Sotum lib. 4, q. 7, art. 3, in fine.

58. Dico secundò : Si remittat ei qui secundo loco tenebatur, non ideò liberatur is qui primo loco. Ratio est, quia obligatio principalis auctoris non pendet ex obligatione secundarii, sed contra : quo fit ut, secundario solvente, teneatur ei principalis ex integro; solvente autem principali auctore, secundarius nihil teneatur ei rependere.

59. Dico tertiò : Quando plures eodem gradu tenentur (id est, æquè primò, vel æquè secundariò), etsi uni perfecta fiat remissio, non ideò cæteri sunt liberi à suarum partium restitutione. Ratio est, quia obligatio unius non pendet ab altero, sed omnes æquè mediatè vel immediatè se habent ad damnum.

Sed difficultas est, quantum quisque debeat, si id quod superest, in solidum sit compensandum : v. g., Titius, Stichus et Caius intulerunt damnum 300 aureorum, et Caio fit remissio.

60. Resp. Stichum et Titium debere suas partes, nempe utrumque seorsim 100. Quòd si Titius nolit restituere, vel non possit, Stichus non tenebitur ad totam portionem Titii, sed solùm ad dimidiam, nempe ad 50; unde in universum ut restitutionem faciat, non tenebitur, nisi ad 150; non autem ad 200 vel 300. Ratio est, quia alterum dimidium portionis Stichi, quia non volebat vel non poterat restituere, ferre debet Caius, cui facta est remissio; nam eam ferre debuisset, si nulla remissio facta fuisset; atqui per remissionem non possunt socii gravari, sicut nec per solutionem.

61. Itaque dùm Caio fit remissio, triplex remissio ei fieri intelligenda est: primò, ejus partis quam deberet, cæteris conspirantibus ad restitutionem, nempe 100 aureorum; secundò, partis quam deberet, uno recusante restitutionem, nempe 150 : si enim Stichus noluisset restituere, tunc Caius cum Titio debuisset restituere in solidum, collatis utrimque 150; tertiò, totius quod debuisset solvere, utroque socio resolutionem recusante, nempe 300.

## DUBITATIO IX.

*Quomodo censeatur quis causa damni negativè.*

62. Respondeo : Si non impediat damnum, dùm ex officio tenetur. Hoc fit tribus modis, qui notantur his verbis, *mutus, non obstans, non manifestans. Mutus* dicitur qui omittit præcipere, si erat superior; consulere, si consultor; clamare aut strepitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum. *Non obstans* dicitur, qui omittit opem vel operam, quâ poterat damnum impedire, et quam ex officio tenebatur navare, ut principes, magistratus, præpositi viarum, et similes. *Non manifestans* dicitur, qui, cùm eo officio teneatur, omittit manifestare malefactorem, sive ante factum, quando damnum erat impediendum, sive post factum, quando sarciendum, ut custos rei custodiendæ deputatus : ita passim has causas explicant Sotus, Cajet., Silvest., Medina et Navarrus supra.

## DUBITATIO X.

*Utrùm qui hoc modo causa damni fuêre, semper teneantur ad restitutionem.*

63. Cajetanus verbo *Restitutio*, c. 1, § *Adverte quòd in his tribus*, putat etiam eos teneri ad restitutionem, qui etsi ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione articuli necessitatis, et facilè poterant sine suo incommodo damnum impedire, ut si scias aliquos statuisse spoliare domum, vel occidere, et nisi indices, sequetur damnum. Ratio est, quia talis censetur causa illius damni, saltem indirectè, quod sufficit. Idem tenent Angelus verbo *Furtum*, n. 26, et Richard. d. 15, art. 5, q. 4, et quidam alii, cum hâc limitatione, si quòd non impedias, ex malo animo facias. Sed contraria sententia est communis, pro quâ

64. Dico primò, neminem ratione damni non impediti teneri ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio; colligitur hoc ex D. Thomâ q. 62, a. 7, ad 3, et docent Medina q. 9, Navar. c. 17, n. 18, Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 2, § 3, n. 5, qui dicunt hanc sententiam esse ferè communem. Ratio est, quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solùm obligatur ex charitate : atqui violatio obligationis ex charitatis legè nascentis, non inducit necessitatem sarciendi damni; id enim proprium est vinculi justitiæ, ut omnes tradunt.

Dices primò, cap. *Quantæ*, de sent. excommunic., Innocent III, dicit *eos qui consentiunt injicientibus violentas manus in clericos, et eos qui injiciunt, pari pœnâ condemnari ab Ecclesiâ*, nempe pœnâ excommunicationis. Secundò, cap. *Sicut dignum*, 6, de homicidio, Alexander III, ait : *Qui potuit hominem liberare à morte, et non liberavit, occidit.* Tertiò, qui suadet alteri ne impediat furem vel latronem aggredientem aliquem, tenetur ad restitutionem : ergo etiam is qui non impedit, dùm facilè potest.

65. Resp. ad primum : Innocentius ibi loquitur de iis qui consentiunt vel non impediunt, cùm ex officio teneantur impedire, ut exponit Glossa, quanquàm non negaverim posse excommunicationem ferri etiam in talem, qui non tenetur ex officio. Inde tamen non sequitur eum obligari ad restitutionem : nam propter peccatum mortale potest quis excommunicari, non tamen obligari ad restitutionem.

Ad secundum : Dicitur *occidere*, sicut is qui non pascit fame morientem, nempe culpâ homicidii, ut est contra charitatem, non ut contra justitiam, c. *Pasce*, d. 87, ex Ambrosio.

66. Ad tertium : Medina, concesso antecedente, negat consequentiam, et conatur ostendere eum qui remotior est, interdùm teneri, quando propinquior non teneretur. Sed ex dictis cap. 12, dubit. 18, colligitur antecedens esse distinguendum : si enim is, qui suadet tibi ne latronem, qui invadit innocentem, impedias, id faciat sine vi aut fraude, non tenetur ad restitutionem, quamvis gravissimè peccet contra charitatem. Ratio est, quia non fecit contra aliquod jus justitiæ quod alter habeat, sed solùm contra charitatis debitum ; ille enim innocens non habet jus justitiæ ad tuum auxilium, nisi quatenùs in tuâ liberâ voluntate illud positum est. Unde quamdiù libertas tuæ voluntatis non impeditur, non fit ei injuria. Si tamen vi aut fraude impediret, tunc veram ei injuriam irrogaret.

67. Ad rationem initio allatam pro sententiâ Cajetani, respondeo eum qui tali modo est causa damni, solùm esse causam privativam, quæ cùm nullo modo influat in effectum, non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio obligata fuerit ad impediendum : si enim solùm ex charitate teneatur, solùm contra charitatem peccabit.

Sed quid si fur det tibi aliquid, ne impedias ipsius furtum, clamando vel manifestando, teneberisne ad restitutionem ?

68. Resp. primò, te non teneri ad restitutionem pretii, nisi fortè sit pars furti : hanc enim teneris restituere ratione rei acceptæ.

Secundò, quod ad compensationem damni attinet, Sotus l. 4, q. 7, a. 3, putat te etiam non teneri; quod probatur primò, quia non ideò magis obligaris ad impediendum, quòd pretium acceperis ut non impedias; secundò, quia recipiendo illud pretium, non facis injuriam ei quem fur parat invadere ; sicut non facis injuriam, dùm precibus tibi persuaderi sinis, ne maleficium impedias.

Contrarium videtur verius, quod tenent Petrus Navarra, l. 3, cap. 4, num. 132, et Salonius pag. 273. Ratio est, quia hìc non solùm est non impeditio, sed etiam actus positivus, quo animat furem ; sine quo vel non fecisset, vel non tam audacter et securè fecisset. Aliud enim est, non impedire, aliud externo aliquo signo animare et securiorem reddere ; accipiendo autem pretium, videtur spondere securitatem. Quòd si solùm non impediret, non teneretur, etiamsi pretium accepisset, ut benè probant argumenta.

69. Dico secundò : Omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpâ gravi negligant, tenentur ad restitutionem. Est communis sententia doctorum. Probatur, quia illi ex justitiâ debent illum actum impeditionis damni : ergo omissio ejus est contra justitiam ; ergo si ex illâ omissione sequatur damnum, omittens est causa illius damni contra justitiam. Consequentia patet, quia, sicut damnum, quod sequitur ex injustâ commissione, est injustum; ita etiam quod sequitur ex injustâ omissione. Unde, sicut teneris ad reparationem damni quod alteri datur ex opere tuo, contra jus ipsius facto, seu contra justitiæ debitum commisso, ita etiam teneris ad illud quod datur ex omissione, quæ sit contra jus ipsius, seu contra debitum quo ipsi obligaris ; quo modo debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstitâ solutione debitâ, ut rectè Medina, q. 8.

70. Ex his infertur primò, principes, magistratus, prætores et duces belli, teneri ad restitutionem, si omittant impedire furta, latrocinia, injusta monopolia, et similia damna, cùm possint sine suo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris. Ita Silvester, rest. 3, q. 5, et alii doctores. Ratio est, quia ex officio, ac proinde lege justitiæ commutativæ tenentur, tanquàm ad hoc conducti : ideò enim stipendia et honores à republicâ accipiunt. Dico : *Sine notabili detrimento*, quia non tenentur impedire damnum minus, cum suo majori vel æquali; ita enim censentur reipublicæ operàm suam veluti locâsse, ut gravia communitatis damna (ut sunt latrocinia, hæreses et similia) teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo, quia talia longè præponderant damno privato ; damna verò privatorum, quando id facere possunt sine pari damno suo.

71. Infertur secundò, idem dicendum de omnibus illis qui per modum contractûs sese ad alicujus rei custodiam obligârunt, stipendia ob eam causam accepturi ; nam lege justitiæ tenentur custodiam præstare ; unde, si omittant, tenentur damni secuti, sive ab hominibus inferatur, sive à feris, ut custodes hortorum, vinearum, saltuum, stagnorum, etc. Debet tamen damnum istud esse magni momenti, et dominus justâ ratione invitus ; unde si custos permittat aliquid pauperi, non ideò statim tenebitur. Vide Navarrum, cap. 17, num. 122 et 123.

72. Sed difficultas est, utrùm, si pœna sit constituta in eos qui certo loco venantur, lignantur, pascunt, aut certas merces exportant aut important, aut vectigal non solvunt, custodes dissimulantes aut non accusantes teneantur eam compensare? Quidam putant teneri : ita Petrus Navarra, l. 3, c. 4, n. 142 ; Solonius, q. 62, a. 6, controvers. 5; colligitur ex Soto, lib. 1, q. 6, a. 6, in fine quartæ solutionis. Ratio est, quia non accusando, vel non apprehendendo, sunt causa damni suis dominis, à quibus stipendia accipiunt, quorum tenentur commoda procurare : cùm enim domini, hoc ipso quo quis contra legem hujusmodi pœnalem delinquit, jus acquirant ad mulctam pecuniariam, tenentur ipsi hoc jus non negligere ; quod

si negligant, peccant contra justitiam, ac proinde tenentur de damno secuto. Hæc sententia est probabilis.

73. Contrarium tamen videtur verius : hos custodes non teneri mulctam dependere, quæ delinquentibus irroganda erat. Ita Navarrus, cap. 25, num. 34; Silvester, restit. 3, quæst. 5. Idem tenuit S. Bernardinus, teste Silvestro et Navarro. Ratio est, non quòd pœna non debeatur ante sententiam, ut videtur velle Navarrus (non enim hìc agitur de solutione pœnæ, sed de damno dato, vel commodo contra officium neglecto), sed quia custodes hujusmodi non tenentur ex justitiâ accusare, ut dominus vel respublica ditetur mulctis, sed solùm ut damna impediantur, et vectigalia solvantur; officium enim illorum non est mulctas procurare, sed vectigalia recipere, et res suæ custodiæ creditas indemnes præstare. Leges quoque pœnales et commissoriæ non sunt factæ, ut respublica ex pœnis locupletetur, sed leges serventur, et subditi officium præstent. Unde neque procurator fiscalis non accusans, neque judex non condemnans in tali casu, tenentur ad pœnæ illius compensationem.

74. Infertur tertiò, etiam teneri tutores et curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum et minorum; nam ex justitiâ ad hoc obligantur. Etsi enim stipendia non recipiant, tamen potestas publica, sive lege, sive imperio, potest hanc obligationem imponere, et ipsi tenentur admittere, et ubi admiserint, lege justitiæ sunt obstricti.

75. Similem obligationem contrahit famulus, quando ei domûs vel rerum custodia à domino demandatur; secùs est, si non demandatur. Nam non hoc ipso quo quis alteri famulatur, tenetur justitiæ lege res ipsius custodire, saltem contra domesticos : ad hoc enim non censetur se obligâsse, nisi is cui inter famulos ea cura speciatim est commissa. Unde si alium famulum videat aliquid surripientem, non tenetur lege justitiæ impedire, et consequenter nec damnum restituere. Contra externos tamen tenetur; nam ratione famulatûs censetur obligari ad res domini ab injuriâ externorum tuendas, ut rectè docet Sotus, lib. 4, q. 7, a. 3; et ita ferè habet communis gentium sensus. Cui verò domûs cura commissa, tenetur ex officio custodire, etiam contra domesticos.

76. Simili modo, multorum sententiâ tenetur testis, si, juridicè interrogatus, veritatem non manifestârit, unde fiat ut alteri damnum detur, vel antea datum non rependatur. Ratio est, quia testis tunc ex imperio judicis accipit obligationem et quasi officium manifestandæ veritatis; secùs, si interrogetur non juridicè, v. g., tanquàm amicus aut familiaris, aut si res sit occulta. Si tamen periculum vitæ, famæ vel rei familiaris inde illi impenderet, non teneretur, quamvis juridicè interrogatus : sicut nec judex cum pari discrimine tenetur damna privata impedire. Illud tamen de obligatione testis non est certum, imò contrarium videri possit verius; de quo infra, c. 30, dubit. 8, dicetur.

77. Petes, utrùm confessarii teneantur, si pœnitentem non cogant ad restitutionem, vel non moneant? Multi doctores docent teneri : Rosella, Restit. 2, num. 5; Angelus, Restit. ultimò, num. 5; Navarr. cap. 17, n. 22; Petrus Nav. l. 3, cap. 4, n. 125 : quam sententiam puto valdè probabilem, si loquamur de iis qui ex officio habent curam animarum, ut sunt episcopi et parochi. Ratio est, quia, cùm isti sint superiores, ex officio tenentur regere subditos, et pro modo suæ gubernationis impedire ne aliis damnum inferant (ideò enim decimas à populo et stipendia ecclesiastica percipiunt, sicut principes et magistratus seculares tributa et vectigalia); ac proinde tenentur curare, si commodè possint, ut restitutionem faciant; ejusdem enim rationis est damnum inferre, et illatum nolle sarcire : quare, cùm in hoc sacramento administrando id commodè possint procurare, si negligant, tenentur de damno ex omissione secuto. Sufficit autem ut ex culpâ latâ vel etiam levi negligant, ut rectè Petrus Navar.

78. *Levi*, inquam, non quæ ipsis levis sit, sed quæ levis esset in eo qui non tenetur ex officio, nec stipendia recipiet : quæ enim culpa est levis in eo qui facit non ex officio, est gravis in eo qui ratione officii et stipendii tenetur, quia majorem diligentiam præstare debet. Si verò loquamur de illis qui ex officio ad curam animarum non tenentur, ut sunt religiosi, verius est hos non teneri de damno secuto, etiamsi ex ignorantiâ vel negligentiâ pœnitentem non monuerint. Ratio est, quia administratio sacramenti pœnitentiæ, præcisè non obligat confessarium ad impediendum damnum tertii, sed solùm ad curandum bonum pœnitentis; et quamvis ex præsenti munere teneatur pœnitentem monere et instruere, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium (sicut superior tenetur), sed ex obligatione erga pœnitentem, quâ tenetur ejus salutem spiritalem procurare; unde si omittat, peccat contra debitum justitiæ, quo obstrictus est pœnitenti, non quo tertio.

His addo, idem probabiliter dici posse de episcopis et parochis, quia eorum obligatio, quâ lege justitiæ obstricti sunt populo, solùm videtur esse in ordine ad spiritalia, ut supra, cap. 9, dubitatione 13, dictum est.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm hi teneantur in solidum, et quo ordine.*

79. Respondeo et dico primò : Qui fuit causa damni, non impediendo, aliquo horum trium modorum, cùm ex officio teneretur, obligatur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum. Est communis doctorum. Ratio est, quia fuit causa sine quâ non totius damni; quod sufficit in causâ permissivâ : tunc enim causa permissiva dicitur verè causa, quando sine ejus permissu damnum non fuisset illatum, et ipsâ lege justitiæ tenebatur impedire; de quo plura 1-2, q. 6, a. 3.

80. Utrùm autem inter has causas sit aliquis ordo, non ita constat. Petrus Navarrus, num. 147, putat, primo loco, teneri superiorem qui non impedit damna, ut principes, magistratus, prælatos; sicut enim

in illis est primaria potestas impediendi, ita negligentia illorum censetur primaria causa damni; secundo loco, custodem rei; tertiò, testem qui rogatus non aperit veritatem, et eum qui tenetur ex officio dare consilium rectaque monita, et negligit. Quæ sententia videtur vera, si sint causæ damni æquè propinquæ. Alioquin custos rei particularis videtur priùs teneri quàm magistratus, qui solùm est custos universalis; quia hic adhibetur ut illius defectum suppleat, ejusque negligentia est causa propinquior damni, quàm negligentia magistratûs.

81. Dico secundò: Hæ causæ non impedientes, tenentur post omnes causas positivas, et in defectum earum succedunt. Ratio est, quia, sicut causa positiva est potior, magisque influit quàm permissiva, ita etiam priorem locum habet in restitutione. Confirmatur, quia causa positiva animat aliquo modo malefactorem, ac proinde positivè movet et inclinat ad damnum inferendum; causa autem permissiva nullo modo inclinat, sed solùm non impedit.

82. Quòd si contingeret malefactorem, consideratâ superiorum vel custodum præteritâ negligentiâ, animari, alia esset ratio; tunc enim causa permissiva esset instar causæ positivæ; ac proinde teneretur simul conferre in restitutionem cum positivis, non post illas.

## CAPUT XIV.

### DE RESTITUTIONE RATIONE REI ACCEPTÆ, ET CUI FACIENDA RESTITUTIO.

*( Habet dubitationes 9. )*

Explicavimus duobus capitibus quisnam teneatur restituere ratione injustæ acceptionis, eam immediatè exsequendo, vel mediatè cooperando. Nunc breviter dicendum de iis qui tenentur ratione rei acceptæ, quales sunt qui bonâ fide rem alienam apud se habent.

## DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm is qui bonâ fide rem consumpsit, vel alienavit, teneatur postea ad restitutionem.*

1. Respondeo, et dico primò: Quicumque habet rem alienam, quamvis optimâ fide illam hactenùs tenuerit, putans esse suam, simul atque tamen cognoverit esse alienam, tenetur ad ejus restitutionem primâ opportunitate, idque tantummodò ratione rei acceptæ. Ratio est, quia non potest retinere rem alienam invito domino. Hinc lex civilis concedit domino evictionem et vindicationem rei suæ, ubicumque ea fuerit.

2. Neque pretium, quod pro eâ dedisti, exigere à domino potes (l. *Mater tua*, 3, l. *Si mancipium*, 23, *c. De rei vind.*), quia par non est ut ipse rem suam emat (l. *Suæ*, 16, *π. De contrah. empt.*), sed illud tibi à venditore repetendum. l. 1, *π. De evict.* Quòd si eam, postquàm sciveris esse alienam, ulteriùs detineas, habitâ restituendi opportunitate, incipis esse possessor malæ fidei, et obligari non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquivalet iniquæ acceptioni; unde si interim pereat, quamvis casu, teneris ad restitutionem, quia censeris esse in morâ.

3. Dico secundò: Si is qui rem alienam bonâ fide possidebat, eam interim consumpsit vel alienavit, solùm tenetur restituere id quo inde factus est locupletior. Est communis doctorum Vide Cajetanum q. 62, a. 6; Medinam q. 10, de restitut., et Silv. *restitutio* 3, q. 7; Navar. c. 17, n. 7 et sequentibus. Ratio est, quia solùm tenetur ratione rei acceptæ, quæ cùm non ampliùs apud illum exstet, cessat quoque cum eâ ejus obligatio.

4. Hinc sequitur primò, si eam bonâ fide emit, et deinde eodem pretio vel minoris bonâ fide vendidit, ad nihil teneri; si verò pluris vendidit, ita ut rem familiarem auxerit, tenetur solùm restituere illud auctarium.

5. Secundò, si eam dono accepit et vendidit, tenetur restituere pretium, nisi fortè illud insumpserit in lusum vel largitiones, ita ut ex eo non sit factus locupletior; quod intellige, si alioquin talia impendia facere non constituerat; si enim jam decreverat, vel si necessarium erat impendere, quamvis illius rei pretium non obtigisset, jam pepercit rebus suis, quas impendisset; et sic censetur factus locupletior. Unde tenetur, quatenùs rebus suis, insumendo aliena, pepercit, ut si insumpsit decem aureos ex re alienâ, solùmque pepercit quinque ex suis, eò quòd non consumpsisset nisi quinque, non tenetur ad quinque, quia his tantummodò videtur locupletior.

6. Tertiò, si eam bonâ fide donavit, non donaturus aliam similem vel dissimilem, si hanc non habuisset, non tenetur ad quidquam, quia non est factus ditior. Secùs est, si aliam ex suis erat donaturus, quia tunc pepercit rei suæ, donando alienam, et ita compendium ex re alienâ fecit.

7. Quartò, si res periit durante bonâ fide, ad nihil tenetur, sive fortuitò, sive culpâ parvâ aut magnâ perierit, quamvis Navarrus, c. 17, num. 7, contrarium insinuet, dùm ait: *Si absque ipsius culpâ periit*; et Sotus, l. 4 de Just. q. 7, art. 2: *Si absque magnâ culpâ periit.* Ratio est, quia non tenetur ratione damnificationis, seu injustæ acceptionis (nam consumptio illius rei, vel negligens custodia, non est actio injusta, cùm bonâ fide se gerat erga illam, tanquàm erga rem suam); sed solùm tenetur ratione rei: ergo si res non exstet nec in se, nec in pretio, quomodocùmque id factum sit, non tenetur. Vide Silvestrum supra.

## DUBITATIO II.

*Utrùm possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere.*

8. Respondeo et dico primò: Tenetur restituere omnes fructus qui apud illum exstant, modò non sint fructus meræ industriæ. Ratio est, quia fructus hoc ipso quo proveniunt ex re tuâ, cedunt in tuum dominium, ut constat Instit. de rerum divisione, § *Si Titius*, et sequenti. Tales sunt qui sine ullo labore proferuntur, ut fœnum, glandes, poma, nuces, etc., et etiam qui interveniente labore, ut segetes, uvæ. In

his tamen detrahendæ sunt expensæ. Fructus autem nudæ industriæ non sunt restituendi, ne quidem à malæ fidei possessore, ut si quis alienâ pecuniâ negotiatus sit, ut supra dictum est.

9. Dico secundò : Si fructus quidem non exstent, tamen illis factus sit locupletior, tenetur quatenùs locupletior, sive illi fructus fuerint merè naturales, sive mixti, id est, ex re, mediante industriâ, provenientes. Ita Gabriel in 4, d. 13, q. 2, a. 3, dubio 5 ; Joannes Medina, c. de restit. q. 10 ; Covarr. lib. 1 Variar. cap. 3, num. 6, et alii passim. Ratio est, quia fructus debentur domino, detractis expensis ; in locum autem fructuum succedit eorum pretium, quâ parte eo factus est ditior : idque servandum esse in foro conscientiæ, docet Silvester verbo *Fructus*, quæst. 1.

10. Adverte tamen, in quibusdam tribunalibus, fructus mixtos non exstantes (etsi inde factus sis ditior ) judicari non esse restituendos, ut refert Covarruvias, lib. 1 Variar. cap. 3, n. 6 ; quæ etiam est multorum jurisperitorum sententia, ut ibidem docet, nec videtur omninò improbabilis ; nam quædam jura huic videntur favere, Institut. de rerum divisione, § *Si quis à non domino*, l. *Quæsitum*, 40, π. de acquirendo rerum dominio. Contrarium tamen, quod diximus, puto verius, quia est communis sententia, et firmiore nititur ratione, et favet apertus textus. L. *Si et me et Titium*, 32, π. *Si certum petatur*. Ad jura illa responderi potest esse intelligenda eo casu quo non sis factus locupletior.

11. Dices : L. *Qui scit*, 25, § ult., π. de usuris, dicitur, *bonæ fidei emptorem, qui, priùsquàm fructus perciperet, cognovit fundum alienum esse, censeri adhuc bonam fidem habere, ut fructus suos efficiat, donec fundus evictus sit* : ergo etiamsi exstent, potest retinere.

Resp. hanc legem non videri æquam seu veram ; certum enim est, simul atque quis novit rem esse alienam, non posse fructus ejus suos facere, ut apertè colligitur l. *Qui bonâ fide*, 23, et l. *Bonæ fidei*, 48, π. *De acquirendo rerum dominio*, quia fructus cedunt solo, ut supra ostensum est. Neque mirum. interdùm in Pandectis hujusmodi antinomias reperiri, quas frustra nituntur interpretes conciliare, quia hoc opus collectum est ex plurimorum jurisconsultorum responsis, qui sæpè contraria sentiebant, et collectores non poterant in tantâ voluminum et sententiarum multitudine semper meminisse quid alibi posuissent. Vide Covarruviam supra, num. 7.

12. Dico tertiò : Possessor bonæ fidei non tenetur ad restitutionem fructuum quos ratione negligentiæ suæ non percepit, sicut tenetur possessor malæ fidei. Probatur, quia cùm non sit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptæ, et cùm non fuerit causa injusta damni domino obvenientis (sicut possessor malæ fidei, injustâ detentione), non tenetur ratione injustæ acceptionis.

## DUBITATIO III.

*Utrùm si emeris rem furtivam bonâ fide, tenearis eam domino reddere ; an verò possis dissolvere contractum, recepto pretio.*

13. Respondeo, et dico primò : Si gratis eam accepisti, teneris, ubi cognoveris alienam, domino restituere ; nec potes reddere furi, nisi moraliter sis certus furem restituturum. Ratio est, quia teneris ratione rei acceptæ, quæ apud te est ; non furi, cùm non sit ejus : ergo vero domino. Nam restitutio, quæ facienda est ratione rei acceptæ, debet fieri illi cujus res est.

14. Dico secundò : Si bonâ fide eam emisti, ubi intellexeris esse alienam, poteris rescindere contractum, et reddere furi, à quo accepisti, ut pretium recuperes ; nec teneris tunc domino restituere. Ita docent Navarr. c. 17, 9 ; Silvester, v° *Restit.* 3, q. 7 ; Angelus, Restitutio 1, n. 1 ; Gabriel in 4, d. 15, q. 3, a. 3, dub. 5, ubi citat Hostiensem ; Alex. Halensis, 4 p., q. 86, membro 3, art. 5.

Probatur primò, quia nullam injuriam intulisti domino hanc rem emendo et apud te detinendo, cùm bonâ fide egeris : ergo non potest dominus meritò ægrè ferre, tanquàm injuriâ affectus, si eam, ne pretium amittas, in eo statu in quo erat antea, constituas.

Secundò, quia hic contractus fuit omninò involuntarius ; error enim dedit causam contractui : nam si scivisses esse alienam, noluisses eam emere ; aut certè fuit non voluntarius, ita ut non voluntariè habens rem alienam : ergo potest contractum rescindere, et rem acceptam restituere, ut pretium recuperes. Consequentia probatur, quia talis contractus vel naturâ suâ est nullus, propter defectum voluntarii ; vel certè in irritum revocari potest, pro arbitrio ejus qui deceptus est, ut infra, cap. 17, dub. 5, dicetur. Tertiò, si quis inventam rem alienam in plateis sibi assumeret, et posteà adverteret eam sibi fore damnosam, posset reponere eodem loco : nec teneretur eam cum suo damno servare, ut domino restituatur : ergo, etc.

15. Adverte tamen contrariam sententiam esse probabilem, quam tenet Cajetanus, 2-2, q. 62, art. 6, Sotus, l. 4, q. 7, a. 2, et Covar. ad reg. *Peccatum*, 3 p. in initio, et lib. 1 Variar., cap. 3, n. 6, quorum hæc sunt præcipua argumenta :

16. Primò, si talis emptor rei alienæ potest eam furi reddere, ut pretium recuperet : ergo, si fur non inveniretur, vel si obiisset, posset eam alteri vendere, ne damnum patiatur.

Resp. negando consequentiam, quia, si non inveniatur à quo illam emit, jam non potest contractum rescindere, nec rem in eodem statu constituere ; unde tenetur eam domino reddere, quia neque potest eam retinere, cùm sit aliena, neque potest eam vendere, cùm ejus dominium transferre non queat, neque etiam potest à domino pretium exigere, quia nullum jus habet in dominum, cùm sine domini culpâ ad ipsum pervenerit ; sed tantùm jus habet in venditorem, ac proinde ab hoc solo potest damnum suum sarcire, et non alio.

17. Secundò, qui rem furtivam reddit furi, cooperatur ipsius iniquæ detentioni : ergo, etc.

Resp. negando antecedens ; utitur enim jure suo, ut se indemnem præstet, relinquens furem suæ conscientiæ ; non enim suadet ut non restituat ; quin potiùs illi præbet restituendi exemplum ; neque etiam dat occasionem novi peccati, quia fur jam ante non constituerat restituere.

18. Tertiò, si dominus rei posset convenire talem emptorem coram judice, judex eum condemnaret ad restitutionem : ergo etiam antea tenebatur restituere.

Resp. negando consequentiam ; ideò enim condemnabitur emptor ad restitutionem, quia res aliena apud ipsum reperitur. Judex enim statim inquirit à quo eam emerit : qui si potest inveniri, jubet, non ut illi restituat (quia non vult dominum rei per istas ambages ducere) sed ut restituat domino, cujus est, et ipse si velit pretium ab illo recuperet. Judices enim, id quod est expeditissimum sequi solent : si ille inveniri nequit, jam æquè tenebitur domino ; quòd si furem sciens, nolit ipsum detegere, meritò à judice in pœnam condemnatur, ut rem domino, non furi, restituat.

19. Dico tertiò : Si malâ fide rem emisti, ut tibi retineres, sciens vel dubitans esse furtivam, teneris eam domino restituere. Ita docet Navarrus, Cajet., Sotus et Covar. supra. Ratio est, quia iste tenetur non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis ; accepit enim rem alienam invito domino, sciens vel dubitans esse alienam ; ergo, etiamsi periret, teneretur de damno : ac proinde tenebitur eam domino reddere, etiamsi oporteat pretium amittere. Confirmatur, quia cùm sciverit esse alienam, et nihilominùs voluerit emere, censetur damnum in se voluisse suscipere, et jure suo cedere, quod habuisset ad contractum dissolvendum, si alienam esse ignorâsset. Itaque sibi imputet, quòd pretium dederit pro eâ re, quam sciebat restitutioni obnoxiam.

Petes utrùm saltem possis repetere pretium, quod pro eâ dedisti ?

20. Resp. : Si eam sciens esse alienam parvo pretio emisti, ut domino invento restitueres, pretium repetere potes, et dominus in conscientiâ tenebitur reddere, et in foro externo etiam cogetur, ut colligitur Instit. *de Obligationibus*, *quæ quasi ex contractu*, § 1, et l. 2. *Si quis absentis*, π *de Negotiis gestis*. Ratio est, quia utiliter gessisti negotium domini : non enim dedisti pretium ut rem tibi retineres, sed ut eam periculo in quo erat eximeres, ne domino periret. Vide Covarruviam ad regul. *Peccatum*, 3 p., in initio num. 5. Si magno vel penè æquali in eumdem finem comparâsti, non tenetur dominus totum refundere (nisi fortè prudenter putaveris eam longè pluris valere) quia nihil utilitatis tali emptione domino attulisti, ne utiliter ejus negotium egisti, tenebitur tamen ad ali quid arbitrio prudentûm, nimirùm quantùm prudenter, gerendo negotium ipsius, impendere potuisti. Colligitur d. l. *Si quis absentis*, π. *de Negotiis gestis*. Si verò eam tibi emisti, non potes pretium repetere, quia neque nomine venditionis (non enim domino rem suam vendere potes), neque nomine gestionis negotii, quia non ejus causâ emisti. Colligitur ex l. *Si pupilli*, 6, § *Sed et si quis negotia*, π. *Supra*. Vide Gabrielem et Silvest. supra.

21. Circa hanc tertiam propositionem notandum primò, contrariam sententiam, nempe etiam eum qui malâ fide emit, posse contractum cum fure initum rescindere, ut pretium redipiscatur, non videri improbabilem ; eam enim tenent Alexander Halensis, Gabriel, Angelus et Silv. supra. Ratio illorum est, quia sibi quisque consulere potest præ altero, præsertim cùm rescindendo contractum non constituat rem pejori loco, quàm erat antè. Hæc sententia videtur valdè rationi consentanea, quando rescinditur ex continenti, vel non ita diù postquàm est initus, quia non censetur notabilem injuriam domino fecisse, rem ipsius tantisper contrectando.

22. Notandum secundò, ea quæ hisce tribus dubitationibus dicta sunt, potissimùm esse intelligenda de rebus alienis, quæ propriis non sunt ita permixtæ, ut discerni nequeant. Quæ enim ita permiscentur ut non possint discerni, transeunt in dominium ejus, cujus rebus permixtæ sunt, et perit obligatio realis, solùmque manet personalis, juxta Silvestrum usurâ 6, q. 1, Joan. Medinam, q. 10 de Restitutione, et Angelum, v. *Usura*, 2, n. 18, quorum sententia est probabilis et consentanea legi, *Si alieni nummi*, π. *de Solutionibus*, ubi de alienis nummis dicitur : *Si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit, in libris Cæi scriptum est : ita ut actio domino cum eo qui dedisset, furti competeret.* Ratio est, quia in talibus non est causa cur potiùs hæc pars quàm illa censeatur aliena. Itaque si emeris frumentum, oleum et similia, quæ furto sublata fuêre, et rebus venditoris ejusdem generis permixta, non teneris ad restitutionem, etiamsi id scias, et res apud te adhuc exstet, ut docet expressè Medina quæst. 10. Verùm de hoc plura infra cap. 20, dub. 18, num. 156 et sequentibus.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm si dubites an res sit aliena, possis eam accipere, retinere, alienare.*

23. Respondeo, et dico primò : Qui initio bonâ fide rem accepit vel habuit, si postea incipiat dubitare an sit aliena, tenetur inquirere veritatem, et manente dubio post inquisitionem, non tenetur restituere, sed manet in possessione bonæ fidei. Ita Joannes Medina, q. 10, et Silv., Restitutio 3, q. 7, § 3, Gabriel supra, et alii. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis : unde nisi moraliter certus esse incipiat alienam esse, non tenetur eâ se privare ; vide cap. 6, dubit. 3, de præscriptione. Hinc sequitur, si rem illam, domino post diligentem inquisitionem non invento, vendat, non teneri postea illo comparente ; ut rectè Silvester, Gabriel et alii. Ratio est, quia neque tenetur ratione injustæ acceptionis, cùm bonâ fide illam habuerit et vendiderit, neque ratione rei acceptæ, ut quæ nec per se ipsam, nec per aliquid sui, quod vicem ejus suppleat, apud ipsum exstet. Quod addo,

quia si ipse ex eâ factus est locupletior, eatenùs tenetur; res enim ratione illius accessionis, quæ ex eâ rebus illius facta est, censetur adhuc exstare.

Dices : Quid si occurrente dubio, non instituit inquisitionem, et postea certò deprehendat rem fuisse Titii?

Resp. : Tunc tenetur Titio restituere non solùm rem illam, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore quo dubitare cœpit : ratio est, quia ex quo exortâ dubitatione an esset aliena, cœpit negligere inquisitionem, non fuit ampliùs possessor bonæ fidei, sed malâ fide et contra conscientiam suam rem illam cum eâ animi dispositione possedit. Deinde ex justitiâ tenebatur veritatem inquirere; unde omissio illa seu negligentia fuit contra justitiæ legem : quare tenetur damni, quod ex eâ omissione vero domino obvenit.

24. Dico secundò : Qui dubitat utrùm res sit aliena, potest nihilominùs eam accipere titulo donationis, permutationis, emptionis, etc., modò eo animo accipiat, ut eam domino, si post diligentem inquisitionem invenerit, restituat. Ratio est, quia in hoc nullam facit domino injuriam, sed beneficium; nam alioquin fortassè nunquàm fuisset restituenda.

25. Dico tertiò : Quòd si non eo animo eam accipiat, sed potiùs ut sibi retineat, peccat quidem, ut supra dictum est, non tamen tenetur eam statim restituere, sed mutato animo, debet diligenter an aliena sit inquirere, et ubi moraliter certus fuerit alienam esse integrè restituere cum fructibus etiam consumptis : si autem aliquid dubii remanserit, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, dividere, plus vel minùs pro ratione dubii et inclinationis animi illi assignando : qui si sit persona nota, ei sua pars tribuenda; si verò sit ignota, pauperibus. Ita Cajetanus, q. 62, art. 5, Sotus, lib. 4, q. 7, art. 1, circa tertium argumentum; Joannes Medina, quæst. 17.

**Ex dictis sequitur**, si accipias rem aliquam ab eo qui bonâ fide possidebat, neque moraliter certus sis tuam esse, non posse te retinere, sed totam debere restituere; quia in dubio possessio illi favet, ita ut nisi moraliter certum sit ejus non esse, non possit eâ spoliari; et ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes judicatur. Si verò neuter possidebat, vel alter non bonâ fide possidebat, non potes in dubio totam tibi vindicare, sed prout animus magis in hanc vel illam partem inclinat, restitutio ex eâ facienda; quare in pari dubio, poteris retinere dimidium. Si probabilius putes esse alienam, ei major pars reddenda; si tuam, tu majorem retinebis, idque secundùm varios gradus, qui in hoc assensu esse possunt; cùm enim neutri possessio suffragetur, res ex conjecturâ et opinione juris utriusque partis statuenda est.

## DUBITATIO V.

*Utrùm qui bonâ fide rem alienam, quam ab alio emerat, vendidit, domino comparente, teneatur contractum venditionis rescindere, reddito pretio emptori cui vendidit, an sufficiat cedere ei suâ actione.*

26. Navarrus, cap. 27, num. 8, existimat satis esse ut cedat ei suâ actione; v. g., emi equum à Petro, et vendo eum Paulo bonâ fide; deinde rescitur esse Joannis, eique restituitur : dicit Navarrus me non teneri refundere pretium Paulo, cui vendidi, à quo Joannes recuperat equum, sed sufficere ut ei cedam actione quam habeo in Petrum, à quo emi. Sed contrarium est tenendum; nempe ubi constiterit rem esse alienam, et Paulus voluerit idcircò contractum rescindere, debere me esse paratum rescindere et pretium restituere. Ita docet Sotus, l. 4, q. 7, art. 2, et colligitur ex D. Thomâ, q. 77, art. 2. Probatur, quia qui vendit alteri rem vitiosam tanquàm bonam, ubi constiterit de vitio, tenetur se paratum exhibere, vel ad tollendum vitium, vel ad rescindendum contractum : sicut si quis daret bonâ fide monetam adulterinam, teneretur postea dare bonam, vel rescindere contractum; atqui hæc conditio esse alienum, est quoddam vitium rei : ergo, etc. Respondet Navarrus esse solùm vitium extrinsecum, rem verò intrinsecè non esse defectuosam; secùs esse in falsâ monetâ et similibus, quæ intrinsecum vitium habent.

27. Sed hæc responsio non satisfacit; nam nihil videtur referre sitne vitium intrinsecum an extrinsecum, quando reverà tale est, ut emptor meritò sit invitus faciatque ejus ignoratio emptionem involuntariam; tunc enim emptio est invalida, ac proinde rescindenda (si velit emptor), reddito pretio, ut cap. 17, dubit. 5, dicetur. Secundò, quia venditor tenetur emptori de evictione : nec potest illum ad alium ablegare, cum quo illi negotium non fuit; sed ipsemet tenetur illi satisfacere, ut constat ex l. 1, et multis aliis juribus, π. de evict. et c. eodem. Tertiò, quia venditor non potuit transferre dominium in emptorem, cùm res fuerit aliena : ergo etiam ex hâc parte contractus est invalidus, ac proinde tenetur ei pretium restituere, si ipse velit.

Dices primò : Quid si Paulus eam mox restituat, antequàm mihi exhibeat? teneborne ei reddere pretium?

28. Resp. : Non tenebor; si videlicet ex illâ redditione incurri damnum, non valens recuperare pretium à Petro, quod tamen potuissem recuperare, si rem illam mihi à Paulo redditam, ei restituissem. Si enim Paulus volebat à me pretium recuperare, debebat mihi rem illam restituere, ut ego me indemnem servarem, juxta ea quæ diximus dub. 3. Quòd si illa accelerata restitutio non sit causa cur ego nequeam pretium à me datum Petro, redipisci, tenebor pretium quod accepi à Paulo, eidem refundere, quia vendendo ipsi rem alienam, ei causam damni dedi, et ipse suâ restitutione mihi vicissim damnum non intulit; sicut fecit, quando poteram me indemnem præstare.

Dices secundò : Quid si domino comparente, Paulus, qui rem habet, non inveniatur?

29. Resp. : Tunc ad nihil teneor, nisi ex venditione factus sim ditior, quia neque ratione rei acceptæ, cùm illam non habeam, et ex eâ factus non sim ditior, neque etiam ratione injusti damni, quia bonâ fide vendidi. Paulo etiam non teneor, quia nullum dam-

rum ex rei emptione, quam à me habet, incurrit, cùm bonâ fide illam retineat.

Dices tertiò: Quid si mihi innotescat post venditionem fuisse alienam? teneborne monere dominum, vel indicare Paulo esse alienam?

30. Resp.: Non teneberis, si inde tibi damnum impenderet, ut si non posses recuperare pretium quod bonâ fide dedisti. Ratio est, quia cùm rem alienam non habes, nec alicui sis causa damni injusta, non teneris cum magno tuo damno curare, ut dominus rem suam redipiscatur: si tamen absque tuo damno possis, teneris ex charitate.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm bona et debita incerta, id est, quorum ignotus est dominus vel creditor, sint pauperibus restituenda.*

31. Suppono primò, bona non censeri *incerta*, nisi post eam inquisitionem quæ judicio prudentis pro rei qualitate videatur sufficiens; major enim diligentia, et in pluribus locis et longiori tempore adhibenda, quando res est magni pretii, quàm dùm parvi. Quòd si quis ante debitam diligentiam præstitam, talia convertat in pia opera, postea domino comparente, tenebitur ei ad integram restitutionem, ut communiter docent doctores.

32. Suppono secundò, non censeri *incerta*, quando constat ea deberi certæ alicui communitati, vel toti, vel majori ejus parti; etsi enim in particulari non constet quid cui debeatur, tamen constat hæc esse illius communitatis, ita ut ipsa tota, vel major ejus pars jus in illâ habeat, et singuli vel plerique censeantur habere aliquid in illo cumulo: ut quando exercitus expilat injustè pagum vel oppidum; tunc enim restitutio facienda communitati, operâ magistratûs, episcopi vel parochi, ut hi distribuant iis qui in eo hominum cœtu majus damnum accepisse judicabuntur. Nec potest fieri in pauperes, aut in alia pia opera, quia hæc bona non censentur esse incerta. Item quando pauciores quidem ex illo conventu damno affecti sunt, tamen per aliquam industriam cognosci potest qui sint; videlicet operâ parochi vel magistratûs evocatis generatim ut compareant qui spoliati fuêre, et examinatis ubi, quando, quibus et qualibus rebus spoliati, etc.; quod faciendum est in rebus magni momenti, non tamen id necessarium in parvis, ut cùm quis minutis venditionibus fraudavit. Quando tali industriâ sciri nequit quibus debeantur, conferenda sunt in pauperes, sive illius loci, sive alterius. His positis,

33. Resp. et dico primò, bona *incerta*, id est, habentia dominum ignotum, et incerta debita, sive ex contractu, sive ex delicto, restituenda sunt in pauperes, saltem jure positivo vel consuetudine. Est communis DD. sententia, præterquàm de bonis inventis. Vide Covarruviam ad reg. Peccatum, p. 3, § 1, n. 3; Joan. Med. c. de Restit. q. 3, causâ 10; Navar. c. 17, n. 92 et 93, et alios.

*De incertis ex delicto* debitis probatur ex cap. *Cùm tu*, de Usuris: ubi Alexander III jubet, *ut ea, quæ usuris iniquè acquisita sunt, si non supersunt illi quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus; et usurarii eorumque hæredes ecclesiasticis pœnis ad hoc cogantur;* quod DD. communiter extendunt ad *incerta* ex aliis delictis debita, ut ex furto, rapinâ, damno dato, et iniquis contractibus, idque meritò, quia eadem vel etiam major est in his ratio: ne videlicet hominibus iniquis integrum sit, ex iniquitate et injuriis ditescere. Nomine autem *pauperum* intelliguntur non solùm mendici, sed etiam quibus necessaria ad decentem statum desunt, et etiam quævis opera pia; ut inter cæteros docet Navarrus c. 17, num. 93.

34. De debitis *ex contractu*, v. g., ex deposito, commodato, mutuo, venditione, etc., probatur, quia, etsi de his non exstet canon, tamen ubique est consuetudo piorum, ut hæc in pias causas expendantur, quando dominus inveniri nequit, ut animæ ejus prosit.

35. Sed difficultas est, utrùm etiam jure naturæ pauperibus piisve operibus hæc sint eroganda. Ferè omnes DD. ita sentire videntur: id enim sequi videtur ex ratione, quâ utuntur; aiunt enim hæc in pauperes esse restituenda, quia debitor jure naturæ tenetur hæc restituere eo modo quo potest; nempe ut vel ipsæ res, vel utilitas ex illis ad dominum perveniat: atqui hoc fiet, si dentur pauperibus ad salutem domini vivi vel mortui: ergo jure naturæ hæc in pauperes danda.

36. Verùm hæc ratio, etsi rectè probet, juri naturali, supposità fide, consentaneum esse ut sic erogentur, non tamen probat: id lege justitiæ esse debitum. Primò, quia fieri potest ut dominus in hæresi vel alio peccato mortifero obierit: quo eventu nihil potest ei prodesse. Secundò, quia in quibusdam locis fiscus principis occupat bona eorum qui intestati moriuntur, et nullum hæredem intra decimum gradum relinquunt. Item animalia incertorum dominorum oberrantia, si domini post diligentem inquisitionem inventi non fuerint, applicantur in Hispaniâ quibusdam magnatibus. Idem fit de cæteris inventis in Galliâ, teste Covarruviâ, supra n. 5; quæ omnia iniquissima essent, si jure naturæ pauperibus deberentur. Quòd si hæc illis non debentur, cur debeantur alia, cùm omnia æquè sint dominorum incertorum, nec minùs hæc quàm illa in dominorum utilitatem sint expendenda? Tertiò, quia fieri potest compositio cum pontifice super incertis, etiam injustè acquisitis, ut ea liceat retinere: quod signum est non esse jure naturæ pauperibus debita. Quartò, lex restitutionis est lex naturæ; atqui ratio naturalis non dictat hæc bona pauperibus esse debita: alioquin etiam apud ethnicos id dictaret; quod constat non esse verum.

37. Quintò, omnis restitutio, jure naturali debita, debetur certæ personæ vel certæ communitati; sicut etiam omne damnum et omnis injuria fit certæ personæ vel communitati: sed hæc incerta non debentur certæ personæ vel communitati; ergo non debentur jure naturali. Jure tamen positivo vel arbitrio humano, potest aliquid deberi in incertum; ut si tradam tibi aliquid distribuendum in pauperes vel alias pias

causas, in quas volueris, ex justitiâ teneris; et nisi distribuas, injuriam facis tum mihi, cujus rem retines; tum pauperibus in confuso.

38. Ex his satis patet, hæc jure naturali pauperibus vel piis causis non deberi. Unde cessante lege positivâ, vel consuetudine vim legis habente, bona incerta non necessariò sunt in pauperes eroganda. Itaque cùm solùm lex inveniatur de iis quæ ex delicto debentur, nempe de usuris, putat Petrus Navarra, lib. 4, c. 2, n. 47, ea quæ ex contractu debentur, posse tanquàm adespota, post diligentem inquisitionem, retineri : quæ sententia non est improbabilis, præsertim cùm non constet consuetudinem esse in contrarium. Contrarium tamen in praxi, tanquàm magis pium et communi doctorum sententiæ conformius, ordinariè judico sequendum.

39. Ad rationem pro contrariâ sententiâ allatam,

Resp. : Teneri quidem debitorem jure naturæ restituere rem eo modo, quo ipsa, vel utilitas temporalis ex eâ, seu pretium ad dominum pervenire queat : non tamen jure naturæ tenetur curare, ut si utilitas temporalis ad eum pervenire nequeat, proveniat illi utilitas spiritalis; quia lege justitiæ non tenetur damna temporalia compensare bonis spiritalibus, ut supra ostensum est. Fateor tamen valdè esse æquitati consentaneum, ut ita fiat; maximè quòd hæc etiam videatur esse tacita dominorum voluntas.

40. Petes : Quo jure potest pontifex de bonis incertis disponere?

Resp. primò, quia est supremus princeps in spiritalibus, cujus est de temporalibus suorum subditorum disponere, prout expedit ad bonum spiritale; quod maximè locum habet, quando ipsi domini de illis disponere nequeunt. Itaque potest hæc in pias causas ad salutem dominorum incertorum destinare. Secundò, quia potest debitores talium bonorum in pœnam injustitiæ vel etiam in favorem pauperum reddere incapaces, ne possint illorum dominium acquirere. Tertiò, quia talia bona ex tacitâ dominorum voluntate videntur in causas pias eroganda. Unde cùm pontifex sit communis parens pauperum et causarum piarum, maximè ad ipsum pertinet suâ lege curare, ut ita fiat. Hinc patet, potuisse pontificem dispositionem talium bonorum principibus secularibus subtrahere et sibi reservare; suâ lege statuendo, ut in causas pias conferantur, quod nisi fecisset, possent principes de his, sicut de thesauris, et aliis bonis domino carentibus, statuere. Ratio est, quia bona hæc incertorum dominorum, post diligentem inquisitionem, censentur tanquàm adespota; id est, quæ domino carent, quia non magis illis prodesse possunt, quàm si illorum non essent, et omninò domino carerent; unde si leges de his disponant, nulla fit dominis injuria.

41. Dico secundò, si is qui hæc bona habet, verè pauper est, poterit ea tanquàm unus è numero pauperum sibi retinere. Ita docet Scotus d. 15, q. 3, Cajet. q. 62, a. 5, et alii. Ratio est, quia non debet esse pejoris conditionis, quàm alii pauperes, præsertim si non intercessit ipsius culpa in re illâ acquirendâ, vel debito contrahendo. Quòd si culpa intercessit, meretur quidem eâ re privari; tamen paupertas est sufficiens ratio, cur possit illi per confessarium, vel etiam propriâ suâ auctoritate applicari; non enim est necesse, ut detur pauperiori vel sanctiori, quamvis id expediat, sed satis est ut detur pauperi, nomine paupertatis.

42. Ubi autem illi res hoc modo applicata fuerit, non tenebitur postea copiosior effectus, aliis pauperibus restituere; quia sibi eam causâ paupertatis vindicando, benè eam distribuit; juxta generalem intentionem ejus, cujus est de bonorum incertorum distributione statuere, scilicet pontificis, et domini incerti.

43. Petes, quid si dominus postea comparuerit?

Resp. primò : si aliis pauperibus post debitam diligentiam distribuisti, ad nihil ampliùs teneris neque enim ratione rei, ut quæ in tuâ potestate non sit ampliùs, neque ratione injustæ acceptionis, quia etiamsi injustè acceperis, tamen hæc culpa jam est abstersa per restitutionem factam iis et eo modo quo potuit et debuit in tali casu fieri.

Secundò, si eam tibi tanquàm pauperi assignâsti, teneris domino cognito, modò adhuc extet in se vel in pretio, idque quamvis sine tuâ culpâ illam habueris Ratio est, quia teneris ratione rei : nec es in tantâ necessitate, ut eam tibi possis reservare.

Tertiò, si verò ipsa nec in se, nec in pretio exstet, ad nihil teneris, præsertim si sine culpâ illam acquisiveras, quia qui bonâ fide rem alienam consumpsit, non tenetur, nisi quatenùs factus est ditior.

Quartò, si per culpam acquisiveras, adhuc probabilius videtur te non teneri, domino comparente, si post debitam inquisitionem animo restituendi factam, tibi tanquam pauperi applicâsti, eamque sic consumpsisti, ita ut nec in se, nec in pretio apud te exstet. Ratio est, quia neque ratione rei acceptæ teneris ut quæ neque in se, neque in pretio exstet, nec ratione injustæ acceptionis, quia culpa abstersa est per voluntatem restituendi, et diligentiam præstitam ut domino restitueres, et per restitutionem, quam tibi tanquàm pauperi fecisti.

44. Adverte tamen quosdam doctores tenere rem semel debito modo pauperi applicatam (etiamsi tibi ipse applicueris) non debere domino postea comparenti restitui, etiamsi in suâ specie exstet. Insinuat Petrus Navarra l. 4, c. 2, n. 57, et docet apertè Henriquez, de Indulgentiis c. 34, num. 8. Ratio esse potest primò, quia dùm applicata est pauperi, censetur in utilitatem domini restituta, et dominus tenetur hanc restitutionem ratam habere; secundò, quia per hanc applicationem transfertur dominium. Sed facilè ad has rationes responderi potest.

Ad primam, non tenetur dominus habere ratum, nisi donec rem suam inveniat, quia cum hâc tacitâ conditione debet fieri applicatio, videlicet, ut si dominus compareat, ei restituatur.

45. Ad secundam, negatur transferri dominium, nisi postea possideatur tempore necessario ad usucapionem, ut rectè Covarruvias; jura enim hunc modum transferendi dominium ignorant. Si tamen in aliquâ

provinciâ esset aliqua constitutio, ordinans ut sic dominium transferatur, non esset damnanda, quia dispositio talium bonorum subest auctoritati principum, nisi quatenùs pontifex eam sibi reservat.

46. Dixi in secundâ propositione : *Si is qui hæc bona habet, verè est pauper*, quia si solùm est pauper pro loco vel tempore, tenebitur postea, juxta communem sententiam, veris pauperibus ad restitutionem ; nam ex ordinatione Ecclesiæ et consuetudine piorum, veris pauperibus sunt distribuenda. *Pro loco* pauper est, qui alibi bona habet ; *pro tempore*, qui novit artem vel industriam, quâ facilè sibi necessaria ad statum comparare potest, vel aliunde ea proximè exspectat.

47. Advertendum autem est expedire ut quis in hâc distributione ( et præsertim quando sibi rem alienam reservat ) utatur consilio episcopi vel parochi, vel prudentis confessarii, quia facilè amor proprius in hoc negotio decipit ; absolutè tamen non est necessarium, nam sufficit ut prudenter fiat. Vide Silvestrum, v° *Restitutio*, 8, q. 5, et Medinam, q. 3, causâ 10, et Navar. num. 92, qui notat in quatuor casibus Episcopum se posse interponere.

## DUBITATIO VII.

*Cui facienda restitutio inventorum, habentium dominum sed incertum, et an inventor possit ea sibi retinere.*

48. Dominicus Sotus lib. 5 de Justitiâ, q. 3, art. 3, ad 2, putat inventorem, si post diligentem inquisitionem dominus inventus non fuerit, posse hæc sibi retinere, neque obstare ullum jus positivum ecclesiasticum aut divinum, quo hæc necessariò sint pauperibus eroganda.

Probatur primò, quia talia bona, hoc ipso quo per sedulam inquisitionem tempusque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota ; ac proinde jure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri et alia, quæ nullius sunt, nisi quòd tacita quædam obligatio illis annexa sit, ut si dominus compareat, restituantur.

Secundò, quia super hujusmodi bonis nunquàm solet fieri compositio cum pontifice, ut testatur Petrus Navarra l. 4, c. 2, n. 71, quod signum est ea non esse necessariò in pios usus eroganda. Eamdem sententiam sequitur Petrus Navarra l. 4, cap. 2, num. 75, qui pro eâdem citat Ledesmam, Mercatum, et Barthol. Medinam. Hæc sententia est probabilis.

49. Contraria tamen est ferè communis doctorum, nempe hæc pauperibus vel aliis piis operibus esse impendenda, eamque tenet D. Thomas, q. 62, art. 5, ad 3, et passim theologi in 4, d. 15, Silv. v° Inventum, n. 2, ubi dicit, *omnes canonistas ita sentire*. Navarrus c. 17, n. 170 ; Covar. ad reg. *Peccatum*, 3 p., § 1, n. 1, et seqq. ; qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi hæc magnatibus. Hanc sententiam ordinariè in praxi judico sequendam : primò, quia est ferè communis ; secundò, quia magis favet pietati ; tertiò, quia passim apud pios est consuetudo, ut piis operibus hæc impendantur : quæ consuetudo videri potest habere vim legis ; orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ usque ad Sotum viguit ; unde magnum scrupulum plerique si hæc sibi retinuerint, concipiunt. Quartò, quia est magis consentanea juri communi ; nam authent. *Omnes peregrini*, c. *Communia*, de success. statuitur : *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsius per manus episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur*, etc., quæ constitutio magis pia est, quàm quæ hujusmodi fisco applicat. Quintò, quia hæc videtur esse domini voluntas, ut sic ei res sua aliquo modo prosit, et quisque de rebus suis perditis ita fieri cuperet.

50. Advertendum est nullo modo tolerabilem esse consuetudinem, quæ in quibusdam locis dicitur esse, ut bona naufragorum in littus ejecta habeantur tanquàm adespota, et occupentur à gubernatore loci ( de quo vide Covarruviam supra ) : sunt enim excommunicati per bullam *Cœnæ Domini*, et meritò, quia est afflictionem addere afflictis ; et maximo damno affectis, modicum, quod benigna sors ad solatium extremæ miseriæ indulserit, eripere.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm acceptum ob turpem causam sit necessariò restituendum, et cui.*

51. Prima sententia est, pro nullo opere quod per se turpe seu peccatum sit ( ut est fornicatio, adulterium, homicidium ), posse aliquid accipi ; et si quid sit acceptum, id esse necessariò restituendum, nisi videatur gratis donatum. Ita Joannes Medina, c. de Restit., q. 20 et 28. Idem aliquando sensit Navarrus c. 17, n. 38 et seqq. Fundamentum est, quia peccatum est nullius pretii, utpote nihil, teste Augustino, ac proinde prorsùs invendibile.

Secunda sententia est, pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra justitiam, non esse restituendum ; secùs verò si sit contra justitiam. Ita Sotus lib. 4, q. 7, a. 1, ad secundum. Fundamentum ipsius est, quia acceptum pro opere debito ex justitiâ, necessariò est restituendum : ergo etiam quod acceptum fuerit pro opere injusto.

Tertia est, acceptum pro omni opere pravo, quod legibus punitur, esse restituendum ; secùs verò de accepto pro opere quod leges non puniunt. Ita ferè omnes utriusque juris doctores quos refert Covarruvias ad regulam *Peccatum*, p. 2, § 2. Probatur, L. *Generaliter*, 26, π. de verb. oblig. : *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti ; velut si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, sed et officio prætoris continetur, ex hujusmodi obligationibus actionem denegari*. Et L. *Pacta*, 6, c. de pactis : *Pacta quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est*. Si nullam vim habent, nulliusque sunt momenti, ergo id quod ex vi talis pacti accipitur, non efficitur accipientis, ac proinde est restituendum. Pro resolutione

52. Dico primò : Si solùm jus naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus quod est peccatum, opere impleto non necessariò est resti-

tuendum, sive illud opus sit contra justitiam, sive non : colligitur ex D. Thomâ, q. 32, art. 7, in corp., et quæst. 62, art. 5, ad 2, ubi docet, *posse retineri id quod propter opus malum est acceptum*. Nec distinguit, sitne opus illud contra justitiam, an non. Idem docet Cajetanus ibidem et Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 2, § 2. Probatur primò, quia si jure naturæ esset restituendum, deberet restitui ei qui dedit; atqui huic non debet restitui, quia in accipiendo nulla huic facta est injuria : libenter enim et liberè dedit pro opere, quod tu facere non tenebaris. Secundò, quia etsi opus malum pro quo dedit non sit æstimabile pretio quà malum, tamen quà delectabile vel utile uni, et alteri detrimentosum, periculosum, laboriosum, inter homines pretio æstimatur : ergo quod hâc ratione pro eo est acceptum, non est restituendum, nisi fortè quis communem æstimationem excesserit : ut si meretrix, quæ usuram suî concedere solet uno aureo, ab aliquo juvene extorserit 50 tanquàm pretium.

53. Hoc tamen locum non habet in eâ quæ putatur honesta : ut si matrona aliqua vel filia 100 aureos pro usurâ corporis accipiat ab eo qui dare poterat, retinere potest, nam tanti et pluris potest suam pudicitiam æstimare. Res enim quæ certum pretium non habent, nec ad vitam sunt necessariæ, sed voluptatis causâ quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari, ut probabiliter docet Petrus Navarra et alii.

54. Notandum tamen est Covarruviam et Cajetanum excipere id quod acceptum est à judice, ut injustam sententiam ferat; hoc enim putant jure naturæ esse restituendum, quia injusta sententia et perversio judicii non est vendibilis. Sed hæc ratio non est firma; nulla enim est causa, cur magis debeat Jure naturæ restitui quod acceptum fuerit pro iniquâ sententiâ, quàm quod pro iniquâ occisione; quod tamen etiam illorum judicio non est necessariò restituendum.

55. Dices : D. Augustinus epist. 54 ad Macedonium ait, *sceleratiùs accipi pecuniam pro sententiâ injustâ quàm pro justâ, pro testimonio falso quàm pro testimonio vero* : atqui pecunia accepta pro sententiâ justâ est restituenda : ergo et pro sententiâ injustâ. Ita Sotus.

Resp. negando conseq. : Non enim quia aliquid est sceleratius, ideò magis vel æquè obligat ad restitutionem. Hæc enim obligatio non sequitur magnitudinem sceleris, sed damnum per injuriam datum; at qui accipit pro sententiâ injustâ, nullam infert injuriam danti, sicut is qui pro justâ; porrò illud est sceleratius quàm hoc, tum quia pejus est ferre sententiam injustam (ad quam ferendam jam habet animum, qui pecuniam accipit, propter injuriam quæ fit alteri parti), quàm accipere pecuniam pro sententiâ justâ ferendâ, tum quia (ut ibidem Augustinus ait) sceleratiùs datur pro injustâ quàm pro justâ, quamvis detur voluntariè et libenter : loquitur enim de sententiâ ferendâ. Adde ibidem Augustinum significare pecuniam istam, etsi sceleratiùs acceptam, non esse opere impleto restituendam, dùm dicit *datam à volentibus* : volenti enim non fit injuria; secùs, si data sit pro sententiâ justâ, quia censetur data coactè, metu sententiæ injustæ.

Dixi : *Opere impleto*, quia ante opus impletum, debet restitui, eò quòd opus propter quod datur, debet omitti. Vide infra cap. 18, dubit 3.

56. Dico secundò : Verius etiam videtur neque jure positivo id necessariò restituendum. Ita D. Anton., 2 part., tit. 2, cap. 5, in principio; Angelus v° *Concussio*, n. 2, et v° *Restitutio*, § *Turpe*; Silv. restitut. 2, et verbo *Eleemosyna*, q. 4; Navar. c. 17, n. 30 et 36. Idem tenent Covar. et Cajetanus supra, qui tamen excipiunt id *quod acceptum est à judice pro sententiâ iniquâ ferendâ*, innixi non juri positivo, sed naturali, quod jam refutatum est. Idem tenet ex parte Sotus, sed excipit id *quod acceptum est ob maleficium commissum contra justitiam;* verùm non sibi constat, nam ibidem docet acceptum ab adulterâ non esse restituendum; cùm tamen adulterium sit maleficium contra justitiam. Deinde ex ejus sententiâ sequeretur militem debere restituere stipendium acceptum in bello injusto; et fabrum pretium instrumenti fabricati ad furta vel homicidia, et armorum ad bella iniqua; quæ omnia sunt contra communem hominum sensum, ut rectè Covarruvias supra.

57. Ratio est, quia leges istæ supra citatæ et similes, quæ pacta turpia et iniqua rescindunt, non ideò reddunt irritam acquisitionem rei ex tali causâ, nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum ejus rei dominium; sed tantùm videntur decernere, ut ante opus patratum habeantur illa pacta invalida, et ne ex illis oriatur obligatio civilis, id est, ob quam possit in judicio peti promissum, ut docent Covarruvias supra, n. 6, et Navarrus supra. Confirmatur, quia credibile est his legibus non rescindi obligationem naturalem, quæ ex talibus pactis opere completo nascitur; ita enim leges positivè sunt interpretandæ, si fieri potest, ut dispositioni Juris naturalis consonent.

58. Dices primò : L. 2, c. de donat. inter virum et uxorem, *jubetur restitui ancillæ militi, quam ipse donaverat concubinæ;* ergo tenebatur restituere.

Resp. : Ibi tantùm concedi militibus jus repetendi in judicio quod meretricibus donârunt, ut docet Adrianus, tractatu de Restitut, § *Oritur alia quæstio, an meretrix*, etc., in fine. Hinc tamen non sequitur debere restitui ante sententiam. Deinde id non conceditur aliis, imò alii in foro externo coguntur solvere pretium turpitudinis meretrici, ut probat Covarruvias n. 2. Denique id non conceditur in aliis delictis; nam L. 3, π. de condict. ob turpem causam, dicitur : *Ubi dantis et accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur ut malè judicetur;* et L. 8 dicitur *solutum ob turpem causam non posse repeti;* idem patet ex L. 2 et 5, c. eodem. Ex quibus legibus satis probabiliter colligitur posse ista retineri in conscientiâ. Mens enim legum est, ut is qui dedit in pœnam criminis non possit recuperare.

59. Dicis secundò : Is qui accipit aliquid ob maleficium, peccat, quia videtur illud approbare; ergo non potest accipere, ergo nec retinere.

Resp.: Accipere pretium ante maleficium patratum, est peccatum, similiter et dare. Ratio est, quia tunc dare, est inducere ad maleficium, et accipere, est spondere et promittere maleficium; nam sub tali conditione datur et accipitur. Verùm accipere post maleficium, non est peccatum, sicut nec dare; non enim tunc accipitur vel datur, quòd maleficium placeat, sed ratione laboris, sumptûs, vel periculi suscepti, vel ratione pacti onerosi et fidei obligatæ, quod fieri potest cum perfectâ criminis detestatione, et animo nunquàm committendi.

60. Dico tertiò: Etsi hæc sententia verior sit, contraria tamen, quæ censet id quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile, (nisi conseatur donatum) esse restituendum, non est improbabilis. Patet, quia est ferè communis omnium Jurisperitorum, ut docet Covar. supra, num. 6, item Medinæ et Navarri olim (licet hic postea mutârit), et aliorum; habetque rationes ex legibus petitas, utcumque probabiles.

61. Sed tunc difficultas est, cui restitutio sit facienda. Communior sententia est esse restituendum pauperibus, ut ibidem Covar. docet. Cùm enim leges non velint istud restitui illi qui dedit et induxit ad maleficium, neque possit retineri juxta hanc sententiam (eò quòd pactum fuerit irritum), consequens esse videtur ut in pias causas sit expendendum. Sed reverà hoc potiùs est salutare consilium quàm præceptum, ut rectè docent Antoninus, Navar. et alii. Meritò tamen id poterit injungi in pœnitentiam à confessario, quando ei videbitur expedire, præsertim cùm tot doctores dicant absolutè in pauperes conferendum. Sotus et Covar. putant, si restituendum est, esse potiùs restituendum ei qui dedit. Si enim dominium non transtulit, apud ipsum mansit, quia non intendit aliter rem à se alienare, quàm ut in hunc transferretur; ex quâ ratione confirmatur prior sententia: absurdum enim est ut illi fiat restitutio, et contra mentem legum quæ intendunt illum punire, negatâ conditione seu actione repetendi; ergo nulli debet necessariò restitui ante sententiam.

## DUBITATIO IX.

*Utrùm acceptum ob causam honestam, ad quam tamen obligabaris (v. g., ut facias vel omittas quod tenebaris facere vel omittere), debeat restitui.*

62. Quidam putant generatim id esse restituendum. Ita Medina, q. 26; Navar. c. 17, n. 34; Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 2, § 3; unde si alicui detur aliquid ne fornicetur, ne blasphemet, ne pejeret, id esse restituendum. Sed verius est non esse restituendum, nisi actio vel omissio debita fuerit ex justitiâ, vel nisi debita fuerit ex charitate erga proximum, et sine ullo sumptu vel labore possit præstari. Quod ut distinctè explicetur.

63. Dico primò: Si opus vel omissio ex justitiâ sint debita proximo, non potest pro illis quidquam exigi, et quod acceptum fuerit, est restituendum: est communis doctorum. Vide Covar. et Medinam supra, et Sotum l. 4, q. 7, a. 2. Probatur primò quia manifestè violatur æqualitas, si pro eo quod jam ex justitiâ absolutè est debitum, aliquid ampliùs exigatur vel accipiatur; secundò, quia id quod datur pro justitiâ obtinendâ, vel injuriâ vitandâ, non censetur dari spontè, sed coactè et ex metu injuriæ, proveniente ab eo cui datur: ergo necessariò est restituendum, quia censetur per tacitam quamdam injuriam extortum: hæc est vera ratio, cur sit restituendum.

64. Hinc sequitur primò, judicem teneri restituere id quod accepit, ut justam sententiam ferret: intellige, si datum est timore injuriæ, aliàs non dandum; secùs, si instar muneris liberalis, ut majorem quàm solet, quamque tenetur, diligentiam in causâ adhibeat.

Ubi adverte in sententiâ judicis duo considerari posse: priùs, quòd sit actio maximè utilis et necessaria reipublicæ, egens multo labore et examine actorum et probationum, et magnâ auctoritate personæ; alterum, quòd sit justa. Ratione prioris, aliquid pro sententiâ à partibus accipi potest, si aliàs justum stipendium judici non est assignatum. Sic enim debita est ei merces lege justitiæ, sicut et labori advocatorum et jurisconsultorum. Ratione alterius, nullum ei debetur stipendium; sed, supposito officio judicis, gratis hanc qualitatem in suâ actione procurare debet: quod etiam locum habet, cùm est ea varietas sententiarum, ut ei liberum sit utramlibet partem in judicando sequi; ut enim sententia sit justa, semper gratis curandum est judici. Verùm quia tunc utraque pars justa censetur, dubitari potest, utrùm contra justitiam peccet, si aliquid accipiat, ut hanc potiùs quàm illam in judicando sequatur. Videtur non ita peccare: primò, quia rationes prædictæ hìc cessant; secundò, quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberum ei est sequi quam maluerit: ergo si aliquid accipiat ut hanc sequatur potiùs quàm illam, non facit ulli injuriam. Consequentia patet, quia cùm res non est debita, non est contra justitiam (si solùm jus naturæ spectemus) exigere pro eâ re pretium, si alioquin pretio sit æstimabilis; tertiò, quia non accipit pretium pro justitiâ sententiæ, sed quia in hâc causâ hanc opinionem præfert isti, ad quod nullo modo tenebatur: hoc autem est pretio æstimabile, tum quia utilissimum parti, tum quia, sequendo hanc opinionem, amittit favorem alterius partis, cui potuisset gratificari; quartò, quia nemo dixerit, illi parti à quâ judex aliquid in hoc casu acceperit, factam esse injuriam: imò passim hâc mente dantur à partibus, et accipiuntur munera à judicibus, ut quantum intra limites justitiæ possunt, judices suum favorem impendant; quamvis hoc sit valdè reprehensibile, et meritò legibus vindicandum. Idem sæpè fit in collatione officiorum secularium: in beneficiis tamen erit simonia, quamvis fortè jure naturæ non sit obligatio restituendi, ut infra c. 35, dub. 28, dicetur. Hæc argumenta, si solùm jus naturæ spectetur, faciunt hanc sententiam satis probabilem. Nihilominùs legibus id vetitum est, quæ etiam possunt ad restitutionem obligare, imò et incapaces reddere dominii rei hoc titulo datæ acquirendi.

65. Sequitur secundò, testem teneri restituere quod accepit, ut verum testimonium diceret : etsi enim non semper ex justitiâ teneatur testari, tamen si testari velit, tenetur ex justitiâ testari veritatem. Si tamen veritatis testimonium esset illi detrimentosum, posset aliquid exigere pro damno, vel periculo, quod metuitur : similiter si labor aut sumptus testi sit subeundus.

66. Tertiò, nihil posse exigi pro reddendo deposito, vel commodato, vel invento, vel pro solvendo debito; quod intellige de ipsâ nudâ redditione nihil habente laboris aut molestiæ : secùs, si conjunctus sit labor, vel aliquid aliud pretio æstimabile.

Quartò, neque etiam ut non fureris, non occidas, non detrahas, quia hæ omissiones ex justitiâ sunt debitæ, absque ullo pretio, et nihil sumptus vel laboris habent; unde L. 2, π. de condict. ob turpem causam, dicitur : *Julianus dicit, si dedero tibi ne hominem occidas, condici posse*, id est, posse repeti.

67. Dices : Etsi talis omissio est debita, non tamen est debita in tuî gratiam : ergo si quis tuâ causâ abstineat ab his alteri inferendis, qui te non contingit, poterit ratione hujus obsequii aliquid exigere et accipere.

Resp. : Sotus supra, ob hoc argumentum, concedit posse sic aliquid accipi. Sed communis sententia est in contrarium. Ratio est, quia quando opus vel omissio secundùm se est invendibilis, etiam est invendibile obsequium, quo fit in tuî gratiam; alioquin usurarius posset aliquid exigere, quòd in tuî gratiam det mutuum alteri; et collator beneficii, quòd tuâ causâ huic conferat; et judex, quòd tuâ causâ justam sententiam ferat : tale enim obsequium, quando opus est absolutè debitum, non censetur dignum pretio apud homines, sed ut summùm amicitia. Si quid tamen ex liberalitate ob hanc causam esset datum, posset retineri, quia non censetur donatum invitè, neque ob causam, quæ sit nullius pretii, sed spontè et ex causâ virtutis; unde promissio facta sub tali conditione non magis obligat quàm promissio liberalis absoluta.

68. Dices : Miles ex justitiâ tenetur militare, et tamen potest exigere stipendium; ergo pro opere debito ex justitiâ potest pretium exigi.

Resp. : Miles non tenetur ex justitiâ, nisi ei jam constitutum sit stipendium; præter hoc autem non potest ampliùs exigere. Idem dicendum de judice, aliisque officiis quæ non sunt debita ex justitiâ, nisi post contractum, quo illis stipendium justum est promissum.

69. Dico secundò : Si opus debitum sit proximo ex charitate, non potest pro eo pretium exigi, nisi fortè sit laboriosum, vel sumptuosum. Ita Covar. et Medina supra. Probatur primò, quia communi hominum judicio hæc non sunt pretio æstimabilia; secundò, quia cùm valdè intersit proximi, ut hæc fiant, si quid pro eo det, censebitur coactè datum (non gratis) pro re nullius pretii. Sed nihil potes exigere, ut ex animo deponas odium meî, vel ut mihi indices furem qui res meas surripuit, vel locum ubi deposuit, si id sine labore, sumptu, periculo facere possis, ut rectè Covar. supra. Denique ut in extremâ necessitate des tenuem eleemosynam pauperi.

70. Dico tertiò : Quando aliquid datum est pro opere vel omissione, quæ solùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, non necessariò est restituendum; sed potest retineri. Ita Petrus Navarr. lib. 4, c. 2, num. 100, et ex parte Sotus supra. Ratio est, quia tunc censetur esse liberaliter donatum ex causâ, vel sub conditione; nemo enim ab alio emit actiones vel omissiones liberas, illi soli commodas vel Deo honorificas, ad quas tenetur; sed si quid pro illis offerat vel det, censetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei, merè liberaliter.

71. Hinc sequitur eum qui aliquid accepit ab altero, ut fieret Christianus, ut confiteretur in Paschate, ut non fornicaretur, non blasphemaret, posse retinere, nec teneri restituere, nisi repetatur in judicio. Nec obstat L. 2, π. de condictione ob turpem causam, ubi dicitur : *Si tibi dedit ne sacrilegium faceres, condici posse*, id est, repeti : quia solùm conceditur repetitio in judicio, idque quando datum est, ne crimen fieret, quod legibus punitur; hinc tamen non sequitur, ante sententiam esse restituendum. Puto tamen id, quod pro hujusmodi causâ promissum fuerit, impletâ causâ, non esse debitum nisi ex virtute fidei, sicut si absque hujusmodi conditione promissum esset. Ratio est, quia reverà hæc opera non sunt pretio æstimabilia, sicut nec alia supradicta; sed discrimen inter hæc opera et illa est, quòd datum pro his non censeatur extortum ab invito, sed liberaliter donatum, eò quòd is qui dat, nullâ necessitate compellatur; secùs de dato pro illis quæ ex justitiâ vel charitate proximo sunt debita.

72. Advertendum tamen est, quando constat vo prudenter præsumitur aliquid datum per modum muneris liberalis, ad inclinandum eum qui accipit ad bonum opus ex justitiâ vel charitate debitum, vel ad eum à malo avertendum, non esse restituendum, nisi lex positiva in aliquo casu expressè inhabilem reddat ad dominium ejus rei capessendum, sicut videntur fecisse judices. L. *Plebiscito*. 18, π. de officio præsidis, et L. *Solent*, § finali, π. de officio proconsulis; de quo plura infra suo loco. Vide Silvestrum v° *Judex*, 1, q. 8.

## CAPUT XV.

### DE ORDINE IN RESTITUTIONE SERVANDO, DEQUE LOCO ET EXPENSIS.

(*Complectitur dubitationes* 8.)

1. Notandum est, quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non esse opus ullo ordine; nam omnibus integrè est satisfaciendum, sed tum demùm certus ordo servandus est, quando non sufficiunt.

### DUBITATIO PRIMA.

*Utrùm debita certa sint priùs solvenda quàm incerta.*

2. Suppono debitum variis modis dici *incertum* Primò, si non satis constat utrùm debeas, necne; et tunc non est necessaria restitutio, quia melior est

conditio possidentis. Secundò, si constat quidem rem deberi, sed dubitas cui ex duobus vel tribus debeatur. Hoc eventu, si dubium est æquale, res æqualiter est inter eos dividenda, vel ex illorum consensu sorte applicanda; sic enim servatur justitia. Quòd si postea constiterit uter sit verus creditor, alter tenetur ei restituere suam partem, nisi eam legitimè usuceperit; si noluerit restituere, tu tamen liber manes, quia restituisti eo modo quo potuisti et debuisti, nec in eo incerto ampliùs à te potuit exigi. Si dubium non fuit æquale, ei debetur major pars, de quo minùs est dubium; alteri verò minor, judicio prudentis. Vide supra, c. 14, dub. 4. Tertiò, dicitur incertum debitum, quando constat quidem deberi, sed nescitur cui vel quibus ex totâ multitudine; sive res ipsa in specie suâ sit aliena (ut equus, vestis, torquis, et similia), sive tantùm sit debita confusè, ut quando loco rei peremptæ debetur pecunia. His positis,

3. Dico primò : Si res incertum habens domînum, in specie suâ est aliena, primo loco est restituenda, non certis creditoribus, sed iis quibus incerta restitui solent, juxta ea quæ c. 14, dubit. 6 et 7, dicta sunt, quamvis nihil aliud supersit quod certis creditoribus dari possit. Est communis doctorum. Ratio est, quia creditoribus debet satisfieri ex bonis debitoris, non ex alienis. Itaque hæc ante omnia sunt segreganda a bonis debitoris, et in pios usus eroganda.

4. Dico secundò : Si res ipsæ non sunt in suâ specie alienæ, tunc ex eis priùs facienda est restitutio certorum debitorum quàm incertorum. Est communis doctorum Antonini, 2 p., tit. 2, c. 3, in principio; Cajet. v° *Restit.*, c. 8; Silv. restit. 6, q. 5; Medinæ, c. de Rest., q. 2, § *Ad aliud, quod quinto loco*, et Navarri, c. 17, n. 47 et aliorum.

Sed difficultas est, quænam sit hujus ratio. Doctores qui censent incerta jure naturæ pauperibus esse danda, valdè laborant in assignandâ ratione, nec quidquam afferunt quod omninò satisfaciat. Sed juxta sententiam, quam supra, c. 14, dub. 6 et 7, secuti sumus, non est difficile.

5. Ratio igitur, cur certis creditoribus priùs sit solvendum quàm incertis, est, quia jure naturæ tenetur debitor ex justitiâ solvere creditoribus certis, etiamsi illa lex positiva id juberet, idque de bonis suis, quorum dominium habet. Non tamen jure naturæ de his bonis tenetur solvere creditoribus incertis, quia his ipsis solutio fieri non potest; quod autem loco eorum teneatur pauperibus, id solùm jure positivo constitutum est : quod jus locum non habet, quando certi creditores exstant; neque mens legislatoris fuit, nec verò potuit esse, eo casu obligare, quia quod debitum est jure naturæ, non potest tolli per legem positivam.

Adde, non solvendo talia incerta, nemini in particulari fieri injuriam; secùs vero, si non solvantur certa.

Dices : Quando res est in specie aliena, et dominus reperiri nequit, non debetur jure naturæ pauperibus, et sepositâ lege positivâ potest retineri; ergo etiam ex eâ debet satisfieri creditoribus certis.

6. Resp. negando consequentiam, quia, etsi sepositâ lege positivâ posset debitor ex eâ satisfacere, non tamen tenebatur, eò quòd non teneatur, nisi de rebus suis solvere. Unde jure positivo statui potuit, ut hæc darentur pauperibus, etiamsi creditores certi nihil essent habituri; quòd si debitori ut pauperi res illa applicetur, tunc videtur ex illâ creditoribus esse solvendum, quia non ampliùs aliena censetur, nisi fortè paupertas illum excuset.

## DUBITATIO II.

*Utrùm inter debitores certos priùs solvendum sit venditori, cui pretium nondùm est solutum, re venditâ exstante.*

7. Respondeo et dico primò : Si res sit Ecclesiæ, vel fisci, vel minoris, et adhuc exstet inter bona debitoris, ante omnia solvendum est pro eâ pretium justum, vel certè res ipsa est restituenda. Probatur, quia talis rei non est translatum dominium per conventionem mutuam, et secutam traditionem, nisi reipsà persolvatur pretium, ut docent Angelus, v° *Emptio*, n. 4; Silvest. eodem verbo, n. 2, et notant Bartolus in L. *A divo pio*, 15, § *Sed si emptor*, π. de re judicatâ, et Panor. in c. *Cùm olim*, de officio deleg. : et colligitur ex L. *Si curator*, 5, π. de jure fisci, junctâ Glossâ; unde sequitur talem rem, ubicumque exstiterit, etiamsi aliis vendita fuerit, posse vindicari.

8. Dico secundò : Si res alterius vendita fuerit tali debitori, et ille nec pignus aut fidejussorem dederit, nec pretium in præsenti obtulerit, nec venditor illud pro soluto habuerit, fidens emptori, tunc vel pretium ante omnia solvendum, vel res restituenda venditori. Probatur, quia jure communi in hoc casu nondùm censetur translatum dominium, etiamsi res tradita fuerit, ut expressè habetur Instit. de rerum divisione, § *Venditæ*, ubi dicitur : *Venditæ verò res et traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, velut ex promissore aut pignore dato : quod quanquàm cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen rectè dicitur et jure gentium, id est, jure naturali id effici.* Idem habetur L. *Quod vendidi*, 19, π. de contrahendâ emptione. Unde sequitur rem talem, ubicumque exstiterit, vindicari posse, nisi pretium solutum fuerit, ut dicitur L. *Procuratoris*, 5, § *Sed si dedi*, 18, π. de tributoriâ actione.

Sed hîc difficultatem parit, quod in eodem § Instit. supra additur his verbis : *Sed si is qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri;* semper enim videtur fidem emptoris sequi, quando ei credit absque fidejussore vel pignore. Unde tunc semper transfertur dominium.

9. Resp. : Tunc tantùm censetur sequi *fidem emptoris*, quando ipsius nudâ promissione est contentus, perinde ac si pretium esset solutum; quod Ulpianus in dictâ L. *Procuratoris* ait, *in creditum abire*, et Pomponius in dictâ L. *Quod vendidi, fidem habere emptori, sine ullâ satisdatione.*

10. Petes : An ergo tunc venditor non habeat jus prælationis? Covarruvias, l. 1 Variar., cap. 7, n. 3, per-

tat non habere ; pro suâ sententiâ affert multos jurisperitos, qui dicunt hanc esse communem. Idem sentit Petrus Navar. lib. 4, c. 4, n. 39, et Molina disput. 536. Probatur primò, quia illa res non est ampliùs venditoris, cùm translatum sit dominium, uti suppono, neque manet illi obnoxia jure hypothecæ. Nam neque jure naturæ, neque jure positivo constituta est in tali re hypotheca. Non jure naturæ, quia hoc jure nulla inducitur tacita hypotheca ; si enim contrahentes pacto expresso non obligant rem solutioni, non est cur illa jure naturæ debeat priori domino censeri obligata, cùm ejus dominium perfectum in alium transierit, non secùs ac si solutio in præsentiâ esset facta. Non etiam jure positivo, quia nullum jus positivum inducens in tali re hypothecam in jure Cæsareo reperitur. Secundò, si emptor ille alteri venderet, prior venditor non posset eam vindicare : ergo non erat ipsi hypothecata. Tertiò, quia neque expressa hypotheca ex conventione contrahentium potest in emptione sic constitui, ut venditor habeat jus prælationis præ aliis hypothecis jure positivo constitutis ; nam contrahentes non possunt suo consensu efficere, ut is qui jure civili vel municipali habet jus prælationis, debeat postponi : ut si emi à te domum vel navim, et postea ad ejus reparationem accipiam ab alio pecuniam mutuam ; hic tibi præferetur in solutione, quia jure positivo habet jus prælationis, etiam respectu præcedentium hypothecarum, ut infra dicetur. Ex quibus sequi videtur venditorem esse numerandum inter creditores hypothecâ carentes ; ac proinde omnibus hypothecam habentibus postponendum. Hæc sententia est valdè probabilis. Contraria magis videtur æquitati consona ; unde,

11. Dico tertiò : Probabile est venditorem, si ab emptore fidejussorem vel pignus non accepit, et res adhuc apud emptorem exstet, in eâ re cæteris esse præferendum, ita ut vel pretium ei solvendum sit, vel res ipsa restituenda. Ita tenent Cajetanus v° *Restitutio*, cap. 8 ; Silv. Restitutio 6, quæst. 5 ; Fumus, eodem verbo, num. 36 ; Medina, c. de Restitutione, quæst. 2, § *Tertium dictum ;* Navarr. c. 17, num 49. Idem tenet Archidiaconus Baldus et alii, teste Silvestro. Probatur primò, quia valdè durum est, et ab æquitate naturali alienum, ut res mea, quam à me emisti, non soluto pretio, exstans in suâ specie, aliis assignetur, et ego re meâ simul et pretio frauder ; seposito enim omni jure positivo, statim judicio naturali quivis censeret, æquius esse ut venditori res sua restituatur, si emptor solvendo par non sit, quàm ut detur alteri. Secundò, si tibi locavi meam domum, invecta et illata in eam manent obligata pignori pro pensionibus annuis, et damnis in domum datis, ut habetur L. 2, π. *Ex quibus causis, pig. vel hypoth. tacita contrahatur :* ergo argumento à fortiori etiam res vendita manet obligata pro pretio. Tertiò, quia jure gentium non transfertur dominium rei venditæ ante solidum pretium, nisi datum fuerit pignus vel fidejussor, vel nisi venditor secutus fuerit fidem emptoris, ut habetur § *Venditæ*, supra ; idque quia non censetur venditor dominium aliâ ratione velle transferre. Atqui, quando venditor credit emptori, etiamsi intendat transferre dominium, non tamen intendit se privare omni jure et recursu ad rem suam, nisi reipsà solutum fuerit pretium, ut patet ex usu et communi hominum sensu : ergo saltem quamdiù exstat apud emptorem, censetur quasi hypothecata pro pretio.

12. Unde ad primam rationem in contrarium respondeo : Etsi jure naturæ seu gentium non contrahatur ulla hypotheca perfecta qualis jure positivo, nempe in quam retineatur jus apud quemcumque exstet, benè tamen potest contrahi imperfecta et inchoata, in quam retineatur jus, quamdiù exstat apud emptorem : talem videtur habere venditor in re emptâ, ut dictum est. Si tamen emptor alteri vendat, non manet ampliùs obligata, sicut nec pretium pro eâ acceptum, ut rectè Navarrus.

Ad secundam, inde tantùm sequitur, non esse hypothecam perfectam, quales sunt omnes hypothecæ speciales jure positivo introductæ.

Ad tertiam, inde solùm probatur aliquam hypothecam huic præferendam, nempe eam quæ constituta est ratione mutui accepti ad rei instaurationem, secùs de aliis.

13. Idem ob easdem rationes videtur dicendum de omni aliâ re, titulo oneroso alienatâ, ut supra docet Navarrus, ut de re mutuatâ, permutatâ, etc. ; quod intellige, si res illa in suâ specie adhuc exstet in bonis debitoris, maximè si aliis permixta nondùm sit. Imò etiamsi permixta sit, si certò constet illam ibi contineri, quia æquissimum est ut ante omnes, illi qui eam tradidit, restituatur vel ipsa vel pretium ejus ; nec alii creditores possunt id meritò ægrè ferre, cùm debitor ejus redditione non fiat impotentior ad ipsis solvendum, quàm fuisset si eam non accepisset.

## DUBITATIO III.

*Utrùm debita ex delicto præferenda sint debitis ex justo contractu.*

14. Sunt tres sententiæ. Prima est, debita ex delicto esse priùs restituenda, quàm ex contractu (nisi fortè in contractu intervenerit hypotheca), et quò delictum fuit majus, eò quoque priorem deberi restitutionem. Ita Joannes Medina quæst. 2 de Restitut., dubit. 5. Unde post hypothecas primò restituendum debitum ex rapinâ ; secundò, ex furto ; tertiò, ex usuris ; quartò, ex contractu oneroso, ut ex mutuo, emptione, etc. ; quintò, ex contractu gratuito, ut ex legato, promissione non completâ, etc. Probatur primò, auctoritate D. Bonaventuræ ; secundò, quia illa debita sunt priùs solvenda, quæ cum majori injuriâ et peccato sunt contracta, eò quòd quando non potest simul ab omnibus peccatis recedi, consentaneum sit ut priùs à gravioribus, deinde à levioribus recedatur ; atqui majus peccatum, majorque injuria, cæteris paribus, est in rapinâ, quàm in furto, et in furto quàm in usurâ : ergo priùs solvendum pro rapto quàm furto, et priùs pro furto quàm pro usurâ, et priùs pro usurâ quàm pro contractu, in quo nulla commissa injuria. Inter contractus autem magis obligat is qui est onerosus quàm qui gratuitus, idque meritò, quia per onerosum

homo non fit impotentior ad solvendum aliis; nam una res supponitur loco alterius, ex naturâ contractûs : per gratuitum verò secùs. Idem sentit D. Thomas opusculo 73, c. 18 : *Cùm necessaria ad salutem præcedant ea quæ sunt devotionis, justè solvuntur debita ante legata, sed majori justitiâ, restituenda sunt ablata, quàm debita solvenda : cùm in hoc impleatur justitia, et tollatur injuria facta Deo et proximo. In solutione autem debitorum nulla tollitur injuria, sed solùm impletur justitia.* Idem tenet Michael Salonius q. 62, art. 8, in fine, et videtur tenere Angelus, restitut. 2, num. 18. Hæc sententia non est improbabilis.

15. Secunda sententia est priùs solvenda esse debita ex contractu justo oneroso, non gratuito, quàm ex delicto, nisi fortè res ex delicto parta in specie sit aliena. Ita Cajetanus, v° *Restitutio*, c. 8; Navar. c. 17, num. 52; Bartholom. Medina, l. 1 Summæ, c. 14, § 33; denique D. Anton., p. 2, tit. 2, c. 7, § 1 et 2, qui etsi assentiatur primæ sententiæ in ordine debitorum ex delicto, nempe priùs restituendum quod ex rapinâ debitum, quàm quod ex furto, et priùs ex furto quàm ex usurâ, addit tamen priùs esse restituenda quæ ex contractu justo debita. Hæc sententia probabilis est, si res ex contractu accepta exstet apud debitorem, juxta ea quæ diximus dubit. 2; alioquin non video quâ ratione probabili queat defendi, nisi fortè in usuris.

16. Tertia sententia, quam veriorem judico, est, inter hæc debita nullum esse ordinem, sed ea pari jure censeri; esseque debita personalia, sine jure prælationis, præsertim si res ex contractu accepta apud debitorem non exstat. Ita docent Silvester, restitutio 6, q. 5, puncto 5; Petrus Navarra, l. 4, c. 6, seu ultimo, n. 41, et alii recentiores. Probatur primò, quia neque Jure positivo aliquid hâc de re cautum est, neque ulla ratio sufficiens afferri potest, quâ probetur jus naturæ postulare, ut alterum debitum alteri præponatur; ergo sunt paria. Secundò, quia, etsi major fiat injuria per rapinam quàm per furtum, et per furtum fortè quàm per usuram, tamen postea, dùm quis non vult restituere, est eadem injustitia in ipsâ rei detentione; ejusdem enim speciei peccatum est, non solvere debitum ex contractu post elapsum terminum, invito creditore, et non solvere debitum ex rapinâ aut furtò; quia æquè fit invito domino; quamvis enim in rapinâ sit major injuria, eò quòd sit major contemptus domini, et ipse magis involuntariè patiatur, tamen postea non est major obligatio restituendi; nam pro excessu injuriæ, qui est in primo aggressu, non est facienda restitutio pecuniæ de quâ hîc agimus, sed alia satisfactio.

17. Dices primò: Quamdiù raptor non restituit, non recedit ab injuriâ quam intulit personæ vi rapiendo; atqui ab hâc maximè tenetur recedere; ergo ante reliquos, etc.

Resp. primò, negando majorem; nam hoc ipso quo desinit vim inferre, injuria personalis non continuatur, sicut detentio rei; sed transit, unde etiamsi non restituat rapta, tamen non censetur continuare actualem rapinam, sed solùm rei alienæ detentionem.

Respondeo secundò, negando subsumptum : non enim magis tenetur ad sarciendam injuriam illatam personæ, quàm ad faciendam restitutionem rei detentæ, præsertim cùm in rei detentione etiam injuria domino fiat, et præter injuriam, damnum. Itaque cùm is qui debet ex contractu, æquè obligetur elapso termino, atque is qui ex usurâ, furto vel rapinâ, non est cur naturali jure ullum ordinem inter ista debita constitutum putemus. Quod etiam ex eo confirmatur, quia alioquin contra jus naturæ faceret judex qui juberet pro ratâ talibus creditoribus restitui; et teneretur ipse de suo supplere; quod nemo dixerit.

18. Dices secundò : Detentio usurarum non tantùm repugnat voluntati domini, quantèm detentio rei furtivæ vel raptæ, vel ex contractu oneroso debitæ; ergo in usuris non est tanta obligatio restituendi, quanta in cæteris. Antecedens patet ex communi hominum sensu; nemo enim de illis magnoperè queritur, neque conatur recuperare; unde etiam non est tam detestabilis usurarius, quàm fur vel raptor, vel debitor ex contractu, qui post elapsum terminum non vult solvere, cùm possit.

19. Ob hoc argumentum, non videtur improbabile debita ex contractu oneroso, ex furto et rapinâ, posse præponi debitis ex usurâ. Quia tamen contrarium puto verius,

20. Resp. omnia hæc contra voluntatem dominorum retineri, ita ut si possent, curarent sibi restitui; quod sufficit ut æquè injustè, seu contra eamdem justitiæ speciem retineatur. Et quamvis detentio usurarum non tantùm repugnet actuali voluntati domini, quantùm debitum ex contractu vel furto, id non refert, quia hoc non provenit ex eo quòd intendit usurario eos donare, vel aliquid juris concedere, sed ex eo quòd spem non habeat recuperandi; sitque malum necessarium spontè subeundum. Sicut qui spontè dat lytrum latroni, non renititur actuali voluntate (nisi inefficaciter) illi detentioni; et tamen non minùs injustè ille detinet, quàm fur vel raptor. Itaque hæc actualis repugnantia, non facit ut detentio rei sit magis contra justitiam, quàm aliàs esset; sed facere potest ut magis sit contra charitatem, ut si quis vehementer se inde cruciaret.

## DUBITATIO IV.

*Quis ordo sit servandus in solutione certorum debitorum.*

21. Resp. primò restituenda ea quorum dominium non fuit translatum in debitorem.

Secundò, solvendum pro moderatis expensis funeris debitoris, L. penultimâ, π, de religiosis et sumptibus funeris. Huc etiam pertinent ea quæ necessaria sunt ad conscribendum testamentum, ad faciendum inventarium, ad custodiam supellectilis, et similia opportuna, ut fiat restitutio. Unde si quis fecerit has expensas pro debitore, aut pro funere alterius, quem debitor sepelire debuisset (pro funere uxoris, filii, vel mancipii), ei jure naturali primò restitutio facienda est.

22. Tertiò, solvendum iis qui habent hypothecam

(quantùm ea se extendit), ante alios qui non habent, ut habetur l. *Eos*, 9, c. *Qui potiores in pignore*. Ratio est, quia hypotheca datur creditori ad securitatem, ut in omni eventu possit éx eâ curare sibi satisfieri.

23. Quartò, inter hypothecarios creditores, primò solvendum iis qui tempore sunt priores; hæc enim regula juris : *Qui prior est tempore, potior est jure*, intelligenda est de iis qui in eâdem re habent hypothecam, ut docet Silvester, v° *Restitutio*, 6, q. 5, et colligitur l. 2, 4, 5, 6, 7, 8, c. *Qui potior in pign. hab.* (utrùm etiam vera sit in creditoribus personalibus, dicetur dubitat. 6), estque generaliter vera, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis, sive sit conventionalis, sive judicialis, sive prætoria. Exceptis quibusdam casibus, in quibus posterior præfertur priori, ut statim dicemus. Neque solùm expressa prior præfertur expressæ posteriori, sed etiam tacita prior, præfertur expressæ posteriori, ut patet in hypothecâ dotali, quæ, etsi tacita sit, præfertur tamen expressæ posteriori, ut docet Covar. lib. 1 Var. c. 7, n. 2, et colligitur ex l. *Hâc edictali*, 6, § *His illud adjungimus*, c. *de secundis Nuptiis*. Similiter generalis prior præfertur etiam speciali posteriori, ut colligitur ex l. 2, π. Qui potiores in pignore vel hypothecâ habeantur.

24. Unde patet primò, falli Navarrum, cap. 17, n. 50 et 51, et Silvestrum, Restitutio 6, q. 5, dùm dicunt eos qui expressas habent hypothecas præferri iis qui habent tacitas : hoc enim verum non est, nisi illa expressa sit tempore prior, exceptis quibusdam casibus jure declaratis,

25. Patet secundò, falli Silvestrum, quando vult eum qui habet specialem hypothecam posteriorem, præferri habenti generalem priorem omnium bonorum, et præterea specialem in aliquâ re quæ distincta sit ab hypothecâ speciali alterius. Nec obstat l. 2, c. *de Pignoribus et Hypothecis*, quam ipse pro se adducit; nihil enim aliud ibi dicitur, quàm tuum pignus posterius debere tibi salvum esse, si priori creditori, habenti generalem hypothecam et etiam specialem in aliâ re quæ à tuo pignore distincta sit, possit integrè satisfieri ex illâ speciali; tunc enim non potest impedire tuam specialem, ratione suæ generalis prioris; qui enim præter generalem hypothecam etiam capit specialem, id facit, quòd primò velit vindicare specialem, et non attingere generalem, nisi in eventu quo specialis non sufficiat. Unde sequitur tuum pignus non fore tibi salvum, si alteri ex speciali illâ hypothecâ non possit integrè solvi; et consequenter generalis prior præferetur speciali posteriori. Vide Covar. l. 3 Variarum, cap. 18.

26. Adverte tamen esse aliquos casus in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam expressam vel tacitam.

Primus habetur l. 5, π. *Qui potiores in pign.* Si tibi credidi, seu mutuavi pecuniam, ad refectionem vel conservationem alicujus rei alteri ante obligatæ, ut ad reficiendam vel armandam navem; tunc enim præferri debeo aliis habentibus in eâdem re hypothecam generalem vel specialem etiam expressam. Cujus ratio est, quia sine tali mutuo pignus illud vel non exstitisset, vel certè periisset; ac proinde prior creditor parùm vel nihil ex eo habuisset commodi; unde non potest ægrè ferre quòd is, cujus pecuniâ salvum est, prior ex eo solutionem illius pecuniæ accipiat.

Secundus habetur l. 6 supra : Si tibi mutuavi, v. g., 100, ut satisfaceres pro mercium vecturâ, vel pro conductione ædium in quibus asservarentur, manent mihi merces istæ obligatæ, ita ut primus solutionem ex illis habere debeam ante alios, generalem vel specialem, tacitam vel expressam hypothecam habentes.

Tertius est : In hypothecâ dotali, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque descendentibus, ita ut ipsa et ipsius filii ex illis suam dotem ante alios creditores, habentes tacitas hypothecas priores, possint deducere, ut patet l. *Assiduis*, 12, c. *Qui potiores in pignore*.

27. Notandum tamen est primò, dotem non præferri hypothecæ expressæ priori. Ratio est, quia lex non intendit doti dare privilegium cum injuriâ priorum creditorum, qui ex speciali conventione jam jus habebant in bonis debitoris; valdè enim durum esset, per nuptias viri supervenientes, omnes priores amittere jus quod expressè pacti erant. Secùs est de iis qui habebant tacitam priorem, lege introductam; his enim dos præfertur, nisi etiam privilegium prælationis habeant, ut in casu primo et secundo, quia lex potuit suum beneficium, quod concedit prioribus, ita restringere, ut postponatur privilegio mulieris in causâ dotis, ut docet Silvester, v° *Dos*, n. 14.

28. Hinc patet non sequi expressam hypothecam priorem præferri doti posteriori; et hæc dos præfertur mutuo posteriori pro refectione : ergo expressa hypotheca prior præfertur illi mutuo posteriori. Vide Covarr. l. 1 Variar. c. 7, ubi ostendit, in iis quæ jure humano constant, non esse necessarium, ut si A vincat B et B vincat C, A vincat C. Idem Silvester supra.

29. Notandum secundò, dotem non præferri privilegio quod habet is qui mutuavit pecuniam juxta primum et secundum casum, nisi tempore dos sit prior, ut rectè docet Silvester supra. Neque contrarium colligitur ex novellâ 97, c. 3 (ut quidam putant), quia ibi solùm dicitur, *eum qui mutuavit ad ædificationem vel refectionem domûs vel navis, non præferri doti priori, sicut præfertur aliis non privilegiatis*. Hinc tamen non sequitur dotem posteriorem illi præferri, aut illum doti posteriori non præferri.

30. Quartus casus est : Quando ex pecuniâ pupilli empta est res aliqua, illa res manet pupillo obligata ante omnes, ita ut si ea alteri sit hypothecata, ipse sit præferendus, ut possit recuperare pretium. Idem colligitur ex L. penult., c. *de Servo pign. dato*.

Quintus est : Si tibi dem mutuam pecuniam ad emendam domum, vel prædium, vel rem aliam, cum pacto expresso ut ea res mihi maneat hypothecata pro debito, præferar aliis creditoribus habentibus hypothecam generalem in omnibus tuis bonis, quamvis talis hypotheca comprehendat etiam bona futura et

consequenter hanc ipsam domum. Ita habetur l. *Licet*, 7, c. *Qui potiores in pign.* Vide Covar. sup. num. 3.

31. Sextus est : Quando quis contraxit cum fisco, manent ipsius bona fisco obligata cum privilegio prælationis. Idem jus habet fiscus ratione tributi nondùm soluti. Unde omnia bona receptorum et redemptorum vectigalium sunt fisco hypothecata, l. 2, c. *de Privil. fisci;* dos autem et fiscus pari jure censentur. L. *Dotis tuæ*, 9, c. *de Jure dotium.* Vide Covar. supra.

32. Septimus est : Quando quis alicui credit pecuniam ad militiam, v. g., ut emat equum, arma, vel ut se in militiâ sustentet, habet hypothecam jure prælationis, etiam ante dotem, etsi dote sit posterior, ut patet ex novellâ Justiniani 97, c. 4. Unde huic ex bonis mariti integrè solvendum, quamvis uxoris dos esset peritura.

33. In his casibus non est servanda illa regula : *Qui prior est tempore, potior est jure* : nam habent privilegium ut præferantur, etiamsi tempore sint posteriores, non quidem semper omnibus, sed quibusdam. In cæteris autem hypothecis, tale privilegium non habentibus, et in his quæ æquale privilegium habent, est servanda, ita ut integrè satisfieri debeat ei qui priorem hypothecam habuerit. Verùm accurata horum tractatio est jurisperitorum. Vide doctissimum tractatum de Pignore Antonii Negusantii.

34. Quintò, post eos qui habent hypothecam, si quid supersit, solvendum creditoribus personalibus, id est, qui non habent ullam rem debitoris, sibi immediatè in genere vel in specie obligatam, sed solam personam.

Inter hos, primo loco, solvendum iis qui habent personale privilegium prælationis, absque hypothecâ, quale habet sponsa de futuro in bonis sponsi, ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio, ut docet Glossa in l. *Eos*, 9, c. *Qui potior. in pign.*, et qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde usuras, ut patet l. *Si hominem*, 7, § 2, π. *Depositi, vel contra;* quod quidam doctores extendunt ad omnia deposita, et ad commodatum et ad pignus, si dolo vel culpâ debitoris perierint; item ad pecuniam depositam in societate mercatorum ad negotiationem. Si tamen hæc exstaret, etsi mixta esset, ante hypothecas restituenda esset, quia in specie est aliena : nam quando talia voluntate dominorum commiscentur, singulæ partes fiunt communes, ut habetur §. *Si duorum*, Instit. *de Rerum divisione*, et L. Marcellus, 3, § *Pomponius*, π. *de Rei vindicat.*

35. Secundo loco solvendum cæteris creditoribus chirographariis ex titulo oneroso, cuique pro ratâ, non habitâ ratione temporis prioris vel posterioris, quo debitum est contractum. Ita Silvester supra, et Nav. cap. 17, num. 51.

Tertio loco, solvendum creditoribus ex titulo gratuito, ut si defunctus alicui piæ causæ aliquid voverat.

Quartò, reliqua erunt pro hæredibus et legatariis; ita tamen ut hæredes præcedant legatarios; ad suam legitimam obtinendam, si sunt hæredes necessarii, vel ad quartam bonorum (quæ dicitur Falcidia), si non necessarii.

36. Quæ hactenùs dicta, jure communi Cæsareo servanda sunt, ubi et quatenùs illud est receptum. Quòd si in aliquibus locis sint hâc de re aliæ aliquæ leges, vel consuetudines rationi consentaneæ, eæ sunt servandæ; et quidem in foro conscientiæ, ut docent communiter doctores; unde fallitur Gabriel in 4, d. 15, q. 2, dub. ult., ubi dicit, quæ canonistæ disputant, quinam jure potiores sint in restitutione, potiùs ad judicii quàm ad conscientiæ forum spectare. Nam hæ leges non nituntur præsumptione, sed æquitate naturali, ex quâ propter bonum commune statuunt hunc ordinem : quod non minùs potuerunt facere, quàm transferre dominia usucapione.

37. Omnis autem lex humana rectæ rationi consentanea, quæ non nititur falsâ præsumptione, servanda est in conscientiæ foro.

## DUBITATIO V.

*Utrùm priùs petenti licet priùs solvere.*

38. Dico primò : Si debitor vel ejus hæres solvat posteriori, omisso eo qui habet hypothecam priorem vel privilegiatam, sciens id fieri cum damno prioris, tenetur priori de damno, et potest prior recuperare à posteriore quod solutum est. Patet ex l. *Scimus*, 22, § *Etsi præfatam*, c. *de Jure deliberandi.*

39. Dico secundò : Si sint plures creditores personales, inter quos nullum sit privilegium prælationis, et aliquis ex illis exigat ante alios solutionem debiti, sive in judicio, sive extra, potest et tenetur debitor ei integrè solvere, etiamsi tempore esset posterior. Ita docet Navarrus, cap. 17, n. 52, et Silv. restitutio 6, q. 8, et colligitur ex l. *Pupillus*, 24, π. *Quæ in fraudem creditorum.* Ratio est, quia diligentia posterioris creditoris fecit eum potiorem, sicut hypotheca vel privilegium, ut dicitur in prædictâ lege; unde sequitur creditorem posse petere integrum debitum, quando timet debitorem non fore omnibus solvendo, et retinere, ubi acceperit.

40. Petes, utrùm non petenti possit debitor, sciens statum suum labantem, integrè satisfacere, ut ei gratificetur?

Resp. non posse, quia jus hoc non concedit; cùm enim iste par sit aliis jure, neque diligentia in petendo faciat eum potiorem, non potest ei fieri integra restitutio cum damno aliorum; sed pro ratâ, ut rectè docet Nav. supra.

41. Addo tamen eum, qui in hoc eventu solutionem accepit, non teneri in conscientiâ restituere, quia non accepit rem alteri obligatam; et colligitur ex l. *Quod autem*, § 6 et 7, π. *Quæ in fraudem creditorum.* Idem dicendum, etiamsi alii creditores habeant privilegium personale prælationis absque hypothecâ, ut colligitur ex l. dictâ, ubi dicitur : *Qui debitam pecuniam recepit, antequàm bona debitoris possideantur* (id est, auctoritate judicis occupentur ab aliis creditoribus), *quamvis sciens prudensque solvendo non esse, recipiat, non*

*timet hoc edictum*; nempe quo revocantur ea quæ in fraudem creditorum alienata sunt. Idem docet Molina disp. 536, etiamsi Silvester et alii contrarium sentire videantur.

Nec refert quòd ad hoc induxeris debitorem, quia jura id concedunt, teste Molinâ. Nec obstat l. *Pupillus*, 24, π. *Eodem tit.*, quia est alius casus in quo tutores sponte gratificati sunt uni ex creditoribus; unde dicitur ibidem *tale debitum revocandum*; quod intelligе, *per judicem*; quare, nisi sic revocetur, poterit ille creditor retinere.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm regula illa juris :* Qui prior est tempore, potior est jure, *possit extendi ad creditores personales.*

42. Multi doctores affirmant illam locum habere in omnibus creditoribus ejusdem ordinis, id est, quorum alter non habet aliunde privilegium prælationis contra alterum. Ita Gabriel d. 15, q. 2, dub. ultimo; Medina, c. de Restitut. q. 2, dub. 5; Salon. q. 62, art. 8, in fine; Valentia, disp. 5, q. 6, puncto 10; Toletus, lib. 5, c. 25; Emanuel Sâ, v° *Restitut.* num. 63. Idem videtur sentire Navar. cap. 17, n. 53, in fine. Probatur primò, quia quò diutiùs creditor caruit suo, eò strictiùs ei debetur, et eò citiùs est restituendum; secundò, quia majori incommodo priùs est occurrendum : atqui is quis diutiùs caruit suo, plus accepit incommodi; ergo. Hæc sententia, ob auctoritatem horum doctorum, non est improbabilis, et est satis rationi consentanea; nam quando prius debitum contrahitur, debitor est magis solvendo, quàm postea quando nova debita accedunt; unde par esse videtur ut primus creditor non fraudetur propter debita posteriora; non enim debent ipsi esse fraudi posteriora debita ex contractu vel delicto, cùm eo tempore quo cum illo contraxit, illa non habuerit.

43. Accedit quòd illa regula : *Qui prior est tempore, potior est jure*, non solùm intelligenda sit in habentibus eamdem rem sibi hypothecatam, sed etiam in ordine consessûs canonicorum in capitulo, in ordine subscribendi instrumentis actuum capitularium, in habentibus gratias exspectivas in eâdem Ecclesiâ, ut notat Glossa in illam regulam. Imò eadem Glossa dicit eam servandam inter creditores, quando venduntur res debitoris, ut illis satisfiat; quare non obscurè est in hâc sententiâ.

44. Contrarium tamen puto verius, nempe non esse servandam inter creditores chirographarios seu personales carentes hypothecâ vel alio jure prælationis, sed tantùm inter creditores habentes eamdem rem sibi hypothecatam. Ita expressè docent Silvester, Restit. 6, q. 5, et D. Anton. p. 2, tit. 2, c. 7, § 3, ex Baldo, et alii passim; colligitur ex l. 1, π. de separationibus, ubi dicitur : *Licet alicui, adjiciendo sibi creditorem, creditores sui deteriorem facere conditionem*, etc., et ex multis legibus, c. *Qui potiores in pign.*, ubi tantùm hypothecis applicatur hæc regula.

## DUBITATIO VII.

*Utrùm inter chirographiarios carentes privilegio prælationis, possit satisfieri pauperi, omissis ditioribus.*

45. Multi doctores affirmant id fieri posse. Medina supra : *Si debitor posterior est longè pauperior priore, tunc debitum posterioris videtur præferendum, quia majori damno priùs occurrendum.* Idem tenet Salon. ob eamdem causam. Idem expressè docet D. Thomas opusc. 73, cap. 18, et probat, *quia plus læsus est pauper ablatione suorum, et plus indiget.* Emmanuel supra ait, *excusari eum qui solvit priùs petenti vel valdè indigenti.* Silvest. Restit. 6, dicit *talem excusari jure poli, non tamen fori.*

46. Sed contrarium videtur verius. Probatur, quia pauper neque jure positivo habet jus prælationis, ut patet, neque jure naturali, nisi fortè sit in extremâ vel gravi necessitate, ita ut charitas obliget illi subvenire; tunc enim creditor dives meritò pati debet debitum suum differri vel nunquàm solvi, ut alteri, par jus habenti, in tantâ afflictione consulatur. Quòd si pauper non tantâ prematur inopiâ, non potest alter penitùs privari, ut illi integrè satisfiat. Nec refert quòd pauper plus incommodi sentiat ex dilatione vel privatione partis rei debitæ; hinc enim non sequitur illum habere jus prælationis, sed ut summum, cæteris paribus, ampliùs posse ei solvi quàm diviti, qui tale incommodum non sentit; sicut plus restituendum ei, cui debentur 100, quàm cui 50, quando secundùm proportionem fit solutio.

47. Nihilominùs fateor sententiam alteram non esse omninò improbabilem, præsertim cùm D. Thomas tam expressè illam teneat.

## DUBITATIO VIII.

*Quo loco et cujus expensis facienda est restitutio.*

Notandum est obligationem restitutionis nasci vel ex injustâ acceptione, vel ex re acceptâ, vel ex contractu, ut explicatum est supra cap. 7, dub. 5. Nunc

48. Dico primò : Si debitum ortum sit ex injustâ acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris, idque eo loco, ubi dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset; ita Cajetanus 2-2, q. 62, a. 5, circa solutionem tertii argumenti; Sotus l. 4 de Just. q. 7, art. 1, circa solutionem tertii argumenti; Covarr. ad reg. *Peccatum*, 1 p. n. 9; Joannes Medina, c. de Restitut. q. 2, dub. 3. Probatur, quia ex eo quòd dominus rem suam amiserit debitoris iniquitate, non debet ullum damnum sentire; sed lege justitiæ debet ita fieri restitutio, ut in pristinum statum restituatur, perinde ac si res ablata non fuisset : ergo restitutio non debet fieri ipsius expensis, sed debitoris, qui sibi imputet quòd eas subire cogatur.

49. Dices primò : Ergo tenetur ad ampliùs quàm ad rei ablatæ seu damni illati compensationem.

Resp. : Verum est teneri ad ampliùs quàm damnum secundùm se consideratum æstimatur, non quidem ut dominus inde ampliùs accipiat commodi quàm accepit detrimenti, sed quia id est necessarium tanquàm medium, ut fiat restitutio : qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium.

Dices secundò : Non debet imputari debitori, quòd creditor in alium locum migravit : ergo tunc illius sumptibus non erit mittenda.

Resp. negando consequentiam, quia creditor non debet amittere libertatem transferendi se quò libuerit, ob injustitiam debitoris, qui sibi imputet quòd sumptus illos in restitutione facere cogatur; debebat enim rem relinquere in bonis creditoris ; sic enim cum aliis parvo vel nullo sumptu translata fuisset. Si tamen creditor facturus erat sumptus in re illâ asportandâ, possunt deduci : non enim teneris illi cum lucro restituere, sed satis est ut ex ablatione nihil damni sentiat, de quo vide Covar. supra.

50. Notandum tamen est, si res non potest sine magnis sumptibus restitui, posse ex quâdam æquitate naturali differri restitutionem, modò inde dominus vel nihil vel parùm damni capiat. Si tamen ea est rerum constitutio, ut nisi modò restituas, postea nec ipsi nec hæredibus restituere possis, omninò nunc restituenda vel res ipsa, vel justum rei pretium, quamvis magnæ expensæ essent faciendæ, quia dominus non ideò potest re suâ in perpetuum privari, quòd debitor tantumdem in sumptum impendere cogatur, nisi probabile esset domino in hoc casu non displiciturum, ut amicis ejus vel pauperibus detur; quod per litteras ab eo peti debet, si res est ambigua. Si verò spes sit fore ut aliquando restituatur sine tanto sumptu, poterit restitutio differri; si res sit parvi momenti, et sine duplo vel triplo sumptu restitui nequit, probabile est pauperibus dari posse ; præsumi enim potest id domino non displicere.

51. Dico secundò : Quæ debentur solùm ratione rei acceptæ, restituenda sunt in loco ubi habentur; nec teneris ea mittere domino expensis tuis, sed mittes expensis domini, ut si bonâ fide emeris rem à fure. Ratio est, quia cum tuo damno non teneris dominum in pristinum statum restituere, cùm eum per injuriam non deturbaveris, sed solùm teneris ad rei custodiam, monito interim domino ut significet quo modo velit eam sibi transmitti ; quâ in re non teneris ullos sumptus ferre : imò si contingat te in alium locum migrare, nec possis eam commodè apud aliquem, qui restituat, deponere, sed cogaris avehere, potes expensas à domino repetere ; qui tenetur ad omnes expensas rei suæ custodiendæ necessarias, in utilitatem ipsius factas, ut habetur expressè l. 2, *π. de Negotiis gestis*.

52. Quod attinet ad ea quæ ex contractu debentur, hæc sunt triplicia. Vel enim debet restitui idem numero, ut depositum, commodatum, pignus ; vel debet restitui quid distinctum, quod pro alio commutatur, ut in mutuo, venditione, locatione, etc., vel debet restitui id pro quo nihil accipitur, ita ut solùm ex alterâ parte sit obligatio, ut in promissione, donatione, testamento, legato. His positis,

53. Dico tertiò : Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero est restituenda, si in alterius tantùm partis utilitatem accepta sint, debent ejus expensis restitui : idque eo loco, ubi sunt tradita, nisi aliter justâ aliquâ pactione conventum sit. Prior pars patet, quia par non est ut ejus expensis restituatur, cujus commodum in contractu non quæritur : ergo. Altera probatur, quia in hujusmodi contractibus tacitè censentur pacisci de eodem loco, nisi ob aliquam causam extrinsecam aliter expressè inter illos sit conventum ; æqualitas enim postulat ut sicut idem restituendum quod acceptum est, ita etiam eodem loco.

54. Hinc fit ut, si tuâ causâ equum commodatum acceperis, tenearis eum tuis expensis restituere in eum locum in quo tibi traditus est. Non tamen teneris eum in locum remotum mittere, in quem fortè dominus commigravit, quia ibi commodatum non accepisti, nec illius longinquitatis es causa, sed dominus sibi imputet quòd commodatum ante discessum non repetierit.

E contrario, si depositum gratis custodiendum accepisti, restituendum est expensis deponentis, quia par non est ut depositarius, cùm nihil commodi ex deposito perceperit, suis expensis illud ad dominum remittere cogatur, sive dominus in eodem loco manserit, sive aliò commigraverit. Secùs est, si depositarius in alium locum remotiorem commigraret, quia tenetur rem depositam repræsentare in eo loco, ubi eam custodiendam accepit, ut inde expensis domini restituatur. Idem dicendum de commodato, quod gratiâ solius commodantis acceptum est.

Sed quid, si depositum surripiatur et transferatur in alium locum, cujus expensis remittendum erit ad depositarium?

55. Resp. : Si sine culpâ latâ depositarii translatum est, debet quæri et referri expensis domini deponentis, non autem depositarii, quia vitium et incommodum, quod obvenit deposito sine culpâ latâ depositarii, non est ei præstandum, sed auctori ; si verò ex culpâ depositarii latâ factum sit, tenetur suis expensis ; imò si pretio illam custodiat, tenebitur etiam ex culpâ levi, juxta ea quæ diximus cap. 7, dub. 6.

56. Dico quartò : Quæ debentur ex contractu in quo pro re acceptâ est reddenda alia, restitutio ex naturâ contractûs non quovis loco fieri potest, sed ibi facienda est, ubi res, pro quâ datur, est accepta, secundùm quem locum etiam res quæ datur est æstimanda. Prior pars, *non quovis loco fieri posse restitutionem*, probatur, quia hoc sæpè alteri parti esset magno damno, ut si emens Antuerpiæ vellet solvere in Hispaniâ, vel contra ; ergo debet esse certus aliquis locus, in quo ex naturâ contractûs fiat solutio : is autem est ubi res vendita, mutuata vel permutata, fuit tradita et accepta ; nullus enim magis justitiæ congruit, eò quòd in omnibus istis contractibus una res in locum alterius quasi substituitur ; quod perfecto modo fieri nequit, nisi idem locus servetur.

57. Hinc fit ut nemo ex vi mutui possit obligari ut alibi reddat ; aut ex contractu venditionis vel locationis, ut alibi pretium solvat. Nam hi contractus, ut justi sint, reducendi sunt ad æqualitatem respectu certi loci, in quo res prior traditur. Idem dicendum de emptione censuum ; hi enim ex naturâ contractûs

non sunt solvendi in loco ubi est creditor, sed ubi ipse census est constitutus, seu ubi est res illa in quâ obligatio est constituta, v. g., domus, ager, pratum, etc.; nam pensio annua est veluti fructus hypothecæ, qui non est alibi, ex naturâ contractûs, tradendus, quàm ubi nascitur.

58. Quòd si census sit omninò personalis, nullam habens hypothecam, solvendus est ubi justâ pactione constitutus fuerit. Si in pactum non est deductum, solvendus est in loco, ubi debitor commoratur, qui immediatè in ipso debitore constitutus est: quod intellige, si debitor non abeat valdè procul; si enim tam procul discedat, ut emptori inde grave incommodum oriatur in pensione exigendâ, ita ut si de eo cogitâsset, noluisset censum emere, tenebitur debitor mittere ad locum priorem. His tamen non obstat quin contrahentes possint de alio loco solutionis pacisci; modò hoc onus justâ mercede compensetur.

59. Dico quintò: Quæ debentur ratione donationis, legationis, testamenti, reddenda sunt in loco ubi erant cùm donarentur, nisi aliud in ipsâ dispositione expressum fuerit, ac proinde expensis ejus cui donata sunt. Patet quia qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad ampliùs obligare; sed permittit eam alteri, ut, si velit, suo sumptu illam auferat; si nolit, relinquat: si tamen hæres aliò transferret, teneretur suo sumptu illam mittere, ubi erat priùs.

60. Circa prædicta nota, quando res est restituenda expensis creditoris, eas ex ipsâ re deduci posse, quando alia commodior via non suppetit; unde si opus fuerit, poterit ea vendi vel ex parte, ut residuum ad creditorem mittatur, vel tota, si est indivisibilis, ut equus, ut ei pretium mittatur. Quòd si tantæ essent in remittendâ re vel pretio expensæ, quanti valet, non est restituenda, sed monendus dominus; vel si id fieri nequit, danda pauperibus, si putetur dominus nunquàm ad viciniora loca venturus.

## CAPUT XVI.

### DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESTITUTIONE, VEL OMNINO, VEL AD TEMPUS.

(*Constat dubitationibus* 12.)

1. Joannes Medina, c. de rebus restituendis, q. 3, enumerat 12 causas à restitutione excusantes, quas ordine prosequitur.

Prima est, inopia debitoris; secunda, remissio creditoris; tertia, cessio bonorum; quarta, damnum quod verisimiliter putatur creditori vel reipub. vel alicui tertio obventurum; quinta, solutio facta creditori tui creditoris; sexta, rei debitæ interitus; septima, juris aut judicis auctoritas; octava, religionis ingressus; nona, excommunicatio creditoris; decima, incertitudo creditorum; undecima, dispensatio vel compositio cum papâ; duodecima, compensatio: de quibus breviter dicendum.

### DUBITATIO I.

*Quæ inopia vel impotentia excuset debitorem à restitutione.*

2. Respondeo: Dico primò: Extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subvenire ne quis, nisi rem alienam vel alteri debitam impendendo, excusat à restitutione, quamdiu ea durat. Est communis doctorum. Ratio est, quia in tali eventu omnia sunt communia, saltem quoad usum, ita ut licitè quivis possit occupare, sibique vendicare rem adeò necessariam, et ex ejus usu sibi et proximo opitulari, ut ostensum est cap. 12, dubit. 12.

Sed difficultas est, utrùm transactâ necessitate tenearis ad restitutionem?

3. Resp.: Certum est, in quibusdam eventis, si res sit magni momenti, nec censeatur donata, te teneri, dùm suppetet commoditas.

Primò, si res adhuc exstet, tunc enim teneris ratione rei acceptæ, ut si eguisti usu rei, quo res non consumitur ut equi, vestis, navis, etc.; non enim extrema necessitas jus tribuit ad ampliùs quàm opus sit, ut ex periculo te eripias; si quid ergo supersit, restituendum.

4. Secundò, si intercessit contractus, sive ante necessitatem, sive in ipsâ necessitate, per quem translatum sit dominium, ut si acceperis mutuum, vel emeris; si enim ante necessitatem accepisti, et per illam rem te in extremâ necessitate potes juvare, non incidis in extremam necessitatem respectu opis alienæ (de quâ hìc agimus), id est, quâ res aliena tibi sit necessaria; nam per rem tuam, quam emisti antea, vel mutuam accepisti, quæ in tuum dominium cessit, potes tibi consulere; unde manifestum est non esse tibi jus accipiendi et consumendi rem alienam: manet ergo obligatio per contractum inducta.

5. Si tamen per contractum non sit translatum dominium, ut in commodato, precario, conducto, et in extremâ necessitate rem consumpseris, probabile est te non teneri, nisi re, vel spe, seu facultate propinquâ dives sis. Ita Petrus Navarra lib. 4, cap. 4, num. 26. Ratio est, quia non teneris ratione rei, ut quæ nec in se nec in pretio exstet; neque ratione acceptionis, cùm eam jure tuo consumpseris; neque ratione contractûs, quia isti contractus non obligant re pereunte, nisi culpâ tuâ perierit; hìc autem absque culpâ periit: colligitur ex Silvestro, v° *Restitutio*, 5, num. 2.

6. Tertiò, si habes ex delicto (ut si furatus sis ante necessitatem), teneris, etiamsi postea in necessitate consumas, quia obligatio jam ante contracta, per necessitatem supervenientem non est extincta, sed consopita: quare transactâ illâ necessitate reviviscit. Ita Scotus d. 15, q. 2, § *Ad argumenta*. Idem tenent Richardus, Paludanus, et Silv., Restitut. 3, num. 2, qui hos citat.

7. Hæc sententia mihi videtur vera. Contrarium tamen est probabile, scilicet, te non teneri, ut docet Petrus Navarra lib. 4, cap. 4, num. 24, et quidam alii, quia licitè potuisses accipere, si non habuisses antea, et consumere. Addunt iidem doctores, si accepisti rem absque peccato, nempe in ipsâ necessitate constitutus, te non teneri restituere, quia usus es jure tuo, illam accipiendo et consumendo.

8. Sed contrarium puto esse verius, nempe, si res

quam consumpsisti sit magni pretii, nec putetur donata, te semper ad restitutionem teneri, quando commodè poteris. Ita docent Navarrus cap. 17, num. 61 et 62; Adrianus in 4 tract. de Restitut, § *Quia dictum*, pag. 159; Covarruvias ad regul. *Peccatum*, p. 2, § 1, n. 3 et 4. Medina q. 3, in principio; Toletus lib. 5, cap. 24. Ratio est, quia extrema tua necessitas non transfert in te dominium rei alienæ, sed tantùm tribuit jus utendi, idque prout opus est ut periculum evadas, et cum minimo alterius incommodo; ergo non aufert obligationem restitutionis faciendæ, si copiosior evaseris. Confirmatur, quia alter non tenetur eam dare, nisi quatenùs opus est ut consulas tuæ necessitati; sed ad hoc sufficit ut rem tibi vendat, vel mutuet, vel det cum obligatione restituendi, cùm veneris ad lautiorem fortunam : ergo. Quòd res sit parvi pretii, non teneris postea restituere, maximè si re et spe, seu proximâ facultate pauper eras, quia talia non solent pauperibus sub onere restituendi dari, sed absolutè; ridiculus enim esset dives, qui à paupere pro aliquot panibus, vel calceis, vel tritâ veste, talem obligationem exigeret.

Petes, quo jure tenebitur restituere rem talem, si non intercessit contractus, quo se ad hoc obligârit, neque delictum?

9. Resp. : Tenetur ratione cujusdam tacitæ obligationis jure gentium introductæ, quâ quis rem alterius in necessitate consumens, se tacitè obligat ad rependendum, quando suppetet copia; etsi enim divisio rerum non potuit impedire usum rei alienæ tibi necessariæ, fecit tamen ut tenearis ad restitutionem, quando commodè poteris : rationi enim consentaneum est ut consulatur tuæ necessitati absque notabili alterius damno. Alioquin si exercitus extremâ inopiâ laborans absumeret bona multorum agricolarum, non teneretur ad restitutionem; quod planè falsum est. Tacitè ergo se obligant jure gentium ad restitutionem faciendam, dùm commodè poterunt.

Dices : Si quis in extremo periculo, dùm fugit hostem, utatur equo alterius, et contingat equum perire, non tenetur ad restitutionem, ut multi doctores docent; ergo non oritur tacita obligatio ex usu rei alienæ.

10. Respondeo : Si non sit probabile periculum interitûs equi, non tenetur solvere pretium, quia interitus censetur fortuitus; sed solùm tenetur pro usu, si ille sit diuturnus, vel cum notabili damno domini. Pari modo neque conductor tenetur ad pretium, quia res domino suo perit, nisi interveniat pactum, vel mora, vel culpa. Si autem sit periculum, verius puto teneri solvere pretium, si intereat, etiamsi aliqui doctores indistinctè loquentes contrarium sentire videantur; quia, sicut dominus in hoc casu non tenebatur absque illo onere concedere, ita non videtur ipse sine tali onere accepisse, cùm æquitas naturalis et jus gentium videantur ad hoc obligare : non enim plus juris potest sibi in re alterius vindicare, quàm alter tenebatur concedere. Vide Navarrum et Covar. supra.

11. Hinc tamen non sequitur præcepto eleemosynæ satisfieri mutuando, sed benè donando sub conditione, quando res est magni pretii; quod verum est, nemo enim potest jure queri sibi 20 vel 30 aureos non dari absolutè, sed cum onere ut teneatur refundere, si locuples aliquando evaserit.

12. Petes : Quid si creditor sit in pari necessitate? Resp. primò : Si creditor subtractione illius rei conjectus est in illas angustias, teneris illi restituere : primò, quia subtrahere alicui rem, quâ ille extremè indiget, est perinde atque occidere; secundò, quia in pari causâ melior est conditio possidentis, præsertim domini. Ita passim doctores Scotus, Silvester, et alii supra.

13. Secundò, si verò creditor substractione illius rei non est conjectus in extremum illud discrimen, sed aliunde incidit, non teneris illi in pari discrimine quamvis simul inciderit (etiamsi Scotus, Richardus et Paludan. contrarium teneant), idque non solùm quando res est sub dominio debitoris, sed etiam quando in specie est debita creditori, etsi Navarrus num. 60, cap. 17, tunc contra sentiat. Ita docent Cajetanus q. 62, art. 5; Sotus lib. 4, q. 7, art. 1, ad quartum argumentum; Toletus de Peccatis mortalibus, cap. 39. Ratio est, quia pro eo tempore cessat vis et potestas dominii, jure gentium introducta; et perinde se res habent, ac si divisæ nunquàm fuissent; etsi enim dominium rei maneat apud priorem dominum quasi in habitu, tamen actus ejus impeditur, perinde ac si non esset; itaque manent intra limites juris naturæ. Quare cùm seposito jure gentium, quo facta est divisio, possit quisque sibi consulere ex re quam occupat et possidet, non tenetur eam tunc restituere domino. Unde si ante occupavi tuum panem in solitudine, vel tuam sarcinam aut tabulam in naufragio, vel equum in fugâ, non teneor tibi tunc restituere, etiamsi simul in extremum periculum inciderimus, quia per hanc substractionem non incidisti in periculum, neque in periculo constitutus hanc rem occupaveras, ut per eam te salvares. Si eodem momento res sit occupata in extremâ necessitate à duobus, tunc vel dividenda est, si potest dividi, vel sorte tribuenda.

14. Idem licitum esse non solùm pro se, sed etiam pro parente, uxore et liberis : hos enim in extremâ necessitate præferri posse creditori docent Sotus supra, Lopez, 1 p., cap. 53, et Toletus de Septem peccatis mortalibus, cap. 39, revocans id quod dixerat lib. 5, cap. 24, addens etiam fratres in hâc necessitate posse præferri creditoribus. Idque mihi videtur probabile, etsi Covar. et alii id non concedant, nisi cuique pro se.

15. Dico secundò : Non solùm extrema, sed etiam gravis necessitas tua et proximi excusat, quamdiù durat, nisi creditor sit in pari necessitate; est communis sententia doctorum, et patet ex dictis cap. 12, dub. 12, ubi ostensum est probabile esse licere in hoc casu clanculùm surripere; ergo multò magis licitum est non restituere, etiamsi res in specie debita sit. Itaque ob periculum morbi, magnæ famis, nuditatis, et similis afflictionis, quam aliter nequis avertere, nisi rem

alteri debitam impendendo, potest differri restitutio : hæ enim dicuntur graves necessitates.

16. Dixi, *quamdiu durat*, quia verius est per hanc necessitatem non extingui debitum, neque rem alienam magni pretii posse consumi, sine obligatione restitutionis faciendæ, quando commodè fieri poterit, ut patet ex supradictis.

17. Non tenetur tamen de lucro cessante vel damno emergente ex dilatione, quia non censetur esse in morâ, neque tacitè videtur ad hoc se obligâsse, cùm solùm per accidens eveniant ex dilatione.

18. Adverte tamen non esse improbabile, si is qui consumpsit rem alienam in gravi necessitate, re et spe pauper erat, non teneri postea ad restitutionem. Ita Silvester, v° *Furtum*, quæst. 5, Angel. eòdem, num. 37, ubi dicit : *Potest etiam dici quòd, licèt aliquis non sit in extremâ necessitate, sine peccato et obligatione restituendi, possit occultè et bono modo accipere rem alterius, quando scilicet ille ita abundat, et iste ita eget, ut ex præcepto teneatur huic subvenire.* Idem tenet Petrus Navarra supra num. 26, ubi etiam docet, si quid ante necessitatem abstulisti injustè, et in necessitate consumpsisti, debitum extingui, sicut ante dixerat de necessitate extremâ. Hoc tamen non est concedendum, quando debitum est ex contractu, per quem translatum est dominium in debitorem, juxta ea quæ diximus circa primam propositionem, num. 4.

19. Dixi : *Nisi creditor sit in pari necessitate*, quia tunc teneris ei restituere, juxta communiorem doctorum sententiam. Nam in pari necessitate (præter extremam) potior est conditio creditoris. Imò multi doctores, ut Scotus, Richardus, Paludanus apud Silvestrum, Restitutio 5, quæst. 2, tenent etiam in pari necessitate extremâ esse restituendum.

20. Sed contrarium est probabile, et fortè verius, ut si debitor sit in gravi necessitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non tenebitur restituere, etiamsi creditorem contingat in parem incidere, modò debitor illum in eam non conjecerit, idque sive ex furto debitum sit ortum, sive ex contractu. Ratio est, quia non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi, videtur esse melior conditio possidentis, ut colligitur ex dictis c. 12, dubit. 12. Ideò enim melior est conditio possidentis in extremâ necessitate, quia tunc omnia sunt communia, ita ut jus habeas occupandi ea quæ sunt apud alterum, non similiter egentem, et postquàm occupâsti, non teneris restituere, durante illâ necessitate, quamvis alter casu in parem necessitatem inciderit, modò tu illum in eam non conjeceris ; atqui simile jus occupandi ex rebus alterius, ipsi nec ad personam nec ad statum necessariis, videtur concessum in gravi necessitate, ut ibidem probabiliter est ostensum ; ergo etiamsi alter postea incidat in similem statum, non teneris tunc illi restituere.

21. Dico tertiò : Excusat etiam à restitutione statim faciendâ, primò, magnum periculum salutis animæ tuæ, vel tuorum ; secundò, magnum detrimentum in rebus non debitis ; tertiò, notabilis jactura decentiæ statûs. Primum docet D. Anton., 2 p., tit. 2, cap. 8, ex Scoto d. 15, q. 2, § ult., et Henrico, quodlib. 6, q. 24. Idem tenet Navarr. cap. 17, n. 57, si periculum sit ne uxor vel filiæ præ inopiâ se prostituant, ne filii fiant latrones, ne ipse in desperationem præ impatientiâ incidas, ut rectè D. Antonius. Magnæ enim sunt infirmitates animorum, quæ non quovis modo vinci possunt. Ratio est, quia quisque magis tenetur saluti animæ suæ et suorum consulere, quàm debita solvere. Debet autem hoc periculum esse *notabile*, ita ut non suppetat alia commoda ratio ejus avertendi, nisi differendo solutionem. Secundum et tertium docent iidem auctores et Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 1, num. 2 ; Medina q. 2, dub. 4, et alii. Ratio est, quia in hisce casibus creditor secundùm rectam rationem teneretur consentire in dilationem : contra enim æquitatem et charitatem faceret, si vellet sibi cum tanto alterius incommodo statim satisfieri : ergo non peccas contra justitiam, etiamsi differas. Patet consequentia, quia cùm omnis injustitia sit contra rectam rationem, ubi rectæ rationis dictamen non læditur, non peccatur contra justitiam, ut docet Scotus supra. Confirmatur, quia nemo tenetur restituere, quamdiù dominus non potest ure esse invitus circa detentionem : atque hìc non potest jure esse invitus : ergo.

22. Hinc infertur primò, eum qui debet 100 aureos, si non potest statim solvere, nisi domum vel prædium aliquod vendat multò minoris quàm valeat, non teneri statim, sed posse differre. Idque verum est non solùm quando debet ex contractu, sed etiam quando ex delicto, ut Navar. supra ex D. Anton. docet, etsi Cajetanus, v° *Restitut.* q. 6, et Sotus l. 4, q. 7, art. 4, contrarium sentiant. Ratio est, quia, etsi creditor, quando debitum est ex furto, non teneatur ex justitiâ dilationem concedere, tenetur tamen ex æquitate et charitate ; æquum enim est ut creditor permittat differri restitutionem, quæ suo debitori tam est damnosa, cùm id sine suo notabili incommodo facere possit.

23. Itaque quando is est rerum mearum status, ut non possim debitum præstare statim, sine magnâ aliarum rerum mearum jacturâ, licitum est mihi ex quâdam æquitate juris naturalis differre, nisi fortè creditor simile detrimentum accepturus putetur. Secùs est, quando tales sunt circumstantiæ, ut nisi modò restitutio fiat, nunquàm sit futura ; tunc enim si res injustè ablata est, statim restitui debet, etiamsi magni sumptus essent faciendi, ut dictum est cap. 15, dub. 8.

24. Dixi : *Aliarum rerum mearum*, quia si non paterer jacturam nisi in rebus debitis, quibus me spolio dùm solvo, non possem idcircò differre restitutionem ; hoc enim non est propriè damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas et debitas. Similiter, si ex restitutione non paterer quidem damnum in rebus meis quas possideo, sed solùm in lucro quod intendo consequi, non possem idcircò differre, ut rectè Navarrus n. 59, et Cajet. v° *Restit.* cap. 6, quia tunc nihil amitto de meo, sed solùm desino lucrum facere de alieno, seu alteri debito ; atqui æquitas non dictat alteri carendum esse rebus sibi debitis, ut ego ex illis

lucrum capiam : quod tamen intelligendum est, nisi illud lucrum quæram, ut etiam aliis creditoribus meis satisfaciam, quibus alioquin solvere non potero; tunc enim charitas postulat ut creditor permittat dilationem, si commodè possit, quia contra rationem est ut velis tibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum incommodo, quod dilatâ solutione posset vitari. Ita Petrus Navarra lib. 4, cap. 4, n. 52, ex Cordubâ et Medinâ.

25. Infertur secundò, si vir nobilis non potest statim solvere, nisi privet se omni obsequio famulorum et equorum, cogaturque abstinere à consortio suî similium, et si civis primarius non possit statim, nisi ita se privet, ut cogatur obîre artem mechanicam sibi insuetam, posse differre restitutionem, donec absque jacturâ statûs sui possint restituere. Quod intellige, *si statum suum justè obtinent;* debent tamen sibi detrahere quantùm possunt intra limites decentiæ statûs, quæ non consistit in indivisibili, ut sensim restituant, ut notat Anton. supra.

26. Et quamvis, si debita sint ex delicto, plerique existiment statim esse solvenda, etiam cum amissione statûs, verius tamen et æquius videtur posse differri restitutionem, si statum illum justè obtinent, et ex improviso calamitas incidens, ad eas angustias redegerit, ut debita olim ex delicto conflata, non possint dissolvere sine sui statûs amissione. Ita Navarrus cap. 17, num. 63, et Silv., restit. 5, q. 1, 3 et 4, ubi dicit hanc sententiam esse veriorem et humaniorem, et pro eâ citat Scotum, Archidiac. et Joannem Nyder. Videndum tamen an creditores non sint in pari angustiâ.

Dices : Ob hanc causam non licet accipere alienum; ergo nec retinere, cùm hæc ejusdem rationis videantur.

27. Resp. negando conseq.; minus enim est retinere per aliquod tempus dùm possides, quàm primùm à domino auferre, eumque possessione spoliare; sicut minus est non curare vulnus inflictum, quàm illud infligere; idque confirmat communis hominum sensus, qui minùs curant rem suam per aliquod tempus non restitui, quàm primò auferri.

28. Sed quid si ad eas angustias tuâ culpâ sis redactus, v. g., ludis, comessationibus, superfluis sumptibus?

Resp. : Tunc non mereris dilationem, neque debitorem ex contractu, neque ex delicto. Tibi enim imputare debes, quòd jam sine statûs amissione non possis satisfacere. Secùs est quando infortunium fuit improvisum. Ita docent Sotus l. 4 de Just. q. 7, art. 4, et Pet. Navarra supra, num. 44. Quod est notandum pro quibusdam nobilibus, qui debita sine fine contrahunt, ut supra conditionem sui statûs expendant.

29. Dixi : *Si statum illum justè obtinent,* quia si quis rapinis, usuris et similibus fraudibus ad aliquem honorabilem statum pervenisset, teneretur etiam cum ejus amissione confestim restituere, ut communiter docent doctores. Ratio est, quia hoc non est tam statum suum amittere, quàm alienum dimittere, et ad suum reverti. Quod est valdè notandum pro multis hoc tempore, qui magnis fraudibus repentè divites et magni evadunt; non enim possunt differre restitutionem usque ad mortem; sed tenentur statim restituere, etiam cum dimissione statûs malè acquisiti. Hoc tamen intelligendum, nisi debitor iste passim habeatur uti probus et honestus, et non possit subitò statum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet : tunc enim sensim posset restituere, quia periculum infamiæ excusaret, ne statim teneatur.

30. Dices : Dimittere statum, semper est quædam infamia; ergo qui restituendo deberet eum dimittere, nunquàm debet restituere.

Resp. negando antecedens; quando enim passim scitur statum illum fraudibus comparatum, nulla est infamia illum deponere, sed hoc potiùs bonam famam conciliat, malamque abstergit. Quando verò putatur justè acquisitus, tunc interdùm dimissio statûs infamiam parit, nempe si homines inde suspicentur injustè conquisitum fuisse.

31. Petes : Quid si creditor ex dilatione per damnum accepturus sit in re familiari, vel statu?

Resp. : Tunc teneris statim restituere, ut communiter docent doctores, quia jactura rei familiaris vel statûs, non tribuit tantùm juris, quantùm extrema vel gravi necessitas, nec facit usum rerum communem. Itaque in causâ paris damni potior est conditio creditoris.

32. Notanda est quædam differentia inter dilationem debitorum ex contractu justo, et debitorum ex delicto : quando enim licitè differo solutionem eorum quæ ex delicto debeo, teneor compensare damna, si quæ interim eveniant creditori, et lucrum cessans ratione dilationis. Ratio est, quia injustè fui causa, dùm accepi rem illam, lucri cessantis vel damni emergentis; debebam enim advertere facilè hoc incommodum ex tali acceptione evenire. Quando autem licitè differo solutionem debitorum ex contractu justo, tunc probabile est me non teneri compensare damna, si quæ fortè illi interim patiantur. Docet hoc Petrus Navarr., num. 56. Ratio est, quia talis, inquit, non est in morâ.

33. Quod existimo verum esse, si debitor inciderit in gravem necessitatem, vel in eam inopiam, ut non possit sine amissione statûs restituere; non autem si duntaxat damnum aliquod pecuniarium esset passurus, quale creditor patitur : tunc enim si solutionem differat, ut damnum vitet, debebit creditorem reddere indemnem, quamvis ex contractu debeat. Nam contractus tacito consensu videntur sic intelligendi, ut videlicet post terminum tenearis solvere, vel damna emergentia compensare, nisi fortè interim in gravem necessitatem incideris, aut in eam inopiam, ut si tunc restituas, statum tuum retinere nequeas; tunc enim non est par creditoris et debitoris necessitas. Fortè tamen in censibus solvendis, illa sententia locum habere possit : nemo enim in his cogitur ad præstandum damnum creditori obveniens, aut ad lucrum ei cessans compensandum, quandò sine notabili suo damno non potest statutis terminis solvere. Addo, quando debi-

tum est ex delicto, debitorem non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore quo non poterat restituere, nisi conjiciendo se in gravem necessitatem, ut ex supra dictis colligitur.

## DUBITATIO II.

*Utrùm remissio creditoris excuset.*

34. Resp.: Sicut dilatio concessa à creditore excusat, ne statim tenearis, ita *remissio*, ne unquàm tenearis; est communis doctorum, Cajetani v° *Restit.* c. 7; Covar. ad reg. *Peccatum*, p. 2, num. 1; Soti l. 4, q. 7, art. 4; Navar. c. 17, n. 45, etc. Ratio est, quia sicut creditor potest jus suum, quod habet in debitorem, alteri donare, ita etiam ipsi debitori; quod est remittere, quia remissio est quædam donatio. Nec refert, etiamsi debitor non haberet animum restituendi, quia etsi peccet, tamen debitum extinguitur, si alter liberè remittat. Hìc tamen tres requiruntur conditiones ex communi doctorum sententiâ.

35. Prima est, ut hæc remissio sit *libera omninò*, id est, non extorta metu vel fraude, juxta ea quæ dicenda sunt c. 17, dub. 5, et 6; tunc enim etsi fortè aliquo modo sit valida, tamen ad arbitrium donantis est revocabilis; et donatarius tenetur vim et fraudem tollere, et donatorem in suam libertatem restituere, ut ratum habeat vel irritum, quod deceptus vel compulsus fecit. *Metu extorta* censeretur, si expressè vel implicitè debitor minaretur creditori, nisi integrè vel ex parte remittat; quod interdùm fit, quando potentes debent mechanicis aut mercatoribus. Similiter si cogeret eam subire multas molestias in sollicitando, sæpè venire frustra, diù exspectare, etc. *Fraus esset*, si fingeret se longè pauperiorem, quàm reverà sit. Blanditiæ autem et preces non obsunt, quia non reddunt condonationem involuntariam, nisi fortè præter modum essent importunæ, ita ut quis mallet suâ pecuniâ privari, quàm tantâ importunitate sollicitari; tunc enim remissio non valeret in conscientiâ, quia causa redimendæ injustæ vexationis fieret. Non tamen hìc opus est præsentem exhibere pecuniam, ut quidam putant. Imò, ut rectè notat Cajetanus, expedit ut pauper non offerat diviti rem debitam, quando petit remissionem, quia fortè præsentiâ rei moveretur ad non condonandum, vel certè esset difficilior; faciliùs enim remittimus non habita, quàm ea quæ jam habemus in potestate; quandocumque tamen creditor ex signis præsumitur non liberè condonâsse, debitor non liberatur.

36. Secunda conditio est, *ut possit condonare;* nemo autem potest condonare, nisi qui donare; unde paterna debita non potest filiusfamiliàs remittere, sicut nec uxor mariti.

37. Tertia, ut condonatio *non fiat in casibus jure exceptis*, qui tres inveniuntur. Primus casus est, si episcopus vel archiepiscopus visitans ecclesias, aliquid accipiat ab eis præter sumptus qui necessarii sint ad victum illis diebus quibus visitat; tunc enim tenetur ad ejus restitutionem intra mensem, et quidem in duplum, etiamsi libera eis fiat remissio à dantibus. Quòd si intra mensem duplum non restituerint, archiepiscopis et episcopis interdictus est ingressus ecclesiæ; inferiores autem ab officio et beneficio sunt suspensi, quousque gravatis ecclesiis de duplo hujuscemodi satisfactionem impendant. Ita habetur c. *Exigit*, de censibus et exactionibus, quod est Greg. X in concilio Lugdun. et cap. sequenti, in 6; quod est Bonifacii VIII, quod nonnihil moderatur caput præcedens, quia permittit ut sumptus necessarios recipiant in pecuniâ, cùm Gregorius solùm esculenta permitteret.

38 Notandum hìc est legem pœnalem de duplo obligare ante sententiam; quod perrarum est, nec unquàm præsumitur, nisi ex modo loquendi sit evidens.

39. Secundus casus est, si judex delegatus aliquid receperit à partibus, nisi fortè esculentum aut poculentum, merâ liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi; vel si dùm cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plusquàm moderatas expensas; vel denique si aliquid acceperit, quando partes sunt notabiliter pauperes: tenetur ad restitutionem, non obstante quâvis remissione. Patet ex c. *Statutum*, § *Insuper*, juncto § *Si quid*, de rescriptis, in 6.

40. Tertius casus, si inquisitores prætextu officii inquisitionis pecunias extorserint; tenentur restituere, nullis privilegiis, pactis vel remissionibus, super hoc valituris. Clement. *Nolentes*, de Hæret.

41. His adde quartum: Si canonicus, qui officio non interest, accipiat distributiones, tenetur ad restitutionem; nec prodest remissio cæterorum, quibus illæ accrescunt, ut habetur in conc. Trident., sess. 24, cap. 12 de reformat.

## DUBITATIO III.

*Utrùm cessio bonorum excuset à restitutione.*

42. Respondeo et dico primò: *Cessio bonorum* in foro conscientiæ non magis excusat quàm necessitas sine cessione excusaret, ut rectè Navarrus c. 17, n 46. Probatur, quia in hâc cessione tantùm conceduntur alimenta, idque ex quâdam misericordiâ; neque semper, sed quando casus id videtur mereri, ut patet L. *Qui bonis*, π. de accessione bonorum: atqui hæc etiam absque cessione, consistendo in lege naturæ et gentium, retineri possunt. Non enim tenetur debitor se spoliare necessariis alimentis, ita ut cogatur mendicare; sed potest retinere ea quæ spectatà conditione suæ personæ, et eorum quos alere tenetur, judicio prudentis censentur necessaria, ut patet ex dictis dubit. 1.

43. Idque verum est, etiamsi debeat ex delicto, ut idem Navarrus docet, quamvis si delictum sit notorium (ut si sciatur illum iniquis modis opes collegisse), non tantum retinere possit, quantum si ex contractu deberet, et casu aliquo in grande infortunium incidisset, ut supra ostensum est; quantum autem quisque in tali eventu possit retinere, judicio prudentis est definiendum.

44. Dico secundò: In foro tamen exteriori cessio ad hoc juvat, ne debitor possit conjici in carcerem, ut

patet L. 1, c. *Qui bonis cedere possunt;* et ne, si post cessionem aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem, ut patet ex L. *Is qui bonis*, 4, et L. *Qui bonis*, 6, π. de cessione bonorum; et § ultimo Instit. de actionibus.

45. Hinc sequitur eum qui absque culpâ cogitur cedere bonis, si fiat executio in bonis ejus per creditores, posse abscondere quantùm necessarium est, ut tenuiter vivat secundùm suum statum, ut docet Petrus Navarr. l. 4, c. 4, n. 60, et Silv. restit. 7, q. 6, et alii, qui admittunt eum posse retinere ut *non egeat* (ut expressè Silvester ait), *ne aliquatenùs indecenter vivat.* Idem colligitur apertè ex juribus citatis, maximè quoad ea bona quæ post cessionem acquirit: de quibus etiam is qui debitor est ex delicto, potest retinere quantùm necessarium est, ut pro suâ conditione non indecorè vivat; nam leges generatim loquuntur.

46. Petes, an leges id permittant de bonis quæ tempore instantis cessionis habebat?

Resp.: Ita videtur colligi ex dictâ L. *Qui bonis*, 6, π. de cessione bonorum, ubi dicitur *eum qui bonis cessit, non esse fraudandum quotidianis alimentis;* quod est æquitati consentaneum in debitore, qui absque suâ culpâ non est solvendo.

47. Dico tertiò: Si illi qui hoc modo bonis cessêre, postea ad lautiorem fortunam pervenerint, tenentur integrè satisfacere. Est communis doctorum, et patet; nam idem jus quod cessionis privilegium induxit, hoc expressè statuit, ut patet ex L. *Cùm et filiifamiliâs*, 7, c. *Qui bonis cedere possunt*, ubi dicitur: *Apertissimi juris est, si quid pinguius accesserit debitoribus, hoc iterùm usque ad modum debiti, posse à creditoribus legitimo modo avelli;* et L. 4, π. de cessione bonorum, dicitur: *Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest convenitur.* Idem habetur § ult. Instit. de actionibus.

48. Ratio est, quia per cessionem debitum non fuit extinctum, sed consopitum, donec ad pinguiorem fortunam perveniret. Quod tamen intelligendum est, si acquisierit plusquàm sibi est necessarium ad decentiam statûs; nam si non ampliùs acquisierit, non tenetur, ut colligitur ex dictâ L. *Qui bonis*, 6, et § ult. Instit. supra, junctâ Glossâ, quæ dicit *illum teneri solvere, deducto tamen semper, ne egeat*, juxta L. *In condemnatione*, 173, π. de regulis juris.

49. Notandum tamen est primò, quosdam doctores sentire eum qui cessit bonis, quibusdam actibus juxta consuetudinem loci ignominiosis (v. g., sedendo in loco publico cum corbe capiti imposito), non teneri solvere debitum, etiamsi postea pinguiorem nactus fuerit fortunam, quia eâ ignominiâ satis videtur punitus, videturque hæc pœna esse loco solutionis, sicut qui punitus est pœnâ corporali, loco pecuniariæ, quam præ inopiâ solvere non potuit. Sed contrarium est verius, ut docet Covar. 2 Variar., c. 1, n. 6, quia hæc pœna non imponitur ut liberetur à solutione, sed ut plectatur culpâ, quæ præsumitur ab eo admissa, accipiendo mutuum et contrahendo, cùm esset impotens solutionis. Accedit quòd per cessionem bonorum non tollatur naturalis obligatio restitutionis; sed solùm competat exceptio, impediens licitis contestationem, juxta communem sententiam doctorum; de quâ vide Covarr. supra.

50. Notandum secundò, clericum inopem non teneri bonis cedere, nec posse tamen ob debita in carcerem conjici, ut notat Abbas, Imola, Ancharanus, et alii in cap. *Odoardus*, 3, de solutionibus, quia clericus non potest conveniri, nisi quatenùs facere possit, deductis necessariis alimentis, ut colligitur ex dicto cap. *Odoardus*, et tenent communiter doctores, secuti Glossam in cap. *milites*, π. de re judic. et, Glos. in c. 40, *Studeat*, d. 50. Ratio est, ne in opprobrium statûs ecclesiastici cogatur mendicare; unde nec potest clericus huic privilegio renuntiare.

51. Covarruvias, supra, n. 9, intelligit hæc de clerico sacrorum ordinum, vel qui proprio ministerio Ecclesiæ inservit; de tali enim intelligendum esse caput *Odoardus*. Rebuffus tamen extendit ad omnes, ne conveniantur ultra id quod facere possunt; id est ut necessaria alimenta illis sint relinquenda, juxta dictam L. *In condemnatione*, 173, π. de regul. juris. Puto extendendum ad omnes et solos clericos, qui, juxta concil. Trident., sess. 25, cap. 6, gaudent privilegio fori, exceptis clericis conjugatis, ut sunt, primò, omnes initiati sacris; secundò, habentes beneficium ecclesiasticum; tertiò, qui clericalem habitum et tonsuram deferentes, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviunt; quartò, qui in seminario clericorum, aut in aliquâ scholâ vel universitate, de licentiâ episcopi, quasi in viâ ad majores ordines versantur, et habitum cum tonsurâ gestant.

52. Excipio *clericos conjugatos*, qui si cum virgine contraxerunt, et alicujus ecclesiæ servitio ab episcopo deputati, eidem ecclesiæ serviunt, et clericali habitu et tonsurâ utuntur, gaudent quidem privilegio fori et canonis, non tamen cæteris clericorum privilegiis, ut expressè habetur cap. unico de clerico conjugato, in 6, ac proinde nec isto.

## DUBITATIO IV.

*Utrùm si restitutio putetur creditori vel alteri nocitura, possit differri.*

53. Respondeo, posse differri; et interdùm debere, vel lege charitatis, vel etiam justitiæ. Prior pars patet, quia qui differt solutionem, ut creditorem à malo, in quod alioquin incurret, avocet, utiliter et salubriter negotium ejus gerit: ergo ille non potest jure id ægrè ferre. Altera, quòd interdùm debeat differri, patet: ut si dominus repetat rem suam, v. g., depositum vel mutuum, ut insumat in libidines, vel ut emat beneficium, et dilatâ solutione spes sit, malum illud fore impediendum. Tunc enim lege charitatis teneor differre, nisi inde aliquod notabile incommodum metuam. Ita Sotus l. 4, q. 7, art. 1, et Navar. c. 17, n. 62 et 63. Ratio est, quia teneor impedire malum proximi spiritale, etiam cum aliquo ipsius incommodo temporali, ut patet in correptione fraternâ, dùm adhi-

bentur testes, et in denuntiatione tendente ad emendationem, ubi lædituf fama proximi : ergo si differendo restitutionem, possim tale malum impedire, teneor ex charitate.

Dices : Ille habet jus petendi rem suam : ergo nisi restituo, facio ei injuriam. Confirmatur, quia nemo potest invitus impediri ne se inebriet, ne scortetur, ne per aleam decoquat.

54. Resp. : Habet quidem jus petendi, si illud per se spectes ; sed quando vult re illâ, ad quam jus habet, in suum vel alterius damnum abuti, ex charitate teneor obsistere, si commodè possim ; et quamdiù est spes eum impediendi, non facio injuriam, quia salubriter ejus negotium ago ; non enim quovis modo agere contra jus alterius, est injuria ( ut patet in eo qui negat depositum furenti), sed sine justâ causâ vel debito modo agere, quamvis propriè et formaliter, quando justa causa subest, non agatur quippiam contra jus alterius ( cùm ille jus non habeat ut id non agatur ), sed solùm materialiter, quatenùs res aliqua denegatur vel tollitur, ad quam, præcisâ illâ pravâ intentione, jus habet. Ad confirmationem, non potest ita impediri, ut vis à privato afferatur, sed aliis modis benè potest.

55. Dices secundò : Parochus tenetur subdito petenti in Paschate Eucharistiam porrigere, quamvis sciat eum esse in peccato occulto, eò quòd subditus jus habeat ad eam, etsi petendo peccet : ergo teneor etiam reddere debitum, petenti ob malum finem .

Resp. : Propriè loquendo, iste subditus non habet jus petendi Eucharistiam, sed habet jus, ne à parocho infametur, aut ne confessio ipsius reveletur ; quod tamen ex publicâ Eucharistiæ denegatione sequeretur ; et hàc ratione à doctoribus dicitur habere jus ad eam, nempe quia sine injuriâ non potest ei negari ; quæ injuria in hoc consistit, quòd ille infametur, vel secretum confessione violetur : secùs est in nostro casu ; ex dilatione enim non sequitur novum incommodum.

56. Dices tertiò : Maritus qui vovit castitatem, habet jus petendi debitum, et uxor tenetur reddere ( de quo cap. 40, dubit. 10 ), quamvis ille petendo peccet ; ergo similiter in nostro casu.

Resp.: Etsi jus habeat, tamen quando vult illo jure abuti, potest uxor debitum negare, si commodè potest, et speret hoc pacto peccatum mariti impeditum iri, præsertim in posterum. Quod addiderim, quia majori tergiversatione utendum, quando agitur de impediendis novis peccatis, in quæ vel ille incideret, vel alium induceret, quàm cùm agitur de impediendo opere externo, cujus jam culpa est interiùs commissa.

57. Adverte tamen : Si ex dilatione solutionis est periculum majoris vel paris incommodi, non possumus illam differre, quia non est jus differendi, nisi quatenùs est spes mali impediendi. Item quando tergiversatio parùm prodesset, ut si te vocaret in jus. Denique, si tibi inde aliquid incommodi notabilis metuas, non teneris, ut si idcircò vel illius amicitiam, vel aliqua emolumenta amitteres ; non enim teneris proximi peccata cum notabili tuo incommodo impedire.

58. Adde quosdam putare, quando creditor vult abuti rebus suis, tantummodò in suum damnum, ut in aleam, compotationes, libidines, debitorem non obligari ad solutionem differendam, quia non est ipsius curare, quo modo ille res suas sit impensurus : itaque cùm ex justitiâ debeat, non esse differendum. Ita Petrus Navarra l. 4, c. 2, num. 54. Puto tamen esse verius, quod diximus, quamvis rarò obligetur sub peccato mortali, tum quia creditor potest illum jure cogere, tum quia passim apud homines hæc ratio differendæ solutionis parùm est in usu, et sæpè parùm efficax ad malum creditoris impediendum, et cum molestiis et calumniis conjuncta.

Tertia pars, *quòd interdùm tenearis ex justitiâ differre restitutionem*, patet, ut si furens irâ in inimicum reposcat depositum gladium ; tunc enim reddere censeretur esse propinqua cooperatio. Vide Navarrum supra, et L. *Si pignore*, 54, § 4, π. de furtis, ubi dicitur : *Qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium vel armarium ; vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur ;* quod intellige, nisi ex recusatione grave malum tibi impenderet : tunc enim illa reddere vel commodare non censetur cooperatio, quia est actio per se indifferens.

## DUBITATIO V.

*Utrùm si id quod tibi debeo solvam tuo creditori, liberer à restitutione tibi faciendâ.*

60. Respondeo : Hæc solutio me liberat in foro conscientiæ, si mihi constet te illi debere. Ita Angelus, v° *Solutio*, num. 13, ex Glossâ, instit. *Quibus modis tollatur obligat.*; Silv. v° *Solutio*, num. 4, et Medina, q. 3, causâ 5. Ut si sibi debeam 100, et tu tantumdem debeas meo fratri ; si solvam fratri, tibi non ampliùs obligor. Ratio est, quia dùm solvo tuo creditori 100, cui debes tantumdem, transfero in me jus quod ille in te habebat ad exigendum à te 100, unde si tibi tantumdem debeam, possum uti compensatione ; nam jus quod ego in te tunc habebo, tanti valet quanti illud quod tu in me. Itaque in conscientiâ tibi non ampliùs obligor.

61. Dico *in conscientiâ*, quia secundùm Bartolum in L. *Solutum*, 11, π. de pignor. action., cogar in foro externo tibi solvere, nisi res debita, quam restituo tuo creditori, sit illi obligata, ut si conduxi à te domum quam tu conduxisti ab illo ; vel nisi meâ causâ factus sis debitor illi, ut si gerens mea negotia mutuum acceperis. Verùm in foro conscientiæ hæc minimè sunt necessaria ; sed sufficit ut tu verè ex lege justitiæ alteri debeas, ut Angelus et Silvest supra docent.

## DUBITATIO VI.

*Utrùm rei debitæ interitus excuset.*

62. Respondeo et dico primò : Si res, quam debes

restituere, sit in specie aliena, excusaris ejus interitu, si non intercessit tua culpa, vel mora, vel pactum. Secus verò si aliquid horum intercessit, nisi similiter fuisset peritura apud dominum, ut patet ex dictis c. 7, dubit. 6 et 8, et cap. unico, de Commodato.

63. Dico secundò : Si rem alienam magni pretii in extremâ necessitate tuâ consumpsisti, verius est te non excusari à restitutione, dùm pinguior fortuna obtigerit; sed teneri tacito quodam pacto, quod censetur jure gentium intervenisse, etsi contrarium sit probabile; patet ex dictis dubitat. primâ hujus capitis.

64. Dico tertiò : Si res non sit in specie aliena, sed tua, ejus interitus non te excusat. Ratio est, quia res domino suo perit, ut si pecunia destinata solutioni, surripiatur, vel à confessario, cui executionem commisisti, retineatur. Ubi notandum est quosdam existimare in hoc casu quo negotium confessario vel parocho commissum est, traditâ ei pecunia ut restituat (eò quòd debitor sine suî infamiâ non possit per se exequi), si eam retineat, debitorem excusari. Ratio illorum est, primò, quia hic restitutionem quantùm in se est fecit, ut debuit et potuit; ergo ab eo non est ampliùs exigendum; non enim tenebatur per se restituere, cùm id sine suspicione criminis facere non posset (uti supponimus), neque poterat invenire commodiorem et tutiorem viam, quàm per parochum, vel confessorem. Secundò, quia si creditor actu expresso consensisset, ut fieret hoc modo restitutio, debitor non teneretur ad amplius: sed in hoc casu creditor implicitè et actu debito censetur consensisse (quia tenebatur consentire), qui consensus implicitus et debitus eamdem vim habet, quam expressus; ergo excusatur.

65. Sed contrarium est longè verius, ut docent Navarrus, c. 17, n. 67, et D. Anton., p. 2, tit. 2, c. 4, § 1, idque sive res in specie sit aliena, sive non. Si enim non est in specie aliena, ut si mittas pecuniam vel rem tuam tradendam creditori, et non tradatur, tibi perit, etiamsi debeas ex contractu. Nisi fortè creditor miserit vel assignaverit hominem certum, cui numeres : hic enim loco creditoris acceptat, et ita transfertur dominium in creditorem. Unde si retineat, creditoris est damnum, ut docet Silvester, restit. 4, q. ult.

66. Si verò est aliena in specie, v. g., torquis, vestis, equus, etiam tuo periculo perit et retinetur, si injustè accepisti. Ratio est, quia intercessit culpa per quam dedisti occasionem damni domino obvenientis; si enim non surripuisses, ille rem suam non amisisset. Confirmatur, quia qui rem surripuit, tenetur de casu fortuito, eò quòd apud dominum non sic periisset, ut patet ex c. 7, dubit. 8, et c. 12, dub. 15; ergo, etc.; debebat enim, cùm acciperet, cogitare similes casus ex surreptione posse evenire.

67. Ad primam rationem respondeo : Fecit quidem quod debuit et potuit pro illo tempore, sed cum tacitâ obligatione, ut si res non succederet, teneretur inire aliam viam, donec damnum reipsà sit compensatum.

Ad secundam, dominus non tenebatur consentire, ut per parochum restitueret, nisi cum onere iterùm restituendi, si reipsà parochus non exequeretur.

Adverte tamen contrariam sententiam non videri omninò improbabilem, ob rationes allatas, et quorumdam doctorum virorum, qui illam tenent, auctoritatem.

## DUBITATIO VII

*Utrùm juris vel judicis auctoritas excuset à restitutione.*

68. Respondeo quibusdam casibus excusare : primò, quando res legitimo modo est usucapta : tunc enim auctoritas legis transfert dominium in eum qui usucepit, de quo supra, cap. 6; secundò, quando judex in pœnam delicti, per sententiam imponit alicui mulctam in favorem ejus qui injuriam passus est, oportet tamen sententiam niti veritate, non falsâ præsumptione, de quo infra ; tertiò, quando judex, auctoritatem legum et naturalem æquitatem secutus, aliquid alicui adjudicat, quod aliàs non deberetur ex rigore justitiæ, is qui hoc percepit, non tenetur restituere, de quo vide cap. 7, dub. 8; quartò, quando aliquis per sententiam ordine juris latam, privatus est officio, beneficio, vel hæreditate, is qui hæc postea obtinet, non tenetur restituere, etiamsi privatim sciat condemnatum esse innocentem, modò ille causa falsæ illius sententiæ nor fuerit; vide infra, cap. 29, dubit. 10.

## DUBITATIO VIII.

*Utrùm ingressus in Religionem liberet à restitutione.*

Medina, q. 3, causâ 8, docet debitorem, qui manendo in seculo poterat solvere, et ingrediendo se reddit impotentem, non posse ingredi Religionem, nisi ante solverit; quòd si ingrediatur et profiteatur, tamen adhuc manere obligatum, et labore suo vel arte, si quam novit, debere conari solvere. Ratio est, quia jure naturæ tenetur satisfacere. Contrarium tenet D. Thom., q. ultimâ hujus partis, art. 6, ad 3, et ibidem Cajet., Silv. v° *Religio*, 2, q. 4, et alii Summistæ omnes : docent enim non teneri manere in seculo, sed sufficere si bonis cedat suis creditoribus.

70. Pro resolutione dico 1° : Si debitor ingrediatur et profiteatur, omninò valebit professio, nec poterit reverti ad statum secularem. In hoc conveniunt omnes. Idque probat ratio D. Thomæ, quia etiamsi sit pecuniæ debitor, tamen ejus persona est libera; unde etiamsi concederemus illum malefacere, dùm se Religioni mancipat, debitis non solutis, tamen illa traditio est valida : sicut si facultates ad solvendum creditori necessarias alteri donares, donatio jure naturæ valeret (quamvis in eâ peccares), quia res illæ tuæ erant. Secùs est si servus profiteatur, quia cùm persona ipsius libera non sit, sed domino ex justitiâ addicta, non potest validè se alteri donare, ac proinde nec profiteri sine domini consensu. Idem dico de conjuge, matrimonio jam consummato : non enim est sui juris : secùs est ante consummationem.

71. Dico secundò : Qui debet aliquid exstans in specie, non potest omissâ restitutione Religionem ingredi. Ratio est quia hìc nulla est justa ratio non restituendi. Idem dicendum, si quis sit obnoxius reddendis rationibus, ut ibidem D. Thomas ex B. Gregorio docet ; id enim brevi tempore fieri potest. Similiter si alicui sint parentes in gravi necessitate constituti, aut proles adhuc teneræ alendæ, de quo infra.

72. Dico tertiò : Si debitor possit brevi tempore, ut paucis annis, et consuetis laboribus satisfacere creditoribus, tenetur aliquantisper differre ingressum, ut illis satisfaciat. Ita Petrus Navarra l. 4, c. 4, n. 94, et Lopez, 1 p., c. 129. Idem sentit Medina supra et doctores Parisienses, quos ipse citat, quia tunc creditores meritò sunt inviti, si illis antea non satisfaciat, cùm facili negotio possit ; neque tunc beneficio cessionis se poterit liberare, quia hoc non est introductum, nisi in favorem eorum qui aliter se à debitis eripere nequeunt.

73. Dico quartò : Si opus esset longo tempore ( ut multis annis, vel insolitis laboribus ), non tenetur expectare, sed relinquendo omnia sua creditoribus, poterit religionem ingredi. Ita P. Navarra, n. 95 ; idem dicunt omnes qui D. Thom. sequuntur. Ratio est, quia qui actu bona non habet, nec est in propinquâ potentiâ ad ea habenda, absolutè censetur impotens ad solvendum, ac proinde ab obligatione restitutionis est excusatus. Neque obligandus ad insolitum aut longum laborem, quando dedit quidquid habuit, quia ne judices quidem in foro externo ad hoc obligant, ut ex praxi tribunalium satis constat ; sufficit enim eis si viderint debitorem omnia quæ actu habebat dedisse, nec brevi tempore posse reliqua conquirere.

74. Unde etiam colligitur non esse hoc privilegium religionis, sed ex naturâ rei obligationem cessare vel potiùs sopiri, ratione impotentiæ. Idque non solùm locum habet, quando ex contractu, sed etiam quando ex delicto est debitum, ut ex furto, usuris, rapinis ; sufficiet enim dare omnia, et non posse brevi aut facilè, judicio prudentis, reliqua solvere.

75. Non est tamen negandum quin status Religionis aliquid peculiaris favoris hâc in re mereatur, ut etiam propter illum creditores non debeant plus exigere, quàm possit actu et sine longâ morâ præstare, præsertim cùm in longâ morâ sit periculum salutis, vel damni spiritalis. Adde, cùm quis est debitor ex justo contractu, potest facilè beneficio cessionis liberari, retentis etiam necessariis alimentis, ut supra ostensum est.

76. Ex his sequitur, si is qui Religionem vult ingredi, est vir honoratus, quem dedeceat servire, vel manibus operari, hunc non teneri ad illas lucrandi rationes descendere, sed posse statim ingredi, quia talis, ubi omnia dederit quæ actu habet, ad nihil ampliùs tenetur, cùm nulla ratio lucrandi, quæ ipsum deceat, suppetat ; si autem est talis, cui aliqua lucrandi ratio honesta et statui ipsius consentanea suppeditet, tunc videndum an brevi tempore sine animæ periculo possit se expedire, an non, et juxta ea quæ dicta sunt statuendum. Fatendum tamen D. Thomæ sententiam esse probabilem. Vide Silv., v° *Religio* 2, q. 4.

## DUBITATIO IX.

*Utrùm excommunicatio creditoris liberet à restitutione.*

77. Respondeo non esse improbabile posse differri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Hoc enim tenent Adrian. q. 3, de clavibus, § *Si petas, an*, et Felinus in cap. *Inter alia*, de sententiâ excommunicationis ; Panormit. in dicto cap. *Inter alia*, 31, et cap. *Intelleximus*, 7, de judiciis ; Glossa in caput *Absolutos*, de hæreticis, et quidàm alii apud Covar. ad regul. *Peccatum*, 1 p., n. 8. Probatur primò ex cap. *Nos sanctorum*, 15, q. 6, ubi Gregorius VII sic ait : *Eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolicâ auctoritate à juramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant;* et cap. seq. : *Juratos milites*, inquit Urbanus II, *Hugoni comiti, ne ipsi quamdiù excommunicatus est, serviant, prohibeto.* Qui canones etsi tantùm videantur intelligi de debito fidelitatis, quod subditus debet principi, aut miles duci, aut famulus domino, tamen videtur esse eadem ratio de debito pecuniario. Unde Glossa, in dicto cap. *Nos sanctorum*, probat multis hanc sententiam esse probabilem. Secundò probatur, cap. *Quòd in dubiis*, et sequenti dicitur : « *Nullus scienter nominatim excommunicato « communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per « illud Gregorii papæ caput* Quoniam multos, *specialiter excusantur ;* » sed illo cap. Gregorii non excusantur debitores : ergo non tenentur. Unde Glossa et Adrianus colligunt non teneri, etiamsi juramento promisissent solvere, quia juramentum habet tacitam conditionem, si talis permanserit, cui communicare liceat.

78. Adverte tamen, etsi quidam canonistæ idem videantur sentire de debitore excommunicato, videlicet eum non teneri ad solvendum, quamdiù est in excommunicatione, id tamen omni ratione et probabilitate carere, quia non debet ei excommunicatio tanto esse commodo, ut rectè notat Glossa in can. *Nos sanctorum :* alioquin multi essent, qui cuperent excommunicari.

79. Dico secundò : Verius tamen videri, etiamsi creditor nominatim sit excommunicatus, non ideò differri posse restitutionem. Ita tenent Covar. supra, Silv., v° *Excommunicatio*, 5, q. 12 ; Joannes Medina, q. 3, causâ 9, et plerique alii. Ratio est, quia neque jure divino, neque etiam jure humano debitor liberatur à tali debito statim solvendo post elapsum terminum. *Non jure divino*, quia nullum tale jus reperitur, præsertim cùm etiam ethnicis et publicanis debita solvenda sint, ut colligitur ad Roman. 13, nisi fortè spes esset, tuâ dilatione ipsum conversum iri, et reconciliandum Ecclesiæ, quod interdùm usu venit, quando debitor est magnæ auctoritatis, et recusat solvere creditori, nisi redeat ad Ecclesiam. *Non* etiam *jure humano*, quia jura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis et obsequii ; leges enim

pœnales sunt strictè interpretandæ, quamvis Medina et quidam alii putent etiam agere de debito pecuniario, quod ex promissione et stipulatione juramento confirmatâ sit contractum, et de omni alio debito solis verbis conflato, quod est probabile.

80. Dices : Excommunicati sunt vitandi in omni convictu humano : atqui solvere creditori, est habere cum eo humanum commercium : ergo hoc non licet.

Resp. hoc esse unum ex præcipuis argumentis contrariæ opinionis : sed dicendum cum Covarruviâ, istam communionem esse valdè parvam et brevem, et cùm sit in re necessariâ (utpote in debito justitiæ, quod creditor potest exigere saltem extra judicium), non debet talis communicatio videri prohibita ; sicut eleemosyna potest et debet dari excommunicato, quando eleemosynæ præceptum erga proximum obligat.

81. Adverte tamen, si excommunicatus repetat debitum in judicio posse eum à debitore repelli, ut expressè habetur cap. *Pia*, de exceptionibus in sexto.

## DUBITATIO X.

*Utrùm creditorum incertitudo excuset à restitutione.*

82. Respondeo : Creditorum incertitudo non omninò excusat ; tunc enim restitutio facienda est in pauperes, juxta communem sententiam, ordinariè in praxi servandam. Vide supra, cap. 14, dub. 6, et 7.

## DUBITATIO XI.

*Utrùm dispensatio vel compositio cum prælato excuset.*

83. Respondeo et dico primò : Quando incertum est quinam sint creditores, tunc excusat compositio cum pontifice, sive debitum sit ex delicto, ut in usuris furtisque minutis, sive absque delicto ut in debitis ex contractu, et inventis. Ratio est, quia quando ignoratur proprius horum dominus, hæc restituenda sunt in usus pios, non jure naturæ, sed jure positivo (ut supra, cap. 14, d. 6 et 7, ostensum est) ; in quo jure potest pontifex dispensare : sublatâ autem illâ obligatione restituendi, possunt hæc retineri.

Dico secundò : Si creditores sint noti, non potest pontifex te liberare à restitutione, nisi legitima causa subsit ; eâ tamen suppositâ, potest. Prior pars patet, quia non potest pontifex, aut princeps, absque justâ causâ res unius alteri donare ; neque enim est dominus bonorum suorum subditorum neque dispensator ; sed tantùm defensor juris cujusque, et judex vindexque criminum.

84. Altera pars patet, quia pontifex habet supremam potestatem in bonis temporalibus omnium Christianorum, licet indirectam, nempe quatenùs opus est ad regimen spiritale ; unde positâ justâ causâ, potest de rebus illorum disponere. Itaque potest imponere mulctas pecuniarias, et confiscationem bonorum pro criminibus ; et consequenter condonare restitutiones, hujusmodi hominibus faciendas ; quod notandum propterea quæ debentur hæreticis, sive ex delicto, sive ex contractu, cavendum tamen scandalum. Vide cap. *Cùm secundùm leges*, de Hæret. in 6 ; Silvestrum, Restitut. 7, q. 2, § 5, et Innocentium IV, in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de constitution.

Sed quia aliqui hâc de re nonnihil dubitârunt, probatur hâc ratione. Summus pontifex ob tale crimen potest privare dominio bonorum illudque addicere fisco, juxta dicta cap. *Cùm secundùm leges ;* potest subditos eximere obligatione serviendi, obediendi, solvendi tributa, aliisque vinculis etiam jurejurando confirmatis, juxta cap. *Absolutos*, ex. de hæret ; cur non etiam debitores liberare obligatione solvendi, et debita condonare ? est enim hoc multò minus.

Dices : Potest ista per sententiam generalem seu leges, non autem per sententiam privatam, nisi præcedat cognitio causæ, et sententia declaratoria criminis : alioqui sequeretur magna perturbatio in repub. ; deinde quia pœna debet cognosci à reo, et sentiri ; alioqui non est pœna ; at illa sententia privata non cognoscitur. Respondeo negando quod assumitur ; expedit enim ut etiam per sententiam privatam possit irrogari pœna, cùm justa causa subest : ut si crimen aliâ ratione puniri nequeat, ob potentiam vel absentiam rei, vel perturbationem quæ metuitur ; et pœna illa non sit omninò nova, sed contineatur in aliâ jam ipso facto incursâ, ut in confiscatione bonorum ; et quamvis ad executionem confiscationis per realem ablationem bonorum, requiratur sententia declaratoria criminis, ut patet ex dicto cap. *Cùm secundùm leges ;* tamen hæc sententia non est necessaria, quando pœna non requirit aliam executionem præter eam quam lex vel sententia secum defert, quia inde non sequitur ulla perturbatio, sicut ex rei ablatione. Imò potest talis pœna irrogari per sententiam conditionalem, v. g., *si constat Titium tali crimine obstrictum, non ei fiat solutio*, etc. ; unde nec alia causæ cognitio requiritur. Ad illud de notitiâ pœnæ, non est necesse ut semper reus pœnam sentiat ; satis est ut possit eam apprehendere et timere, quamvis in executione eam non sentiat, ut patet in pœnis quæ post mortem inferuntur.

Idem puto posse principem secularem respectu suorum subditorum, jam enim justâ lege illorum bona fisco addicta sunt ; sed ob potentiam non potest fieri executio.

## DUBITATIO XII.

*Utrùm compensatio excuset.*

85. Respondeo, excusare tum eum qui compensatione usus est, ne cogatur restituere id quod compensationis causâ alteri subtraxit ; tum eum contra quem usus est, ne rursùs cogatur solvere. Vide supra, cap. 12, dub. 10, et cap. 11, dub. 16.

# Appendix prima
## AD TRACTATUM
# DE JUSTITIA ET JURE.
AUCTORE D. LYONNET (1).

## Præfatio.

Jampridem à publicis scholarum theologicarum concertationibus discesseram, ut privatim inter laboriosas alterius ministerii horas iisdem vacarem studiis, cùm viri graves, doctrinâ et pietate maximè conspicui, vividè exquisierunt ut novis tractatibus circa justitiam et obligationes in lucem edendis curam impenderem. Huic consilio statim adhærere non præsumpsi, experientiâ sciens quid oneris suscipiendum esset. Innumeræ et intricatissimæ difficultates quibus abundant præfati tractatus non modicum terrorem in mente excitabant. Quis sum, aiebam, *minimus in domo patris mei*, id est, tardus ingenio, pauper doctrinâ, imperitus in omnibus, ut audeam meas aperire opiniones circà res gravissimas et difficillimas? Num sedens, juxtà verba Christi volentem ædificare turrim alloquentis, *mecum computavi*, seu, contuli tantum laborem cum infirmioribus meis facultatibus?

Hæc et similia, procul dubio, à susceptione istius operis me deterruissent, nisi faciliorem aperuissent viam multi theologi quorum nomina jam insignia sunt in scholis Galliarum. Inter eos recensere juvat DD. Bouvier, Gousset, Berger, Logerot, Annotatorem in Vogler, et alios, qui non parùm profuerunt in solvendis ambagibus præsentem materiam spectantibus. Quorum vestigiis insistentes conati sumus, instar apis quæque meliora hinc et inde colligentis priusquam mel suum condat, ea seligere quæ junioribus clericis Theologiæ studentibus magis utilia judicavimus. Iisdem locis quibus et alii nobiles magistri theologicas messuerunt palmas, multa invenimus quæ minimè despicienda sunt. Quot enim manent, in agro fertili et omnibus aperto, etiam post primos messores, spicæ ab aliis derelictæ..! Ad eas colligendas probandasque et nostro modo disponendas, nihil non tentavimus, impendentes et tempus, et laborem, et bonam voluntatem.

Ut autem rectè et lucidè incederemus inter asperitates quibus frequenter impediuntur pleræque juris quæstiones, neque obsequentes rigidioribus, neque faventes laxioribus, neque famulantes opinionibus singularibus quorumdam, præ oculis semper erat, tanquam fax nocturno viatori, doctrina quæ communiter prævalet in celeberrimâ societate pii Olier. Eâ doctrinâ, veluti oraculo, diriguntur ferè omnes Galliarum scholæ; vix ullus est professor qui illam sedulò non attendat et in pluribus sequatur. Hujus societatis præfulgentibus stellis, attentè perlegimus plus quàm vigenti auctores qui de jure scripserunt, interrogavimus veteres et recentes plurium seminariorum traditiones, frequenter coluimus theologos et jurisperitos in scientiâ juris non modicè versatos. Per duos annos maxima nobis cura fuit in conferendis plurimis quæ faventi discipulorum turbæ olim ex professo dixeramus cum his quæ singulis diebus legebamus vel audiebamus circà justitiam et contractus. Ab iis collationibus et concertationibus in mente venerunt, quasi sponte suâ, novæ observationes, quæ, pluribus reformatis aliisque superadditis, duo brevia efficiunt opuscula pro quibus multam veniæ et indulgentiæ copiam flagitamus.

Inter istas elucubrationes in multis operosas desiderium faciliorem et utiliorem reddendi laborem piis sacræ militiæ candidatis mihi adjutorium erat et non leve incitamentum. Utinam ad hunc finem pervenerim! tunc aberunt omnes difficultates, omnes mentis perplexitates, omnes vigiliæ quas secum traxit hujus operis susceptio. Nam dulce præmium est adolescentibus theologiæ vacantibus laborem supplementorum conscribendorum alleviare...

Sed quid multa? Deus qui non *confundit sperantes in se*, largam effudit benedictionem supra ista compendia. Ultrà omnem spem successit prima editio illorum tractatuum; hæc quippe brevi tempore penitùs exhausta est à nobilioribus seminariis Galliarum; tres anni nondum effluxerant cùm jam tres millia exemplarium è prelis typographi exierant; nunc undequaque ita exposcitur secunda editio, ut vix datum fuerit tempus quasdam corrigendi mendas et novas interponendi annotationes. Non defuerunt eâ occasione, gratulationes quarum maximam partem volumus deferendam esse jurisperitis et theologis qui nobis fuerunt duces et vexillarii.

Ex iis parem liceat augurari sortem novæ editionis! Hæc enim non minori benevolentiâ excipienda est, cùm plurimis perfecta fuerit emendationibus et recentibus dilata observationibus. In quibusdam clariori ordine dispositæ fuerunt nonnullæ conclusiones; in aliis plurimæ quæstiones diffusione verborum vel multitudine distinctionum implexæ ad formam breviorem et simpliciorem redierunt; in cæteris identidem ex-

(1) Hic, pro more nostro, vitam D. Lyonnet non describimus, eò quòd luce fruatur, Lugduni degens, canonicus ac minoris seminarii Lugdunensis superior. Præsens autem tractatus de *Justitiâ*, cui velut complementum adjungi potest ejusdem auctoris opus de *Contractibus*, Lugduni reperitur in viâ gallicè dictâ : *Grande-rue Mercière*, apud PELAGAUD et LESNE, viros pro multis ac optimis editis libris, de Religione præclarè meritos. Uterque tractatus duobus separatim francis venit.

currit prompta manus vitiosis redactionibus accuratiores substituens.

Optaverunt nonnulli ut plurimæ resecarentur quæstiones quæ breviores tractatûs elementaris terminos aliquatenus videntur transcendere, quia juniores Theologiæ candidati, saltem pro nobili parte, tam multa et difficiliora simul portare nequeunt; responderunt verò multò plures nihil, paucis exceptis, in præsentibus opusculis omittendum esse, quia discipuli quàm paululùm exercitiis analyticis assueti pensum suprà difficultates ingenii et temporis non reputabunt. Ut autem utriusque opinionis patronis satisfaciamus, asterisco (*) præsignavimus ea quæ, ob limites temporis, vel alias rationes, omitti possunt absque offensione tractatûs. Quemque juvabit, cùm posteà tempus dabitur opportunius, scire ubi inveniet quæstiones quas primâ vice festinanter perspexit.

Si quid tandem sanæ doctrinæ et rectis principiis minùs consonum, non obstantibus curis et vigiliis, nobis exciderit, ut facilè præsumitur ex fragilitate et infirmitate nostrâ, id statim revocamus et pro non dicto haberi volumus. Imò suppliciter et instanter rogamus eos qui in præsentibus opusculis aliquid mutandum, aut saltem emendandum advertunt, ut ea nobis indicare velint. Eo forsan modo magis ac magis complebuntur et perficientur, adjuvante Deo et auspice Deiparâ, tractatus qui ad utilitatem juvenum sacris altaribus servire ambientium incepti fuerunt et elaborati.

---

## CAPUT PRÆVIUM.

Priusquàm aggrediamur hunece tractatum, utile ducimus quasdam quæstiones præmittere circa naturam, divisionem et obligationem Justitiæ generatim spectatæ.

*Justitia*, prout una est è quatuor virtutibus cardinalibus, definitur : *Virtus moralis firmiter inclinans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri quidquid ipsi debetur.*

Dicitur 1° *Virtus;* virtus est habitus rationi consentaneus, et in genere moris perfectivus; quid verò rationi et moribus magis consonum quàm reddere unicuique jus suum?

2° *Moralis;* ut distinguatur à virtutibus theologicis, quæ versantur immediatè circa Deum. Hujus autem virtutis objectum immediatum est jus alteri reddendum.

3° *Firmiter inclinans;* virtus est quid potentiæ perfectivum : atqui Justitia non perficeret voluntatem, nisi illam firmaret in proposito laudabili restituendi; ergò....

4° *Voluntatem;* undè Justitia est virtus voluntatis; nam virtus subjectatur in eâ potentiâ ad cujus actus dirigendos ultimatè ordinatur : atqui Justitia, utpotè virtus practica, ultimatè ordinatur ad dirigendos actus voluntatis. Non ideo dicimur justi, quia intellectus cognoscit quid sit reddendum, sed quia voluntas intendit reddere Ergo.

5° *Ad perpetuò reddendum;* ad Justitiam enim requiritur voluntas reddendi in omni casu jus suum alteri; satis non est illud velle aliquoties reddere; nam virtus nulla subsistere potest cum vitio opposito : porrò qui aliquoties tantùm vult jus suum alteri reddere, habet vitium oppositum Justitiæ, nempè injustus est, cùm velit aliquoties bonum alienum retinere. Ergo.

6° *Alteri;* quia ad Justitiam exercendam petitur diversitas suppositorum; nemo enim potest habere et simul carere : atqui redditio debiti exigit habentem seu reddentem, et carentem seu recipientem; ergò necessariò requirit diversas personas.

7° *Quidquid ipsi debetur;* Justitia generatim sumpta pro objecto habet quod alteri debitum est, sive ratione Justitiæ strictæ, sive ex gratitudine, sive ex decentiâ.

Colligendum est ex dictis Justitiam tribus potissimùm modis differre ab aliis virtutibus moralibus : 1° quòd Justitia sit ad alterum, dùm aliæ virtutes ad nosmetipsos; 2° quòd Justitia rectificet primariò res vel actiones hominis externas, dùm aliæ virtutes rectificant principaliter interiores animæ affectus; 3° quòd medium Justitiæ saltem rigorosæ, sit medium *rei*, seu commensuratio rei solvendæ cum re debitâ, dùm medium aliarum virtutum sit medium *rationis*, seu commensuratio rei cum tali vel tali personâ. Sic prudentia, fortitudo, religio à Justitiâ distinguuntur, vel quia non sunt ad alterum, sed ad nos, vel quia non versantur circa res externas, sed circa res interiores, vel quia non ad æqualitatem instituendam, sed juxta rationis dictamen exercentur.

Justitia, pro diverso respectu sub quo homo considerari potest in societate, dividitur in *legalem*, *distributivam*, *commutativam* et *vindicativam*.

Justitia *legalis* est illa quæ hominem relativè ad principem vel rempublicam, velut partem ad totum, ordinat, et definiri potest : *Virtus, quâ quis reddit reipublicæ cujus est pars, vel principi cujus est subditus, quod ipsi debitum est, obediendo scilicet legibus, et bonum commune procurando.* Dicitur *legalis*, quia pro objecto habet quod communiter debetur ratione legum.

Justitia *distributiva* ea est quæ rempublicam vel principem ordinat ad cives, velut totum ad partem, et definiri potest : *Virtus, quâ reipublicæ locum tenens bona et onera communia civibus distribuit juxta uniuscujusque merita, dignitates et facultates.* Undè non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas spectat.

Justitia *commutativa* illa est quæ hominem ad hominem tanquàm partem ad partem ordinat, et definitur : *Virtus, quâ quis reddit alteri quod suum est, perfectam servando æqualitatem rei ad rem.* Hæc non attendit ad qualitatem personarum, sed ad æqualitatem rei ad rem, ità ut ille cui debentur 100 nummi, quisquis sit, istos 100 accipiat. Dicitur *commutativa*, quia dirigit commutationes sive contractus.

Justitia *vindicativa* ea dicitur, *quâ superior reo, ad servandum et procurandum bonum publicum, infligit pœnam culpæ debitam.* Ad Justitiam commutativam et

distributivam revocatur vindicativa, ad unam, quatenùs superior pœnam supra culpam imponere nequit; ad alteram, quatenùs superior pœnam minuere vel etiam condonare potest in gratiam præteritorum meritorum vel futurorum obsequiorum.

Cujuslibet Justitiæ suprà dictæ violatio est peccatum mortale ex genere suo, quia unaquæque Justitia est virtus gravissimi momenti, et gravissimum habet finem, nempè pacem civium, concordiam, bonum commune. Ideo illa violatio peccatum mortale aut veniale erit, supposito pleno consensu, prout hujus materia gravis aut levis habebitur.

Sola tamen Justitia commutativa strictæ Justitiæ nomen obtinet, cùm pro objecto sola habeat jus strictum alterius. Itaque in explicandis variis illius officiis, toti erimus in decursu hujusce Tractatûs. Ut aliquem instituamus ordinem, in triplici dicemus parte : 1° *de jure et principiis generalibus juris;* 2° *de injuriâ et restitutione in genere;* 3° *de injuriâ et restitutione in specie.* Ea Tractatûs divisio omninò legitima est; priùs est enim scire quid sit jus quàm illud in quo violatur, ac proindè modum quo illud violari et deindè reparari possit.

---

# PARS PRIMA.

## DE JURE ET PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS.

Jus triplici potissimùm sensu accipitur : 1° pro lege quæ est regula juris; 2° pro eo quod alteri debetur; illo sensu res mea dicitur jus meum; jus sic sumptum potiùs est juris objectum quàm ipsum jus; 3° pro legitimâ facultate alicujus rei vel obtinendæ vel retinendæ; tale est jus formale, de quo tantùm loqui intendimus.

Jus, postremo sensu acceptum, definitur : *Potestas legitima ad aliquid vel in aliquid.*

Dicitur 1° *Potestas*, quæ est aliquid morale quod concipitur, ait Collet, vel per modum *potentiæ activæ*, ut cùm agitur de jure quod habet judex ad ferendam sententiam; vel per modum *potentiæ passivæ*, ut cùm dicitur aliquando patrem habere jus ut nutriatur à filio; vel per modum *potentiæ resistendi*, tale est jus quo impedire potes, v. g., ne alius per agrum tuum transeat.

2° *Legitima*, id est, justo titulo nixa, alioquin non esset jus, sed injustitia. Ad legitimitatem illius potestatis duo requiruntur : 1° ut concedatur ut valida à lege, vel naturali, v. g., usus membrorum; vel divinâ, v. g., jus ad sacramenta; vel humanâ, v. g., jus præscribendi; 2° ea potestas, quæ ab unâ lege conceditur, ab alterâ lege non reprobetur ut invalida; sic pupillus, licèt rei suæ sit dominus, eam propriâ auctoritate alienare non potest.

3° *Ad aliquid vel in aliquid;* quibus verbis designatur quidquid potest esse objectum juris.

Jus duplex est, aliud *latum*, aliud *strictum*.

Jus *latum*, seu convenientiæ, est illud cujus violatione non contrahitur obligatio restituendi, sed tantùm quædam turpitudo moralis. Tale est jus ad eleemosynam, gratitudinem, etc.

Jus *strictum*, est illud cujus violatione contrahitur obligatio restituendi.

Utilissima quidem esset regula, quæ jura prædicta ab invicem discerneret; nam, eâ semel traditâ, statim determinaretur quandonam facienda sit restitutio, sed hìc opus, hìc labor. Non tamen contemnendi sunt qui dicunt : Ad jus latum pertinet omne quod, extra societatem, vi atque armis, et in societate, recurrendo ad leges, repeti nequit; ad jus strictum illud omne revocandum est quod, extra societatem, vi atque armis et in statu societatis recurrendo ad leges, *si recursus sit possibilis*, exigi potest. Dixi, *si recursus sit possibilis*, quia si forsan impossibilis esset, vel coactione vel legitimâ compensatione uti liceret, positis quibusdam conditionibus.

Jus *strictum* dividitur in *jus ad rem*, et *jus in re*.

Jus *ad rem* est legitima potestas quam quis habet ut res aliqua fiat sua; tale est jus illius cui nondùm tradita fuit res vel promissa, vel donata, vel etiam vendita, si sit mobilis aut indeterminata. Jus illud non dat actionem in rem ipsam, sed in personam quæ ante judicem citari potest, ut teneatur facere, vel dare quod promisit. Unde dicitur *jus personale*, quia immediatè personam afficit.

Ad jus *ad rem* sufficit titulus legitimus, vi cujus exigi potest rei possessio.

Jus *in re* est legitima potestas, quam quis habet in re suâ jam sibi acquisitâ. Tale est jus illius cui tradita fuit res vel promissa, vel data, vel vendita. Jus illud dat actionem in rem ipsam, adeò ut qui eo jure gaudet, rem suam repetere possit, in quascumque manus transierit; unde dicitur *jus reale*, quia immediatè rem attingit.

Ad *jus in re* tria requiruntur : 1° Existentia rei; hinc usufructuarius *jus in re* non habet in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt; 2° titulus legitimus, v. g., emptio, donatio, etc.; hinc fures et usurarii *jus in re* non habent in bonis quæ furto et usuris possident, quia deest ipsis titulus legitimus; 3° traditio rei, *si agatur de bonis mobilibus, vel de indeterminatis rebus;* hinc qui emit equum aut vestem, etiam persoluto pretio, non habet *jus in re* illius vestis aut equi, quandiù ipsi non traduntur; nam si venditor eamdem vestem aut equum alteri vendat et tradat, secundus emptor, modò sit bonæ fidei, acquirit *jus in re* talis equi aut vestis : unde primus emptor tantùm habet actionem personalem in venditorem qui tenetur ipsi satisfacere, art. 1141 Cod. civ. Dixi : *Si agatur de venditione rerum mobilium vel indeterminatarum*, quia in cæteris venditionibus, in hæreditatibus et legatis, et ferè omnibus aliis casibus, sola acceptatio ad transferendum dominium sufficit.

*Jus in re*, quod nihil aliud est quàm jus proprietatis, subdividitur in *dominium plenum* seu perfectum, et in *dominium semiplenum* seu imperfectum.

Dominium plenum est *potestas legitima disponendi de re et de ejus fructibus tanquàm suis in omnem usum*

*lege vel pacto non prohibitum.* Unicuique patet tale dominium ex prædictâ definitione, tria secum importare, nempè *fruitionem*, quâ dominus omnes rei fructus colligit; *exclusionem*, quâ aliis interdicitur quidquid dominium in suâ fruitione perturbare potest; denique *dispositionem* seu facultatem rem donandi, vendendi, destruendi pro nutu suo absque alterius injuriâ. Olim à theologis communiter dicebatur humile vel altum prout competebat privatis vel principi; sed hodie penitus amandata est hæc distinctio, nam de essentiâ dominii proprietatis est ut dominus re suâ uti et abuti possit; porrò talis potestas principi non conceditur; ille tantùm potest disponere de bonis et actionibus privatorum, quandò utilitas publica id exigit, prævià justâ et legitimâ indemnitate; idcircò jus principis in bona civium potiùs est jus gubernii seu imperii aut jurisdictionis quàm proprietatis.

Dominium imperfectum est *legitima potestas disponendi vel de re, vel de ejus fructibus in omnem usum lege vel pacto non prohibitum.* Vocatur *directum* aut *utile*, prout aut sola rei proprietas, aut tantùm ejus fructus alicui competunt.

De utroque dominio, id est, *perfecto* et *imperfecto*, dicemus in duplici capite.

## CAPUT PRIMUM.

### DE DOMINIO PLENO SEU PERFECTO.

Quidquid dicendum habemus circa dominium plenum, quatuor articulis absolvemus. Primus erit de origine dominii; secundus, de subjecto dominii; tertius, de objecto dominii; quartus, de modis dominium acquirendi.

### ARTICULUS I.

#### DE ORIGINE DOMINII.

Circa originem dominii pleraque obscura reperias apud auctores. Scire satis erit paucissima quæ nobis testatur Historia sacra.

Certum est 1° omnia bona in primâ rerum origine fuisse communia : Adamo enim et ejus posteris terram absque ullâ divisione concessit Deus, Psalm. 113, 16 : *Terram autem dedit* (Deus) *filiis hominum.*

Certum est 2° quamdam bonorum divisionem etiam à primævâ ætate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius; sic Abel dicitur Deo obtulisse de primogenitis gregis *sui*, Gen. 4, 4.

Certum est 3° divisionem bonorum fuisse legitimam et sapientem. 1° Legitima fuit; S. Scripturæ præcipiunt dare eleemosynas, solvere debita, furtis abstinere : quæ quidem legitimam supponunt rerum divisionem; ergo... Et verò illud in bonorum possessione legitimum est quod universali consensu ab omnibus fuit admissum : atqui ita divisio bonorum, cùm ubique extiterit et nunc existat; ergò... 2° Sapiens. Ea divisio sapiens fuit quæ innumerorum bellorum et dissidiorum fomitem præfocavit : atqui ita divisio bonorum; si enim Abraham et Loth, viri boni atque sanguine conjuncti, non potuerunt secum habitare pacificè eò quòd substantia eorum multa esset et quasi indivisa, quot inter homines minùs pios et amicos, si bona mansissent communia, lites et jurgia exoritura fuissent! ergò..... Et verò quid melius ad illustriam sive in agris excolendis, sive in artibus elaborandis promovendam, quàm unicuique rem propriam facere? ergò...

Hinc in pravissimum errorem impegerunt recentiores novatores qui primævam prædiorum et aliorum jurium communitatem petierunt, ut nova fieret distributio secundùm merita et capacitatem uniuscujusque. Isti non adverterunt quòd, defectu judicis competentis ad merita aliorum sapienter ponderanda, impossibile esset prædictam distributionem facere absque innumeris perturbationibus; aliunde, tali distributione factâ, novus rerum ordo non stabilis esset, siquidem inter eos qui primò largam obtinuissent partem ob actiones vel facultates præclaras, multi deficiunt à prioribus virtutibus, et ob hanc negligentiam amitterent jus ad titulos vel prædia possidenda; ergò.

Quomodò autem facta fuerit bonorum divisio? an auctoritate parentum, ut putat Molina? an auctoritate principum ab hominibus electorum, ut credunt alii? an pacto hominum expresso, juxta multos, sicut accidit inter Abraham et Loth? an tandem ex mero facto hominum res communes apprehendentium cum intentione suas faciendi et retinendi, sive illa intentio per se valuerit, sive ex aliorum consensu tantùm, sive ex consuetudine quæ paulatim apud omnes invaluit propter bona indè provenientia? Hæc omnia nimis incerta sunt ut unum modum potius quàm alium admittamus. Forsan satius esset dicere divisionem bonorum repetendam esse partim à jure naturæ imperativo, scilicet pro necessariis ad vitæ conservationem; partim à jure naturæ inclinante, nempe pro his quæ sunt tantùm commodi; partim à jure gentium, seu ex iis quæ apud varios homines consensu expresso vel tacito recepta sunt.

### ARTICULUS II.

#### DE SUBJECTO DOMINII.

Subjectum dominii dicitur quisquis illius est capax. Porrò capax est dominii in res creatas omnis et solus homo. 1° Omnis : nam in quolibet homine reperiuntur dominii fundamenta, nempè voluntas et intellectus, per quæ quis disponit de actibus suis et per actus de rebus externis; ergò. 2° Solus : dominium, utpotè facultas moralis, fundatur et regulatur legibus : atqui solus homo legibus regi et moderari potest : ergò solus homo capax est dominii in res creatas.

Moveri tamen potest peculiaris difficultas de quibusdam hominum conditionibus, scilicet, 1° de infantibus et amentibus, 2° de filiis familiàs, 3° de uxoribus, 4° de clericis, 5° de religiosis. Cùm dominium, ut jam diximus, restringi possit vel lege vel pacto, expedit ut de singulis quædam specialia statuamus.

#### § 1. *De infantibus et amentibus.*

PROPOSITIO.

*Parvuli et amentes sunt dominii capaces.*

*Prob.* 1°. S. Paul. ad Galat. 4, 1 : *Quanto tempore*

*hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium.* Undè sic illi sunt dominii capaces quibus S. Paulus tribuit dominium hæreditatis relictæ : atqui parvulis S. Paulus tribuit, etc.; ergò....

2° Ratione. Si parvuli et amentes dominii non essent capaces, maximè quia ad habendum dominium requireretur usus rationis vel actualis vel saltem antecedens : atqui neutrum : non actualis, alioquin dormiens aut ebrius dominium amitteret; non antecedens, quia, ut ait Billuart, dominium habituale immediatè fundatur in potentiis quæ usum rationis præcedunt; ergò....

Et verò quid est dominium? relatio quædam inter dominum et rem ipsius, vi cujus relationis res dicitur illius, ità ut alia persona sine injustitiâ illud objectum detrahere nequeat : atqui nihil repugnare videtur cur non possit existere talis relatio inter parvulum aut amentem et bona fortunæ, præsertim cùm jure gentium statui potuerit implicitè vel explicitè bona quædam ad illos pertinere absque ullâ acceptatione, sicut advenit quotidiè ex jure nostro in legatis quæ cedunt infantibus antè omnem usum rationis, juxtà art. 725; ergo....

*Obj.* Ad acquirendum dominium requiritur acceptatio : atqui parvuli et amentes sunt incapaces acceptationis; ergò....

*Resp.* Dist. maj. : Quoties non intervenit jus gentium, conc.; quandò intervenit jus gentium, neg. Fatcor equidem ad acquirendum dominium requiri acceptationem ubi non intercedit jus gentium, quia tunc bona nullo vinculo nobis devincirentur; nego verò, cùm occurrit jus gentium, desiderari acceptationem, quia statui potest auctoritate legitimâ bona quædam ad infantes et amentes pertinere. Hæc intelliguntur de bonis fortunæ, quia bona naturæ absque acceptatione verè acquiruntur.

### § 2. *De filiis familiâs.*

(Cod. civ. ab art. 371 ad art. 489.)

Filii familiâs dicuntur illi qui ex legitimo matrimonio orti, cujuscumque sint sexûs, adhuc potestati paternæ subjacent. Porrò, juxta hodiernum codicem isti subjiciuntur paternæ potestati, donec fuerint emancipati vel annos majoritatis assecuti, art. 372.

Emancipatio fit vel pleno jure per matrimonium, art. 476; vel per patrem, aut defectu patris, per matrem, post completum annum 15, art. 477; vel defunctis patre et matre, per consilium familiæ post completum annum ætatis 18. art. 478.

Majoritas locum habet pro utroque sexu statim ac quis annum 21 compleverit, art. 388. Tunc unusquisque cujuslibet actûs vitæ civilis est capax, art. 488. Sed in matrimonio contrahendo perseverat minoritas usque ad annum 25 pro maribus, et 21 annum pro feminis, art. 148.

His præhabitis, statuimus principia quibus nunc reguntur jura filiorum familiâs.

Jus filiorum familiâs spectari potest, vel quoad dominium *directum* seu proprietatem, vel quoad dominium *utile* seu usumfructum, vel quoad *administrationem bonorum.* Itaque tria submittuntur principia ad determinanda jura filiorum familiâs.

I. Principium : *Filii familiâs habent sicut et cæteri homines dominium directum in bona quæ legitimo titulo ipsis obveniunt, cujuscumque sint generis.* Etenim codex civ. parentibus usumfructum quibusdam in casibus concedit; ergò dominium directum remanet filiis familiâs. Equidem codex illud non dicit expressè; unde primo intuitu videtur vigere jus antiquum quo plurima bona cedebant parentibus; sed, ex art. 7 legis 21 martii 1804, leges veteres obsoleverunt in materiis quæ sunt objectum legis in codice : jam verò sic se habet materia præsens, cùm de illâ titulus existat in codice.

II. Principium : *Parentes habent dominium utile in omnia generatim bona filiorum usquedùm isti emancipati fuerint, vel annum* 18 *compleverint, annexis tamen quibusdam oneribus nisi huic dominio renuntiaverint, art.* 384.

Dixi, 1° *parentes*, id est, durante matrimonio, pater solus, et dissoluto matrimonio, mater, cum hoc tamen discrimine, scilicet, si pater supersit, usumfructum servat, etiamsi novum contrahat matrimonium, dùm mater, si transeat ad secundas nuptias, usumfructum ita amittit, ut, si forsan iterùm vidua fiat, illum recuperare non possit, art. 386. Ut hoc beneficium à lege obtineant parentes, negligere non debent inventarium rerum defuncti, si post illius obitum adsint filii minores, art. 1442.

2° *Dominium utile*, id est, commoda, fructus, emolumenta bonorum, art. 384, 389. Lex voluit ut parentes quodam modo fierent indemnes pro expensis quas exegit filiorum educatio, et simul providit ne parentes haberentur à filiis velut merè mandatarii, à quibus ratio potuisset postulari magno cum detrimento pietatis filialis.

3° *In omnia generatim bona*, quia lex ipsamet quasdam apposuit restrictiones; sic excipiuntur, 1° bona quæ acquiruntur industriâ separatâ, art. 387; 2° ea quæ ipsis dantur vel legantur sub conditione quòd nec pater nec mater illis fruantur, eod. art. ac suprà; 3° ea quæ proveniunt ex successione quâ excluduntur pater et mater tanquàm indigni, art. 730; 4° ea quæ *majoratum* componunt, ex decisione consilii statûs à gubernio approbatâ 18 die januarii, 1811. Horum omnium ususfructus sicut et proprietas ipsis filiis familiâs cedit.

4° *Filiorum legitimorum*, quia parentibus non competit ususfructus in bona spuriorum et naturalium; nullibi lex hunc concedit; è contrario legislator manifestè supponit matrimonium adfuisse, cùm dicat, *durante matrimonio, pater, vel, dissoluto, superstes...* art. 384; sic statuitur in gratiam morum bonorum.

5° *Usquedùm isti emancipati fuerint vel annum* 18 *compleverint;* tunc cessat jus parentum, art. 384. Citiùs cessaret illud jus, non obstante art. 620, si filius ante hoc tempus decederet. Lex usumfructum non tribuit parentibus nisi propter onera : porrò onera

cessant morte parvuli ergo. Et verò jus illud afficit bona filiorum in quantum præcisè ad illos pertinent: atq., adveniente eorum morte, jam ampliùs ad illos bona non pertinent; erg. Sic Delvincourt, Toullier, Joubert.

6° *Annexis tamen quibusdam oneribus.* Ea onera hæc sunt, ex art. 385 : 1° « Les charges auxquelles sont « tenus les usufruitiers; » porrò de his art. 606 et seq. usque ad 616 incl.; 2° « la nourriture, l'en« tretien et l'éducation des enfants, selon leur for« tune; 3° le paiement des arrérages ou intérêts des « capitaux; 4° les frais funéraires et ceux de la der« nière maladie. »

7° *Nisi usuifructui renuntiaverint;* cùm in gratiam parentum jus illud concessum fuerit veluti privilegium, huic renuntiare poterunt si ipsis sit onerosum.

III. Principium : *Pater, vel illo defuncto, superstes, omnium bonorum filiorum familiâs servat administrationem, sive filii habeant in ea dominium plenum, sive habeant tantùm dominium directum, donec isti sint majores qui emancipati*, art. 389, 481, 482, 483. Licèt donator possit parentes usufructu privare, non potest tamen ab illis administrationem abstrahere; sic Paillet, in art. 387.

Majores omnimodam et emancipati non nisi restrictam obtinent bonorum suorum administrationem, art. 457, 458, 459, 481 et seq. 903, 1095.

Ex his solvuntur quæstiones practicæ huic materiæ affines.

*Quær.* 1° an filii familiâs habeant dominium plenum in bona quæ sibi à parentibus dantur ?

*Resp.* 1° Filii fam. habent dominium plenum in bona primo usu consumptibilia quæ sibi à parentibus dantur, v. g. cibum, vinum, pecuniam, etc., *nisi quædam apposita fuerit restrictio*, cùm eis uti et abuti possint absque alterius injuriâ, siquidem parentes in gratiam filiorum illa penitùs abjecerunt; ergò. Dixi, *nisi apposita fuerit restrictio;* nam si parentes ea bona tantùm dedissent pro usu determinato, v. g., ad libros emendos, pensionem solvendam, munuscula domesticis juxtà consuetudinem conferenda, tunc filii familiâs non haberent in ea dominium plenum. Igitur si ad alium finem ea impenderent, restitutioni obnoxii essent, nisi parentes in illam distractionem consentientes rationabiliter præsumantur.

2° Filii fam. non habent nisi dominium utile in bona à parentibus sibi data, quandò primo usu non consumuntur, v. g., vestes, libros, scapellos, etc.; nam aliud jus non habent in res hujusmodi quàm jus à parentibus concessum : atqui supponuntur parentes eas res concedere ad usum et non ad abusum; ergò... Hæc itaque bona filii fam. donare, vendere aut mutare non possunt absque consensu parentum saltem benè præsumpto.

*Quær.* 2° utrùm lucra quæ facit filius fam. in domo paternâ, ad ipsum vel ad patrem pertineant ?

*R.* Extrà omnem discussionem ponenda est hypothesis in quâ lucra filii familiâs necessaria forent ad vitam parentum sustinendam. Ferè omnes theologi docent filium familiâs in hâc circumstantiâ non posse retinere lucra quæ facit in domo paternâ; id manifestum est, tùm jure naturali, quo filii parentibus egentibus, saltem ex pietate, subvenire tenentur, tùm jure civili, cùm ex art. 205, quo sanè legislator voluit aliquid addere legi naturæ, ista sufficiat ad docendum parentibus egenis filios debere alimenta. Juxtà art. citatum conceditur parentibus egentibus actio contrà filios coram tribunalibus exercenda, ac proinde in illis agnoscendum est jus strictum retinendi lucra quæ facit filius familiâs in domo paternâ; atque iterùm consequenter filius familiâs non potest ea lucra in hoc casu repetere. Sed, supposità non paupertate parentum, in sinuandæ sunt plures distinctiones ad claram quæstionis solutionem.

Vel illa lucra acquiruntur à filio fam. industriâ separatâ, v. g., labore extraordinario et indebito, arte propriâ, commercio peculiari; vel acquiruntur industriâ communi, v. g., unà cum patre laborando, vel nomine patris negotiando.

Si prius, filius fam. statim habet in ea dominium plenum, cùm ipsi lex conferat istorum proprietatem et usumfructum, art. 387; non tenetur tamen filius impensas deducere, quas in eo alendo fecit pater hujus industriæ conscius, nisi aliter stipulatum fuerit, quia, ex art. 852, tales impensæ non computantur in partem hæreditatis.

Si posterius, vel illa lucra acquisivit ut socius patris, putà si unà cum patre agit commercium; vel acquisivit ut mandatarius patris, v. g., famulus aut minister.

Si prius, filius fam. jus non habet ad lucrum ex societate proveniens, etsi vera sit illa societas, *nisi actu authentico constituta fuerit;* quia, ex art., 854, hæres quicunque, ac proindè filius, in hæreditatem tenetur conferre quidquid ex labore cum defuncto communi, quovis titulo percipere potuit. Lex sic statuit ne fraudes committerentur, scilicet, ne quid sub prætextu societatis aliquid ultra partem disponibilem recipiat. Dixi, *nisi societas actu authentico redacta fuerit;* eâ solemnitate adhibitâ, jam nullum est periculum ne fraus sub specie societatis committatur, ac consequenter lex irritans conventionem inutilis et imò esset odiosa, art. 853, 854.

Si posterius, filius fam. semel emancipatus, vel 18 annos assecutus, habet dominium plenum, saltem ratione stipendii vel salarii, servatis quibusdam conditionibus, in bona quæ acquiruntur industriâ communi. Filius non deterioris est conditionis ac extraneus : atqui extraneus jus strictum habet ad stipendium; erg. Et verò filius fam. non tenetur laborare gratuitò pro parentibus non indigentibus; neque jure naturali, cùm hoc non præcipiat nisi reverentiam in illos parentes; neque jure civili, quod hâc de quæstione omninò silet; erg. Unde filius familiâs contra justitiam non peccat, et ad restitutionem non tenetur, repetendo, vel clam subripiendo lucra quæ fecit in domo patris sui. Sic sentiunt Lessius, Delugo, Navarrus, etc.

Dixi 1°: *Semel emancipatus, vel 18 annos assecutus*, quia ante hoc tempus filius familiâs habet tantùm do-

minium directum bonorum quæ acquiruntur industriâ communi; horum verò usumfructum parentes retinent, art. 384.

Dixi 2° *ratione stipendii vel salarii*, adeò ut lucrum inde proveniens labori et industriæ correspondeat, et distinguatur à lucro quod ex societate commercii ortum duceret. Inter utrumque magnum adest discrimen, cùm lex uni et non alteri resistat.

Dixi 3° *servatis quibusdam conditionibus*. Hæc enim requiruntur, 1° ut filius vel expressè vel implicitè manifestaverit se non velle titulo gratuito laborare; alioquin lucra patri reliquisse censeretur; unde, si promiserit gratis laborare, vel nullatenùs de lucro cogitaverit, vel de eo cogitans tacuerit ob levem metum, vel, optione illi datâ abeundi aut gratuitò laborandi, domi remanserit, nihil repetere potest, quia lucro renuntiavit; 2° ut pater per se vel per alios minori pretio id non fecisset quod fecit filius; 3° ut deducantur impensæ quas tunc temporis fecit pater in filio alendo vel vestiendo vel educando, quia pater non tenetur alere aut vestire filium propria habentem; aliter dicendum est de impensis quæ præcesserunt, nam pater censebatur gratuitò tunc filium educare et vestire; 4° ut hæc bona ante emancipationem suam filius non repetat; et si enim filius post emancipationem vel 18 annos usumfructum acquirat, administratio penès patrem usque ad majoritatem vel emancipationem filii manet.

Quod dicitur de filio familiâs relativè ad patrem vel matrem, pro lucris quæ fecit in domo paternâ, extendi debet ad filiam familiâs, ad nepotem, ad neptem, ad aliam quamcunque personam consanguineam vel extraneam, quæ simul cum aliâ operatur.

Cæterùm, rarissimè in praxi permittenda est illa sententia, quia rarò concurrunt omnes conditiones quas exposuimus. Eâ tantùm uti potest confessarius ad solvendas difficultates eorum, qui sub tali prætextu aliquid patri vel illius hæreditati subtraxerunt.

### § 3. *De uxoribus.*

(Cod. civ. ab art. 1387 ad art. 1581.)

Sponsi matrimonium ineuntes constitui possunt quoad bona vel sub regimine communitatis, vel sub regimine communitatis exclusivo, vel sub regimine dotali. Pro diversis illis regiminibus diversa sunt uxorum jura.

#### I. *De dominio uxorum sub regimine communitatis.*

Regimen communitatis illud est quo fit inter conjuges quædam bonorum societas: dicitur regimen communitatis *legalis* vel *conventionalis*, prout illa bonorum societas jure communi regitur vel modificatur stipulationibus conjugum. Regimen communitatis *legalis* locum habet quandò conjuges matrimonium ineundo nullam specialem paciscuntur conventionem pro bonis, vel declarant per contractum matrimonialem se velle nubere sub regimine communitatis. Regimen communitatis *conventionalis* nihil aliud est quàm communitas legalis cui contrahentes varias apponunt clausulas à lege non prohibitas; sub utroque illo regimine bona sunt *communia* vel *propria*. Bona *communia* ea sunt quæ communitati ex lege aut conventione matrimoniali subjiciuntur; art. 1401, usquè ad 1403. Bona *propria* ea sunt quæ exclusivè pertinent ad alterutrum ex conjugibus, qualia sunt bona immobilia de quibus sermo est art. 1404, usquè ad 1408. His præhabitis, duæ assertiones pro bonis de quibus suprà.

1ª Assertio: *Uxor ferè nullum habet jus in bona communia quandiu perseverat communitas.* Etenim dominium directum, dominium utile et administratio bonorum communium, marito, non quidem ut absoluto domino, cùm quædam ei imponantur restrictiones, art. 1422, sed ut capiti exclusivè tribuuntur, art. 1421. Undè actus quos uxor, *durante communitate*, elicit absque consensu mariti, etsi fiant auctoritate justitiæ, non gravant bona communitatis nisi in paucissimis casibus, art. 1426, 1427. Dixi, *durante communitate*, quia, eâ solutâ, uxor, si velit ei stare, jus habet ad dimidiam partem bonorum, juxtà regulas quæ statuuntur ab art. 1467, usque ad 1491.

2ª Assertio. *Uxor dominium solummodò directum servat in bona propria.* Apertè illud supponit art. 1428. Dixi, *dominium solummodò directum*, quia dominium utile communitati advenit, art. 1401, et administratio marito cum quibusdam oneribus tribuitur, art. 1448. Si autem maritus ea onera non impleat, invocare potest uxor dispositiones articuli 1445 et seq.

Matrimonium sub regimine communitatis conventionalis easdem sequitur regulas ac matrimonium initum sub regimine communitatis legalis, in iis quibus explicitè aut implicitè derogatum non fuit. Si quid communitati legali additum vel detractum fuerit per contractum matrimonialem, huic standum est.

#### II. *De dominio uxorum sub regimine communitatis exclusivo.*

Regimen communitatis exclusivum est veluti medium inter utrumque, communitatis videlicet et dotale. Tunc locum habet quandò conjuges, non stipulato regimine dotali, declarant se matrimonium inire sine communitate vel cum bonorum separatione, art. 1529. Istius regiminis hæc sunt principia.

1ª Assertio. *Si matrimonium simpliciter contrahatur sinè communitate, uxor conservat dominium directum omnium bonorum suorum saltem immobilium.* Durante matrimonio, maritus eorum habet usumfructum et administrationem, art. 1530, 1531, excepto casu articuli 1634. Dissoluto autem matrimonio, immobilia in re, et mobilia saltem in valore vir reddere tenetur, art. 1532, 1533.

2ª Assertio. *Si matrimonium contrahatur cum bonorum separatione, uxor habet dominium directum, dominium utile et administrationem omnium bonorum suorum sive mobilium, sive immobilium, modò partem redituum conferat ad onera matrimonii sustinenda*, art. 1536, 1537.

#### III. *De dominio uxorum sub regimine dotali.*

Regimen dotale nomen suum non accipit à consti-

tutione dotis : in aliis duobus regiminibus dos potest constitui; sic nominatur quia dos, quando constituitur sub hoc regimine, peculiaribus gaudet privilegiis, art. 1540 usque ad 1581. Ad regimen dotale non sufficit quædam dotis stipulatio, nec exclusio communitatis, neque etiam bonorum separatio, sed requiritur expressa declaratio, art. 1392.

Sub hoc regimine bona uxoris sunt vel *dotalia*, vel *paraphernalia*. *Dotalia* ea sunt quæ mulier tradit marito ad sustinenda matrimonii onera, art. 1540, 1541. *Paraphernalia* sunt omnia uxoris bona in dotem non constituta, art. 1574. Hæc ultima differunt à bonis propriis; propria habentur sub regimine communitatis, dùm paraphernalia sub regimine tantùm dotali inveniuntur.

1ª Assertio. *Uxor ordinariè habet dominium directum bonorum dotalium, art.* 164. Cætera jura marito competunt, art. 1549, salvâ tamen stipulatione quâ conjuges convenerunt de quâdam parte redituum ab uxore pro suis privatis necessitatibus percipiendâ, art. 1545.

Dixi *ordinariè;* quia si bona sint primo usu consumptibilia, art. 1587, vel mobilia æstimata, art. 1551, uxor non habet jus nisi ad valorem. Tunc maritus dominium directum, usumfructum et administrationem obtinet cum obligatione restituendi, soluto matrimonio, juxtà id quod præscriptum est, art. 1564.

Fatendum est tamen restrictum esse dominium directum quod, pro diversis casibus, uxor vel maritus obtinet in bona dotalia immobilia, cùm ea nec ab uxore, nec à marito, nec ab utroque simul, etiam accedente judicis auctoritate, alienari aut oppignerari queant, art. 1554, nisi in novem circumstantiis à lege prævisis, art. 1555, usque ad 1559.

2ª Assertio. *Uxor habet dominium directum, dominium utile, et simul administrationem bonorum paraphernalium, quibus tamen quædam annectuntur onera.* Dominium directum implicitè, cùm nullibi marito tribuatur, et explicitè dominium utile cum administratione, art. 1576, uxori codex relinquit.

Dixi, *quibus tamen annectuntur quædam onera.* Si enim paraphernalia sint omnia uxoris bona, uxor oneribus matrimonii pro parte conventâ, vel deficiente pacto in contractu matrimoniali, pro tertiâ parte concurrere debet, art. 1575, 1576.

Ad hæc bona revocari possunt ea quæ comparat uxor vel propriâ industriâ, vel labore extraordinario post datam familiæ debitam attentionem, vel qui subtrahendo de sibi concessis ad cibum, vestitum recreationes, vel aliquid accipiendo titulo donationis, sub conditione quòd maritus in rem datam nullum jus habeat.

*Nota I.* Sub quocunque regimine nupserit mulier, non potest bona sua immobilia inter vivos donare, alienare, oppignerare, vel aliena titulo gratuito aut oneroso acquirere, absque consensu mariti vel judicis auctoritate, art. 217, 219.

*Nota II.* Sub quocunque regimine nupserit mulier, etiamsi quoad bona separata sit, aut mercaturam publicè exerceat, non potest stare in judicio absque auctoritate mariti vel judicis, art. 215, nisi in jus vocetur tanquam rea, art. 216.

Collige 1° uxorem peccare contra justitiam, et ad restitutionem teneri erga maritum vel ejus hæredes, si aliquid de fructibus rerum dotalium, vel de bonis communibus, vel multò magis de bonis propriis viri subripiat aut absumat, *marito rationabiliter invito.* Ratio est quia, ex dictis, violat jus strictum alterius.

Dixi, *marito rationabiliter invito;* sunt enim casus, in quibus uxor de bonis familiæ absque peccato et injustitiâ disponere potest. Sic potest uxor de bonis communibus vel de fructibus dotalibus clàm subripere, quantùm opus est ad suam decentem sustentationem, ad familiam alendam, ad filios educandos et collocandos secundùm suum statum, ad moderatas eleemosynas quas facere consueverunt piæ mulieres ejusdem conditionis, ad dotem suam conservandam, si immineat inevitabilis decoctio, ad extinguenda debita legitimè contracta, si maritus solvere nolit; quia hæc omnia sunt onera communitatis.

Utrùm autem uxor iisdem bonis possit patri vel matri vel proli indigenti, si quam habeat ex alio matrimonio, subvenire? Ità videtur, si nupserit sub regimine communitatis; tunc omnia onera matrimonii utrique conjugi sunt communia, ex art. 1409 collato cum articulo 206. Aliud est, si nupserit sub regimine dotali; maritus enim non tenetur præstare alimenta parentibus uxoris suæ indigentibus, nisi in subsidium et loco uxoris, quandò ista non habet bona propria, art. 205, 206, 1558.

Collige 2° maritum peccare contra justitiam, et ad restitutionem teneri erga uxorem vel ejus hæredes, si bona uxoris propria, aut dotalia, aut paraphernalia dissipet, vel accipiat et impendat, *eâ invitâ*, fructus eorum bonorum, quorum illa habet usumfructum. Ratio est quia violat jus strictum uxoris vel in dominio directo, vel in dominio utili.

Dixi, *invitâ uxore*, quia, si maritus paraphernorum fructus percipiat sine mandato et impedimento uxoris, lucratur fructus consumptos, et tenetur tantùm, sive post dissolutionem matrimonii, sive post uxoris petitionem, fructus exstantes restituere, art. 1577 et 1578.

An verò teneatur ad restitutionem maritus qui bona communia, invitâ uxore, in usus malos aut vanos notabili quantitate impendit? Affirmant qui volunt maritum esse merum communitatis bonorum œconomum. Negant alii qui censent maritum esse bonorum communitatis dominum. Nobis, ex art. 1421 et 1422, distinguendum videtur : si maritus, dissipando bona communia, sese continuerit intra limites jurium, quæ à lege sibi concessa sunt, etsi peccaverit contra charitatem vel prudentiam, ad restitutionem non erit obligandus, modò indè rem propriam non auxerit. Si autem prædictos juris limites excesserit, v. g., titulo gratuito bona immobilia vel bonorum mobilium universitatem alienaverit, cogendus est ad restitutionem.

### § 4. *De clericis.*

Bona clericorum triplicis sunt generis : *patri-*

*monialia*, *quasi-patrimonialia* et *ecclesiastica*.

*Patrimonialia* seu *profana* sunt ea quæ clerici sibi comparant mediis sibi et laicis communibus, v. g., hæreditate, donatione, venditione, professione illiberali vel liberali sine respectu ad clericatum. Dicuntur profana quia ita sunt ratione functionis et salarii.

*Quasi-patrimonialia* seu *quasi-ecclesiastica* sunt quædam honoraria ex bonis fidelium provenientia et clericis data ob illorum sacras functiones, v. g., concionis, cantûs in choro, missæ celebrationis, sacramentorum dispensationis, funeralium obsequiorum. Sic vocantur, quia profana sunt, quatenùs proveniunt ex bonis fidelium profanis, et sacra, quatenùs dantur ob sacras functiones.

*Merè ecclesiastica* ea sunt quæ proveniunt ex bonis Ecclesiæ appropriatis, et dantur propter munus spirituale. Sic olim beneficia. Appellantur merè ecclesiastica, quia sacra sunt, quatenùs ob functiones sacras dantur et proveniunt ex bonis Ecclesiæ dicatis ac proindè sacris.

Varia sunt clericorum jura pro variis illis bonis.

*Dico* 1° : Clerici plenum habent dominium in bona patrimonialia, quia non amiserunt eorum proprietatem; neque voto, cùm paupertatem non voverint; neque lege, cùm lex ipsis hoc dominium non abstulerit; ergo.

*Dico* 2° : Clerici, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, plenum habent dominium in bona quasi-patrimonialia, adeò ut de illis pro libitu disponere possint absque ullâ obligatione restituendi. Ita bona clericis à fidelibus traduntur absque restrictione ad certum usum et citra onus superflua in pias causas erogandi; ea quippe dantur titulo vel congruæ sustentationis, vel mercedis pro labore extraordinario, vel compensationis pro lucris quibus renuntiavit, et impensis quas fecit sacræ militiæ candidatus ut se reddat aptum ad clericalia munia ritè obeunda : quocunque autem titulo præfata bona clericis obveniant, traduntur absque restrictione; ergo. Et verò illa bona pertinent vel ad clericos, vel ad ecclesiam, vel ad donatores : atqui non duo posteriora; non ad ecclesiam, cùm ipsi non approprientur; non ad donatores, cùm ea penitùs abjecerint; ergo... Præterea sic Bened. XIV in opere de Beatific. servorum Dei, lib. 3, cap. 34, n. 23 : « Reditus sunt in duplici differentiâ : alii qui « proveniunt ex bonis patrimonialibus vel quasi-patri« monialibus, alii qui proveniunt ex bonis ecclesiasti« cis : bonorum primi et secundi generis, ecclesiastici « dominium habent : possunt eorum reditus sibi reu« nere vel etiam aliis pro libito largiri. » Ergò. Hinc non tenentur ad restitutionem hæredes sacerdotis quibus ille bona quasi-patrim. reliquit.

*Dico* 3° : Circa bona ecclesiastica tria constant, scilicet, 1° clerici non habent dominium in fundum bonorum ecclesiasticorum, eo sensu quòd illum validè vendere, donare aut commutare possint; 2° clerici jus strictum habent in omnia ex his bonis quæ necessaria sunt ad honestam sustentationem : *Qui altari deserviunt, cum altari participant*, I. Cor., 9, 7, 13; hinc, etiamsi alia habeant bona quibus decenter vivere queant, de bonis ecclesiasticis sumere possunt id quod necessarium est ad convenientem clerici statum; hinc, si parti congruæ sustentationis parcant, in eam acquirunt dominium perfectum. 3° Clerici tenentur aliquo titulo reditus ecclesiasticos honestæ sustentationi superfluos in pios usus sub pœnâ peccati mortalis impendere. *Hanc obligationem*, ait Bened. XIV de Syn. diœc. 7, cap. 2, *omnes Ecclesiæ canones clericis imponunt aut impositam supponunt.*

Nunc difficultas est determinare an obligatio superflua honestæ sustentationi in pios usus erogandi repetenda sit ex justitiâ vel ex charitate, vel ex religione vel ex lege ecclesiasticâ, vel ex alio titulo. Theologi circa hanc quæstionem in diversas partes abeunt.

Quid agendum in tantâ opinionum diversitate? Conc. Trid., rationibus et auctoritatibus utrinque perpensis, unam præ aliâ non ausum est amplecti sententiam. Cùm decretum, quo interdicitur episcopis ne reditibus ecclesiasticis consanguineos familiaresque suos augere studeant, sic efformatum esset, ut hujus prohibitionis hæc ratio adduceretur, *quia dispensatores tantùm sunt*, in generali congregatione die 23 novembr. 1563, hæc verba Patribus expungenda visa sunt, et, intercedentibus cardinali à Lotharingiâ, archiepiscopis Rhemensi et Granetensi, de facto fuerunt expuncta; unde mens Concilii Tridentini fuit ut in scholis maneret libera quæstio proposita. Iisdem momentis nixus Benedictus XIV Pontifex, traditionis ecclesiasticæ peritissimus, in aureo et immortali opere *de Synodo diœcesanâ*, ab eâ difficultate dirimendâ abstinuit, et in suis Synodis episcopos pariter abstinere monuit. Numquid post tot et tantas auctoritates nobis ultrà progredi conveniat? Igitur satis erit pio sacerdoti, cùm præsertim hujus controversiæ solutio, bonis ecclesiasticis hodiè ad honestam clericorum sustentationem vix sufficientibus, ad praxim parùm conferat, cognoscere gravem adesse obligationem, saltem ex religione, in pias causas superflua redituum ecclesiasticorum impendenti : *Parvi enim refert*, scribit Bellarminus ad nepotem, *utrùm quis damnetur quia peccavit contra charitatem, vel contra justitiam, non benè distribuendo facultates suas.*

In quâcunque tamen sententiâ, clericus graviter suis officiis infidelis defectu vel residentiæ, vel prædicationis, vel recitationis breviarii, vel celebrationis missæ, vel aliorum munium pastoralium, ad restitutionem tenetur pro ratâ parte negligentiæ; adimpletio enim istarum functionum pensionis accipiendæ conditio est.

Ad hæc bona, nempè ecclesiastica, revocandæ videntur pensiones quæ clericis à gubernio vel à parochianis titulo *supplementi* solvuntur. Bona ecclesiastica sunt prædia vel reditus Deo dicata et Ecclesiæ appropriata ad clericorum sustentationem; atque tales sunt pensiones... : ergò. Et verò ea bona haberi debent ut ecclesiastica quæ dantur in compensationem bonorum ecclesiasticorum ablatorum; atqui tales sunt pensiones quæ clericis attribuuntur, siquidem Pius VII non cessit bona ecclesiastica quæ fuerant à gubernio iniquè vendita tempore perturbationis Gallicæ, nisi eâ

conditione ut eorum loco assignarentur pensiones vel reditus in honestam clericorum sustentationem : « Declaramus, ait Cardinalis Legatus, decreto circumscriptionis sedium episcopalium Parisiis dato, die 9 aprilis 1802, earumdem ecclesiarum dotationem ex iis reditibus conflatam fore qui ab ipso gubernio, juxta præfatæ conventionis tenorem, singulis archiepiscopis et episcopis assignandi erunt : » ergo... Præterea confirmatur sententia nostra decisione sacræ Pœnitentiariæ. Sic habet quæsitum : « An salaria quæ in Belgio à gubernio solvuntur pastoribus et canonicis induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residentiæ sub pœnâ non faciendi fructus suos? » *Responsum :* « Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondet jam aliàs à S. Sede de consilio selectæ congregationis responsum fuisse affirmativè. Datum Romæ, die 19 januarii 1819. » Hæc decisio, etsi data fuerit pro Belgio, iisdem de causis Galliæ applicanda est.

*Obj.* 1° : Ea bona non sunt ecclesiastica quæ solis personis appropriantur ; atqui ità pensiones de quibus suprà, siquidem, ecclesiâ vacante, non solvuntur : ergo.

*Resp. dist. maj.* Quæ solis personis quà talibus, *conc.;* quæ solis personis quatenùs Ecclesiam regunt, *neg.* Tunc enim indirectè ipsismet ecclesiis appropriantur ut vera dotatio, de quâ loquitur Card. Caprara ; porrò ità sunt pensiones quæ clericis beneficiariis impenduntur : ergò.

*Obj.* 2° : Pensiones prædictæ eodem modo clericis tribuuntur quo laicis munia publica exercentibus ; atqui omninò laicis cedunt pensiones : ergò et clericis.

*Resp. neg. maj.* Juxtà conventionem gubernium inter et S. Pontificem initam, pensiones clericis tribuuntur in compensationem bonorum ecclesiasticorum : atqui bona substituta ejusdem sunt naturæ ac ea quibus substituuntur : ergò... dùm verò laici publicas functiones exercentes ære publico tanquàm salario solvuntur.

### § 5. *De Religiosis.*

Dominium religiosorum considerari potest vel quoad communitates religiosas, vel quoad religiosos impropriè dictos, vel quoad religiosos propriè dictos. Ad hæc tria solvenda, ea tantùm indicabimus quæ in præsenti rerum ordine alicujus utilitatis esse possunt.

#### I. *De dominio communitatum religiosarum.*

Sub nomine communitatum religiosarum hìc comprehenduntur quælibet societates et religiosæ et merè ecclesiasticæ.

Communitates *generatim loquendo* habere possunt dominium rerum temporalium. Nam communitas religiosa, neque ex ordinatione Ecclesiæ, cùm nullibì id prohibeat, neque ex intentione profitentium, cùm professentes intendant tantùm se ipsos obstringere voto paupertatis, neque ex naturâ communitatis, cùm aggregatio individuorum primariam illorum naturam non mutet, fit incapax dominii temporalis. Ergo ... Non ideò tamen permittitur communitati omnimodò temporalium dispositio, quia ejus dominium aliquatenùs ligatur et restringitur ad sustentationem religiosorum, alimoniam pauperum et alios pios usus ; nam hæc bona sunt Deo consecrata, ac proindè religiosè impendenda.

Dixi *generatim loquendo*, quia jure positivo et ecclesiastico, dominii capacitas pro communitatibus sicut pro privatis restringi potest. Sic 1° ex jure canonico incapaces dominii temporalis declarantur ordines mendicantes, videlicèt, ordo Capucinorum et ordo Fratrum Minorum strictæ observantiæ, quibus addi debent domus Jesuitarum quæ verè professæ habentur, qualis est ea quæ Romæ floret : hi enim abdicaverunt dominium etiam in communi, ut nonnisi eleemosynis vivant. Sic 2° ex jure civili, acquirere et alienare nequeunt communitates ecclesiasticæ, quibus desunt quædam conditiones. Istæ conditiones lege diei 2 jan. 1817 exiguntur : 1° ut lege agnoscantur communitates ; 2° ut obtineatur licentia à rege, si bonum acquirendum excedat 300 francos, et à præfecto, si bonum acquirendum 300 francos non excedat ; 3° ut regis eamdem licentiam obtineant ad alienandum bona immobilia vel census ab iis institutionibus jam acquisitos.

#### II. *De dominio religiosorum impropriè dictorum.*

Religiosi impropriè dicti ii sunt qui in statu Religionis emiserunt tria vota simplicia, nempè castitatis, paupertatis et obedientiæ. Jam verò illi sunt capaces dominii in res temporales sive mobiles sive immobiles, in eo sensu quòd validè, etsi non licitè, possint eas acquirere, possidere et alienare. Etenim votum paupertatis neque *ex se*, neque *ex ordinatione Ecclesiæ* tollit capacitatem dominii : non *ex se*, cùm penès hominem non sit eam abdicare facultatem quæ ab ipso non pendet... ; non ex *ordinatione Ecclesiæ*, cùm Ecclesia vim proprietatis exclusivam voto simplici non alligaverit. Ergò nihil aufert religiosis impropriè dictis capacitatem dominii. Si quid strictius invenitur in Jesuitis qui post duos probationis annos emiserunt vota simplicia, hoc provenit, non ex naturâ rei, sed ex privilegio S. Sedis, quæ istorum votis annexuit incapacitatem dominii sub reservatione superioris. Ea verò capacitas quâ gaudent cæteri religiosi qui votis tantùm simplicibus obstringuntur, non impedit quin graviter aut leviter peccent si eâ utantur, disponendo de rebus suis absquè dependentiâ superioris, quia isti votis suis saltem exercitium sui juris prohibuerunt.

#### III. *De dominio religiosorum propriè dictorum.*

Religiosi propriè dicti illi sunt qui in statu Religionis ab Ecclesiâ ritè approbato emiserunt tria solemnia vota, nempè castitatis, paupertatis et obedientiæ. Porrò illi sunt incapaces dominii in res temporales et externas, non quidem naturâ voti, cùm votum solemne non differat à voto simplici, sed institutione

Ecclesiæ quæ voto solemni tribuit vim proprietatis exclusivam. Sic Conc. Trid. sess. 25, cap. 2 de reg., statuit : *Ut nemini regularium liceat bona mobilia vel immobilia tanquàm propria, etiam nomine conventùs, possidere vel tenere, sed statim ea superiori tradat.* Hinc nullam possunt rem temporalem pretio æstimabilem sine licentiâ superioris accipere, retinere, absumere, permutare, commodare, alienare, aut eâ uti, quia hæc omnia sunt actus proprietatis, cùm fiant proprio arbitratu et absque dependentiâ à voluntate superioris.

Verùm juxtà probabiliorem sententiam non existunt in Galliis hujusmodi vota. Etenim fierent vel in societatibus recenter institutis, vel in veteribus societatibus in quibus olim emittebantur vota solemnia ; atqui in quâcunque hypothesi fiant, jam non habentur ut solemnia. Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, tria vota religionis adeò inseparabilia sunt ut unum absque alio emitti non possit ; atqui in Galliis jam emitti non potest votum paupertatis solemne : votum paupertatis solemne *ex ordinatione Ecclesiæ* excludit capacitatem dominii, atque illa dominii capacitas hodiernis temporibus abdicari non potest, quia jus civile, cui sese conformare tenentur omnes cives in his quæ sunt de foro temporali, statuit unumquemque ad contractus ineundos et successiones accipiendas habilem esse : ergò. Ea sententia confirmatur variis S. Pœnitentiariæ responsionibus, quarum una ad superiorem seminarii Nannetensis die 28 nov. 1818, alia ad Episcopum Lemovicensem anno 1820 et alia novissimè, præsertìm pro monialibus, ad Episcopum Cenomanensem 2 janv. 1836 directa fuit. *Vid. Amicum Religionis Diarium*, 1 mart. 1836.

Hinc religiosi in Galliis validè habere possunt dominium, id est, acquirere, possidere, alienare, contractus facere, successiones recipere, et omnes actus proprietatis exercere. Sed, cùm eorum votum ad minus valeat ut simplex, prædictos actus dominii licitè exercere non possunt nisi cum dependentiâ superioris, juxtà regulas paupertatis in ordine præscriptas.

## ARTICULUS III.

### DE OBJECTO DOMINII.

Objectum dominii sunt omnes res usibus humanis accommodatæ : illæ sunt, respectu hominis, vel exteriores, vel interiores.

1° Exteriores sunt vel corporeæ, vel incorporeæ.

Corporeæ illæ sunt, quæ tangi possunt, ut fundus, vestis. Eæ sunt vel mobiles, vel immobiles. Mobiles illæ sunt, quæ sè ipsas movent, ut animalia, vel quæ è loco in locum moventur, ut pecunia, supellex, navis, art. 527 et 528 ; immobiles istæ sunt, quæ naturâ suâ moveri non possunt, ut fundus, domus ; vel ratione suæ destinationis tanquàm immobiles habentur, ut animalia, instrumenta aratoria et alia similia, quæ dominus fundi in eo collocavit, vel colono tradidit ad culturam, quandiù fundo adhærent, art. 517 usque ad 525.

Incorporeæ sunt res quæ tangi non possunt, sed in jure consistunt, et solo intellectu percipiuntur, ut obligatio, hæreditas, servitus. Illæ res sunt adhuc mobiles vel immobiles secundùm mobilitatem aut immobilitatem rerum quas afficiunt. Sic mobiles dicuntur obligationes et actiones, quæ ad rerum mobilium acquisitionem tendunt, art. 529 ; immobiles verò dicuntur ususfructus rerum immobilium, servitutes et actiones, quæ ad rei immobilis vindicationem tendunt, art. 526.

2° Interiores tres potissimùm distinguuntur, vita, fama et libertas.

His notatis, omnes conveniunt res externas et sublunares, qualia sunt agri, montes, flumina, plantæ, metalla, bestiæ, jure naturæ cadere sub dominium hominis ; homo enim à naturâ habet facultatem de his disponendi ad suum commodum, ex Psal. 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Ut autem aliqua res objectum dominii propriè dictum censeatur, tres potissimùm conditiones assignantur à publicistis qui de jure naturæ et gentium scripserunt.

1ª Ut res naturâ suâ sit apprehensibilis, id est, subjici possit hominis potestati, alioquin dominium esset inutile ac proindè irritum. Hinc non dicimur habere dominium solis, lunæ, stellarum, quamvis contra justitiam peccaret ille qui nos injustè impediret à jure quod quis habet iis utendi.

2ª Ut res alicui usui nobis esse possit. Ideò distracta sunt quædam objecta à statu primitivæ communitatis, ut ad nostram utilitatem inservire valeant. Vix tamen est aliqua res quæ ad aliquid non possit inservire ; ad hoc sufficit aliqua voluptas ex ejus possessione percipienda.

3ª Ut res possessionis exclusivæ sit capax, alioquin, si usibus communitatis vel universitatis destinaretur, nemo in eam, seclusis aliis, jus sibi tribuere posset ; non datur alicui jus contra bonum publicum : hinc frustrà quis vellet totum Oceanum occupare. Aliter tamen sentitur de fretis, et quibusdam maris partibus : interest quandoque gentium ea occupare, sive ad piscationem, sive ad legitimam defensionem.

Nunc expendendum superest an et quale dominium habeat homo in bona sibi interiora, scilicèt vitam, famam et libertatem suam, de quibus sigillatim.

*Quæres* 1° an et quale dominium habeat homo in vitam suam et membra ?

*Resp.* 1° Homo habet dominium utile in vitam et membra sua. Ille habet.... qui sinè peccato et absque alterius injuriâ membris suis et vitâ uti potest in suam utilitatem et in omnem usum à lege permissum ; atqui ità homo.... ; nam quisque uti potest, absque alterius injuriâ, rebus quæ suæ sunt ; atqui nihil homini magis est illius, quàm quod ipsum constituit : ergò.

2° Homo non habet dominium directum in vitam suam et membra. 1° S. S. Sap. 16, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et necis habes potestatem.* Undè sic : Hic exhibetur potestas vitæ et mortis tanquàm attributum Deo speciale ; atqui illa potestas non esset Deo specialis, si homo ipse haberet dominium plenum in vi-

tam et membra sua; ergò. 2° Ratione. Si homo haberet plenum dominium in vitam suam et membra, ja n de illis pro arbitrio disponere posset; atqui non..., alioquin faceret injuriam et Deo, cujus depositum sibi creditum disperdit, et societati, quam privat jure quod ipsa habebat ad suos labores : ergò. Et verò vita et membra præsupponuntur ad dominium : erg. non sunt objectum dominii.

Ex eâdem propositione apertè sequitur nec principem, nec rempublicam habere dominium in vitam suorum subditorum, sed solum Deum, qui solus est creator hominum, solusque eis vitam largitus est. Princeps tamen habet convenientem usum vitæ subditorum in ordine ad bonum publicum : sic potest exigere ut milites bellum cruentum ineant, ne fines imperii invadantur, aut viri scelesti pœnâ mortis plectantur, ut pax et securitas cummunis societatem non deserant.

*Quæres* 2° an et quale dominium habeat homo in famam suam?

*Resp.* Homo habet dominium plenum in famam suam, quia ipsi competunt primarii actus dominii circa eam; scilicet, potest homo famam proprio labore comparare, ablatam ut suam repetere vel condonare, imò eam in multis casibus abdicare absque alterius injuriâ : ergò.... Sed illud dominium restringitur vel obligatione justitiæ; si quis, v. g., episcopus, parochus, pater, se infamare nequeat, quin alium aspergat infamiâ, aut se constituat in impossibilitate reddendi quod strictè alteri debet; vel obligatione charitatis ergà alios; si quis, v. g., vir boni consilii, ob infamiam quam sibi incuteret, non posset alteri præstare officia charitate debita; vel obligatione charitatis ergà se ipsum; si quis, v. g., absque rationabili causâ, famæ abrenuntiaret, certè graviter peccaret, non minùs ac ille qui sinè prudentiâ bona sua administrat.

*Obj.* Ex eo quòd possimus condonare mutilationem membri, non sequitur nos esse dominos membrorum : ergò ex eo quòd possimus condonare læsionem famæ, non sequitur nos habere dominium in famam.

*Resp. neg. conseq. et parit.* Ratio disparitatis est quòd non condonemus ipsam mutilationem in se, sed tantum damnum ex mutilatione ortum; nam habemus dominium utile membri quo privamur per mutilationem : undè hanc læsionem condonamus; sed cùm non habemus dominium directum membri, non possumus condonare ipsam mutilationem; ideò, si membrum restitui posset, non possemus condonare illius restitutionem; ubi verò agitur de læsione famæ, eam possumus directè condonare, etiamsi reparari possit : ergò.

*Quæres* 3° an et quale dominium habeat homo in alterum hominem?

*Resp.* Jure naturæ primario homo non habet dominium in alterum hominem, quia omnes homines jure naturæ sunt æquales, cùm sint ejusdem naturæ, ex eodem parente orti, et ad eumdem finem creati. Sed potest homo in alterum hominem habere dominium, eo sensu quòd possit eum emere, vendere, vel illo ad laborandum uti; servitus enim, uti eam accipiunt Christiani, nihil aliud est quàm status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis operas suas alteri præstare tenetur : atqui ille status nulli juri contradicit.

1° Non juri naturali. Jus naturale permittit ut quis de suo jure cedat vel illo privetur ob rationem sufficientem : atq. ideò quis fit servus, vel quia cedit usum suæ libertatis, vel illo privatur ob rationem sufficientem; etenim aliquis potest servus esse vel emptione, vel justâ condemnatione, vel jure belli, vel conditione nativitatis : atq. in his omnibus homo fit servus vel quia cedit usum suæ libertatis, vel illo justâ de causâ privatur. Servus est 1° emptione, quia transtulit in perpetuùm alteri dominium utile quod ipse habet in sua membra, sicut famulus transfert ad tempus pro pecuniâ vel gratuitò usum suorum membrorum; 2° justâ condemnatione, quia judex poterat eum ad mortem condemnare, et à fortiori ad servitutem; 3° jure belli, quia victor hoc jus tenet ex conventione gentium; 4° conditione nativitatis, quia princeps ob bonum publicum, videlicet ne filii ex servâ nati pereant aut ne vivant furtis, cùm parentes servi nihil habeant undè suis tribuant, statuit ut qui nasceretur ex matre servâ jus haberet ad alimenta et vestes apud dominum sub conditione quòd sit servus : ergo.

2° Non juri divino. Si juri divino servitus contradiceret, ea lex reperiretur vel in vet. vel in nov. testamento; atq. neutr, ; non in vet., cùm lex Mosaica Israelitis concederet ut se traderent alteri in perpetuam servitutem, Exod. 21, Levit. 25; non in novo, cùm S. Petrus hortetur servos ut dominos suos etiam dyscolos omni honore dignos arbitrentur : erg.

3° Non juri civili in genere. Nam apud gentes excultissimas permissa est servitus, et etiamnùm in variis regionibus permittitur : ergo.

4° Neque juri ecclesiastico, siquidem variis in locis juris canonici de servitute disseritur, et ea semper licita supponitur : ergo : aliundè... : erg.

Illud dominium non est nisi jus ad operas sub conditione quòd herus præstet servo quidquid e necessarium est et rationabiliter utile corpori et animæ; hæc enim jura sunt essentialia naturæ humanæ quæ servus abdicare non potuit.

*Colliges.* 1° Commercium nigrorum, quamvis in se lugendum, absolutè licitum esse, si justo titulo illi suâ libertate priventur et humano modo à mercatoribus tractentur. Cùm autem illæ conditiones ferè nunquàm reperiantur, vix accidere potest ut culpâ vacet illud commercium; idcircò multis impeditur restrictionibus in nostris coloniis et aliis regionibus ubi adhuc viget.

*Dices.* Illud commercium est illicitum quòd dignitatem hominis evertit; atqui ità commercium nigrorum, siquidem eo admisso, homo fit venalis sicut equus et mulus : ergo.

*Resp. neg.* Olim religio Mosaica hoc commercium

Israelitis permisit, et nunc religio christiana, etsi vehementer illud moderetur, illud absolutè non reprobat; homo enim cùm jus utile seu usum membrorum habeat, nihil vetat quominùs illum transferat in alium per voluntariam servitutem. Exindè nemo conqueri potest quòd equis et jumentis assimiletur homo; distinguenda sunt enim in homine quod est personale et quod est naturale; sub respectu personalium, factus est ad imaginem Dei, ac proindè nullam in terris similitudinem habet; sub autem respectu naturalium, bibit, manducat, et omnes alias exercet actiones brutis communes. Per servitutem alienatur tantùm materialis vitæ et membrorum usus, qui quotidiè pro hominibus sicut et pro brutis conducitur.

*Colliges* 2° servos emptione aut nativitate factos fugere non posse, nisi careant necessariis vel ad peccatum impellantur; nam fugiendo dominum re suâ et jure privarent. Si autem necessariis careant, vel ad peccatum impellantur, fugere possunt, quia, contractu ex unâ parte dissoluto, ex alterâ eo ipso dissolvitur. Item fugere possunt jure postliminii, si detur occasio fugiendi, servi *bello* facti : gentes enim quibus inductum fuit jus servitutis nunquàm reclamare solent eos qui sic abierunt. Item fugere possunt, cùm spes evadendi subsit absque damno publico, servi justâ *condemnatione* facti, si pœna sit onerosa et nimis longa; princeps non intendit incarceratis imponere obligationem liberè vincula servandi cùm ea facilè solvere queant; hæc lex proportionata non esset communi hominum fragilitati, ac proindè potiùs in destructionem quàm in ædificationem institueretur : ergo.

## ARTICULUS IV.

### DE VARIIS MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

Modus acquirendi dominium est relatio moralis seu lege fundata quâ objectum dominii subjecto ligatur. Acquiritur dominium vel per contractum, vel extrà contractum. De modo acquirendi dominium per contractum agemus ubi de contractibus erit : hìc verò disserimus de variis modis quibus dominium acquiritur extrà contractum. Inter eos præcipuè distinguuntur occupatio, inventio, accessio et præscriptio, de quibus statim.

### § 1. *De occupatione.*

Occupatio est apprehensio rei quæ nunquàm domi num habuit aut censetur nunquàm habuisse : nam, non obstante rerum divisione quæ primùm facta est, plurima tamen remanserunt communia, indivisa et nulli appropriata, ut feræ in sylvis, pisces in aquis, aves in aere, gemmæ, metallicæ venæ, lapilli, insulæ inhabitatæ, etc.

PROPOSITIO. — *Occupatio, servatis quibusdam conditionibus, est modus legitimus acquirendi primò occupanti dominium rerum quæ nullius sunt.*

*Prob.* Ille modus acquirendi est legitimus qui nulli fert injuriam; atqui modus acquirendi res quæ nullius sunt per primam occupationem nulli.... nam ibi nulla est injuria, ubi nullius jus læditur; atqui nullius jus læditur per occupationem rerum quæ ad neminem pertinent : ergo.

Dixi *servatis quibusdam conditionibus;* ut enim occupatio sit medium legitimum acquirendi dominium, plures exposcuntur conditiones vel ex parte rei occupatæ, vel ex parte occupantis, vel ex parte legum.

1° Ex parte rei occupatæ, requiritur ut res sub dominium privatum cadere possit, et ad neminem jam pertineat.

2° Ex parte occupantis, requiritur ut voluntatem habeat acquirendi dominium et eam aliquo facto sensibili manifestaverit.

3° Ex parte legum, requiritur ut occupationi non obsistant; si enim leges obstarent, tunc illa bona occupari non possent, quia fieret alteri injuria, cùm leges proprietatis determinativæ jus tribuant illi in cujus gratiam existunt.

Ex iis principiis concludere est penè evanescere in Galliis modum acquirendi dominium per occupationem. Etenim juxta Delvincourt et alios juristas in interpretatione art. 713, omnia bona immobilia quæ nullius sunt in territorio jam ad gubernium pertinent. Itaque tota difficultas est pro quibusdam bonis mobilibus, maximè animalibus, rebus in mari vel in fluminibus repertis, spoliis bellicis et navalibus, et pro quibusdam aliis bonis huic quæstioni affinibus, præsertim fodinis, lignis, et pascuis. His satisfaciemus in duplici numero.

NUM. I. — *De rebus mobilibus occupationis capacibus.*

Bona mobilia, de quibus præcipuè movetur quæstio, sunt animalia, res in mari vel in fluminibus inventæ, et spolia bellica et navalia.

#### I. — *De animalibus.*

Animalia triplicis sunt generis, 1° naturaliter mansueta et domestica, ut oves, gallinæ, boves; 2° alia cicurata quæ ex feris mansueta fiunt, ut columbæ in columbario, cuniculi in garenâ; 3° alia fera quæ liberè vagantur, qualia sunt animalia vel terrestria, ut lepores, vel volantia, ut aves in aere liberè volantes, vel natantia, ut pisces in mari aut fluminibus.

*Quær.* 1° Quomodò acquiratur per occupationem dominium animalium?

*Resp.* 1° *Animalia naturaliter mansueta*, quantumvis aberrent, semper remanent prioris domini. Ideò ad priorem dominum pertinere cessarent, quia, sic aberrando censerentur naturalem suam recuperâsse libertatem : atq. non... cùm ex naturâ suâ sint mansueta et domestica : ergo.... Si tamen tam procul abiissent et tam diù extrà potestatem domini remansissent ut ad primordialem rediissent libertatem, tunc de illis eadem esset ratio ac de feris sylvestribus.

Hinc ad restitutionem tenetur qui animalium naturaliter mansuetorum lanam, plumas, ova, pellem, vel quamcunque aliam partem etiam è lupi faucibus ereptam, sibi appropriaret. Improbabile verò non est quòd liceat illa occidere animalia, si sint minoris pretii, graviter noceant, et aliter damnum reparari nequeat : in eo casu cadaver ad dominum pertinet.

2° *Animalia cicurata* ad dominum pertinent quandiù servant consuetudinem ex liberâ vacatione revertendi ad dominum; tandiù pertinent ad priorem dominum quandiù non censentur suam primam libertatem recuperâsse : atq. non censentur.... quandiù servant...., si quidem habitus revertendi à domino ipsis immissus est velut vinculum morale et quasi funis quo retinentur et occupantur : ergo..... Alia citiùs, alia tardiùs hanc amittunt consuetudinem.

Hinc 1° injustum est pisces ex alterius vivario et columbas è columbario alieno in tuum appositis retibus aut aliis similibus attrahere. Secùs, si pisces è vivario aut columbæ è columbario alterius in tuum sponte transeant, aut mediis tantùm justis alliciantur, art. 564. Non judicantur mediis injustis prædicta animalia adducere qui suis duntaxat melius præbent pabulum aut locum opportuniorem ædificant.

Hinc 2° injustum est columbas aut cuniculos occidere, si ea animalia agris graviter non noceant aut aliter abigi possint. Aliter verò esset, si graviter nocerent aut quodam modo abigi nequirent, quia jus columbarii aut gerenæ hodiè non existit. Gallinæ non præsumuntur graviter nocere nisi tempore messis aut seminum, quo tantùm durante, occidi possunt et retineri in compensationem damni illati : ità Gousset post Merlin, pag. 229. Alio tempore, harumce domini ante tribunal jus ad restitutionem haberent.

Hinc 3° examen apum quod ex alveario tuo avolat tuum manet quandiù in conspectu tuo versatur et difficilis non est ejus prosecutio. Statim ac impossibilis est ejus prosecutio, cedit, ex jure novo, non primo occupanti, ut jure communi fieri deberet, sed domino fundi vel arboris cui insidet.

3° *Animalia fera*, sive quia ità semper fuerunt, sive quia ad primam laxitatem redierunt, jure communi sunt primi occupantis, nisi capiantur in loco sepe aut muro concluso; ratio est quòd nullius sint et à nemine repeti possint, cujuscunque sit fundus per quem transeunt vel in quo absconduntur : ergo. Dixi *nisi capiantur in loco concluso*, quia animalia censentur amisisse suam libertatem quandò ad nutum comprehendi possunt; porrò ad nutum comprehensibilia sunt animalia quæ in tali loco coercentur.

*Quær.* 2° Cujus sit fera si ab uno lædatur et ab altero comprehendatur?

*Resp.* Si quis feræ tale vulnus intulit ut adsit certitudo moralis illam capiendi, jam illius dominus est, quia moraliter per vulnus inflictum apprehensa est et quasi capta. Si autem vulnus tale non intulit ut adsit certitudo moralis feram capiendi, tunc fera cedit primo occupanti. Deniquè si dubium sit an lædens feram cepisset, dividendum est pro ratione dubii.

*Quær.* 3° Cujus sit fera, si unus laqueum tetenderit et alter illam deprehendat in laqueo comprehensam?

*Resp.* Si fera ità laqueo capta est ut non sit evasura, ejus est qui laqueum posuit, quia per instrumentum occupatur; undè non potest ab alio capi, sicut piscis per alterius rete jam comprehensus. Quòd si fera facilè sit evasura, fit jam primi occupantis, quia nondùm amisit primam libertatem. In dubio dividenda est præda.

*Quær.* 4° Quænam sint leges venationis et piscationis?

*Resp.* In Galliis facultas occupandi animalia per venationem et piscationem legibus specialibus limitatur et regitur, art. 715.

Sic *ad venationem* requiritur 1° permissio legalis, gallicè *port d'armes*; 2° proprietas fundi in quo venatur aut benè præsumptus domini fundi consensus; 3° tempus mandato præfecti statuum, nisi venatio fiat in propriis fundis muro circumclusis, aut sylvis propriis, absque canibus vulgò dictis *chiens courants*. (Lex 30 ap. 1790 et decr. 11 junii 1810, *bulletin des lois*, 5749.)

Sic *ad piscationem* requiritur, 1° pro fluviis navigabilibus permissio legalis, ut piscari liceat cum retis et lineâ dormienti; licet in fluviis absque ullâ licentiâ piscari cum manu et lineâ projectili; 2° pro fluviis non navigabilibus, proprietas ripæ adjacens, aut proprietarii consensus rationabiliter præsumptus; 3° in mari unicuique libera est piscatio, modò tamen adhibeantur retia statutis specialibus determinata. (*Avis du conseil d'état approuvé le* 30 *nivôse an* 13, bulletin des lois, n° 932).

*Quær.* 5° An et quonam sensu obligent leges circà venationem et piscationem?

*Resp.* Leges illæ, cùm bono publico non parùm provideant, sive prohibendo indiscriminatam armorum gestionem, sive multiplicationi avium et piscium invigilando, obligant in conscientiâ. Verùm, his legibus strictæ executioni passìm non demandatis, viris probis legislatorem non intendisse sub gravi obligare communiter videtur. Quidquid sit, infringens illas leges, contra justitiam non peccat auferendo prædam, quæ non magis unius est quàm alterius. Peccaret tamen contra justitiam piscator qui absque licentiâ tantam piscium copiam destrueret, ut jus piscationis quod alter pretio conduxit, notabiliter redderetur vilius. Aliter verò dicas de illo qui sine licentiâ tantam avium multitudinem exploderet ut vix raræ prædæ cæteris venatoribus relinquerentur. Ratio discriminis est quòd facultas venationis non conducatur pretio sicuti propriè locatur jus piscationis. Princeps, concedendo facultatem venandi, acceptâ modicâ summâ, non intendit ampliùs facere quàm dare chartam ut quis impunè venari possit.

II. *De rebus in mari vel in fluminibus inventis.*

Olim ea quæ sic inveniebantur dicebantur *épaves*. Duplicis erant generis : alia inveniebantur in fluminibus, vel in littore fluminum; tuncque appellabantur *épaves de rivière :* alia inveniebantur in mari, vel in littore maris, et ea vocabantur *épaves maritimes*.

Leges, quibus res illæ determinabantur, non videntur penitùs abrogatæ, cùm praxi quotidianâ et sensu juristarum invocentur. Ex iis respondemus in sequentibus.

*Quær.* 1° Cujus sunt ea quæ in fluminibus vel littore fluminum reperiuntur?

*Resp.* Vel in fluminibus navigabilibus, vel in fluminibus non navigabilibus reperiebantur. Si prius, post elapsum quoddam tempus, domino non comparente, fisco cedebant. Si posterius, nihil peculiare statutum fuerat; quare de iis, sicut de rebus nuper amissis judicandum est.

*Quær.* 2° Cujus sunt ea quæ in mari vel in littore maris inveniuntur?

*Resp.* Circà ea constitutio regia anni 1681 distinguebat.

Quoad ea quæ è fundo maris proveniebant, sic statuebatur: si ea objecta è fundo maris, vel è mediis fluctibus educebantur, ad extrahentem seu invenientem totaliter pertinebant. Si autem in littore maris reperiebantur, tres fiebant partes, una pro inventore, alia pro magno amirali, et altera pro fisco. Cùm hodiè sublatum sit officium magnis amiralis, duæ ultimæ partes reipublicæ obveniunt. Ab hâc regulâ parùm recedebant plantæ maritimæ quæ capientis erant quandò in littore fuerant rejectæ, et incolis riparum reservabantur donec saxis vel maris arenæ adhærerent.

Quoad ea quæ in mare, levandæ navis causâ, projiciebantur, sic statuebatur: si ea objecta in littore inveniebantur, domino, si compareret, aut fisco, si non compareret, ex integro restituenda erant. Inventor, in eo casu, jus non habebat nisi ad mercedem pro labore. Si verò è medio mari extraherentur, tùm fiebant tres partes, quarum una inventori, alia magno amirali, et altera fisco cedebat. Nunc pars magno amirali destinata, fisco tribuitur. Vide Toullier, tom. 3 et 4.

### III. *De spoliis.*

Spolia ea dicuntur quæ acquiruntur occasione belli. Duplicis sunt generis, bellica et navalia, proùt acquiruntur occasione belli vel terrestris vel navalis. Quæcunque sint, cùm, jure gentium, res hostium eodem ordine ponantur ac res nullius, occupationis objectum meritò habentur.

### PROPOSITIO UNICA.

*Princeps et solus princeps tantùm potest, in bello justo, de bonis hostium sumere, quantùm necesse est, tùm ad compensationem damni et impensarum quæ fieri debuerunt, tùm ad justam injuriæ vindictam, tùm ad pacem et tranquillitatem obtinendam.*

1° *Princeps, in justo bello, tantùm sumere potest de bonis hostium, quantùm necesse est tùm.....* Judex potest in reum exercere omnia jura cùm illud necessarium sit ad bonum, pacem et tranquillitatem publicam; atqui princeps qui justam habet causam belli, munus judicis censetur exercere in gentes divictas, et illud quidem necessarium est ad legitimam uniuscujusque gentis defensionem, cùm non aliud sit in terris tribunal ad lites gentium componendas: ergo.

2° *Solus princeps, in bello justo, sumere potest de bonis hostium quantùm necesse est....* Ille solus sumere potest de bonis hostium qui damna patitur, impensas facit, injuriam accipit, et tandem proprio nomine bellum agit; atqui ità solus princeps: ergo.

Dixi 1° *Ad compensationem damni, et expensarum*, siquidem hostis injusta fuit causa damnorum simul et expensarum.

Dixi 2° *ad justam injuriæ vindictam*, quia princeps honorem imperii, sicut aliud bonum, tueri ac appetere potest et debet.

Dixi 3° *Ad pacem et tranquillitatem obtinendam*, quia tranquillitas et securitas sunt finis quem sibi proponere debet princeps, ac proindè infligi potest talis pœna, ut hostis et alii à pace turbandâ efficaciter avertantur.

His duobus principis correspondent duo corollaria generalia, quorum ope solvuntur difficultates tempore belli frequentes.

*Primum corollarium.* Milites ea omnia possunt retinere, quæ expressè vel tacitè fuerunt à principe legitimè concessa; potest enim princeps hæc bona ipsis concedere, sive ut indè minùs gravetur ærarium publicum, sive ut militum animi magis incitentur ad bellum, sive ut qui prælii pericula sustinent præ aliis, proùt æquum est, commodis, si quæ sint, participent. Undè 1° milites contra justitiam non peccant, cives urbis spoliando, quandò victor in direptionem tradit urbem devictam. Unde 2° milites non peccant contra justitiam, quandò legitimè missi vel approbati, quales vulgò *les partisans* in terrâ et *les pirates* in mari, excursiones faciunt contrà populos hostes, et eos bonis temporalibus exspoliant, quia circà hæc communiter habetur consensus principum. Parvi refert an illa bona ab innocentibus vel reis auferantur, quia innocentes sicut et rei, quatenùs pars communitatis, ullus oneribus sublevandis concurrere debent.

*Secundum corollarium.* Milites ea sibi tantùm arrogare possunt quæ legitimè fuerunt à principe, vel expressè vel tacitè, concessa: milites enim non agunt nisi ut famuli et mandatarii principis, à quo solo derivatur potestas, quandò adest justa belli causa, hostibus directè nocendi. Unde 1° qui propriâ auctoritate aliquid subripuerunt, sive apud suos concives, sive apud hostes, ad restitutionem tenentur. Undè 2° milites qui absque ducis concessione ceperunt annonas, arma, aliaque belli instrumenta, pecunias in ærario publico contentas, vel ad thesaurum publicum pertinentes, restitutioni obnoxii sunt. Ratio est quia in his omnibus non præsumitur ex usu consensus principis.

*Not.* In primo corollario supponitur concessionem à principe factam legitimam esse. Si enim legitima non esset, vel quia bellum esset evidenter injustum, proùt sæpiùs advenit in ultimis imperii temporibus, vel quia in bello justo jura gentium violarentur, proùt agunt illi qui deprædantur bona extraneorum et hospitum in oppido expugnato, pro nullâ haberetur. Ideò milites, qui tali concensu uterentur ad res hostium abripiendas, ab obligatione restituendi non immunes essent, nisi priùs facta fuisset condonatio similis ei, quam principes, anno 1814, in favorem pacificationis, ad tranquillitatem publicam, sibi invicem concesserunt.

NUM II. *De rebus occupationi affinibus.*

Inter eas præcipuè computantur fodinæ, ligna et pascua. Ea dici non possunt occupabilia, quia, ut pars vel fructus fundi, jam proprium habent dominum. Sed cùm jus dominorum circà ea aliquatenùs restringatur, de iis pauca submittimus.

I. *De fodinis.*

Fodinæ sive metallicæ sive non metallicæ, quoad jura proprietarii, dividuntur in tres classes quæ vocantur, *mines*, *minières*, *carrières*. « Sont considérées « 1° comme mines, celles qui contiennent en filons, « en couches ou en masse, de l'or, de l'argent, du « plomb, du fer, du charbon de terre; 2° comme mi- « nières, celles qui contiennent les minerais de fer « dits d'alluvion, les terres alumineuses et les tourbes; « 3° comme carrières, celles qui renferment les ardoi- « ses, les grès, les pierres à bâtir, les marbres, les « substances terreuses et les caillous de toute nature. « (Loi du 21 avril 1810, art. 2, 3, 4.) »

Venæ quæ dicuntur *mines*, effodi nequeunt absque consensu gubernii, quod vel proprietario vel alteri, salvâ tamen justâ indemnitate, hanc facultatem concedere potest.

Venæ quæ dicuntur *minières*, non indigent concessione gubernii ut effodi valeant. Satis est ut proprietarius declarationem suæ intentionis transmittat magistratui præfecti vices gerenti, si agatur de iis quæ nuncupantur *tourbes*.

Venæ aliæ quæ vulgò appellantur *carrières*, effodi possunt absque licentiâ, servando tamen leges et statuta specialia. Vid. Toullier, tom. 3, n° 292 et seq.

II. *De lignatione.*

Per lignationem intelligitur *collectio parvorum lignorum in sylvis*. Talis collectio modo justa, modo injusta est. Itaque distinguitur.

1° Pauperes qui ligna viridia aut etiam sicca majoris pretii cædunt in sylvis ad privatos vel rempublicam vel communitatem pertinentibus, contra justitiam peccant et restituere tenentur, quia violant jus strictum alterius, siquidem domini, quicunque sint, rationabiliter sunt inviti ut illud damnum sibi inferatur : ergo.

2° Pauperes qui ligna viridia aut sicca minoris pretii cædunt in sylvis ad privatos pertinentibus expendere debent an domini lignis aridis aut viridibus utantur ipsi. Si utantur, illa occupare nequeunt; si non utantur, ordinariè præsumitur illos non obstare quominùs alii et maximè pauperes ea cædant et asportent : ergo.

3° Pauperes qui ligna viridia aut sicca minoris pretii, virgulta aut brachiola quæ arbores fieri nequeunt, in sylvis communibus cædunt ad frigus repellendum vel cibos coquendos, nec peccant, nec restituere tenentur. Ea concedere censetur communitas in gratiam pauperum : ergo..... Alia esset conclusio, si pauperes ligna asportarent ad ea vendenda, nisi alio modo vivere non possent, aut nisi domini illud cognoscant et impedire non curent.

Annotandum est decretum consilii statûs, anno 1806, die 9 julii, statuisse folia mortua sylvarum publicarum auferri non posse, eâ ratione quòd arbusta tenera foverent et terram opimam redderent.

III. *De pastione.*

Pastionis nomine hìc intelligitur *conductio pecorum in pascua aliena*. An aliquandò licita sit? Adhùc distinguendum est. Illa pascua ad privatos vel ad communitatem pertinent.

Si prius, 1° pauperes qui sua ducunt animalia ad pascenda ea quæ dominus fundi collecturus est aut daturus in pabulum suis pecoribus, contrà justitiam peccant et restituere tenentur; violant enim jus strictum alterius, cùm domini sint rationabiliter inviti : ergo. 2° pauperes qui, frugibus et herbis collectis, sua ducunt animalia ad pascenda ea quæ dominus nec est collecturus nec suis animalibus in pabulum daturus, neque peccant neque restituere tenentur : jus alterius non violatur cùm domini non sint rationabiliter inviti; sicque fert consuetudo recepta : ergo.

Si posterius, pascua communia sunt vel in sylvis vel in aliis locis. 1° Omnia communitatis membra et maximè pauperes jus habent pastionis in sylvis communibus, juxta decretum 1669, quod revocatum non fuit. Quædam tamen cautiones tùm ratione temporis, tùm ratione pecudum præscribuntur observandæ, ne scilicet damnum patiantur juniora arbustula. 2° Nihil speciale dicimus de pascuis communibus quæ sunt in locis campestribus, cùm uniuscujusque jura pendeant ab usibus et locorum consuetudinibus.

§ 2. *De inventione.*

Inventio definitur *quædam occupatio rei à domino suo separatæ*. Porrò res à suo domino quadruplici modò separari potest, vel quia dominus rem abscondit, et tunc dicitur thesaurus; vel quia invitus eam amisit, et tunc vocatur res amissa; vel quia illam rejicit, et tunc est res derelicta; vel quia istam relinquit decedens absque hæredibus à sanguine et testamento, et tunc nuncupatur bonum vacans. Hinc totidem numeri.

NUM. I. — *De thesauro.*

*Quær.* 1° quid sit thesaurus?

*Resp.* Thesaurus definitur jure novo, art. 716 : *res quæcunque abscondita vel infossa quam nemo probare potest esse suam, et quæ fortuito casu invenitur.*

Dicitur 1° *res quæcunque*, id est, sive vetus, sive recens depositio pecuniæ aut alterius rei mobilis pretiosæ, ut vasorum, gemmarum, annulorum, etc.

2° *Abscondita aut infossa* : si enim in aperto esset, non thesaurus, sed res amissa censeretur.

3° *Quam nemo probare potest esse suam*, alioquin haberet dominum cui certè restituenda foret.

4° *Et quæ casu fortuito invenitur;* videtur quòd illa verba ad essentiam definitionis non pertineant, quia, juxta Delvincourt et alios jurisperitos, ut res aliqua

sit thesaurus non requiritur absolutè ut fortuito casu inveniatur; ideò hæc clausula apposita fuit ne homines spe thesauri inveniendi incitarentur ad fodiendos aliorum agros.

*Quær.* 2° Cujus sit thesaurus?

*Resp.* 1° Jure naturali, thesaurus ad inventorem pertinet; quisque enim occupare valet ea quæ nullius sunt; atqui thesaurus est aut censetur nullius : ergo..... Et verò si quis thesaurum sibi vindicare posset in detrimentum inventoris, maximè fundi proprietarius cui codex civilis, art. 552, tribuit inferiora et superiora ejusdem fundi : atq. non potest jure naturæ, cùm thesaurus non sit pars naturalis fundi : ità omnes ferè theologi et juristæ, quamvìs quæstio, si in se expendatur, difficultate non careat : ergo.

2° Jure civili, thesaurus totus est inventoris, si ab aliquo inveniatur in proprio istius fundo : si autem inveniatur in fundo alterius, media pars ad inventorem pertinet et altera media pars ad dominum fundi, art. 716. Hinc si inveniatur in loco ad rempublicam, vel civitatem, vel ecclesiam pertinente, media pars reipublicæ, vel civitati, vel ecclesiæ cedit. Usufructuarius verò nihil exigere potest ex thesauri parte quæ domino tribuenda est, quia non est proprietarius.

Leges prædictæ obligant in conscientiâ, etiam ante sententiam judicis, utpotè directivæ et non pœnales, siquidem instituuntur ad proprietates rerum independenter à quolibet delicto determinandas.

*Quær.* 3° Quis sit inventor thesauri?

*Resp.* Si solùm ad jus naturale attenderetur, ille forsan diceretur inventor qui prior thesaurum manu, aut pede, aut alio actu proprietatis significativo apprehenderet; sed ex Codice nulla difficultas : ille est inventor, non præcisè qui apprehendit, sed qui detegit. Sic propriis terminis thesaurus jure definitur : *Res fortuito casu detecta.* Ità etiam judicavit Bruxellensis curia die quartâ martii 1810. Undè si opifex in agro laborans, licet de mandato domini, thesaurum detegeret, verè thesauri inventor esset. Aliud autem diceretur si dominus suspicans thesaurum latere in agro, opificem adhiberet ad effodiendum, quia opifex specialiter deputatus agit ut manus domini, aut potiùs ipsemet dominus.

*Quær.* 4° Quid juris si thesaurus ex industriâ inveniatur?

*Resp.* Primo intuitu v'detur quòd non sit thesaurus propriè dictus, quia fortuito casu non invenitur. Verùm, cùm hæc conditio minùs sit ad limitandos thesauros quàm ad arcendos homines à vesanâ cupiditate effodiendi agros alienos sub prætextu opes absconditas inveniendi, sequitur illam non absolutè necessariam esse, ac proindè aliquid, etsi fortuito casu illud non inveniatur, nihilominùs thesaurum esse. Undè intentio legis, hanc clausulam definitioni juris romani addendo, fuit tantùm excludere à dispositionibus inventori favorabilibus eum qui absque consensu domini in fundo alieno thesaurum industriâ quærit.

Itaque ad clariorem solutionem, multiplici opus est distinctione.

1° Si *proprietarius* industriâ thesaurum invenit in suo fundo, totus ad eum pertinet thesaurus, quia, ex unà parte hoc jus quatenùs inventor et dominus habet à lege civili, et ex alterâ non privatur beneficio partis inventori rem fortuito casu invenienti concessæ, cùm lex non intendat plectere nisi eos qui effodiunt agros alienos.

2° Si *extraneus* industriâ thesaurum invenit in fundo alterius, subdistinguendum est. Vel thesaurus absque consensu, vel de consensu domini quæsitus fuit. Si prius, totus thesaurus ad proprietarium pertinet. Cùm leges novæ circà hunc casum sileant, ad leges veteres recurrendum est, ait Delvincourt; atq. in hoc casu leges juris Romani, quæ olim in Galliâ vim obtinebant, totum thesaurum proprietario adscribebant : ergò totus thesaurus proprietario cedit. Prima medietas ei ut domino fundi tribuenda est, et secunda, quia ille injuriam passus est in effossione quam fecit alter absque ipsius consensu. Undè prima medietas statim danda est, quia lex jubens eam solvi non pœnalis, sed directiva est et proprietatis rerum definitiva; secunda autem medietas, nonnisi post sententiam judicis restitutioni obnoxia est, quia pœnâ gravis est et activa, quam nemo spontè subire tenetur.... Si posterius, certum videtur, inventorem jus habere ad unam partem dimidiam, quia, utpotè inventor, hanc partem tenet à lege et nullam posuit causam cur eâ privaretur, siquidem nullam intulit injuriam domino qui supponitur consensisse. Utrùm autem jus habeat ad aliam partem? Alii affirmant, docentes dominum, consentiendo, juri suo renuntiasse : alii verò negant dicentes illam renuntiationem præsumi non posse. Quapropter ex circumstantiis tantùm, secluso pacto, intentio domini dijudicanda est : ergo..... Cæterùm monent auctores quòd, si fraude usus fuerit inventor ad extorquendum consensum, habendus sit sicut ille qui industriâ thesaurum quæsivit absque consensu domini, quia, cùm dominus ex errore solùm consenserit, idem videtur esse ac si non consensisset.

3° Si *usufructuarius* industriâ reperit thesaurum in fundo cujus habet usumfructum, ex lege nullum jus habere videtur, cùm neque proprietarius sit, neque inventor fortuito casu; attamen sentit Delvincourt eâ de re interrogatus, contrarium ex mente legis deduci posse, saltem pro parte quæ fit inventoris. Etenim lex ità voluit ne extraneus in fundum alterius ingrederetur ad effodiendum; atq. motivum hujus prohibitionis non reperitur in eo casu, siquidem usufructuarius nemini injuriam facit fodiendo agrum cujus habet usumfructum : ergò innocens inventor reputari debet, et ideò mediam partem repetere potest. Nequaquàm, reponunt alii : usufructus jus non dat nisi ad ea quæ ordinantur ad fructus percipiendos, ac proindè non ad effossionem quæ fit sub prætextu thesaurum acquirendi.

*Quær.* 4° Au suspicans thesaurum in agro recondi tum esse, possit illum agrum pretio communi emere et totum thesaurum sibi applicare?

*Resp. affirm.* 1° Quia thesaurus ille, cùm non sit pars neque fructus fundi, non auget illius valorem; 2° quia

thesaurus ille nullo modo pertinet ad agri dominum, siquidem ante illius inventionem censetur esse nullius; 3° quia maximè pretium agri petitur ex communi hominum existimatione, à quâ non recedit emens agrum pretio communio; erg..... Undè, utpotè inventor simul et fundi dominus, totum thesaurum retinere potest.

Aliud esset si quis primò invenisset thesaurum et illum deindè recondidisset, et posteà agrum emisset, quia statim ac thesaurus reperitur, una pars venditori, ut domino, restituenda est.

*Dices :* Non licet à rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum : ergò à pari.

*Resp. neg. cons. et paritat.* Disparitas est quòd præstantia gemmæ sit pars ejus : insuper non emitur pretio quod ex communi habet æstimatione ; sed thesaurus non est pars agri, et ager emitur juxta communem æstimationem quæ constituit justum pretium : ergò nulla paritas.

*Quær.* 5° an opifex qui in angulo domûs vel in arcâ veteri, vel in veste summam pecuniæ invenit, illam aut illius partem sibi retinere valeat?

*Resp.* Si quædam adsint vestigia quibus prudenter et rationabiliter judicari possit hanc pecuniam ad talem aut talem personam pertinere, v. g., quia talis familia multis abhinc annis in eâdem manet domo, tunc pecunia hæc tota reddi debet ; nam reverà dominum habet. Si verò nulla hujusmodi sint vestigia, res ista, ex definitione Codicis, ut thesaurus haberi debet, et propterea una media pars ejus ad inventorem, et altera ad proprietarium pertinet.

Num. II. — *De rebus nuper amissis.*

*Quær.* 1° Quid sint res nuper amissæ?

*Resp.* Eæ intelliguntur quas dominus involuntariè perdidit et adhuc retinere meritò censetur.

*Quær.* 2° Ad quid teneatur inventor rei nuper amissæ?

*Resp.* Vel dominus inveniri potest, vel non.

Si prius, duo pro inventore instant officia, unum ex charitate et aliud ex justitiâ.

1° Inventor *saltem ex charitate* tenetur ad inquirendum dominum cum diligentiâ pretio rei proportionatâ, quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle : erg. Dixi, *saltem ex charitate*, quia plurimi theologi cum Collatore Ambianensi, ut valdè suspectum injustitiæ habent eum qui omittit hujusmodi disquisitiones : adest enim quasi-contractus, quem vocant *gestionis*, vi cujus inventor, eo ipso quòd rem apprehendat et in custodiâ accipiat, suscipit in se illius curam ac proindè obligationem dominum quærendi, ut ipsi eam reddere valeat. Si has disquisitiones facere nollet, tunc res non erat apprehendenda. Hoc satis rationi consentaneum est, et imò ultrà omne dubium, si, disquisitiones omittendo, rem inventu difficiliorem reddat, proùt ordinariè accidit, cùm inventor rem apprehendens causa sit cur dominus communiter recordans loci in quo eam perdidit, eam frustrà hoc in loco quærat, vel res amissa non inveniatur ab eo qui dominum diligenter inquisivisset.

2° Domino reperto, inventor ex justitiâ tenetur statim rem amissam restituere *absque ullo onere*, quia res clamat domino. Hinc S. Aug., Serm. 179 : *Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti :* ergo. Dixi, *absque ullo onere*, quia reddendo purè et simpliciter juri stricto alterius satisfit. Deduci tamen possunt impensæ quas inventor fecit ad rem conservandam vel dominum inquirendum : æquum non esset ut quis fieret pauperior negotia alterius utiliter gerendo. Item accipi possunt præmia quæ spontè inventori offeruntur : deterioris non debet esse conditionis inventor qui præstat domino opus charitatis simul et justitiæ, quàm quilibet extraneus, qui, licèt nullo officio alteri commendetur, ad aliquid accipiendum habilis esse non desinit. Utrùm autem inventor similiter jus strictum habeat ad præmia quæ generatim dominus promisit iis qui rem amissam ipsi redderent? ita nobis videtur. Si enim jus non haberet, maximè quia illæ promissiones merè essent gratuitæ et metu factæ : atqui..... : non primum ; nam vulgò dominus aliquod commodum ex iis percipit, siquidem adhibetur diligentia major quàm ea quæ debetur : non secundum ; nam actio inventoris est etiam actio charitatis ; ille rem ubi invenit relinquere poterat ; ergo præsumendus est dominus, ex gratitudine, non verò ex metu, præmium polliceri, proùt communiter fit inter homines benè cordatos et beneficii memores : ergo promissiones illæ sunt validæ ac consequenter jus inventori; conferunt.

Si posterius, id est, si dominus, præhabitâ morali diligentiâ, inveniri nequeat, cùm, teste Delvincourt, nullæ sint leges speciales sive in veteri sive in novo jure, quibus ex Codice civili determinandæ sunt res nuper amissæ, art. 719, quæstionem solo jure naturali attendimus. Sed quanta difficultas? Ad eam dirimendam tres occurrunt sententiæ.

Opinio quæ nobis probabilior videtur, docet res inventas pauperibus erogandas esse, vel in pios usus impendendas, quandò non reperitur dominus.

*Prob.* Ea sententia juxtà regulas opinionum moralium à doctore Muzzarelli sapienter expositas, præferenda est, quæ firmatur auctoritate et ratione suadetur atqui nostra sententia...

1° Firmatur auctoritate, scilicet 1° *Theologorum.* Ità S. Thomas, et ferè omnes theologi et canonistæ usque ad Dominicum Soto, qui primus, ut ipse agnoscit, opinionem novam professus est ; post eum major theologorum pars in veteri sententiâ ità perseveravit ut ista etiam ab adversariis communissima vel communior vel communis semper existimata fuerit. Nemo non videt quàm valida sit illa auctoritas in controversiis ad moralem spectantibus. 2° *Pastorum.* Hic citari possunt Catechismus conc. Trid. jussu S. Pont. editus, Conc. Med. IV, sub S. Carolo celebratum decreta plurium episcoporum quibus statutum fuit bona inventa in pios usus distribuenda esse. 3° *Fidelium communi persuasione.* Persuasio fidelium apud auctores pro indicio veritatis semper habita fuit ; atqui fideles communiter credunt res inventas, domino non comparente, in pios usus vel pauperibus impendendas esse : ergò.

2° Suadetur ratione. Ad opinionem nostram fortiter suadendam satis est ut amittens rei amissæ dominium retineat, et illius intentio sit ut res in pios usus impendatur; atqui hæc duo constant. 1° *Amittens rei amissæ dominium retinet;* si enim earum rerum dominium amitteret, vel propriâ voluntate, vel lege positivâ, vel lege naturali; atqui nullo modo; 1° non suâ voluntate : vult enim in perpetuum rei suæ dominium servare; quod adeò verum est, ut, licet eam aliquo tempore amiserit, statim ac illam reperit continuò suam dicit ac sibi arripit; 2° non lege civili, cùm sola dispositio legis quæ invocari possit, in eo tantùm consistat quòd domino contra inventorem post tres annos recuset actionem, art. 2279; porrò aliud est alicui recusare actionem, aliud est eidem dominium auferre; quod magis clarescit cùm eadem dispositio sit pro rebus amissis ac pro rebus furto ablatis : certè quidem lex non intendit denegare domino proprietatem rei illi injustè ablatæ : ergo nec rei amissæ. 3° Non lege naturali : jure naturali nemo excidit à dominio, nisi simul excidat à facultate intrinsecâ et radicali disponendi, alioquin res malâ fide possessa, incerto domino, restitui non deberet, quod falsum ab omnibus habetur : ergo; aliundè : ergo. 1° amittens rei amissæ dominium retinet.... 2° *Illius intentio legitimè præsumpta, ea est ut in pios usus impendatur res amissa.* Id colligitur 1° facto. Non meliùs cognosci potest quænam sit voluntas domini benè præsumpta quàm ex Theologorum disquisitione; Theologi enim, antequàm pronuntiaverint talem esse domini voluntatem, expendere curaverunt quænam generatim sit intentio eorum qui res amiserunt; jam verò Theologi communissimè tenent, domino non comparente, rem amissam pauperibus erogandam esse, vel in pios usus impendendam. 2° Ratione. Quisque enim vult res suas, cùm ad se ipsum redire nequeunt, sibi servire meliori modo quo possunt; atqui res perdita domino vel ejus hæredibus non meliùs inservire potest quàm eam nomine proprietarii impendendo in pia opera : ergò; aliundè : ergò.

*Not.* Si inventor sit pauper, tem inventam ipse potest sibi applicare; æquum est ut non sit deterioris conditionis quàm alii; ne tamen amore suî decipiatur, cùm sit judex in propriâ causâ, priùs à confessario aut viro gravi consilium petat.

*Solvuntur objecta.*

*Obj.* 1° Inventor potest retinere rem nullius; atqui res inventa nullius est; ad retinendum sicut et ad acquirendum dominium requiritur non solùm potestas moralis, seu facultas utendi absque alterius injuriâ, sed potestas physica aut actualis aut virtualis eâ re utendi; eo enim fine res è statu communitatis extractæ sunt; atqui dominus in præsenti casu non habet potestatem physicam, quia, domino non apparente post disquisitiones, moraliter certum est eum rem non esse recuperaturum; ergò.

*Resp. ad 1, neg. min.* Si perditor rei suæ dominium amitteret, vel propriâ voluntate, vel auctoritate legis, vel jure naturæ; atqui nullo modo, ex thesi : ergò.

*Ad II, neg. min.* Adest enim semper facultas re utendi, et saltem exigendi ut res modo utili domino adhibeatur.

Cæterùm principium totius illius difficultatis labili nititur fundamento. Falsum est enim eamdem exigi potestatem ad retinendum sicut et ad acquirendum dominium. Ad retinendum dominium sufficit ut habita fuerit voluntas rem in perpetuum acquirendi, et ea voluntas perseveret absque alieni juris violatione; atqui hæc duo constant : 1° habita fuit voluntas rem in perpetuum acquirendi; nemo acquirit pro tali vel tali tempore, sed usquedùm se spoliet, vel auctoritate publicâ spolietur; 2° ea voluntas perseverat absque alieni juris violatione, cùm perfecta sit sub hoc respectu inter homines reciprocitas. Hæc ita vera sunt ut intimum lumen omnibus dictitet, rem domino comparenti restituendam esse, etiamsi ille diuturno tempore non habuerit potestatem physicam re suâ utendi; quo nihil clarius ad demonstrandum non requiri eamdem potestatem ad retinendum sicut ad acquirendum dominium.

*Obj.* 2° Res impendenda est juxta voluntatem domini benè præsumptam; atqui voluntas domini est ut inventor rem retineat; desumitur, 1° ex communiter contingentibus; amittentes communiter non cogitant de pio usu, sed tantùm de re recuperandâ; 2° ex majori utilitate; faciliùs rem recuperabit dominus, si inventor rem possit retinere; alioquin iste, prævidens se tantùm onus assumere rem apprehendendo, eam derelinquet : erg.

*Resp. neg. min.* Quoad utramque partem probationis, 1° quoad primam partem, dicitur meliori jure præsumi voluntatem domini esse ut res pauperibus distribuatur. Nemo est, etiam fide et moribus perditus, qui non malit, saltem virtualiter, ex re suâ aliquid commodi percipere; erg. 2° Quoad secundam partem dicitur, tunc non majorem esse utilitatem, cùm minores erunt perquisitiones; spe rem sibi applicandi inventor avertetur à tentandis mediis quæ forsan dominum detexissent : ergò... Et verò, ait Billuart, anteponenda est utilitas certa alteri utilitat probabiliter non eventuræ; atqui utilitas, si res in pios usus impendatur, certa est, et improbabilis si in manu inventoris remaneat : ergò.

*Obj.* 3° : Dicendum est de re amissâ sicut de thesauro; ideò enim thesaurus jure naturali inventoris est, vel quia nullius est, vel quia præsumitur talem fuisse prioris domini voluntatem; atqui pariter se habent res inventæ : ergo.

*Resp. neg. paritat.* Prima disparitas est, quòd pro thesauro naturaliter impossibile sit ut redeat ad dominum quia naturaliter dominus non est reperibilis; ideò nullius est. E contra semper possibile est, sin moraliter, saltem metaphysicè, res amissas ad dominum regredi posse. Secunda disparitas est, quòd dominus thesauri dominio censeatur renuntiare pro tali casu, cùm sciens et volens pecuniam abscondit et de hoc neminem monet. Si enim voluisset hoc dominium sibi retinere vel hæredibus transferre, certa posuisset

sigilla quibus ipse demonstraretur proprietarius, vel aliquem hæredum monitum fecisset. Quare, his deficientibus, rationabiliter præsumitur juri suo renuntiâsse. Qui autem rem amisit, censeri non potest dominio renuntiâsse, siquidem involuntariè rem perdidit; ergo.

*Quæritur* 3° quid agendum, si dominus compareat postquàm in pios usus res inventa expensa fuerit?

*Resp.:* Vel res adhuc subsistit, vel consumpta est.

Si prius, res, ubicunque sit, domino qui clamat restituenda est, quia non data fuit nisi sub conditione eam reddendi, si dominus reperiatur. Censetur autem subsistere, quoties extat vel in naturâ suâ, vel in pretio eam repræsentante, vel denique in eo ex quo aliquis factus est ditior. Dixi, *ubicunque sit*, id est, sive inventor eam sibi ut pauperi applicaverit, sive in pios usus tradiderit; excipe, si res vendita fuisset publicè in foro vel à mercatore hujusmodi merces publicè vendente, quia in hoc casu emptor rei dominium acquisivit, et potest illam retinere donec pretium ab eo solutum ipsi reddatur. Ita statuit lex positiva pro securitate commercii, art. 2280: tunc dominus contra venditorem recursum obtinet.

Si posterius, id est, si res fuit consumpta; vel inventor fuit graviter negligens in domino inquirendo, vel non.

1° Si inventor graviter fuit negligens.... tenetur ratione gravis negligentiæ domino restituere; quia, domino rationabiliter invito, rem alterius alienavit, ac proinde per culpam lethalem grave damnum intulit: ergo. Dixi, *ratione gravis negligentiæ;* si negligentia levis fuit, ad nihil tenentur inventores, alioquin nimis gravarentur. Quænam verò negligentia æstimetur gravis? Id pendet à majore vel minore rei valore, qui communiter pro regulâ majoris vel minoris diligentiæ in inquisitione domini habetur. Videtur tamen pro re aliqualis momenti quòd schedulæ sint affigendæ, aut faciendæ sint proclamationes in locis publicis, ubi affulget spes inveniendi dominum, qui, saltem per tres annos, prudenter exspectandus est antequàm res in pios usus erogetur, art. 2279.

2° Si inventor sufficientem adhibuit diligentiam in inquirendo domino, antequàm rem pauperibus distribuat, aut in pias causas impendat, ad nihil tenetur neque ratione injustæ detentionis, cùm res sit consumpta, neque ratione injustæ acceptionis, cùm nullam culpam admiserit: ergo.

*Nota.* Ad diligentiam necessariam non absolutè requiritur ut res inventa potiùs tradatur communitati quæ eam servabit, quàm pauperibus à quibus consumetur; quia hoc onus inventoribus non imposuerunt domini; alioquin scrupulis, anxietatibus locus aperiretur. Satius est tamen ita agere, cùm rei conservationi et hoc ipso domini desiderio meliùs consulatur.

Num. III.— *De bonis derelictis.*

*Quæres* 1°: Quid sint bona derelicta?

*Resp.:* Ea sunt quæ dominus abjecit eo animo ut jam non sint sua.

*Quæres* 2°: Cujus sint bona derelicta.

*Resp.:* Jure naturali, cùm sint res nullius, primi occupantis fiunt; sed jure civili, ex art. 539 et 713, ad rempublicam pertinent.

Num. IV. — *De bonis vacantibus.*

*Quæres* 1°: Quid sint bona vacantia?

*Resp.:* Ea dicuntur quæ reliquit aliquis decedens, vel sine hæredibus à sanguine aut testamento, vel cum hæredibus qui nolunt ejus hæreditatem adire.

*Quæres* 2°: Cujus sunt bona vacantia?

*Resp.:* Apud nos, ex art. 539 et 713, ad rempublicam pertinent. Ex art. 726 et 912, bona extraneorum quæ in Galliis vacantia reputabantur, iisdem legibus subjacebant, ac bona Gallorum quæ in respectivis exterorum regionibus vacantia habebantur. Sed hæc distinctio tollitur et hodie advenæ succedunt non secùs ac regnicolæ. Ita lex 14 die julii 1819.

§ 3. — *De accessione.*

(Cod. civ., art. 546 ad art. 577.)

Accessionis nomine intelligitur jus quo dominus alicujus rei ea acquirit quæ à re suâ producuntur, vel ipsi necessariò uniuntur, art. 346. Unde duplex in Codice distinguitur jus accessionis, aliud in fructus rei, aliud in res rei unitas.

Num. I. — *De jure accessionis in fructus rei.*

Fructus alicujus rei sunt vel naturales, vel industriales, vel mixti, vel civiles. Naturales illi sunt qui naturâ solâ, aut ferè solâ producuntur, ut fœtus animalium, fructus arborum, herba pratorum. Industriales illi sunt qui per hominis industriam et laborem ex remerè sterili proveniunt, adeò ut res non sit nisi instrumentum; ut lucrum ex pecuniâ per negotiationem. Mixti illi sunt qui partim ex naturâ, partim ex industriâ proveniunt, ut segetes, uvæ, legumina. Civiles appellantur illi qui à lege inter fructus reputantur, etsi reverà non sint, uti pretium locationis, vel usura pecuniæ quando legitimè percipitur. Isti cum naturalibus in jure confunduntur.

His prædefinitis, omnes fructus naturales, mixti et civiles domino rei acquiruntur jure accessionis, art. 546, 547, cum onere tamen solvendi impensas quæ ad eos obtinendos ab alio factæ sunt, art. 548. Industriales, de quibus loquitur Codex, rectiùs à theologis mixti vocantur.

Num. II.— *De jure accessionis ad res rei unitas.*

Res rei unitæ possunt esse vel immobiles, vel mobiles. Hic in memoriam revocandum est principium generale, cujus ope ferè omnes solvuntur hujus quæstionis difficultates: *Accessorium sequitur principale.*

Punctum I. — *De jure accessionis ad res immobiles.*

Jus accessionis ad res immobiles potissimùm considerari potest vel in ædificationibus, vel in alluvionibus, vel in insulis quæ aliquando efformantur.

1° *Ædificatio* fit vel ex alienâ materiâ in proprio fundo, vel ex propriâ materiâ in fundo alterius. In utroque casu, ædificium pertinet ad dominum fundi in quo ædificatum fuit, juxta illud juris nostri sicut et romani, principium: *Ædificium semper solo cedit*

art. 552. Si proprietarius fundi hæc opera ipse fecerit ex alieni materiâ, illius materiæ pretium solvere tenetur : si autem aliquis ex suâ materiâ in fundo alterius hæc construxerit, dominus fundi ac proinde ædificii diversa habet jura, prout ædificator fuit in bonâ vel malâ fide. Cùm ædificator fuit in malâ fide, dominus fundi potest vel exigere ut opera tollantur, vel ea retinere solvendo pretium materiæ et laboris. Eadem facultas domino non conceditur, si ædificator fuit in bonâ fide. Hic, operibus ipsi relictis, habet tantùm optionem solvendi vel pretium materiæ et laboris, vel valoris augmentum quod inde fundus suscepit, art. 553, 554, 555 ; implantatio arborum et plantarum easdem sequitur regulas ac ædificatio.

2° *Alluvio* est incrementum quod fluvius alicui prædio adjicit. Illud incrementum obvenire potest vel paulatim et insensibiliter, vel subitâ aquarum exundatione. Si fiat paulatim, id est, terras uni prædio adjungendo, aut unam è ripis insensibiliter deserendo, incrementum pertinet ad dominum fundi cui adjicitur, art. 556 et 357. Aliter statuitur de alluvionibus maris, lacuum et stagnorum, cùm illæ jure non agnoscantur, art. 557 et 558. Si subitò fiat incrementum, ad dominum fundi cui detractum est totaliter pertinet, modò sit notabile et cognoscibile, et dominus fundi tempore lege determinato illud repetat, art. 559.

3° *Insula;* alia nascitur in mari, alia in flumine navigabili, alia in flumine non navigabili. Insula in mari nata, quia sicut mare communis est, primo occupanti cedit; ideò non accessione sed occupatione acquiritur. Insula nata in flumine navigabili ad rempublicam pertinet, nisi adsint titulus et præscriptio contraria, art. 560. Insula nata in flumine non navigabili, ad eos qui propè ripas possident agros, pertinet, juxta mensuras art. 561 statutas.

Punctum II.— *De jure accessionis ad res mobiles.*

Jus accessionis ad res mobiles, ex Cod. art. 565, principiis æquitatis naturalis omninò regendum est; regulæ quæ traduntur potiùs ut legis exemplum quàm ut lex ipsa haberi debent. Iis nihilominùs utemur ad judicia nostra dirigenda. Illæ regulæ versantur circà adjunctionem, specificationem et commixtionem.

1° *Adjunctio* est unio duarum rerum ad diversos dominos pertinentium; duarum una est principalis et altera accessoria. Quando res duæ ità conjunctæ sunt ut unum corpus efficiant, etsi possint separari, pertinent ad dominum rei principalis cum onere alteri solvendi pretium rei adjectæ, art. 566, 568. Res illa tanquàm principalis habetur cui altera adjungitur solummodò ad usum, vel ornamentum, vel complementum, art. 567. Si res nulla considerari possit ut accessoria, illa pro principali habetur quæ pretio, vel, pretio non discrepante, magnitudine voluminis præstantior est, art. 569.

2° *Specificatio* dicitur confectio alicujus novæ speciei ex alienâ materiâ. Porrò vel pretium materiæ longè superat pretium industriæ, vel pretium industriæ longè superat pretium materiæ. Si 1°, proprietarius materiæ repetere potest novam speciem ex suâ materiâ confectam, solvendo artifici laboris pretium, art. 570. Hinc si quis ex meo auro scyphum aut ex lanâ meâ vestem fecerit, meus erit scyphus et vestis mea, opifici solvendo valorem laboris. Si 2°, artifex retinere potest novam speciem, solvendo proprietario materiæ justum illius pretium, art. 371. Hinc si sculptor ex alieno marmore pulcherrimam confecerit statuam, tunc jus haberet rem elaboratam sibi retinendi, soluto marmoris valore. At si artifex materiam alterius ad novam speciem conficiendam malâ fide adhibuisset, teneretur in utroque foro reparare damnum quod passus est dominus materiæ, art. 577.

3° *Commixtio* est conjunctio duarum rerum æquè principalium ad diversos dominos pertinentium; ea conjunctio dicitur commixtio vel confusio, prout res conjunctæ facilè vel nonnisi difficillimè sunt separabiles. Si res conjunctæ facilè separabiles sint, v. g., oves in grege ad diversos dominos pertinentes, res separari debent pro ratâ parte rei mixtæ, art. 573. Si res conjunctæ nonnisi difficilè separabiles sint, v. g., acervi tritici, res fiunt communes utrique domino, pro ratâ parte quantitatis, qualitatis et valloris rei mixtæ, art. 573. Si forsan materia unius valdè superet materiam alterius, quantitate et pretio, præstantioris materiæ dominus totam rem commixtam vel confusam repetere potest, solvendo alteri ipsius materiam, art. 574.

Præter regulas jam allatas quæ speciales sunt unicuique ex casibus propositis, quædam sunt communes, quas referre interest ut quæstiones circà hanc materiam faciliùs solvantur occurrentes.

1° Cùm res manet communis inter dominos materiarum ex quibus confecta est, vendi debet per licitationem, ad communem illorum utilitatem, art 575.

2° Quotiescunque dominus materiæ ex quâ, eo inscio, confecta est nova species, vindicare potest hanc materiam, ipse pro libitu valet petere vel restitutionem materiæ, in eâdem naturâ, quantitate, pondere, mensurâ et bonitate, vel ejus pretium, art. 576.

3° Qui materiam alienam, inscio domino, consumpserunt, condemnari etiam poterunt ad reparationem damni, si quod patiatur dominus materiæ, imo et in jus extraordinariè vocari, si casus evenerit, art. 577.

### § 4. — *De præscriptione.*

(Cod. civ. ab art. 2219 ad art. 2281.)

Præscriptio est *modus acquirendi dominium, vel se liberandi ab aliquâ obligatione, per certum temporis lapsum, sub conditionibus à lege præfixis*, art. 2219. Undè duplex est præscriptionis effectus. Unus est acquisitio dominii; sic, v. g., aliquis possidet agrum per tempus à lege præfixum : ipsi proprietas acquiritur vi solius possessionis, etiamsi nullum titulum validum habeat, modò quædam adimpleantur conditiones. Alter est liberatio seu exemptio à quâdam servitute et obligatione; sic, v. g., aliquis non exercuit, per tempus lege definitum, jus luminum et stillicidii quod habebat in agrum meum : adversùs eum præscribo, et me redimo à jure quod habebat.

Prior præscribendi modus dicitur gallicè *prescrire un droit*, et posterior nuncupatur *prescrire contre un droit*. Simul de utroque agemus in propositione sequenti.

Propositio. — *Præscriptio est modus in conscientiâ legitimus acquirendi dominium, vel se liberandi ab aliquâ obligatione sub conditionibus à lege præfixis.*

*Prob.* Præscriptio est modus in conscientiâ legitimus acquirendi.... vel se liberandi.... si princeps id voluerit et potuerit; atqui utrumque constat.

1° *Voluit*, quod patet 1° verbis legislatoris. Iste declarat enim purè et simpliciter per præscriptionem dominium acquiri et obligationem extingui; atq. consuetus est ille modus declarationis cùm datur pro conscientiâ : erg....2° fine legis. Finis præscriptionis est stabilitas proprietatum et tranquillitas civium; atq. nemo non videt hunc finem non obtineri, si præscriptio non esset modus..... quia probi semper remanerent anxii et dubii circà bona sua, cùm tali lege uti non vellent : erg... 3° interpretatione communi. Ab undecimo seculo Theologi, Canonistæ et Juristæ unanimes conclamant ore Gregorii IX, *secundùm SS. Patrum sanctiones bona legitimè præscripta quietè et sincerè in perpetuum servari :* ergò 1° voluit princeps.

2° *Potuit.* Princeps, vi illius supremæ potestatis quâ disponit de bonis privatorum ad bonum commune, potest illud quod æquitati non repugnat et bono publico valdè utile est; atq. talis est translatio dominii et extinctio obligationis vi præscriptionis. 1° Non repugnat æquitati. Nam ut judicetur de legis æquitate consideranda est illa non quoad privatos, sed in se, ante quemlibet eventum; atq. sic attenta non lædit æquitatem, quia tunc par est pro quolibet privato spes lucri et damni; undè sanè potuissent privati, absque injustitiâ, ex pacto statuere dominium acquiri, vel obligationes extingui per diuturnam possessionem : ergò idem potest princeps pro bono publico absque injustitiâ : ergò 1° non repugnat æquitati.... 2° Valdè utilis est bono publico. Valdè utile est bono publico ut bona diù non maneant incerta, ut finis imponatur litibus, domini cautiores efficiantur in rebus suis servandis et recuperandis; atq. hæc omnia præstantur translatione dominii et extinctione obligationis in præscriptione : ergò princeps potuit..... aliundè voluit : ergò.

Quibus patet præscriptionem fuisse introductam, non solùm ad puniendam prioris domini socordiam, sed præcipuè ac primariò ad quietem civium ac familiarum assecurandam.

Hinc 1° non teneris rem legitimè præscriptam restituere, etiamsi, completâ præscriptione, noveris eam esse alienam. Ita S. Thomas, lib. 12, 2, 16, art. 2.

Hinc 2° si quis ignorans præscriptionem esse modum legitimum acquirendi dominium, rem à se sic acquisitam priori domino reddidisset, posset eamdem ab ipso repetere, si posteà sciret præscriptionem esse modum...; nam priori domino donum largiri nolebat, cùm nesciret rem esse suam; non posset verò rem illam repetere, si, quando eam priori domino reddidisset, scivisset præscriptionem esse modum acquirendi dominium : quia tunc adest verum donum; res autem semel donata repeti non potest.

*Obj.* 1° Nemo citrà culpam re suâ privari potest : atq. non pauci privarentur... si præscriptio esset modus legitimus... ergo.

*Resp. dist. maj.* Si non exigat bonum commune, *conc.* si exigat bonum commune, *neg.*, quia tunc præscriptio assimilatur oneribus publicis quæ quisque civis, etiamsi absit culpa et negligentia, subire tenetur eodem ferè modo quo solvit vectigalia et tributa. Ratio boni publici ita prævalet bono privato ut nemo haberi possit rationabiliter invitus circa talem legis dispositionem.

*Obj.* 2° Princeps non potest ultra quod necessarium est ad finem suum obtinendum; atqui ad obtinendum finem in præscriptione intentum, sufficit ut in foro externo denegetur actio priori domino : ergo.

*Resp. neg. min.* In hâc hypothesi dominia tuta quidem essent ab evictione juridicâ, sed incerta remanerent; probi securè non possiderent, cùm avidi ipsis confictos objicerent titulos quorum falsitas difficilè detegi posset; unde vitam ducerent in anxietatibus, aut inquisitionibus, aut litibus, aut renuntiationibus quas denique ad depellendos scrupulos facerent : ergo.

*Obj.* 3° Non potest quis licitè retinere rem sibi à judice adjudicatam, quando novit esse alienam : ergo à pari, si noverit, post elapsum præscriptionis tempus, rem esse alienam...

*Resp. neg. conseq. et parit.* Ratio disparitatis est 1° quòd judex per sententiam non intendat transferre dominium, sed tantùm declarare ad quem res pertineat, secundùm allegata et probata : lex verò præscriptionis decernit verè transferri dominium ob varias causas quæ bonum commune respiciunt; 2° quòd sententia judicis nitatur falsâ præsumptione; secùs verò lex præscriptionis, quæ non adjudicat rem præscribenti, præcisè quia præsumit eam illius esse, sed ne diù incerta maneant rerum dominia, ne lites et fraudes oriantur, et ob alias rationes supra assignatas, sive res sit præscribentis, sive alterius.

Dixi in propositione, *sub conditionibus lege præfixis;* quinque enim requiruntur : res præscriptibilis, possessio, titulus, bona fides, tempus lege statutum, de quibus successivè sermo erit.

### Num. I. — *De rebus præscriptibilibus*

Generatim ea omnia et sola præscriptibilia sunt quæ objectum dominii esse possunt.

Ut autem apprimè cognoscatur quænam bona in specie sint præscriptibilia, sufficit ea censere quæ sunt impræscriptibilia. Ad hoc duplex regula. Alia sunt impræscriptibilia naturâ suâ, alia dispositionibus legum.

I. Reg. *Impræscriptibilia sunt naturâ suâ ea pro quorum acquisitione non supponitur titulus legitimus.* Hinc 1° non præscribitur contra jus naturale et jus divinum. Hinc 2° non præscribitur contra ea quæ instituta sunt ad bonum commune. Hinc 3° non præscribitur contra

ea quæ non sunt in commercio, art. 2226. Ea dicuntur extra commercium, quæ ita sunt dominii publici ut fieri nequeant sub dominio privato quin naturam mutent. Sic habentur ea quæ ad rempublicam pertinent, titulo supremæ potestatis, qualia sunt illa de quibus art. 538 et 540. Ea autem censentur in commercio, et ideò præscriptibilia, quæ ita sunt dominii publici ut sub dominio privato fieri possint absque ullâ naturæ transformatione. Sic computantur ea quæ ad rempublicam pertinent, titulo privatæ proprietatis, qualia sunt illa de quibus art. 539, 541, 560. Juxta hunc posteriorem sensum intelligendus est art. 2227, quo statuitur gubernium iisdem præscriptionibus obnoxium esse ac privatos.

II. Reg. *Impræscriptibilia sunt dispositionibus legum ea quæ lege vel expressè vel implicitè à præscriptione excluduntur.* Excluduntur explicitè 1° servitutes, aut non apparentes aut non continuæ, cùm scilicet istæ titulo destituuntur, art. 691 ; 2° bonum dotale, tamdiù perseverat societas bonorum inter conjuges, nisi fortè præscriptio ante conjugium incœperit, art. 1561; 3° bona dotationem regiam componentia, leg. 18 novemb. 1814. Excluduntur autem implicitè ea de quibus lex declarat vel absolutè alienari non posse, vel alienari non posse nisi cum quibusdam solemnitatibus, vel denique non posse alienari in favorem talis vel talis personæ ; ita sunt quædam res minorum, interdictorum et mulierum, art. 2252 et seq.

Num. II. *De possessione.*

Possessio in genere est detentio alicujus rei vel exercitium alicujus juris, art. 2228. Hæc requiritur 1° jure can. juxta reg. 3. juris in Sexto : *Sine possessione præscriptio non procedit;* 2° jure civ. art. 2229 : erg... ad præscriptionem parvi refert utrùm quis possideat per se vel per alium qui nomine ipsius possidet, art. 2228.

Illa autem possessio, ut ad præscriptionem sufficiat, debet esse, juxta art. 2229 :

1° *Titulo proprietatis,* alioquin adesset mera detentio, sed non possessio propriè dicta, qualis in jure intelligitur. Hinc 1° qui possident nomine alterius, v. g., curatores, tutores, coloni, depositarii, usufructuarii et eorum hæredes, quamdiù non interverterunt titulum prioris possessionis, seu nomine alterius possident, præscribere non possunt, art. 2236 et seq. Hinc 2° qui possident simplici tolerantiâ aut merâ facultate alterius præscribere nequeunt, art. 2232. Si quis, v. g., diù transeat per meum fundum, absque ullo titulo per se juris translativo aut talis tituli specie, contra me non præscribit, quia non titulo proprietatis, sed merâ licentiâ alterius possidet.

2° *Pacifica,* id est, actus violentiæ excludens : à die tantùm quo cessavit violentia, incipit possessio ad præscriptionem apta, art. 2223. Videtur Codex his verbis abrogare principium juris romani, vi cujus res furtivæ aut vi ablatæ nunquàm præscribi poterant.

3° *Publica,* seu oculis civium exposita, adeò ut ille cujus interest ne res sua ab alio præscribatur, eam reclamare valeat ; sic qui furtim aquam haurit ex alieno puteo, licet per longum tempus hauriat, jus non acquirit, illo clandestino usu, aquam ab illo fonte hauriendi ; necesse non est tamen ut dominus reipsà alterius possessionem cognoverit, aliàs vix applicari posset præscriptio.

4° *Certa,* id est, demonstrata per actus veræ possessionis attestativos quibus possessor moraliter certus sit se non alterius sed proprio nomine possidere. Deficiente illâ conditione, deficeret bona fides.

5° *Continuata tempore lege præfixo :* hæc continuatio impediri potest vel interruptione vel suspensione.

Interrumpitur possessio : 1° si possessor per tempus anno longius re possessâ privetur vel à domino legitimo vel ab alio, art. 2243 ; 2° si experiatur interpellationem juridicam, etiam coram judice incompetente, mandatum judiciarium, apprehensionem bonorum legalem, art. 2244 et seq. ; 3° si agnoscat jus proprietarii in rem quam possidet, art. 2248.

Suspenditur possessio, 1° quandò dominus est incapax rem suam prosequendi, ut sunt in multis, minores, interdicti, conjuges inter se, art. 2252 et 2253 ; 2° quandò res possessa nondùm est exigibilis, ut sunt præcipuè debita sub conditione, ad statutum diem, ad securitatem creditoris, antequàm impleta fuerit conditio, vel dies advenerit, vel sublata fuerit oppignoratio, art. 2257.

In eo est discrimen inter suspensionem atque interruptionem, quòd si suspensa fuerit præscriptio, tempus suspensionem præcedens cum tempore eam subsequente conjungi possit ad præscribendum, dùm è contrà, si præscriptio interrupta fuerit, tempus eam præcedens pro nihilo computari debeat, et, eâ interruptione sublatâ, denuò possessio inchoanda est et implenda.

Num. III. *De titulo.*

Titulus in genere est causa propter quam aliquid possidemus. Nemo non videt ad præscriptionem non requiri titulum verum, seu per se sufficientem ad fundandum jus quod quis contendit ; nam, si adesset, jàm præscriptione opus non esset. Ideò tota quæstio movetur de titulo apparenti, qui, juxtà Collet, potest esse vel præsumptus seu putativus, vel coloratus seu invalidus, vel vitiosus.

*Præsumptus* seu *putativus* ille est qui creditur verus, etsi non sit, v. g., si credam me emisse aliquid quod reverà non emi.

*Coloratus* seu *invalidus* is est qui naturâ suâ dominium transferret si, ob latentem defectum, nullus non esset ; v. g., donatio facta ab eo qui non est dominus.

*Vitiosus* ille est qui naturâ suâ non esset aptus ad transferendum dominium, licèt totam vim suam obtineret ; v. g., locatio, commodatum, depositum... Pauca de singulis.

I. *De titulo præsumpto* seu *putativo.* Ille titulus sufficit pro præscriptionibus 30 annorum. Etenim in hujusmodi præscriptionibus, cùm lex titulum non requirat exhibendum, art. 2262, sufficit bona fides theologica ; atqui ex titulo præfato oriri potest illa bona

fides, quâ quis credit se esse legitimum dominum : erg.... Non sufficit autem ille titulus pro præscriptionibus 10 et 20 annorum, quia leges pro illis non admittunt titulum qui reipsà non existit, etsi putetur adesse, art. 2226, 2265, 2268.

II. *De titulo colorato* seu *invalido*. Certum est illum sufficere pro præscriptionibus 30 annorum, quia in illis nullus requiritur titulus. An verò sufficiat pro cæteris præscriptionibus? Diversa est decisio pro diversâ invaliditatis origine. 1° Si titulus sit invalidus ob defectum occultum juris in eo qui rem vendidit aut donavit, sufficit etiam pro præscriptionibus 10 et 20 annorum; 2° si titulus sit invalidus ob defectum formæ, non sufficit pro præscriptionibus 10 et 20 annorum, art. 2267; 3° si titulus sit invalidus ob irritationem legis, quæ aliâ de causâ quàm defectu formæ eum annullavit, sufficit vel non sufficit pro præscriptionibus 10 et 20 annorum, prout lex irritans primariò spectat ad utilitatem privatam vel publicam.

III. *De titulo vitioso*. Is titulus cuilibet præscriptioni semper obstat, ità ut cum illo nunquàm præscribere liceat, quia possidens titulo vitioso, proprio nomine possidere nequit. Sic olim omnes docebant, et nunc admittendum videtur ex art. 2236 et 2237. Unde præscribenti opponi potest ab eo contra quem præscribitur in quibuslibet præscriptionibus. Hoc sensu dicitur : *Meliùs est non habere titulum, quàm habere vitiosum.*

### Num. IV. *De bonâ fide.*

#### Punctum I. *De naturâ bonæ fidei.*

Bona fides, in materiâ præscriptionis, est sincera existimatio, quâ quis prudenter sibi persuadet rem quam possidet esse suam, vel se non teneri ad implendam obligationem quæ præscriptionibus liberativis extinguitur. Hæc definitio spectat bonam fidem requisitam in præscriptionibus, sive ad acquirendum dominium, sive ad se liberandum ab aliquâ obligatione.

Bona fides sic intellecta potest esse vel theologica, vel juridica. Bona fides theologica ea est quæ prudenter concipitur, adeò ut coram Deo culpâ saltem mortali vacet. Negligentia levis eam non impedit, cùm diligentiam ordinariam non impediat. Bona fides juridica ea est quæ concipitur ob possessionem inceptam virtute tituli proprietatis translativi, cujus vitia ignorantur. Lex civilis non aliam agnoscit bonam fidem, art. 550 et 2269. Inter utramque latum est discrimen : bona fides theologica existere potest absque bonâ fide juridicâ; aliquandò enim leges civiles ex certis indiciis præsumunt malam fidem, ità ut, quantacunque reperiatur bona fides theologica, possessio nihilominùs pro illegitimâ habeatur. Vice versâ, bona fides juridica existere potest absque bonâ fide theologicâ; ad bonam fidem juridicam sufficit possessio incepta cum titulo dominii translativo, cujus vitia ignorantur, etiamsi posteà decursu præscriptionis detegantur vitia hujusce tituli, art. 2269. Numquid conditiones bonæ fidei theologicæ essentiales subsistere possunt in eo qui sic præscriberet? Ille virtute præfati tituli sibi conscientiam efformare non potest se esse dominum rei quam præscribere intendit.

#### Punctum II. *De necessitate bonæ fidei.*

*Quæres* 1° an bona fides theologica requiratur ad præscribendum?

*Resp. affirm.* Id probatur 1° jure can. ex reg. 2 juris, in 6 : *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* 2° Conc. Later. IV : *Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bonâ fide præscriptio tàm canonica quàm civilis; undè oportet ut qui præscribit, in nullâ temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.* Quis tantæ non suffragabitur auctoritati? Infallibilis est synodus œcumenica quandò explicat jus divinum; atqui conc. Later. IV, quod ab Ecclesiâ recensetur inter concilia generalia, non edit novam legem, sed explicat jus divinum, cùm, ex Epist. ad Rom. 14, 23, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, concludat nullam valere præscriptionem absque bonâ fide theologicâ: ergò. 3° Ratione. Statìm ac possessor fit malæ fidei, fur et latro est; atqui lex non intendit instituere præscriptionem in favorem furum; ergò bona fides requiritur in quibuslibet præscriptionibus, et quidem omni tempore ad præscribendum lege requisito.

Hinc art. 2268 et 2269 quibus nituntur illi qui putant in præscriptionibus sufficere bonam fidem juridicam, vim nullam obtinent in foro conscientiæ; leges in istis et similibus dispositionibus meritò præsumuntur tantùm pro foro externo dominium transferre voluisse; quòd si ulteriùs progredi intendant, causâ cadunt, quia juri naturali et divino adversantur.

*Quæres* 2° an bona fides theologica ad præscribendum sufficiat?

*Resp.* 1° bona fides theologica non sufficit in præscriptionibus 10 et 20 annorum. Ratio est quia tota vis præscriptionis pendet à lege civili : atqui bona fides theolog. non sufficit coram lege civili in hujusmodi præscriptionibus. Etenim lex civ. in præscriptionibus de quibus agitur exigit bonam fidem et titulum, art. 2293 : atqui bona fides ad mentem legis civ. non alia est nisi juridica : ergò bona fides theolog. non sufficit in præscriptionibus 10 et 20 annorum.

2° Bona fides theologica sufficit in præscriptionibus 30 annorum. Ratio est quia ubi invenitur bona fides theologica, adest quidquid lege et conscientiâ exigitur ut hujusmodi præscriptiones vim suam obtineant. 1° Adest quidquid lege exigitur; lex enim neque bonam fidem juridicam, neque titulum exigit pro præscriptionibus de quibus hypothesis est : ergò 1°. 2° Adest etiam id quod conscientiâ exigitur. Conscientia præter conditiones jure civili requisitas nihil aliud requirit nisi bonam fidem theologicam, quæ in præfato casu reperitur : ergò 2°. Aliundè ergò.

#### Punctum III. *De rebus quæ bonæ fidei obstare possunt.*

Tria potissimùm bonæ fidei obstare possunt, 1° du-

bium, 2° error, 3° mala fides auctoris cui succedit aliquis.

*Quæres* 1° utrùm bonæ fidei ad præscribendum requisitæ officiat dubium an aliena sit res quæ possidetur?

*Resp.:* Certum est apud omnes eum qui dubitat utrùm aliena sit res quam ipse possidet, teneri strictè diligentiam adhibere ut dubium excutiatur et veritas detegatur, alioquin illius possessio ad præscriptionem inservire non posset; etenim bona fides cum præfato dubio subsistere nequit. Sic possidens voluntariè se exponit periculo rem alienam occupandi : ergo.

Sed quæstio est : an dubium quod, factâ disquisitione, nihilominùs perseverat, impediat bonam fidem in præscriptione requisitam? Distinguendum est.

1° Dubium præcedens possessionem impedit bonam fidem ad præscribendum requisitam. Ad bonam fidem requiritur ut possessor sibi legitimè persuadeat, saltem practicè, rem quam detinet esse suam; atqui id non potest in tali dubio; 1° neque principiis directis, cùm, ex hypothesi, diligenti examine non vincatur; 2° neque principiis reflexis, cùm in suî gratiam nulla juris præsumptio invocari possit, sicuti in dubio de quo infra : ergò. Aliundè : ergo.

2° Dubium possessioni bonâ fide inchoatæ superveniens non impedit bonam fidem in præscriptione requisitam. Ad bonam fidem in præscriptione sufficit ut possessor sibi legitimè persuadeat, saltem practicè, rem de quâ speculativè dubitat reverà esse suam : atqui præfatus possessor potest legitimè sibi persuadere..... scilicet 1° *Præsumptione juris.* Etenim ex illo axiomate : *In dubio melior est conditio possidentis*, omnia tribunalia civilia et ecclesiastica adjudicant rem de quâ dubitatur ei qui priùs bonâ fide possidere incœpit; atqui illa adjudicatio certè præsumptionem proprietatis adducit in gratiam illius cui res attribuitur : ergo. 2° *Præsumptione rationis.* Licet sequi opinionem longè probabiliorem, in concursu etiam tutioris; atqui longè probabilius est rem quam priùs bonâ fide possedi esse meam, non obstante dubio quod ratione non sublatum fuit Nàm sic ratiocinari possum : ex unâ parte viri probi non solent invadere res alienas, et ex alterâ parte homines divitiarum maximè avidi non sinunt res suas sibi abripi absque gravissimis oppositionibus; atqui conscientia mihi testis est quòd nunquàm bonum alterius injustè occupaverim et nullæ reclamationes aures meas commoverint : ergò. 2° Aliundè.... Deniquè demus ad momentum quòd præsumptiones non sufficiant ad dubium de quo agitur resolvendum in certitudinem practicam; quid indè? Ad litem componendam addemus breviter : ad præscribendum non requiritur possessio perfectior eâ quam exigunt leges civiles et ecclesiasticæ; atqui leges illæ non exigunt nisi possessionem quæ prius bonâ fide incepit, etiamsi posteà dubium superveniat, dummodò illud dubium rationibus intrinsecis depelli non queat : ergo decipiuntur illi qui perfectiorem exposcunt possessionem ad præscribendum. Undè dubium speculativum, etsi forsan subsistat, non impedit bonam fidem practicam, quæ saltem sufficit ad possessionem continuandam, ac proinde fundandam præscriptionem. Sic ferè unanimiter, teste De Lugo, Theologi, Canonistæ et Jurisperiti.

*Quæres* 2° an et quis error tollat bonam fidem in præscriptione requisitam?

*Resp.:* Error, in genere, est privatio cognitionis rei quam scire possumus. Duplex est : alius juris, alius facti. Error juris is est, quo quis factum cognoscens, ignorat legem quæ illud prohibet : ut si quis sciens talem esse minorem, nesciat legem prohibentem cum illo contrahere absque consensu parentum. Error facti is est quo quis, sciens legem, ignorat tale factum esse legi contrarium; ut si quis, sciens illicitum esse cum minore contrahere absque parentum consensu, ignoret talem personam quâcum contrahit esse minorem. Nunc,

*Resp.:* 1° Error vincibilis sive facti, sive juris, bonam fidem tollit. Tunc imprudenter quis judicat rem quam possidet esse suam, vel se non teneri ad implendam obligationem quæ præscriptionibus liberativis extinguitur, siquidem, adhibitâ morali diligentiâ quam non solent omittere viri prudentes, aliud potuit et debuit judicium ferre.

2° Error invincibilis facti bonam fidem non impedit, nàm bona fides necessariò supponit errorem; atqui nullus error bonæ fidei faventior quàm error invincibilis facti, cùm nec impediat judicium prudens, nec in jure reprobetur : ergo....

3° Error invincibllis juris impedit bonam fidem requisitam præscriptionibus 10 et 20 annorum. Ex principiis suprà expositis, præter bonam fidem theologicam, exigitur bona fides juridica, art. 2265; atqui leges non supponunt bonam fidem juridicam in eo qui etiam invincibiliter legem ignorat, siquidem titulus nullus defectu formalitatum, nunquàm præscriptionibus 10 et 20 annorum inservire potest; quod certè valeret, si bonæ fidei supplere posset ignorantia legis : ergo....

4° Error invincibilis juris non impedit bonam fidem requisitam in præscriptionibus 30 annorum. Etenim in hujusmodi præscriptionibus sufficit bona fides theologica; atqui error invincibilis juris sive clari, sive obscuri, non impedit bonam fidem theologicam, quæ nihil aliud postulat quàm diligentiam hominibus probis consuetam : ergo... Hinc rejicienda videtur distinctio juris clari et obscuri quæ diù in scholis viguit, et nunc expungitur novo jure. Codex civilis reputat omnem hominem scire ac cognoscere jus gallicum, quodcunque sit.

*Quæres* 3° an mala fides auctoris ità noceat successori, ut qui bonâ fide succedit possessori malæ fidei, in conscientiâ præscribere nequeat?

*Resp.:* Prænotatur aliquem posse succedere bonis alterius, vel titulo hæredis universalis, quandò omnia ejus bona recepit; vel titulo universali, quandò partem mediam aut tertiam dicitur accipere; vel titulo particulari, seu ut legatarium, quandò objectum determinatum, v. g., talem agrum, bibliothecam

obtinet. Post hanc prænotionem respondemus :

Vel hæres succedit titulo particulari, vel titulo universali.

Si prius, hæres potest præscribere, modò bonâ fide possideat per totum tempus à lege præfixum ; ratio est quia successor titulo particulari non censetur unicam personam moralem efficere cum suo auctore, ac proindè nec succedit vitiis illius possessionis, nec tenetur ad ejus debita solvenda : undè suo nomine, et non nomine auctoris præscribere incipit.

Si posterius, vel agitur de præscriptionibus 10 et 20 annorum, vel de præscriptionibus 30 annorum.

Si primùm, hæres titulo universali præscribere non potest. Nam in illis præscriptionibus requiritur bona fides juridica; atqui in eo casu non est... Ex dispositione legum, successor titulo universali censetur unicam personam moralem cum suo auctore efformare, et, eo ipso, succedere vitiis illius possessionis; atqui possessio auctoris, utpotè malæ fidei, ad præscriptionem apta non erat : ergo nec possessio successoris. Hoc intelligendum est tantùm de successore immediato, quia lex non admittit fictionem fictionis; undè fictio juris de malâ fide hæredis immediati non transit ad secundum hæredem, et ideò secundus hæres non efficit unicam personam cum antecessore, v. g., cum avo vel atavo, qui in malâ fide naturali versabatur.

Si secundùm, probabilius est possessorem bonæ fidei titulo universali succedentem auctori malæ fidei, per 30 annos præscribere posse. Illa sententia conformis est, 1° juri civili. Jus civile, art. 2262, asserit omnes obligationes tam reales quàm personales posse præscribi per 30 annos sinè probatione bonæ fidei ; atqui una est ex illis obligatio possessoris bonæ fidei titulo universali succedentis : ergo... 2° Juri canonico. Jus canonicum nihil aliud exigit, præter conditiones juris civilis, nisi bonam fidem theologicam ; atqui præfatus hæres est in bonâ fide theologicâ, id est, coram Deo inculpabili : ergo. 3° Fini præscriptionis. Finis præscriptionis est reddere certa bona privatorum, et innumeras lites extinguere; atqui hæc obtineri non possunt, nisi valeat præscriptio possessoris bonæ fidei succedentis titulo universali.

### Num. V. *De tempore ad præscribendum statuto.*

Tempus ad præscribendum statutum aliud est in præscriptionibus ad acquirendum, aliud in præscriptionibus ad se liberandum ab aliquâ obligatione.

### Punctum I. *De tempore requisito in præscriptionibus ad acquirendum.*

Diversum est tempus requisitum in præscriptionibus ad acquirendum, pro diversis rebus præscribendis ; res præscribendæ possunt esse vel immobiles vel mobiles.

*Quær.* 1° quid temporis requiratur ad præscribendas res mobiles?

*Resp.* In primâ hujusce Tractatûs editione docuimus cum notissimo professore cujus opiniones sæpè nobis fuerunt regulares, mobiles tantùm præscribi posse per 30 annos, quia in illarum gratiam non videbantur invocari posse, neque præscriptiones antiquæ trium annorum, cùm illæ censeantur obsoletæ, neque præscriptiones 10 aut 20 annorum, cùm istæ loquantur tantùm de bonis immobilibus; sed, rebus maturiùs expensis, satiùs est recurrere cum Berger, Receveur et pluribus aliis ad art. 2279, quo possessio pro titulo habetur ubi agitur de bonis mobilibus acquirendis. Hæc autem possessio, si invocetur ad præscriptionem rei mobilis, debet procul dubio esse sicut et pro aliis præscriptionibus certa, pacifica, incepta et continuata bonâ fide, nisi dicatur legislatorem voluisse favere furtis et rapinis. Jam verò istæ possessionis conditiones non unico instanti implentur, sed aliquale tempus exigunt; idcircò sentimus non multùm recedendum esse à legibus quæ olim requirebant tres annos in præscriptionibus mobilium. Praxis quotidiana supponit hujusmodi leges non omninò peremptas. Ita Gousset in art. 2279.

*Quær.* 2° quid temporis requiratur ad præscribendas res immobiles?

*Resp.* vel possessio caret titulo, vel titulo nititur.

Si prius, requiritur et sufficit spatium 30 annorum, art. 2262 : jàm abrogantur omnes dispositiones quibus olim longius intervallum ad præscribendas res ecclesiarum et civitatum exigebatur.

Si posterius, vel ille contrà quem præscribitur est præsens, vel absens, vel aliquandò præsens et aliquandò absens. Si sit præsens, sufficit spatium decem annorum, art. 2265; si sit absens, requiruntur et sufficiunt viginti anni, art. eod.; si partùm sit præsens et partim absens, annis præsentiæ addendi sunt anni absentiæ duplicati usque dùm compleatur decennium, art. 2266. Si, v. g., proprietarius fundi præscribendi, quinque annis sit præsens, et deindè aliò transferat domicilium, adhùc desiderantur decem anni, quia decem anni absentiæ pro quinque tantùm annis præsentiæ computantur.

Censetur autem præsens ille contra quem præscribitur, quandò degit sub jurisdictione ejusdem curiæ regiæ in cujus territorio situs est fundus præscriptioni obnoxius, art. 2265.

### Punctum II. *De tempore requisito in præscriptionibus ad se liberandum ab aliquâ obligatione.*

Præscriptiones ad se liberandum complentur vel longo, vel brevi, vel brevissimo tempore.

1° Complentur longo tempore illæ quæ fiunt lapsu 30 annorum. Hujusmodi præscriptionibus extinguuntur omnes actiones tùm reales tùm personales, art. 2262 : sub his comprehenduntur census, gallicè *rentes*, non tantùm quoad annuos reditus, sed etiam quoad capitale. Motiva hujus præscriptionis sunt : 1° præsumptio solutionis debiti ; 2° ut debitor non teneatur perpetuò servare testimonia solutionis ; 3° ut puniatur negligentia creditoris.

2° Complentur brevi tempore illæ quæ fiunt spatio 5 annorum. Hujusmodi præscriptionibus extinguuntur insoluta censuum vel pensionum cibariarum reli-

qua, locationum pretia, et generatim ea quæ solvenda sunt quolibet anno vel breviori epochâ periodicâ, art. 2277. Motiva hujus præscriptionis sunt 1° præsumptio solutionis; 2° punitio negligentiæ creditoris; 3° excitatio diligentiæ debitoris, ne de die in diem differendo impar fiat solvendis simul debitis quæ facilè quotannis solvisset.

5° Complentur brevissimo tempore illæ quæ fiunt minori spatio. Quædam complentur spatio sex mensium, aut unius anni, aut duorum annorum, art. 2271 et seq. His adjiciuntur etiam plures præscriptiones 5 annorum, quibus applicari non possunt, nisi motiva legis pro præscriptionibus brevissimi temporis. Motivum unicum hujus præscriptionis aut saltem principale est præsumptio solutionis debiti. Quod claresci discussione Codicis et art. 2275, ex quo qui præscriptionem opponunt tenentur jurare, si id postulaverint ii quibus præscriptio opponitur, vel debitum reverà solutum fuisse, si de ipsorum facto agatur, vel se ignorare rem esse debitam, si agatur de facto eorum quorum loco sunt.

Undè præscriptiones brevissimi temporis, cùm præsumptione solutionis nitantur, nullum, deficiente illâ solutione, sortiuntur effectum. Sic mercatoribus et operariis debita in foro conscientiæ solvenda sunt, licet ob defectum petitionis debiti intrà tempus lege præfixum ipsis in foro civili denegetur actio. Intentio legislatoris, ut patet ex his quæ dicta sunt, hoc tantùm statuit, ne ii quibus merx aut opus præstitum est, bis solvendi periculum subeant, quia debita minuta sicut eorum solutio facilè excidunt è memoriâ; sed nullo modo fuit eos ab obligatione solvendi liberare, si reipsà non solverint.

*Not.* 1° Ad complendam præscriptionem conjungi possunt tempora possessoris et auctoris, quocunque modo possessor auctori suo successerit, sive titulo oneroso aut gratuito, sive titulo universali aut particulari, art. 2235. Ratio est quia venditor vel donator vel testator rem alteri tradit cum suis juribus, ac proindè possessione inchoatâ ad præscribendum aptâ. Observa tamen quòd successor bonæ fidei computare non possit annos possessionis sui auctoris, cùm istius possessio debitis conditionibus vestita non fuit.

*Not.* 2° Præscriptio non computatur de momento ad momentum, sed à die ad diem, art. 2260, nec acquiritur nisi postremus dies totus effluxerit, art. 2261.

Antequàm huic paragrapho finem imponamus, quædam sunt dispositiones generales quæ sedulò observari debent.

1° Nemini licet præscriptioni renuntiare antequàm adimpleta sit. Cùm verò fuerit adimpleta, licet, art. 2220. Hæc autem renuntiatio fieri potest vel expressè, scilicet per declarationem, vel implicitè, scilicet facto quod supponit derelictionem juris acquisiti, art. 2222.

2° Lex de præscriptione, solâ conditionis impletione et lapsu temporis requisito, ante quamlibet judicis sententiam suum operatur effectum. Quod supponere videntur et art. 2222, et finis præscriptionis. Aliundè quis judicem adiret ad confirmandam possessionem de quâ minimè inquietatur? Hoc nimis ridiculum esset.

3° Qui rem aliquam præscribit, eo ipso fructus illius acquirit, si non præscriptione, saltem tanquàm possessor bonæ fidei, vi tituli proprietatis translativi cujus vitia ignorantur, art. 549 et 550.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS DOMINII SEMI-PLENI.

Dominium plenum, ut initio tractatûs notavimus, tria secum importat, nempè : *Jus de re quolibet modo disponendi, jus re perfectè fruendi, et jus omnes alios à quâlibet rei fruitione excludendi.* Porrò in his tribus dominium modificari potest. 1° Jus disponendi restringitur, quandò dominus cogitur aut prohibetur rem suam alienare. 2° Jus fruendi potest diversis modis separari à dominio pleno, prout scilicet alius quàm dominus habet rei aut usum, aut usumfructum, aut habitationem. 3° Jus alios excludendi à fruitione rei multipliciter limitatur, videlicet quandò quis tenetur permittere ut alii in suo fundo quosdam exerceant actus proprietatis, aut quando ipse ab aliis impeditur ne exerceat quosdam actus dominii in proprio fundo; illud autem præsertim evenit per servitutes. De triplici illâ specie modificationis agendum est in triplici articulo.

### ARTICULUS I.

#### DE MODIFICATIONE DOMINII QUOAD JUS DISPONENDI.

Dominium limitari potest quoad jus disponendi, vel quia dominus necessitatur, vel quia prohibetur rem suam alienare.

I. *De necessitate alienandi.*

Certum est 1° aliquem cogi posse bona sua alienare ob utilitatem publicam : princeps enim, virtute alti dominii quod ab auctore societatis tenet, ad bonum regimen communitatis, id præcipere potest sub conditionibus humanitatis et prudentiæ quas leges civiles non minùs præscribunt quàm æquitas naturalis. Unicuique legere est art. 10 pacti fundamentalis, gallicè *charte*, necnon art. 545 Codicis civilis.

Certum est 2° aliquem cogi posse bona sua alienare etiam ob utilitatem privatam sive ex legis dispositionibus, ut in casibus qui prævidentur art. 572, 682, 827, 1686, sive ex hominum pactis et conventionibus.

Anno 1833, die julii septimâ, novæ prodierunt leges quæ determinaverunt quandonàm aliquis teneatur ob utilitatem publicam cedere proprietatem suam, et quomodò ille præstandus sit indemnis de exspoliatione quam patitur.

II. *De prohibitione alienandi.*

Alienandi prohibitio oritur vel à lege, vel ab hominum voluntate :

1° A lege, vel propter qualitatem personarum, ut sunt, v. g., minores, interdicti, mulieres sub potestate mariti, ii qui consilio judiciario subjiciuntur; vel propter qualitatem bonorum, ut, v. g., bona dotalia, bona quæ majoratum componunt, bona regiam dotationem efficientia.

2° Ab hominum voluntate, quandò fiunt substitutiones vel conditiones non alienandi apponuntur contractibus, modò illud à lege non prohibeatur.

Hæc et similia magis intelligentur ex iis quæ sæpè dicemus in Tractatu de *Contractibus*.

## ARTICULUS II.

### DE MODIFICATIONE DOMINII QUOAD JUS FRUENDI.

Generatim à lege prohibetur omnis usus seu dominii actus qui damnum inferre possit sive bono publico, sive juribus privatorum. Eo principio fundatur art. 674 et plures alii. Sed præcipua modificatio locum habet quandò jus fruendi partìm aut totaliter à dominio directo separatur; quod fit maximè per usumfructum, usum et habitationem, de quibus statim.

### I. *De usufructu.*

(Cod. civ. ab art. 578 ad art. 624.)

Ususfructus est *jus utendi et fruendi rebus alienis tanquàm ipse proprietarius, salvâ earum substantiâ*. differt in multis à locatione, nimirùm, 1° in eo quòd usufructus sit aliquid personale quod non transit ad hæredes, nisi datus fuerit ad tempus determinatum, dùm locatio morte non extinguitur et ad successorem venit; 2° in eo quòd usufructuarius possit à suis obligationibus se liberare usuifructui renuntiando, dùm locator non potest; 3° in eo quòd proprietarius teneatur tantùm usufructuarii fruitionem non impedire, dùm locatori hanc fruitionem procurare debet; ità Jurisperiti.

*Quær.* 1° Quomodò acquiratur usufructus?

*Resp.* Acquiritur vel legum dispositione; talis est ille qui patri aut matri competit in quibusdam bonis filiorum; vel hominum voluntate, putà testamento, donatione et venditione, art 579. Hic posterior constitui potest ratione sui, vel purè et simpliciter, vel ad diem vel sub conditione, art. 580; et ratione bonorum quibus fundatur, in cunctis rebus sive mobilibus sive immobilibus, art. 581.

*Quær.* 2° quænam sint jura usufructuarii?

*Resp.* Usufructuarius re uti et frui potest sicut ipse proprietarius, art. 578. Observat tamen Delvincourt ea verba intelligi non posse in totâ suâ extensione, eò quòd non possit usufructuarius modum fruitionis mutare, quod proprietario permittitur.

Hinc 1° percipit omnes rei fructus sive naturales, sive industriales, sive civiles, art. 582 et seq. 2° Si ususfructus constituatur in rebus quæ primo usu consumuntur, ut vinum, oleum, frumentum, usufructuarius eis uti potest easque consumere, cum onere tamen restituendi alias ejusdem generis, quantitatis, qualitatis et valoris, aut in se aut in pretio, art. 587. 3° Si ususfructus constituatur in rebus quæ primo usu non consumuntur, usufructuarius iis uti potest in usum ad quem destinantur, cum obligatione tantùm eas restituendi, finito usufructu, tales quales sunt, modò dolo et notabili culpâ non deterioratæ fuerint, art. 589. 4° Si ususfructus constituatur in silvis, usufructuarius in silvis non solùm cæduis sed excelsis eam portionem quotannis cædere potest quæ sub domino cædi solebat, art. 590, 561. Extrà hos casus, nihil cædere potest, nisi necessitas ædis restaurandæ aut consuetudo locorum id permittant, art. 592, 593. Ad ipsum adhùc pertinent arbores frugiferæ, quandò demortuæ sunt aut casu eversæ, sed debet alias in earum locum plantare, art. 594. 5° Si ususfructus constitueretur in fundis ubi sint fodinæ, usufructuarius eas incœptas continuare potest, sed novas aperire nequit, art. 598. 6° Utitur juribus servitutis et aliis commodis fundo annexis, sicut ipse proprietarius, art. 597. 7° Deniquè usumfructum vendere, donare, locare potest, modò tamen nihil immutet in conditione proprietarii.

*Quær.* 3° quænam sint usufructuarii obligationes?

*Resp.* Usufructuarius re uti et frui debet sicut bonus pater familiàs, art. 598 et 601. Adverte, ex definitione ususfructùs, salvam debere esse formam rei, quia usufructuarius, saltem ordinariè, eam conservare potest.

Hinc 1° *initio ususfructûs*, debet inventario ritè confecto recognoscere omnia quæ usumfructum constituunt et cautionem præstare, nisi ab eâ dispensetur per legem aut per eum qui usumfructum dedit, art. 600 et 601.

Hinc 2° *tempore ususfructûs*, rei invigilare debet ne pereat aut deterior fiat aut ab alio usurpetur, ac proindè reparationes non majores sed modicas facere, onera pro re frugiferâ annuatiter imposita solvere, loco vitium, arborum frugiferarum, aut capitum in grege demortuorum alia substituere, prout explicatur ab art. 605 usq. ad art. 614.

Hinc 3° *fine ususfructûs*, debet rem restituere cum fructibus, si nondùm collecti sint, et cum amelioratiobus fundo factis, si absque incommodo auferri nequeant, nullâ proprietario impositâ obligatione solvendi impensas, art. 585, 589.

*Quæres* 4° Quomodò cesset usufructus?

*Resp.* Finem accipit usufructus 1° per mortem tùm naturalem, tùm civilem usufructuarii; 2° per expiratio nem temporis pro usufructu concessi; 3° per consolidationem, quâ usufructuarius fit simul dominus, aut dominus simul usufructuarius rei; 4° per non usum rei 30 annis; 5° per abusum rei sententiâ judicis recognitum; 6° per totalem rei destructionem; 7° per legitimam usufructuarii renuntiationem. Sic ab art. 617 usquè ad art. 624.

### II. *De usu.*

(Cod. civ. ab art. 625 ad art. 636.)

Usus est *jus utendi re alienâ in propriam tantùm utilitatem, salvâ ejus substantiâ*. Undè jus usuarii minùs extenditur quàm jus usufructuarii. Sic non potest, quem admodùm usufructuarius, eos fructus accipere qui sibi sunt inutiles. Nomine tamen propriæ utilitatis intelligitur non solùm utilitas personalis usuarii, sed etiam ejus familiæ, etsi, tempore quo usum acquirit, conjugatus non fuerit, art. 630.

*Quæres* 1° Quænam sint jura usuarii?

*Resp.* Usuarius, nisi aliud specialiter constitutum fuerit, fructibus et rebus utitur, in quantùm necessarium est, ad suam aut familiæ quotidianam indigentiam, juxtà ipsius qualitatem et conditionem, ità ut non possit indè lucrum, sed solam utilitatem consequi, art. 628, 630, 729.

*Quæres* 2° quænam sint obligationes usuarii?

*Resp.* Usuarius, sicut et usufructuarius, re uti debet tanquàm bonus pater familiàs, art. 627. Hinc debet initio usûs inventarium conficere, et cautionem præstare pro rebus usui concessis, art. 626; 2° Tempore usûs rei invigilare ne pereat, aut deterior fiat, aut ab alio usurpetur, art. 627; 3° solvere onera, quæ es sunt impensæ pro tributis annuis, reparationibus gallicè dictis *d'entretien*, stipendiis famulorum, culturâ agrorum, juxta ratam partem quâ utitur, art. 635. Cæterùm, nunquàm potest usuarius usum locare, vendere, aut alio modo ad alterum transferre, art. 631.

*Quæres* 3° quomodò acquiratur et extinguatur usus?

*Resp.* Usus eodem modo acquiritur et disperditur ac ususfructus, art. 625, 626.

### III. *De habitatione.*

(Cod civ. ab art. 631 ad art. 636.)

Habitatio est jus inhabitandi ædes alienas, salvâ ipsarum substantiâ. Tale *jus* nihil aliud est quàm usus in domo concessus; undè iisdem gaudet privilegiis, et iisdem subjacet obligationibus. Sicque in dispositionibus Codicis usus et habitatio ferè confunduntur, art. 631 usque ad art. 636.

## ARTICULUS III.

### DE MODIFICATIONE DOMINII QUOAD JUS EXCLUDENDI.

(Cod. civ. ab art. 537 ad art. 689.)

Jus alios à suæ rei fruitione excludendi modificatur, vel quia aliquis cogitur aliis permittere ut in fundo suo actus proprietatis faciant, v. g., transeant per fundum suum, vel quià ipse prohibetur in proprio fundo actus proprietarii exercere, v. g., plantare propè limites agri. Illæ modificationes invehuntur per servitutes.

Servitus definitur: onus prædio impositum in usum vel utilitatem prædii ad alterum proprietarium pertinentis, art. 637.

Dicitur 1° *Onus*, ratione prædii cui impositum est, quodque vocatur prædium *serviens;* nam est jus ratione prædii cui debetur servitus, quodque appellatur *prædium dominans*. Nihilominùs hæ qualificationes nullam præstantiam adducunt inter prædia, art. 638.

2° *Prædio impositum;* quia servitutes, à tempore quo sublata fuit præterita feodalitas, non in personis, sed in prædiis tantùm constitui possunt, art. 686.

3° *In usum et utilitatem prædii*, quia servitutes, licèt causâ hominis mediatè comparantur sicut alia jura, maximè respectu rei constituuntur et prædiis debentur.

4° *Ad alterum proprietarium pertinentis;* quia nemo utitur re suâ titulo servitutis, sed titulo proprietatis.

Triplex est servitus, *naturalis*, *legalis* et *conventionalis*, art. 639.

Servitus *naturalis* ea est quæ sinè conventione et sinè expressâ legis dispositione instituitur ob naturalem positionem locorum; sic ager inferior suscipere tenetur aquas quæ naturaliter à superiori fluunt. Hinc proprietarius superioris agri nihil facere debet ut aqua vehementiùs fluat, nec dominus fundi inferioris potest quâcumque viâ vel arte cursum naturalem aquæ impedire. Multa alia sunt scitu digna, quæ reperies in Codice ab art. 640 usque ad 645.

Servitus *legalis* ea est quæ, absque ullâ conventione particulari, per legem constituitur pro bono publico vel pro utilitate privatorum, art. 649. Ad priorem speciem pertinet obligatio viam ad tractum navigiorum in ripis fluminum relinquendi, et vias aut alia opera communia conficiendi, art. 650. Ad posteriorem speciem revocantur variæ obligationes, quibus proprietarii vicissìm tenentur absque ullâ conventione, propter legum expressas dispositiones. Pleræque ex illis obligationibus spectant: 1° Jus quod pro indiviso ad plures pertinet, art. 664. 2° Jus limitationis (*le droit de bornage*), art. 646. 3° Jus prædia sua circumsepiendi (*le droit de clôture*), art. 647 et 648. 4° Jus gallicè dictum *de mitoyenneté*, art. 653 usquè ad 674. 5° Jus distantiæ, pro quibusdam operibus construendis, art. 674. 6° Jus luminis (*droit de vue*), art. 675 ad 680. 7° Jus stillicidii (*l'égoût des toits*), art. 681. 8° Jus transitûs (*le droit de passage*), art. 682 ad 685.

Servitus *conventionalis* ea est quæ hominum facto et voluntate constituitur; hujusmodi servitutes, quandò nulla facta est conventio specialis, regulis subjacent jure statutis.

Istæ servitutes dividuntur, 1° in *urbanas* et *rusticas*. Vocantur *urbanæ* quæ ad utilitatem ædium constitutæ sunt, sive ædes in rure sint, sive in urbe. Vocantur *rusticæ* illæ quæ in utilitatem agrorum sunt constitutæ, art. 687.

2° In *continuas*, et *non continuas*. *Continuæ* illæ dicuntur quarum usus est aut esse potest continuus absque facto hominis. Tales sunt servitutes aquæductûs, stillicidii, luminum et similium. *Non continuæ* illæ sunt quæ sinè facto hominis exerceri non possunt, ut servitutes itineris, pecoris pascendi, aquæ hauriendæ, art. 688.

3° In *apparentes*, et *non apparentes*. *Apparentes* eæ sunt quæ exterioribus declarantur operibus, v. g., januâ, fenestrâ, aquæductu. *Non apparentes* illæ sunt quæ talibus signis non manifestantur, ut prohibitio ædificandi in areâ suâ, vel altiùs tollendi ædes suas, art. 689. His præmissis,

*Quæres* 1° quomodò servitutes constituantur?

*Resp.* 1°: Servitutes, quæ simul continuæ sunt et apparentes, constitui possunt vel titulo, vel præscriptione 30 annorum, vel etiam destinatione patris familiàs, quæ locum habet tituli, art. 690, 692, 693.

2° Servitutes aut *non continuæ*, aut *non apparentes*, solo titulo constitui possunt, nec sufficit ad eas acqui-

rendas possessio etiam immemorialis. Manent tamen sic acquisitæ antè promulgationem hujus tituli Codicis civilis, id est, antè diem 10 februarii 1804.

Cæterùm, concessâ servitute, illud omne concessum censetur quod necessarium est ut eâ uti possit ille cujus gratiâ constituta est, art. 696.

*Quæres* 2° quænam jura et obligationes ex hâc servitute proveniant?

*Resp.* Hæc jura et obligationes præcipuè pendent à conventionibus contrahentium. Deficiente verò conventione, sic definienda sunt :

1° Is, cui debetur servitus, omnia opera perficere potest quæ necessaria sunt ut eâ utatur atque illam conservet, art. 697, 698, 699.

2° Si dividatur fundus ad cujus utilitatem constituta est servitus, hæc debetur cuique parti fundi, ità ut tamen durior non fiat conditio domini prædii servientis, art. 700.

3° Dominus prædii servientis nihil agere potest ex quo servitutis usus minui possit, et vicissìm is cui debetur servitus, nihil facere potest undè conditio prædii servientis gravior fiat, art. 701, 702.

*Quæres* 3° quomodò extinguantur servitutes.

*Resp.* Servitutes cessant, 1° tempore elapso vel conditione impletâ, si in diem vel sub conditione constitutæ sint; 2° renuntiatione expressâ vel tacitâ illius qui jus habet servitutis, v. g., si alteri permiserit id facere quo servitus impediatur; 3° consolidatione quâ fit ut dominus prædii dominantis fiat simul dominus prædii servientis vel contrà, art. 705; 4° non-usu servitutis per 30 annos, art. 706. Hæc dispositio quibuslibet servitutibus communis est. Undè sequitur plus requiri ad acquirendas quasdam servitutes quàm ad eas extinguendas, cùm ad acquirendas servitutes aut non continuas aut non apparentes possessio immemorialis non sufficiat. Incipit illè non-usus ad præscribendum requisitus, à die quo cessavit usus servitutis, si agatur de servitutibus discontinuis, vel à die quo factum fuerit aliquid servituti contrarium, si agatur de servitutibus continuis, art. 707. 5° Tali rerum mutatione, ut is cui debetur servitus eâ uti non possit, art. 703. Nota reviviscere illas servitutes, si prædia ità restituantur ut usus servitutis sit possibilis, modò restitutio fiat ante præscriptionem acquisitam, art. 704. Hinc si domus quæ habebat servitutem vel cui debebatur servitus diruta sit, suspenditur, et imò extinguitur servitus si domus iterùm non ædificetur intrà tempus ad præscriptionem constitutum, id est 30 annos à die quo diruta est : si autèm restauretur antequàm compleantur 30 anni, servitus in pristinum restituitur statum.

---

## Pars secunda.

### DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN GENERE.

*Quær.* 1° Quid sit injuria?

*Resp.* Injuria definitur : *Violatio juris alieni.* Illa violatio fit vel voluntariè, vel involuntariè. Si prius, dicitur formalis. Si posterius, materialis est. Censetur gravis ista violatio, quandò per se apta est ad creandum alteri dolorem difficilè sedabilem. Id autem judicatur in casibus particularibus ex prudentùm æstimatione, spectatâ communi hominum conditione et dispositione naturali.

*Quær.* 2° An scienti et volenti fiat injuria?

*Resp. neg.* Sicut impossibilis est violatio legis, quandò tollitur aut suspenditur ejusdem obligatio legis, ut actionem ampliùs non prohibeat, ità impossibilis est violatio juris, quandò tollitur aut suspenditur obligatio juris, ut alterius actioni ampliùs non adversetur; atqui sciens et volens tollit aut suspendit obligationem sui juris ut alterius actioni non resistat : ergò impossibilis est juris violatio seù injuria quandò alter est sciens et volens.

Ad hoc tamen quatuor requiruntur, 1° ut cessor juris plenè consentiat, id est, cum advertentiâ intellectûs et voluntatis propensione ad peccatum grave sufficientibus, si cessio sit onerosa, et cum plenâ spontaneitate, id est, absque rationabili repugnantiâ, si cessio juris gratuita sit. Hinc ille, cui venditur res vitiosa pro re integrâ, vel qui pecuniam dat latroni, veram patitur injuriam. 2° Ut consentiat cessioni sui juris, id est, juri suo verè renuntiando, adeò ut non solùm fiat remissio indignationis sed etiam debiti. Hinc martyres, etsi lætantes et gaudentes irent ad supplicium, veram patiebantur injuriam. 3° Ut possit jus suum cedere, id est, lege aut alio obstaculo non impediatur. Hinc pupillus consentiens in ablatione suorum bonorum veram patitur injuriam, quia lex obstat ne possit jus suum cedere. 4° Ut illa cessio agenti innotescat, alioquin committeretur injuria formalis.

*Quæres* 3° quid sit restitutio?

*Resp.* Restitutio est *actus justitiæ commutativæ, quo res aliena redditur, vel damnum injustè illatum reparatur.* Ex hâc definitione facilè concipitur restitutionem multùm differre à solutione, satispassione et satisfactione, quæ fiunt vel ad præveniendam injustitiam, ut solutio, vel ad obediendum justitiæ vindicativæ, ut satispassio, vel ad personales offensas per obsequium et excusationem solvendas, ut satisfactio, dùm restitutio præsupponit violationem juris alieni, actus habetur justitiæ commutativæ, atque circa res et non personas versatur. Ità Vogler.

His præhabitis, dicemus in quadruplici capite, 1° de necessitate; 2° de radicibus; 3° de circumstantiis restitutionis; 4° de causis ab eâ excusantibus.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE NECESSITATE RESTITUTIONIS.

PROPOSITIO. — *Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad salutem.*

*Prob.* 1° Script. Sic in veteri Testamento, Ezech. 33, 14, 15 : *Impius, si egerit pœnitentiam, rapinam reddiderit, vitâ vivet et non morietur;* erg. si non reddiderit, morietur et non vivet; erg..... Sic in novo Testamento, S. Jacob. ep. 5, 4 : *Ecce merces operariorum quæ fraudata est à vobis clamat, et clamor eorum*

*in aures Domini Sabaoth;* atqui non clamaret, nisi necessaria esset restitutio : erg...

2° Trad. Non meliùs Traditio cognosci potest quàm SS. Patribus; atqui SS. Patres eâ de re sunt unanimes, Sic S. August., cujus verba à totâ Traditione accepta sunt, et à jure canonico in vim axiomatis admissa, Serm. 150 : *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi, cùm restitui potest* : erg.

3° Ratione. Ratio dictitat ad salutem necessarium esse observare primaria legis naturalis principia; atqui violat hujusmodi principia qui non restituit....., siquidem non minùs furatur ac injustus acceptor, cùm omissio restitutionis sit rei alienæ acceptio continuata, invito domino : erg.... Et verò ratio à priori cur adsit obligatio restituendi, illa est : talis est natura juris perfecti ut qui illud habet rem suam possit viâ coactionis repetere; atqui in vanum abiret illud jus, si ad restitutionem non teneretur qui hanc rem injustè possidet : erg...

Dixi *in re vel in voto*, quia, ei qui statim restituere non potest, sufficit ut propositum habeat restituendi ubi poterit. Intereà tenetur quod in se est facere ad comparandas facultates restitutioni necessarias; qui obligatur ad finem, is etiam ad media.

Hocce præceptum partim affirmativum est, cùm aliquid jubeat faciendum, partim negativum, cùm aliquid prohibeat; sed nobis primariò videtur negativum, siquidem detentionis injustæ prohibitionem includit tanquàm fundamentum et rationem suæ obligationis. Ideò enim restituere tenemur quia rem alienam detinere prohibemur: præcepta affirmativa, fateor, includunt etiam quamdam prohibitionem, sed non ut sui rationem; sic Deus amandus est quia amabilis est, non verò quia odio non est habendus.

Hinc 1° præceptum restituendi obligat *statim*, adeò ut quisque habere debeat *statim* propositum restituendi rem alienam, et eam in toto vel in parte, prout ipsi possibilis est, *quamprimùm moraliter* reddere tenetur.

Hinc 2° qui non restituit, cùm potest et debet, peccat peccato continuato et tandiù protracto quandiù durat mora culpabilis, id est, toto omissionis tempore, quia semper violat præceptum negativum quod obligat semper et pro semper. Sentiunt communiter doctores illud peccatum numero multiplicari, si expressè vel implicitè renovetur intentio non restituendi; itaque detentor declarare debet ex quo tempore rem alienam detineat, an semper eam vel totaliter vel ex parte restituere potuerit, an voluntatem ejusdem non restituendæ iteraverit.

Hinc 3° neganda est absolutio pœnitentibus restitutioni obnoxiis qui firmum non habent restituendi propositum. Hoc autem proposito meritò carere judicantur 1° illi qui illud exsequendi facultatem comparare negligunt, v. g., superfluas in ludo, in mensâ, in equis, in famulis, pretiosâ supellectili impensas resecando; 2° illi qui bis aut ter polliciti se esse restituturos, suis tamen promissis defuerunt : 3° illi qui in mortis periculo, restitutionem hæredibus faciendam committunt, quamvis per se restituere possint; timendum est enim ne ab hæredibus omittatur id quod ipsimet negligunt. 4° illi qui toti solvendo pares, non nisi partem restituunt; peccant enim eo ipso quo alienum retinent.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

Radices restitutionis sunt causæ propter quas oritur obligatio restituendi. Antequàm eas demonstremus, statuitur principium generale, ex quo fluunt illæ radices.

PROPOSITIO. — *Ex violatione justitiæ commutativæ et quidem solius per se oritur obligatio restituendi.*

Prob. prima pars : *Ex violatione justitiæ commutativæ oritur obligatio restituendi.* Ea obligatio admittenda est, quâ sublatâ, jus strictum, vanum ac illusorium esset; atqui, sublatâ obligatione restituendi ex violatione justitiæ commutativæ, vanum ac illusorium esset..... Jus illud vanum ac illusorium esset, cujus finis obtineri non posset; atqui, sublatâ obligatione restituendi ex violatione justitiæ commutativæ, finis juris stricti non posset obtineri : finis enim illius est ut unusquisque sua conservet, amissa recuperet; atqui nemo id posset, sublatâ obligatione restituendi...; siquidem dominus nullum haberet jus ad res suas retinendas, quæ proindè cederent fortiori eas abripienti. ergo.

Prob. secunda pars : *Ex violatione solius justitiæ commutativæ oritur per se obligatio restituendi.* Obligatio restituendi fundatur in repetibilitate debiti, seu in jure quod quis habet rem suam ubique repetendi; atqui solum debitum justitiæ commutativæ essentialiter repetibile est.

1° Essentialiter non repetibile est debitum justitiæ legalis. Objectum justitiæ legalis est obedientia legibus, quæ dicitur imperans in principe, et exsequens in subditis; atqui tale objectum non essentialiter repetibile est. Objectum quod transit et nunquàm redit, non essentialiter repetibile est; atqui talis est obedientia legibus. Sit in exemplum miles cui datur præceptum pugnandi, et qui de facto non pugnat; atqui pro illo milite reparatio illius inobedientiæ transit et nunquàm redit : etenim illam inobedientiam repararet vel fortiùs dimicando cùm pugna præcipitur, vel dimicando cùm non præcipitur; atqui in utroque casu non reparatur inobedientia; non in primo, quia tunc urget novum præceptum quàm fortiùs præliandi; non in secundo, quia tunc nova committeretur inobedientia. Undè, transactâ occasione justitiæ legali obediendi, illius motivum non perseverat. In justitiâ autem strictâ, cùm ea tendat ad tribuendum unicuique quod suum est, illius motivum semper subsistit, quia, occasione restituendi etiam transactâ, manet inæqualitas donec reparata fuerit : ergo... 2° Essentialiter non repetibile est debitum justitiæ distributivæ. Objectum justitiæ distributivæ est privatis titulos et officia conferre juxta uniuscujusque merita et facultates; atqui tale objectum non essentialiter repetibile est, cùm sit

indeterminatum; siquidem nemo probare potest se aliis digniorem, aut tali munere dignum. Et aliundè brevi rueret societas, si privati jus strictum haberent ad officia et titulos, cùm unusquisque amore suî deceptus se dignum officio judicaret, et ad illud obtinendum decertaret; ideò superior, qui in distributione officiorum vel beneficiorum, dignum aut etiam digniorem prætermittit, ipsis non aufert quod suum est, ac proindè erga eos injuriam strictam non committit, licet peccet contra justitiam distributivam ob injustam acceptionem personarum, si dignum digniori anteponat : erg. 3° Debitum justitiæ vindicativæ non essentialiter repetibile est. Objectum illius justitiæ est punire reos; atqui repetibilis non est illa punitio si omittatur, alioquin dicendum esset aliquem jus strictum habere ad pœnas, quas nemo certè excogitavit et ambiit : ergo; aliundè: ergo.

Dixi *per se;* aliquando enim obligatio restituendi oritur per *accidens* ex violatione justitiæ legalis, aut distributivæ, aut vindicativæ, scilicèt quandò iis, ob pactum explicitum aut implicitum, justitia commutativa consociatur.

Sic 1° restituere tenentur, ob violationem justitiæ legalis et simul commutativæ, tùm subditi qui non præstant tributa quæ princeps exigit ad bonum publicum, tùm principes qui subditis ultrà necessitatem onera imponunt.

Sic 2° etiam restituere tenentur ob violationem justitiæ distributivæ et simul commutativæ, 1° superiores qui indignis officia conferunt; quia, licèt stricto jure non teneantur utilissima reipublicæ quæque procurare, hoc tamen jure debent detrimentum quod indè recipit respublica avertere; 2° titulorum et aliorum onerum repartitores qui, ultionis causâ, vel examinis defectu, vel ut suis parcant, quosdam privatos gravioribus oneribus premunt, quia privati jus strictum habent ne plus æquo opprimantur; 3° qui bursas in seminariis aut collegiis pro paupere quâdam familiâ fundatas, aut eleemosynas cuidam indigenti destinatas, extraneis et sæpè non indigentibus conferunt; 4° qui in concursu minùs dignum præferunt digniori; in concursu pactum implicitum intervenit quo dignior jus strictum acquirit.

Sic 3° deniquè restituere tenentur, ob violationem justitiæ vindicativæ et simul commutativæ, judices et magistratus qui, propter gravem in puniendo negligentiam, causa sunt cur privati bona sua non recuperent, vel societas notabile damnum accipiat, quia ii ratione officii crimina plectere jure stricto tenentur.

Cùm autem justitia commutativa multipliciter violari possit, expenditur quotuplex sit restitutionis radix.

Quatuor vulgò recenseri solent restitutionis radices, nimirùm injusta acceptio, injusta detentio, injusta damnificatio, contractus aut quasi-contractus.

Ratio est quia totuplex restitutionis radix, quotuplex juris alieni violandi modus; atqui modus iste quadruplex : etenim violatur vel rem alienam accipiendo, v. g., ex furto, et tunc est injusta acceptio; vel rem alienam injustè detinendo, ut si ovem quæ gregi meo se immiscuit, reddere nolim, et tunc est injusta detentio, vel damnum inferendo, ut si quis domum alterius incendat, et tunc est injusta damnificatio; vel contractui non stando, aut rem alienam malè gerendo, et tunc est violatio contractûs aut quasi-contractûs.

Verùm hæ omnes restitutionis causæ, quas superiùs exposuimus, ad duas præcipuas extra contractum et quasi-contractum reduci possunt, videlicèt injustam acceptionem et injustam damnificationem.

Sub nomine injustæ acceptionis comprehenduntur simul ablatio et detentio rei alienæ, domino rationabiliter nvito. Hìc junguntur illæ duæ actiones, quia in utrâque dominatur acceptiò, quæ vel inchoatur injustâ ablatione, vel continuatur injustâ detentione.

Sub nomine injustæ damnificationis comprehenditur omnis actio alteri damnosa, absque injustâ acceptione et detentione, si quis, v. g., alterius ædes comburat. Ad hanc revocatur injusta acceptio sub respectu quo, præter rei privationem, alteri damnum aliquod infert. Hinc duo articuli, primus de injustâ acceptione, et secundus de injustâ damnificatione. Obligatio restituendi ex obligatione contractûs proveniens, ad Tractatum subsequentem remittitur explicanda.

## ARTICULUS I.

### DE PRIMA RADICE RESTITUTIONIS SEU INJUSTA ACCEPTIONE.

Res aliena accipi aut detineri potest à possessore vel bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei. Possessor est bonæ fidei, si post adhibitam sufficientem diligentiam prudenter judicet et credat rem quam possidet esse suam. Possessor est malæ fidei si advertat aut advertere possit rem quam detinet esse alienam. Possessor est dubiæ fidei, si graves sibi adsint rationes dubitandi an res sit sua vel aliena. Quisquis ille sit comprehenditur sub nomine acceptoris vel materialiter vel formaliter injusti, cum variis tamen obligationibus ipsi correspondentibus. De his in tribus paragraphis sermo est.

#### § 1. — *De possessore bonæ fidei.*

Obligationes possessoris bonæ fidei considerari possunt tùm ratione ipsius rei, tùm ratione fructuum, tùm ratione impensarum.

NUM. I. — *De obligationibus possessoris bonæ fidei, ratione ipsius rei.*

*Quær.* 1° ad quid teneatur possessor bonæ fidei, ratione rei quam possidet vel possedit?

*Resp.* Certum est possessorem bonæ fidei contrà justitiam non peccare, rem alienam retinendo, eam impendendo in pravos usus, minoris vendendo, dissipando, quamdiù perseveret ipsius bona fides, quia ità agendo nullius jura formaliter lædit, cùm nemo jus strictum habeat ut aliud fiat; sed difficultas est in casu quo possessor, antè legitimam præscriptionem, animadvertit rem esse alterius. Ad claram illius decisionem

duplex fingi potest hypothesis : vel possessor rem adhuc retinet, vel non.

*In primâ hypothesi*, id est, si possessor bonæ fidei rem adhùc habeat cùm advertit esse alterius, statìm domino etiam non petenti illam restituere tenetur, alioquìn diceretur dominus jus suum amisisse, præcisè eò quòd ipsius res in manus alienas transierit; quod admitti nequit, nisi tota subvertatur societas.

*In secundâ hypothesi*, id est, si possessor bonæ fidei rem ampliùs non habeat, cùm advertit eam esse alienam, tunc distinguendum est : vel rem consumpsit, vel rem donavit, vel illam vendidit :

I. Si rem consumpsit, vel indè ditior factus est, vel non. Si prius, tenetur restituere id in quo ditior factus est, quia per id res repræsentatur. Si posterius, ad nihil tenetur, neque ratione rei alienæ, cùm res non existat, neque ratione injustæ damnificationis, quæ extra contractum non agnoscitur absque culpâ theologicâ : erg..... Dicitur autem quis ditior fieri, cùm rem alienam consumendo, pepercit rebus suis.

II. Si rem donavit, vel res adhùc existit, vel non. Si prius, donatarius eam restituere debet, quia dominium in illam non acquisivit, cùm donator illi transferre non potuit quod non habebat. Si posterius, vel donator indè factus est ditior, id est, pepercit rebus suis quas certò dedisset si non habuisset præ manibus rem alienam, vel non. Si prius, donator restituere debet, cùm rem alienam habeat in æquivalenti, seu in eo ex quo ditior factus est. Si posterius, vel ipse donatarius ditior evasit, et tunc id quo res repræsentatur restituere debet; vel nihil indè lucri percepit, et tunc ad nihil tenetur, neque ratione rei quæ consumpta est, neque ratione injuriæ, quæ nulla est absque culpâ theologicâ.

III. Si rem vendidit, vel res adhùc exstat, vel non. Si prius, emptor tenetur restituere, salvo tamen illius recursu contra venditorem, nisi res empta fuerit in loco publico, aut à mercatore ejusmodi merces publicè vendente. Emptor enim in eam rem nullum acquisivit dominum : erg..... Undè recurrere potest contra venditorem, quia venditor tenetur emptorem præstare indemnem de suâ emptione. Dixi *nisi res empta fuerit...* quia, ex jam dictis, ob securitatem commercialem lex transfert dominium huic emptori, adeò ut venditor emptorem cogere non possit ad rem sibi restituendam, nisi pretio priùs soluto.

Si posteriùs, prætermissis variis opinionibus, probabilior nobis videtur sententia eorum, qui putant illum qui bonâ fide rem vendidit et pretium accepit, teneri reddere vel domino, vel emptori pretium rei, modò illud in bonâ fide non consumpserit. Ille debet restituere qui rem alienam habet, et qui ex re alienâ ditesceret nisi restituat; atqui ità prædictus venditor. 1° Rem alienam habet. . . . . nam habet pretium rei alienæ; atqui pretium rei alienæ est alienum; siquidem ea est hominum voluntas ut nolint transferre pretium rei, nisi in quantùm acquirant rei dominium; cùm ergò in præsenti casu dominium non fuit translatum, nec etiam dominium pretii venditor acquisivit, ergò habet rem alienam. 2° Nisi restitueret ditesceret ex re alienâ. Etenim accepit rem vel titulo gratuito, vel titulo oneroso; atqui in utroque casu ditesceret : in primo, quia reportat pretium rei quæ gratis rebus suis additur; in secundo, quia compensat ex bonis alterius damnum sibi per furem illatum : ergo ditesceret : ergo restituere debet.

Dixi 1° : *tenetur reddere emptori vel domino*, scilicèt emptori, si dominus rem suam ab emptore recuperet, alioquin émptor non foret indemnis ab evictione; et domino, si dominus rem recuperare nequeat, quia talis videtur præsumpta voluntas emptoris qui renuntiat dominio pecuniæ suæ, quandiù à proprietate rei venditæ non evincitur.

Dixi 2°, *pretium rei*, scilicèt, illud quo vendita fuit, si coden fuerit empta; si verò fuit gratis accepta, vel majori pretio vendita, distinctione opus est : si auctarium proveniat ex ipsâ re quæ melior evasit quàm initio, tunc debet restitui totum pretium, quia res melioratur domino. Si è contrà auctarium omninò debeatur industriæ, non debet restitui, sed totum pertinet ad possessorem. Si verò ex utrâque proveniat, tunc partim domino rei, partim possessori ex judicio prudentûm tribuendum est.

Dixi 3° : *modò pretium illud bonâ fide non consumpserit;* si enim consumpsisset, de pretio ac de re ipsâ idem esset dicendum; porrò quandò possessor bonæ fidei rem consumpsit nec ditior evasit, ad nihil tenetur : erg. . . .

*Quæres* 2° an ille qui bonâ fide rem emit à fure, pretium solutum exigere possit à domino cui eam ipse restituit ?

*Resp.* Vel illam emit cum intentione eam domino reddendi, vel absque illâ intentione, putans venditorem esse dominum rei.

Si priùs, vel modico pretio, vel justo eam emit. Si modico pretio rem emerit, illud pretium potest repetere, quia æquum non est, ut qui negotia domini utiliter gessit damnum exinde patiatur. Hinc art. 1375. Si autem justo pretio emerit, *legitimè persuasus* dominum ità rem suam affectu prosequi ut mallet totum pretium solvere quàm jacturam rei subire, potest pretium exigere, quia etiam in hoc casu fuit utilis gestor rei alterius. Dixi *legitimè persuasus*, nam si emat absque speciali ratione quâ putare potest se obsequium præstare domino, dicunt communiter illum non posse pretium repetere, quia emptor rem alterius utiliter non gessit, nullumque exindè dominus percipit commodum : quinimò iste forsan rei jacturam potiùs subiisset quàm justum pretium solvisset. Admittunt tamen Lessius, Delugo, Billuart, possessorem posse exigere partem pretii correspondentem utilitati quâ rem domini gessit.

Si posterius, seu rem emit absque intentione reddendi, putans ill[illegible]n ad venditorem pertinere, opinio communis, teste Bened. XIV, docet possessorem non posse pretium solutum repetere, *nisi res empta fuerit in venditione publicâ*, vel apud mercatorem talia pu-

blicè vendentem. Si dominus pretium compensare teneretur, vel quia recepit rem alienam, vel quia damnum emptori intulit; atqui neut.: non primum, siquidem solummodò rem suam recuperat; non secundum, siquidem totum damnum illatum est per furem qui, nullum jus emptori transferendo, nihilominùs pretium rei accepit: ergo. Dixi: *nisi res empta fuerit in venditione...* quia in hoc casu, si proprietarius rei originarius rem exigat, pretium à possessore solutum reddere debet. Sic Codex civ. art. 2280.

*Quæres* 3° utrùm ille, qui bonâ fide rem emit à fure, possit, comperto furto, eam furi reddere ut pecuniam suam recuperet?

*Resp.* 1° Si fur rem domino sit restituturus, aut dominus eam è manibus furis facilè erepturus, emptor illam furi remittere potest ut pecuniam suam recuperet. Dominus rationabiliter invitus esse non potest, siquidem nullum indè patitur damnum: hinc axioma: *Quod mihi prodest et tibi non obest teneris permittere.*

2. Si emptor rem in foro publico, vel ab homine res hujusmodi publicè vendente emerit, eam domino reddere non tenetur, nisi pretio ejus sibi soluto, art. 2280. Quæ lex favet commercio nec non tranquillitati publicæ, et ideò non dici potest injusta.

Sed extrà hos casus emptor rem furi reddere nequit ut pecuniam suam recuperet.

*Prob.* Res aliena, ubicunquè sit, domino clamat, atqui fur non est dominus: erg... Et verò nullus potest, illæsâ justitiâ, de re aliquâ disponere, domino rationabiliter invito; atqui dominus est rationabiliter invitus ut res sua furi reddatur, siquidem exponitur periculo eam amittendi: erg.... Prætereà, nunquàm licet ponere actionem alteri directè damnificativam absque ratione sufficienti; atqui emptor in præsenti casu poneret..... 1° Actionem alteri directè damnificativam. Ille ponit actum alteri directè damnificativum qui ponit rem alterius in statu pejori; atqui ità emptor.... cùm res apud ipsum sit in meliori statu quàm apud furem qui eam facilè non restituet: erg.... 2° Absque ratione sufficienti: sola causa quam afferre potest, certè esset damnum æquale sibi ipsi imminens; atqui illud damnum non est causa sufficiens, siquidem, ad ponendam actionem immediatè damnificativam in bonis fortunæ, generatim non sufficit damnum morte minus.

*Obj.* 1° Nemo tenetur procurare bonum alterius cum æquali suo damno, seclusis pacto et lege; atqui emptor rem domino restituendo ità ageret: ergò.

*Resp.* 1°: *neg. maj.* Ob nimiam ejus universalitatem. Emptor enim, fatentibus adversariis, si fur non appareat aut pecuniam reddere nolit, non potest rem aliis vendere, nec eam in usus proprios convertere ut se conservet indemnem.

*Resp. neg. min.* Aliud est procurare bonum alterius, aliud est à damno illi inferendo abstinere: atqui emptor rem domino restituendo tantùm abstinet à damno alteri inferendo: ergo falsum est emptorem bonæ fidei rem domino restituendo directè procurare bonum alterius. Ipsi enim tantummodò reddit quod illius est.

*Obj.* 2° Rem in eo statu reponere licet in quo era anteà; atqui eam furi reddendo, emptor illam in eo statu reponit in quo erat anteà: ergo....

*Resp.* 1° *nego maj.* Dominus enim semper jus habet in rem suam in quocunque sit statu, et in omnia ejus incrementa sivè extrinseca, sive intrinseca, quæ illam majoris efficiunt valoris; quia ubicunquè et in quocunque statu sit, semper domini est, illique clamat. Porrò status securitatis quam in manibus emptoris obtinuit, verum est incrementum alicujus pretii: in illud ergo jus habet dominus: ergò....

*Resp.* 2° *neg. min.* Fur enim videns quod res sibi reddatur, formidabit ne in suspicionem furti veniat, atque rem aut longiùs asportabit, aut diligentiùs occultabit, ac proindè difficiliùs dominus eam recuperare poterit: ergò.

*Obj.* 3° Si quis in viâ res alienas invenit, eas colligere et eas domino reddere non tenetur: ergo à pari emptor teneri non potest rem quam bonâ fide emit domino reddere.

*Resp. nego conseq. et paritat.* Ratio disparitatis est quòd nemo jus habeat ut quis res ipsius in foro publico disperditas colligat; è contrà, legitimus rei furatæ dominus semper in eam jus strictum habet, in quocunque sit statu: non licet ergò eam in statu deteriori quàm nunc est, reponere: si autem emptor eam furi redderet, eo ipso, in deteriori statu illam reponeret, et aliquo modo respectu dòmini destrueret: ergò, etc.

*Obj.* 4° Licet ponere actionem indifferentem ex quâ sequuntur æqualiter duo effectus, alius bonus et alter malus, modò bonus intendatur et compenset malum; atqui talis est redditio rei emptæ furi qui recepit pretium: ex eâ enim sequuntur æqualiter pro emptore obtentio pecuniæ, et pro domino rei privatio: ergò.

*Resp. neg. min.* Illi actus non sequuntur æqualiter, quorum unus sequitur immediatè, et alter nonnisi mediatè; atqui in redditione rei emptæ furi qui pretium restituit, malus effectus, nempè privatio rei pro domino sequitur immediatè, cùm includatur necessariò in ipsâmet redditione rei alienæ furi; et bonus effectus, nempè obtentio pecuniæ pro emptore sequitur tantùm mediatè, cùm exigat actionem furis restitutivam.

### Num. II. *De obligationibus possessoris bonæ fidei ratione fructuum.*

Fructus, ex anteà dictis, sunt vel naturales, vel industriales, vel civiles, vel mixti. Ab illâ notione, quæ communis est apud omnes Theologos, aliquatenùs recedit dispositio Codicis civ., art. 583, 585, quibus vocantur industriales ii fructus, quos Theologi vocant mixtos: unde triplex tantùm genus fructuum admittit. Illud autem sedulò observandum est, ut intelligatur legitimo sensu ista dispositio legis.

His positis, vel agitur de fructibus industrialibus, vel de aliis.

Si prius, possessor bonæ fidei fructus industriales restituere non tenetur : ad eum pertinent, ad quem pertinet causa frugifera; atqui causa fructuum industrialium pertinet ad possessorem, siquidem ii fructus totaliter proveniunt ex industriâ illius qui re alienâ tantùm ut instrumento utitur : ergò..... Unde qui, ex pecuniâ alienâ negotiando, ingentes comparavit divitias, nihil ex his domino pecuniæ debet.

Si posterius, quæstio expenditur vel jure naturali, vel jure positivo.

1° *Jure naturali*, possessor bonæ fidei omnes fructus sive naturales, sive civiles, sive mixtos, in quantum sunt naturales, deductis tamen impensis et laboribus, domino restituere tenetur. Ad eum pertinent cujus est causa frugifera; atqui causa frugifera hujusmodi fructuum ad dominum rei pertinet, siquidem res ipsa eos produxit; indè prodiit axioma : *Res fructificat domino suo :* ergò...

2° *Jure positivo*, possessor bonæ fidei omnes fructus sive naturales, sive civiles, sive mixtos, quâ parte sunt naturales, retinere potest, modò collecti fuerint durante bonâ fide. Hæc generatim statuit lex civilis, art. 549 : « Le simple possesseur ne fait les fruits siens, « que dans le cas où il les possède de bonne foi. » Unde sic ratiocinandum est contrà eos qui hanc legis dispositionem ad forum externum restringunt. Judicandum est in foro interno, sicut in foro externo, quotiès judicium fori externi fertur ob gravem utilitatem societatis, et non fundatur in falsâ facti præsumptione; atqui tale est judicium fori externi adjudicans fructus possessori... 1° Fertur ob gravem utilitatem societatis. Judicium illud fertur tùm ad culturam proprietatum validiùs excitandam, tùm ad præcavendas familiarum ruinas, tùm ad avertendas perquisitiones in rebus secretioribus privatorum; atqui illud certò multùm utile est societati : ergò..... 2° Non fundatur in falsâ facti præsumptione. Si niteretur in falsâ facti præsumptione, maximè foret in præsumptione quòd fructus illi consumpti fuissent; atqui non fundatur in hâc præsumptione, siquidem adjudicat fructus extantes et apparentes : erg...., erg..., aliundè... : ergò hæc sententia admittenda est tanquàm regula conscientiæ certa.

Ut autem possessor bonæ fidei proprietatem illorum fructuum acquirat, duo necessaria sunt : 1° ut fructus sint collecti, id est, separati à radice, si agatur de fructibus naturalibus, et correspondentes temporibus elapsis, gallicè *échus*, annumerando de die in diem, si agitur de fructibus civilibus. Id deducitur, maximè ex art. 585, 586, qui, etsi usufructuarium potissimùm respiciant, possessori bonæ fidei applicari possunt; is enim in jure domino æquiparatur. 2° Ut rem possederit bonâ fide juridicâ, id est, virtute tituli proprietatis translativi, cujus vitia ignorantur, art. 550. Ideò qui rem possidet absque titulo, etiamsi bonâ fide theologicâ esset, fructus prædictos non posset sibi vindicare. Jus enim retinendi fructus oritur tantùm ex lege positivâ; atqui lex positiva non adjudicat fructus ei qui est in bonâ fide theologicâ, si non habeat titulum naturâ suâ dominii translativum : ergò.

### Num. III. *De obligationibus possessoris bonæ fidei, ratione impensarum.*

Impensæ duplicis sunt generis, aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ.

Ordinariæ sunt quæ fiunt sivè ad rem conservandam, sivè ad fructus percipiendos, sivè ad solvenda alia onera quæ ab usufructuario communiter solvuntur.

Extraordinariæ sunt vel necessariæ, id est, sinè quibus res periret vel saltem deterioraretur, vel utiles, id est, quæ rei valorem augent, vel voluptuariæ, id est, quæ fiunt tantùm ad ornamentum rei.

Cuilibet impensarum generi correspondet regula.

*I. Regula, pro impensis ordinariis.* Possessor bonæ fidei impensas ordinarias à domino generatìm repetere nequit, quia compensantur per fructus quos percepit; ita ex art. 548. Eo sensu accipiendum est juris axioma: *Fructus non intelliguntur nisi deductis impensis.* Dixi, *generatìm*, quia si fructus nondùm collecti fuerint et ideò ad proprietarium rei debeant redire, possessor bonæ fidei jus habet exigendi impensas, alioquìn proprietarius ditesceret ex bono alterius.

*II. Reg., pro impensis extraordinariis.* Possessor bonæ fidei impensas extraordinarias, sivè necessarias, sivè utiles, sivè etiam voluptuarias *generatìm* exigere potest, *saltem in quantum augent valorem fundi*, quia nemo ditari debet ex re alienâ. Ita ex fine art. 555, quo proprietarius tenetur solvere aut pretium materiæ et laboris, aut augmentum quod indè res sua accepit.

Dixi 1°, *generatìm*, nam pro impensis voluptuariis quæ auferri possunt absque deterioratione, prout sunt statuæ, imagines, et alia hujusmodi, dominus nihil refundere tenetur, quia possessor bonæ fidei eas auferre potest.

Dixi 2°, *saltem in quantum augent valorem fundi;* quòd si expensæ, juxta morem, majores sint amelioratione, dominus non tenetur compensare illum excessum, quia pauperior fieri non debet ob bonam fidem alterius; si tamen de facto expensæ minores sunt amelioratione fundi, non ideò dominus tenetur illas restituere juxta valorem meliorationis, quia augmentum valoris est fructus prædii ad ipsum pertinentis. In his et similibus dominus, ex art. 555, habet optionem solvendi vel pretium ameliorationis vel pretium impensarum, id est, semper minus eligendi. Hinc si possessor bonæ fidei plantaverit arbores quæ 50 fr. emerat et quæ tempore restitutionis valeant 200, dominus non reddet nisi 50 fr., quia plus non expendit. Augmentum enim 150 fr. est fructus prædii ad dominum pertinentis; porrò res fructificat domino. Contrà verò si possessor solvit 200 fr. ad arbores plantandas et tempore restitutionis arbores valeant tantùm 50 fr., non tenetur dominus refundere 200 fr. sed tantummodò 50 fr. quia res non est ipsi utilis nisi usque ad hanc summam.

*Obj.* Ex axiomate : *Fructus non intelliguntur nisi deductis impensis*, fructus percepti haberi possunt tanquàm indemnitas impensarum etiam extraordinaria-

rum : ergò possessor bonæ fidei nihil pro eis exigere potest.

*Resp. neg. ant.* Ità statuit expressè Codex civilis quoad impensas tùm necessarias, tùm utiles, tùm voluptuarias. 1° Quoad impensas necessarias. Nam ex art. 862 donatarius qui rem ad successionem refert, potest hujusmodi impensas repetere, quamvis ex art. 856 fructus faciat suos; atqui huic æquiparandus est possessor bonæ fidei : ergo. 2° Quoad impensas utiles. Id deducitur sivè ex art. 861 qui determinat donatarium ac proindè per analogiam possessorem bonæ fidei jus habere ad impensas; sivè art. 555 qui versùs finem affirmat absquè restrictione, possessorem bonæ fidei posse exigere impensas ex quibus auctus est valor rei. 3° Quoad impensas voluptuarias, art. 1635 ità videtur statuere pro casu speciali ex quo infertur conclusio analogica pro similibus casibus. Ergo fructus percepti haberi non possunt tanquàm indemnitas impensarum extraordinariarum. Ergo prælaudatum axioma non intelligendum est nisi pro impensis ordinariis.

### § 2. *De possessore malæ fidei.*

Possessor malæ fidei duplici titulo ad restitutionem tenetur : scilicet, ratione rei alienæ detentæ, et ratione injustæ damnificationis; ratione rei alienæ detentæ subjicitur iisdem obligationibus ac possessor bonæ fidei, et ratione injustæ damnificationis iisdem subjacet oneribus ac injustus damnificator. Ex hoc principio solvuntur pleriqne casus circà obligationes possessoris malæ fidei.

Obligationes possessoris malæ fidei spectari possunt vel ratione rei, vel ratione fructuum, vel ratione impensarum.

#### Num. I. *De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione rei.*

*Quær.* 1°. Ad quid teneatur possessor malæ fidei ratione rei?

*Resp.* Possessor malæ fidei, generatim loquendo, tenetur restituere rem alienam si exstet in naturâ, vel ejus æquivalens si jam non existat, etsi casu fortuito perierit, adeò ut dominus sit omninò indemnis. Explicatur per partes illa assertio.

Dixi 1°, *rem in naturâ, vel in æquivalenti;* quia res, si exstet in naturâ, et, si jam periit, in æquivalenti domino clamat; alioquin dominus damnum pateretur.

Dixi 2°, *etsi casu fortuito perierit*, quia possessor malæ fidei est causa efficax et injusta hujusce damni. 1° Causa efficax; nam per injustam acceptionem rem subtrahit à potestate domini, apud quem res fortuito casu non periisset; atqui illa actio est efficax damni, siquidem rem reponit in statu ubi perire potest casu fortuito. Contradicunt adversarii, si res apud furem casibus fortuitis exponitur, simul præservatur à casibus fortuitis quibus apud dominum obnoxia fuisset. Sed non admittitur talis compensatio. Dominus pretio non æstimat illam immunitatem quæ illi occasio est plurium curarum et anxietatum ut rem suam recuperet : ergo. 2° Injusta. Si enim non esset causa injusta damni, unicè foret quia casus fortuitos nec potuit nec debuit prævidere; atqui illa ratio nulla est : nam quicunque rem apprehendit, etsi in specie casus fortuitos non præviderit, eos tamen in genere potuit aut debuit prævidere : ergo.... Hinc in jure : *Præcedentibus pacto vel culpâ vel morâ casus fortuitus imputatur.*

Dixi 3°, *adeò ut dominus sit omninò indemnis;* æquum est enim ut dominus re alienâ nec ditetur nec lædatur. Quarè possessori malæ fidei non satis est rem restituere, si ex illius absentiâ damnum passus est dominus. Tunc restituere debet et lucrum cessans et damnum emergens.

*Quæres* 2°. Ad quid teneatur possessor malæ fidei, si res quæ apud se fortuito casu periit, similiter apud dominum periisset?

*Resp.* Vel, quandò res ablata fuit, prævidebatur peritura apud dominum, vel non.

Si prius, id est, si res tempore furti prævidebatur peritura apud dominum, possessor malæ fidei jure naturali restituere non tenetur. Ille non tenetur ad restitutionem qui nec rem alienam præ manibus habet nec ullum damnum domino intulit; atqui ità, 1° non rem ille præ manibus habet : res periit; 2° non intulit... Is non intulit damnum reale qui aufert alicui rem nullius valoris; atqui res furata in eo casu nullius est valoris. Nam valor desumitur ex communi hominum æstimatione; atqui homines nihil faciunt rem quæ tempore furti manifestè peritura videbatur : ergo.... Hinc qui subripit equum ità morbo laborantem ut manifestè sit periturus, et reverà pereat, ad nihil tenetur.

Si posterius, id est, si res tempore quo ablata est non prævidebatur peritura apud dominum, vel peritura erat antè tempus quo periit apud furem, vel post tempus quo periit, vel simul et in eodem tempore.

1° Si res erat peritura apud dominum priusquàm apud possessorem malæ fidei, possessor malæ fidei ad restitutionem tenetur. Ille tenetur restituere qui privavit dominum jure suo stricto et sic culpabilis causa fuit damni; atqui ità possessor malæ fidei in hoc casu; 1° privavit dominum jure stricto.... nam dominus jus habet in rem suam in quocunque statu sit, ac proindè in eam extrà periculum positam; atqui possit possessor malæ fidei, rem detinendo, privat dominum jure quod habebat in rem suam : ergo...; 2° est causa culpabilis damni. Si enim rem domino reddidisset antè periculum quod ipse passurus erat, dominus potuisset illam salvare, siquidem apud ipsum jam periculum fugerat : ergo.

2° Si res peritura erat apud dominum postquàm apud possessorem malæ fidei, iste restituere tenetur; ad hoc sufficit ut, eo instanti quo res periit apud seipsum, possessor malæ fidei contraxerit obligationem personalem pretium restituendi, et hæc obligatio casu fortuito subsequenti non extincta fuerit; atqui ità. 1° Contraxit obligationem... nam, cùm eo tempore res totum suum valorem servaret, verum damnum intulit domino possessor; contraxit igitur obligationem illud reparandi. 2° Hæc obligatio casu fortuito subsequenti

non fuit extincta; cùm enim jus domini tunc esset personale et non attingeret rem certam et determinatam, non potuit amitti nisi ipse debitor satisfecerit : ergo.

3° Si res erat peritura apud dominum simul et apud possessorem malæ fidei, acriter disputant theologi. Alii opinantur possessorem malæ fidei ad restitutionem teneri, quia injusta rei acceptio intrinsecum et indivisum secum affert restitutionis debitum, quod non extinguitur per casum fortuitum concomitantem aut subsequentem deteriorationem, cùm possessor malæ fidei suscipiat in se omnes casus fortuitos absque ullâ exceptione. Ità Billuart, Daelman, Henricus à S. Ignatio, Collet, Antoine, Bouvier. Alii verò cum Lessio, Delugo, Molinâ, Collatore Ambianensi, statuunt possessorem malæ fidei in hoc casu ad restitutionem non teneri. Huic ultimæ sententiæ tanquàm probabiliori adhærentes, dicimus in propositione sequenti.

PROPOSITIO. *Possessor malæ fidei non tenetur, attento jure naturali, ad restitutionem rei quæ apud ipsum fortuito casu periit, si eodem modo et eodem tempore apud dominum certò periisset.*

*Prob.* Ad contrahendam obligationem restituendi duo requiruntur, scilicèt ut adsit damnum, et damnum sit imputabile; atqui neutrum in prædictâ hypothesi. Non primum, siquidem res apud dominum similiter periisset; non secundum siquidem ablatio rei non fuit causa efficax illius perditionis, sed fortuitus casus : ergo. Et verò si dominus posset pretium rei exigere, esset vel re adhuc exstante, vel instanti quo res periit; atqui neutr. Non primum : tunc enim jus non habet, nisi in rem quæ ipsi clamat; non admitteretur in exigendo pretio, si illud, re neglectâ, repetere vellet. Non secundum : si enim dominus pretium exigere posset instanti quo res periit, esset vel quia jus in re tunc mutaretur in jus ad pretium, vel quia fur in se susciperet periculum rei in omnibus fortuitis casibus; atqui in præsenti suppositione hæc duo absunt, cùm rei destructio possessori malæ fidei imputari nequeat, et damnum nullum patiatur dominus. Hæc est enim regula omninò æquitati consona, ut dominus ex re alienâ nec ditior, nec pauperior fiat : ergo.... Undè possessor malæ fidei meritò assimilatur illi qui alicui dat venenum, quod nonnisi post 10 aut 15 dies mortem infert; si intereà, v. g., tertiâ aut quartâ die venenatus pereat, corruente domo vel graviter morbo statim erumpente, numquid veneficus censebitur causa mortis? Homicida est affectivè, sed non effectivè. Sic se habet relativè ad damnum quod dominus patitur possessor malæ fidei, apud quem fortuito casu periit res, quæ eodem modo et eodem tempore apud dominum certò periisset. Ille quidem fraudavit dominum usu et possessione rei suæ; sed rei amissio nullo modo ei imputari potest : ergo.

Dixi, *attento jure naturali;* etenim ex art. 1502 possessor malæ fidei, quocumque modo res perierit, ac proinde etiam casu fortuito, ad restitutionem tenetur. Verùm, cùm hæc dispositio lata fuerit in modum pœnæ, ut constat ex juristis qui eam maximè furibus applicant, possessor malæ fidei non tenetur restituere ante sententiam judicis.

*Obj.* 1° : Possessor malæ fidei duplicem contraxit obligationem, scilicet realem et personalem; porrò obligatio personalis non extinguitur nisi solutione, siquidem independens est ab omni eventu subsequenti; ergo.

*Resp. neg. maj.* Obligationes reales et personales simultaneæ esse nequeunt, sed sibi succedunt. Hoc autem posito, possessor malæ fidei non contraxit nisi obligationem realem, cùm in potestate domini non sit, re adhuc existente, illius pretium exigere. Jam verò, illa obligatio cessat interitu rei inculpabili : ergo, re destructâ, nihil obligationis superest in possessore malæ fidei, apud quem res periit casu fortuito, si eodem modo et tempore apud dominum periisset.

*Obj.* 2° : Possessor malæ fidei tenetur restituere, si fortuitos casus absque ullâ exceptione in se suscipiat : atqui ita. Nam melioris non est conditionis ac emptor; atqui emptor suscipit in se omnes casus fortuitos.

*Resp. neg. min. et paritat.* Ratio disparitatis est quòd emptor sit rei dominus, ac proinde res ipsi fructificet et pereat, seclusis peculiaribus conventionibus. Possessor autem malæ fidei, cùm non sit dominus, suscipit tantùm in se casus fortuitos, quibus restituitur æqualitas ipsum inter et dominum, qui nec plùs nec minùs obtinere debet quàm legitimam indemnitatem. Unde fit ut possessor malæ fidei non teneatur suscipere casus fortuitos, qui ipsi et domino communes essent.

*Quæres* 3° ad quid teneatur possessor malæ fidei, si res varium habuit valorem tempore detentionis?

*Resp.* Vel dominus rem consumpsisset aut vendidisset tempore majoris valoris, vel non.

Si prius, possessor malæ fidei tenetur restituere secundùm majorem valorem rei, ac proinde rem cum excessu pretii, si exstet, vel solummodò pretium majori valori æquivalens; nam tenetur reponere dominum in statu in quo esset si res ablata non fuisset; atqui non reponeret, nisi restitueret secundum.....: ergo.

Si posterius, nempè si dominus re usus non fuisset tempore majoris valoris, tunc vel ipse possessor eam consumpsit aut vendidit illo tempore, vel non.

*In primo casu,* possessor malæ fidei tenetur restituere secundùm majorem valorem. Nam eo instanti quo res periit aut vendita est aut consumpta apud possessorem malæ fidei, obligatio realis statim mutata est in obligationem personalem æquivalentem obligationi reali quæ majori rei valori correspondebat; atqui obligatio personalis nonnisi per solutionem annihilari potest; ergo.

*In secundo casu,* possessor malæ fidei non tenetur restituere nisi secundùm valorem actualem. Nam si teneretur juxta majorem valorem, vel ratione rei acceptæ, vel ratione damni injustè illati : atqui neut. Non primum, cùm rem non consumpsit tempore majoris valoris; non secundum, cùm non intulit damnum

ipsi imputabile; ex hypothesi enim re non usus fuisset tempore majoris valoris; aliundè si quod esset damnum, non ipsi imputabile esset; nam ipse non est causa efficax illius imminutionis quæ habenda est ut rei deterioratio et provenit ex casu fortuito : ergo.... Et verò si teneretur possessor malæ fidei secundùm majorem valorem restituere, sequeretur quòd ipsius redditio in hoc casu non satisfaceret; atqui illud non videtur rationabile, cùm dominus, si res ablata non fuisset, nihil ampliùs haberet quàm rem ipsam : ergo.

*Obj.* Fur tenetur reddere id omne quod erat domini; atqui major valor erat domini : ergo.

*Resp. neg. maj.* Quandiù existebat res, *conc.;* quandò non existebat, *subdist.:* si imminutio furi fuerit imputabilis, *conc.;* si non fuerit imputabilis, *nego.* Id patet. Nemo tenetur reparare, nisi sit causa efficax damni : ergo.

*Inst.* Fur tenebatur restituere majorem valorem tempore majoris pretii; atqui ab illâ obligatione liberari non potuit per decrementum rei; ergo fur tenetur... etsi imminutio non fuerit furi imputabilis.

*Resp.* 1° *dist. maj.* Obligatione reali, *conc.;* personali, *neg.* Dominus, re existente, furem cogere non poterat ad solvendum pretium; jus illius ad rem restringebatur; atqui jus illud sequitur vices rei; unde, re pereunte, simul evanescit. Ut autem rei destructioni superesset, requireretur ut jus in re transiret in jus ad pretium; atqui non constat illam conversionem fieri, quando fur nullum damnum sibi imputabile infert : erg....

*Resp.* 2° *neg. min. in sensu distinctionis.* Tunc quis liberatur ab obligatione reali quando res illa nec subsistit, nec proprio ære assecuratur; atqui ità; 1° res ampliùs non habet majorem valorem; 2° non assecuratur proprio ære possessoris : possessor non suscipit per decrementum obligationem personalem majoris valoris, siquidem imminutio pretii non ipsi imputabilis est.

Num. II. *De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione fructuum.*

Possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus, *exceptis industrialibus*, sive adhuc existant, sive jam consumantur. Nam possessor bonæ fidei illos fructus, non ex jure naturali, sed tantùm ex jure civili, facit suos; porrò lex naturalis eadem est pro possessore malæ et bonæ fidei : ergo, nisi lex civilis possessori malæ fidei sit applicabilis sicut et possessori bonæ fidei, possessor malæ fidei illos fructus retinere non potest. Jam verò lex civilis tantummodò loquitur de possessore bonæ fidei in art. 549, quo statuitur possessorem bonæ fidei collectos acquirere fructus absque ullâ distinctione inter exstantes fructus et consumptos.

Dixi, *exceptis industrialibus*, quia eorum causa ad possessorem malæ fidei pertinet. Hinc thesaurarii, quæstores, receptores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis sibi creditis vel apud se depositis lucrum faciunt, v. g., negotiando, cambiendo, etc., hujusmodi lucrum restituere non tenentur.

Num. III. *De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione impensarum.*

Possessor malæ fidei easdem impensas ac possessor bonæ fidei, *attento jure naturali*, repetere potest. Nam jus strictum attendit tantùm ad res et non ad personas; porrò ex jure non licet ditescere ex re alienâ : ergo non licet ditescere ex re alienâ, sive ad possessorem bonæ fidei sive ad possessorem malæ fidei pertineat : quâ de re dominus non magis exigere potest impensas à possessore malæ fidei quàm à possessore bonæ fidei : ergo.

Hinc 1° possessor malæ fidei repetere potest impensas ordinarias (*d'entretien*) : dominus non fecit fructus suos nisi deductis impensis.

Hinc 2° possessor malæ fidei repetere potest impensas necessarias, alioquin dominus ditesceret cum damno alterius, scilicet possessoris, cùm ipse eas fecisset.

Hinc 3° possessor malæ fidei repetere potest impensas utiles aut exigere pretium valoris quem fundus inde percepit. Lex civilis arbitrio domini id relinquit, art. 555.

Hinc 4° possessor malæ fidei repetere potest impensas voluptuarias, si auferri possint absque rei deterioratione, vel, posito quòd auferri non valeant, si valorem fundi augeant; dominus commodum reportare non debet ex re alienâ.

Dixi, *attento jure naturali;* quia si expensæ in vindictam delicti domino per justam judicis sententiam assignentur, possessor malæ fidei jam nihil retinere potest. Obediendum est justæ judicis sententiæ, seclusâ verò sententiâ, possessor id potest, quia ex commissione domini rationabiliter præsumptâ egisse censetur : ergo.

§ 3. *De possessore dubiæ fidei.*

Dubium potest advenire possessori, vel incipiente possessione, vel possessione jam initâ. Diversæ sunt obligationes possessoris dubiæ fidei pro diversâ illâ suppositione.

I. *De dubio præcedente possessionem.*

Si quis rem cum dubiâ fide possidere incipiat, peccat saltem affectivè contra justitiam : ille peccat saltem affectivè contra justitiam qui se exponit periculo rem alienam detinendi, domino rationabiliter invito; atqui sic se habet ille qui incipit rem alienam cum dubiâ fide possidere : ergo. Itaque tenetur sufficientem adhibere diligentiam ad tollendum dubium. Factâ autem inquisitione, si agnoscit rem longè probabiliùs ad alium pertinere, eam reddere debet, alioquin esset detentor rei alienæ. Si è contra agnoscat rem longè probabiliùs suam esse, eam potest retinere, quia licet sequi opinionem longè probabiliorem. Si verò dubium perseveret, tunc res dividenda est ratione dubii, adeò ut major pars illi cedat pro quo stat major probabilitas, quia, cùm militent rationes ex utrâque parte æquè evidentes, si res totaliter alteri tribueretur, incurreretur periculum jus alterius violandi.

Subnotandum est eum qui dubiâ fide incepit possidere, quando rem dividit, subire vices possessoris

malæ fidei quoad partem quæ domino redditur. Nam verus est possessor malæ fidei sub respectu illius partis. Quoad verò partem quam sibi retinere potest, non subit omnia privilegia possessoris bonæ fidei. Ratio est quòd illa privilegia, utpotè solo jure civili concessa, non pertineant nisi ad verum bonæ fidei possessorem. Sic fructus possessori bonæ fidei à lege concessos non potest sibi applicare, sed eos pro ratione dubii partiri tenetur.

II. *De dubio possessioni bonæ fidei superveniente.*

Si quis rem aliquam primò bonâ fide possederit, et postea tantùm dubitare cœperit an res sit aliena, sufficientem diligentiam adhibere tenetur ad depellendum dubium. Factâ autem inquisitione, si longè probabilius sit rem esse alienam, ea domino si inveniri possit, aut pauperibus, si forsan legitimus non appareat dominus, restituenda est. Si è contra longè probabilius sit rem esse possessoris, illam retinere potest. Si denique perseveret dubium, non obstantibus dispositionibus, probabilius nobis videtur rem posse retineri. Ad hoc enim sufficit ut possessor in illo dubio possit sibi efformare conscientiam practicè certam rem quam possidet esse suam; atqui ita... ex jure nimirùm et ratione. 1° Ex jure. Nam sit illud axioma juris : *In dubio melior est conditio possidentis;* atqui ex illo axiomate possessor dubiæ fidei sibi efformare potest....: nam possidet possessione cum bonâ fide inchoatâ; atqui ex illo axiomate possessio bonâ fide inchoata ratio est sufficiens, in dubio superveniente, ad rem retinendam etiam in conscientiâ. Etenim illud axioma intelligendum est prout illud intelligunt tribunalia sive civilia, sive ecclesiastica; atqui omnia tribunalia.... ita illud axioma intelligunt ut totum adjudicent possessori : ergo.... ergo.... 2° Ex ratione. Licet sequi opinionem longè probabiliorem, relictâ tutiori; atqui longè probabilius est in pari dubio possessorem esse dominum rei quam possidet. Etenim homines ex unâ parte rerum avidi non solent res suas apud alios relinquere, et ex alterâ vir probus non solet res alterius possidere sine titulo justo; atqui si prædictus possessor non esset dominus, jam homines reliquissent sine reclamatione res suas apud alios, et vir probus inchoâsset possessionem sine titulo legitimo; quòd meritò præsumi non potest : ergò... ergò... Et verò tranquillitas societatis et bonorum securitas expostulant ne quis turbetur in possessione alicujus rei, nisi agnoscatur rem illam pertinere ad alium, alioquin inter probos nascerentur scrupuli et anxietates : ergo.

Eodem argumento uti potest possessor prædictus, sivè per se possessionem bonâ fide inceperit, sivè auctori bonæ fidei ipse titulo particulari vel universali succedat, quia omnia jura antecessoris ad hæredem transeunt.

## ARTICULUS II.

### DE SECUNDA RADICE RESTITUTIONIS SEU INJUSTA DAMNIFICATIONE.

Triplici modo aliquis damnum alteri inferre potest, scilicèt 1° immediatè, v. g., aliquem propriis manibus occidendo; 2° mediatè et per alios, v. g., jubendo, consulendo ut aliquis occidatur; 3° alterum à consecutione alicujus boni impediendo. Damnificator simpliciter nuncupatur primus, secundus dicitur cooperator, et tertius impeditor vocari potest.

Certum est apud omnes eum qui damnum alteri intulit, sive immediatè, sivè mediatè, sivè quolibet alio modo ad restitutionem teneri, quia violavit jus strictum alterius. Verùm difficultas nunc est discernere quandò quis verè damnum alteri infert. Ad hoc faciliùs cognoscendum, de tribus damnificatoribus suprà designatis successivè agemus in paragraphis sequentibus.

### § 1. *De damnificatore simpliciter dicto.*

Hic exponuntur conditiones resolvunturque difficultates actionem damnificativam spectantes. Sub illo paragrapho hæc omnia explicantur, quia, etsi cuilibet damnificatori potiùs communia sint quàm uni specialia, præcipuè damnificatori immediato applicabilia sunt.

NUM. I. — *De conditionibus actionem damnificativam spectantibus.*

*Quæres.* Quænam requirantur conditiones ad actionem damnificativam?

*Resp.* Ut aliqualis actio, extrà contractum et quasi-contractum, verè sit damnificativa, ac proindè ad restitutionem obligans, quatuor vulgò desiderantur, nempè, ut positiva sit, injusta, per se damni efficax, et theologicè culpabilis.

1° Debet esse *positiva*, id est, non simplex alicujus actionis omissio. Si enim omissio sufficeret, damnum resarcire teneremur præcisè quia illud non impedivimus; atqui illud repugnat extra contractum aut quasi-contractum.... alioquìn jure naturali teneremur ex justitiâ bonum alterius procurare aut malum avertere, quod nemo sanæ mentis admittet, cùm omnes homines jure naturali sint æquales et alii ab aliis independentes : ergò.

Hinc ad restitutionem non tenetur ille qui damnum alterius non impedit quandò potest et debet ex charitate illud impedire, nisi ad id etiam ex justitiâ teneatur, scilicet ex pacto vel officio, ut mox dicemus.

2° Debet esse *injusta*, id est, justitiæ commutativæ opposita. Actio damnificativa supponit jus strictum alterius violatum fuisse; atqui jus strictum non violatur nisi per actionem injustam seu justitiæ commutativæ oppositam, alioquin darentur jura hinc et indè opposita : ergò.

Hinc actiones quibus violantur virtutes aut religionis aut pietatis aut charitatis, et justitia aut legalis aut distributiva aut vindicativa, etsi coram Deo peccaminosæ sint, verè damnificativæ et consequenter restitutionis passibiles dici nequeunt, quia in his et similibus casibus nullum jus strictè acceptum intervenit, nisi, ut jam anteà observavimus, simul concurrat justitia commutativa.

3° Debet esse *damni efficax*, id est, per se et vi propriâ damnum producens. Huic omni et soli causæ im-

putabile est damnum. Æstimatur autem quis per se et vi suâ damnum producere, quandò physicè vel moraliter illud determinat; jam verò physicè vel moraliter aliquis damnum determinat, quandò voluntariè ponit actionem quæ ex naturâ suâ vel ex circumstantiis probabilem cum damno habet connexionem. Sit in exemplum ille qui per applicationem ignis comburit domum aut per explosionem catapultæ hominem occidit. Is enim communiter habetur ut auctor illius actionis damnificativæ, cùm ista ab eo originem trahat, existentiam habeat, sivè ab alio incipere debuisset, sivè non.

Hinc 1° non sufficit actio damni occasionaliter efficax, seu quæ non habet connexionem cum damno nisi ex malitiâ alterius, seu explicatiùs, quæ neque physicè, neque moraliter in damnum influit, sed cujus occasione tantùm alter per se solum motus et impulsus se determinat ad damnum alteri inferendum. Sic, v. g., quis lædit alium leviter; occasione hujus vulneris medicus imperitus advocatur et ægrotanti remedia nociva administrat; indè mors. Numquid vulnerans tanquàm illius mortis causa possit haberi? Nemo sanè illud suspicatur, alioquìn dicendum esset ferè omnes actiones hominum damnificativas esse, cùm nulla sit cujus occasione damnum alteri per malitiam tertii inferri non possit.

Hinc 2° non sufficit actio accidentaliter damni efficax, seu quæ nonnisi improbabilem cum damno connexionem habet, seu quæ, attentis circumstantiis vel ipsâmet naturâ rei, nec prævidetur aut saltem nec prævideri potest ac debet physicè vel moraliter in damnum influere. Sic, v. g., quis alicui vulnus inflixit: hoc vulnus non quidem de se sufficit ad hominem ordinarium occidendum, sed ratione debilitatis et infirmitatis talis hominis huic mortem adducit. Quis hunc percussorem incusabit mortis? Si enim sufficeret causa accidentaliter damni efficax, ut quis sit verus damnificator ac proindè restitutioni obnoxius, proximus, cùm quisque jus strictum habeat ne ponantur actiones sibi damnificativæ, similiter jus haberet ut attenderemus ad ea quæ nonnisi improbabilem habent connexionem cum damno; atqui id absurdo absurdius est, siquidem moraliter impossibile est ut attendant homines ad ea quæ non sunt nisi improbabilia: ergò.

Hinc 3° in materiâ justitiæ, ineptæ sunt illæ conclusiones: Si hoc damnum non intulissem, alius intulisset: ergò causa damni non sum. Sicut in physicis vitiosus certè foret ille arguendi modus: *Si hic ignis domum tuam non incendisset, alius ignis quo nunc comburuntur ædes vicinæ, eam incenderet: ergò hìc ignis non incendit.* Ità pariter in moralibus non valeret illud argumentum: *Si Petrus damnum non intulisset, illud intulisset Jacobus; ergò Petrus non intulit.* Ratio à priori est quòd in aliâ hypothesi damnum alteri causæ esset imputandum, sed non sequitur in præfatâ hypothesi illud tali causæ imputari non debere. Igitur ad discernendum quandò reipsà causa damni efficax est, expendendum convenit non quod evenisset, sed quod de facto actum sit.

4° Debet esse *theologicè culpabilis*, id est, posita cum voluntario ad peccandum sufficienti, per oppositionem culpæ juridicæ quæ consistit in omissione diligentiæ quam prudentiores adhibere solent, et casu fortuito qui à nemine, nequidem à prudentioribus et prudentissimis, præcaveri potuit. Etenim obligatio restituendi non oritur nisi ex violatione juris stricti alterius; atqui jus strictum alterius non violatur absque culpâ theologicâ. Actio quâ damnum alteri infertur, in duplici tantùm casu vacat culpâ theologicâ, scilicet quandò agens vel non debuit impedire damnum, v. g., quia jus habebat ad actionem ponendam, vel non potuit impedire damnum, v. g., quia illud prævidere non potuit: atqui in neutro casu violatur jus strictum alterius; non in priori, alioquin darentur jura sibi contradicentia; non in posteriori, alioquin damnum patientes irrationabiliter forent inviti, siquidem nemo tenetur ad impossibile. Ergò... aliundè...

Hinc 1° ut aliquis damnum reparare teneatur, necesse est ut illud damnum sit voluntarium. Duplici autem modo damnum voluntarium esse potest directè vel indirectè; directè, cùm illud expressè intenditur; indirectè, cùm prævidetur aut prævideri potest damnum secuturum esse ex actu qui ponitur.

Hinc 2° malè interpretatur communiter illud axioma: *Suum cuique nocet factum;* non valet nisi in quantum à voluntate procedit factum damnificativum.

Hinc deniquè 3° sequitur neque culpam merè juridicam, neque casum fortuitum, secluso pacto, ad restitutionem in damnificatione inducendam sufficere.

*Conclusio generalis.*

Ergò ad contrahendam obligationem restituendi in simplici damnificatione, extrà contractum et quasi-contractum, ante sententiam judicis, requiritur actio positiva, injusta, damni efficax et theologicè culpabilis.

Dixi 1°, *in simplici damnificatione*, quia si agatur de acceptione vel detentione rei alterius, obligatio restituendi non semper supponit culpam; nam quisque tenetur non alienam restituere; atqui fieri potest ut illam habeat absque culpâ, v. g., si bonâ fide illam possideat; ergò.

Dixi 2°, *extra contractum et quasi-contractum. In contractibus ea veniunt quæ sunt juris et consuetudinis;* atqui jus et consuetudo sunt saltem in contractibus ut obligatio restituendi oriatur absquè culpâ theologicâ.

Dixi 3°, *ante sententiam judicis.* Nam, sententiâ judicis semel positâ, adest obligatio restituendi etiam absquè culpâ theologicâ. Obediendum est justæ sententiæ; atqui in hoc casu, quandò scilicèt adfuit tantùm culpa in foro externo probata, justa est sententia judicis. In tantum injusta dici posset in quantum fundaretur in falsâ facti præsumptione; atqui non fundatur... Ad hoc sufficit ut judex non præcipiat restitutionem ob culpam theologicam: atqui ità. Præcipuus illius finis, id postulante bono publico, est reddere homines in suis rebus custodiendis prudentiores et in damno alteri inferendo cautiores: ergò.

Advertendum est quatuor istas conditiones ad duas reduci posse : omnis enim actio per se efficax est essentialiter positiva, et omnis actio injusta essentialiter peccaminosa est theologicè. Eas sic exposuimus ad fusiorem explicationem. Nunc unumquemque volumus monitum nos in decursu tractatûs eâ breviori viâ usuros esse ad designandos eos qui damnificationis causâ ad restitutionem tenentur.

NUM. II. — *De quibusdam difficultatibus actionem damnificativam spectantibus.*

*Quæres* 1° qualis esse debet culpa theologica ad contrahendam restitutionis obligationem requisita?

*Resp.* Duplex distinguitur culpa theologica, alia mortalis, alia venialis.

1° Culpa mortalis certè sufficit ad fundandam obligationem reparandi quodcunque damnum. Jus enim fundatur in necessitate conservandi uniuscujusque dominia ; atqui securitati dominiorum sufficienter providetur sanctione restitutionis, cùm quis admisit culpam mortalem. Tunc sufficienter providetur securitati dominiorum cùm quisque tenetur adhibere diligentiam moralem quam solent adhibere prudentes ; atqui unusquisque statìm ad hanc tenetur diligentiam ac obligatur sub gravi : ergò sufficit culpa mortalis.

2° Culpa venialis ità est vel levitate materiæ, etiamsi plenus adsit consensus, vel levitate consensûs, etiamsi materia sit gravis. Si prius, adest obligatio sub levi totum reparandi damnum per culpam venialem illatum. Nam damnum totum est voluntarium : ergò totum est imputabile, ideòque totum reparandum ; sed hæc obligatio tantùm est sub levi, quia proportionari debet materiæ et injuriæ. Si posterius, omissis variis opinionibus ad hanc enodandam difficultatem excogitatis, probabilior nobis videtur sententia eorum qui putant in illo casu nullam esse obligationem restituendi. Si aliquid restituendum foret cùm damnum grave illatum fuit culpâ veniali, esset vel pars notabilis, vel pars veniali peccato correspondens ; atqui neutr. 1° Non pars notabilis ; nam debet esse proportio inter obligationem et causam illius obligationis ; atqui nulla esset, si pars notabilis ex culpâ veniali restitui deberet : ergò..... 2° Non pars peccato veniali correspondens ; nam, ut adsit obligatio restituendi, objectum restituendum debet esse vel determinatum, vel saltem determinabile ; atqui in hoc casu objectum restituendum nec est determinatum nec determinabile ; nam objectum restituendum esset pars proportionata parti advertentiæ vel consensûs ; porrò illa pars est indeterminabilis, siquidem innumeri sunt et indistinguibiles gradus advertentiæ vel consensûs sufficientis ad peccatum veniale : ergò..... Et verò, si quid grave esset restituendum, ea obligatio nimìs dura videretur ob leve delictum ; et si quid leve reddendum esset ei qui grave damnum passus est, hoc nimis ridiculum et quasi injuriosum haberetur..... Prætereà commercium et relationes societatis in brevi ruerent, si nasceretur obligatio reparandi grave damnum ex culpâ veniali..... Insuper obligatio restituendi cum divisione bonorum introducta fuit ut conservationi dominorum uniuscujusque provideretur sapienter ; atqui sapienter providetur conservationi bonorum, posito quòd quis ad restitutionem teneatur cùm solùm culpæ mortalis reus est : ergò..... aliundè..... ergò....

Cæterùm docent omnes ferè auctores in dubio an peccatum sit veniale vel mortale, cùm posita fuit actio alteri damnificativa, culpam mortalem præsumendam esse, quia in operibus externis graviter periculosis, nisi subitanea sit et vehemens passio, rarò contingit ut quis excusetur à mortali propter inadvertentiam ; opera enim illa periculum suum statim et facilè ingerunt, et mentis attentionem excitant. Undè, ob illam præsumptionem lethalis culpæ, in similibus casibus non multùm recederemus ab opinione illorum, qui consulunt ut disceptatio amicabili transactione componatur inter damnificatorem et illum qui damnum passus est.

*Quæres* 2° Utrùm quis teanetur resarcire damnum quod errore invincibili uni intulit, volens illud alteri inferre?

*Resp.* Error in personâ læsi non tollit rationem injuriæ. Ità communiter pro furto, communiùs pro damnificatione, et ferè unanimiter pro destructione.

*Prob.* Ille tenetur ad reparandum damnum qui posuit actionem materialiter et formaliter injustam ; atqui ità ille qui ex errore invincibili uni potiùs quàm alteri nocere intendit, si damnum sequatur..... 1° Posuit actionem materialiter injustam. Illud evidens est, cùm reipsà damnum alteri actione alterius illatum sit : ergò..... 2° Posuit actionem formaliter injustam. Si quid enim deesset ad injuriam formalem, vel ex parte intellectûs, vel ex parte voluntatis ; atqui neutr. 1° Non ex parte intellectûs ; ubì enim cognoscitur substantia actûs, ibì cognoscitur illius malitia formalis ; atqui error in personâ læsi non tollit cognitionem substantiæ actûs. Quid est enim substantia actûs in præsenti casu? Ea est, si agatur de furto, ut res aliena domino rationabiliter invito auferatur, si autem agatur de homicidio, ut homo privatâ auctoritate occidatur ; si denique disputatio sit de quâdam rei destructione, ut res præsens comburatur, vel funditùs evertatur ; atqui error circà personam læsam non impedit horumce actuum damnificativorum cognitionem substantialem : ergò..... 2° Non ex parte voluntatis ; nam, ex probatis, adest cognitio sufficiens substantiæ actûs : ergò voluntas apprehendit malitiam actûs. Si quid obstaret, maximè dispositio illa, quâ quis supponitur versari, non occidendi si cognosceret ; atqui illa dispositio non impedit quominùs habeat voluntatem efficacem hominem præsentem occidendi. In materiâ injustitiæ, sicut in materiâ contractuum, non attenditur quid agens facere voluisset, sed quid reipsà facere voluit ; atqui reipsà in casu proposito personæ præsenti nocere voluit : ergò..... Hinc qui domum Pauli incendere volens, incendit domum Petri, vel qui occidens Petrum credens invincibiliter occidere Paulum, damnum reparare tenetur. Ità ferè omnes cum Vogler, n. 202 et 203, contra Card. Delugo et paucos alios.

*Quæres* 3° ad quid teneatur ille qui aliquid dixit aut fecit ex quo, præter ejus opinionem, damnum alteri illatum est?

*Resp.* 1° : Vacans operi licito, quandò præter intentionem ex errore prorsùs invincibili dat alteri damnum, non tenetur per se ad restitutionem ; creans damnum in hoc casu nullo titulo ad restitutionem tenetur, neque ob injustam acceptionem, ut evidens est, neque ob injustam damnificationem ; nam injustitia vera non est culpa quæ non voluntaria : *Nihil enim volitum quod non prœcognitum.* Si, v. g., Titius vacans venationi licitæ adhibeat sufficientem diligentiam, et inculpabiliter credat alicubi feram latere, eâque persuasione impulsus jaculetur sagittam, et loco feræ occidat hominem in dumetis absconditum, illa mors venatori non imputabilis est, licèt eam causâsset si hominem præsentem cognovisset ; quia, ut ait Vogler, n° 168, non sufficit injustus affectus ad inducendam obligationem restitutionis, sed requiritur ut affectus ille sit efficax, quo reipsà damnum efficiatur, alioquin non influit in opus quatenùs damnosum, cùm illud nec imperet, nec dirigat, nec perficiat.

2° Vacans operi illicito, sed non injusto, si præter opinionem et datâ sufficienti diligentiâ, per accidens causet alteri damnum, ad nihil tenetur ; ratio est quia illud damnum ipsi imputari non potest, siquidem nec fuit prævisum, nec prævisibile, sed merè fortuitum. Hinc clericus qui contra leges Ecclesiæ venationi vacat, et casu fortuito hominem pro ferâ occidit, non fit irregularis. Item qui alterum inducit ad carnes die prohibito comedendas, injustitiæ ergà eum non erit reus, si morbum indè contrahat. Item qui in domo alienâ nocte deambulans ad fornicandum, pedibus in vas pretiosum offendit, ad restitutionem non tenetur.

3° Vacans operi injusto, sed nonnisi accidentaliter damnificativo, si datâ sufficienti cautelâ, prudenter sibi persuadeat damnum minimè secuturum, non tenetur ad restitutionem, secuto damno ; ratio est quia damnum ipsi imputari nequit, cùm nec prævisum fuerit, nec prævisibile, sed merè fortuitum. Hinc qui in arborem ascendit ut fructus injustè colligat, si decidat, et aliquem subtùs positum suo pondere obruat, damna ex ejus morte secuta reparare non tenetur.

Hæc assertio locum habet, etiamsi agens suspicetur damnum eventurum, non quidem ut probabile, sed ut possibile, quia in humanis non habetur ratio meræ possibilitatis ; alioquin omnes ferè hominum actiones essent vitandæ. Sic ait Vogler n° 174 : « Tiberius occidit in ædibus suis Pomponium, cadaver « longiùs portat ut suspicionem evadat, et projicit « ante domum Curtii : defertur hic ad tribunal, torquetur, imponit sibi crimen, et carnifici traditur. « In hoc casu, si Tiberius non præscivit Curtium « aliàs suspectum de cæde et criminalibus odiis « contra Pomponium, non videtur cogendus ad restitutionem illius damni, quia situs ille cadaveris « ante domum alicujus, ordinariè non est causa « sufficiens ad incarcerationem et supplicium extremum. Si tamen Tiberius præsciverit Curtium esse « suspectum de cædibus, aut inimicum esse capitalem Pomponii, vel si Pomponium occideret indutus vestibus Curtii, aut in domo illius gladium « cruentum relinqueret, teneretur ad restitutionem, « quia cædes in illis circumstantiis patrata communiter, ut plurimùm vel valdè frequenter, gravia « causat damna. »

*Quæres* 4° An qui præter intentionem posuit causam alteri damnificativam, teneatur illam auferre, si inculpabiliter fuerit posita ?

*Resp.* Probabiliùs tenetur ex justitiâ aut damnum impedire aut illud reparare, si, quantùm in se erat, non impedierit. Quisquis enim tenetur ex justitiâ impedire, vel, si non impediat, reparare damna ab iis inferenda quorum est custos et moderator ; atqui unusquisque est custos et moderator suarum actionum etiam involuntariè positarum, quandò istæ retractari possunt antequàm suum effectum obtineant. Sicut homines cavere debent ne ponant sinè ratione sufficienti actiones alteri damnificas, ità cavere debent ne actiones à se positæ, cùm revocari possunt, damnum alteri inferant. Id sequitur ex primariâ juris individualis institutione, quæ cum rerum divisione introducta est, ut proprietatum et societatis sufficienter provideatur conservationi. Hinc qui inculpabiliter ignem ædibus alienis admovit, tenetur, quantùm potest, incendium extinguere sub pœnâ restitutionis damni, si hanc extinctionem procurare non curet. Item pharmacopola qui venenum pro remedio ex errore invincibili vendidit, si non moneat emptorem, damnum indè proveniens reparare debet. Item qui bonâ fide proximum infamat, imponendo falsum crimen, errore comperto, tenetur ex justitiâ retractare dictum, cùm sine gravi suo incommodo potest. Item qui bonâ fide mandatum alteri nocivum, aut consilium alicui exitiale dedit, tenetur, ubi advertit, hæc revocare vel malum effectum impedire pro posse suo, ut fusiùs patebit ex dicendis. Ratio est in istis et similibus, quia causam damni, quam inculpabiliter posuit, non retractans quandò id potest, censetur communi hominum apprehensione eam moraliter continuare, approbare, conservare. Ideò à plerisque dicitur potiùs causa positiva quàm negativa, quia continuatio, approbatio, conservatio actionis damnificativæ, quam quis posuit etiam inculpabiliter, et facilè revocare potest, communiter existimantur causæ positivæ, vel saltem eis æquivalentes.

Dixi, *quantùm in se erat, non impedierit ;* quia, si non potuit damnum impedire nisi cum suo æquali vel majori detrimento . . . . poterit se habere permissivè : etenim, cùm non peccaverit ponendo causam, non tanta debet esse ejus obligatio, quanta esset si damnum oriretur ex injustâ damnificatione.

*Quæres* 5° quid sit agendum in dubio, an actio damnificativa fuerit necne ?

*Resp.* Dubitans post debitum examen restituere debet secundùm gradum probabilem sui influxûs in

damnum. 1° Dici non potest obligari ad totum damnum reparandum, quia tunc damnificatio incerta eamdem pareret obligationem ac damnificatio certa. 2° Dici non potest etiam ad nihil obligari, quia dubitans se exponeret periculo rem alienam detinendi, siquidem ex nullo principio potest sibi efformare conscientiam moraliter certam se nihil debere; neque ex axiomate : *In dubio melior est conditio possidentis*, cùm illud non valeat nisi in quantum nititur in præsumptione proprietatis relativè ad possidentem; neque ex alio axiomate : *Nemo præsumitur malus nisi probetur, et propter dubium nemo spoliari debet re certè suâ*, cùm illud applicationem non habeat ubi posita fuit actio damnificativa, de cujus influxu tantùm dubitatur : ergo. . . . Superest igitur, ut dubitans restituere teneatur secundùm gradum probabilitatis sui influxûs in damnum. Unde si quatuor æqualiter ad damnum concurrerint, unusquisque quartam partem restituere debet.

### § 2. *De injusto cooperatore.*

Cooperator ille dicitur qui concurrit cum alio ad damnum alteri inferendum; duplici autem modo aliquis damno alteri inferendo cooperari potest, nempe *positivè* et *negativè; positivè*, quandò influit in damnum *per positionem alicujus actûs*, qui vel physicè, v. g., manum movendo, vel moraliter, v. g., suadendo aliis ut damnum inferant, detrimentum alteri facit; *negativè*, quando influit in damnum *per negationem actûs ex justitiâ debiti*, seu non impediendo damnum quod potuisset et ex justitiâ debuisset impedire. Memineris idem esse influere in damnum ut fiat, ac influere in damnum ut non reparetur. Utraque actio similiter alteri damnificativa est.

Diversi modi quibus damno alicujus cooperari potest, his comprehenduntur versibus S. Thomæ :

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Sex priores modi cooperandi *positivi* sunt, et *negativi* tres posteriores. Agemus in duplici numero de *positivis* et *negativis cooperatoribus*.

#### Num. I. — *De cooperatoribus positivis.*

Cooperatores *positivi* non minùs ad restitutionem tenentur quàm damnificatores simpliciter dicti. Ratio est quia tunc damnum est ipsis imputabile, et meritò habentur velut causa moralis aut physica damni injustè illati. Et verò in moralibus eodem loco ponuntur *inducere ad damnum et illud efficere*. Præterea Innoc. XI sub excommunicatione hanc profligavit propositionem : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati*. Hinc art. 1382 et seq.

Ut autem cooperatores *positivi* ad restitutionem teneantur, eædem requiruntur conditiones ac pro damnificatore propriè dicto, nempè ut sint causa efficax et injusta damni : 1° causa efficax; si enim in damnum nihil influerent, ad damnum reparandum certò non tenerentur; undè si quis alteri consuleret id quod talis persona jam facere omninò decrevit, et æquè sinè tali consilio faceret, tunc consulens non teneretur ad restitutionem; 2° injusta; quia, ut constat ex antèà probatis, si quis jure, v. g., judex qui reo pœnam infligit, aut absque culpâ theologicà extrà contractum, v. g., inculpabiliter consulens aliquid alteri damnosum, poneret actionem alteri damniferam, ad nihil obligaretur.

Cùm verò multipliciter aliquis in damnum influere possit in diversis illis cooperandi modis, de singulis successivè dicemus.

#### Punctum I. — *De jubente.*

Jubens, seu mandans ille est qui, ob proprium suum commodum, alium vulgò sibi inferiorem, jussione, aut mediis jussioni æquivalentibus verè movet ad actionem alteri damnificativam. Hoc autem fieri potest vel expressè, ut si quis famulo dicat : *Hunc occide;* vel implicitè, ut si quis manifestet inferiori rem sibi pergratam facturum si talem vindictam exequatur. Definitioni jubentis adduntur illa verba : *Ob proprium suum commodum*, ut ipse mandans distinguatur à consulente qui alios ad actionem damnificativam movet, non in suum, sed in alterius commodum.

*Quær.* 1° ad qui teneatur mandans, si mandatum ante illius executionem non revocaverit?

*Resp.* Certum est 1° mandantem teneri ad restitutionem totius damni quod inferri jussit, aut ex suâ jussione secuturum prævideri potuit. Ille tenetur. . . . qui est causa efficax et injusta damni; atqui ità mandans; 1° causa efficax; nam determinat voluntatem agentis ad damnum alteri inferendum, et ex illâ voluntatis determinatione sequitur directè damnum alterius; 2° causa injusta; quilibet profectò jus strictum habet ne quis sciens et volens ponat per se vel per alios actionem sibi damnificativam : ergo. . . . Undè ait S. Thomas : *Qui jubet est principaliter movens*, et ideò principaliter ad restitutionem tenetur : quod verum est, etiamsi ante mandati executionem jubens de mandato verè doluisset, et illud revocare, si ipsi non defuisset potestas, valdè exoptâsset. Eodem modo causa est damni in præsenti casu ac ille qui alicui venenum dedisset, et posteà vehementer doleret ante veneni operationem; ille dolor non impedit quin iste semper veneficus habeatur.

Hinc, si quis famulo præcipiat combustionem unius domûs ex quâ, ratione venti fortiter flantis, prævideri potest exustio ædificiorum proximè adjacentium, omnia damna ex illo mandato secuta restituere tenetur; quia, cùm illud mandatum sit periculosum, attentionem excitat, ac proindè damnum prævisibile facit. Si quis verò præcipiat famulis ut ædes alienas incendant, famuli mandati limites transgredientes non solùm domum comburunt, sed istius domûs occidunt dominum; tunc jubens non de homicidio, sed tantùm de incendio tenetur, quia cum illo homicidio nullam jussio probabilem habebat connexionem.

Certum est 2° mandantem teneri ad restitutionem damnorum quæ ob executionem mandati mandatario obveniunt, dummodò mandatarius non se sponte obtulerit, et mandans ea damna, saltem in confuso, præ-

viderit. Ratio est quia mandatarius haberi debet tanquàm invitus et coactus agens, et mandans censetur se obligare ad illum indemnem præstandum : ergo.

Dixi 1° : *Modò mandatarius non se sponte obtulerit ad mandatum exequendum*, quia hoc in casu censetur in se pericula rei suscepisse. Huic assimilatur ille qui rogatus facilè acquievit, aut ob mercedem promissam se determinavit.

Dixi 2° : *Modò mandans ea damna saltem in confuso prævidere potuerit*, alioquin censeri non posset causa efficax horum damnorum, quæ in ipsius mente nullam probabilem haberent connexionem cum mandato. Hinc si mandatarius fulmine percutiatur, vel à latronibus spolietur, dùm iter agit pro mandati executione, hæc damna restituere non debet mandans nisi ea saltem in confuso prævidere potuerit.

*Quæres* 2° ad quid teneatur mandans qui antè mandati executionem illud revocavit?

*Resp.* Mandans, *ut talis*, ad nihil tenetur, si mandatum efficaciter revocaverit et hanc revocationem mandatario manifestaverit. Ratio est quia omninò abstulit causam efficacem quam posuerat, et mandatarium reponit in eodem statu ac si nunquàm mandatum datum fuisset.

Porrò mandatum duplici modo revocari potest, expressè vel tacitè; expressè revocatur quandò mandans verbis, litteris, aut nuntio significat contrariam voluntatem; tacitè autem revocatur cùm nutu, facto, aut alio signo mandans implicitè declarat contrariam voluntatem. Censet Vogler mandatum ob diuturnitatem temporis non revocari. Id nobis videtur dijudicandum ex circumstantiis quibus aliquis prudenter judicare potest mandatum vel retractari vel subsistere.

Dixi 1° *Ut talis;* nam si mandando injustam damnificationem protulerit motiva, et suggesserit media quibus mandatarii voluntatem commoverit et illam excitaverit ad damnum inferendum, ita ut vi illorum motivorum mandatarius damnum operetur, tunc mandans tenebitur.... non quatenùs mandans, sed quatenùs consulens.

Dixi 2° *Si mandatum efficaciter revocaverit;* si enim mandatarius, cognità versipelli et dolosâ mandantis indole, locum habuerit prudenter existimandi seriam non esse hanc revocationem, sed solùm ad fucum faciendum, mandans tenebitur ad reparandum damnum quod intulit mandatarius, quia tunc mandatum non sufficienter revocatur. Si autem absque ratione sufficienti mandatarius sibi falsò persuaderet mandatum seriò non fuisse revocatum, et vi persuasionis istius damnum exequeretur, ad nihil teneretur mandans, quia totum illud damnum non jussioni sed imprudentiæ mandatarii adscribendum esset.

Dixi 3° : *Si illam revocationem mandatario manifestaverit;* quia, si ex incuriâ nuntii revocationis notitia ad mandatarium non pervenerit, vel ex oblivione mandatarii illa notitia evanuerit, mandans, etsi forsan non peccaverit ob dolorem quo pungitur et diligentiam quam adhibuit ad avertendum mandati effectum, tenebitur adhuc de damno quod intulit mandatarius, quia vi mandati illatum est. Unde mandans qui sui mandati revocationem mandatario notam facere nequit, debet ex justitiâ monere eum cui periculum imminet ut sibi suisque rebus invigilet; qui enim posuit voluntariè causam damnificativam, tenetur ex justitiâ aut eam tollere aut illius effectum impedire, si id possit absque suo longè graviori detrimento. Dico *absquè suo graviori detrimento*, quia sicut quis ad restitutionem non tenetur cùm non potest restituere sinè suo longè graviori damno, ità nec monere ad impediendum effectum cujus causam posuit, modò intentionem et potestatem habeat damnum reparandi si sequatur. Adde cum sanioribus Theologis aliquem potiùs mori debere quàm sinere ut alter vi sui mandati occidatur, ideòque mortem alterius à se imperatam vitæ propriæ dispendio impediendam esse.

*Quæres* 3° an mandans teneatur reparare damnum quod mandatarius ex errore inculpabili alteri intulit? iste, v. g., mandatum acceperat occidendi Paulum, et ex errore invincibili Petrum occidit.

*Resp.* Circà hunc casum disputant Theologi; nos verò sentimus cum Vogler n° 279, contra Collet et Bouvier, mandantem prædictum ad nihil teneri.

Anteponenda est, ut probabilior, sententia quæ in suî gratiam habet et prægravem auctoritatem et non contemnendum rationis argumentum; atqui ità opinio nostra. 1° Prægravem habet auctoritatem, nempè declarationem congregationis cardinalium in conc. Trid. sess. 14, c. 7, quâ decisum fuit mandantem in hoc casu non incurrere pœnam irregularitatis, ac proindè non esse causam efficacem mortis Petri, quæ nullam probabilem habebat connexionem cum morte Pauli quæ præcepta fuerat. 2° Validum rationis argumentum. Nemo tenetur de damno quod nec prævisum nec prævisibile fuit; atqui ità occisio Petri.... Si prævisa aut prævisibilis fuisset, vel sub ratione hominis, vel sub ratione specificâ Petri; atqui nullo modo... mandans neque sub ratione genericâ hominis, neque sub ratione specificâ Pauli hanc occisionem prævidere potuit : talia rariùs eveniunt ut inter casus prævisibiles computari possint. Ergo... Undè mors Pauli non ex injustâ motione sed occasione injustæ motionis sequitur.

*Obj.* Qui ex errore invincibili infert uni damnum quod vult alteri inferre, ad restitutionem tenetur; ergo à pari qui jubet damnum quod ex errore invincibili alteri infertur?

*Resp. neg. cons. et parit.* Ratio disparitatis est in præsenti hypothesi quòd mandatarius, seu qui ex errore invincibili uni infert damnum quod vult alteri inferre, aliquo modo voluit mortem Petri sub ratione genericâ hominis præsentis; siquidem se determinavit ad occidendum hominem ibi stantem, dùm mandans nullo modo voluit mortem Petri neque sub ratione genericâ hominis, neque sub ratione individuali Petri; siquidem abstrahebat ab homine ac proindè ad nihil tenetur.

*Quæres* 4° utrùm qui verbis, nutibus, aut etiam silentio manifestavit se gratum habiturum si quoddam damnum alteri inferatur, illud resarcire debeat?

*Resp.* Vel illa signa haberi debent ut impellentia ad damnum, vel non. Si prius, mandantis vices gerit atque induit obligationes ille qui ea manifestat. Undè qui verbis aut nutibus damnum jam illatum approbat, ad nihil tenetur, quia nullatenùs in illud influxit, siquidem in præteritum non datur potentia nec actio. Si posterius, nulla est ratio cur ad restituendum obligari possit. Verùm difficile est determinare quandonàm illa signa mandato æquivaleant. Ut hoc rectiùs discernatur, unusquisque attendere debet tùm ad indolem et auctoritatem viri talibus signis utentis, tùm ad modum quo hæc verba proferuntur, vel circumstantias quibus silentium observatur, tum ad servilem promptitudinem audientium, qui quandoque debiliora dominorum desideria pro verâ jussione accipiunt. Ex his indiciis Henricus II, Anglorum rex, ab omnibus et etiam à seipso, propriâ remordente conscientiâ, habitus est auctor mortis S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis, ob illa verba quæ protulerat coràm aulicis: *Se nunquàm posse cum uno sacerdote regni sui pacem habere.*

*Quæres* 5° an restituere teneatur ille qui sciens alium paratum esse ad damnum alteri inferendum suo nomine, non ei contradicit, cùm posset?

*Resp.* Si damnificator paratus ad damnum alicui inferendum nomine alterius sciat suum propositum innotescere illi cujus nomine damnificare intendit, sciens et non contradicens, cùm posset, ad restitutionem tenetur si non ut mandans, saltem ut consentiens, quia tacito ipsius consensu damnificator efficaciter movetur ad damnum proximo inferendum. Si verò damnificator nesciat suum propositum innotescere illi cujus nomine damnum vult inferre, sciens et non contradicens ei, etiamsi posset, ad nihil tenetur, quia deest illius influxus moralis in damnum, nisi istud ex officio justitiæ impedire debeat; quo casu tenetur ut non obstans.

### Punctum II. *De consulente.*

Consulens est ille qui movet alium ad damnum alteri inferendum consilio, suasione, precibus, promissis, adhortationibus, motiva utilitatis vel honoris proponendo, facilitatem executionis ostendendo, media et modos quibus efficaciter uti potest suppeditando.

*Quæres* 1° ad quid generatim teneatur consulens?

*Resp.* Duplex est consulens; alius qui, suppositâ actionis injustitiâ, alium movet suo consilio ad illam exequendam; illud consilium dicitur practicum; alius qui ratione professionis vel officii, vel peculiaris peritiæ, decernit talem actionem esse justam vel injustam, restitutionem faciendam esse vel non faciendam, quales sunt parochi, confessarii, doctores, advocati, etc.; illud consilium dicitur doctrinale. De utroque dicemus.

Certum est 1° consulentem primi generis, id est, eum qui, suppositâ actionis injustitiâ, movet ad actionem damnificativam, teneri ad restitutionem *ratione influxûs in damnum.* Ille tenetur restituere qui est causa efficax et injusta damni; atqui ita consulens; 1° efficax, nam determinat efficaciter voluntatem alterius ad damnum inferendum; 2° injusta, nam quislibet jus strictum habet ne ponatur absque sufficienti ratione actus sibi damnificativus: ergo.

Dixi *ratione influxûs in damnum;* nam obligatio restituendi non oritur nisi ex violatione juris stricti alterius; atqui jus strictum alterius non violatur, nisi ratione influxûs agentis in damnum: ergo... Hinc si consulens certò influat efficaciter in totum, obligatur ad restitutionem totius; si in partem tantùm, obligatur tantùm ad partem; si nullatenùs influat, ad nihil obligatur; si probabiliter influat, obligatur ratione probabilitatis; si modo dubio, proportionatè ad dubium tenetur.

Certum est 2° consulentem secundi generis, id est, eum qui *ratione professionis vel peculiaris peritiæ* in quâdam scientiâ dat consilium, teneri reparare damnum ex consilio suo secutum, si præ negligentiâ in comparandâ aut conservandâ scientiâ vel nimiâ præcipitatione in dando consilio mortaliter peccaverit. Ille tenetur reparare damnum qui est causa efficax et injusta damni... atqui ità consulens... 1° Causa efficax... nam determinat efficaciter voluntatem agentis ad damnum inferendum; 2° Causa injusta... nam ignorantia crassa æquiparatur malæ fidei in iis qui tenentur ratione officii vel peculiaris peritiæ aliquid præstare, quia jure tenentur aut ex promissione implicitâ; atqui versatur in ignorantiâ et negligentiâ crassâ prædictus consulens... cùm peccaverit mortaliter qui in his ex officio rectiùs agere debebat: ergo restituere debet damnum, sive respectu illius qui consilium petivit, sive respectu aliorum quibus consultor vi consilii nocuit.

Dixi: *consulentem ratione officii vel peculiaris peritiæ quam profitetur;* etenim qui nec ratione officii, nec ratione peculiaris peritiæ consilium dant, ut mulieres et plebeii, quorum nota est incapacitas, non tenentur restituere damnum *ergà illum qui consilium petiit*, quia damnum quod patitur imprudentiæ ejus imputari debet, nam scienti et volenti non fit injuria. Secùs verò dicendum est de damno ex hoc consilio ergà alios illato; consulens de eo tenetur, quia est causa efficax et injusta damni, siquidem alter non est sciens, neque volens.

*Quæres* 2° an restituere teneatur qui minus malum consulit ad majus vitandum?

*Resp.* Hæc duo mala eidem personæ vel diversis personis inferenda sunt.

Si prius, id est, si quis consulat minus malum alicui inferri, ne eidem inferatur majus damnum, restituere non tenetur, quia consilium istud ei prodest, nedùm noceat. Undè, si fur paratus sit ad furandum 20 aureos, licet ei consulere ut tantùm 10 abripiat. In hoc casu non suadet absolutè malum, nec determinat maleficum ut absolutè noceat, sed tantùm ut noceat minùs, vel ut omittat saltem gravius damnum quandò non vult grave damnum omittere.

Si posterius, id est, si mala diversis personis inferenda sunt, vel consulens minus damnum indicat personam determinatam cui inferri possit, vel non.

Si prius, id est, si quis homini parato ad inferendum

damnum Petro consulat ut potiùs illud minus malum Paulo inferatur, vel designat personam de quâ nullatenùs cogitat maleficus, vel personam de quâ cogitabat, licèt inter duas fluctuans, obfirmatus ad nocendum alterutri; in primo casu, consulens minus damnum Paulo inferendum ad avertendum majus malum Petro imminens, contrahit obligationem restituendi, quia simul est causa efficax et injusta damni; efficax, cùm determinat efficaciter voluntatem agentis ad damnum alteri inferendum : injusta, cùm quisque jus strictum habeat, ne ponatur actus sibi damnificativus ad avertendum alterius etiam innocentis damnum : ergo... In secundo autem casu, certum est consulentem posse id omne quod in se est facere ut avertat damnum ab amico, modò simpliciter dicat : *Ne inferas damnum amico*. Ratio est quia, si amicus adesset, illud agere posset : ergo et alter nomine amici. Esto sequatur damnum alterius; illud fit per accidens, et nonnisi ex malitiâ alterius. Sed quid esset si consulens præfatis verbis hæc adderet : *Infer, si vis, damnum Titio*. Nobis videtur cum Vogler, n° 290, quòd, etsi valdè periculosum sit ita agere, consulens ad restitutionem non teneatur quoties illa verba : *Infer, si vis, damnum Titio*, non magis influunt in determinationem consultoris ac si simpliciter diceret : *Ne inferas damnum amico meo*. Ratio est quia non magis fit causa damni subsequentibus quàm præcedentibus verbis. Illud autem evenit quandò consultor ita determinatur ad damnum alteri inferendum, ut certum sit eum Titio damnum illaturum esse, si avertatur ab isto damno amico inferendo.

Si posterius, id est, si consulens indicet personas non determinatas, v. g. : *Si vis furari, quære potiùs divites*, vel illud consilium ex verbis et circumstantiis reducitur ad hanc formam : *Parce pauperibus*, vel ad illam : *Furare divitibus*. Si 1°, consulens id potest; ratio est quòd pauperibus prosit et nullius jus strictum lædat; 1° pauperibus prodest, ut patet; 2° nullius jus strictum lædit; sic enim non tam hortatur ad spoliandos divites quàm ad parcendum pauperibus : ergo.... Si 2°, consulens id non potest. Etenim consulens dare non potest consilium quod influeret efficaciter in damnum injustum alterius; atqui consilium in præfatâ hypothesi influeret... 1° Efficaciter; illud consilium efficaciter influit quod determinat efficaciter voluntatem agentis ad damnum inferendum; atqui consilium in præfatâ hypothesi... ergo. 2° In damnum injustum; nam damnum injustum est ubi dominus habet jus interdicendi actum quo ipsi infertur damnum; atqui dominus... Si enim divites ex justitiâ non tenentur compensare damna quæ fures inferunt pauperibus, pari ratione jus strictum habent interdicendi ne fur inducatur ad damnum ipsis præ pauperibus inferendum : ergo... Et verò si tale consilium dari posset, maximè quia nullius jus læderetur; atqui illud dici nequit. Ideò enim nullius jus læderetur, quia nullus in particulari designaretur, porrò vana est illa ratio; namque ab omnibus admittitur adesse obligationem restituendi si cuidam ad furandum non determinato daretur consilium quemdam divitem furandi; atqui in eo casu nulla est designatio personæ in specie et tamen jus alterius læditur, nempè divitis cui res auferetur : ergo non designatio non impedit quin lædatur jus strictum divitis : ergo... ergo.

*Quæres* 3° utrùm consulens qui consilium suum ante operis executionem revocaverit, reparare teneatur damnum, si nihilominùs sequatur?

*Resp.* 1° Si consulens ità consilium revocavit ut totam illius vim abstulerit, ad nihil tenetur, quia jam non est causa damni; siquidem omnem causam à se positam abstulit. Hìnc si Petro consulueris contractum quasi expertem usuræ, et posteà doctior factus eidem Petro demonstraveris contractum esse usurarium, et rationes priùs à te allatas everteris, quidquid agat Petrus, liberaberis à restitutione. Similiter si quem precibus, adhortationibus, blanditiis aut promissis impuleris ad damnum alteri inferendum, et deindè hæc omnia retractaveris, damnum tibi non debet imputari. Hoc præsertim evenit quandò consilium fuit doctrinale aut merè practicum.

2° Si consulens ità consilium revocaverit, ut, quamvis illud fuerit revocatum, totum adhuc subsistat robur consilii aut tota vis quæ fuit alterius animo impressa, ad restitutionem tenetur, quia manet vera causa damni. Eodem enim modo se habet ac homo qui ab alto lapidem ex irâ in inimicum projecisset atque statim de culpâ suâ, etiam ante damnum, verè doleret. Porrò ille homo, juxtà omnes, ad restitutionem obligatur : ergo. Hìnc si quem argumentis et sophismatibus ad actionem alteri damnosam impuleris, ostendendo illi utilitatem actionis, vel voluptatem proponendo, vel docendo media quibus uti valeat, non semper exemeris à restitutione, quamvis consilium revocaveris; quia revocatio non sufficiens est ad auferendam totam vim quam posuisti. Hoc præcipuè locum habet quandò consilium fuit vestitum motivis utilitatis, honoris, delectationis, etc.

*Obj.* Mandans qui revocavit mandatum ante executionem non tenetur ad restitutionem damni quod deindè infertur : ergò à pari consulens.

*Resp. neg. conseq. et parit.* Ratio disparitatis est quòd, cùm mandatarius non proprio nomine damnum inferat, sed nomine jubentis, retractato semel mandato, mandans non fit ampliùs causa damni efficax, sed solùm prava voluntas mandatarii; cùm autem consultor agat in gratiam sui et adhùc possit moveri motivis quæ accepit à consulente, sequitur quòd si retractatio consilii non destruat illorum influxum in mente consultoris, consulens sit adhùc causa efficax damni : ergò magna disparitas est inter mandati revocationem et revocationem consilii vestiti motivis utilitatis, honoris, etc.

*Quæres* 4° an qui suo exemplo alios ad damnum alteri inferendum inducit, illud reparare teneatur?

*Resp.* Si quis dat malum exemplum in his circumstantiis quibus probabile sit alios eo impelli ad actionem proximo damnosam, ad restitutionem tenetur, quia simul est causa efficax et injusta damni. 1° efficax

cax; ille est causa efficax qui scienter ponit actionem quæ probabilem habet connexionem cum alterius damno; atqui ità dans malum exemplum.... siquidem ex adagio : *Verba movent, exempla trahunt :* 2° Injusta; quisque enim jus strictum habet ne alter ponat absque ratione sufficienti actionem sibi damnosam; atqui dans malum exemplum ponit : ergo. Si verò quis dederit malum exemplum in talibus circumstantiis quibus improbabile sit alios eo impelli ad actionem alteri damnificativam, ad nihil tenetur, quia tunc non est causa efficax damni, cùm ejus actio probabilem non habeat connexionem cum damno in mente agentis.

PUNCTUM III. — *De consentiente.*

Consentiens est hic qui suffragio, approbatione vel favore, excitat alterum ad injustum damnum.

*Quær.* 1° Ad quid generatim teneatur consentiens?

*Resp.* Consentiens duplicis est generis : alius consentit inefficaciter, quandò scilicet exteriùs de damno jam illato vel interiùs de damno inferendo gaudet; alius consentit efficaciter, quandò scilicet ab illius consensu damnum pendet et determinatur. His præmissis,

Dico 1° consentientem primi generis ad nihil teneri, quia nullo modo influit in damnum, etiamsi ex odio vel animo vindictæ actioni damnificativæ applauderet. Ergo.

Dico 2° consentientem secundi generis ad restitutionem teneri, quia simul est causa efficax et injusta damni : 1° efficax, nam ponit actum ex quo directè sequitur damnum alterius; 2° injusta; alter jus habet ne ponatur actus sibi damnificativus : ergò.

*Quær.* 2° quandonàm consentiens censeatur causa efficax et injusta damni?

*Resp.* Quotiès consentiens ex officio tenetur non consentire, et damnum, quantùm potest, impedire non consentiendo. In moralibus, inquit Sylvius, qui potest et debet damnum impedire, censetur illius causa, si, illo non impediente, evenerit. Porrò tales sunt 1° superiores, domini, patres familiàs, quandò subditis, servis aut filiis consentiunt damnificantibus; 2° senatores et consiliarii, quandò suffragantur bello injusto, iniquo judicio, iniquis legibus, exactionibus, tributis, etc.; 3° capitulares et patroni qui ad prælaturas aut ad officia ecclesiastica indignos promovent aut promoveri consentiunt.

*Quær.* 3° An teneatur ad restitutionem qui suffragatur injustæ sententiæ, postquàm jam præcessit suffragiorum numerus ad rem injustam decernendam sufficiens?

*Resp.* Constat 1° eum qui inter primos suffragatur, antequàm compleatur numerus sufficiens, ad restitutionem teneri, etiamsi prævideat quòd alii certò essent consensuri. Non minùs enim est causa efficax et injusta damni quàm ille qui vastat vineam mox ab aliis vastandam.

Constat 2° eum qui, postquàm jam præcessit sufficiens numerus suffragiorum, consentit, dùm priores suà eloquentià vel emissione voti diversi ab iniquâ sententiâ revocare potest, ad restitutionem teneri, quia potest et debet ex officio, quantùm in se est, facere ad illud malum avertendum.

Constat 3° etiam adesse obligationem reparandi damnum pro eo qui suffragium dedit, completo suffragiorum numero ad injustam sententiam sufficienti, quandò ex majore suffragiorum numero aliquatenùs damnum aggravatur, ut fit, v. g., si iniqua sententia à curiâ supremâ faciliùs approbetur ob majorem numerum suffragiorum, vel si lex injusta feratur à principe qui fortè non secutus esset pluritatem votorum, sed unanimitate consensus determinatus fuit; quæ quidem reparatio damni proportionem habere debet cum solo mali gravamine.

Difficultas igitur in eo tota est : an teneatur ad restitutionem qui suffragatur injustæ sententiæ, quando numerus suffragiorum ad injustam sententiam sufficiens jam præcessit, et alii suffragantes ab iniquâ sententiâ deterreri non possunt.

Distinguendum est. Vel lex decernit talem numerum suffragiorum sufficere ad decisionem absque sententiâ judicis aut præsidis, vel lex requirit sententiam judicis aut præsidis.

Si prius, dans suffragium, quandò numerus sufficiens jam præcessit, ad restitutionem non tenetur. Ratio est quòd nullo modo influat in damnum; non dantur enim actio et potentia in præteritum; atqui damnum jam præteriit; nam damnum fertur statìm ac prodiit sufficiens numerus suffragiorum, cùm lex non requirat sententiam judicis : ergo..... Eadem est doctrina, sive suffragia sint publica, sive sint secreta, quia in neutro casu influunt in damnum, cùm lex decernat talem numerum sufficere absque præsidis sententiâ.

Si posterius, dans suffragium..... ad restitutionem probabiliter tenetur. Illi omnes tenentur ad restitutionem qui æqualiter concurrunt ad damnum; atqui ultimi suffragantes, sicut et primi, æqualiter concurrunt ad damnum in præsenti hypothesi; nam damnum infertur injustâ sententiâ; atqui omnes concurrunt ad injustam sententiam; sententia injusta efformatur ex collectione votorum; atqui vota sua emiserunt non minùs ultimi suffragantes quàm primi : ergò.... Et verò illi tenentur ad restitutionem qui consentiunt ut damnum suo nomine inferatur; atqui ità suffragans laudatus; sententia enim alteri damnosa fertur et executioni mandatur nomine omnium suffragantium : ergò..... Undè ultimus suffragans se habet sicut ille qui se adjungit tribus furibus ad auferendam trabem quæ à tribus asportari potest.

*Quær.* 4° an consiliarii vel alia cœtûs deliberantis membra peccent contra justitiam et teneantur ad restitutionem quandò subterfugiunt, ubì tamen impedire possent sententias injustas?

*Resp. affirmativè.* Nam ex officio justitiæ et quasi-contractu tenentur hujusmodi sententias impedire. tres tamen casus excipiuntur : 1° possunt abesse, citra legitimum impedimentum, quandò non imminet ex absentiâ magnum inconveniens; 2° quandò justam ab-

sentiæ habent causam. Hæc autem causa debet esse gravis si res magni momenti sit tractanda, et periculum sit ne noceat absentia; 3° quandò certissimè sciunt conclusum iri contrà justitiam, et suffragium suum non ultrà serviturum quàm ut odium ipsis conciliet et suscitet graves rixas. Ubi monet card. de Lugo non consulendum esse inordinatis timoribus, cùm unius cordata libertas non infrequenter multorum pusillanimitatem correxerit.

PUNCTUM IV. — *De palpone.*

*Quæres* 1° quid nomine palponis intelligatur et utrùm ille teneatur ad restitutionem?

*Resp.* 1° Palpo seu adulator is intelligitur non solùm qui laudibus vel plausu movet alium ad injuriam alicui inferendam, sed etiam ille qui irrisionibus, vituperiis, murmurationibus aliove simili modo causa est damni quod alteri infertur.

*Resp.* 2° Si palpo in damnum influxit tenetur restituere ratione influxûs, eodem modo quo consulens; sæpè enim efficaciùs ad injustitiam movet adulator quàm iste : nec requiritur ut damnum alterius intendat, sed sufficit ut prævidere debuerit damnum ex suâ adulatione consecuturum.

Observare est palponem iisdem omninò obligationibus et immunitatibus obnoxium esse ac consulentem. Si alterum solummodò moverit adulatione, laudibus aut simili modo, tunc assimilandus est consulenti qui allicit precibus, blanditiis, etc. : quæ omnia destruuntur per revocationem. Si verò impulerit alium exprobriis, vituperationibus, conviciis, jam assimilatur consulenti sub specie utilitatis, et tunc fieri potest ut, non obstante revocatione, nihilominùs subsistat impressio in mente alterius facta. Undè palponi applicari debent quæ diximus circà revocationem consilii.

PUNCTUM V. — *De recursu seu receptore.*

*Quæres* quid intelligatur nomine receptoris, et utrùm ad restitutionem teneatur?

*Resp.* 1° Receptor seu recursum præstans, gallicè *recéleur*, is est qui damnificatori, ut tali, securitatem et fiduciam præbet, ut damnum inferat vel illatum non reparet. Sic haberi debent illi qui malefactores ut tales auctoritate aut patrocinio protegunt, hospitio recipiunt, eorumque instrumenta noxia asservant vel occultant, res furtivas emunt, etc.

*Resp.* 2° Tenentur ii omnes ad restitutionem quandò causa sunt cur damnum inferatur vel illatum non resarciatur. Hinc sartor qui scienter res furtivas recipit à famulis, caupo qui pecunias furto ablatas accipit à filiis familiâs in pretium compotationum, advocatus qui, injustitiâ cognitâ, furem coram tribunalibus tuetur in causis civilibus, cùm indè sequatur immediatè detentio rei alterius, et alii similes, restituere tenentur.

Inter receptores computandi non sunt illi qui malefactores ut amicos vel consanguineos domi recipiunt, nec illi qui eos sub spe emendationis occultant, vel istis alioquin sub dio pernoctaturis diversorium causâ humanitatis offerunt, nec illi qui ostendunt viam quâ fugere possint, ne à lictoribus comprehendantur, nec illi qui in causis criminalibus eos defendunt, licet prævideant malefactorem, benè succedente lite, restitutionis immemorem esse, quia ex unâ parte malus effectus compensatur per bonum effectum, nempè absolutionem à pœnâ, et ex alterâ parte, ille malus effectus non directè oritur ex defensione advocati, sed ex malitiâ malefactoris. Cavendum tamen ne furi præbeatur spes recursûs in posterùm ut similia committat.

PUNCTUM VI. — *De participante.*

Participans duplex est, alius in prædâ, alius in actione damnosâ.

Participans in prædâ ille est qui post damnum illatum partem prædæ seu rei furtivæ obtinet. Huic applicanda sunt principia exposita ubi de possessore rei alienæ. Vel enim participans accepit rem in bonâ fide, vel in malâ fide, vel in dubiâ fide : decisiones pro variis illis suppositionibus alibi datæ fuerunt.

Participans in actione damnosâ ille est qui semel cum alio concurrit ad damnum alteri inferendum; porrò hoc duplici modo fieri potest, immediatè et mediatè. Ille concurrit immediatè qui simul cum alio ponit actionem per se damnificativam, v. g., si duo simul occidant hominem, domum incendant, aurum auferant. Ille concurrit mediatè qui ponit actiones quæ non sunt per se damnificativæ, sed quibus alter abutitur ad damnum alteri inferendum; v. g., si scalam commodet, si excubias agat, si arma ministret. Hinc duæ sectiones.

SECTIO I. — *De cooperatione immediatâ.*

Actio ad quam aliquis concurrit potest esse alter damnificativa vel in bonis vitæ, vel in bonis membrorum, vel in bonis fortunæ. Undè tres instituentur propositiones pro triplici illâ cooperatione.

PROPOSITIO I. — *Nunquàm licet, etiam ad mortem vitandam, immediatè concurrere ad actionem alteri damnificativam in bonis vitæ.*

*Prob.* Non licet cooperari ad actionem alteri damnosam nisi legitimè præsumatur quòd læsus concedat jus suum, aut rationabiliter invitus esse non possit; atqui ubi agitur de bonis vitæ, legitimè præsumi non potest proximus concedere jus suum aut rationabiliter invitus non esse; etenim proximus præsumi non potest cedere aut debere cedere jus quod non habet; atqui proximus jus non habet in vitam suam; ergo. Et verò ideò licitum esset cooperari ad actionem alteri damnificativam in bonis corporis, quia cooperanti immineret periculum mortis aut mutilationis; atqui idem immineret periculum illi cui damnum inferretur per cooperationem immediatè damnificativam in bonis vitæ : ergo.

Hinc, ut notant communiter doctores, captivi apud Turcas contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur si in bello formaliter injusto adversùs Christianos ignem bombardis admoveant, pilas explodant, sagittas emittant.

Propositio II. — *Nunquàm licet, etiam ad vitandam mortem, immediatè concurrere ad actionem alteri damnificativam in bonis membrorum, seu ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertendâ ipsius mutilandi morte.*

*Prob.* Non licet cooperari ad actionem damnificativam, nisi læsus de jure suo cedat aut cedere teneatur; atqui ubi agitur de bonis membrorum, læsus nec de jure suo cedit nec cedere tenetur, siquidem jus directum non habet in membra sua, et, etiamsi haberet, tantam jacturam pati non teneretur ad servandam vitam alterius, cùm ipse hanc jacturam pati non teneatur ad propriam vitam conservandam : ergo.

Dixi : *nisi forsan pro avertendâ ipsius mutilandi morte;* quia, cùm unicuique liceat membrum sibi amputare ad vitandam mortem ab extrinseco, v. g., à tyrannide imminentem, non repugnat quòd eodem fine illud jus alteri concedat. Sed illa juris cessio mutilatori innotescere debet vel expressâ concessione vel saltem præsumptione legitimâ, alioquin mutilator se exponeret periculo jus alterius graviter lædendi; etenim fieri potest quòd mutilandus, cùm non teneatur ad vitæ suæ conservationem media extraordinaria adhibere, mortem mutilationi præferat, ac proindè mutilatori jus amputationis recuset.

Propositio III. — *Non licet generatim, ad vitandum damnum morte minus, immediatè concurrere ad actionem alteri damnificativam in bonis fortunæ.*

*Prob.* Illud generatim non licitum est de quo generatim domini sunt rationabiliter inviti; atqui generatim domini sunt rationabiliter inviti de cooperatione in præfatâ hypothesi; etenim domini generatim sunt rationabiliter inviti de cooperatione quæ januam aperiret frequentibus abusibus, innumeris fraudibus; atqui talis esset cooperatio in præfatâ suppositione; siquidem, cùm multi sint casus gravis necessitatis aut damni morte minoris, plurimi, quia major vel minor mali intensitas non rigorosè appretiabilis est, fingerent se esse in gravi necessitate, aut sibi imminere damnum morte minus falsò putarent, ad bona alterius invadenda : ergò. Et verò, admissâ licitate cooperationis immediatè damnificativæ in bonis fortunæ, furibus nimia præberetur facilitas; cùm scirent homines se posse cooperari actioni damnificativæ, ad declinandum damnum morte minus, latronibus et malefactoribus minorem opponerent resistentiam; indè quanta mala pro societate et privatis! ergo.

Dixi, *generatim;* tres potissimùm admittuntur casus in quibus dominus censetur consentiens, ac proindè non fit illi injuria, et ideò licita est cooperatio : 1° si cooperans possit et velit damnum reparare, quia dominus non potest esse rationabiliter invitus quin ad vitandum grave malum, alter ponat actum qui censeri potest nullum ipsi afferre detrimentum; 2° si damnum etiam grave, sepositâ cooperatione, æqualiter et certò ab ipsismet damnificantibus inferretur; ex principio : *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere;* 3° si damnum sit leve respectu domini, quia ex charitate debet illud subire. Ut autem meritò judicetur an damnum sit leve respectu talis hominis, attendendum est sive ad ipsius fortunam, sive ad ipsius habituales dispositiones; vir dives et liberalis faciliùs jus suum cedit quàm pauper aut avarus.

Utrùm autem licitum sit, ad vitandam mortem, cooperari actioni alteri immediatè damnificativæ in bonis fortunæ, gravis est inter Theologos controversia. Ad mentem nostram clariùs aperiendam distinguimus : vel ille à quo exigitur cooperatio habet intentionem et potestatem damnum reparandi, vel non.

Si prius, ille potest cooperari, sed posteà damnum reparare debet. Prima pars assertionis, admissâ secundâ, nullam patitur difficultatem, quia dominus non est rationabiliter invitus; bonum commune exigit ut permittatur actio quæ uni utilis est et alteri non nocet. Porrò certum est eum qui ad vitandam mortem cooperavit actioni damnosæ, ad illius reparationem, transactâ necessitate, astringi; si enim ad id non teneretur, vel quia in extremâ necessitate omnia facta fuerunt communia, vel quia dominus non fuit rationabiliter invitus ut damnum sibi fuerit illatum; atqui non probant illæ rationes nullam esse, transactâ necessitate, obligationem reparandi damnum illatum. Non prima; jus quod confert extrema necessitas in alterius bona restringi debet quantùm potest, tum quia, cùm solâ suadeatur necessitate, non debet extendi ultrà strictè necessarium, tum quia est jus odiosum, utpotè derogans juri proprietatum, atqui satis sublevatur necessitas in quâ versatur cooperator per semplex mutuum, quin requiratur absoluta donatio; ergo... Non secunda; æquius est ut ope bonorum suorum se liberet aliquis ab injuriâ sibi illatâ, quàm detrimento alterius; atqui cooperator in hoc casu se liberaret cum detrimento alterius, si non teneretur, transactâ necessitate, reparare damnum : ergo.

Si posterius, id est, si cooperans non habeat medium damnum reparandi, adhuc major est Theologorum disputatio. Alii sentiunt dominum teneri consentire damno sibi inferendo, quia tunc cessat bonorum divisio; ea enim non potuit institui ab hominibus contra finem pro quo bona creantur, scilicet in detrimentum vitæ ad cujus conservationem ordinata sunt. Alii verò negant dominum teneri consentire cooperationi sibi damnosæ quandò cooperator non potest, transactâ necessitate, damnum resarcire, quia nemo tenetur pro aliis majores impensas facere quàm pro seipso. Itaque ad conciliandas illas opiniones dicimus : vel damnum inferendum est leve respectu domini, vel grave. Si 1° videtur quòd liceat cooperari, ad vitandam mortem; quia prohibitio cooperationis vires humanas superaret; nemo in tali necessitate similem curaret prohibitionem. Si 2° probabile est quòd non liceat cooperari, quia, sicut nemo tenetur, ad suam vitam conservandam, media impendere extraordinaria, ita nec pro vitâ alterius.

Quod autem dicitur de metu mortis, multi graviores theologi illud extendunt ad metum notabilissimæ mu

tilationis, v. g., brachii, oculorum, quia hæc et similia morti æquiparantur.

SECTIO II. — *De cooperatione mediatâ.*

PROPOSITIO UNICA. — *Licet mediatè cooperari ad actionem alteri damnificativam in bonis sive corporis sive fortunæ ob vitandam mortem, aut mutilationem, aut aliud damnum proportionatè grave.*

*Prob.* 1° *S. Thomâ.* Juxta eum, licet ob rationabilem causam ponere actum in se indifferentem, ex quo sequuntur duo effectus, alter bonus, alter malus, modò bonus sit æquè mediatus, in se intendatur et saltem compenset malum; atqui talis est cooperatio mediata de quâ agitur... 1° Actus in se indifferens, nam consistit in eo quòd quis scalam commodet, excubias agat, arma suppeditet; atqui actiones illæ sunt indifferentes, cùm bono fine cohonestari possint: ergò. 2° Ex eâ sequuntur duo affectus, unus bonus et alter malus; scilicet pro cooperante conservatio vitæ aut alicujus boni, et pro eo qui damnum patitur damnificatio: ergo. 3° Bonus affectus intenditur, nempè conservatio vitæ, vel membrorum, vel fortunæ. 4° Bonus effectus compensat malum; bonus effectus est conservatio vitæ aut membrorum, aut alicujus boni proportionatè gravis; atqui ille effectus compensat damnum alterius in rebus æqualis momenti: ergo. Ratio est quia tunc cooperans censetur permittere malum alterius.

2° *Concessis adversariorum.* Fatentibus adversariis, licet ad vitandam mortem aut grave damnum reddere gladium furioso, pecunias petere ab usurario, remigare pro Turcis contra Christianos; atqui in his est cooperatio mediata: ergo.

3° *Ratione.* Bonum commune societatis exigit ut homines non teneantur se abstinere ab actionibus mediatè damnificativis, quandò præsertim aliquod malum imminet ei qui recusaret cooperari, alioquin difficillimæ et ferè impossibiles fierent relationes quæ debent existere in commerciis hominum: ergò licita est cooperatio actioni mediatè damnificativæ. Et verò virtute æqualitatis naturalis nemo tenetur convertere actiones suas indifferentes ad utilitatem alterius procreandam; atqui ad id teneretur si illicitum esset cooperari actioni mediatè damnificativæ: ergo.

Dixi 1°: *ob vitandam mortem;* etenim mors est omnium damnorum gravissimum; illud nemo pati tenetur ad conservandam alterius vitam, quandò præsertim istius amissio pendet ex cooperatione duntaxat mediatâ; si tamen ageretur de bono publico, vita potiùs est amittenda quàm cooperatio ponenda.

Dixi 2°: *ob mutilationem,* quæ est etiam gravissimum damnum. Solum dubium esse potest in casu quo ageretur de mediatâ cooperatione ad mortem alteri inferendam; videtur quòd etiam tunc licita sit mediata cooperatio ob vitandam mutilationem; alioquin libertas hominum esset nimis restricta.

Dixi 3°: *ob damnum proportionatè grave.* Quandonàm autem damnum haberi debeat tanquàm proportionatè grave? Vel illud damnum est majus quàm malum inferendum, vel æquale, vel minus. Si cooperans metuat damnum longè gravius damno alteri inferendo, cooperari potest mediatè; si verò cooperans metuat damnum æquale, similiter non peccat cooperando, quia ordo charitatis unicuique permittit ut suum bonum æquale bono alterius anteponat. Si denique cooperans metuat damnum minus malo alteri inferendo, gravis est concertatio inter Theologos. Ex unâ parte generatìm prohiberi non potest cooperatio mediata, cùm exindè sequatur decisio valdè dura, nempè non reddi posse furioso, ob solum metum mutilationis, gladium quo iste prævidetur seipsum occisurus: ex alterâ autem parte non potest generaliter approbari illa cooperatio, cùm exindè prodeant decisiones valdè laxæ et bono publico contrariæ, nempè licitum esse ob metum levioris mali, v. g., 20 vel etiam 10 assium amittendarum, præstare claves furi, vendere arma homicidæ, adducere virgines corruptori; undè viri prudentis arbitrio relinquitur decernere an licita sit in eo casu cooperatio. Ideò tunc principiis sequentibus duntaxat quis uti poterit ad judicandum, quandò liceat ob minus damnum cooperari actioni mediatè damnificativæ. 1° Tantò major requiritur ratio, quantò propinquiùs causa quæ ponitur influit in malum. 2° Tantò major requiritur ratio, quantò majus est malum quod sequitur. 3° Major requiritur ratio, quandò sine tuâ cooperatione effectus non sequeretur, quàm si nihilominùs sequeretur. 4° Major requiritur ratio quandò effectus est contra justitiam in damnum tertii, quàm si esset contrà alias virtutes, v. g., temperantiam. Hæc sanè videntur conformia rectæ rationi, et ex his minus erit difficile resolvere plures casus in praxi satis implicatos.

NUM. II. — *De cooperatoribus negativis.*

Causæ negativæ seu non impedientes damnum impedibile obligationem restituendi non pariunt *vi propriâ,* quia homo, utpotè dominus suarum actionum, non tenetur ex justitiâ, attento solo jure naturali, malum alterius avertere; sed obligant ad reparationem damni non impediti, *interveniente aliquo titulo strictæ iustitiæ,* maximè contractu, vel quasi-contractu, vel lege civili, quandò ista in rigore justitiæ, id est, sub pœnâ restitutionis obligat quosdam homines ad quædam damna impedienda, prout locus est quoties lex imponit alicui indemnitatem in gratiam tertii si damnum non impediatur. Ratio istius obligationis est quia proximus per contractum aut quasi-contractum, aut legem positivam, jus strictum acquirit in actionem damni impeditivam, ab alio ponendam.

Ut autem causæ negativæ obligationem restituendi pariant, tres requiruntur conditiones; 1° ut teneantur ex justitiâ damnum impedire; alioquin omissio actionis impeditivæ damni restitutioni obnoxia non esset, deficiente injustitiâ. 2° Ut damnum impedire culpabiliter omiserint; in contractu sufficit culpa juridica, in quasi-contractu requiritur culpa theologica. 3° Ut damnum saltem *ordinariè* potuerit impediri absque gravi incommodo, quia nec contractus nec lex

positiva solent obligare cum tanto onere. Dixi *ordinariè*, quia tenemur etiam cum gravi detrimento damnum alterius avertere, si hæc clausula in pacto apposita fuerit, vel actio præstanda strictiorem ex naturâ suâ exigat obligationem.

Nullum existit discrimen sub respectu obligationis inter eum qui gratis et illum qui pro stipendio officium aliquod suscipit. Eodem modo tenentur ad munus rectè implendum statim ac illud voluntariè accipiunt. Sic judex qui libenter et gratis suscipit officium, justitiam reddere debet sicut ille qui pro ære idem officium exerceret.

Triplici modo causæ negativæ cooperari possunt in damno alteri inferendo, scilicet non loquendo, non obsistendo, non manifestando : idcircò negativè cooperans dicitur mutus, non obstans, non manifestans.

*Mutus* ille est qui, licèt ex pacto vel officio damnum impedire teneatur, tacet, dùm verbo, præcepto, minis, monitis, precibus, litteris, clamore, strepitu, etc., illud impedire posset. Sic muti sunt superiores, consiliarii, custodes vinearum, agrorum, etc., quandò non præcavent damna quæ verbo vel signo facilè possunt impedire.

*Non obstans* est qui non præstat, quandò potest, opem aut operam quam ex contractu aut ex quasi-contractu aut ex alio titulo justitiæ debet, ut malefactorem à damno avertat : talis est dux exercitûs qui civitati obsessæ non succurrit ; item advocatus qui defectu studii et scientiæ clientem suum malè tuetur ; item magistratus qui suâ segnitie permittit scandala grassari.

*Non manifestans* is est qui, dùm potest ac debet ex justitiâ, malefactorem non manifestat, vel ante damnum illatum ut avertatur, vel post illatum ut resarciatur. Tales sunt præpositi negotiorum, et vectigalium collectores qui defraudantes non manifestant, ut damnum dominorum vel reipublicæ impediant.

Certum est omnes hujusmodi cooperantes teneri ad reparationem damni quod non impedierunt. Illi tenentur ad restitutionem qui privant dominum jure suo ; atqui præfati cooperatores privant dominum jure suo ; nam privant dominum jure quod ille acquisiverat vel contractu vel quasi-contractu in actionem quæ omittitur : ergo.

Ope istorum principiorum generalium solvendi occurrunt circà varias professiones nonnulli casus in quibus ambigitur an quis restitutioni obnoxius sit, quatenùs damni causa negativa.

*Quær.* 1° an confessarius, qui cognoscit pœnitentem ad restitutionem teneri, et illum de restitutione faciendâ monere negligit, ad restitutionem teneatur ?

*Resp.* Si confessarius, omnibus seriò perpensis, haberi debeat tanquàm causa positiva cur pœnitens non restituat, ad restitutionem suæ culpæ proportionatam certò tenetur. Ratio est quia tunc est causa efficax et injusta damni ; 1° efficax, cùm ipsius silentium ex hypothesi vim induat positivæ decisionis ; 2° injusta, siquidem quilibet jus strictum habet ne alter tertium excitet ad ponendum actum sibi damnificativum.

Si autem confessarius, attentis circumstantiis, sit tantùm causa negativa cur pœnitens non restituat, non tenetur restituere ob neglectam monitionem. Ratio est quia non tenetur ex justitiâ damnum alterius impedire monendo pœnitentem ; 1° neque contractu ; confessarius enim nullam iniit conventionem quâ promisit invigilare bono temporali sive pœnitentis sive aliorum ; 2° neque quasi-contractu, siquidem munus confessarii totum est in ordine ad spiritualia ; 3° neque lege positivâ, quæ de casu supposito penitùs silet : ergo confessarius omittendo monitionem non violat jus strictum alterius, ergo non tenetur ad restitutionem defectu monitionis.

Itaque valdè expedit determinare quandonàm confessarius haberi debeat tanquàm causa negativa vel positiva cur pœnitens non restituat. Confessarius censetur causa negativa quando negligit monere pœnitentem de restitutione faciendâ, sive in illâ omissione peccaverit mortaliter, sive non, modò ex illâ omissione pœnitens non habeat locum prudenter opinandi se non teneri ad restitutionem. Existimatur autem causa positiva cur pœnitens non restituat, quando per falsam decisionem decernit talem personam restitutioni obnoxiam non esse, vel per silentium eam naturaliter inducit ad sic credendum. Silentium confessarii ad hanc conclusionem naturaliter ducit, cùm ipse initio confessionis dixit pœnitenti se eum moniturum de quâlibet restitutione faciendâ, vel cùm pœnitens decursu confessionis illum interrogat an restituere teneatur pro tali opere, nisi fortè pœnitens illud silentium oblivioni vel distractioni confessarii tribuere possit. Adverte tamen confessarium qui causa positiva foret cur pœnitens non restitueret, ad restitutionem non teneri, nisi gravem negligentiam in comparandâ scientiâ competenti habuerit, vel culpabilem præcipitationem in solutione quæstionis commiserit. Porrò, sæpè evenit omissionem monitionis culpâ vacare, scilicet quando nihil defuit in confessario neque ex parte scientiæ, neque ex parte prudentiæ.

*Quæres* 2° utrùm superior teneatur ad reparandum damnum ab iis illatum qui ipsi subjiciuntur ?

*Resp.* Vel damnum impediri non potuit vel potuit impediri.

Si prius, superior ad nihil tenetur ; neque enim injustus est detentor, cùm rem non acceperit ; neque injustus fuit damnificator, cùm actio damnificativa ab alio ponatur ; neque censeri debet injustus cooperator positivus, cùm nullo modo alium excitet ad damnum alteri inferendum ; neque demùm cooperator negativus supponi potest, siquidem nemo se obligat ad impediendum damnum quod impediri nequit : ergo...

Si posterius, vel damnum illatum est ab illius liberis, vel ab uxore, vel à domesticis, vel à discipulis, vel ab animalibus. Eædem non sunt omninò decisiones pro variis illis casibus.

1° Paterfamiliâs ad nihil tenetur pro damnis quæ intulit filius major vel etiam minor, quandò iste non est ipsi contubernalis, etiamsi illud damnum impedire

potuerit, quia vi solius paternitatis non tenetur ex justitiâ præcavere damnum à suis alicui inferendum, siquidem in conditione patris non includitur unus è tribus titulis requisitis ut quis censeatur cooperari negativè actioni damnosæ; sed, attento jure civili, pater, et, post illius obitum, mater debent defectu filii refundere damna quæ intulit filius minor, quando iste cum parentibus sub eodem tecto habitat. Vide art. 1384 cum annot. D. Gousset.

2° Maritus ad nihil tenetur pro damnis ab uxore illatis. Id sequitur ex art. 1384 qui talem non prætermisisset obligationem, si reverà exstitisset et præsertim ex art. 1424 quo statuitur mulctas ab uxore debitas istius personalibus bonis solvendas esse. Vide Merlin, verbo *Délit*, Toullier, t. 11, n° 279. Objiciunt multi legem 28 sept. 1792, quæ maritum facit reum delictorum uxoris; sed illa respicit tantùm delicta contra politiam ruralem, ac proindè nihil mutat in solutione quæstionis.

3° Herus vel mandans ad nihil tenetur pro damnis quæ domestici vel præpositi alicui intulerunt extra officia ipsis commissa, quia deest titulus justitiæ vi cujus debeat præfata impedire damna. Aliud est pro damnis quæ domestici vel præpositi alicui intulerunt exercendo officia ipsis commissa, art. 1384. Proponens famulum cuidam officio censetur ex parte legis civ. spondere societati de ejus idoneitate ad munus implendum quin ulli noceat. Hinc art. 1797, 1799, 1952, 1953, 1954.

4° Institutores et opifices ad nihil tenentur pro damnis quæ tertio intulerunt discipuli quando isti extra eorum custodiam ponuntur. Non strictiùs obligantur quàm parentes quorum vices gerunt; atqui parentes non videntur fidei-jussores actionum noxiarum quas posuerunt filii minores, quando isti non cohabitant in domo patris; ergo... At verò magistri et opifices debent ex jure civili reparare damna ab alumnis illata et à se non impedita, quamdiù isti sub eorum custodiâ agunt, art. 1384. Addit D. Toullier nullum magistro dari recursum contra parentes discipulorum damnificantium, quia in custodiam liberorum, pactâ pecuniâ, præceptores consenserunt.

5° Proprietarius vel usuarius animalis, v. g., equi, bovis, tenetur reparare damna ab eo illata. Ratio est quia animalia non conceduntur alicui in societate nisi cum pacto cavendi ne per ea damnum creetur aliis. Sic aliundè art. 1385. Hæc decisio intelligitur, ut jam diximus, cùm admissa fuit culpa theologica in custodiâ, vel usu bestiæ damnificantis.

*Quær.* 3° Utrùm famuli restituere teneantur si non impediant, cùm possint, ne damnum hero suo inferatur.

*Resp.* Si non impediant quando cavere debent ex officio, tenentur ad restitutionem; secùs verò non tenentur. Ita 1° præfectus cellæ, granarii, horti vel culinæ tenetur ex officio justitiæ, id est, sub obligatione restitutionis, cavere ne quis damnum inferat in cellâ, granario, horto et culinâ. 2° Eâdem obligatione tenetur famulus cui dominus tradit clavem ut afferat aliquid ex loco clauso, cubiculo, armario vel cellâ; nam, hoc ipso quòd dominus tradat clavem, tacitè censetur ipsi committere custodiam loci. 3° Eodem jure stringitur præfectus supremus, cui cura incumbit totius domûs; hic enim ex justitiâ vigilare tenetur ad rapaces domesticorum et aliorum manus. 4° Omnes famuli tenentur ex justitiâ defendere dominum adversùs exterorum injurias, furta vel damna, saltem si possint absque notabili suo detrimento; nam iis, hoc ipso quòd in familiam admittantur, demandari videtur domini causa adversùs extraneos.

Sed difficultas est an famulus qui videt bona domini sibi non specialiter commissa à suis conservis dilapidari, teneatur ex justitiâ obsistere vel dominum monere. Vogler, n° 326, cum ferè omnibus veteribus Theologis affirmat istum non teneri, si famulis illis non sit præfectus, et furtum non fiat in rebus sibi specialiter demandatis, quia hoc modo famulitium evaderet nimis difficile et exosum aliis conservis. Non desunt autem inter recentiores qui aliter sentiant. Fatentibus omnibus, inquiunt, ille famulus tenetur ex justitiâ obsistere vel dominum monere, quando damnum infertur ab extraneis; ergo à pari et fortiori quando damnum infertur à conservis. 1° *A pari*, quia, cùm suscipitur famulatûs officium, adest tacita obligatio quâ famulus sese obligat ad avertenda damna quæ dominus patitur. 2° *A fortiori*, quia, quò graviora et frequentiora sunt damna, eò major præsumitur intentio domini ut à famulis impediantur: furta quæ committuntur à conservis graviora sunt et frequentiora furtis ab extraneis commissis: ergo. Si tamen ex monitione, nimis grave malum timendum haberet famulus, eo ipso illum excusant auctores, qui præcipuæ adversariorum difficultati sic obviàm eunt.

*Quæres* 4° an custodes vectigalium mulctas non exigentes in iis circumstantiis in quibus exigere possent, ad restitutionem teneantur ergà principem vel ergà dominum, si vectigalia sint locata?

*Resp.* Multi opinantur illos ad restitutionem mulctarum non teneri; nam ad mulctas exigendas non sunt præpositi, sed ad vectigalia percipienda: ex officio igitur mulctas exigere non tenentur, et ideò si illas non exigant, restituere non astringuntur. Sic Vogler, n° 330. Alii è contrario docent præfatos custodes ad restitutionem teneri; eo ipso enim quòd vectigalibus sint præpositi, ea colligere debent ad quæ dominus vel principes jus habent; atqui isti jus habent ad mulctas sicut et ad vectigalia; mulctæ enim sunt sanctio legis: ergo. Et verò mulctæ non solùm rationem pœnæ habent, sed et compensationis damni per fraudes illati, nec non impensarum quas facit gubernium solvendo majorem numerum custodum ut impediat fraudes: ergo. Inter has duas opiniones hæc nobis statuenda videntur:

1° Certum est eos teneri ex fidelitate ad exigendas mulctas, ac proindè peccare non exigendo, nisi rationabiliter præsumant consensum principis sibi favere.

2° Certum est eos teneri ex justitiâ ad exigendas mulctas in quantùm necesse est ad præcavendas fraudes, ac proindè illos teneri ad restitutionem, non qui-

dem mulctarum, sed damni quod exindè obvenire potuit.

3° Probabilius videtur custodes non teneri ex justitiâ ad restitutionem mulctarum, quia non præponuntur ex officio mulctis exigendis, sive quia leges pœnales non instituuntur ad locupletationem publici ærarii, sive quia leges istæ non commensurarentur modicis stipendiis custodum qui nimiùm gravarentur, sive quia principes ex praxi ordinariâ non agnoscunt tale onus in custodibus, vel communi consensu ipsis restitutionem condonant.

*Quær.* 5° an testis restituere teneatur, quandò veritatem in judicio non manifestavit, et sic causa fuit cur damnum illatum non reparetur?

*Resp.* 1°: Si testis scienter et temerariò falsam depositionem emittat, et causa sit cur damnetur innocens, ad restitutionem tenetur. Ille restituere tenetur qui est causa efficax et injusta damni; atqui testis præfatus..; 1° causa efficax; nam ponit actum ex quo sequitur damnum alterius, cùm condemnatio innocentis proveniat ex falsis testium declarationibus; 2° injusta; nam innocens jus strictum habet ne testis falsam depositionem contrà seipsum emittat: ergò.

2° Si testis non fuerit in judicium appellatus, non tenetur ad restitutionem, quamvis illius testimonium esset necessarium ad absolutionem innocentis. Nullus tenetur restituere ex eo quòd non impediat damnum, quandò non tenetur ex justitiâ illud impedire; atqui testis in hâc hypothesi non tenetur; siquidem præter obligationem naturalem, nulla est alia ratio quæ hoc ipsi imponat onus; atqui obligatio naturalis est tantùm charitatis, cùm homines inter se sint æquales: ergò.

3° Si testis legitimè citatus coràm judice non compareat, aut judici interroganti non respondeat, ad restitutionem probabiliter non tenetur. Sic Lessius, Delugo, Vogler, Vasquez, Sporer, Sanchez, etc., alii contrà multos.

*Prob.* Ille non tenetur ad restitutionem qui non violat justitiam commutativam, sed tantùm legalem; atqui testis....; nam tenetur tantùm ex mandato judicis; atqui mandatum judicis non adducit obligationem justitiæ commutativæ, sed tantùm legalis; nam mandatum judicis non potest obligare ex justitiâ commutativâ testem citatum ad ferendum testimonium, nisi in quantum tribuit partibus jus strictum ad testimonium; atqui judex non potest tribuere partibus jus strictum ad testimonium....; nullus potest alteri tribuere jus strictum in meas actiones liberas, nisi priùs habeat dominium in illas; atqui testimonium meum est actio libera, et nullus præter me habet dominium in meas actiones liberas: ergò judex non potest tribuere alteri jus in meum testimonium: ergò..... Et verò officium testis se habet relativè ad aliquem, sicut tutela relativè ad cognatum, et militia relativè ad militem; atqui cognatus qui recusat tutelam quæ ipsi imponitur, et miles qui non vult pugnare, non peccant contra justitiam commutativam, sed tantùm contrà justitiam legalem: ergò.... Prætereà, testis qui recusat comparere aut respondere in foro civili, nunquàm damnatur ad restitutionem; atqui damnaretur si....: ergò. Insuper si testes obligarentur ex justitiâ commutativâ coràm judice comparere, tunc qui ex eorum absentiâ damnum passi fuissent, possent eos cogere ad sibi satisfaciendum; atqui sanè nemo hoc dixit: ergò.... Tandem, si testes testificari tenerentur ex justitiâ, maximè quasi-contractu; atqui non.... Quasi-contractus consensum saltem tacitum ex utrâque parte supponit; atqui non est consensus...., siquidem officium imponitur, sed non acceptatur: ergò.... Undè testis recusans solummodò ad mulctam damnatur ex art. 80 Cod. Instructionis criminalis.

Advertunt tamen plurimi ex his qui hanc opinionem sequuntur, rem aliter èsse dijudicandam, si testis ultrò se offerat vel acceptet officium testis; in hoc casu tenetur ex justitiâ aperire veritatem ratione muneris, ac proindè restituere debet iis quos injusto silentio læsit: tacendo causa est cur is in cujus favorem tenetur dicere non adhibeat alios et sinceriores testes.

*Objicies.* Si jussus proferre scripturam vel alium titulum ad judicium, hæc laceraret aut occultaret, ad restitutionem cogi posset: ergò à pari jussus testimonium afferre in judicium qui fugeret vel taceret?

*Resp. neg. cons. et parit.* Ratio disparitatis est quòd scriptura vel alius titulus sit res externa; porrò de rebus externis respublica potest disponere propter necessitatem publicam, et alteri conferre jus in exhibitionem istorum; secùs verò dicendum est de testimonio quod est actio omninò libera hominis, et à potestate publicâ independens: ergò.

*Quæres* 6° An reus, qui legitimè interrogatus crimen suum negavit, teneatur solvere mulctam, ad quam certò alioquin fuisset damnatus?

*Resp.* Si mulcta, omnibus perpensis, imposita videatur in compensationem damnorum quæ reus intulit per se vel per servos vel per animalia, eam solvere tenetur, alioquin fieret injustitia. Si autem mulcta tantùm decernatur in pœnam delicti, reus ad eam solvendam non obligatur, quia tacendo nullius jus strictum violavit. Ideò ratiocinandum est de illâ pœnâ pecuniariâ sicut de pœnâ corporali: porrò qui pœnam corporalem declinavit etiam per mendacia, non tenetur eam sibi infligere: ergò nec debet reus qui tacendo declinavit mulctam, eam pœnam sibi imponere.

*Quæres* 7° quid si judex absque causâ legitimâ pœnas pecuniarias relaxet?

*Resp.* Si mulcta, ex instituto legis, in vindictam delicti tantùm imponenda sit, judex eam relaxans etiam absque justâ causâ, ad nihil tenetur, quia violavit duntaxat justitiam legalem. Undè nullus est judex qui ejusmodi mulctas restituat, et propterea ad restitutionem damnetur. E contrariò si mulcta applicanda sit læsis in reparationem damnorum quæ isti perpessi sunt, judex eam relaxans absquè legitimâ causâ restituere debet, quia tunc causa est cur indemnes non fiant illi qui jus strictum habent ad indemnitatem obtinendam.

Cæterùm, ut advertit Bouvier, in his et similibus,

confessarius nonnisi cautè restitutionem imponat. Etenim non expedit, quandò æquales ferè sunt hinc et indè rationes sive ab intrinseco sive ab extrinseco, unam opinionem præ aliâ rigorosè observare. Ideò satius erit prudenter minuere restitutionem faciendam, vel amicabilem consulere transactionem, vel denique pœnitentem in bonâ fide relinquere, si præsertim monitio prævideatur inutilis.

### § 3. *De iis qui alterum impediunt à consecutione alicujus boni.*

*Nota I.* Aliquem duplici modo impediri posse à consecutione alicujus boni, scilicet, vel precibus, suasionibus, consiliis, aut aliis mediis in se justis et licitis; vel fraude, dolo, metu, calumniâ, aut aliis mediis in se injustis et illicitis.

*Nota II.* Bonum, cujus consecutio impeditur, debitum esse proximo vel ex justitiâ commutativâ, vel tantùm ex justitiâ distributivâ, gratitudine, benevolentiâ, aut liberalitate illius à quo bonum illud conferri potest. His præmissis, dicimus:

Certum est 1° ad restitutionem teneri illum qui quovis modo, sive metu, fraude, vi, sive precibus, consiliis, suasionibus impedit alterum à consecutione boni ad quod iste *jus strictum* habet. Ratio est quòd violet jus strictum alterius. Etenim agit perindè ac fur, siquidem in moralibus æquiparantur impedire, negare, non dare vel auferre bonum. Undè si impeditus habeat *jus in re* ad bonum à quo arcetur, impediens tenetur restituere totum valorem rei. Si verò impeditus habuerit solùm *jus ad rem* in bonum à quo removetur, impediens tenetur restituere quanti illud jus prudentium judicio æstimabitur. Eo autem sensu intelligenda est impeditio quæ obligationem restituendi secum trahit, ut impeditus sit invitus, quia si liberè impediatur, censendus est juri suo renuntiare, et meritò illi applicatur axioma: *Scienti et volenti non fit injuria.* Hinc restituere tenentur qui vi, mendacio, minis, aut solùm precibus, suasionibus aliquem avertunt à solvendis debitis, damno reparando, re alienâ restituendâ, præstando officio alicui ex justitiâ debito.

Certum est 2° ad restitutionem non teneri illum qui quovis modo sive licito sive illicito, id est, sive vi, metu, fraude, sive precibus, consiliis, impedit alterum à consecutione boni ad quod iste jus strictum non habet et quod non potest consequi absque injustitiâ. Ratio est quia, etiamsi utatur viis injustis, non lædit jura alterius ratione boni à quo ille arcetur, siquidem nullus jus strictum habet ad bonum quod consequi non potest absque injustitiâ.... Hinc qui per mendacium aut calumniam furem avertit à furto, ad restitutionem non tenetur. Attamen calumniam aut detractionem ex justitiâ retractare debet.

Certum est 3° ad restitutionem pariter non teneri illum qui alterum quovis modo sive licito sive illicito impedit à consecutione boni quod iste quidem obtinere potest sine injustitiâ, sed non sinè peccato, si peccatum cadat in substantiam rei, v. g., in meretricio. Ratio est quia tunc non lædit jura alterius; nemo quippè jus strictum habet ad opus essentialiter malum. Hinc qui consilio vel fraude impedit meretricem à lenocinio exercendo, hoc lucrum illi solvere non tenetur.... Ita Vogler, n. 379, 382.

Nunc quæstio in eo tota est, an impediens alterum à consecutione boni ad quod jus strictum non habet, sed quod legitimè consequi potest, ad restitutionem teneatur. *Respondetur.* Vel impediens utitur viis injustis vel viis justis.

Si prius, impediens tenetur ad restitutionem *secundùm proportionem spei.* Etenim vis, metus, fraudes cadere possunt vel in eum qui bonum consecuturus erat, vel in eum à quo bonum illud sperabatur; atqui in utroque casu existit obligatio restituendi.

In 1° casu, quia quisque jus strictum habet ut non privetur libertate petendi, prosequendi et consequendi bonum; porrò impediens viis injustis alterum à consecutione boni, privat eum aliquo modo libertate quam habet à naturâ prosequendi, petendi, ac proindè jure suo....: ergò....

In 2° casu, quia unusquisque jus strictum habet, non quidem ut alter ipsi conferat beneficia, sed ut possit ea ab illo sollicitare si velit, et collator ipsi concedendi liber maneat, siquidem voluntas donatoris est pretio æstimabilis; porrò jus illud ipsi aufertur quandò cadit vis in collatorem: ergò.... Dixi, *secundùm proportionem spei;* non tenetur ad æquale, quia jus speratum non tanti valet quanti jus obtentum, sive quia illud bonum multipliciter impediri potest, sive quia sæpiùs impensæ sunt faciendæ ad illud obtinendum.

Si posterius, impediens non tenetur ad restitutionem. Obligatio restituendi oritur ex violatione justitiæ commutativæ; atqui in hâc hypothesi non violatur justitia commutativa, siquidem preces, blanditiæ, suasiones, non lædunt libertatem ejus qui bonum prosequitur, nec illius qui bonum concessurus est: ergò.... Et verò in tantum restituere teneretur, in quantum alteri auferre aliquid quod illius sit; atqui ille nihil aufert alteri quod illius sit; quidnam enim ipsi auferret quod illius esset? Nùm bonam voluntatem collatoris? sed bona voluntas collatoris ipsi non est propria, cùm collator possit eam ad nutum suum mutare. Nùm spem quam acceperat, bonâ voluntate collatoris suppositâ, illud bonum consequendi? sed illa spes non est ipsius bonum proprium, ipsi solùm commodatur, cùm ea pendeat à perseverantiâ benefactoris in suâ bonâ voluntate, quam ipse mutare potest ad nutum suum.

Non obstat 1° *Quòd alter statuerat donare;* nam illa determinata voluntas alteri jus strictum non confert; sicut is absque donatarii injuriâ suam poterat mutare voluntatem, ità alter absque illius injuriâ potest eum inducere ad hanc mutationem voluntatis.

Non obstat 2° *Quòd id fiat animo nocendi, ex odio aut vindictâ;* quia affectus internus non facit quòd opus exterius sit injuriæ illativum, quandò ex se aut ex circumstantiis non est injustum. Sic judex con-

demnans secundùm ordinem juris reum ad mortem, ex odio tamen, non peccat contra justitiam, quia hæc condemnatio non est ex se et in hâc circumstantiâ læsiva juris alieni, cùm iste reus juridicè convictus amiserit jus ad vitam. Sic qui recusat eleemosynam animo nocendi graviter indigenti non peccat contra justitiam, quia hæc recusatio non est læsiva juris alieni, cùm eleemosyna non sit debita ex justitiâ. Sic qui diffamatum notorietate juris aut facti ulteriùs diffamat, non peccat contrà justitiam, quia iste diffamatus amisit jus ad famam. Similiter in nostro casu, qui viâ non injustâ impedit alium à consecutione boni ipsi ex justitiâ non debiti, etiamsi id faciat animo nocendi, non peccat contrà justitiam, quia ista actio impeditiva in his circumstantiis non est læsiva juris alieni, cùm impeditus supponatur non habere jus strictum ad illum bonum.

Inferendum est 1° peccare contrà justitiam ac proindè ad restitutionem teneri, 1° illos qui vi, fraude, aut mendaciis testari volentem impediunt, avertendo notarios et testes, aut vanâ spe sanitatis moribundum distrahendo, ne testamentum vel legata faciat in favorem alterius. 2° Illos qui mendaciis, calumniis et falsis criminationibus impediunt ne opifices, mercatores et famuli artem suam exercere possint, et indè lucrum conveniens reportare. 3° Illos qui subtractis et interceptis litteris commercii ad alium scriptis, loco istius merces demandatas suppeditant cum detrimento alterius cui abstulerunt occasionem lucri. 4° Illos qui falsis titulis vel simulatis obsequiis ab aliquo extorquent pecunias, munera vel legata. 5° Illos qui, ut se vel suas res magis extollant, injustè deprimunt alios vel eorum merces aut officinas aut opera, sicque causa sunt cur alter damnum patiatur.

Inferendum est 2° contrà justitiam non peccare ac proindè ad restitutionem non teneri 1° illos qui sine vi, fraude, mendacio, sed solis precibus vel obsequiis vel consiliis aliquem avertunt ab instituendo tali hærede vel legatario. 2° Illos qui prælatis aut aliis superioribus detegunt occulta alicujus crimina, ut (quod aliàs fieret) beneficium aut officium magni momenti indigno non conferatur. 3° Illos qui sine vi, mendaciis et machinationibus injustis dignum aut digniorem impediunt, *extrà concursum*, à consecutione beneficii aut officii, etiamsi emoventur invidiâ vel odio, quia, cùm ad hæc non habeant jus strictum, non violatur justitia commutativa.

## CAPUT III.

### DE VARIIS RESTITUTIONIS CIRCUMSTANTIIS.

Præcipuæ restitutionis circumstantiæ spectant vel solidaritatem et ordinem eorum qui restituere tenentur, vel personam cui restituendum est, vel denique locum, tempus et modum quibus fieri debet restitutio. Hinc tres articuli.

### ARTICULUS I.

#### DE SOLIDARITATE ET ORDINE EORUM QUI RESTITUERE TENENTUR.

I. *De solidaritate.*

Obligatio solidaris seu in solidum ea est quâ singuli cooperatores tenentur restituere pro cæteris cooperatoribus qui nolunt aut nequeunt restituere, salvo tamen eorum recursu contrà illos qui primariò aut æqualiter ad restitutionem tenentur. Exempli gratiâ, tres ad damnum 300 aureorum ità concurrunt ut singuli censeantur causæ efficaces totius damnificationis: tunc unusquisque primariò suam partem, nempè 100 aureos, restituere tenetur; sed secundariò, deficientibus cæteris cooperatoribus, partes ab iis non solutas, nempè 200 aureos, supplere debet. Quòd si unus tantùm ex tribus cooperatoribus non possit aut nolit restituere, duo alii qui eodem ordine et eâdem proportione in damnum influxerunt, debent unusquisque 150 aureos. Hæc solutio non impedit quin alter nolens aut non valens restituere, ab obligatione suæ partis solvendæ non eximatur, cùm in eum servent recursum illi qui partem ejus restituerunt.

*Quæres.* Quandonàm damnificantes, in solidum seu loco aliorum cooperatorum qui restituere nolunt aut nequeunt, restituere teneantur?

*Resp.* Omnes conveniunt singulos damnificantes, quandò illi seorsìm et absque mutuâ cooperatione concurrerunt ad damnum alteri inferendum, non teneri nisi ad restitutionem partis suæ cooperationi correspondentis; in tantum enim tenentur in quantum influxerunt in damnum; atqui in præfatâ hypothesi unusquisque è damnificantibus tantùm influxit in partem damni illati: ergò. Hinc si viatores, unus post alium, vincam secùs viam positam depopulati sint, singuli tenentur tantùm ratione partis quam abstulerunt.

Si verò damnificantes conjunctìm et mutuâ cooperatione concurrerunt ad damnum alteri inferendum, tres fingi possunt hypotheses: vel unusquisque posuit actionem injustam per se sufficientem ad damnum inferendum, v. g., in homicidio tres lethaliter hominem percusserunt; vel unusquisque ità concurrit, ut deficiente ipsius concursu, damnum non fuisset illatum ab aliis cooperatoribus, v. g., duo asportant marmoream statuam quam unus solus auferre non potuisset; vel unusquisque ità concurrit, ut, deficiente ipsius concursu, damnum nihilominùs illatum fuisset, v. g., tribus ad auferendam trabem paratis et sufficientibus quartus se jungit et cum ipsis trabem æqualiter trahit.

*In primâ hypothesi*, unusquisque tenetur in solidum ad restitutionem totius damni, quia unicuique imputari potest totum damnum, siquidem unusquisque posuit causam efficacem totius damni.

*In secundâ hypothesi*, unusquisque similiter tenetur in solidum ad restitutionem totius damni, quia unusquisque influit efficaciter in totum damnum, cùm unusquisque posuit actum determinativum totius damni, scilicèt actum necessarium ut totum damnum inferatur.

*In tertiâ hypothesi*, magna lis est inter theologos. Multi affirmant singulos ad totum pro aliis in solidum teneri, alii verò negant. Nobis distinguendum videtur inter eos qui suâ cooperatione physicâ vel morali ali-

quid cæteris cooperantibus addunt audaciæ, constantiæ, industriæ, fiduciæ, et eos qui suâ participatione nihil addunt animi, perseverantiæ, securitatis, adeò ut se habeant relativè ad executionem damnificativam, perindè ac si non essent.

Priores tenentur in solidum ad restitutionem totius damni. Illi tenentur in solidum ad restitutionem totius damni qui reverà influunt in totum damnum; atqui ità præfati cooperatores, siquidem, auferendo communi conspiratione, v. g., tabulam, candelabrum, capsam nummariam, agunt veluti individuum collectivum, una persona moralis, agens unicum : ergò. Et verò absurdum est dicere pejorem fieri conditionem illius qui damnum patitur, præcisè eo quòd numerus damnificantium sit major quàm requiritur ad damnum inferendum, atqui reipsà fieret pejor..... Nam si minor sit numerus damnificantium, dominus recursum habet in singulos ad totius damni reparationem, dùm si major sit numerus damnificantium, habet tantùm jus exigendi ab unoquoque reparationem partis damni : ergò. Prætereà qui communi conspiratione, operâ et consensu damnum sic inferunt, censentur promisisse solidaritatem. Insuper ea semper fuit praxis tribunalium civilium, ut defectu aliorum unusquisque ad totius damni reparationem condemnaretur. Sic art. 55 Codicis pœnalis.... Ratio ulterior hujusce decisionis hæc est : Prædicti cooperatores influunt in damnum, prout causæ totales, si non physicè, saltem moraliter.

Posteriores probabiliter non tenentur in solidum ad restitutionem totius damni. Namque principium est in materiâ justitiæ mensuram restitutionis desumendam esse ex efficacitate influxûs causæ in damnum; ex quo principio admittunt omnes eum, qui dat consilium furandi 200 nummos personæ determinatæ ad furandum 100, non teneri nisi ad restituendum 100; atqui in casu proposito cooperans dici non potest causa efficax totius damni : 1° neque physicè; cuique patet eum non esse causam physicam nisi partis damni ipsius influxui proportionatæ; 2° neque moraliter, cùm ex communi hominum æstimatione nemo conqueri possit de tali cooperatore, tanquàm causâ totius damni. Sicque enim præfatus cooperator responderet : Fui causa partis damni, sed non totius damni; egi sicut ille qui dat consilium personæ determinatæ ad furandum : ergò.... Et verò ex decisione adversariorum sequeretur quemlibet gregarium militem exercitûs, qui, junctis viribus, grave damnum intulisset urbi, provinciæ, regno, et eum qui furi ad furandum obfirmatissimo debilissimum suggessisset motivum, ad restitutionem totius damni in solidum teneri; atqui nimis dura et rigorosa plerisque videntur illa consectaria. Ipsimet adversarii, saltem inter mitiores, ea admittere nolunt et in praxi urgeri recusant : ergò... Ratio ultima hujus decisionis est quòd influxus causæ sit ità tenuissimus in totum damnum, ut vix censeatur influxisse, ac proindè totum damnum ei adscribi moraliter non possit.

Utile valdè esset nunc scire quandonàm damnificatores suâ cooperatione physicâ vel morali aliquid cæteris cooperantibus addunt audaciæ, constantiæ, industriæ, fiduciæ, adeò ut ipsi censeantur motores efficaces totius damni. Non datur instrumentum quo gradus influxûs in cooperationem alterius absolutè appretiari possit; ea tamen afferri solet regula generalis : *Cooperatores sunt verè motores efficaces aliorum, quandò erga illos funguntur munere vel mandantis, vel consulentis, vel consentientis, vel palponis, vel receptantis.*

Hinc communiter latrones qui, factâ priùs societate, expugnant et diripiunt domum, sunt sibi invicem motores efficaces, nempè receptantes, quia sibi invicem præstant fiduciam et facilitatem; nullus auderet nec posset hoc damnum inferre sine ope aliorum. Item præstans instrumenta, excubias agens, scalam tenens, quia augent animum et dant facilitatem. Item qui mutuo consilio inferunt damnum aliquod, quia sibi invicem sunt consulentes. Item qui ordiuntur et dirigunt tanquàm duces vel partes principales actionem damnificativam communi conspiratione exequendam. Secùs verò sentiendum est de illo qui, decursu operis incœpti, aliis agentibus et sufficientibus se jungit, vel ità remotè influit, ut illius influxus pro nihilo reputari debeat.

II. *De Ordine.*

Ordo inter restituentes servandus in hoc consistit quòd aliqui restituere teneantur primariò et absolutè, non verò defectu alterius, alii autem tantùm secundariò et defectu alterius; ità ut si restituerit ille qui primariò tenebatur restituere, cæteri ad nihil teneantur, et si qui secundario tenebatur restituerit, ipsi restituere debeat ille qui primariò obligabatur.

*Quær.* quis ordo servandus sit inter eos qui restituere debent?

*Resp. Nota* 1° ad hanc quæstionem elucidandam maximè attendendum esse ad modum quo causæ damnificativæ in damnum influunt, atque ad illius influxûs majorem vel minorem efficaciam.

*Nota* 2° causas damnificativas alias esse principales quæ alias movent ad damnum alteri inferendum, utì mandans; alias secundarias quæ à principalibus moventur, utì exequens; alias collaterales quæ influunt eodem modo, sed nec per alias agunt nec aliarum sunt instrumenta, v. g., consulens, consentiens.

*Nota* 3° Eamdem causam posse simul esse principalem, secundariam et collateralem. Supponantur tres executores actionis damnosæ : unus potest esse causa secundaria respectu mandantis, principalis respectu aliorum participantium, et collateralis respectu aliorum exequentium.

His positis, vel damnificantes eodem modo influxerunt in damnum vel diverso.

Si prius, cooperatores hujusce generis, v. g., si plures sint mandantes, vel consentientes, vel exequentes, æqualiter restituere debent, si æqualiter in damnum influant; et inæqualiter, si inæqualiter damnum causent. Nam quantitas restitutionis determinanda est ex gradu influxûs; atqui in primo casu influxus est æqualis, et in secundo inæqualis : ergò. Gradus in-

fluxûs determinatur ratione partis quam habuisset cooperator si præda distributa fuisset; damnificantes enim ordinariè accipiunt partem suo influxui proportionatam.

Si posterius, vel actio damnificativa fuit cooperantibus lucrativa, v. g., furtum; vel simpliciter damnificativa, v. g., incendium.

Si prius, ille qui rem accepit ut eâ frueretur, illam vel æquivalens restituere tenetur ante omnes alios, quia *res clamat domino*. Quòd si rem in malâ fide consumpserit vel destruxerit, etiamsi ditior non evaserit, præ cæteris nihilominùs restituere tenetur, quia rem consumendo et destruendo novam commisit injuriam ex quâ nullam utilitatem percipere debet. E contrà, si rem in bonâ fide accepisset et consumpsisset, ad nihil teneretur, quia nullam commisit culpam: tunc deficiente rei detentore, tenentur cæteri juxta ordinem mox exponendum.

Si posterius, id est, si actio fuerit simpliciter damnificativa, reparatio hoc ordine facienda est:

*Primo loco*, mandans tenetur ad totum damnum resarciendum. Ille tenetur ante alios qui est causa primaria et principalis damni respectu cæterorum; atqui ità mandans; siquidem ejus nomine et auctoritate illatum fuit damnum, ità ut cæteræ causæ ipsi subordinatæ fuerint tanquàm instrumentum: ergò. Hìc nomine mandantis intelligendus est ille qui vi, metu, minis, fraudibus, precibus, consiliis aut aliis mediis aliquem movet ad damnum alteri inferendum; hæc enim omnia mandato æquivalent.

*Secundo loco*, seu defectu mandantis, exequens totum restituere debet, adeò ut cooperatores subsequentes, ipso restituente, ad nihil teneantur. Ratio est quia ille damnum infert mandantis nomine, ac proindè post jubentem est præcipua damni causa, respectu cooperatorum qui mediatè tantùm damnum inferunt et ejus arbitrio subordinantur: ergò. Id autem intelligendum est de exequente qui suo nomine vel mandantis auctoritate agit; nam si plures simul consilium inferendi damnum iniissent; et unus nomine omnium illud inferret, ipse non teneretur ante alios: tunc enim omnes æqualiter influunt in actionem damnificativam, siquidem damnum infertur nomine societatis cujus sunt membrum.

*Tertio loco*, seu deficientibus prioribus, cæteræ causæ positivæ, nempè, consentiens, palpans, receptans et participans in actione injustâ, restituere tenentur. Illæ causæ tertio loco restituere tenentur quibus subordinantur causæ negativæ; atqui causæ negativæ subordinantur causis positivis: nam causæ negativæ tacent, non obstant, non manifestant pro commodo causarum positivarum, ut istæ faciliùs obtineant suum effectum: ergò. Sed istæ non tenentur aliæ ante alias, quia ex illis una non servit alteri. Aliæ agunt independenter ab aliis; sic consulens non agit per consentientem, nec consentiens per palponem aut receptantem: nulli ergò potest primariò imputari damnum.

*Quarto loco*, seu post omnes causas positivas, causæ negativæ restituere tenentur, quia minùs quàm causæ positivæ in damnum influunt; causæ quippè positivæ propinquiùs et efficaciùs proximo nocent: ergò. Inter istas tamen causas nullus ordo videtur communiter admittendus; namque ibi nullus ordo ubi nulla causa pro aliâ agit, atqui nulla causa negativa agit pro aliâ similiter negativâ: ergò. Dixi, *communiter;* fieri enim potest ut quis primariò teneatur verbis aut actibus obstare, rerum manifestare; tuncque evidenter tenetur ante alias causas negativas; sic custos specialis tenetur ante custodem generalem pro damnis quæ non impedivit in rebus sibi specialiter commissis, cùm potuit impedire.

*Corollaria.*

I. Cor. Si causæ superiores totum damnum reparaverint, causæ inferiores ab omni obligatione liberantur; ratio est quia causæ subsequentes non tenentur nisi defectu aliarum. Hinc si restituerit possessor rei, ad nihil tenebitur mandans; si reparaverit mandans, liber erit exequens, etc. Si verò causa inferior repara verit, causæ superiores tenentur singulæ in solidum servare indemnem causam inferiorem; hæc enim non tenetur nisi deficientibus superioribus. Dixi, *in solidum*, quia ante restitutionem læsus jus habebat exigendi ab unâquâque causâ superiori restitutionem in solidum; porrò causa inferior quæ restituit, successit omnibus juribus illius qui fuerat læsus: ergò jus habet ad restitutionem solidariam à quâlibet causâ superiore.

II. Cor. Si condonatio facta fuerit in gratiam causarum superiorum, ad nihil evidenter teneri possunt inferiores, quia causæ inferiores non tenentur nisi defectu superiorum... Si verò facta fuerit tantùm in gratiam causarum inferiorum, exindè non possunt liberari causæ superiores quia priores in condonatione non includuntur, cùm teneantur independenter à posterioribus... Si autem condonatio facta fuerit ergà quasdam causas solummodò collaterales, aliæ causæ etiam ejusdem ordinis tenentur ad restituendum, non quidem partem condonatam, sed quod, illâ parte detractâ, superest; ratio quia singuli suas partes strictè et absolutè restituere debent: ergo remissio potest fieri uni quin simul aliis fiat.

## ARTICULUS II.

### CUINAM PERSONÆ FACIENDA SIT RESTITUTIO.

Tria hìc inquiri possunt: 1° cui restituenda sint bona certa, seu quorum certus est dominus; 2° cui restituenda sint bona incerta, seu quorum dominus ignoratur; tandem cui ex creditoribus restituendum sit, quandò bona debitoris non sufficiunt omnibus debitis persolvendis. Hinc tres paragraphi.

### § 1. — *Cui restituenda sint bona certa.*

Bona certa illi à quo injustè accepta sunt, vel ei qui in istius jura successit, communiter sunt restituenda: nam restitutio fieri debet ei qui injuriam passus est; atqui injuriam passus est ille à quo bona injustè accepta sunt... vel is qui in istius jura successit, siquidem unicam cum defuncto efficit personam: ergo.

Dixi 1° *illi à quo injustè accepta sunt.* Bona certa injustè subripi possunt vel legitimo domino vel justo possessori. Si legitimo domino subrepta sunt, ipsi clamant. Satis est tamen ad debitam restitutionem ut res alicujus remittatur ipsius administratori aut ejus negotia gerenti, modò ille admoneatur et nihil obstet ne fortè res ad dominum suum sit perventura Si autem bona ablata sint justo possessori, eidem restituenda sunt, etsi ille non sit dominus, quia jure possessionis injustè privatus est. Quare si res ablata sit depositario, locatario, commodatario, debet istis restitui; alioquin enim prædicti venirent in suspicionem negligentiæ in servandis rebus sibi commissis; sicque exponerentur periculo vel pretium laboris sui amittendi, vel officinam brevi desertam videndi, vel etiam quandoque domino rem iterùm solvendi.

Dixi 2°, *vel ei qui in illius jura successit;* quia personam defuncti repræsentat. Si defunctus per testamentum de omnibus bonis suis disposuerit, iis reddenda sunt bona, in quorum gratiam testamentum ritè factum est; si defunctus absque testamento decesserit, bona iis tribuenda sunt qui lege fiunt hæredes; si denique mortuus fuerit absque hæredibus à testamento vel à lege, bona fisco cedunt, art. 539.

Dixi 3°, *ordinariè loquendo*, quia nonnullæ dantur exceptiones; si enim ille cui res injustè ablata fuit, sit incapax administrationis bonorum suorum, vel minor, interdictus, uxor, cessor bonorum, res tutori, vel marito, vel creditoribus deferenda est. Aliquandò etiam præstat restitutionem fieri uxori sapienti vel liberis reservari quàm tradi conjugi decoctori et flagitioso.

Cæterùm parvi refert an restitutio fiat domino vel possessori, quandò neuter nihil damni indè passurus est.

### § 2. — *Cui bona incerta restituenda sint.*

Bona incerta sunt duplicis generis, alia justè acquisita, alia injustè acquisita. Justè acquiruntur, quandò legitimo contractu et bonâ fide accipiuntur, v. g., si quis ab ignoto mercatore decem ulnas panni accipiat pro quinque quarum solvit pretium. Injustè acquiruntur quandò ex furto vel usuris vel similibus viis proveniunt.

1° Bona incerta justè acquisita, post adhibitam diligentiam moralem ad dominum inveniendum, haberi possunt ut res inventæ quarum dominus non invenitur. Etenim res inventæ illæ sunt quæ ab aliquo nolente perditæ sine injustitiâ formali possidentur et ignotum habent dominum; atqui bona incerta justè acquisita absque injustitiâ formali possidentur et ignotum... : ergò judicandum est de illis sicut de rebus nuper amissis; porrò res amissæ nuper inventæ reddi debent domino, si adhibitâ sufficienti diligentiâ is inveniatur, vel pauperibus aut piis causis applicari, si ille non possit inveniri : ergò pariter bona incerta reddi debent domino si inveniri possit, vel in pias causas impendi si non possit inveniri.

2° Bona incerta injustè acquisita quorum dominus inveniri non potest, in pias causas impendenda sunt. Sic est voluntas domini benè præsumpta ut ea bona in pios usus impendantur; alioquin fraus istis malæ fidei acquisitoribus patrocinaretur : ergò. Si tamen dominus saltem in confuso cognoscatur, v. g., si damnum uni è duobus vel pluribus fuerit certò illatum, nec cognosci possit cuinam in particulari restituendum sit, tunc res vel omnibus in communi tradenda est, si id fieri possit, vel inter eos pro ratione dubii dividenda.

### § 3. — *Cuinam facienda sit restitutio, quando debitor est impar ad omnia sua debita solvenda.*

*Quæres* 1° quid debitor facere teneatur, si ipsius bona non sufficiant ut omnibus creditoribus debita sua solvat?

Antè responsionem sciendum est creditores alios esse privilegiatos, alios hypothecarios, alios communes. Privilegiati sunt illi qui ex legis positivæ privilegio jus habent ut ante alios solvantur, art. 2093. Hypothecarii ii sunt qui ex titulo hypothecæ seu assecurationis in bonis debitorum fundatæ jus habent ut solvantur immediatè post creditores privilegiatos, ut satis constat ex art. 2094, 2095. Communes seu merè chirographarii illi sunt qui jus non habent neque ex lege neque ex hypothecâ, ut præ aliis solvantur; his ante definitis.

*Resp.* Vel res aliena existit in propriâ specie apud debitorem, vel non existit.

Si prius, res domino reddenda est; ipsa domino clamat. Et verò non licet solvere debita cum rebus alienis. Undè res depositæ, commodatæ, locatæ, reddendæ sunt dominis, quæcumque sint cæteræ debitoris obligationes et quæcunque sint jura aliorum creditorum. Nonnulli hanc doctrinam extendunt etiam ad casum quo debitor ex alieno factus est ditior, et res aliena tantùm æquivalenter exstat. Sed alii communiter hoc rejiciunt, et meritò quidem; 1° quia hìc non applicatur eadem ratio, cùm, re non extante, pretium est in dominio debitoris; 2° quia, hoc admisso, inquirendum esset quænam objecta exstent in æquivalenti. quod est inauditum et in praxi moraliter impossibile.

Si posterius, id est, solutâ re alienâ, is ordo servandus est inter creditores.

*Primo loco*, solvendi sunt creditores privilegiati, servato ordine non temporis, sed causæ et naturæ privilegii, et, si concurrant privilegia ejusdem generis, pro ratâ parte debiti unicuique creditori obvenientis, art. 2093, 2095, 2097. Porrò privilegia alia fundantur super omnia aut tantùm quædam mobilia, art. 2101, 2102, alia super immobilia, art. 2103, alia super mobilia simul et immobilia, art. 2104, 2105.

*Secundo loco*, solvendi sunt creditores hypothecarii, servato ordine non temporis hypothecæ, sed ejus inscriptionis in tabulis conservatoris hypothecarum, exceptis tamen hypothecis legalibus uxorum, minorum, etc, quæ inscriptione non indigent, et computantur à die quâ constitutæ censentur, ut videre est in art. 2134 et 2135. Quòd si hypothecæ eâdem die inscribantur, nullus inter eas servatur ordo, sed creditores jus æquale habent pro ratâ parte debiti, absque

ullâ distinctione inter serotinas et matutinas inscriptiones, art. 2147.

*Tertio loco*, solvendi sunt creditores communes seu qui nullum jus prælationis habent ut præ aliis solutionem accipiant, art. 2093. Jam verò inter creditores communes, alii sunt priores tempore et alii recentiores, alii ex contractu et alii ex delicto, alii ex titulo oneroso et alii ex titulo gratuito, alii pauperes et alii divites, alii denique certi et alii incerti. An verò aliquis ordo servandus sit inter illos? interroganti satisfit subsequentibus responsis.

*Petes* 1° an creditores anteriores præferendi sint posterioribus?

*Resp. neg...* Plerique Theologi sentiunt nullum ordinem temporis servandum esse inter priores et posteriores creditores, tùm quia nulla lex prælationem assignat inter hujusmodi debita, tùm quia sententia opposita viam aperiret fraudibus, cùm facillimum sit decipere circà veram unius debiti epocham, tùm quia creditor qui media debitum assecurandi per hypothecam non assumpsit, sibi imputare debet si damnum patiatur.

*Petes* 2° an creditores ex contractu solvi debeant antè creditores ex delicto?

*Resp.* Opinio communior tenet nullum inter illos creditores instituendum esse ordinem : sic Lessius, lib. 17, c. 15; Vogler, n. 448; Billuart, etc. Si quæ prælatio admittenda esset, fundaretur vel jure civili vel jure naturali; atqui neutro : 1° non civili; lex civilis de illâ prælatione non loquitur, et judices contrariam dispositionem sequuntur; 2° non naturali; ibi adest æqualis obligatio restituendi, ubi æqualiter læditur justitia commutativa; atqui non minùs violatur justitia commutativa, si debitum ex contractu non solvatur, quàm si debitum ex delicto retineretur, et vice versâ : ergo. Hinc dividendum est pro ratâ parte unicuique tribuendâ.

*Petes* 3° an creditores ob titulum onerosum anteponendi sint creditoribus ob titulum gratuitum?

*Resp. affirm.* Debitor tenetur priùs solvere debita ex contractu oneroso, si in hâc hypothesi non teneatur solvere debita ex titulo gratuito; atqui ità . . . . . nam illa debita tantùm innituntur promissione liberè factâ et validâ; atqui non obligat illa promissio. Tempore enim quo facta est, vel debitor jam impar erat debitis suis extinguendis, vel poterat suis obligationibus satisfacere. Si 1°, evidenter nulla est; nam ex omnium consensu non obligat promissio quæ adimpleri non potest absque peccato et detrimento alterius; atqui promissio quam fecit debitor executioni demandari non potest absque peccato et injuriâ alterius in præsenti casu. Si 2°, pariter promissio non obligat; nam in quàlibet promissione subaudienda est illa conditio : *Sinè præjudicio tertii;* vel illa : *Rebus in eodem statu remanentibus ;* ergo .... Excipe tamen, si post donationem de præsenti factam et acceptatam constituerentur debita, quia res legitimè data in donatarii dominium transit.

*Petes* 4° an creditores pauperes solvendi sint antè creditores divites?

*Resp. negat., nisi sint in extremâ necessitate positi.* Nam illi priùs non est restituendum qui nullum jus prælationis habet; atqui pauper nullum jus prælationis habet. Jus enim divitis tam strictam est quàm jus pauperis, siquidem justitia commutativa non attendit ad personas. Dixi, *nisi sint in extremâ necessitate;* nam in eo casu pauper habet jus strictum ad bonum; atqui bonum restituendum est ei qui habet ad illud jus strictum : ergo.

*Petes* 5° utrùm creditores certi incertis præferri debeant?

*Resp.* Dubium potest cadere vel in debitum vel in creditorem.

Si primum, scinduntur Theologi. Quidam enim ex recentioribus docent non esse anteponenda debita certa; cùm enim, inquiunt illi, dubium cadat in summam totalem, eo ipso adest certitudo quoad partem pro ratâ dubii. Alii, et quidem communiter, tenent anteponenda esse debita certa : namque satius est evitare injustitiam certam quàm incertam; undè potiùs indemnis servandus est is cui certò debetur, quàm ille cui forsan nihil debetur. Existimamus tamen aliquid creditori dubio ratione dubii tribuendum esse; quia sufficere debet ad inducendam obligationem restituendi, etiam concurrente debito certo, certitudo quæ sufficit ad eamdem obligationem imponendam extrà concursum debiti certi.

Si secundùm, id est, si dubium cadat in creditorem, non magis concordant Theologi : alii cum Tournely docent creditores certos anteponendos esse incertis; idque probant 1° *voluntate domini benè præsumptâ.* Illa voluntas in creditore præsumenda est quæ pia est et utilis; atqui ità voluntas creditoris incerti ut præferatur certus; pia est, cùm debitori subveniat et impediat ne incommodis gravetur ex impotentiâ orituris; ipsi utilis est, cùm, si nunc non exigat ut pars sibi obveniens pauperibus pro solutione impendatur, jus ad solutionem servet, et propterea, si appareat, ipsi restitutio fiet : ergo .... 2° *Naturâ debiti*, tum quia obligatio creditori incerto solvendi litigiosa est, cùm rationibus ferè inextricabilibus et à plurimis non infimæ notæ Theologis impugnetur, tum quia minus malum est damnum inferri personæ indeterminatæ quàm determinatæ; ergo.... Alii post Billuart contrà sentiunt non esse anteponendos creditores certos incertis, quia creditores incerti habent jus strictum ut non anteponantur certi, et de jure suo non cedunt. 1° *Habent jus strictum;* nam creditores ignoti æquale jus habent ac creditores noti; ex hoc enim quòd inveniri nequeant non amittunt aliquid sui juris : ergo. 2° *De suo jure non cedunt;* nulla subest ratio illud præsumendi; isti certè præferunt tanquàm magis ipsis utile ut pauperibus erogentur vel in pias causas impendantur res propriæ quæ ad ipsos pervenire non possunt : ergo; aliundè : ergo. Hæc secunda sententia, utpotè communior et probabilior, est ordinariè admittenda. Dixi *ordinariè*, quia forsan applicari posset prior opinio, ubi ageretur de casu quo creditores certi pati de-

berent gravissimum damnum, nisi reciperent integram debiti solutionem.

Concludes ex his omnibus responsionibus omnes creditores communes, quicunque sint, exceptis tamen creditoribus ex promissione gratuitâ, solvendos esse absque ullâ distinctione juxtà partes proportionales debiti, ità ut ille cui plus debetur, sic etiam plus recipiat.

*Quæres* 2° utrùm debitor ad debita sua jam impar, integrum debitum uni præ aliis solvere, et creditor ab eo accipere sinè injustitiâ possit?

*Resp.* Vel creditor jus prælationis habet, vel non.

Si prius, debitor potest et debet illi integrum antè alios debitum solvere, etiamsi indè fiat impar cæteris debitis solvendis. Ità statuunt leges civiles quæ ab omnibus Theologis habentur tanquàm in conscientiâ obligantes.

Si posterius, vel bonorum cessio jam fuit declarata, vel non.

Si declarata fuit bonorum cessio, gallicè *faillite*, certum est neque debitorem uni creditori præ aliis solvere, neque creditorem solutionem oblatam accipere posse. Ratio est quia jam ab eo tempore debitor, suo dominio, quod valdè controversum fuit, saltem administratione rerum suarum privatur, juxtà art. 442 Cod. com. Ex quo irriti sunt pleno jure omnes actus quos eliceret debitor circà bona sua post declarationem cessionis; ideòque creditores ab ipso solutionem etiam oblatam accipere non possunt. Hæc legis dispositio solos negotiatores spectat, quia non parùm expedit bono publico, ut ii strictioribus teneantur legibus quàm cæteri; quocircà debitor commercio alienus, quandò debitis suis solvendis impar est, non ideò spoliatur administratione bonorum suorum; nulla etiam admittitur præsumptio legalis fraudis pro actibus quos iste elicere potest, licet fiant intrà decem dies qui præcedunt decoctionem; undè illi applicandus est tantùm art. 1167 Cod. civ., quo irritari possunt actus in quibus probatur adfuisse fraudem.

Si bonorum cessio non fuit declarata, quæstio longè difficilior evadit. Ut eam solverent, veteres Theologi in varias abierunt distinctiones. Nobis magis placuit eam expendere ex legum dispositionibus. Cuique eas legenti hoc resiliet principium, nempè legem, in quantum potest bonæ fidei favere, et adversari fraudibus. Hinc videntur inutiles veterum Theologorum distinctiones. Pro praxi hæc breviter statuimus, sivè quoad debitorem, sive quoad creditorem.

1° *Quoad debitorem.* Vel debitor est in bonâ fide, seu putat se parem esse ad omnia debita solvenda, vel in malâ fide, seu cognoscit certò se imparem esse, vel dubius est.

Si 1° debitor, generatim loquendo, petenti solvere et etiam non petenti solutionem offerre potest, quia tunc nullâ ratione impeditur à restitutione faciendâ: imò bonum publicum exigit ut id possit debitor, quotiès versatur in eâ opinione se posse aliis æqualiter restituere; alioquin solutiones debitorum difficiliùs obtinerentur, et sic languesceret commercium. Dixi, *generatim loquendo*, quia quidam actus à debitore intrà decem dies quæ præcedunt cessionem initi, etiamsi facti fuerint cum bonâ fide, pleno jure irritantur, art. 443, 445, 446 Cod. comm.

Si 2°, debitor non potest solvere creditori jus prælationis non habenti, etiamsi illius debitum foret exigibile, quia tunc solvendo injuriam faceret cæteris creditoribus qui jus habent ad partem proportionatam ex bonis quæ debitori decocto supersunt. Quare multi opinantur debitorem in his angustiis teneri vel simpliciter dicere se non posse solvere, vel suam malam fortunam aperire.

Si 3°, debitor potest solvere creditori jus prælationis non habenti, modò debita sint exigibilia et postulentur juridicè vel privatim; sed non potest offerre solutionem debitorum quæ nondùm sunt exigibilia, vel nullo modo postulantur. 1° Potest solvere debita quæ sunt exigibilia et postulantur.....; nam leges sic videntur statuere in gratiam eorum qui negotiis suis invigilandis sunt curatiores, et tribunalia hocce in casu semper obligant debitorem ad solvenda hæc debita. Undè concludere est debitorem posse obsequi judicis sententiæ, cùm ea dici nequeat injusta; imò potest solvere antè judicis sententiam, quia certò eum ad solvendum cogeret, si simplici petitioni obtemperare recusaret. 2° Non potest solutionem offerre, nec solvere debita nondùm exigibilia. Nihil enim directè facere potest contra jus cæterorum creditorum; atqui, si alicui creditori qui jus prælationis non habet vel nihil postulat, debitor offerret solutionem debiti, præjudicio cæterorum, ipsis injuriam faceret, quia isti jus strictum habent ne alii præ ipsis solvantur, quandò illi creditores nullam possunt prælationem in suî gratiam invocare.

2° *Quoad creditorem.* Vel creditor petens debitum est in bonâ fide, seu putat debitorem sufficienter pro omnibus suis debitis solvendis habere, vel scit debitorem non posse debita solvere, vel dubius est de statu debitoris.

Si 1°, creditor potest petere et accipere, nisi in casibus ubi adest nullitas pleno jure. Lex maximè intendit bonæ fidei favere; ergo, saltem propter legem, potest creditor petere et accipere: porrò lex in conscientiâ valet. Nam illa lex valdè utilis est ad securitatem commercii, cùm creditores non cogantur statum fortunæ suorum debitorum attentiùs perscrutari; et non videtur cur iis legibus creditor non possit in conscientiâ stare, sicut potest, ex consensu omnium, quandò agitur de ordine inter creditores observando. Hoc verum est, sive debitum jam sit, sive nondùm sit exigibile. Dixi, *nisi in casibus ubi adest nullitas pleno jure*, scilicet expressis art. 443, 444, 445, 446 Cod comm. Illæ dispositiones justè latæ sunt ex motivo ordinis publici, et periculi præsumptione fundantur.

Si 2°, creditor nec postulare nec recipere potest. Hæc sententia consonat tum æquitati naturali, tum menti legis civilis. 1° *Æquitati naturali;* cùm enim debitor impar sit suis debitis solvendis, omnes creditores æquale jus habent ad solutionem; 2° *menti legis;* mens legis est ut impediantur fraudes quæ variis cre-

ditoribus nocere possunt, ut patet ex art. 1167 Cod. civ., et 447 Cod. comm.

Si 3°, id est, si creditor sit in dubio de statu fortunæ debitoris, non est inquietandus; is potest petere et accipere; namque jus suum creditor legitimè prosequitur; vigilantia non est prohibita neque vitiosa. Ut enim quis integrum debitum petere aut obtentum retinere prohibeatur, evidenter constare debet bona creditoris certò insufficientia esse; intolerabile siquidem esset aliquem jus suum certum prosequi non posse, quia dubitat an bona debitoris ad omnia ejus debita extinguenda sufficiant. Ità fermè Vogler in exquisitissimis annotationibus, quibus recenter locupletatus fuit, n. 448. Vid. infra.

## ARTICULUS III.

*De loco, tempore et modo quo restituendum est.*

Singulis illis circumstantiis suus erit paragraphus.

### § 1. — *De loco ubi restitutio fieri debet.*

Restituendi obligatio nascitur vel à possessione bonæ fidei, vel à possessione malæ fidei, vel à contractu. Hinc tria quæruntur.

*Quæres* 1° quo in loco et cujus impensis restituenda sit res quam quis hucusquè bonâ fide possidebat?

*Resp.* Restituenda est in loco ubi est, quandò possessor bonæ fidei advertit eam non esse suam. Etenim possessor bonæ fidei nullum debet pati damnum propter rem alienam; atqui pateretur damnum, si deberet eam propriis expensis in alium locum transferre : ergo..... Itaque dominum admonere debet, et quærere ab illo quid de re suâ fieri velit; interìm eam tutò expensis domini custodiat.

*Quæres* 2° quo in loco et cujus impensis restituenda sit res quam quis malâ fide possidebat?

*Resp.* Restituenda est expensis possessoris malæ fidei, in loco ubi dominus possedisset, si ablata non fuisset; nam possessor malæ fidei tenetur omne damnum emergens reparare et reddere dominum indemnem; æquum non est ut dominus ex alterius injustitiâ damnum patiatur; atqui damnum emergens non repararet, nec indemnem redderet dominum, si rem propriis expensis non restitueret in loco ubi dominus eam possideret : ergo..... Attamen probabiliter deducere potest sumptus quos dominus in eâ re illùc transferendâ fecisset, quia satìs est ut debitor dominum præstet indemnem, nec requiritur ut ei lucrum afferat.

Si autem sumptus transvectionis duplò, triplò vel quadruplò valorem rei excederent, juxtà communem sententiam, sufficeret ut pretium rei ad dominum mitteretur; tunc enim dominus rationabiliter invitus esse non potest in eo quòd res sua sibi non reddatur, nisi ipse grave damnum indè patiatur.

Ubi verò nec res nec ejus pretium mitti possunt ad dominum absque gravibus hujusmodi impensis, distinguendum est : vel affulget spes, differendo, restitutionem fieri posse absque talibus impensis, ve nulla affulget. Si prius, debitor restitutionem differre potest si dominus eâ dilatione non passurus sit notabile damnum, quia dominus non videtur rationabiliter invitus, cùm absque suo incommodo avertat grave damnum alterius. Si autem dominus ex dilatione tantùm passurus sit damni, quantùm debitor ex impensis notabilibus quæ ad restitutionem faciendæ sunt, procul dubio has impensas debitor sustinere tenetur, quia in pari causâ *melior est conditio innocentis.* Si posterius, nempè si nulla spes affulgeat faciliùs in posterum restitutionem faciendi, debitor tenetur damnum impensarum sustinere, si impensæ transvectionis sint æquales vel paulò majores damno quod passurus esset dominus ex privatione rei suæ, quia in pari causâ *melior est conditio innocentis.* Si verò impensæ transvectionis longè sint majores damno quod dominus passurus est ex privatione rei, debitor ex communi doctorum sententiâ ad rem domino mittendam non tenetur, quia censetur adesse moralis impotentia; sed res poterit vel reponi in pio loco, eâ lege ut reddatur domino comparenti, vel donari pauperibus præsertim domini consanguineis, quia rationabiliter præsumi potest talem esse ejus voluntatem.

*Quæres* 3° quo in loco et cujus impensis restituenda sit res ex contractu debita?

*Resp.* Vel conventio facta est de loco ubi res est reddenda, vel non. Si prius, servanda est conventio adamussìm; promissa enim obligant in conscientiâ. Si verò locus neque expressè, neque implicitè designatus fuit, attendendum est ad naturam contractûs, ad morem consuetum et ad alias hujusmodi circumstantias. 1° Si contractus sit purè gratuitus, v. g., donationis, promissionis, legationis, res tradi debet in loco ubi erat quandò fuit donata, promissa vel legata; quia donans, promittens vel legans, non censentur, nisi aliud signis exprimant, de se suscipere sumptus translationis : in eo casu expensæ transvectionum præstabuntur à donatario, promissario, legatario, etc., quia solus iste utilitatem percipit. 2° Si contractus sit onerosus, in quo tamen res eadem reddenda est, restitutio fieri debet in loco ubi res erat tempore conventionis, art. 1247. Ex art. sequenti 1248, expensæ solutionis præstabuntur à debitore rei. 3° Si contractus sit onerosus, in quo verò res distincta à re tradità restituenda est, solutio fieri debet in domicilio debitoris, art. 1247. Admonet Delvincourt quòd si debitor à tempore conventionis sedem suam mutaverit et longiùs transtulerit, ab isto sustinendas esse impensas quas mutatio domicilii secum importat; *Cours de Cod. civ.*, p. 766. Ampliora patebunt ubi *de venditione et de contractibus specie.*

### § 2. — *Quo tempore restitutio fieri debeat.*

*Quær.* 1° quandonàm facienda sit restitutio?

*Resp.* Obligatio restituendi provenire potest vel ex simplici detentione rei alienæ, vel ex injustâ læsione, vel ex contractu.

1° Si obligatio restituendi proveniat ex detentione rei alienæ, aut ex injustâ læsione, adimpleri debet *quamprimùm moraliter fieri potest.* Tunc restitutio facienda est quandò dominus rationabiliter exigere po-

test rem suam; atqui dominus rationabiliter exigere potest ut res sua sibi reddatur quàm primùm morali ter : ergo.

Ex his sequitur in morâ culpabili eos esse qui nolunt restituere, nisi coacti sint à judice, vel nisi creditores exigant, quos tamen sciunt nec audere nec posse exigere.

Dixi, *quamprimùm moraliter*, quia omnes conveniunt, si sermo sit de restitutione reali, præceptum restituendi quamdam temporis moram permittere : ad actus exteriores necessariò requiritur quædam mora. Hinc solvuntur plures casus apud Billuart.

2° Si obligatio restituendi proveniat ex contractu, vel tempus restitutionis fuit præfixum, vel non. Si prius, tempore præfixo restituendum est; standum est enim conventioni justæ et validæ. Si posterius, restituendum est cùm dominus restitutionem rationabiliter exigit, vel consuetudo illud indicat : in contractibus *ea veniunt quæ sunt juris et consuetudinis*. Hinc contrà justitiam non peccant qui per quoddam temporis intervallum differunt solvere mercatoribus pretium rerum apud istos emptarum, quia illud fert consuetudo.

*Quær.* 2° utrùm liceat prævenire tempus in restitutione faciendâ, quandò provenit ex contractu?

*Resp.* cum omnibus Theologis, vel tempus præfixum fuit in gratiam debitoris, vel in gratiam creditoris. Si 1°, ipse debitor potest prævenire tempus; unicuique liberum est jus suum cedere; si 2°, non licet debitori prævenire tempus; nam creditor habet jus ut non violentur conditiones contractûs cum suo damno.

### § 3. — *Quonam modo restitutio facienda sit.*

*Quær.* 1° quonam modo restituendum sit?

*Resp.* Eo modo restituendum est quo planè justitiæ violatæ satisfiat. Etenim restitutio fit ad reparandam æqualitatem et ad dominum reponendum in statu in quo erat anteà; atqui ità fieri nequit nisi eo modo fiat..... ergo.

Hinc ad restitutionem nihil refert an quis restituat per se, an per alium, an advertente domino, an palàm, an occultè, nisi agatur de restitutione famæ, aut nisi adsint circumstantiæ cur uno modo potiùs quàm altero restituatur.

*Quæres* 2° cujus periculo restitutio fieri debeat?

*Resp.* Vel res debetur ratione rei bonâ fide possessæ, vel ratione injustæ damnificationis, vel ratione contractûs.

Si 1°, debitor ad nihil tenetur, modò remiserit rem per nuntium quem putabat fidelem; nam, *seclusis morâ, culpâ et pacto, res perit domino;* atqui creditor est dominus : ergo.

Si 2°, debitor, tenetur ad novam restitutionem præstandam, quocumque modo res pereat antequàm perveniat ad creditorem. Ratio est quia possessor malæ fidei in utroque jure, sivè canonico, sivè civili, in se suscipere debet omne periculum rei : aliundè qui alteri damnum injustum intulit, contraxit obligationem illud damnum reparandi; atqui ab hâc obligatione dispensari non potest per eventum extrinsecum domino : ergo. Prætereà violavit æqualitatem; atqui æqualitas illa non reparatur, nisi de novo fiat restitutio : ergo.

Monet S. Carolus ne confessarius in se assumat provinciam reddendi pecunias loco pœnitentis, absque necessitate. Quòd si hoc officium in se suscipiat, curet ut obtineat testimonium quod pœnitenti exhibebit ad præcavendam omnem rapinæ suspicionem. In hoc chirographo non nominetur pœnitens, nec permittat confessarius ut is cui restituitur inquirat in personam cujus nomine fit restitutio.

Si 3°, vel res reddenda eadem est in individuo ac ea quæ accepta fuit, v. g., in deposito, in commodato, vel non, v. g., in mutuo. Si prius, debitor non tenetur de novo restituere, quia *res perit domino*, nisi aliter conventum sit. Si posterius, res perit debitori, quia debitor in eam dominium habebat; undè de novo restituere tenetur.

*Nota :* Ex quâcumque causâ proveniat obligatio restituendi, debitor eximitur ab obligatione de novo restituendi, si res remittatur personæ à creditore designatæ. Ratio est, quia tunc restitutio domino censetur facta, siquidem illius mandatario remittitur.

## CAPUT IV.

### DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

Regula generalis quâ fundantur causæ à restitutione faciendâ excusantes illa est : *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet ut restitutio differatur aut omittatur, ea differri aut omitti potest, etsi de facto dominus sit invitus.* Jus creditoris et debitoris obligatio sunt duo correlativa; non datur obligatio in debitore quandò dominus rationabiliter consentire debet ut restitutio differatur vel omittatur; alioquin daretur obligatio ad aliquid bono ordini et facultatibus subjecti dissentaneum, quod admitti nequit ex parte virtutis moralis quæ, cùm sit discreta, naturæ humanæ viribus semper accommodatur : ergo.

Ex hoc principio generali fluunt causæ restitutionis obligationem vel suspendunt vel tollunt; eas in duobus articulis expendemus.

## ARTICULUS I.

### DE CAUSIS QUÆ RESTITUTIONIS OBLIGATIONEM SUSPENDUNT.

Præter ignorantiam invincibilem quæ, dùm permanet, à restitutione excusat, cùm prius sit cognoscere obligationem quàm illam adimplere, tres sunt aliæ causæ propter quas licet restitutionem differre, 1° impotentia debitoris; 2° damnum creditoris aut alterius personæ; 3° cessio bonorum : undè tres paragraphi.

### § 1. — *De impotentiâ debitoris.*

*Nota* 1° duplicem esse impotentiam; 1° physicam seu absolutam, quâ durante nihil omninò habetur undè restitutio fieri possit; eâ certè suspenditur obligatio restituendi : ad impossibile nemo tenetur; 2° moralem seu maximam restituendi difficultatem, quæ ab hominibus solet vocari impotentia.

*Nota* 2° triplicem esse moralem impotentiam;

1° necessitatem extremam, quæ est periculum mortis proximum ex restitutione certò imminens, et ideò vocatur extrema seu ultima; 2° necessitatem gravem, seu periculum probabile gravis damni in bonis sive animi, sive corporis, sive honoris, sive fortunæ; 3° communem, quæ est status eorum qui non nisi magno cum labore vivunt.

*Nota* 3° necessitatem communem non suspendere obligationem restitutionis, alioquin infinita illa miserorum operariorum multitudo absolveretur ab obligatione restituendi, quod admitti non potest; quia hoc semel concesso, nullus dives miseris mutuari vellet meritò timens ne non res sua ad ipsum rediret; et ipsi pauperes ab aliis neglecti ad furta minuta sæpissimè alliçerentur. Indè quanta mala pro societate et ipsismet miseris? Addimus debita istorum pauperum conditioni ipsorum proportionari ac proindè facilè solubilia esse; ergò ratione veræ impotentiæ excusari nequeunt. Idcircò difficultas tantùm moveri potest de extremâ et gravi necessitate; de quibus duo numeri.

Num. I. — *De necessitate extremâ.*

*Quær.* 1° utrùm necessitas extrema restitutionis obligationem suspendat?

*Nota.* Ante responsionem observandum est Deum homini jubere ut se conservet per media ordinaria creationis; hanc obligationem essentialem destruere vel minuere non potuit divisio bonorum jure gentium admissa. Unde illud famosissimum axioma: *In extremâ necessitate omnia sunt communia*; id est, quislibet in extremâ necessitate occupare potest, vel jam occupata retinere bona quæ solent homines ejusdem conditionis in pari casu impendere. Ex hâc explicatione admodùm rationabili sequitur extremam necessitatem dare quidem homini jus occupandi quædam bona, scilicet media ordinaria vitæ conservandæ, sed minimè media extraordinaria, v. g., centum millia francorum quæ homines etiam ditissimi non solent in pari casu impendere, neque Deus impendere jussit; alioquin brevi evanescerent primatum divitiæ quæ tamen sunt splendor et quoddam robur societatis.

Illis præmissis respondetur: Qui non potest restituere nisi se suosve in extremam necessitatem conjiciat, justam habet causam differendi restitutionem, quandiù durat illa necessitas: ratio est quia in tali necessitate omnia bona, saltem quoad usum, sunt communia, et potest quislibet ad vitam conservandam bona alterius subripere; ergo à fortiori potest illa retinere.

Dixi, *se suosve*: per suos intelliguntur illi qui strictè ipsi conjunguntur, ut pater, mater, uxor, filii, aut alii ascendentes et descendentes, quia sunt aliquo modo una persona cum debitore, atque ideò necessitas unius censetur necessitas alterius. Quidam addunt fratres et sorores, et meritò, si adhuc sint in tenerâ ætate, et sibi providere nequeant.

*Quær.* 2° Utrùm necessitas extrema debitoris excuset à restitutione, si creditor in eâdem versetur necessitate?

*Resp.* Vel extrema necessitas creditoris venit immediatè ex rei ipsius ablatione, vel ex aliâ causâ.

Si prius, debitor non potest rem auferre, et si res adhuc exstat eam reddere debet. Debitor in hoc casu in mortem alterius innocentis positivè et directè influeret; atqui hoc nunquàm licitum est, nequidem ad propriam vitam suam tuendam: ergò. Aliundè creditor ut primus occupans habet jus ad rem suam etiam in extremâ necessitate: ergò. Hinc qui non potest servare vitam nisi absumat panem alienum, vitare naufragium nisi abducat ratem alterius, effugere sicarios nisi conscendat equum proximi, non potest ea eripere illi qui hoc unicum habet medium evadendi idem periculum.

Si posterius, vel res justè possidetur à debitore, v. g., contractu; tunc, concordantibus theologis, debitor potest rem sibi retinere: nam in pari causâ *melior est conditio legitimè possidentis*; atqui legitimè possidet debitor: ergò.....: vel autem ex delicto res possidetur à debitore, tunc disputant theologi. Alii dicunt debitorem posse retinere, tùm quia in extremâ necessitate omnia fiunt communia, et ubi omnia sunt communia melior est conditio possidentis, tùm quia obligatio restituendi in eo casu durior esset pro hominum fragilitate. Ita Billuart, Vogler, n° 465. Alii rectiùs docent debitorem teneri restituere. Si enim in hoc casu non teneretur ad restitutionem, vel quia bona fiunt communia, vel quia melior est conditio primi occupantis; atqui neutra ratio prævalet. Non prima; nam bona non fiunt communia nisi ob necessitatem servandi vitam; jam verò vita hominis innocentis et domini, quæ certè præferri debet vitæ furis, postulat ut non sint communia in hoc casu: ergò. Non secunda: citatum axioma non applicatur nisi illi qui incepit possidere bonâ fide; atqui non incipit bonâ fide qui possidet ex delicto, siquidem titulum dominii translativum non habet: ergò. Et verò ille se habet sicut is qui nunc rapit bona hominis extremâ necessitate pressi, siquidem furtum continuat singulis instantibus; atqui posterior non posset nunc rapere, adversarii concedunt: ergò nec prior continuare. Undè jure non est prior occupans: ergò.

*Quær.* 3° utrùm qui in extremâ necessitate re alienâ usus est, eam posteà reddere teneatur?

*Resp.* Is in quatuor casibus certò restituere tenetur, nempè; 1° si, transactâ necessitate, res aliena adhuc subsistat in propriâ specie, quia res clamat domino; hinc si equus quo quis usus est ad declinandos hostes supersit, cùm periculum jam evanuerit, domino restituendus est; 2° si debitum contraxerit antè extremam necessitatem et solutionem legitimè distulerat propter hanc necessitatem; nam sic contrahendo, dedit creditori actionem personalem: porrò hæc actio per supervenientem necessitatem non exstinguitur. Jus personale subsistit donec solvatur à debitore vel relaxetur à creditore; atqui extrema necessitas neque solutionem neque relaxationem affert: ergò. Undè si quis rem emit aut mutuo accepit et propter supervenientem necessitatem non solverit, sibi subvenit non ex alienis sed ex propriis, ac proinde non excusatur

à restitutione rei; 3° si ante extremam necessitatem rem habuerit ex delicto, v. g., furto; ille quippe subierat obligationem injustæ acceptionis; jam verò hæc obligatio non tollitur extremâ necessitate; ea ne cessat quidem ob casus fortuitos, pro quibus spondet debitor ex delicto : ergò. 4° Si fuerit tantùm pauper *secundùm quid*, id est, pauper in re et dives in spe, v. g., quia alibi bona habebat vel mox habiturus erat quandò rem etiam absque delicto acquisitam consumpsit; ideò enim ille debitor eximeretur ab obligatione restituendi, quia versaretur in extremâ necessitate, et in extremâ necessitate omnia bona fierent communia; atqui nulla est utraque ratio. 1° Non versatur in extremâ necessitate, quia utpotè dives in spe, non indiget donatione; 2° in extremâ necessitate omnia non fiunt communia absolutè, siquidem illud non est necessarium ad conservationem vitæ : ergò.

Magna verò lis est inter theologos, an qui in extremâ necessitate rem alienam consumpsit, illius pretium solvere teneatur, si eam non habuerit ex delicto et sit ipse absolutè pauper, id est, in re et in spe, quandò rem consummavit. Alii putant cum sancto Thomâ et generatim omnibus theologis illum debitorem non ampliùs teneri ad restitutionem; nam in extremâ necessitate omnia fiunt communia, saltem quoad usum; atqui bona de quibus agitur usu consumuntur : ergò non est obligatio ea restituendi. Alii verò putant illum debitorem teneri ad restitutionem. In tantum debitor præfatus immunis esset ab obligatione restituendi, in quantum, in extremâ necessitate bona fierent communia, non solùm quoad usum, sed etiam quoad proprietatem; atqui non fiunt communia quoad proprietatem. In tantum enim fiunt communia, in quantum sunt necessaria ad vitam conservandam quæ primarius bonorum finis est; atqui ad vitam conservandam sufficiens est bonorum usus cum obligatione posteà reddendi si possibile sit : ergò.

Inter has opiniones distinguimus cum cardinali Delugo : vel agitur de re majoris pretii quæ non cadit sub præceptum charitatis, vel agitur de re minoris pretii quæ cadere potest sub tale præceptum. Si prius, debitor, transactâ extremâ necessitate, restituere tenetur. Homines non tenentur pati majores impensas ad servandam vitam alterius quàm ad servandam suam; atqui non tenentur pati impensas extraordinarias ad suam vitam servandam; ergò nec pro vitâ aliorum. Si posterius, cùm tunc urgeat præceptum naturale dandi eleemosynam, dominus præsumitur rationabiliter donare usum rei minoris; atqui donatio eximit donatarium ab obligatione restituendi : ergò. Utraque decisio sequitur ex his quæ diximus circa primariam bonorum divisionem, scilicet in extremâ necessitate dari jus ad media ordinaria, sed minimè ad extraordinaria, etiam pro conservandâ vitâ. Ratio ulterior hæc est : homines alienare potuerunt communitatem bonorum etiam pro casu quo aliquid notabile exigeretur ad vitam servandam, quia nemo tenetur suæ conservationi providere mediis extraordinariis, sed nullatenùs abdicare potuerunt primordialem rerum communitatem pro casu quo aliquid leve exigeretur ad conservationem suam, quia nullus abjicere potest media communia à Deo creata pro vitæ et membrorum principalium conservatione.

### Num. II. — *De necessitate gravi.*

*Quær.* an necessitas gravis suspendat obligationem restituendi?

*Resp.* Qui non potest restituere, nisi se suosve in gravem necessitatem conjiciat, justam habet causam differendi restitutionem quandiù durat illa necessitas, positis tamen quibusdam conditionibus. Ratio est quia creditor non potest rationabiliter exigere solutionem debiti, cùm ipse teneatur personæ gravi necessitate laboranti opem præbere, vel donando, vel saltem mutuando.

Dixi, *positis conditionibus*, 1° ut propinqua affulgeat spes fortunæ melioris quâ restitutio fieri possit, alioquin creditor non censeretur consentire in dilationem, nisi fortè necessitas esset valdè gravis et extremæ proxima; 2° ut ex eâ dilatione grave damnum emergens vel lucrum cessans non patiatur dominus; nemo tenetur pati grave detrimentum ad procurandum bonum alterius; 3° ut suâ culpâ in hanc necessitatem non sese conjecerit debitor : aliàs indignus esset alterius favore; 4° ut creditor non versetur simul in eâdem necessitate, quia, cæteris paribus, melior esse debet conditio domini quàm debitoris.

Hinc artifex non tenetur ad restituendum vendere instrumenta quibus victum, focum et vestitum sibi suisque comparat, neque plebeius pauca, utensilia, vestes, lectum et alia ejusmodi, nisi creditor sit in pari necessitate, quia, cæteris paribus, melior esse videtur conditio domini.

Ut ea solutio in praxi majoris sit utilitatis, applicanda est præcipuis casibus in quibus censetur adesse gravis necessitas, ac proindè legitima causa differendi restitutionem.

*Primus casus.* Petrus restituere non potest absque notabili damno in bonis superioris ordinis, putà absque periculo vel apostasiæ, vel mortis, vel mutilationis, vel infamiæ : An censeatur esse in gravi necessitate et ob illam causam à restitutione excusari?

*Resp.* Antè resolutionem casûs, prænotandum est quadruplicem esse ordinem bonorum in quibus fieri potest læsio : in primo ordine sunt bona animæ; in secundo sunt bona corporis, ut vita, membra, libertas, virginitas, sanitas; in tertio sunt bona famæ et honoris; in quarto tandem veniunt bona fortunæ. His distinctis, dicimus :

Qui restituere non potest, nisi ipse vel aliquis è suis, grave damnum patiatur in bonis superioris ordinis, communiter excusatur à restitutione faciendâ, quandiù ex restitutione istud imminet nocumentum. Ratio est quia, cùm bona superioris ordinis nullatenùs æquiponderari possint bonis inferioris ordinis, durissimum esset ultrò facere jacturam bonorum tanti valoris ad restituendam aliquam quantitatem bonorum valoris ineffabiliter vilioris. Dominus, exigendo resti-

tutionem in parî circumstantiâ, irrationabilis meritò præsumeretur.

Hinc pater familiâs à restitutione excusatur, si periculum sit, ne ob inopiam, filiæ ejus aut uxor se prostituant, aut filii se dent latrociniis, aut ipse debitor ruat in desperationem. Sed hæc excusatio, ait Vogler, n° 469, sufficere quidem potest ad differendam restitutionem, non verò omittendam. Addunt complures restitutionem etiam in his casibus non diutiùs differendam esse.

Dixi, *communiter*, quia fieri potest ut bona inferioris ordinis quæ restituenda sunt, talia sint et in tantâ quantitate ut æquivaleant in æstimatione hominum, saltem relativè ad vitam civilem, bonis superioris ordinis per restitutionem amittendis; et vice versâ, bona superioris ordinis per restitutionem amittenda tam levia sint, ut in communi hominum existimatione non tanti æstimentur quanti bona inferioris ordinis, v. g., fama mulieris jam suspectæ. Tunc restitutio non differenda est, quia in his æqualitas jam ponitur inter creditorem et debitorem.

*Secundus casus.* Paulus restituere non potest absque notabili damno in bonis ejusdem ordinis : Utrùm censeatur in gravi necessitate versari ac proin dèexcusari à restitutione ?

*Resp.* Qui non potest restituere absque gravi nocumento in bonis ejusdem ordinis jam sibi acquisitis, à restituendo excusatur, quandiù ex restitutione imminet istud nocumentum. Ratio est quia aliàs, etiamsi debitor restituere non posset 100 fr. quin perderet 1,000,000, teneretur ad restitutionem : quod est incredibile, nec congruit cum justitiâ, quæ cùm sit virtus moralis, discreta, prudenter tantùm præcipit et non imponit obligationes intolerabiles : ergò...

Hinc potest aliquandiù differre restitutionem qui non potest eam exequi quin cogatur bona sua, domum, prædium, multò minori pretio vendere quàm valeant.

Dixi, *absque gravi detrimento in bonis acquisitis*, quia privatio lucri quod faceret debitor restitutionem differendo non esset sufficiens illius differendæ causa, cùm creditor non teneatur quod suum est, aut quod sibi debetur alteri concedere ut iste indè lucretur et ditescat. Excipe tamen si debitor lucrum quasi certum quærat, ut aliis creditoribus satisfacere queat, vel fortunam extraordinariam hâc dilatione restitutionis sit consecuturus. Tunc dominus rationabiliter invitus non est.

*Tertius casus.* Jacobus restituere non potest quin notabiliter excidat è statu suo : An censeri debeat in gravi necessitate, et propterea habeat justam causam differendi restitutionem ?

*Resp.* Qui non potest restituere quin notabiliter decidat è statu quem obtinuit justis mediis et amisit absque culpâ, excusatur à restitutione statim faciendâ. Ille potest differre restitutionem qui est in impotentiâ morali restituendi; atqui talis est debitor... Illud enim dicitur moraliter impossibile quod honestè et decenter fieri non potest : ergò. Et verò nullus tenetur reparare damnum alteri in bonis fortunæ illatum cum dispendio honoris et famæ; atqui plerumquè nullus è suo statu excidere potest quin sibi et familiæ suæ inuratur dedecus in opinione hominum : ergò. Hinc vir nobilis, magistratus, potens mercator, qui ex variis circumstantiis quas impedire non potuerunt debitis gravantur, non tenentur omnem facultatem abjicere et artem mechanicam exercere ad solvenda debita sua, tenentur tamen minuere, quantùm fieri potest, impensas in victu, in vestitu, in famulatu et aliis ejusmodi, ut paulatìm restituant.

Dixi 1°, *quem obtinuit justis mediis;* nam qui rapinis, fraudibus, usuris aut aliâ viâ injustâ pinguem fortunam comparavisset, et suprà conditionem suam se extulisset, non posset restitutionem differre sub prætextu quòd suo statu excideret; ratio est quòd hoc non sit suum statum amittere, sed potiùs statum alienum et injustè possessum relinquere, et ad proprium statum revertere : nec dici potest quòd statìm restituendo damnum in bonis suis patiatur, siquidem non sua sunt bona, sed aliena. Hinc usurarii et publicani, qui magnis opibus injustè congestis è mediocri suâ conditione emerserunt, debent in priorem statum recidere, si aliter restituere nequeant. Nota est vulgaris historia quam refert Vogler de nobili Belgâ, qui miserrimo trituratori restituere debuit arcem illegitimè possessam, ne parem cum majoribus subiret salutis jacturam.

Dixi 2°, *quem amisit absque culpâ :* nam si debitor suâ culpâ, putà ludis, comessationibus, superfluis impensis, sese conjecisset in periculum proprii statûs amittendi, æs alienum in magnâ quantitate contrahendo, quod solvere nequit nisi proprium statum amittendo, ut faciunt multi nobiles, non posset ad dilationem recurrere, sed tunc teneretur statum suum etiam justè acquisitum dimittere, atque illud damnum sibi imputare deberet.

### § 2. — *De damno creditoris vel alterius personæ.*

Status quæstionis est an possis vel debeas differre aut omittere restitutionem, cùm prævides restitutionem obfuturam creditori? Circà hanc prævisionem triplex fingi potest hypothesis. Creditor re sibi restitutâ abuti potest in suum damnum temporale, vel in suum detrimentum spirituale, vel in perniciem alterius. Pro quibus definiendis tria asseruntur.

Assertio 1ª. *Si restitutio creditori tantùm affert detrimentum temporale quod licitè potest subire, non potes, creditore graviter invito, differre restitutionem.* Si dominus v. g., petat solutionem pecuniæ mutuò concessæ, quam vult applicare convivio minimè necessario, non potes differre solutionem. Ratio, quia non potes cogere dominum aut creditorem graviter invitum, ne sua bona expendat in iis quibus licitè potest expendere.

Assertio. 2ª. *Si restitutio creditori spirituale damnum affert, v. g., quia graviter est peccaturus per abusum rei sibi debitæ, non solùm, potes sed etiam debes differre solutionem, si illud commodè fieri possit, vel absque notabili tuo detrimento.* Ratio est, quia tunc de-

bitor rem creditoris utiliter gerit, ac proindè irrationabilis esset iste, si restitutionem exigeret. Excipit Vogler quosdam casus in quibus differri non debet restitutio; 1° si dilatio restitutionis parùm prosit ad impediendum peccatum, v. g., si creditor aliàs te cogeret auctoritate judicis, vel ab alio pecunias statìm obtineret ad malum finem; 2° si creditor, post factam hodiè dilationem, cràs iterùm eodem animo petiturus est solutionem, et à petitione nunquàm destiturus; nam in hoc casu, si differas restitutionem, non impedis peccata; 3° si periculum peccandi graviter, quod times in creditore, sit remotum; 4° si peccatum quod creditor committeret esset tantùm leve; nam in hoc casu, licet fortassè aliquandò possis, vix tamen debes differre restitutionem; 5° si grave detrimentum aliàs tibi propter dilatam solutionem immineat, ut si perderes creditoris amicitiam tibi valdè necessariam. Quarè sentiunt nonnulli rarò evenire casum, in quo debitor seriò petenti rem suam, quâ non est abusurus in alterius damnum, debeat illam denegare; quia rarum est ut non aliqua ex memoratis causis excuset.

Assertio 3ª. *Si creditor aut dominus abusurus est re sibi restitutâ in gravem alterius injuriam, v. g., si proximum esset occisurus, non solùm ex charitate, sed etiam ex justitiâ debes differre restitutionem.* Ratio 1° quia qui domino petenti reddit gladium in circumstantiis in quibus iste vult alterum occidere, positivè cooperatur ad injustam alterius necem. Restitutio gladii in illo casu non minùs concurrit ad injustam necem quàm applicatio scalarum, porrectio clavium adulterinarum et præstatio aliorum instrumentorum, concurrunt ad injustam damnificationem. 2° Proximus quem creditor tuus è medio tollere vult, habet jus ne gladium illum absque necessitate gravissimâ des, et in tribunalibus dans gladium haud dubiè puniretur ut particeps homicidii, vel ut ille qui positivè dedit consilium homicidii; quòd gladius sit alterius, nil facìt ad rem, cùm dominus aut creditor non habeat jus illum repetendi in his circumstantiis. Hoc maximè verum est si gladius reddatur amenti furioso, vel ebrio à quo injusta cædes non procedit liberè, sed ex necessitate per instrumentum porrectum. Scitote tamen debitorem posse, illæsâ justitiâ, restitutionem differre, si ipsi immineat grave nocumentum. Id sequitur ex principiis cooperationis alibi expositis et demonstratis.

### § 3. — *De cessione bonorum.*

(Cod. civ. art. 1265 ad 1270. Cod. comm. art. 566 ad 575.)

*Quær.* 1° quid sit cessio bonorum?

*Resp.* Cessio bonorum est actus quo quis debitis suis solvendis impar cedit omnia bona sua creditoribus qui illa inter se dividant; art. 1265 Cod. civ. Monet annotator in Vogler, eam accuratè distinguendam esse à statu decoctionis qui dicitur *faillite* vel *banqueroute*, proùt agitur de commercium exercentibus vel de aliis qui debitis suis satisfacere nequeunt. Cessio bonorum est utriusque statûs veluti sequela. Nam, quandò debitor reperitur in prædicto statu decoctionis impletis variis formalitatibus jure præscriptis, fit vel compositio cum creditoribus quibus cedit bona sua, vel unio inter creditores ad promovendam venditionem bonorum decocti. Hinc duplex in jure nostro distinguitur cessio, voluntaria et judiciaria. Art. 1266 Cod. civ.

Cessio *voluntaria* illa est quæ liberè acceptatur à creditoribus eosque tantùm habet effectus de quibus debitorem inter et creditores conventio inita est; art. 1267 Cod. civ., et art. 567 Cod. comm. 1° Ad eam concurrere debent omnes creditores; qui non concurrerent servarent jura sua, sivè in personam, sivè in bona debitoris; si hæc absque eorum consensu alienarentur, posset ista alienatio irrita declarari tanquàm fraudulenta. 2° Cessor debet declarare omnia bona sua, et si quædam per fraudem retineat, irrita declarari poterit cessio; sed possunt creditores quædam ipsi relinquere ad propriam et familiæ sustentationem, ratione habitâ circumstantiarum. Ità Boulay-Paty, n° 566 et seq.

Cessio *judiciaria* est beneficium à lege concessum infelici et bonæ fidei debitori, ut libertatem sui corporis conservet, cedendo omnia bona sua creditoribus, non obstante quâvis aliâ stipulatione; art. 1268, Cod. civ. Debitor cui istud beneficium conceditur non potest antè judices citari, in carcerem conjici, vel diutiùs in eo detineri; dùm olim in carcerem tradebantur debitores donec suis creditoribus satisfecissent; art. 1270 Cod. civ., et 568 Cod. comm. Illud autem beneficium locum non habet pro debitis quæ proveniunt ex crimine, dolo, fraude, etc.; art. 575 Cod. comm.

*Quær.* 2° an cessio bonorum tollat vel saltem suspendat obligationem restituendi?

*Resp.* Certum est cessionem bonorum sivè voluntariam sivè judiciariam, modò non sit fraudulenta, esse causam legitimam restitutionis differendæ, cùm nihil aliud sit quàm impotentia physica debita solvendi, et aliundè approbetur à lege quæ gravissimis nititur rationibus; sed neutra tollit omninò obligationem in posterum restituendi quod reliquum est ex debitis; ità ut si posteà debitor ad meliorem fortunam redierit, debeat illâ uti ad plenè solvendum: 1° non *voluntaria*, quia creditores sic componunt eò quòd plus obtinere non possint; ideò non censentur renuntiare juri quod habent ad perfectam solutionem, si posteà debitori uberior copia adveniat; 2° non *judiciaria*, quia lex expressè declarat, art. 1270 Cod. civ. et 568 Cod. comm., debitorem teneri ad complementum solutionis si bona ipsi obveniant in posterùm: ergò. Hinc debitor nihil negligere debet ad acquirendum undè solvat, et si quid posteà comparaverit, tùm suâ industriâ, tùm hæreditate aliove modo, istud in suos creditores refundere tenetur donec integrè solverit.

*Quær.* 3° utrùm qui bona cedit, aliquid retinere possit.

*Resp.* Qui bona cessurus est cessione voluntariâ ni-

hil retinere potest, nisi quod conceditur benevolis creditorum conventionibus, ex art. 529, 530 Cod. com.; nam debet statim bonum suum plenè detegere, alioquin cessio irritari posset. Qui autem bona cessurus est cessione judiciariâ nihil occultare potest præter partem sibi à judice assignandam ex art. 529 Cod. comm. et 592 *Cod. judic.* gallicè *de procédure;* nam judex solet exigere juramentum an aliquid debitor retinuerit. Sed, attento jure naturali, cessor potest, si meritò timeat ne pars assignanda sit omninò insufficiens suis suorumque necessitatibus, aliquid retinere ex bonis justè acquisitis, quia necessitas gravis legitima est causa restitutionem differendi. Caveat tamen ne coràm judice juret se nihil retinuisse; aliàs perjurii reus esset.

*Complementum articuli.*

*Quær.* an causæ obligationem restituendi suspendentes simul excusent à reparando damno emergente vel lucro cessante quæ creditor passus est ex dilatione?

*Resp.* Si debitum sit ex delicto, debitor tenetur restituere, quia causa est efficax et injusta damni emergentis vel lucri cessantis, sivè sit mora culpabilis, sivè inculpabilis, siquidem injustè rem abstulit et in se suscepit rationem damnorum prævisibilium. Excipe si forsan differatur restitutio ob bonum creditoris qui re suâ abusus fuisset; tunc gessit utiliter rem alterius.

Si debitum sit ex contractu, debitor est in morâ culpabili vel inculpabili. Si 1°, debitor tenetur restituere; tunc fit debitor ex delicto; atqui debitor ex delicto tenetur restituere: ergò. Si 2°, debitor probabiliùs tenetur ad restitutionem, quia creditor non consentit in dilationem nisi sub eâ conditione, ut damnum emergens aut lucrum cessans reparentur, cùm nemo censendus sit absque expressâ suâ voluntate bonum alterius procurare cum suo detrimento: ergò. Eximendus tamen videtur ab hâc obligatione restituendi ille qui pauper et re et spe absumit in extremâ necessitate rem naturâ suâ fungibilem et minori pretio constantem quam pacto acceperat, quia ex anteà dictis is suo jure utitur.

## ARTICULUS II.

### DE CAUSIS A RESTITUTIONE OMNINÒ EXCUSANTIBUS.

Tres potissimùm ab omnibus agnoscuntur causæ à restitutione omninò excusantes: 1° condonatio seu remissio à creditore facta; 2° compensatio legitima; 3° auctoritas publicæ potestatis. De quibusdam aliis dubitari potest, ut videbimus.

*Quæres* 1° an remissio seu condonatio debiti à creditore facta omninò liberet ab obligatione restituendi?

*Resp. aff.* Ea causa liberat à restitutione faciendâ quæ dominium rei priùs restituendæ debitori transfert; atqui ità remissio seu condonatio debiti: ergò. Ut autem hæc remissio valeat et verè liberet à restitutione, tres requiruntur conditiones; 1° ut creditor donare possit quod remittit, seu ut habeat dominium et administrationem rei; defectus unius, simplex procurator rerum alienarum, et defectu alterius, filius familiâs adhuc minor donare nequeunt; 2° ut debitor non sit jure inhabilis ad accipiendum; sic in conc. Trid. irritatur distributionum remissio canonico absenti facta à præsentibus, sess. 24, cap. 12, de ref.; 3° ut remissio fiat omninò liberè et spontaneè, proindèque sine metu, ignorantiâ aut fraude. Hinc non excusat à restitutione condonatio, si creditor ignoraverit quantitatem debiti quod minus putabatur quàm reverà existebat; si deceptus fuerit circà fortunam debitoris qui longè existimabatur pauperior quàm erat reipsà; si partem debiti non remiserit nisi ob comminationes expressas vel indirectas alicujus mali; quia tunc remissio plenè voluntaria non est.

Utrùm verò præsumi possit illa condonatio? quidni? Omissio restitutionis non est injusta nisi fiat invito domino vel creditore; porrò non fit invito domino et creditore si fiat ex illius voluntate rationabiliter præsumptâ. Ex hoc capite plures excusantur à restitutione faciendâ, ut filii familiâs quandò furantur patri non notabilem summam, domestici quandò consumunt esculenta communia. Ad præcavendos abusus putat Vogler non sufficere quamcumque verisimilem aut probabilem præsumptionem, quia nimia janua panderetur furtis et injustitiis, sed requiri præsumptionem moraliter certam aut longè probabilem, præsertim in rebus gravis momenti.

*Quæres* 2° quid sit compensatio et quandònam excuset ab obligatione restituendi?

*Resp.* Compensatio in genere est debiti et crediti contributio: duplex distinguitur; alia legalis, seu lege approbata, alia extralegalis, seu à lege neque approbata neque prohibita.

1° Compensatio legalis adest pleno jure, etiam inscio debitore, quotiès duæ personæ sibi mutuò sunt debitrices: sic mihi debes 100 pro panno et ego tibi debeo 100 pro vino.

Certum est prædictam compensationem, positis quibusdam conditionibus, omninò liberare à restitutione faciendâ. Hæc enim non est neque contrà jus naturale, siquidem æqualitas utrinque servatur, neque contrà jus positivum, cùm jus positivum eam inter causas quæ debitum extinguunt annumeret, art. 1289 et seq. Cod. civ.

Dixi, *positis quibusdam*.... Requiritur 1° ut objectum utriusque debiti sit ejusdem speciei, quia creditor cogi non potest ad recipiendam rem diversam ab eâ quæ sibi debetur, etsi ejusdem sit valoris. Si, v. g., debeas Petro equum et Petrus debeat tibi 100 aureos, non potes Petrum obligare ut debitum habeat extinctum et suum equum non repetat. Si tamen res diversæ speciei sinè ullâ controversiâ per summam pecuniæ compensari possint, ut fit pro frumento, cujus pretium determinatur æstimatione fori, admitteretur compensatio. 2° Ut duo debita liquida sint, certa et extrà controversiam posita; undè debitum incertum non potest esse objectum compensationis legalis. 3° Ut duo debita sint simul exigibilia; non potest enim debitor cogi ad solvendum antequàm ipsius debitum sit

exigibile : *Qui terminum habet, nihil debet.* 4° Ut debita sint personalia ; sic debitum meum non potest compensari ergà Petrum, eò quòd Petrus aliquid debeat filiis meis, aut pupillo meo. Sic art. 1289 et seq. cum annotationibus D. Gousset.

2° Compensatio extralegalis, quam theologi communiter vocant occultam, in eo consistit, quòd creditor rem suam aut aliquod æquivalens à debitore clàm surripiat aut retineat.

Certum est prædictam compensationem penitùs liberare ab obligatione restituendi, quia est solutionis genus per rem rei debitæ æquivalentem ; siquidem eâ solutione positâ, jam nulla est inæqualitas.

Utrùm autem hæc compensatio sit licita ? *Resp.* Affirmativè positis quibusdam conditionibus. Si illicita esset, maximè quia violaretur vel jus proximi, vel jus judicis, vel jus societatis ; atquí non. Non primum ; non violatur enim jus proximi quandò res quæ ad ipsum non pertinet ab eo aufertur : non secundùm ; nam sæpè recurri non potest ad judicem : non tertium ; societati enim non nocet qui utitur compensatione cum conditionibus quas ut necessarias habemus.

Dixi, *positis quibusdam conditionibus.* 1ª Conditio est ut certum et liquidum sit debitum, alioquin eâ utens se exponeret periculo alienam rem invadendi. Si tamen facta fuisset compensatio ex motivis probabilioribus, qui illâ usus esset non obligandus foret ad restitutionem, nisi pro ratione dubii. 2ª Conditio est ut debitum sit ex justitiâ ; undè pauper, cui dives ex charitate deberet eleemosynas, non posset propriis manibus aliquid sumere titulo compensationis. 3ª Conditio est ut debitum sit hìc et nunc exigibile ; aliàs injuria debitori fieret. 4ª Conditio est ut accipiatur res ejusdem speciei, si fieri possit. Non licet enim rem debitoris sinè necessitate aut illius consensu permutare. 5ª Conditio est ut creditor non accipiat rem debitoris sibi commodatam aut apud se depositam, alioquin violaretur fides depositi et nullus auderet alteri aliquid commodare ; art. 1293. 6ª Conditio est ut res quæ subripitur sit verè debitoris et non alterius qui illam commodaverit, vel ejus fidei commiserit. 7ª Conditio est ut nemini noceat ; sæpè enim tollendo quod tuum est, tibi vel alteri labem suspicionis arcesseres. 8ª Conditio est ut res ex justitiâ debita aliter recuperari non possit, v. g., per petitionem debitoris, per judicis sententiam, sivè quia desunt probationes, sivè quia perjurant testes aut prævaricantur judices, sivè quia graviores discordiæ aut majores expensæ timentur ; aliàs violaretur ordo societatis ex quo nemo sibi debet justitiam reddere. 9ª Conditio est ut non exponat debitorem aut illius hæredes periculo rem aut aliquid æquivalens iterùm restituendi. Ideò prudenter admonendus est debitor nihil ampliùs ab illo deberi.

Not. Ex prædictis conditionibus aliæ ad justitiam, aliæ ad licitatem tantùm, pleræque tamen ad justitiam compensationis petuntur. Observat Billuart, ad occurrendum objectionibus, requiri ut hæc omnia constent non proprio judicio illius qui vult uti compensatione, sed judicio viri prudentis, quia in rebus propriis nimiùm nobis favere solemus.

*Colliges* 1°, non licere operariis, famulis et famulabus aliquid occultè subripere eo prætextu quòd stipendium justo minus accipiant, tùm quia debitum hoc non est certum, tùm quia de stipendio cum heris conventum fuit, tùm denique quia opposita sententia innumeris furtis aditum aperiret ; vix enim unquàm famuli mercede sibi constitutâ contenti sunt.

*Colliges* 2°, cautè admodùm in praxi admittendam esse compensationem occultam, cùm rarissimè concurrant recensitæ conditiones ; quarè difficilè permittendum est ut eâ utantur pœnitentes. Si autem eam adhibuerint, quandò accedunt ad sacrum tribunal, non statìm et temerè ad restitutionem sunt obligandi, quia licèt in eo peccare potuerint, fieri tamen potest ut justitiam non violaverint.

*Quæres* 3° an auctoritas publicæ potestatis omninò tollat obligationem restituendi ?

*Resp.* Duplex distinguitur auctoritas publica, alia juris, alia judicis.

Auctoritas publica juris nihil aliud est quàm potestas à Deo ordinata ad bonum regimen societatis ; atqui illa potestas habet quidquid requiritur ad extinguendam obligationem restituendi, ut patet in inventione thesauri, in præscriptione rei mobilis vel immobilis, in acquisitione fructuum bonâ fide perceptorum et in multis aliis rebus de quibus jam diximus, cùm scilicèt adsunt debitæ conditiones : ergò.

Auctoritas publica judicis nihil aliud est quàm sententia in judicio lata, quâ judex absolvit aliquem à restitutione faciendâ ; porrò illa sententia vel fundatur in præsumptione solutionis : v. g., judex decernit aliquem ad restitutionem non teneri, putans restitutionem aut factam fuisse, aut indebitam esse ; vel fertur per modum pœnæ, v. g., si creditor propter culpam privetur restitutione crediti sui.

*Si prius,* vel præsumptio vera est seu reverà solutum est debitum, vel falsa seu debitum solutum non est, vel dubia seu dubium est et litigiosum an debitum solutum fuerit. Si 1°, patet debitorem liberari à restitutione, cùm jam facta fuerit solutio. Si 2°, sententia non excusat à restitutione, quia judex non intendit debitorem liberare. Si 3°, standum est sententiæ judicis qui tunc propter bonum commune et terminandas lites, censetur per sententiam jus tollere creditori, si quod habeat.

*Si posterius,* sententiæ judicis adhuc stare potest debitor, etiam in conscientiâ, quia leges quæ imponunt mulctam justæ sunt. Hinc si qua mulcta à judice imponatur in favorem illius qui injuriam passus est, iste non tenebitur illam restituere illi cui inflicta est, sed per illam sententiam acquirit jus ad hanc mulctam accipiendam et retinendam : ergò.

*Quær.* 4° an ingressus in religionem approbatam, in regionibus ubì talis religio agnoscitur, liberet à solutione debitorum ?

*Resp.* 1° Si debitor religionem appetens habeat undè solvere possit, suis creditoribus satisfacere tenetur antequàm religionis adeat penetralia, quia desiderabilior præparatio vitæ perfectiori consistit in adimpletione præceptorum, inter quæ eminet restitutio facienda.

2° Si debitor religionem appetens nihil habeat undè solvere possit, sed speret brevi tempore comparare, manendo in seculo, sufficientem copiam ad restituendum, tenetur differre ingressum ut solvat; alioquin injuriam inferret creditoribus qui rationabiliter inviti forent si statim claustrali vitæ nomen daret.

3° Si debitor religionem appetens solvere non possi nisi renuntiando vitæ religiosæ vel longissimum tem pus votis secularibus impendendo, duplex est sen tentia. Prima negat debitorem posse ingredi. Ita Sua rez, Bonacina, Molina, Habert, Collet, Billuart. In concursu præcepti et consilii incompossibilis servandum est præceptum : atqui religionem ingredi est consilium ; debita solvere est præceptum ; ergò tenetur debitor adhibere media necessaria ut restituat, proindèque in seculo remanere. Insuper debitum justitiæ ad minus tam strictum est quàm debitum pietatis ; porrò filius, cujus auxilio indigent parentes gravi necessitate pressi, non potest religionem ingredi : ergò nec ille qui solvere nequit nisi manendo in seculo. Prætereà plurimi SS. pontifices declaraverunt illicitam esse professionem eorum qui ingenti ære alieno gravati sunt aut reddendis obligantur rationibus. Secunda sententia affirmat debitorem posse ingredi religionem. Ità S. Thomas, S. Antoninus, Lessius, Sanchez, Sylvius, Ligorio, Vogler. Nam impotentia moralis excusat à restitutione ; atqui ille qui non potest restituere nisi remanendo...., dùm ad vitam religiosam vocatur, versatur in impotentiâ morali. Nam ille est in impotentiâ morali qui non potest restituere sinè graviori damno ; atqui iste non potest restituere sinè graviori damno, nempè privatione diuturnissimâ medii efficacissimi ad gloriam Dei promovendam suamque salutem operandam : ergò.

Hæc ultima decisio facilè admitti potest, si debita non sint quid grave respectu creditorum et nonnisi intrà longum tempus fieri possit restitutio, quia tunc creditores non possunt rationabiliter exigere ut talis debitor cum tanto detrimento restituat. Si autem debita sint quid grave respectu creditorum, debitor dici non potest versari in eâ impotentiâ quæ requiritur ut creditores non sint rationabiliter inviti de ingressu religionis, quia rarissimè affirmari potest quemdam hominem salvari non posse nisi in religione. Ad tale judicium ferendum de præfato debitore concurrere debent circumstantiæ adeò particulares, ut ipsius ruina spiritualis inevitabiliter prævideatur.

*Quæres* 5° an excuset à restitutione donatio vel legatio rei æquivalentis, quandò quis debiti immemor tantùm creditori donat quantùm ipsi debet?

*Resp. neg.*, nisi quod *gratuitò* datur præstetur sub conditione ut satisfiat debito si quod sit. Etenim debitor tenetur ad restitutionem quandiù reverà non restituit; atqui non restituit per donum gratuitum. Nam donatio, sicut cæteri actus liberè agentis, non operatur ultrà donantis intentionem; atqui donator restituere non intendebat sed donare : ergò.

*Obj.* Debitor, si memor fuisset debiti, dare noluisset : ergò donatiò non fuit voluntaria : ergò haberi potest pro solutione.

*Resp. neg. conseq.* Hìc non consideratur quid in aliâ hypothesi factum fuisset, sed quod reipsà evenit; alioquin ferè nulli starent contractus gratuiti. Isti solùm deficiunt quandò deficit id quod dat positivè locum contractui.

Dixi, *nisi quod gratuitò*... quia ad extinguendum debitum non requiritur in debitore intentio expressa restituendi, sed sufficit intentio generalis solvendi debita sua, si quæ sint.

Hinc qui in juvenilibus annis racemos aut fructus aut alia hujusmodi ignotis dominis subripuerunt, cùm maturiores facti stipem egenis erogant, generalem animum habere debent varia illa damna resarciendi vel debita olim contracta solvendi, ut sic liberentur ab obligatione restituendi.

---

# PARS TERTIA.

## DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN SPECIE.

Quadruplicis generis distinguuntur bona, nempè bona animi, bona corporis, bona famæ et bona fortunæ. Porrò in illis quatuor bonis jus strictum alterius violari potest; ergò in his quatuor bonis fieri debet restitutio. Hinc quatuor capita erunt.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE INJURIA ET RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI ILLATUM.

Bona animi duplicis sunt generis, supernaturalia et naturalia. Supernaturalia ea sunt quæ ad salutem æternam ordinantur, ut fides divina, gratia, virtutes infusæ, bona merita, sacramenta, status pius et religiosus. Naturalia sunt facultates hominis naturales, ut memoria, intellectus, etc.

*Quær.* 1° an qui læsit alterum in bonis ordinis supernaturalis, illum, v. g., inducendo ad peccatum, vel avocando à virtute, vel imbuendo falsâ doctrinâ, teneatur ex justitiâ ad damnum reparandum?

*Resp.* 1° : Qui vi, fraude, metu vel alio modo injusto alterum læsit in bonis spiritualibus, vel inducendo.... vel avocando..... vel imbuendo.... tenetur ex justitiâ ad reparationem damni illati, scilicet vim ac seductionem tollendo, fraudem et errorem aperiendo, eum inducendo ad pœnitentiam et Deum orando pro ejus conversione; tùm quia fuit illius damni causa efficax et injusta; tùm quia si reparare tenetur qui alium læsit in temporalibus, à fortiori qui in spiritualibus damnum intulit, cùm bona spiritualia sint temporalibus multò præstantiora : ergò. Hinc qui pravis dogmatibus tùm circà fidem, tùm circà mores, tùm circà disciplinam Ecclesiæ aliquem per hujusmodi vias im-

buit, debet 1° causam damni spiritualis auferre, nempè errorem ex animo decepti evellere docendo veritatem; 2° resarcire damnum spirituale quod seductus passus est, ejus conversioni per se aut per alios allaborando, etiam cum damno vitæ, quod est inferioris ordinis relativè ad damnum de quo agitur; 3° reparare damnum temporale, quod prævisum fuit vel prævisibile, si deceptus aut tertius aliquid detrimenti subierint. Egregium eâ de re exemplum reliquit D. de Fénélon, qui licèt bonâ fide errorem docuisset, brevi Innoc. XII contrà librum de Placitis Sanctorum non solùm statim adhæsit, sed eumdem librum solemni mandato proscripsit. Utinam illud imitentur ii omnes qui paucis ab hinc annis in fœdissimos errores impegerunt et eos ubiquè disseminaverunt!

*Resp.* 2° : Qui sinè vi, fraude, metu, aliove modo injusto, sed, v. g., consiliis aut precibus aliquem ad malum induxit, tenetur juxtà omnes ex charitate illum ad meliorem frugem reducere. Utrùm autem ad id teneatur ex justitiâ, non omnes consentiunt. Alii negant, quia scienti et volenti non fit injuria; alii verò affirmant, quia in iis quæ spectant ad salutem animæ, nemo cedere potest jus suum. Magìs arridet prima opinio, quia homo, etsi illicitè consentiat peccato, validè agit et renuntiat restitutioni rei supernaturalis; hæc est enim necessaria appendix libertatis humanæ quæ fertur in bonum et malum. Quidquid sit de hâc controversiâ, cùm pro praxi levis sit momenti, eam prætermittimus. Nam qui præstiterit ea quæ charitate exiguntur, vix quidquàm omittet ex his quæ justitiâ debentur.

Hinc nemo non videt in quanta mala se conjiciant corruptores, qui alios ac præsertim juvenes incautos viam criminis edocent, cùm difficillimum sit ex eorum animis fatales libidinis sensus deinceps propellere. Ad hoc præsertim attendere debent patres, matres, magistri, et quicumque custodiæ adolescentûm præpositi, ne quis incentivis verbis aut exemplis nimiùm efficacioribus venenum corruptionis in cordibus pudibundis instillet; alioquin participes erunt injustitiæ, si ex officio talia impedire teneantur, vel saltem istius anathematis : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

* *Quær.* 2° an restituere teneatur ille qui sinè justâ causâ alium ab ingressu in religionem avertit?

*Resp.* 1° : Si vi, fraude, metu alium avertit à statu religionis, tenetur restituere sivè ergà candidatum, vim ac fraudem tollendo et ei suadendo ingressum religionis; sive ergà monasterium, compensando quanti valebat spes commodi temporalis quod ex istius labore vel donatione expectabatur, si candidatus injustè non fuisset abductus. Ratio est quia utrique damnum injustè intulit, cùm quisque jus habeat ne viâ injustâ impediatur à consecutione alicujus boni. Attamen seductor non tenetur ipse religionem vovere, vel alium alterius loco substituere, ut placuit S. Antonino, quia illi divinæ vocationis fortè non habent indicia, et sic potiùs nocerent quàm prodessent.

2° Si precibus tantùm aut consiliis aliquem avertit, distinguendum est : vel avertit novitium vel professum.

Si *novitium*, avocans non tenetur restituere, neque novitio neque monasterio : 1° non novitio, quia scienti et volenti non fit injuria quandò ille jus suum cedere potest, ut nemo dubitat de novitio, qui absque alterius injuriâ proposito suo renuntiare valet; 2° non monasterio, cùm religio jus non habeat ut paratus eam ingredi, precibus aut tantùm consilio, ab eo desiderio avocari non possit; alioquin suadens diviti volenti eleemosynam Petro largiri, ut eam potiùs Paulo eroget, ad restitutionem teneretur : ergò.

Si *professum*, avocans pariter non tenetur restituere neque professo neque monasterio; 1° non professo commoda quibus ille privatus est; etenim his commodis renuntiare liberè voluit et legitimè potuit; voluit, quia preces et suasiones non auferunt libertatem; potuit, quia professus non est servus ex justitiâ, sed tantùm subjectus ex obedientiâ : ergò avocans professum non tenetur illi restituere commoda quibus iste fruebatur; 2° neque monasterio damna realia quæ patitur illud ex privatione laboris, industriæ et lucri religiosi. Non magis injusta est causa secundaria quàm causa principalis; atqui professus exeundo, seu causa principalis damni, non facit injuriam monasterio quod privat labore suo, industriâ, etc. Nam monasterium nullum aliud jus habebat ad laborem religiosi quàm illud quod iste votis promiserat; atqui in votis promiserat laborem *ex obedientiâ*, sed non *ex justitiâ*; alioquin superior cogere posset ad restitutionem religiosos qui ultrà necessarium ad suam sustentationem non laborant, quod nemo unquàm dixit : ergò; ergò. Undè monasterium habet quidem jus strictum ad lucrum ex labore religiosi proveniens, cùm quidquid acquirit monachus monasterio acquirat, sed non habet jus strictum ut religiosus lucrum faciat. In eo differt contractus religionis à contractu servitutis.

*Quæres* 3° An restituere teneatur ille qui alium injustè læsit in bonis animi naturalibus?

*Resp. affirmativè*, quia violavit jus quod proximus habet ad bona naturalia, quodque non minùs strictum est quàm jus ad bona externa quæ possidet. Hinc 1° qui veneno, potione, vel alio modo aliquem memoriâ vel usu rationis privavit, tenetur curare ista mala, si curabilia sint, et damnum indè secutum resarcire. Hinc 2° qui alteri causa est injusta damni in scientiâ vel arte, sivè quia illum prohibuit ab earum acquisitione vel usu, sivè quia cùm ex officio vel pacto teneretur alios docere, notabiliter fuerit in hoc munere incapax aut negligens, sivè quia falsa pro veris culpabiliter docuit, tenetur pretium malè comparatum pro ratione suæ ignorantiæ, negligentiæ aut malignitatis restituere, falsa quæ docuit revocare, et damna quæ hoc modo intulit reparare. Si autem gratuitò et sinè obligatione pacti vel officii malè doceret ex ignorantiâ aut negligentiâ, ordinariè non teneretur ex justitiâ ad restitutionem; quia nemo de illius beneficio incompleto conquerendi jus habet. Dixi, *ordinariè*;

namque adesset ex justitiâ obligatio restituendi, si onus benè docendi etiam gratuitò in se suscepisset, vel injustè impediret quominùs ab aliis rectè docerentur alumni.

## CAPUT II.

### DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS ILLATUM.

Inter bona corporis computantur vita, membra, sanitas, virginitas, ad quam accedit conjugalis castitas. Porrò in his bonis læditur proximus, 1° per homicidium, mutilationem, percussionem, etc.; 2° per stuprum; 3° per adulterium. Hinc triplex articulus.

### ARTICULUS I.

#### DE RESTITUTIONE PROPTER HOMICIDIUM, MUTILATIONEM, PERCUSSIONEM, etc.

Quæcumque de homicidio dicturi sumus, servatâ proportione, dici debent de mutilatione, percussione et aliis hujusmodi. Hæc autem triplici paragrapho absolvemus. 1° A quo homicidio oritur obligatio restituendi; 2° quid restituere tenetur ille qui alium injustè occidit.

§ 1. —*De obligatione restituendi ratione homicidii.*

*Quæres* ex quonam homicidio oriatur obligatio restituendi?

*Resp.* Obligatio restituendi oritur ex omni et solo homicidio injusto et voluntario; nam, ut quis damnum aliquod reparare teneatur, requiritur et sufficit ut illius fuerit causa efficax et injusta; atqui in omni et solo homicidio injusto et voluntario homicida est causa efficax et injusta damni quod indè sequitur: ergò...

Dixi 1°, *ex homicidio injusto*, quo scilicet violatur justitia respectu illius qui interficitur. Hinc qui servato justo moderamine inculpatæ tutelæ, injustum occidit aggressorem, ad nullam tenetur restitutionem; judices qui reum ad supplicium secundùm legem justam condemnant, familiam ejus alere non debent; milites qui in bello legitimo hostes occidunt, ad nihil obligantur.

Dixi 2°, *ex homicidio voluntario*, id est, quod expressè et directè volitum est, vel saltem indirectè et in causâ, aliquid agendo vel omittendo, undè prævidetur aut prævideri potest homicidium secuturum. Hinc qui alium occidit sive ex propriâ voluntate, sive ex alterius iniquo mandato, sive in bello evidenter injusto, omnia damna inde secuta reparare tenetur. Ità qui tempore perturbationis gallicæ ad injustas sententias positivè concurrerunt, vel eas exsecuti sunt, restitutioni obnoxii sunt, etiamsi ab illis injustis homicidiis abstinere non potuissent sine manifesto vitæ periculo, quia potiùs moriendum est quàm positivè ad mortem innocentis concurrere. Si autem homicidium fuerit omninò casuale, nec ullo modo culpabile, nullam restituendi obligationem inducit.

§ 2. *De objecto restituendo ab injusto homicidâ.*

*Quæres* quid restituere teneatur ille qui alium injustè occidit

*Resp.* Antequàm respondeatur, notandum est duplex inferri damnum alteri in bonis corporis: unum naturale, quod est ipsamet amissio vitæ, membri alicujus, virginitatis, castitatis conjugalis; et aliud temporale, quod potissimùm consistit in suppressione bonorum fortunæ quæ damnificatus, servatâ vitâ vel corporis sui integritate, conservâsset aut acquirere sperâsset. His præmissis, statuemus de damno naturali et temporali.

I. *De damno naturali.*

Apud omnes incussum manet, damnum naturale ex justitiâ reparandum esse si reparabile sit: sic membrum disjunctum in suo loco restituendum est. Sed, cùm damnum in eâdem specie restitui nequeat, ambigitur utrùm reparandum sit per bonum inferioris ordinis, v. g., per pecunias mutilato vel hæredibus occisi solutas, per aliquem honorem exhibitum, per eleemosynas aut preces pro animâ defuncti oblatas. Acriter circà hoc punctum disputant theologi. Alii affirmant adesse obligationem illud damnum per bona alterius ordinis compensandi, alii verò negant.

Priores sic arguunt: Læsus in bonis superioris ordinis non est deterioris conditionis quàm læsus in bonis inferioris ordinis; atqui læsus in bonis inferioris ordinis habet jus ad reparationem eo modo quo fieri potest: ergò. Et verò tollendi sunt effectus injuriæ, v. g., tristitia, animi dolor; atqui non tollentur nisi fiat aliqualis reparatio: ergò... Prætereà ideò, juxtà adversarios, nulla est obligatio reparandi damna in bonis naturalibus per bona inferioris ordinis, quia vita et membra non sunt pretio æstimabilia; atqui vita et membra, licet non sint pretio æstimabilia quandò secundùm se spectantur, pretio tamen æstimantur in ordine ad usus humanos; sic homo potest vendere libertatem, compensare divitiis defectum naturalem: ergò. Insuper æqualitas quæ per restitutionem exigitur, non consistit in naturis rerum, sed in earum rationabili æstimatione, secundùm quòd usui humano deserviunt: ergò... Tandem S. Thomas huic sententiæ favere videtur: denique sic tribunalia civilia judicant: ergò...

Posteriores sic arguunt: Quæcumque virtus non ampliùs obligat quando ejus finis nullo modo attingi potest; atqui quando damnum est irreparabile per bona ejusdem generis, finis justitiæ obtineri nequit. Etenim finis justitiæ commutativæ est reddere alteri quod ipsius est; atqui eo in casu alteri reddi non potest quod ipsius est. Nam duplici tantùm modo alteri reddi potest quod ipsius est, videlicet reddendo rem ipsam vel æquivalens; atqui neutrum reddi potest: 1° non res, cùm sit irreparabilis, ex hypothesi; 2° non æquivalens; tunc redditur æquivalens quando redditur res similis et ejusdem naturæ; atqui evidens est per bona alterius generis æquivalens ita reddi non posse, ergò... Et verò, si justitia obligaret ad restitutionem pecuniariam, determinari deberet quanta pecunia sit restituenda; atqui non determinari potest; nam ubi non datur communis mensura inter ablatum et reddendum, determinari non potest quid sit red

dendum; atqui nulla dari potest communis mensura inter bona diversi generis : ergò... Præterea ideò, inquiunt adversarii, restitutio facienda est per bona alterius generis, quia justitia obligat ad reponendum læsum in eodem statu ac erat antea, non solùm quoad rem, sed etiam quoad felicitatem, ita ut justitia intendat restitutionem felicitatis; atqui non est finis justitiæ ut directè obliget ad reponendam personam in eodem statu felicitatis, alioquin facienda esset restitutio pecuniæ quoties læsa fuisset felicitas proximi, ac proindè omnes virtutes, charitas, obedientia, religio obligarent ad restitutionem, quod falsum : ergò... Equidem fateor justitiam tendere ad felicitatem proximi, mediatè, id est, per redditionem rei, sed non directè, quia primarius illius scopus sistit in æqualitate stabiliendâ vel reparandâ. Sic inter multos Lessius, Delugo, Vogler, qui totidem sunt capita maximi ponderis in quæstionibus juris.

Unam ex illis opinionibus eligere admodùm difficile. Sua utrique est probabilitas. Forsan satiùs esset in tantâ controversiâ aliquid uni et aliquid alteri concedere. Ideò suademus confessariis, patronis cujuslibet sententiæ in hâc praxi saltem concordibus, ut suis pœnitentibus per modum satisfactionis imponant obligationem quamdam faciendi reparationem, vel pecuniâ, si ita permittant circumstantiæ, v. g., si mutilatus inopiâ opprimatur; vel precibus, si illud meliùs congruat, v. g., si læsus sit dives.

### II. *De damno temporali.*

Certum est eum, qui alium injustè occidit aut mutilavit, teneri ad reparationem damnorum temporalium quæ per se ex homicidio aut mutilatione sequuntur, et quæ prævidit aut prævidere potuit saltem in confuso. Ratio est quia causa est efficax et injusta eorum damnorum.

Dixi 1°, *quæ per se sequuntur....* nam si damnum ex homicidio aut mutilatione sequatur tantùm per accidens, tunc occisori aut mutilatori imputari non potest. Itaquè si mors aut amissio membri sequatur ex negligentiâ vulnerati vel ex incuriâ medici, occisor aut mutalitor damnum indè proveniens reparare non tenetur.

Dixi 2°, *quæ prævidit aut prævidere potuit;* alioquin non erit eorum causa culpabilis, ac proindè non aderit obligatio reparandi.

Dixi 3°, *saltem in confuso;* quia non necessarium est ut damna specialiter fuerint prævisa.

Ex hâc responsione sequitur injustum occisorem aut mutilatorem teneri reparare, 1° omnes impensas curationi mutilati, vel vulnerati, vel occisi, antè mortem necessarias; 2° expensas pro funere, si nempè majores sint faciendæ ratione mortis illatæ, v. g., ob magnam distantiam, quàm si domi aut propè domum naturaliter occisus obiisset; 3° lucrum cessans aut damnum emergens ex homicidio vel mutilatione; v. g., si occisus aliquo officio fungebatur, census annuos vitalitios recipiebat, artem exercebat undè quæstum faceret. Hæc autem omnia æstimari debent juxtà judicium viri prudentis, ratione habitâ variarum circumstantiarum; scilicet, 1° attendendo ad conditionem occisi vel mutilati; an esset dives vel pauper, juvenis vel senex, ad laborem promptus et peritus, vel segnis et in arte imperitus, robustâ utens valetudine vel infirmâ; 2° attendendo ad tempus quo probabiliter illud lucrum percepisset, spectatis illius vitæ probabilitatibus, juxtà regulas ab iis traditas qui vitam hominum calculis subjecerunt; 3° attendendo ad majorem minoremve probabilitatem illius lucri; quia lucri spes non tanti valet quanti ipsummet lucrum præsens. Ut faciliori modo fiat hæc æstimatio, considerandus est, ait Delugo, status occisi antè mortem; eo tempore iste fingatur vendere spem omnium lucrorum quæ facere solet; tunc juxtà hanc spem facienda est restitutio. Advertas tamen in eâ computatione deducendas esse impensas probabiles quas læsus fecisset ad vitam sustentandam, vel hæres pro occisi funere naturali subiisset. Theologi vulgò sentiunt pretium laboris et molestiæ quæ passus esset occisus ad lucrum percipiendum deductibile non esse, tùm quia ille labor injustè impeditur, tunc quia libenter et non tanquàm pœna sustinetur, tùm deniquè quia alioquin plerumquè nulla facienda esset restitutio; sæpè enim laboris et molestiæ æstimatio totum adæquaret lucrum.

Hæc occisoris et mutilatoris obligatio ad eorum hæredes transit integra pro hæreditatis quantitate, etiamsi isti extremo supplicio fuerint addicti; namque hæc obligatio evidenter est realis : porrò nemo diffitetur hæredes teneri omnia solvere debita realia quibus hæreditas gravatur; non tenentur tamen nisi ratione hæreditatis, ac proindè non ultrà illius vires. Ergò.

Dixi, *etiamsi extremo supplicio fuerint addicti;* per extremum supplicium satisfit tantùm justitiæ vindicativæ et reipublicæ, non verò justitiæ commutativæ et parti læsæ, saltem quoad damna realia; semper enim certum erit illa injustè fuisse illata nec reparata.

### § 3. *De iis quibus injustus homicida restituere tenetur.*

*Quær.* 1° quibus restituere teneatur qui alium injustè occidit aut mutilavit?

*Resp.* Certum est restitutionem faciendam esse ipsimet læso vel mutilato, si adhùc supersit. Quandò autem defunctus est læsus, controversia movetur utrùm facienda sit reparatio, 1° hæredibus occisi; 2° illius creditoribus; 3° his qui ab ipso donationes vel liberalitates accipiebant vel sperabant.

*Quæres* 2° an homicida teneatur restituere hæredibus occisi?

*Resp.* Advertes 1° damna, quæ ex homicidio sequuntur, alia mortem occisi præcedere, alia eam subsequi. Priora sunt expensæ pro curando vulnere factæ, et lucrum cessans ob impotentiam commercium vel artem vel scientiam exercendi, quandiù vulneratus vixit. Posteriora præsertim coalescunt ex absentiâ lucrorum quæ fecisset occisus, si tardiùs morte naturali obiisset.

Advertes 2° hæredes alicujus esse necessarios vel

voluntarios. Necessarii illi sunt qui, juxtà leges civiles, totaliter ab hæreditate privari nequeunt; sic pater, mater, liberi aliique ascendentes et descendentes, qui ideò unam personam moralem cum defuncto efficere censentur. Voluntarii illi sunt qui totaliter ab hæreditate privari possunt, sed tamen possunt defuncto succedere sivè ab intestato, ut collaterales, sivè à testamento, ut extranei.

His præmissis, vel agitur de damnis quæ mortem occisi præcedunt, vel de iis quæ illam subsequuntur.

Si prius, homicida, fatentibus omnibus, tenetur restituere ad æqualitatem omnia damna mortem occisi præcedentia hæredibus, sivè necessariis, sivè voluntariis; nam hæres quicumque titulo universali succedit in omnia jura defuncti; atqui defunctus jus strictum et acquisitum habebat ad compensationem damnorum quæ mortem suam præcedunt : ergò.

Si posterius, derelictis distinctionibus quas excogitârunt theologi inter hæredes necessarios et voluntarios, statuimus absolutè : Homicida tenetur, non quidem ad æqualitatem, sed secundùm spem lucri, restituere quibuslibet hæredibus occisi, sivè necessariis, sivè voluntariis, pro lucris quæ fecisset si diutiùs vixisset. Etenim hæredes titulo universali, quicumque sint, sivè necessarii, sivè voluntarii, eo ipso quòd ad hæreditatem vocentur lege aut testatoris voluntate, succedunt absque ullâ distinctione in omnia jura defuncti; nulla quippè subest ratio cur ex jure ad unum potiùs quàm ad alium transirent; porrò defunctus jus strictum habebat quandò moriebatur, ut sibi compensarentur lucra quæ fecisset si diutiùs vixisset. Id admittendum est, 1° *ex principiis juris*. Defunctus enim, vel mutilatus, injustè privatus est spe quam habebat acquirendi ea bona aut avertendi damna : sed illa spes erat pretio æstimabilis, adeò ut de illâ potuisset contrahere, eamque vendere; ergò ei debetur restitutio, siquidem ei verè damnum illatum est. 2° *Ex principiis adversarorum;* si læsus non statim fuisset mortuus, sed solùm vulneratus, ipsi compensanda essent lucra cessantia et damna emergentia; illud omnes agnoscunt, cùm obligent ad reparanda damna mortem antecedentia. Jam verò absurdùm videtur malefactorem ad minorem adstringi obligationem, quia statim læsus mortuus est; talis doctrina esset incitamen ad accelerandam mortem læsi, ut sic minueretur obligatio restitutionis. Ratio à priori est, quia ex ipso instanti quo fit læsio, contrahitur obligatio reparandi damna indè sequentia, cùm eo instanti ponatur actio damni efficax et injusta : ergo.; aliundè : ergò hæredes, sivè necessarii, sivè voluntarii, jus strictum habent ad restitutionem lucrorum quæ fecisset occisus si diutiùs vixisset.

Nec obstat quòd occisus ea lucra, si diutiùs vixisset, probabiliter dissipâsset; nam ille, quocumque modo usus fuisset bonis suis, eo instanti quo læsus est statim acquisivit jus ad omnia lucra quæ acquisiturus erat; hoc jus quippè independens est ab usu bonorum quem fecisset, siquidem dominus re suâ uti et abuti potest absque alterius injuriâ; ideò occisor prodigi qui forsàn pinguia lucra devorâsset comessationibus, aut ludis, aut commerciis periculosis, non eximitur ab obligatione ea lucra restituendi istius hæredibus qui fortasse ab eo nihil accepissent, si occisus morte naturali obiisset; his enim defunctus omnia sua jura reliquit.

N. B. Hæc quæ diximus, ubi docuimus nullum apponendum esse discrimen inter hæredes necessarios et voluntarios, tantùm applicantur hæredibus voluntariis qui ad hæreditatem de facto vocantur. Qui enim duntaxat spem habent se ad hæreditatem vocandos esse, inter eos computandi sunt qui ab occiso liberalitates accipere sperabant, de quibus infrà.

*Quæres* 3° an homicida teneatur restituere creditoribus occisi?

*Resp.* Homicida, *generatim loquendo*, non tenetur restituere creditoribus occisi. Si enim teneretur restituere creditoribus, maximè esset quia per occisionem privaret illos debitorum solutione quam sperabant ex lucro probabiliter faciendo ab occiso; atqui homicida illos tali spe non privavit, siquidem ad debita repetenda actionem habebunt contrà hæredes quibus restitui debet lucrum ab occiso percipiendum si diutiùs vixisset, cùm ad istos immediatè transeant jura et obligationes occisi : ergò. Ea decisio vera esse videtur, etiamsi homicida præviderit creditores solutionem debitorum obtenturos non esse, eò quòd isti debitum probare nequeant, vel hæredes malevoli illud solvere nolint. Ratio est quia homines non tenentur nisi de damnis quæ habent connexionem probabilem cum suis actionibus liberis; atqui damnum quod patiuntur creditores in hoc casu probabilem non habet connexionem cum homicidio, siquidem non solet communiter ei adjungi, cùm hæredes occisi ordinariè satisfaciant illius obligationibus, vel quia lege coguntur, vel quia conscientiâ determinantur; hinc in foro externo non datur creditoribus occisi actio contrà occisorem. Ergò. Sic Lessius, Sylvius, Billuart, Collet, Bouvier, etc.

Dixi, *generatim loquendo*, quia non pauci sentiunt homicidam teneri ad restitutionem ergà creditores, quandò eâ intentione iste homicidium perpetravit ut creditores suo debito frustrarentur. Etenim homines jus strictum habent à naturâ, ne alter dirigat suas actiones animo damnum ipsis inferendi. Sic communiter theologi.

Observatur occisorem aliquandò teneri ex charitate creditoribus potiùs quàm hæredibus restituere, aut creditores saltem monere se hæredibus restituisse, ut isti ab iis solutionem exquirere et obtinere valeant. Ex circumstantiis judicandum erit quandonàm expediat ità se habere.

*Quær.* 4° an homicida restituere teneatur iis qui ab occiso liberalitates recipiebant vel recipere sperabant?

*Resp.* Homicida, *generatim loquendo*, non tenetur restituere iis qui ab occiso liberalitates accipiebant vel accipere sperabant. Si homicida teneretur ad re-

stitutionem ergà eos, maximè quia illos injustè impediisset à consecutione liberalitatum; atqui non injustè impedivit.... Isti quidem jus strictum habent ne à beneficio obtinendo arceantur per actiones injustas quæ in collatorem cadunt, quandò illæ actiones ponuntur in ordine ad ipsos donis aut liberalitatibus exspolian-dos; sed minimè, quandò illæ actiones alio ponuntur fine, etiamsi prævideatur alios damnum indè passuros esse. Nemo enim jus strictum habet ut alius abstineat in suis operationibus ab iis omnibus quæ remotè et per accidens possunt alicui afferre nocumentum : indè sequerentur intolerabilia consectaria, nempè homicidam qui occidit beneficii collatorem, vel conductorem operariorum, vel invitantem ad convivia, teneri ad restitutionem ergà clericos qui beneficia sperabant, vel ergà mercenarios qui sæpè conducebantur ab occiso, vel ergà amicos qui frequenter ad prandium cum defuncto ciebantur, quod communi hominum sensui abundè nauseosum est. Sic præcipuè Molina, Delugo, Lessius, Layman, Haunoldus, Billuart, etc.

Dixi, *generatim loquendo*, quia ex jam dictis homo jus strictum habet ne actiones sibi materialiter damnificativas alii dirigant animo nocendi. Ità Delugo, Ligorio, Daelman et ferè omnes.

*Quæres* 5° utrùm injustus homicida liberetur à restitutione faciendâ, si defunctus antè mortem remiserit omnia damna.

*Resp.* Vel illa condonatio est remissio offensæ personalis, vel est remissio expressa damni realis.

Si prius, homicida non liberatur à restitutione; tamdiù remanet obligatio restituendi, quamdiù alter habet jus exigendi restitutionem; atqui defunctus habet jus exigendi restitutionem, siquidem tantùm deposuit omne odium, spiritum vindictæ aut animum prosequendi malefactorem coràm judicibus; quod omninò diversum est à remissione debiti : ergò... Ità communissimè accipienda est condonatio quam supremâ horâ faciunt occisi.

Si posterius, homicida liberatur à restitutione, *exceptis strictè debitis*. Tunc cessat obligatio restituendi, cùm ille cui fieri debet cedit validè de suo jure; atqui defunctus validè cedit.... Ideò enim non posset validè cedere de jure suo, quia juri et labori suo renuntiare non posset respectu hæredum necessariorum; atqui juri suo et labori renuntiari potest respectu hæredum necessariorum; siquidem non tenetur ex justitiâ laborare et lucrari pro suâ familiâ. Undè pater piger aut dissipator bonorum suorum in ludis, compotationibus, comessationibus, non arguitur injustitiæ, quamvis crudelitatis notam mereatur, et ad restitutionem in jure naturali non obligatur : ergò.

Dixi, *exceptis strictè debitis*, quia invalida esset remissio quæ fieret in fraudem eorum quæ jure stricto alteri debentur, nempè, 1° partis creditoribus obvenientis in solutionem debitorum; 2° portionis hæreditibus necessariis lege reservatæ; 3° alimentorum et similium quæ defunctus præstare tenebatur vel ascendentibus, vel uxori, vel descendentibus indigentibus, juxtà art. 203, 205, 206, 207, 208, 209, 210, 211, 214. Hæc ultima dispositio præcipuè intelligenda est quandò agitur de remissione lucrorum acquisitorum quæ fieret detrimento alimentorum, vestium et tectorum præcedentibus egenis debitorum, quia in hæc isti videntur habere jura inconcussa; sed decisio non eamdem habet certitudinem, quandò agitur de remissione lucrorum quæ fecisset occisus si diutiùs vixisset, quia valdè litigiosum est an lex civilis ex justitiâ cogeret aliquem ad lucrum faciendum pro istius inopi familiâ, ac proindè an familia jus strictum habeat ad alimenta ex lucris à patre faciendis, et propterèa an legitima vel irrita sit condonatio quam faceret occisus, qui ex lucris quotidianis alebat patrem aut matrem, aut uxorem, aut pueros indè in miseriam lapsuros.

Colliges 1° eum qui injustum aggressorem occidit, sivè servaverit justum moderamen inculpatæ tutelæ, sivè non servaverit, ad restitutionem non teneri. Ibi nulla est obligatio restituendi ubi nulla fit injuria injusto aggressori; atqui injusto agressori non fit.....: scienti et volenti nulla fit injuria, quandò jus cedi potest : atqui injustus aggressor est sciens et jus suum validè cedere potest, cùm, nemine diffitente, restitutioni damnorum renuntiare valet : ergò.

Colliges 2° duellantem occisorem non teneri restituere pro morte duellantis occisi qui prælium singulare provocaverat vel acceptaverat : scienti et volenti nulla fit injustitia, quandò jusc edi potest; atqui; ergò

Cæterùm, semper ea excipienda sunt quæ aliis strictè sunt debita, v. g., creditoribus, uxori, liberis, quia defunctus ea validè condonare non potest.

## ARTICULUS II.

### DE STUPRO.

Stuprum in genere est defloratio virginis extrà matrimonium. Nomine virginis intelligitur in hâc quæstione vel integra virgo, vel honesta vidua, vel puella vitiata quæ non cognoscitur ut talis.

In stupro duplex distinguitur damnum, aliud naturale, quod consistit in privatione virginitatis et de quo judicandum est sicut de amputatione membri; aliud reale, quod consistit in amissione spei conveniens matrimonium ineundi et de quo nunc agitur.

Ut quemdam ordinem teneamus in eo articulo, considerabimus obligationes stupratoris, sivè ergà virginem defloratam, sivè erga prolem, sivè ergà parentes virginis violatæ. Undè tria sunt quærenda.

*Quær.* 1° ad quid teneatur stuprator ergà virginem violatam?

*Resp.* Certum est stupratorem, quocumque modo stuprum fuerit illatum, ad restitutionem ob damnum temporale non teneri ergà virginem aut ejus parentes, si crimen tenebris maneat involutum, quia tunc nullum reipsà sequitur damnum temporale. Necessaria verò est distinctio si crimen jam patuerit; tuncquè dicendum : Struprum commissum fuit, vel virgine consentiente, vel vi, metu aut fraude in crimen adductâ, vel spe matrimonii illectâ.

Si 1°, stuprator ad nihil tenetur ergà virginem. Ibi

nulla est obligatio restituendi ubì nulla fuit injuria : atqui... ; scienti et volenti non fit injuria, quandò ille jus suum cedere potest; atqui virgo consentiens erat. 1° Sciens, nulla fuit fraus ; 2° volens, spontè consensit; 3° jus suum cedere potuit, non quidem eo sensu quòd licitum ei fuerit in crimen consentire, sed eo sensu quòd potuerit renuntiare juri quod habebat ad temporalem reparationem : ergò.

Si 2°, stuprator tenetur ergà virginem reparare omnia damna realia quæ exindè sequuntur ; nam unusquisque tenetur reparare damnum cujus est causa efficax et injusta; atqui stuprator est causa efficax et injusta... siquidem virgo jus strictum habebat ut talibus modis in crimen sibi damnosum non adduceretur : ergò. Ad metum revocantur preces nimis importunæ, si præsertim jungantur cum metu reverentiali. Undè stuprator tenetur defloratam convenienter dotare vel saltem ducere. Ex duobus illis restituendi modis quem voluerit eligere potest; alteruter sufficit ad reparationem damni; neque tamen stuprata, neque vicissìm stuprator ad matrimonium cogi possunt.

Si 3°, vel promissio fuit ficta vel vera, seu vel seductor intendebat bonâ fide puellam ducere vel non. Si promissio fuit ficta, idem est casus ac si per fraudem virginem seduxerit. Tunc enim est fraus quandò puella decipitur; atqui per illam promissionem reverà decipitur puella ; ergò adest fraus. Si promissio fuit vera, ad nihil tenetur deflorator ; si enim teneretur vel ratione fraudis, vel ratione promissionis; atqui neutrum ; 1° non ratione fraudis, siquidem nulla est, cùm stuprator bonâ fide intenderet nubere ; 2° non ratione promissionis ; nam est contractus sub conditione turpi ; atqui talis contractus non obligat, etiam adimpletâ conditione, ut ultimo capite probabitur : erg.

*Quær.* 2° ad quid teneatur stuprator ergà prolem?

*Resp.* Vel puella spontè consensit, vel injustè in crimen fuit adducta.

Si prius, vir et mulier tenentur in solidum prolem enutrire et educare donec ipsa sibi sufficienter providere possit. Sic art. 203 et 303, quibus addendæ sunt annotationes D. Gousset in prædictos articulos : « Le « principe indiqué dans cet article est également appli- « cable aux père et mère des enfants naturels légale- « ment reconnus ; ainsi jugé par la cour de Paris, le 11 « frimaire an XII et le 23 prairial an XIII ; par la cour « de Toulouse, le 24 juillet 1808 ; par la cour de Cas- « sation, le 16 novembre 1808 et le 27 août 1811. On « doit suivre la même règle pour les enfants naturels « qui ne sont point reconnus. Le père ou la mère d'un « enfant naturel, même incestueux ou adultère, sont « solidairement obligés en conscience, suivant leur « facultés et moyens, de concourir à son éducation, « dès le moment de sa naissance jusqu'à ce qu'il puisse « se suffire à lui-même. » Quid hàc explicatione conformius voto naturæ et communi hominum existimationi ? nemo est qui non sentiat munus quod parentes, prolem suscipiendo, sortiuntur, perfectius esse quàm officium ab istis aut domesticis, aut nutricibus, aut magistris commissum ; undè pater et mater ex justitiâ tenentur, si non jure naturali, quod non expendimus, saltem jure positivo, proli enutriendæ vel educandæ providere : ergò.

Si posterius, solus vir tenetur, *primo loco*, prolem enutrire et educare, quia tunc est causa principalis stupri ; sed mulier tenetur, *secundo loco*, et viri defectu, etiamsi nullam culpam admiserit fraudi cedendo, quia non desinit esse mater infantis; in hoc ultimo casu, puella servat recursum contrà suum corruptorem, qui ad totum damnum refundendum tenetur. Si forsan puella sui sexûs abjiciens verecundiam, juvenem ad stuprum viis injustis sollicitaret, ipsa teneretur primo loco de damno reali, nempè de sumptibus alimoniæ et educationis prolis. Juvenis hoc onus secundo loco nonnisi et defectu matris assumeret.

Hinc parentes qui prolem in xenodochio exposuerunt, tenentur, nisi verè sint pauperes, omnes impensas nutritionis et educationis xenodochio restituere. Sic fert sententia communis, ex praxi hospitiorum restitutionem pro talibus sumptibus exigentium, quia xenodochia, non in gratiam parentum qui solvere possunt, sed in gratiam infantium expositorum, instituuntur. Ut autem determinetur quantitas restitutionis faciendæ, an proles vixerit vel mortua sit sciscitandum est; ad hæc documenta obtinenda satis erit indicare diem quâ proles exposita fuerit, sexum infantis, et maximè notas distinctivas quas à naturâ impressas vel à parentibus religatas puer secum attulit; ista indicia accuratè describuntur ab iis qui infantes expositos recipiunt. Tunc, si vixerit proles, restituendæ erunt impensæ tum apud nutricem tum in ipso xenodochio factæ usque ad annum duodecimum, quo puer potest laborare ad lucrandum quod victui et vestitui necessarium est : illæ impensæ sunt circiter 1200 francorum. Si proles mortua sit, solvendi erunt sumptus à die expositionis usque ad diem mortis ejus. Si verò incertum sit an proles adhùc vivat necne, restitutio facienda æstimabitur secundùm probabilitates mortis et vitæ pro hujusmodi infantibus. Cùm igitur experientiâ constet vix sextam eorum partem ad duodecimum ætatis annum pervenire, ideò xenodochio 200 circiter francos restituere sufficiet, qui sunt sexta pars 1200 francorum.

*Obj.* Xenodochia maximè instituuntur ad præcavenda infanticidia; atq. non obtineretur ille finis si facienda esset restitutio pro infantibus expositis : erg.

*Resp. neg. min.* Nam si parentes sunt divites, non multùm impelluntur ad crimen infanticidii metu restitutionis ; si autem pauperes sint, tunc obligatio restituendi, non valdè ut concedimus, urgenda est. Denique cùm hæc ratio non sit omninò peremptoria suadebimus confessariis ut potiùs leniores quàm rigidiores sint in usu nostræ opinionis.

*Quæres* 3° ad quid teneatur stuprator ergà parentes virginis defloratæ ?

*Resp.* Vel puella vi aut fraude in crimen fuit adducta, vel plenè et liberè in crimen consensit.

Si prius, stuprator tenetur restituere omne damnum temporale quod experiuntur parentes, in eo quòd debeant filiæ dotem augere ut ea convenienter possit

nubere, quia jus strictum habent ne puella injustè impediatur à contrahendo matrimonio secundùm suam conditionem : erg.

Si posterius, non omninò certum est stupratorem teneri ad solvendum parentibus augmentum dotis quod isti constituunt ut puella deflorata juxta suam conditionem nubere possit. Alii affirmant, quia stuprator violavit jus strictum quod parentes habebant ut filia sua convenienter nuberet. Alii verò negant, quia puella de quâ agitur, sivè nulli nubat, sivè matrimonium inconveniens ineat, non peccat contrà justitiam ergà parentes ; ità nubendo, ipsa sola, non autem parentes, ex incommodis talis matrimonii patitur ; undè stuprator nullam eis debet restitutionem. Sic Billuart, cujus opinio gravioris est ponderis.

Observa tamen stupratorem teneri ad satisfactionem honorariam ergà parentes stupratæ puellæ, sivè ea consenserit, sivè vi aut fraude oppressa fuerit, quandiù sub eorum custodiâ erat ; quia tunc violavit jus custodiæ quod illi in eam utpotè minorem habebant ; hæc autem satisfactio honoraria consistit in petitione veniæ, vel humili suî submissione, vel aliquâ notâ pœnitentiæ, vel honoris exhibitione, vel aliis hujusmodi, proùt insinuant circumstantiæ, quia sæpè isti tantâ apprehenduntur indignatione, ut corruptoris præsentiam æquo animo ferre non soleant ; tuncque signa doloris, preces, eleemosynas, missas offerre pro eis consulendum est. Si verò puella quæ deflorata fuit jàm sub potestate parentum aut tutorum non esset, quia scilicet evasit major, ad nihil ergà eos tenetur stuprator ; tunc enìm non censetur ullo modo jus strictum eorum violàsse.

## ARTICULUS III.

### DE ADULTERIO.

Adulterium in genere significat accessum ad alterius torum, seu commercium cum personâ alteri conjugatâ. Hìc agitur tantùm de commixtione carnali mulieris conjugatæ cum altero viro, quia ab eo solo oriri solet damnum quod potest esse objectum restitutionis. In isto adulterio duplex distinguitur damnum, aliud naturale quod consistit in violatione fidei conjugalis quæ alteri conjugi debetur ; jàm hoc satìs intelligitur ex iis quæ diximus ubi de damno naturali ab homicidà vel stupratore illato ; aliud reale quod consistit in eo quòd proles indè suscepta ex bonis mariti cum filiis alatur, educetur, dotetur, et in hæreditatem admittatur. Agendum est de illo solo.

*Quær.* 1° an adulter et adultera teneantur in solidum reparare damnum quod sequitur ex adulterio ?

*Resp.* Triplex casus circà adulterium fingi potest ; vel nulla proles indè nata est, vel nata est proles, vel dubium et utrùm proles sit legitima an adulterina.

1° Si nulla proles ex adulterio nata sit, vel conjux mulieris adulterantis adulterium cognovit, vel ignoravit. Si prius, injuria illi conjugi illata reparanda est per aliquod medium, judicio viri prudentis, observando non tam restitutionem quàm satisfactionem honorariam pro talibus injuriis deberi. Si posterius, ad nihil omninò tenetur adulter, quia satisfactio magis noceret quàm prodesset.

2° Si nata sit proles, adulter et adultera, quandò crimen ex mutuo consensu peractum est, tenentur in solidum et æqualiter pro suâ parte ad compensanda omnia damna marito, vel filiis legitimis, vel hæredibus, exindè advenientia ; 1° in *solidum ;* ambo influunt efficaciter in totum damnum, adeò ut, uno sublato, damnum non fuisset illatum ; 2° *æqualiter pro suâ parte ;* uterque causa est æquè principalis damni. Si tamen adulter, ad obtinendum adulteræ consensum, ipsi acceptanti, promiserit se omnia damna esse compensaturum, vel si eam induxerit in adulterium per vim, fraudem, metum gravem, tunc tenetur de toto damno, mulier verò nonnisi in ejus defectum ; adulter enim in his casibus, utpotè consulens simul et exequens, est causa magìs principalis adulterii et damnorum indè subsequentium, censeturque in se suscepisse obligationem omnia hæc damna reparandi.

3° Si dubium sit an proles sit mariti, an verò adulteri, tunc tenentur adulter et adultera restituere marito, filiis legitimis aut aliis hæredibus, ratione majoris vel minoris dubii. Vel enim tenentur ratione.... vel admittendum est quòd maritus innocens totum subeat onus alendæ et educandæ prolis quæ fortè sua non est ; atqui illud est ab æquitate alienum ; si enim duo vel plures sagittas projecissent in aliquem qui indè occisus fuisset, et dubitetur ex cujus sagittâ fuerit occisus, omnes docent eos teneri de damno pro ratione dubii, et iniquum fore si unus immunis esset à damno reparando : ergò à pari in casu præsenti. Nec obstat quòd in dubio proles præsumatur legitima : hæc enim præsumptio est tantùm in favorem filii donec probetur spurius, minimè verò adulteri qui posuit actionem de se damnificativam.

*Quæres* 2° in quo consistat damnum ab adulteris reparandum ?

*Resp.* Totum illud damnum ad tria potissimùm revocari potest, scilicet 1° ad sumptus pro enutritione et educatione prolis adulterinæ factos ; 2° ad hæreditatem quam spurius loco filiorum legitimorum accepit vel accepturus est ; 3° ad donationes et liberalitates à consanguineis vel amicis mariti aut adulteræ collatas spurio qui putabatur legitimus. De his tribus tres subsunt quæstiunculæ.

*Petitur* 1° quid restituendum sit pro enutritione et educatione prolis adulterinæ ?

*Resp.* Vel proles exposita fuit in xenodochio, vel in quâdam familiâ vixit supposita. Si prius, ratiocinandum est de illâ sicut de prole quam stuprator exposuit. Si posterius, difficillimum est determinare quantitatem compensationis faciendæ. Attendendum est, sivè ad conditionem familiæ, quæ proli adulterinæ educandæ impendit majores sumptus si sit nobilis aut dives, vel minores aut ferè nullos si pauper sit aut curæ negligens paternæ : sivè ad qualitatem filii adulterini, qui, forsan ratione suæ complexionis debilis

aut tarditate sui ingenii, causa fuit majorum impensarum quàm alii filii legitimi, vel aptitudine et valetudine suâ absque morâ pervenit ad officium valdè lucrativum, undè cognatorum putativorum fortuna crevit aut amplificata fuit. Vir prudens hæc omnia æstimabit et æquam summam restituendam statuet.

*Petitur* 2° quid restituendum sit pro hæreditate quam loco filiorum legitimorum spurius accepit vel accepturus est?

*Resp.* Si spurius aut spuria jam hæreditavit cum aliis filiis legitimis, valor partis quam obtinuit refundendus est filiis legitimis vel aliis hæredibus qui eam percepissent. Si autem spurius aut spuria nondùm partem habuit in hæreditate, tunc adulter et adultera restituere debent, non totum damnum quod filii legitimi aut hæredes paterentur si proles adulterina jam hæreditavisset, quia incertum est an patri putativo supervictura sit; sed proportionatè ad diversos gradus probabilitatis vitæ aut mortis ejus, ratione habitâ illius ætatis et complexionis secundùm judicium viri prudentis.

*Petitur* 3° quid restituendum sit pro iis quæ consanguineis mariti vel adulteræ dantur aut legantur spurio, quia reputatur legitimus, cùm ea nec data nec legata fuissent si nota fuisset ejus illegitimitas?

*Resp.* Quidam affirmant cum Molinâ, adulterum et adulteram teneri ad restitutionem eorum quæ sic dantur, quia vera sunt causa cur donatores donationes faciant cum errore circà personam, ac proindè disponant de re suâ contrà suam voluntatem; quo casu donationes nullæ sunt et ad donatorem revertere debent. Alii verò probabiliùs negant post C. Delugo, adulterum et adulteram ad illam restitutionem obligari: de damno enim quod per accidens et præter eorum intentionem evenit, non tenentur; atqui tales sunt suprà dictæ donationes; eas saltem ordinariè nec prævident nec prævidere possunt adulteri; deceptio igitur per accidens evenit ac proindè ipsis imputanda non est: ergò. Dixi, *ordinariè*, quia principium Molinæ nobis videtur rectum et suam habere applicationem, v. g., quandò mulier prævidere potuit filium spurium quasdam donationes accepturum esse.

Nec dicas ab adulteris saltem in genere prævideri posse futuras esse donationes, ac proindè restitutionem faciendam esse ob illam generalem prævisionem. Urgenda non est comparatio inter adulterum et possessorem malæ fidei. Possessor malæ fidei tenetur de casibus fortuitis, quia cadunt in rem determinatam et non sese extendunt ultrà perditionem, aut deteriorationem rei detentæ. Ubi autem agitur de donationibus quæ proli adulterinæ fieri possunt, casus fortuiti non cadunt in rem determinatam; undè illi casus utpotè indefiniti et in infinitum multiplicabiles, prævideri non censentur.

*Quæres* 3° quandonàm adulter et adultera damnum reparare teneantur?

*Resp.* Vel damnum jam illatum est, vel non. Si prius, damnum statim reparandum est sicut quodlibet aliud damnum. Si posterius, distinguendum est: si adulter sit morti proximus, rem eo modo disponere debet quo debita restitutio fiat. Itaque optimum erit illi suadere ut vel ipse statim restituat secundùm probabilitates vitæ humanæ, vel pecuniæ summam reparando damno destinatam committat viro probo et prudenti, cui suam mentem aperiet. Ille, cùm tempus erit, restituet nomine defuncti. Si verò mors non immineat, debet quidem adulter habere propositum totum damnum resarciendi, si proles illegitima de facto hæreditatem patris putativi et aliorum propinquorum injustè obtineat; sed potest differre restitutionem pro hæreditate, præsertim si mors infantis spurii probabilis appareat; nàm, cùm istud damnum nondùm fuit illatum, nondùm urget obligatio illud reparandi. Cautiones tamen illi consulendæ sunt ne restitutio omittatur si ipse ante prolem moriatur.

*Quæres* 4° quomodò adulter et adultera damnum reparare possint?

*Resp.* Adulter nullam experitur difficultatem in modo quo damnum reparare debet. Cùm autem adultera sit in casu particulari, nempe constituta sub potestate et administratione mariti, quædam speciales occurrunt difficultates. Ad eas resolvendas distinguimus: mulier, aut dissolutâ, aut durante communitate, restituere debet; si dissolutâ communitate restituere debeat, ex bonis ipsius restitutio facienda est; si verò durante communitate facienda sit restitutio, hoc est decisionis principium: ea restituere debet ex solis bonis quorum dominium et liberam administrationem habet. Quòd si illa bona non sufficiant ad restitutionem, tenetur 1° rem familiarem diligentiùs administrare; 2° de cultu corporis sui et cæteris sumptibus sibi aliàs permissis detrahere; 3° patri putativo suadere, sed quàm prudentissimè, ut filiis legitimis plus tribuat quàm illegitimo, si id permittant locorum leges; 4° filium spurium prudenter inclinare ad statum cœlibem, aut religiosum, aut ecclesiasticum, si præ se ferat signa divinæ vocationis, ut post illius mortem bona quæ illegitimè obtinuit ad hæredes legitimos redeant.

*Nota.* Si mulier his aut similibus modis non possit sufficienter pro parte suâ restituere, adulter debebit supplere, et totum illius defectu solvere, siquidem ad hoc in solidum tenentur.

Sed quid faciendum mulieri quæ similibus modis damna hæc compensare non potest? teneturne ad indicandum crimen suum?

*Resp. neg. Saltem communiter loquendo.* Si cui mulier teneretur manifestare crimen suum, esset vel marito, ut ab eo condonationem obtineret, vel spurio, ut hæreditati renuntiaret; atq. neutri; 1° non *marito*, quia ex hujusmodi revelatione vix aliud sequitur quàm infamia mulieris, dedecus prolis illegitimæ, odium, contemptus et furor mariti, gravissimum scandalum societatis christianæ et perpetua divisionum radix in familiâ; porrò, obligatio reparandi damnum temporale non urget cum dispendio bonorum altioris ordinis: erg. 2° Non *filio*, quia hæc revelatio inutilis esset, cùm filius matri turpitudinem

suam alleganti non credet, aut si credat vix probabile est quòd ità perfectus sit ut solo justitiæ amore renuntiet hæreditati quam tutò in foro exteriori retinere potest : erg. Innoc. II eâ de re consultus sic decidit. c. 9, *de pœnit.*

« Dixi, *communiter loquendo*, quia mulier in quibusdam casibus crimen suum manifestare debet : scilicet, 1° Si jam anteà bonæ famæ nomen amiserit, modò exinde grave nocumentum non timeat; 2° si spurius regno vel pinguissimo majoritatui succedere debeat cum detrimento legitimi hæredis, quia bonum inferioris ordinis ità aliquandò notabile est ut in communi hominum æstimatione bono altioris ordinis æquivaleat; 3° si adultera spurio facilè demonstrare possit, v. g., ex mariti absentiâ vel impotentiâ ipsius, illegitimos esse natales, dummodò spurius prævideatur dispositus ad renuntiandum rebus acceptis vel accipiendis titulo hæredis. Hic casus rarissimus est quia spurius, ex regulâ juris « *Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides*, ferè nunquàm matri suum crimen confitenti credere tenetur; ista quippè ex odio unius vel ex dilectione alterius agere præsumitur ; quòd si verò mater sit probæ fidei, rectæ conscientiæ, æqualis regiminis ergà pueros, remque cum juramento affirmet *in liminibus* mortis constituta, ejus spurius testimonio stare debet; vulgò tamen spurius ex principiis card. Delugo tantùm matri credere tenetur, quandò ista probat suum crimen rationibus quæ sufficerent in foro externo.

## CAPUT III.

### DE INJURIA ET RESTITUTIONE OB DAMNUM ILLATUM IN BONIS FAMÆ.

Ad cognoscendum quodnam damnum illatum sit circà bona famæ, tria discernenda sunt, nempè existimatio, fama et honor. *Existimatio* est quoddam judicium internum de vità, moribus et qualitatibus alicujus personæ, v. g., de virtute, vitio, ingenio, scientià, eloquentià, aptitudine, auctoritate, potentià et similibus quæ hominem efficiunt laudibus aut vituperiis dignum; *fama* est manifestatio externa bonæ vel malæ existimationis; *honor* est testimonium externum reverentiæ alicui præstitæ ob illius excellentiam in aliquo genere. Unde existimatio, fundatur in qualitatibus personæ, fama in existimatione, et honor in excellentiâ habità vel supposità. Bonæ existimationi opponitur judicium temerarium, famæ detractio, et honor contumeliæ.

Igitur ordinem naturalem sequendo agere deberemus primò de judicio temerario, deindè de famâ et ultimò de contumeliâ. Sed prævaluit in scholis istius ordinis inversio ut procederetur à minùs noto ad magis notum : quapropter dicemus, 1° de detractione quæ famam externè lædit; 2° de contumeliâ, quæ lædit honorem; 3° de judicio temerario, quo fama internè læditur.

### ARTICULUS I.

#### DE DETRACTIONE.

Nemo ignorat quantùm hæc materia in praxi utilis sit tum confessariis, tum præconibus verbi divini. Hìc breviter dicemus, 1° de naturâ detractionis; 2° de peccato detrahentium; 3° de peccato audientium detractionem; 4° de restitutione famæ per detractionem ablatæ.

§ I. *De naturâ detractionis.*

*Quæres* 1° quid sit detractio ?

*Resp.* Detractio est famæ proximi exstinctio, vel imminutio injusta, eo absente, dictis aut signis facta.

Dicitur 1°, *famæ proximi exstinctio, vel imminutio.* Sic propriè non detrahit qui de vitiis alterius loquitur cum iis qui jàm hæc noverunt, etsi peccare possit si hoc agat ex pravo fine vel affectu.

2° *Injusta*, quia ob justam causam licet proximi culpam alteri manifestare, servatis tamen charitatis legibus in Decalogo sapienter expositis.

3° *Facta, absente proximo*, ut distinguatur à contumeliâ quæ est injusta honoris violatio facta præsenti et scienti.

*Quæres* 2° quomodò dividatur detractio ?

*Resp.* Detractio multiplex est pro variis ejus respectibus.

1° Ratione intentionis, dividitur in formalem et materialem. Detractio formalis est ea quæ fit cum animo alicui nocendi vel saltem prævisione famam ejus minuendi; materialis est ea quæ fit ex loquacitate, animi levitate ac sinè prævisione nocumenti.

2° Ratione materiæ circà quam versatur, detractio dividitur in directam et indirectam.

Detractor directè proximi famam lædit cùm ejus defectus aperit : quod fieri potest quadruplici modo, nimirùm, 1° falsum crimen imputando, tuncque calumnia est; 2° verum crimen amplificando; 3° occultum revelando; 4° alterius factum sinistrè interpretando. Hæc versiculo sequenti continentur :

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

Detractor indirectè famam alterius lædit, cùm imminuit ejus præclaras dotes; hocque pariter fieri potest quadruplici modo : 1° negando laudabiles proximi actus aut eximias ejus dotes; 2° illos actus, vel dotes extenuando; 3° hæc eadem reticendo, præsertim in iis circumstantiis in quibus sinè alterius injuriâ sileri non possunt; 4° frigidè, vel simulatè laudando. Hæc quatuor sequenti versiculo exprimuntur :

*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissè.*

3° Ratione mediorum quibus perpetratur, detractio dividitur in verbalem, quæ fit vivâ voce, et in scriptam quæ fit libellis mordacibus, picturis derisum aut contemptum moventibus, cantilenis injuriosis necnon historiis quibus describuntur occulta alicujus vitia. Errant procul dubio qui putant detractionem non esse cùm persona non nominatur. Satis est ad detractionem quòd circumstantiæ notitiam personæ adducant. Ultimum hoc detractionis medium est omnium gravissimum, quia per illud infamia longiùs spargitur et difficiliùs aboleri potest.

4° Ratione personarum de quibus detrahitur, detractio diversa est, proùt attingit communitates aut personas privatas, superiores aut æquales, religiosos aut

seculares. Non multùm curatur an detractio cadat in mortuos vel viventes, quia mortui non minùs retinent juris in famam suam quàm ipsimet viventes; homo enim post mortem suam conservat principium juris seu animam, ac proindè jus ad bona quæ animâ possideri possunt, ergò et ad famam.

§ 2. — *De peccato detrahentium.*

Propositio. — *Detractio est peccatum mortale ex genere suo.*

*Prob.* 1° Prov. 24, 9, 21 : *Abominatio hominum detractor.... cum detractoribus non commiscearis.* Psal. 56, 5, de maledicis sic habetur : *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* S. Paulus, Rom. 1, 38, detractores recenset inter eos qui *digni sunt morte.* Idem habet 1 Cor. 6, 10. S. Jacobus, Epist. c. 4, 11 : *Qui detrahit fratri detrahit legi.*

2° Idem constat ex SS. Patribus. Vide S. Cypr. epist. 52 ad Antonianum, et S. Bern. tract. de interiori Domo, cap. 42. Notissimum est in hâc parte studium S. Augustini qui, referente Possidonio in ejus vitâ, distichum hoc ad suam mensam scripserat :

*Quisquis amat dictis absentûm rodere vitam,*
*Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.*

3° Ratione. Illud peccatum est mortale ex genere suo quod graviter lædere potest, remanendo intrà limites suæ speciei, charitatem et justitiam; atqui ità detractio..... 1° Charitatem; nemo dubitat quin detractio gravis graviter proximum lædat ac proindè graviter adversetur præcepto : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* 2° Justitiam; facilè intelligitur quòd innocens jus habeat ne ob detractionem pro reo traducatur : sed difficiliùs quidam illud concipiunt, cùm ille de quo detrahitur verè criminis reus est. Nihilominùs placet nobis ea explicatio : proximus jus habet ad famam quandiù publicum non est illius crimen, si non ratione virtutis quam non habet, saltem ratione possessionis legitimæ, nempè bonæ existimationis quæ illi utilis est et nemini noxia : ergò.

Dixi, *ex genere suo;* nam detractio fieri potest venialis ob levitatem materiæ, quandò scilicet leviter alterius fama læditur, siquidem læsus tunc non est graviter invitus; imò detractio omni vacat peccato, si quis justam habeat rationem defectum alterius manifestandi; utilitas publica, cui subordinantur omnia privatorum bona, non minùs exigit ut defectus proximi revelentur justâ de causâ, quàm occultentur cùm abest legitima necessitas. Itaque ad hæc intelligenda duo supponuntur expendenda.

*Quæres* 1° quandonam gravis censeatur materia detractionis?

*Resp.* Materia detractionis totiès censetur gravis, quotiès aliquid revelatur alteri valdè probrosum. Parvi refert an defectus alteri probrosus sit peccaminosus, v. g., adulterium, vel naturalis, v. g., morbus sonticus, vel parentibus proprius, v. g., improbitas patris vel libido matris. Ut autem cognoscatur aliquid alteri valdè probrosum esse, attendendum est 1° ad qualitatem personæ detrahentis, si gravis sit et discreta, aut garrula et levis, quia una majorem meretur fidem quàm altera, ac proindè certiorem facit detractionem quæ ab ipsâ originem ducit. 2° Ad conditionem personæ de quâ detrahitur, si sit religiosa aut laica, superior aut inferior, nobilis aut plebeia, quia quædam personæ parùm æstimationis deperdunt undè aliæ multùm; sic dicere de milite eum duellàsse, aut verba imprecatoria protulisse, aut vanis amoribus favere, etsi hæc omnia sint peccata mortalia, detractio gravis non censetur; dùm è contrario dicere de Episcopo, aut Sacerdote, aut Religioso eum vanitatis, ambitionis, mendacii consuetudine teneri, etsi forsàn illa peccata sint venialia, gravis habetur detractio. 3° Ad circumstantias locorum; multa enim sunt quæ, quamvis in se gravia, graviter, saltem ubiquè, non infamant, ut ebrietas in Germaniâ, aut Belgio, ubi communis est. Nollem tamen in regionibus nostris hæc ità extendere ut à mortali excusem semper qui de milite diceret quòd scortetur, de juvene quovis quòd libidinosus sit, de quâvis muliere quòd rixetur, de quovis plebeio quòd (si ità sit) illegitima fuerint ejus natalia, quasi ordinariè in istis similia parvi pendantur.

*Quæres* 2° quænam sint causæ quæ licitam faciunt manifestationem criminis aut defectûs alterius?

*Resp.* Auctores ad quadruplicem classem causas justas manifestationis referunt. 1ª Est Religio; licitum est scilicet detegere crimen quod tendit in detrimentum Religionis quandò timendum est ne suboriatur Religionis detrimentum nisi crimen reveletur. Nemo dubitat quin, si quis falsas doctrinas spargat, illum manifestare liceat, ut fidei fidelium provideatur. 2ª Est Justitia: sic judex potest, ad puniendum reum, crimen denuntiare, et privatus zelo justitiæ ad judicem crimen occultum deferre. 3ª Est charitas; quandò videlicet utilis est manifestatio ad bonum vel delinquentis vel aliorum qui, nisi fieret revelatio criminis, damnum paterentur. 4ª Est necessitas; nempè quandò manifestatio necessaria est, sive ad damnum proprium avertendum, sive ad petendum consilium auxiliumve, sive ob alia ejusmodi motiva.

Hinc à peccato exsulant, 1° illi qui superiores, aut patres familiàs monent de subditorum, filiorum, aut famulorum vitiis, ut eos reprehendant aut coerceant; 2° qui medici, advocati, confessarii, magistri, aut famuli inscientiam, aut pravitatem, detegit iis quorum interest ista cognoscere; 3° qui juvenes admonet de vitiis quorumdam sociorum, ut periculosam eorum societatem fugiant; 4° qui crimina publica in historiis consignant ad bonum commune et horrorem vitii injiciendum et veritatem factorum conservandam pro instructione posterorum; sic egit Scriptura sacra cùm posteris legenda tradidit scelera Cain fratricidæ, Loth cum proprià filià incestuosi, David adulteri, Absalon rebellis, Amnon sororem defloratis, etc., etc. In his tamen omnibus cave, ut decet christianum, ne crimen plus aut pluribus detegatur quàm necesse est ad malum depellendum.

Ut hæc principia magis ac magis elucescant, quædam dubia proponuntur solvenda.

*Primum dubium :* An et quatenùs peccet qui occultum alterius crimen uni soli viro prudenti manifestat quem probè scit non evulgaturum?

*Resp.* A mortali peccato excusant eum Cajetanus, Navarrus, Corduba et multi alii, quia arbitrantur amissionem bonæ existimationis apud unum hominem esse modicum nocumentum. Sed communiùs et rectiùs dicunt theologi peccare mortaliter eum qui absque justâ causâ revelat etiam uni soli viro prudenti gravem defectum alterius, quia plerique mallent suum defectum revelari octo vel decem hominibus quàm uni, cui peculiariter desiderant placere, et apud quem exoptant benè æstimari. Addunt tamen isti gravem saltem abesse culpam in pari revelatione, cùm ea fit animo inveniendæ consolationis et doloris imminuendi, modò non subrepat animus vindictæ, nec nimis exaggeretur injuria recepta; quia, inquit Billuart, nimis esset grave et ab humanâ consuetudine alienum, aliquem obligare ad excoquendum absque ullo solamine totum injustitiæ dolorem. Læsus non tenetur cum tanto incommodo parcere famæ alterius qui ipsi injuriam intulit.

*Secundum dubium :* An et quatenùs peccet qui occultum alicujus crimen se ab aliis audivisse narrat, absque propriâ confirmatione nocendique proposito?

*Resp.* 1° : Si tales concurrant circumstantiæ ut moraliter certum sit non credituros esse eos coram quibus narratur crimen, non timenda culpa mortalis, quia abest periculum notabilis damni.

2° Si tales concurrant circumstantiæ ut narratio per se quidem fidem non mereatur, sed prævideatur alios ex animi levitate credituros esse, non peccatur contra justitiam, sed benè contra charitatem. Ratio *prioris*, quia cùm audientes non ex pondere narrationis, sed ex animi levitate fidem adhibeant, narranti tanquàm causæ principali non potest adscribi infamia indè resultans. Ratio *posterioris*, quia præbet alteri occasionem alicujus bonam opinionem abjiciendi.

3° Si tales concurrant circumstantiæ ut narratio suopte pondere fidem apud audientes mereatur, contra justitiam peccatur, quia ponitur absque ratione sufficienti actio alteri damnificativa.

*Tertium dubium :* An mortale sit de quâdam communitate aliquod infandum alteri revelare?

*Resp.* Vel agitur de communitate religiosâ, vel de profanâ. Si de religiosâ, sæpissimè peccatum est mortale aliquid infandum revelare, tum quia detractio redundat in religionem, tum quia membra hujus ordinis, ob conjunctionem quâ sibi invicem devinciuntur, singula propriam habent injuriam alteri factam. Si de profanâ, vel est numerosissima, vel pauca numero. Si prius, non videtur lethaliter peccaminosa narratio criminis, vel defectûs ab uno admissi, quia ubique nonnulli inveniuntur perversi; quare societas, de cujus membro detrahitur, vel nullum vel nonnisi parvum patitur detrimentum. Si posterius, detractio graviter peccaminosa est, cùm aliquid maximè odiosum manifestatur de quodam membro parvæ communitatis, quia detractio in quasdam tantùm resilit personas, et indè graves suboriuntur contrà illas suspiciones.

*Quartum dubium :* An mortale peccatum sit aliquem de uno crimine infamatum de alio infamare?

*Resp.* Vel crimen occultum habet affinitatem cum crimine de quo est infamia, vel non.

Si *primum*, non peccat contrà justitiam qui crimen affine detegit ei qui principale cognoscit. Ratio est quia non censetur nova infamia inferri, nec prior augeri; v. g., si de homine publicè ebrioso dicas eum cum uxore rixari, verba imprecatoria proferre, non rectè curare rem familiarem, etc., non multùm auges primam infamiam quâ jam dedecoratur.

Si *secundum*, peccat contrà justitiam qui crimen occultum alteri crimini de quo est infamia non affine nec connexum detegit. Ratio est quia injustè infertur ei nova infamia gravis; fama enim est quid divisibile, partibus diversæ rationis constans, quarum si una auferatur, superest altera, proindèque jus ad illam conservandam. Hinc graviter peccat contrà justitiam qui de publico ebrioso dicit quòd adulterium, furtum, etc., commiserit.

*Quintum dubium :* An mortale sit peccatum aliquem in quodam loco infamatum in alio infamare?

*Resp.* Vel crimen est notorium notorietate juris, vel tantùm notorietate facti.

Crimen est notorium, 1° notorietate juris, quandò constat per sententiam judicis; 2° notorietate facti, quandò patratum est coram multis, adeò ut non possit quâque cautione celari, vel quandò sat personis innotuit, ut moraliter impossibile sit quòd non deveniat in cognitionem communitatis.

Si prius, qui revelat ubivis locorum et temporum crimen alicubi notorium *notorietate juris*, neque violat justitiam, neque charitatem. 1° Non justitiam; nam is non violat justitiam qui non violat jus quod alter habet ad famam; atqui revelans ubivis locorum et temporum crimen alicubi notorium notorietate juris non violat jus alterius, siquidem judex potuit et voluit damnato auferre jus ad famam ubivis locorum et temporum : potuit; nam potest auferre bona vitæ et fortunæ : ergò et famæ : voluit; nam sententiam fert publicam, et publicæ executioni jubet eam mandari : ergò. 2° Non charitatem; ille non lædit charitatem qui agit secundùm intentionem legis et boni publici : atqui ità divulgans crimen notorium notorietate juris; nam intentio judicis et boni publici postulat ut viri sceleratissimi cognoscantur, ad alios metu infamiæ à crimine committendo deterrendos : ergò. Aliud esset si ex judicis intentione sententia restringi deberet ad quorumdam tantùm notitiam, ut fit in decisionibus pœnalibus monasteriorum et collegiorum. Non ideò licet crimen foris notum facere, quia talis non est intentio superioris.

Si posterius, id est, si agatur de crimine notorio *notorietate facti*, vel diffamatio fit in locis ad quæ mox et verisimiliter cognitio criminis per aliam viam perventura est, v. g., per commercia et alias relationes; ve in locis ad quæ non perventura est, aut tantùm perventura post longum temporis spatium.

*In primâ hypothesi*, diffamator neque violat justitiam, neque charitatem saltem graviter : 1° non justitiam : quia fama alterius censetur in hoc casu moraliter amissa ac proindè non æstimabilis pretio : ergo. 2° Non charitatem saltem graviter : quia infamatus non multùm dolere potest de actione quæ ferè nullum ipsi creat damnum, cùm ex hypothesi mox infamandus sit : ergò.... Huic decisioni stamus, etiamsi divulgatio criminis, quæ mox facienda est, viâ injustâ fieri supponatur; proximus enim jus non habet ad famam nisi, vel quia innocens est, vel quia illius crimen est occultum. Porrò deest in præsenti casu uterque titulus : ergò. Undè timorati non inquirunt an rumor justè vel injustè propagatus fuerit, ut de aliquo loquantur crimine, modò illud sit reipsà publicum.

*In secundâ hypothesi*, controversia inter Theologos. Juxta multò plures diffamator violat et justitiam et charitatem. 1° Justitiam, quia alter videtur jus habere ad famam suam in loco ubi non est verisimiliter perventura notitia criminis. Etenim ibi ad famam suam non amisit jus, neque sententiâ judicis, cùm lata non fuit; neque crimine in se sumpto, alioquin quiçumque committeret crimen occultum amitteret jus ad famam suam, quod omnes negant; neque publicitate in alio loco, quia jactura juris quod habet ut non reveletur, non debet extendi ultrà publicitatem, quæ adhùc non extenditur ad locum ubì fit diffamatio : ergò. 2° Charitatem, quia fecit alteri quod sibi fieri nollet, cùm grave damnum inferat proximo : ergò.

Juxtà alios quibus præsunt card. Delugo, Becanus, Lessius et multi apud Ligorio citati, diffamator neque justitiam neque charitatem lædit. Fatentibus omnibus Theologis, licet historicis publica alicujus crimina typis mandare ad instructionem posterorum veritatisque integritatem conservandam; atqui coævi non minùs indigent instructione et veritatis integritate quàm posteri: ergò id licet pro aliis quod pro alteris. Et verò nemo timoratus qui folia diurna, ubi quotidiè publica describuntur crimina, non legat absque perplexitate; atqui tam scribere quàm legere fas est : ergò. Prætereà si alienigenæ quemdam adirent locum, non malum esset eis revelare crimina in eodem loco publica; cur pejus esset eadem scribere crimina eisdem in patriâ commorantibus? Nùm varietas locorum læsionem famæ variat? Ergò. Denique ratio fundamentalis in eo stat : bonum commune exigit ut homines ubique cognoscantur quales publicè alicubi habentur, alioquin relationes societatis nimis difficiles et periculosæ essent.

Posteriori adhæremus sententiæ pro quibuscunque criminibus quæ aliquam habuerunt publicitatem, sed maximè pro iis quæ reddunt hominem perniciosum, ut sunt crimina homicidii, proditionis, latrocinii, lenocinii, scandalosæ impudicitiæ et similium. Eò propensiùs hanc edimus opinionem quòd in Galliis omnia jam nunc loca censeantur contigua ob nimias commercii relationes, multitudinem viatorum, nubem publicorum foliorum, et forsan coævorum nativam loquacitatem.

Cæterùm omnes utriusque sententiæ patroni in eo concordes sunt, eum qui diffamatum uno tempore diffamat in alio tempore quo oblivioni tradita erat infamia prior, vel ex lapsu temporis, vel emendatione infamati, peccare contra justitiam. Ratio est quia crimen tunc reducitur ad eum statum in quo erat ante publicitatem, et in æstimatione communi divulgatio famæ proximi nocet.

### § III. — *De peccato detractionem audientium.*

Audientes detractionem triplicis sunt generis : alii influunt in detractionem, vel excitando, vel plaudendo, vel interrogando; alii non influunt in detractionem, sed in eâ complacent; alii nec influunt, nec complacent; sed non impediunt cùm possent. Breviter aperiemus quid de singulis sentiendum sit.

*Primi* peccant, 1° contrà justitiam, cùm sint causa efficax et injusta infamationis proximi; 2° contrà charitatem, cùm, nedùm impediant alterius malum, hujus participes fiant; quin etiam illi magìs rei sunt quàm ipsimet detrahentes qui ab iis, tanquàm à causis primariis, impulsum accipiunt.

*Secundi* peccant contrà charitatem, quia complacent in damno alterius, sed non contrà justitiam, quia eorum complacentia non fuit causa excitativa detractionis. Imò illi ab omni peccato vacant, si complaceant tantùm in facundiâ detractoris aut singularitate facti aut moderatâ curiositatis satisfactione.

*Tertii* vel tenentur ex justitiâ impedire, vel non. Si prius, audientes detractionem, quandò in eam nec influunt nec complacent, sed eam non impediunt, peccant contrà justitiam, utpotè causæ negativæ quæ non obsistunt damno quod ex justitiâ tenentur et absque gravi incommodo possunt avertere. Operosum est verò et maximè arduum definire quinam ex officio justitiæ teneantur aliorum famæ invigilare. Quandò officium fundatur in contractu aut quasi-contractu cum republicâ vel cum privatis inito, tunc qui non impedit damna illata ab iis quibus ex tali officio præest, aut illata contrà eos quibuscum ex eodem officio ligatur, tenetur ad restitutionem. Ubì autem sunt illi qui ex tali contractu constituuntur ad impediendas detractiones? nescio nisi magistratus publicos quibus denuntiantur libelli diffamatorii; non liquet patrem respectu filiorum etiam minorum, maritum respectu uxoris, magistrum respectu discipulorum teneri ex pacto ad impediendas detractiones quæ fiunt à suis contrà extraneos vel ab alienis contrà suos. Si autem nullus sit contractus aut quasi-contractus, vi cujus aliquis teneatur alterius famæ invigilare, tunc qui non impedit damna iis vel ab iis illata quibus præest, ad restitutionem non tenetur, quia nullum violat jus strictum; sic parochus respectu parochinianorum, dominus respectu famulorum, caupones respectu hospitum, etc. Equidem prædicti, si non impediant damna inferri à suis subditis, suo desunt officio, sed non pacto, siquidem nullum intercedit nec cum eis nec cum republicâ quo teneantur impedire detractiones quæ à subditis contrà extraneos, vel ab extraneis contrà subditos procedunt.

Si posterius, id est, si audientes detractionem non teneantur ex justitiâ eam impedire, huic non obsistendo, peccant tantùm contrà charitatem, vel mortaliter, vel venialiter, quia non obtemperant præcepto charitatis christianæ quâ quisque tenetur avertere malum proximi, cùm id potest. Difficultas nunc est determinandi quandonàm peccatum non impedientis detractionem sit mortale aut veniale.

Auditio detractionis ab omni aut saltem mortali culpâ vacat quotiès audiens detractionem eam non impedit, aut quia rationabiliter præsumit rem esse publicam, vel detrahentem justam habere causam sic loquendi, vel eum graviter offensum iri si reprehendatur, vel auditores rem faciliùs ob resistentiam credituros, vel resistentiam fore inutilem; aut quia ipse prohibetur timore, verecundiâ, reverentiâ, perplexitate gravi, qualis est in scrupulosis in prædictis circumstantiis; aut quia modus prudens impediendi menti non occurrit, ob narrationis præcipitationem; aut quia res levis est, aut quia facilè non credetur. Ratio est, quia ille de quo detrahitur, non graviter infensus est contrà auditorem qui detractionem non impedit; aliàs relationes societatis intolerabiles essent. Hinc obligatio sub gravi detractionem impediendi admodùm rara est inter æquales, et rarissima in inferioribus ergà superiores, quia vix ullam reperies detractionem, quæ non fiat saltem cum unâ ex prædictis circumstantiis.

Consulunt auctores probati ad detractionem optimè declinandam, vel decenter contradicere, si factum quod refertur sit calumniosum, vel recedere à cœtu detrahentium, si commodè fieri potest, vel communiùs tristiorem ostendere faciem, vel potiùs sermonem suaviter aliò convertere. Expedit rarò detrahentem ab initio sermonis abrumpere, quia sæpè nonnisi communia et publica facta asseruntur; et aliundè talis interruptio ad attentionem detractantibus conciliandam inserviret.

§ IV. — *De obligatione famam restituendi.*

*Quæres* 1° utrùm fama sit restituenda?

*Resp.* Omnis ille qui famam alterius injustè lædit tenetur ex justitiâ sivè eam reparare, sivè damna ex ejus ablatione secuta resarcire. Id ipso jure naturali præcipitur : *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cùm restitui potest.* Quòd si hoc verum sit de bonis fortunæ, multò magis profectò de famâ et honore quæ bonis istis sunt pretiosiora.

Dixi 1°, *omnis ille qui famam alterius injustè lædit;* quo nomine intelliguntur 1° ipsimet detractores, 2° cooperatores positivi detractionis, id est, qui eam jusserunt, consuluerunt aut alio simili modo provocaverunt; 3° cooperatores negativi, id est, qui detractionem non impedierunt, cùm id potuerunt absque gravi incommodo, et ex officio justitiæ debuerint.

Dixi 2°, *famam restituere*, tùm apud eos quibus proximi crimen detectum fuit, tùm apud eos quibus à primis audientibus fuit pervulgatum : id enim sibi imputare debent, cùm facilè potuerint prævidere detractionem esse pervagaturam. Si tamen detractor stipulatus fuisset silentium cum iis quibus ipse narravit et prudenter existimâsset eos non esse revelaturos, non teneretur apud auditores mediatos restituere, quia hæc ulterior revelatio non censeretur illi voluntaria. Ita Billuart, Ligorio, De Lugo, etc.

Dixi 3°, *et omne damnum ex ablatione famæ secutum resarcire*, quia detractor est causa efficax et injusta horumce damnorum. Hinc ad restitutionem tenetur qui per injustam detractionem causa est cur aliquis ab officio vel beneficio adepto aut certò adipiscendo repellatur, cur puella non ineat conveniens matrimonium, cur famulus suas operas locare non possit, cur medicus, advocatus, pharmacopola non quærantur, cur mercator non vendat, cur pauper eleemosynam non obtineat, etc.

Animadvertent Theologiæ candidati hanc esse differentiam inter obligationem resarciendi damna temporalia quæ ex injustâ diffamatione sequuntur, et obligationem restituendi famam vel honorem; quòd scilicèt obligatio restituendi damna temporalia, quæ vocantur fortunæ, sit realis, quia consistit in dandâ aliquâ re, ac proindè transeat ad hæredes diffamantis; dùm obligatio famam vel honorem restituendi est solùm personalis, quia consistit in aliquâ actione faciendâ, ac proindè non transit ad diffamantis hæredes.

*Quær.* 2° quomodò fama sit reparanda?

*Resp.* Vel detractor famam læsit, alteri falsum crimen imponendo, vel verum quidem sed occultum manifestando.

*In primo casu*, debet calumniator verba sua retractare apud eos qui illum audiverunt, aut ad quos pervenit fama criminis suppositi. Si opus est, ad fidem faciendam juramenta et testes adhibere tenetur, quamvis diffamando non adhibuerit, quia qui est causa damni injusta debet omni possibili eam revocare. Detractor tamen non tenetur dicere se mentitum fuisse; id enim propriæ famæ nocivum esset, et alienæ reparandæ omninò inutile; satis est ut auditores sciant detractorem falsum dixisse. Quòd si, adhibitis testibus et juramento, auditores in præconceptâ malâ opinione perseverent, detrahens liber erit ab ulteriori restitutione, quæ esset ei moraliter impossibilis; tunc sola auditorum malitia censeri debet causa istius pravæ opinionis.

*In secundo casu*, detractor non debet quidem priora verba expressè revocare, nunquàm enim mentiri licet, sed aliam viam sectando, famam ablatam restituere tenetur, 1° directè dicendo se imprudenter locutum esse, se leviter judicâsse, et factum non esse tale quale illud retulit; se in hoc egisse ex irâ, vindictâ, etc., in quibus non mentitur, quia nemo de proximo detrahit, nisi incitetur quâdam cupiditate, ut invidiâ, superbiâ, odio.... Sed hic modus parùm prodest, ut observant communiter Theologi, apud astutiores et sagacitate præditos, qui potiùs ex his formulis, in quibus non asseritur crimen non esse falsum, illud verum esse concludunt. 2° Indirectè, tacendo scilicet de priori crimine, et infamatum de

veris qualitatibus laudando, specialiter honorando, frequenter declarando eum tanquàm virum probum haberi; sic enim sensim ex unâ parte tantumdem famam ejus illustrabit quantùm ex alterâ obscuravit. Hic modus aptissimus est et sæpè sufficit ut auditores concludant falsa esse quæ dicta fuerant, aut oblivioni tradatur detractio præterita.

His mediis deficientibus, non pauci ad veniæ petitionem obligant eum qui non potest aliter famam reparare. At non probo eorum rationem : cur enim ille magis ad petitionem veniæ teneretur quàm qui non potest restituere bona fortunæ? Per petitionem veniæ fama deperdita non rediret. Aliundè, sæpè detractor ignoratur nec vellet cognosci. Faciliùs crederem cum P. Antoine detractorem cognitum teneri per signa doloris satisfacere pro mœrore illato; hæc enim multùm disponunt læsum ad relaxandum de jure suo.

*Quær.* 3° quænam causæ à famâ restituendâ excusent?

*Resp.* Suppono ex dictis non esse obligationem restituendi quandò infamatio fuit justa et licita.

Prima causa à restitutione excusans est absentia infamiæ quæ locum habet, 1° quandò auditores detractori non crediderunt; 2° quandò fama proximi jam aliâ viâ recuperata est, v. g., si ex alterius testimonio, purgatione judiciali, vel experientiâ comperta est falsitas infamiæ; 3° quandò per oblivionem cessavit infamia; ibi nulla est obligatio restituendi, ubi nullum fuit damnum illatum, aut jam fuit reparatum; in hoc casu reparatio detractionis novam induceret infamiam.

Secunda causa est reparationis inutilitas aut impossibilitas; nemo enim tenetur ad actum inutilem aut impossibilem. Hinc si crimen quod revelatum fuit, aliâ viâ factum fuerit, publicum, infamator ad nihil tenetur ergà infamatum qui, publicitate recentiori, amisit, respectu prioris infamantis, jus ad famam ac proindè ad reparationem famæ; quod etiam probabilius est, etsi injustè crimen evaserit aliundè publicum; quia, licèt per injuriam infamatus non amiserit jus ad famam, amisit tamen per id quod ex injuriâ sequitur, scilicet publicitatem. Hinc etiam infamator non tenetur famam proximi reparare quandò id non potest quin ipse incurrat damnum notabiliter majus ac illud quod provenit infamato ex ipsius infamiâ. Censetur enim impossibile quod fieri non potest sinè tali damno. Dixi, *quin incurrat damnum notabiliter majus;* nam si infamator non incurreret nisi damnum æquale, aut etiam paulò majus, teneretur nihilominùs reparare, quià melior esse debet conditio innocentis. Ideò tenetur famam periculo vitæ reparare, si ex infamatione idem periculum infamato immineret.

Tertia causa est infamiæ condonatio ab eo facta qui de jure suo cedere potest et de facto cedit. Censetur quis de jure suo cedere non posse quotiès peccaret contrà justitiam seipsum infamando; quod accidit quandò ex ipsius infamatione directè sequitur alterius damnum quod ex justitiâ tenetur impedire. Hinc uxor non potest condonare validè infamationem suam circà adulterium, quia ex illâ sequitur quædam mariti infamatio, quam ex justitiâ avertere debet. Hinc prælatus qui ex justitiâ tenetur regere subditos, non potest remittere restitutionem famæ suo muneri ritè obeundo necessariæ. Censetur verò quis infamationem suam de facto remittere quotiès fit expressa condonatio, vel adest rationabilis præsumptio quòd si læsus interrogaretur et rogaretur, facilè condonaret, quia tunc non dici potest invitus si restitutio ei non fiat.

Quarta causa est compensatio mutua. Hanc causam admittunt communiter theologi, non quidem eo sensu quòd liceat infamato infamantem diffamare, quod esset vindicta pura : sed hoc sensu quòd si ille quem diffamâsti, te postea diffamet, uterque censeamini cedere de jure vestro. Ratio est quia tali in compensatione dici non debet eum qui famam alteri abstulit et eam reddere non vult, esse rationabiliter invitum ne propria sua fama ab alio retineatur.

## ARTICULUS II.

### DE CONTUMELIA.

Contumelia definitur : *Injusta læsio honoris alieni facta præsenti et scienti;* quibus verbis differt à detractione quæ violat alicujus famam et fit absente personâ læsâ.

Contumelia fieri potest verbis, v. g., per exprobrationem criminum vel defectuum; factis, v. g., si quis alterum præsertim eximium alapâ percutiat; scriptis, v. g., libellis convicium et improperium redolentibus; picturis gallicè dictis *caricatures*, quibus ornatissimi cives et etiam reges despectui publico exponuntur; aut aliis denique contemptûs signis, v. g., irrisionibus injuriosis.

Propositio. — *Contumelia est peccatum mortale ex genere suo.*

*Prob.* 1° *S. Script.* Matth. 5, 22 : *Qui dixerit fratri suo : fatue, reus erit gehennæ ignis.*

2° Ratione, quia contumelia ex naturâ suâ graviter lædit honorem proximo debitum, ad quem ipse non minùs juris habet quàm ad famam : imò, quia per contumeliam honos aufertur, quasi vi illatâ, scienti et renitenti; ideò contumelia magis lædit et acerbiorem infert injuriam quàm detractio, ac proindè est gravius peccatum.

Dixi, *peccatum mortale ex genere suo*, quia veniale fieri potest, tùm defectu sufficientis deliberationis, tùm levitate materiæ; quæ quidem levitas aliquandò ex ipsâmet re, aliquandò ex conditione personæ lædentis et læsæ dijudicatur; contumelia enim quæ respectu domini, patris, aut viri honesti lethalis est, sæpè venialis erit respectu filii, subditi aut personæ vilis ac infimæ. Hinc à mortali excusantur ab aliquibus pueri, mulierculæ, rudes, etc., conviciis apud plebeios usitatis se lacessentes, quia his non adhibetur fides, nec honor vilium personarum multùm inde minuitur.

Quinimò verba contumeliosa possunt non esse peccatum, 1° si proferantur causâ disciplinæ et correctionis; rarò tamen ea sunt adhibenda; ad iram commovent et non corrigunt; 2° si non ad dehonorationem,

sed delectationem et joci causâ unicè proferantur. Caveas verò ne similibus laxiores dentur habenæ, quia sæpè proximus in his offenditur.

*Quæres* 1° quisnam sit modus reparandi honorem?

*Resp.* Modus ille pendet ex variis circumstantiis, nempè ex gravitate injuriæ, ex dignitate personæ læsæ et personæ satisfacientis, ex consuetudine in locis receptâ; porrò ratio haberi debet illarum circumstantiarum in honore reparando. Si agatur de injuriâ superioris ergà inferiorem, sufficere potest amica salutatio. Si offensus et offendens sint ejusdem conditionis, sufficere potest loci honorifici concessio, invitatio ad mensam, laudatio facta coram testibus injuriæ. Si verò agatur de injuriâ inferioris ergà superiorem, plerumquè requiritur veniæ petitio, quæ sit publica, vel privata, proùt offensa fuit publica vel occulta.

*Quær.* 2° quomodò sese genere debeant qui ab aliis contumeliâ affecti sunt?

*Resv.* Eos, secundùm Christi doctrinam et exemplum, debere hæc omnia patienter sufferre, nec licitè posse vindictam nec injuriam pro injuriâ rependere. Possunt tamen ea peragere quæ necessaria sunt ad justam defensionem, v. g., dicendo calumniatorem falsa loqui. Imò strictè loquendo, licet in quibus dam circumstantiis satisfactionem à judicibus expetere, præsertim si id necessarium sit ad salutem audientium, ad muneris sibi commissi exercitium, ad reparationem scandali.

## ARTICULUS III.

### DE JUDICIIS ET SUSPICIONIBUS TEMERARIIS.

Judicium temerarium est *actus mentis quo quis malum aliquod de proximo sinè rationibus sufficientibus internè pronuntiat.*

Quadruplicem judicii temerarii gradum post S. Thomam distinguunt theologi, nempè dubitationem, suspicionem, opinionem et judicium.

Dubitatio est hæsitatio mentis non magìs uni parti quàm alteri adhærentis.

Suspicio est inclinatio mentis ad assentiendum uni parti potiùs quàm alteri.

Opinio est verus assensus seu determinatum judicium de veritate unius partis, sed non ità firmum ut excludat omnem errandi formidinem de contrario.

Judicium est assensio mentis firma et determinata uni parti potiùs quàm alteri, ideòque omnem errandi formidinem excludens.

PROPOSITIO.—*Judicium temerarium est peccatum mortale quotiès est notabiliter temerarium, verè voluntarium et in materiâ gravi.*

*Prob.* 1° *ex Script.* S. Matth. 7, 1 : *Nolite judicare ut non judicemini.* Luc. 6, 37 : *Nolite judicare et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.* Rom. 2, 1 : *Inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas!*

2° Ex ratione. Illud est peccatum ex genere suo mortale quod est contrà justitiam et charitatem; atqui judic... 1° Contra justitiam. Unusquisque enim jus habet ad propriam famam retinendam apud alios, quandiù non probatur malus, et exindè homines meritò dolent et conqueruntur quandò de ipsis temerè judicatur; atqui temerariè judicans de alio contrà illud jus agit: ergò. 2° Contrà charitatem, ex axiomate : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*, et quia non potest esse benè affectus proximo qui de illo temerariè judicat : ergò.

Dixi 1°, *quoties est notabiliter temerarium;* id est, quoties fertur sine rationibus sufficientibus ad virum gravem determinandum; etenim tota ejus malitia ex temeritate oritur, ità ut si judicium ferretur ex motivis omninò sufficientibus, nullatenùs foret peccatum; quia tunc esset judicium prudens et rationabile; porrò per illud non infertur injuria proximo; proximus enim amisit jus famæ et bonæ existimationis respectu illius cui crimen sufficientibus indiciis probatur. Ad dignoscendum verò quæ indicia sint sufficientia, statui potest generaliter : *indicia quæ, attentâ qualitate facti, personæ, loci et temporis, atque aliis circumstantiis, sufficerent ad movendum virum gravem et prudentem ad taliter suspicandum vel judicandum, censentur sufficientia.* Si hunc quæratur quibusnam indiciis viri prudentes determinentur ad sic vel aliter judicandum, respondemus eos determinari ad ferenda judicia quæ ex se vel ex usu conjunguntur cum indiciis quæ ipsis subministrantur... Hinc 1° si videas hominem noctu alienas ædes perfodientem, scalas admoventem, ascendentem per fenestram, sufficiens indicium est ut judices eum furandi vel alterius mali perpetrandi causâ id agere; secùs si hæc meridianâ luce et coràm omnibus ista faciat. 2° Si advertas juvenem libidinosum et petulantem cum meretrice solâ colloquentem, sufficiens indicium est ut judices illum de libidine cogitare; secùs si sit vir gravis et integerrimæ famæ. 5° Si audias à personâ probâ, quæ nec solet de aliis detrahere nec incerta pro certis spargere, aliquid alteri odiosum, grave erit indicium commissum fuisse id quod refertur; secùs si narretur ab iis qui sæpè rumores pro veritate accipiunt. Si forsan rationes quæ moverunt ad judicandum parùm distent à sufficientibus peccatum erit veniale.

Dixi 2°, *quotiès est verè voluntarium.* Undè si judices ex solâ mentis promptitudine, absque deliberato consensu, nullum erit peccatum; tunc enim non tàm erit judicium quàm repentina cogitatio cui communiter nec credit certò nec vult credere. Hinc confessarius non statim peccati mortalis reos existimabit tot homines qui verentur ne temerè judicaverint de proximo; iste potiùs considerabit dispositionem pœnitentis. Si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, et credat se non fuisse consensurum malæ cogitationi irruenti, statim ac animadvertit illam esse temerariam, regulariter non erit arguendus de mortali, etsi diù peduraverit cogitatio. Si verò pœnitens sit parùm de salute suâ sollicitus, sed aliorum vitam carpere solcat, et in eam inquirere, uti faciunt devotæ quædam, tunc

in dubio an pravæ cogitationi consenserit, semper habere debet scrupulum de mortali, ideoquè rem totam confiteri ad minus ut dubium mortale. Quòd si cuipiam suum de alio sensum malignè patefecerit, jam peccavit dupliciter; 1° quia sic consensum suum aliquatenùs firmavit; 2° quia plerumquè imprudenti hâc agendi ratione priorem de proximo ideam insevit aliis quam haberet ipse.

Dixi 3°, *in materiâ gravi*. Si enim materia sit levis, id est, si, ex communi hominum opinione, leve detrimentum ex judicio temerario proximi famæ inferatur, peccatum erit veniale. Ut autem cognoscatur an grave vel leve detrimentum famæ alterius inferatur, spectari debent personæ et circumstantiæ. Hinc grave peccatum erit, juxtà multos theologos, si quis judicet virum sanctissimum esse mendacio deditum, nobilem esse spurium, quia graviter indè fama eorum imminuitur, indèque contemnuntur. E contrario, juxtà eosdem, leve peccatum erit, si quis hominem infimæ conditionis judicet esse ebriosum, militem esse duellatorem, quia non indè multùm infamantur ejusmodi homines, et, nedùm de iis miseriis curent, non rarò gloriantur.

*Quæres*. 1° Quid sentiendum sit de temerariis opinionibus, suspicionibus et dubiis circà proximum?

*Resp*. 1° Hæc omnia sunt peccata contrà justitiam; nam violant jus quod habet proximus ne quis malè de ipso vel opinetur, vel suspicetur, vel dubitet; ergò... Hæc tamen peccata non sunt ejusdem gravitatis ac judicia temeraria, cùm minùs proximi famam lædant.

2° Opiniones temerariæ, quandò adest sufficiens temeritas, voluntarietas et materiæ gravitas, peccata sunt mortalia. Nam includunt verum judicium temerarium, etsi minùs firmum; atqui ex jam probatis judicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo; ergò. Opinio temeraria usque ad apicem peccati mortalis non exsurgit, nisi concipiatur ex multò minoribus indiciis et versetur in multò graviori materiâ ac quandò agitur de judicio temerario; quia minor fit injuria per opinionem quàm per judicium.

3° Suspiciones et dubitationes temerariæ, etiam in materiâ gravi, ordinariè non sunt peccata mortalia. Ratio est quia suspicans et dubitans parùm lædunt alterius famam, vel quia in eis plenè non consentiunt. Hæc enim totidem habentur appendices fragilitatis humanæ quæ invita istas experitur.

Dixi, *ordinariè*, quia interdùm suspiciones et dubitationes temerariæ sunt peccata mortalia, nempè 1° si sint de gravissimo crimine ex levissimis indiciis et magnâ animi temeritate concepta in personam suâ pietate eximiam et probitate integerrimam; hujusmodi enim suspicio vel dubitatio maximam proximo injuriam facit; ægrè ab eo ferretur si ab eo sciretur; 2° si ex gravi odio, vel contemptu, vel cordis malignitate procedant; 3° si exteriùs manifestentur, iisque detractio addatur.

*Quær*. 2° an actiones proximi dubiæ, seu quæ in bonam vel malam partem possunt explicari, semper in meliorem partem sint accipiendæ?

*Resp*. 1° Posse quemlibet de iis actionibus suum judicium suspendere totumque Deo committere. Ratio est quia nemo tenetur judicare aliquem esse probum de cujus probitate datur sufficiens dubitandi ratio. Undè Christus non dixit: Semper judicate in bonam partem, sed: *Nolite judicare, ut non judicemini*, Matth. 7, 1.

2° Si tamen judicare velimus, aut si suspensio nostri judicii proximo nocitura sit, debemus illas actiones in meliorem partem interpretari. Ratio est 1° quia ità docuerunt sancti. *Nihil aliud nobis præcipi existimo*, inquit S. Aug., lib. 2 de Serm. in monte, c. 18, *nisi ut ea facta quæ dubia ex quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur;* 2° quia non debemus alteri facere quod nobis fieri nollemus: atqui profectò nullus est qui malus reputari velit pro actione quæ ex æquo in bonam et malam partem accipi potest: ergò.

3° Hæc secunda regula patitur aliquam exceptionem vel explicationem: nimirùm si agitur de damno nostrî vel aliorum vitando aut præcavendo, licitum est, imò prudentissimum, dubia de proximo non quidem absoluto judicio in pejorem partem interpretari, sed sese gerere perindè ac si probus non esset, non credendo tamen eum esse talem. Ratio est 1° quia nemo est qui de eo agendi modo justè conqueri possit; quisque in pari casu similiter ageret; 2° quia sic debemus omnem justitiam ergà proximum implere, ut non deficiamus à charitate quam nobis nostrisque debemus. Hinc qui ignotum domi recepit, quamvis eum esse furem judicare non possit, potest tamen suis rebus providere perindè ac si fur esset. Hinc parentes qui filios, domini qui servos, superiores qui inferiores vident dubia agentes, vel cum personis dubiæ virtutis aut probitatis non rarò colloquentes, nihil quidem intùs mali judicare debent, sed possunt, imò tenentur ergà eos sese gerere quasi malè agerent, non quidem eos puniendo, sed monendo, quædam interdicendo, cautionem omnem adhibendo, ut præcaveatur malum.

## CAPUT IV.

### DE INJURIA ET RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS FORTUNÆ ILLATUM.

Cùm damna in bonis fortunæ præcipuè revocari possint, vel ad ea de quibus jam diximus, ubi de injustâ acceptione et injustâ damnificatione, vel ad ea de quibus mox dicturi sumus, ubi de obligatione restituendi ratione contractûs, pauca nos manent tractanda sub titulo furti. Agemus 1° de furto in genere; 2° de quibusdam difficultatibus circà furtum.

### ARTICULUS I.

#### DE FURTO IN GENERE.

*Quær*. 1° quid sit furtum?

*Resp*. Furtum generatim definitur: *Ablatio rei alienæ domino rationabiliter invito*.

Dicitur 1°, *ablatio*, sivè fiat per acceptionem, sivè per detentionem, aut possessionem.

Dixi 2°, *rei alienæ;* sivè ad alterum pertinentis, sivè ipsis locatæ, commodatæ, oppigneratæ. Non enim so-

lus ille furatur qui rem alienam usurpat, sed etiam ipse rei dominus, si rem suam auferat ab eo qui jus habet eam retinendi vel illâ fruendi. Si tamen quis privatâ auctoritate rem suam ab alio injustè detentam capiat, non violat justitiam, quamvis peccet si possit per judicis auctoritatem eam recuperare.

Dicitur 3°, *invito domino;* si enim rei dominus consenserit, nullum erit furtum, cùm volenti non fiat injuria. Hinc aliquandò à furto excusantur amici, vel conjuges, cùm à se invicem aliquid parùm notabile auferunt, prudenter judicantes eos esse consensuros, si adessent ac rogarentur : quod ordinariè præsumi non debet, cùm ex communiter contingentibus constet neminem velle sua bona dispergere.

Dicitur 4°, *invito rationabiliter domino;* quia non furatur qui aliquid aufert à domino irrationabiliter invito. Hinc etiam à furto excusantur qui rem alienam adhibent ut subveniant suæ vel aliorum extremæ necessitati; tunc enim rei dominus non est rationabiliter invitus, nisi ipse sit in pari necessitate; tunc enim melior est conditio possidentis.

*Quæres* 2° quotuplex sit furtum?

*Resp.* Furtum aliud dicitur simplex, de quo hactenùs; aliud rapina, si fiat apertè et cum violentiâ, præsente et invito domino; aliud fraus vel dolus, si fiat dominum decipiendo in venditionibus aut emptionibus, aut aliis modis; aliud sacrilegium, quo auferatur res sacra de loco sacro aut non sacro, vel res non sacra de loco sacro; aliud peculatus, quo quis aufert res pertinentes ad fiscum aut publicum ærarium; aliud plagiatus, quo homo in servitutem adducitur, sivè ille sit liber sivè servus alienus; aliud abigeatus, quo pecus abstrahitur ex pascuis vel armento alieno.

*Quær.* 3° quale peccatum sit furtum?

*Resp.* Peccatum istud ex genere suo esse lethale. Nam 1 Cor. 6, 10 : *Neque fures, neque avari.... neque rapaces, regnum Dei possidebunt;* aliundè expressè prohibetur in Decalogo, justitiæque legibus adversatur; porrò Decalogus justitiæque leges obligant sub mortali.

Dixi furtum esse peccatum *ex genere suo mortale;* quia fieri potest veniale ex levitate materiæ; nam per furtum rei levis damnum leve proximo infertur, nisi aliud malum indè sequatur.

*Quær.* 4° quænam rei ablatæ quantitas requiratur ut furtum censeatur grave?

*Resp.* Ea quantitas communiter censetur gravis cujus ablatio graviter afficit dominum ob notabilem utilitatem quâ eum privat. Nunc operæ pretium est expendere quandonàm dominus graviter invitus est. Ad illud dignoscendum considerari debet, 1° ipsamet quantitas in se et independenter à paupertate aut opulentiâ illius cui res ablata est, quia jus pauperis, sub respectu justitiæ commutativæ, non strictius est quàm jus divitis, qui sæpissimè majorem habet curam in pecuniis suis conservandis, quàm ipse pauper; 2° conditio et indoles personæ cui res auferitur; an sit pauper, vel dives, liberalis vel pecuniæ tenax; quia, etsi divitiæ non minuant jus divitis, aliquandò evenire potest ut ditiores, cùm superabundanter habeant, aliquid etiam notabile amittere parùm curent, dum pauperes semper inviti sunt cum proportione ad materiam. Undè, si peccatum furti minus esse possit, cùm res ditissimis subripitur, non tàm est propter illorum divitias, quàm propter hoc quòd non sint graviter inviti. Etenim, si reipsà inviti sint cum proportione ad materiam rei, prout rationabiliter esse possunt, sivè ob utilitatem peculiarem rei, sivè ob bonum commune, ne scilicèt latior aperiatur via hujusmodi furtis, tunc ipsis, ablatione rei, tanta fit injuria quanta pauperibus.

Quænam verò sit illa quantitas absolutè gravis, seu gravis in se et independenter à conditione personarum quibus injuria infertur? Olim Galli satis communiter assignabant nummum assibus sexaginta constantem; ratio, quia communis hominum persuasio erat valorem unius nummi non esse modicum quid, etiam respectu opulentissimi viri, cùm huic gravem posset afferre utilitatem. Hodiè autem sequendo eamdem proportionem, summa absolutè gravis constat circiter quinque aut sex francis, propter pecuniæ depretiationem. Dicimus, *circiter*, quia id non potest determinari mathematicè. Sanè ridiculum esset dicere peccare mortaliter qui 100 asses, et duntaxat venialiter qui 99 furaretur.

Quænam autem quantitas censeatur respectivè gravis, impossibile est determinare, cùm id pendeat à statu peculiari uniuscujusque. Ibi quanta diversitas! Ea tantùm summa reputari solet respectivè gravis quæ sufficit, vel ad victum diurnum hominis cui aufertur, spectatâ ejus conditione, vel ad mercedem diurnam operarii à quo eripitur. Homines enim, generatim loquendo, graviter afficiuntur, cùm talia sibi abripiuntur.

Ex principiis expositis sequitur majorem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale in quibusdam furtis quàm in aliis, maximè in furtis filiorumfamiliâs respectu parentum, in furtis uxorum respectu mariti, in furtis mariti respectu uxoris, in furtis domesticorum respectu dominorum in rebus cibi vel potûs, in furtis minutis et aliis hujusmodi, quia communiter in his dominus minùs est invitus quàm in aliis.

Intereà observamus furtum rei levis fieri posse mortale per accidens, 1° ratione damni aut lucri cessantis, ut si acum fureris sartori, qui non possit aliam habere, et ideò uno vel pluribus diebus operas suas perdat; tunc peccas mortaliter, non quidem peccato furti *strictè* dicti, cùm non subripias aliquid notabile, sed peccato damnificationis injustæ quæ proprio nomine caret : nam per ablationem acûs es causa injusta cur sartor damnum grave patiatur; est autem mortale contrà justitiam creare alteri grave damnum sinè justâ causâ; 2° ratione scandali, ut si scias ob tale furtum aliquem blasphematurum : nam mortale est sinè justâ causâ facere id ex quo prævidetur alter mortaliter peccaturus; 3° ratione gravis mœroris quem concipit dominus ex furto rei, propter affectum

ad illam : tunc enim graviter peccas saltem contrà charitatem, ex quâ tenemur impedire grave damnum proximi, quandò facilè possumus, licèt illud irrationabiliter eventurum sit.

*Quæres* 3° an necessitas excuset à furto ?

*Resp. aff.*, si necessitas sit extrema : secùs, si si gravis.

*Prob. prima pars ;* nimirùm quòd necessitas extrema excuset à furto. Ratio est, quia rerum divisio, jure gentium introducta, foret iniqua, si tacità conditione non facta fuisset ut *in extremis omnia communia essent*, id est, cuinbet maneret integrum jus naturale accipiendi vel usurpandi ea quibus extremè indiget. Quarè Thomas 2-2, q. 66, ait : *Per talem necessitatem efficitur suum quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Ea resolutio tantùm intelligitur, quandò res ablata vel detenta est levioris momenti, quia res magni valoris non redeunt ad communitatem etiam in extremâ necessitate, ut satis patet ex alibi dictis.

*Prob. secunda pars;* nimirùm quòd necessitas gravis non excuset à furto, 1° quia alioquin janua innumeris furtis aperta foret. Quot enim hodiè homines gravi necessitate laborant ! quot facilè sibi persuaderent se in eâ esse constitutos ! 2° Quia damnata fuit hæc propositio ab Innocentio XI : *Permissum est furari, non solùm in extremâ, sed etiam in gravi necessitate.*

Sunt tamen aliquæ necessitates tam graves, ut moraliter æquivaleant necessitati extremæ, v. g., periculum notabilis mutilationis, damnationis ad triremes, duræ servitutis, diuturni carceris : quo in casu multis videtur licitum quod in extremâ necessitate licet, quia, cùm hæ necessitates non sint frequentes et abusibus proximæ, uti sunt communiter graves, nulla subest ratio cur divisio bonorum potiùs suspenderetur in extremâ quàm in prædictâ angustiâ. Non timendum est ne talis opinio in propositionem damnatam incurrat, tùm quia propositio damnata loquitur de quàlibet necessitate gravi, tùm quia necessitas de quâ sermo est moraliter loquendo æquivalet extremæ. Fateor tamen, ait Billuart, in his contracto freno incedendum esse, ne detur locus abusibus.

*Obj.* Gravis necessitas excusat à restitutione statim faciendâ, ergò à furto, siquidem detentio nihil aliud est quàm acceptio continuata.

*Resp. neg. cons. et parit.* 1° Si posset accipi res aliena propter metum aut periculum gravis mali, panderetur janua continuis et innumeris direptionibus, ac proindè nulla esset securitas dominorum ; cùm enim in communitate quantulùm magnâ ordinariè sint multi qui patiantur gravem necessitatem, et illam non possint aliter depellere quàm per magnam pecuniæ quantitatem, quilibet dominorum subjaceret plurimis et valdè gravibus furtis. Contrà verò, nec tot nec tanta sequuntur inconvenientia ex eo quòd debitores ob gravem necessitatem differe vel omittere possint restitutionem ; nam paucissimi debitores in illo periculo versantur, aut saltem iisdem non exponuntur abusibus. 2° Fur, quandò furatur, influit in damnum positivè : quandò verò non restituit, influit in damnum negativè : natura verò rigidiùs obligat ut non influas positivè, quàm ut non influas negativè. 3° Per se difficilius est restituere quàm non accipere ; quia, dùm restituis, positivè aliquod bonum exerces, et positivè spolias te bono quod possides ; dùm verò tantùm non accipis, positivè non exerces aliquod bonum, et præcisè non spolias teipsum ; porrò, natura faciliùs admittit excusationem in iis quæ per se difficiliora sunt.

## ARTICULUS II.

### DE QUIBUSDAM DIFFICULTATIBUS CIRCA FURTUM.

*Quæres* 1° an restituenda sit res ob turpem causam accepta ?

*Resp.* 1° : Si res data fuit gratuitò, ex justitiâ restituenda non est, quia legitimo titulo acquiritur, nempè donatione legitimè factâ, siquidem nec patrator criminis inhabilis est ad accipiendum, nec ille in cujus favorem patratum fuit crimen inhabilis fit ad donandum : ergò. Hinc juxtà S. Thomam et ferè omnes theologos, mulier retinere potest, illæsâ justitiâ, id quod sibi datum est occasione criminis. Expedit tamen ut talia lucra in pias causas ex parte vel ex toto impendantur per modum expiationis, ne merces peccati ad novum peccatum alliciat.

2° Si res data fuit in præmium operis accidentaliter mali, v. g., vestis vel alterius operis servilis die festo confecti, ex justitiâ restituenda non est ; nam legitimo titulo acquiritur, cùm opus accidentaliter malum, licet circumstantiâ ipsi extrinsecâ vitietur, non desinat esse in suâ substantiâ bonum et pretio æstimabile ; sic vestimenta vel calceamenta die dominicâ secta et suta non minùs corpori serviunt quàm si die communi confecta fuissent : ergò.

3° Si res data fuit in præmium operis intrinsecè mali, v. g., fornicationis, adulterii, stupri, distinguendum est : vel opus nondùm patratum est, vel jam patratum.

Si prius, restituenda est res accepta, opere nondùm patrato ; nam illud debet restitui cujus dominium non fuit ad accipientem validè translatum ; atqui dominium rei pro opere illicito nondùm perpetrato acceptæ non fuit ad accipientem validè translatum ; nam res illa tradita et accepta est sub conditione quòd malum opus ab accipiente consummaretur : porrò talis conditio, etsi juramento confirmata, utpotè turpis, non potest jure impleri, nec proindè parere obligationem dominii translativam ; ergò dominium rei pro opere illicito nondùm patrato acceptæ non fuit validè translatum : ergò res illa debet restitui.

Si posterius, videtur quòd adhuc sit obligatio restituendi. Nam si res posset retineri, maximè esset vel quia contractus de re turpi fieret, positâ actione, validus, vel quia opus turpe foret pretio æstimabile ; atqui neutrum. Non primum, juxtà regulam 18 juris in-6 : *Non firmatur tractu temporis quod ab initio de jure non subsistit ;* atqui contractus de re turpi de jure ab initio... ; *non datur vinculum iniquitatis :* ergò. Non secundum ; nam pretium rerum æstimatur judicio prudentûm ; atqui prudentes nihil faciunt opus turpe : ergò

Et verò, si opus turpe esset pretio æstimabile, maximè propter adjuncta, v. g., laborem, periculum; atqui adjuncta non sunt pretio æstimabilia; nam finis seu opus turpe non est pretio æstimabile; atqui media seu adjuncta quæ ad hunc finem conducunt sequuntur naturam finis; sic labor adjunctus rebus spiritualibus non est pretio æstimabilis, quia finis rerum spiritualium suprà omne pretium ponitur : ergò; ergò. Ita Adrianus, Comitolus, Medina, Collet, Navarrus, Collat. Andegavensis et Parisiensis contrà multò plures quibus tandem, si præter spem jus naturale magis illis quàm nobis faveret, jure civile opponere fas esset, art. 1130.

Cui verò res illa restitui debeat? Aliqui putant eam pauperibus distribuendam esse, quia dominus dignus est ut illâ privetur. Hoc sanè verum esset, ait P. Antoine, si lex dominum redderet incapacem hanc accipiendi; certè meruit ut illâ spolietur; sed nullibì hæc pœna in Codice legitur; lex tantùm recusat actionem, inquit Delvincourt, sivè ad exigendam rem promissam, sivè ad repetendam rem solutam pro opere turpi; ita que dominus non amisit proprietatem rei suæ; undè illi clamat et restituenda est.

*Quæres* 2° an restitui debeat res ad opus bonum sed aliundè debitum accepta?

*Resp.* 1° : Si res data fuit gratuitò, retineri potest, cùm legitimo titulo acquisita fuit, scilicèt donatione liberè factâ ab eo qui dare poterat in gratiam illius qui habilis erat ad accipiendum : ergò.

2° Si res data fuit tanquàm pretium boni operis ex justitiâ debiti retineri nequit, 1° neque virtute contractûs onerosi, qui non valet nisi in quantùm traditur objectum indebitum ex justitiâ strictâ. Porrò, ex hypothesi opus debebatur ex justitiâ : ergo; 2° neque virtute contractûs gratuiti, qui non tenet nisi fluat ex plenâ spontaneitate; atqui ordinariè provocatur metu injustitiæ : ergò. Hinc restituere tenentur qui aliquid accipiunt pro ferendâ justâ sententiâ, pro testimonio vero dicendo, pro debito solvendo, pro deposito aut commodato reddendo, etc.

3° Si res data fuit tanquàm pretium boni operis, non ex justitiâ, sed ex charitate aut ex aliâ virtute debiti, expendendum est an illud opus erat pretio æstimabile vel non. Si *primum*, accepta per modum pretii pro opere æstimabili retineri possunt virtute contractûs onerosi, cui nihil deest neque ex parte contrahentium qui dare et accipere possunt, neque ex parte objecti quod debet esse pretio æstimabile et indebitum ex justitiâ strictâ; quæ omnia in præsenti hypothesi reperiuntur : ergò. Hinc advocatus, medicus, conductor domûs non tenentur ex justitiâ restituere pretium à paupere acceptum pro patrocinio, procuratione, cubiculi locatione, quamvis ex charitate illa officia pauperi gratis exhibere teneantur. Si *secundum*, accepta per modum pretii pro tali opere retineri nequeunt, 1° neque virtute contractûs onerosi, qui existere nequit sine materiâ seu objecto pretio æstimabili; atqui in præsenti hypothesi actio supponitur nullo modo pretio æstimabilis : ergò; 2° neque virtute contractûs gratuiti, qui in præsenti casu ordinariè spontaneitate non constat : ergò. Hinc si quis accipiat pretium ut indicet viam alicui peregrinanti vel locum ubi fur delitescat, tenetur illud restituere.

*Quæres* 3° an mortaliter peccet, et an sub mortali restituere teneatur qui per levia furta successivè commissa, grave damnum alteri intulit?

*Resp.* Duplex est pars in quæstione.

Ad primam, vel fur ab initio habuit intentionem per furta minuta quantitatem notabilem subripiendi, vel non.

Si prius, fur peccat mortaliter singulis vicibus, quia singulis vicibus continuat executionem intentionis mortaliter malæ, retinendo quantitatem notabilem rei alienæ : ergò. Hoc verum est, sivè furta minuta committantur contra eamdem personam, sivè contra diversas personas : ratio est quia ad æstimandam quantitatem notabilem, non tàm attendi debet quantitas in se, quàm damnum quod sequeretur nisi furtum prohiberetur sub gravi. At suntne tot peccata numero distincta quot sunt furta minuta? Certum est tot esse peccata numero distincta quot sunt furta minuta, si prima intentio renovetur expressè vel tacitè; quia tot sunt peccata numero distincta quot sunt actus voluntatis deordinati; atqui tot sunt actus deordinati..., quoties intentio prima renovatur : ergò. Sed extra hunc casum res controvertitur. Probabiliùs negatur, quia furta minuta sunt continuata executio intentionis primæ, vi cujus fiunt, et in quâ includuntur et uniuntur; atqui, ex tractatu *de Peccatis* actus externi, licèt physicè plures, constituunt unum numero peccatum, quando prodeunt ex uno actu voluntatis virtualiter perseverante, et ad eumdem actum principalem ordinantur, tanquàm illius media aut dispositiones, siquidem tunc, juxta prudentûm æstimationem censetur una actio in genere moris : ergò. Quidquid sit, in utrâque opinione pœnitens debet declarare quanto tempore et quoties furta minuta iteraverit; quia furtum quodlibet minutum erit, sin peccatum numero distinctum, saltem circumstantia notabiliter aggravans, cùm peccatum eò magis augeatur quò diutiùs aut sæpiùs prima intentio executioni demandetur.

Si posterius, qui ab initio non habuit intentionem subripiendi per furta minuta quantitatem notabilem, peccat mortaliter, non quocumque actu sed ultimo furto levi quo sciens et reflectens saltem confusè ad præcedentia furta complet materiam sufficientem ad peccatum mortale. Ille peccat mortaliter qui vult damnum notabile; atqui fur ponens scienter complementum damni notabilis eo ipso vult damnum notabile : ergò. Præterea ille peccat mortaliter in genere furti qui gravem materiam subripit, atqui ità... Nam furtum ultimum, licèt secundùm se consideratum sit leve, grave est si connectatur cum præcedentibus; atqui ità connectitur, non ratione peccati sed ratione materiæ et damni illati : ergò.

Ad secundam, vel res adhuc exstat, vel consumpta est. Si prius, qui per levia furta acquisiverunt quantitatem notabilem tenentur sub peccato mortali illam

restituere : 1° Auctoritate : hæc propositio ab Innocentio XI. damnata est : *Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantùmcumque sit magna summa totalis :* ergò vera est contradictoria. 2° Ratione : ratio est quia hæc modica furta in unum collecta, vel personæ privatæ, si sola læsa fuerit, vel communitati, si hæc furta in plures commissa fuerint, grave detrimentum afferunt.

Si posterius, qui per levia furta grave damnum intulerunt eidem personæ vel communitati restituere tenentur sub mortali, si advertérint aut advertere potuerint ac debuerint se grave damnum inferre : nam obligatio restituendi commensuratur damno injustè illato; atqui damnum non minùs illatum est privatis aut societati, sivè res consumpta fuerit, sivè non : ergò.

Hinc non rarò peccant lethaliter et ad restitutionem tenentur caupones qui vino modicam aquam immiscent, mercatores qui fraudulentis mensuris aut ponderibus vendunt, sartores aliique opifices qui ex rebus sibi commissis aliquid retinent. Restitutio, si possibile sit, fieri debet personis læsis, v. g., eisdem vendendo postea in majori mensurâ, meliori qualitate, vel minori pretio. Si autem restitutio singulis moraliter fieri nequeat, vel quia ignorantur ii singuli, vel quia executio difficilior est, vel quia periculum est infamiæ, tunc bona subrepta sivè per parochum sivè aliter restitui debent pauperibus communitatis læsæ, vel in alia bona opera diffundi. Hoc enim voluntati eorum qui læsi sunt consentaneum videtur.

Difficile autem est determinare quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale in furtis minutis. Quidam duplum requirunt ac in furtis communibus, alii plus, alii minùs. Nos autem, ait Billuart, censemus id relinquendum esse judicio viri prudentis. Attendendum erit igitur sivè intervallo temporis quod fuit inter varia furta, quia major exigitur quantitas pro minutis furtis longè distantibus, quàm si magna summa simul raperetur; v. g., qui racemos aliquot ex alienâ vite singulis annis excerpsit faciliùs excusabitur quàm ille qui singulis mensibus similia sibi permitteret : sivè multitudini personarum læsarum, quia major requiritur quantitas si furta fiant pluribus personis quàm si paucioribus fierent; v. g., si quinque franci abripiantur centum personis, ita ut unicuique auferatur unus assis, minùs erit damnum quàm si 50 asses duabus tantùm personis furto tollantur : sivè tandem cæteris materiæ circumstantiis, scilicet ex unâ parte, an dives, an munificus, an consanguineus ille cui res auferatur, et ex alterâ, an miser, an uxor, an filius ille qui clàm et minutatim subripit. Tunc, istis omnibus maturè libratis, graviter vel leviter invitus videbitur ille cui furatur, ac proindè faciliùs apprehendetur quantitas materiæ in furtis levibus ad peccatum mortale sufficiens.

* *Quær.* 4° ad quid teneantur qui in Galliâ chartis (*assignats*) debita solverunt à 1ª die jan. 1791 ad mensem jul. 1796.

*Resp.* Prænonemus sub tali capite non venire eos qui supposuerunt chartas falsas aut eas ut falsas cognitas in solutionem dederunt. Apud omnes constat istos teneri ad restitutionem totius damni quod passi sunt qui hujusmodi chartas acceperunt; nam idem dicendum de illis ac de iis qui debita sua monetâ adulterinâ solvunt; atqui posteriores ad restitutionem tenentur; ergò et priores. Undè restitutio fieri debet illis qui damnum passi sunt aut eorum hæredibus si inveniri queant, vel pauperibus aut hospitiis, si inveniri non possint.

His præhabitis, vel tempore, quo chartæ in solutionem datæ fuerunt, suum primum valorem retinebant, vel communi cursu depretiabantur.

Si prius, qui chartas veras in solutionem dederunt tempore quo primum suum valorem retinebant, ad nihil tenentur, cùm monetâ genuinâ suo debito satisfecerint : ergò.

Si posterius, tres occurrunt eâ de re sententiæ.

I* Eorum est qui dicunt ad nihil teneri eos qui debita sua solverunt ex chartis depretiatis, quocumque modo eas habuerint; nam, inquiunt, qui utuntur monetâ legali ut solvant debita sua ad nihil tenentur; atqui chartæ erant moneta legalis : ergò. Sic D. Bouillaud, quondam superior seminarii Lugdunensis, una è gloriis theologicis celeberrimæ Societatis.

II* Eorum est qui distinguunt inter illos qui debita sua solverunt ex chartis sibi datis ad solvenda debita ejusdem generis, et illos qui vili pretio chartas emebant et eas dabant juxtà earum valorem nominalem. In *priori casu*, nulla erat obligatio restituendi; nam æquitati naturali consonum est ut quis in calamitate publicâ quærat se indemnem præstare; atqui chartæ erant publica calamitas : ergò. Undè qui debita sua ex illis solvebant, non tàm intendebant damnum creditori inferre, quàm se liberare ab onere sibi imposito. In *posteriori casu*, aderat obligatio restituendi. Iniquum est ex eâdem calamitate cum detrimento alterius ditari : quod certè fieret si abesset in hoc casu obligatio restituendi : ergò. Sic D. Asseline, episcopus Bononiensis cum pluribus in opusculo dato anno 1796.

III* Eorum est, qui dicunt illos qui hujusmodi chartis usi sunt ad sua debita persolvenda, semper et in omnibus casibus teneri reparare damnum quod creditores indè passi sunt. Hæc sola opinio videtur admittenda.

*Prob.* Nunquàm licet damnum alteri positivè inferre, et æqualitatem inter debitum et solutionem violare; atqui solvens ex chartis depretiatis, damnum alteri positivè inferebat, et æqualitatem inter debitum et solutionem violabat, siquidem ex communi hominum æstimatione chartæ nullatenùs habebant valorem æquivalentem rei, pro cujus solutione dabantur : ergò ad restitutionem tenetur.... Et verò si solutio ex chartis depretiatis posset excusari, id maximè esset, vel ratione calamitatis publicæ, vel vi legum; atqui neutrum. 1° Non ratione calamitatis publicæ; damnum quod aliquis patitur non dat ei jus alteri simile dam-

num positivè inferendi; alioquin ditesceret cum detrimento alterius, onus super alium rejiciendo; tunc quis solvere posset debitum monetâ adulterinâ quam ipse ab aliis incautus accepisset : ergò. 2° Non vi legum ; leges enim chartarum istarum emissivæ, si injustæ non fuerunt ab initio, saltem posteà in desuetudinem abierunt, quia communis hominum æstimatio iis chartis non dabat postremis temporibus nisi valorem nominali valori multò inferiorem, ergò ; aliundè : ergò.

Ut autem statuamus quid ad praxim pertineat, 1° hortandi sunt fideles ut invicem pasciscantur, quia æquum est ut omnes pro aliquâ parte onus calamitatis publicæ sustineant; 2° si obtineri nequeat amicabilis transactio, qui solverunt debita sua ex chartis depretiatis, reparare debent damnum quod indè creditores passi sunt.

Cæterùm, ad determinandum damnum quod resarciri debet, attendendus est valor realis chartarum eo præcisè tempore quo in solutionem datæ sunt, et tunc compensanda est differentia inter hunc valorem et valorem rei, solvendo etiam *interesse* juxtà proportionem capitalis. Ab ipsomet gubernio tabula successivæ depretiationis indicativa confecta fuit et apud præfectos cujusque provinciæ deposita, ut ii qui similibus obstringerentur restitutionibus certam regulam haberent.

* *Quær.* 5° an restituere teneantur qui bona ecclesiastica iisdem temporibus gallicæ perturbationis acquisiverunt?

*Resp.* Certum est 1° eos qui usurpaverunt, vel ab usurpatoribus acquisiverunt bona Ecclesiæ antè Concordatum 15 aug. 1801, triplex commisisse peccatum; 1° peccatum injustitiæ; nam ea bona non minùs erant aliena ac proindè inviolabilia quàm cætera bona privatorum; 2° peccatum sacrilegii; siquidem eadem bona divino cultui et religioni consecrata erant; 3° peccatum scandali; illud enim peccatum erat excitamentum ad rapinas et usurpationes.

Hinc 1° sivè usurpatores sivè acquisitores bonorum Ecclesiæ in iis lugendis temporibus absolvi nequeunt nisi de istis peccatis sincerè doleant. Condonatio postea à S. Pontifice facta non impedit quìn priùs commissum fuerit peccatum in ablatione injustâ illorum bonorum.

Hinc 2° sivè usurpatores sivè acquisitores bonorum ecclesiasticorum antè prædictum Concordatum ipso facto incurrerunt excommunicationem majorem Conc. Trid. sess. 22, cap. 11, latam adversùs spoliatores Ecclesiæ. Extrà Galliam nonnisi à S. Pontifice, et in Gallià nonnisi ab auctoritate ordinarii, id est, episcopi, absolvi potest ista excommunicatio. Hæc enim, etsì bona injustè acquisita condonata fuerint, ut patebit ex dicendis, à S. Pontifice non sublata fuit.

Hinc 3° expedit ut pœnitentia supradictorum spoliatorum in loco ubi talia perpetrârunt aliquatenùs publica sit, putà retractatione anterioris vitæ, professione fidei christianæ, usu sacramentorum, eleemosynis; alioquin scandalum non repararetur.

Certum est 2° à tempore Concordati inter S. P. Pium VII et regimen consulare initi, die 15 aug. an 1801, eos qui priùs usurpaverunt bona ecclesiastica sub præsidio legis civilis, vel ab istis ea bona acquisiverunt, à restitutione faciendâ omninò liberos esse, ità ut penès illos eorumque hæredes proprietas veterum bonorum ecclesiasticorum immutabiliter maneat. Ad hoc satìs est ut S. Pont. voluerit et potuerit ista bona pro foro interno condonare; atqui utrumque constat. 1° Voluit; id patet, 1° ex sensu obvio verborum Concordati, art. 13 : « Sanctitas sua, pro pacis « bono felicique Religionis restitutione, declarat eos « qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt nullam mo- « lestiam habituros, neque à se neque à successoribus « suis ; ac consequenter proprietas eorumdem bono- « rum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia « apud ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes. » 2° Ex communi interpretatione. Etenim episcopi, doctores, theologiæ professores, et confessarii scientiâ et pietate conspicui ex citato articulo semper intellexerunt proprietatem prædictorum bonorum translatam fuisse, ac proindè possessores minimè quoad restitutionem nunc inquietandos esse. 3° Ex confirmatione ejusdem Concordati quam idem pontifex Pius VII edidit in bullâ *Ubi primùm*, die 27 julii an. 1817 : ergò voluit condonare. 2° Potuit; id probatur 1° exemplo prædecessorum suorum. In Angliâ, post Henricum VIII, cardinalis Polus, supremâ rogante curiâ, ex facultate à Julio papâ III sibi datâ, dispensationem omnibus bonorum ecclesiasticorum acquisitoribus concessit, ut ea tranquillè deinceps possiderent 2° Ratione. Nam S. Pontifex potest pro bono Ecclesiæ quod princeps pro bono imperii; atqui princeps potest spoliare subditos proprietatibus, datâ justâ indemnitate : ergò et potuit S. Pontifex, stipulatâ indemnitate à gubernio solvendâ condonare, proprietatem bonorum Ecclesiæ : ergò. Dici non potest quòd illa dispensatio fuerit tantùm pro foro externo; nam eodem decreto matrimonia jure ecclesiastico nulla revalidat, collationes beneficiorum confirmat; certè hæc pro foro interno erant : ergò et dispensatio pro bonis ecclesiasticis. Aliundè S. Pontifex scopum suum non obtineret, scilicet pacificationem conscientiarum, si condonatio laudata pro foro exteriori restringeretur. Sic denique S. Pœnitentiaria pluriès rescripsit.

Hinc 1° acquisitores bonorum ecclesiasticorum à 15ª die aug. an. 1801, verè et legitimè istorum proprietarii facti sunt, adeò ut ea vendere, donare aut quocumque modo alienare possint.

Hinc 2° qui capitalia Censuum ante concordatum an. 1801 reipublicæ aut ab ipsâ delegatis solverunt et legalem obtinuerunt exonerationem, vi prædicti Concordati, ab obligatione restituendi liberari videntur : deterioris enim non debent esse conditionis quàm cæteri bonorum ecclesiasticorum acquisitores; atqui ex dictis posteriores non tenentur ad restitutionem : ergò nec priores.

Hinc 3° illi omnes qui ab anno 1801, die 15 aug., talia obtinuerunt bona sivè hæreditate, sivè emptione,

sivè permutatione nullo modo peccaverunt, nec proindè ab illis exigendum est ut de acquisitione istâ conterantur.

Certum est 3°, non obstante condonatione à S. Pont. factâ, quamdam superesse obligationem pietatis, consilii, pœnitentiæ, aliquod ex illis bonis injustè acquisitis in pias causas erogandi, sivè ad extinguenda onera quibus prædicta bona à piis fundatoribus gravata erant, sivè ad expiandam iniquitatem prioris injustitiæ. Sic habet rescriptum S. Pœnitentiariæ ad D. Bouvier, olim theologum, nunc episcopum Cœnomanensem, die 20 martii an. 1818 directum.

« Sacra Pœnitentiaria de expressâ apostolicâ auctoritate consulenti oratori declarat, bona ecclesiastica à gubernio gallico occupata antè conventionem initam anno 1801 inter S. Sedem et gubernium gallicum, in plenâ acquirentium proprietate esse, adeò ut ea retinere, iis gaudere atque alienare etiam illa tutò ac liberè possint in foro tùm externo, tùm interno, dummodò tamen acquisitio facta fuerit secundùm leges tunc vigentes. Hortatur tamen acquirentes istos ut pro suâ pietate ac religione satisfacere velint piis missarum, eleemosynarum aliarumque rerum similium oneribus quæ bonis illis olim forsan infixa erant. »

Ut verò nulla maneat ambiguitas circa præfatam conventionem, sciscitatur usquequò se extendat laudata condonatio : an ad fructus ex bonis Ecclesiæ perceptos ante 15 aug. 1801 ; an ad bona à gubernio jam tunc occupata, sed nondùm alienata ; an etiam ad bona à privatis privatim usurpata aut ab iis provenientia.

*Resp.* 1° : Cessio proprietatum includit cessionem fructuum antè concordatum perceptorum. Qui dat rem aliquam generaliter, absolutè et sinè ullâ restrictione, dat principale et simul accessorium ; atqui fructus sunt aliquid accessorii : ergò. Et verò, si hâc de re dubium substitisset, illud resolvissent consultationes quæ posteà Româ ad nos pervenerunt : ergò.

*Resp.* 2° : Cessio proprietatum à S. Pont. facta applicari potest omnibus bonis ecclesiasticis à gubernio priùs usurpatis, sivè jam ea alienaverit antè Concordatum 1801, sivè nondùm alienaverit. Ità fert Breve Pii VII ad episcopum Pictaviensem die 20 octobris an. 1821 directum. Sed gubernium, melioribus temporibus redeuntibus, plurima hujusmodi bona nondùm alienata, v. g., templa, domos curiales, census non exstinctos ecclesiis novis restituit. D. Affre, Vicarius Generalis Parisiensis, harum concessionum decreta recenset in opere valdè commendabili cui titulus : *Traité de l'administration temporelle des paroisses.*

*Resp.* 3° Cessio bonorum Ecclesiæ à S. Pont. facta ea tantùm comprehendit quæ à gubernio tunc existenti fuerunt occupata aut ab eo legaliter vendita, sed minimè ea quæ privati propriâ suâ potestate abripuerunt aut à similibus spoliatoribus acquisiverunt, quia, ex declaratione S. Pœnitentiariæ, die 20 martii an. 1818 ad suprà laudatum D. Bouvier directâ, non conceditur possessoribus bonorum ecclesiasticorum proprietas vi conventionis an. 1801, nisi in quantùm à gubernio gallico ista priùs occupata fuerint, et eorum acquisitio secundùm leges tunc existentes facta fuerit.

Hinc 1° privati qui propriâ suâ auctoritate bona Ecclesiæ, vel monasteriorum vel seminariorum abripuerunt, aut à talibus spoliatoribus acquisiverunt quocumque titulo, ea retinere nequeunt, sed restituere debent cum fructibus perceptis ; quippè nihil aliud sunt quàm possessores malæ fidei.

Hinc 2° privati qui antè gallicam perturbationem singulis annis census in naturâ, v. g., frumento, vino, vel in pecuniâ, v. g. reditibus annuis, fabricis ecclesiarum vel quibusdam communitatibus religiosis, solvebant, atque abhinc ea proprio nutu solvere omiserunt, ad restitutionem tenentur, quia similes usurpationes in Concordato non condonantur.

Itaque, si alicubi remaneant quædam bona ecclesiastica à gubernio non vendita, vel census ecclesiastici ab eodem gubernio non alienati, ea cum fructibus suis aut præteritis reditibus restituenda sunt episcopis, qui hanc solutionem transmittent ecclesiis aut communitatibus quibus ablata fuerunt illa bona, si adhuc exstant, vel si istæ jam non exstent, in alia pia opera impendent juxtà intentionem fundatorum, quorum episcopus, in suâ diœcesi, ubi agitur de causis piis, legitimus est interpres, conc. Trid. sess. 22, cap. 8. His rationibus naturaliter ductus D. de Châteaubriant, cùm 21 martii, anno 1817, invictis argumentis demonstraret coràm supremo nobilium Parium senatu, sylvas ecclesiasticas nondùm alienatas Ecclesiæ restituendas esse, refellebat objectiones quæ ipsi opponi possent exstinctione veterum titularium : « Il existe des biens non vendus qui ont appartenu à « des évêchés, des chapitres, des séminaires ; et ces « évêchés, ces chapitres et ces séminaires ont été ré« tablis : ici le propriétaire ne manque donc pas à la « propriété. De plus, des biens consacrés au culte peu« vent changer de titulaire, pourvu qu'on donne à ces « biens une destination pieuse, et qu'on remplisse les « conditions imposées par les fondateurs. On trouve « dans toute la chrétienté des exemples de ces trans« mutations ; il suffit pour s'en convaincre d'ouvrir les « lois *ecclésiastiques* d'Héricourt. » *L'Ami de la Religion*, tom. 11, p. 253.

Licet à 25 martii 1835 prædictæ restitutiones multùm evaserint difficiliores, quia nunc possessores rerum ecclesiasticarum præscriptionem 30 annorum in foro externo invocare possunt, nihil negligere debent Parochi in expendendis bonis privatis quæ originem religiosam aut ecclesiasticam habuerunt, quia in ejusmodi possessoribus sæpissimè deest bona fides quæ requiritur in præscriptionibus ad acquirendum vel ad se liberandum ab aliquâ obligatione.

* *Quær.* 6° an restituere teneantur qui in eâdem re rum gallicarum eversione acquisiverunt bona quæ à republicâ in privatos usurpata fuerant, et ab eâ iniquè vendita ?

*Resp.* Eadem non fuit decisio circà hanc quæstionem in quolibet tempore.

1° A primâ die jan. 1792 usquè ad finem Imperii, acquisitores istorum bonorum satìs communiter eis assimilabantur qui ab injusto spoliatore rem alienam emptione vel dono accipiunt. Nemo hactenùs conscientiæ favens leges innocentissimorum civium spoliatrices ab injustitiæ labe purgare ausus est. Quod adeò verum est ut plurimi ex his acquisitoribus sæpè, durante Imperio, interrogarent circà legitimitatem illorum bonorum. Idcircò confessarii, ad succurrendum iis qui in prædictis angustiis versabantur, consulebant adire veteres proprietarios et cum istis amicabiliter pacisci.

2° A fine Imperii usquè ad 27 april. an. 1825, acquisitores bonorum prædictorum minùs evaserunt dubii de rebus suis. Ratio est, quia princeps, constitutione publicâ an. 1814 datâ, voluit et potuit hujusmodi acquisitiones confirmare, etiam pro foro conscientiæ. 1° Voluit : id patet sivè ex præviâ discussione publicæ constitutionis, sivè ex sensu obvio præfatæ legis, sivè ex motivo legislatoris qui pacem et oblivionem ubique proclamabat. 2° Potuit : princeps potest, exigente bono publico et præmissâ spoliatis æquâ indemnitate, de rebus privatorum disponere in utilitatem communem. Ab eâ tamen lege non sublata fuit possessoribus bonorum nationalium omnis perplexitas, quia deficiebat adhuc indemnitas ejusdem legis art. 10, non secùs ac Cod. civ. art. 545 requisita. Quare hocce intervallo iterùm consulebantur transactiones amicabiles cum prioribus dominis.

3° Ab an. 1825 inquietandi non videntur sub respectu restitutionis, nec immediati nec à fortiori mediati acquisitores proprietatum nationalium, modò acquisitio fuerit legalis seu facta auctoritate gubernii tunc existentis. Ratio est, quia lex proprietates nationales declarans inviolabiles omnem suum sortitur effectum, cùm jam nihil ipsi desit, siquidem indemnitas novâ lege sancita est. Sic habet lex die 27 april. an. 1825 : « Trente millions au capital d'un milliard sont affectés « à l'indemnité due par l'Etat aux Français dont les « biens-fonds situés en France, ou qui faisaient partie « du territoire de la France au 1^er^ janvier 1792, ont « été confisqués et aliénés en exécution des lois sur « les émigrés, les déportés et les condamnés révolu- « tionnairement. » Ergò.

Dixi 1°, *acquisitores proprietatum nationalium*, quia non omninò constat sub illius ratihabitionis beneficio comprehendi eos qui duntaxàt bona mobilia à republicâ acquisiverunt, cùm lex an. 1814 data nullum de istis emittat verbum, et lex 27 april. an. 1825, articulum 9 constitutionis regiæ complens, nullam pro mobilibus assignet indemnitatem. Aliter sentiunt plurimi de mobilibus prædiis aut domibus annexis, quia accessorium sequitur principale.

Dixi 2°, *modò acquisitio fuerit legalis*, quia lex nullo modo fraudibus et spoliationibus privatorum favere intendit. Ideò quicumque privatâ auctoritate bona aliena usurpaverunt, ea restituere debent cum fructibus.

*Obj.* Anno 1830, exurgente novo rerum ordine, distracta fuit pars notabilis indemnitatis : ergò incompleta fit lex sanciens venditiones bonorum nationalium.

*Resp.* In his multa nimìs vera sunt et in principio et in conclusione. Sed, omnibus perpensis, spoliati novem ex decem partibus indemnitatis acceperunt : nùm convenit ut lex multas cicatrices obducens post magnas tempestates, deficiente decimâ parte indemnitatis, toto careat suo effectu? Id quisque appretiabit, conferendo legem cum circumstantiis, et considerando reparationes adæquatas quandoque impossibiles esse. Cæterum in talibus difficultatibus nihil præjudicare intendimus, cùm ad episcopos deferendæ sint, siquidem eorum est similia dubia resolvere.

* *Quær.* 7° an peccent et ad restitutionem teneantur conscripti desertores?

*Resp.* Nemo dubitat quìn peccent contrà justitiam legalem qui militiæ inscribi recusant, aut inscripti fugiunt, nisi bellum sit evidenter injustum, aut proximum salutis æternæ periculum ipsis immineat. Ratio est, quia extrà hos casus princeps justè præcipit ut cives sorte designati militiæ nomen dent et vexilla sequantur; alioquìn hostes fines patriæ invadere atque provincias occupare possent. Undè ad castra redire debent qui vexillis injustè se subtraxerunt, quia principis mandatum semper instat; non tenentur tamen se manifestare si morte, vel triremibus, vel aliis gravibus pœnis plectendi essent; actus heroici non cadunt sub præceptum; atqui actus heroicus est se spontè tàm gravissimis malis offerre : ergò.

Utrùm verò prædicti desertores ad restitutionem teneantur? ad hanc quæstionem lucidiùs exponendam certa ab incertis separanda sunt.

Antequàm incipiamus, sciendum est extrà rem poni eos qui, pactâ quâdam pecuniæ summâ, se locaverunt ad militandum pro aliis et deindè vexilla deseruerunt; illi enim, nemine dubitante, tenentur ad restitutionem ergà eos pro quibus sese obstrinxerant, quia ipsis deest titulus ad accipiendam illam pecuniam quæ non datur nisi propter onus militandi : ergò. His positis respondemus :

Certum est 1° eos qui militiæ inscribi recusârunt, aut inscripti fugerunt, cùm leges conscriptionis evidenter erant injustæ aut proximum ipsis imminebat periculum salutis æternæ, ad nullam teneri restitutionem, quia nemo tenetur reparare damnum quod non intendit et quod non sequitur ex actione licità, etsi prævideat alios loco ipsius malum passuros esse.

Certum est 2° eos qui militiæ inscribi renuerunt aut inscripti fugerunt ad nullam teneri restitutionem, cùm omnes ab uno usquè ad ultimum pro militiâ assumebantur, sicuti versùs finem imperii contigit, quia tunc desertio unius causa non erat cur alter focis paternis eripiebatur.

Certum est 3° eos qui militiæ inscripti fugerunt, ex novâ lege conscriptionis datâ 10 die martii anno 1818, ad nullam teneri restitutionem, quia tunc loco desertorum qui sorte designati ad militiam apti inveniu-

bantur, non appellabantur alii qui loco ipsorum militarent.

Itaque maxima difficultas in eo versatur : an restituere teneantur illi qui exemptionem à militiâ sinè justis causis obtinent in conciliis revisionis seu electionis militum?

Distinguendum est inter eos qui pecuniâ, aut seductione aut protectione, aut aliis mediis magistratus corrumpunt, et illos qui mendaciis, fraudibus aut præviis mutilationis actibus eosdem magistratus decipiunt.

*Priores* ad restitutionem tenentur, sinon ut damnificatores, saltem ut injustitiæ cooperatores. Etenim efficaciter movent præpositos ad inferendum alteri damnum quod poterant et debebant ex officio Justitiæ impedire : ergò.

*Posteriores* scholam in duas scindunt partes.

Affirmant alii eos ad restitutionem teneri ergà istos qui loco ipsorum ad militiam vocantur. Illi tenentur ad restitutionem qui sunt causa efficax et injusta damni alterius; atqui ità prædicti : 1° causa efficax; nam actione suâ determinant efficaciter principem ad alios albo militiæ inscribendos : 2° injusta; nam privati jus strictum habent ex pacto implicito inter cives ut onera publica proportionatè ad vires ab unoquoque sustineantur juxtà modum distributionis à principe statutum; quod violatur cùm unus declinat onus militiæ sibi legitimè impositum : ergò. Vis illius argumenti exemplo tributorum illustratur. Si gubernium imponat aliis tributum pecuniæ declinatum ab aliquo, iste recusans tenetur, omnibus consentientibus, restituere iis qui pro scipso tributum pecuniæ solverunt : ergò à pari, ne dicam à fortiori, si gubernium imponat uni tributum personale militiæ declinatum ab altero, alter iste recusans tenetur restituere ergà coactum pro illo castra adire.

Negant verò multi ad restitutionem teneri eos qui decipiunt præpositos concilio revisionis. Illi non tenentur ad restitutionem qui non sunt causa efficax et injusta appellationis aliorum ad militandum loco ipsorum; atqui decipientes... non sunt causa... 1° Neque efficax. Nam eorum deceptio neque physicè neque moraliter incitat magistratus ad alios quadratis militaribus inscribendos; talis actio in denegatione militaris concursûs tota est. Si quid ampliùs additur huic recusationi imputandum non est; istud ab aliâ oritur causâ, scilicet à præpositis vel potiùs lege quæ, deficiente uno, indè occasione datâ, alterum vocat ad arma. 2° Neque injusta. In tantum conscripti electioni militum fraudibus se subducentes causæ forent injustæ appellationis aliorum ad militiam, in quantum illi jus strictum haberent ut sorte designati proficiscerentur cùm legitimè non excusantur; atqui illud jus non est inconcussum, siquidem omnia officia ex pacto implicito provenientia non obligant ex justitiâ strictâ; alia sunt ex fidelitate, alia ex charitate, alia ex justitiâ legali, proùt materia id insinuat; atqui materia in præsenti pacto non absolutè indicat obligationem justitiæ strictæ. Nam objectum istius quasi contractûs est præstatio obsequii principi imperanti; atqui istud objectum non est materia communis obligationum strictæ justitiæ : hoc potius est objectum justitiæ legalis; materia communis et ordinaria justitiæ strictæ consistit in pecuniâ vel re mercibili : ergò. Aliundè : ergo. Undè conscriptus fraudibus, mendaciis, fictis morbis se militiæ subtrahens, si ipsius loco alius militari cogatur, se habet sicut reus qui, accusatus de crimine quod patravit, ab eo se purgat coram judice, etiamsi prævideat, occasione mendaciorum et mediorum quibus utitur ad suam probandam innocentiam, accusatorem gravi mulctâ plectendum esse in pœnam delationis quæ falsa creditur ob defectum probationis; jam verò nullus est theologus qui prædictum reum inducat ad restituendum accusatori damnum quod iste patitur, quia reus non est illius damni causa, sed tantùm occasio : causa verò mulctæ quæ ei imponitur ipsius est imprudentia, præcipitatio, imperitia : ergò nec damnandus est ad restitutionem conscriptus se subtrahens militiæ, decipiendo præpositos concilio revisionis, etiamsi prævideat alios sui loco tabulis militum inscribendos esse.

Quidquid sit de illis duabus opinionibus, una vix alteram vincit probabilitate. Ideò sapientissimum erit non valdè premere juvenes qui suprà dictis mediis à militiâ se redimunt. Plerique enim ignorant se committere injustitiam, et rari monitis obtemperarent. Porrò juxtà principia alibi exposita, pœnitens non est monendus cùm ipse est in bonâ fide et nulla affulget spes emendationis, etiamsi tertius prævideatur damnum passurus : ergò.

**Quæres* 8° ad quid teneantur juvenes qui ope alienâ gratuitam acceperunt educationem sub spe quòd futuri essent clerici, si posteà hunc statum deserant, aut illo sese indignos culpâ suâ reddant.

*Resp.* Vel sincerè intendebant in statu clericali se Deo consecrare, vel non sincerè, vel erant dubii et ancipites.

1° Si sincerè intenderent hunc statum amplecti, vel propter suam culpam ab illo arcentur, v. g., ob pravos mores, indisciplinam, desidiam; vel absque culpâ, v. g., ob capacitatis, vocationis aut valetudinis defectum. Si prius, prævidentes culpam posse fieri causam suæ expulsionis, tenentur ad restitutionem, quia donatores non intendunt illis subsidium præstare, nisi in quantùm id faciant quod in se est ut idonei ad hunc statum efficiantur. Si posterius, ad nihil tenentur, quia intentio donatorum non fuit ut clerici fierent absque capacitate, aut valetudine, aut vocatione divinâ, uno verbo absque dispositionibus necessariò requisitis, sed tantùm ut facerent quod in se erat ad illas dispositiones acquirendas : ergò.

2° Si non sincerè intenderent hunc statum amplecti, sibi proponentes scientiam comparare ut indè meliorem invenirent fortunam in seculo, tenentur restituere id quod gratuitò acceperunt, quia illa pensio non fuit illis concessa nisi eâ lege ut sese ad hunc statum verè et ex animo destinarent.

3° Si dubii et ancipites fuerint, tunc juvenes erant

vel incapaces vel capaces examinis. Si incapaces, utpotè juniores sacræ militiæ tirunculi, studiis legitimè vacare possunt, etsi nesciant quemnam statum deinceps ambire velint, modò sint in dispositione albo clericorum nomen dandi, si reverà vocati fuerint, quia donatores iis conditionem impossibilem imponere voluerunt. Si autem prælucente rationis face ad gravia momenta ponderanda, capaces fuerint examinis, dubium quamprimùm moraliter excutere debent. Quòd si perseveret dubium, non obstante serio examine, illud iis aperire debent à quibus beneficia accepturi sunt; aliàs contrà eorum intentionem agerent et propterea justitiæ deessent.

Nec refert an illi juvenes pensionem habeant à gubernio solutam, quæ dicitur *bourse*, an verò simpliciter pensionem gratuitam in collegio aut seminario obtineant; nam pensiones à gubernio solutæ, ab Episcopo, quibus voluerit, applicari possunt; porrò episcopus eas applicare non intendit nisi eis qui sincerè clericatum desiderant et faciunt quod in se est moraliter ut ad ministerium sacrum idonei efficiantur; imò ipsum gubernium aliis eas pensiones solvere non intendit: ergò, etc.

*Nomenclatio auctorum quos præcipuè consuluimus.*

Inter veteres theologos.
Delugo.
Lessius.
Vogler.
Ligorio.
Molina.
Daelman.
Layman.
Billuart.
P. Dens.
Sylvius.
Becanus.
Tournely.
Collet.
Antoine.

Inter recentes theol.
Bouvier, Cœnom.
Berger, Tolos.
Logerot, Ambian.
Receveur, Bisunt.
Vernier, Bisunt.
Ramonet, Tarb.
Rey, Lugd.
Annot. in Vogler.
Annot. in Billuart.
Annot. in P. Dens.

Inter jurisp.
Pothier.
Delvincourt.
Toullier.
Duranton.
Paillet.
Pigeaut.
Gousset.

# VOGLERI VITA.

Vogler (Josephus), societatis Jesu, initio ætatis proximè elapsæ florebat. Quidquid de eo compertum habemus, eximiumque insuper de præcipuo illius opere judicium refert sequens approbatio theologica Ignatii de Planck, Voglero coævi atque in electorali Universitate Ingolstadianâ procancellarii.

« Opus eruditissimum admodùm rev. Patris Vogler S. J. sacrosanctæ theologiæ doctoris, et in hâc electorali Universitate nostrâ per complures annos professoris celeberrimi, quod de Restitutione in genere edidit, eâ doctrinæ profundissimæ soliditate, eruditionis amplitudine, styli gravitate, atque ingenii perspicacissimi luce inclarescit, ut omni juris ac justitiæ titulo expetat in publicos omnium usus accommodari, et ad orbis eruditi solatium atque emolumentum amplissimum evulgari. Cùmque insuper ad omnes orthodoxæ legis apices sit exactissimum, ac sacræ fidei regulis ac canonibus ad amussim conforme, ideò luce publicâ omninò dignissimum est, ut auctoris, jamdudùm per Germaniam Italiamque notissimi, nomen ac memoria perennis conservetur, et doctrinæ solidissimæ fructus in omnes tantò uberiùs dispergatur. Ità censeo. »

Asterisco signo (*) multiplices includere placuit annotationes quas operi P. Vogler assuimus. Eximium quidem, laudatissimumque tractatum novi præsertim juris Gallici dispositionibus illustrare opportunum duximus, ut Franciæ etiam prodesse queant scripta quæ aliâ in regione utilitate sese commendaverunt. Tali conficiendo labori non priores forsan accessimus; tot verò notis ex Codice nostro exhaustis ampliatisque illum auximus, ut meritò hunc commentarium nostrum esse gloriemur.

# Appendix secunda.

# JURIS-CULTOR THEOLOGUS

## CIRCA OBLIGATIONES

# RESTITUTIONIS IN GENERE

## THEORICO-PRACTICE INSTRUCTUS.

### QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIT JUS?

1. Juris nomen æquivocum est. Sumitur 1° pro justo vel debito. 2° Pro scientia justi, vel jurisprudentia, quæ dicitur ars æqui et boni. 3° Pro legibus. Ita dividitur jus in canonicum et civile. 4° Pro loco qui servit administrandæ justitiæ. Sic actores causarum comparent in jure. 5° Pro jurisdictione quam habet superior aut princeps in subditos. 6° Pro jure proprietatis quod habes in re tuâ, vel ad rem quæ tibi debetur, ita ut citra injuriam tibi negari non possit, et in hac ultima significatione jus respicitur à justitia particulari vel commutativa, cujus violatio restitutionem inducit.

2. *Dico* 1°: Jus proprietatis activum est legitima potestas adversùm alios, ordinata principaliter in commodum proprii beneplaciti. Jus passivum est debitum activo juri respondens. Ita communiter recentiores. Dicitur 1° *legitima potestas* seu potestas legibus munita; nam illegitima, vis est, non jus. 2° *Adversùm alios*; quia jus quod mihi favet, gravat alios, ne violent

meum jus, aut impediant exercitium mei juris. 3° *In commodum*, quod potest esse positivum vel negativum; sicut enim mihi commodum est uti mea veste, domo, vel pecuniis, ita commodum est non verberari, non vulnerari, non occidi. 4° *In commodum proprii beneplaciti*, quæ particulæ discriminant jus proprietatis à jure jurisdictionis. Nam istud principaliter aut directè tendit in bonum subditorum. Unde tyrannus est, qui leges imponit tantùm hoc motivo ductus, quia placet, vel quia sibi commodum est. Imò non valet lex aut præceptum, nisi dirigatur, aut saltem conducat ad bonum subditorum. Contrà, qui gaudet jure proprietatis, validè stringit alios præcisè propter commodum sui beneplaciti, et potest usurpare tritum illud : Sic volo, sic jubeo. 5° Dicitur etiam *in commodum proprii beneplaciti;* nam ut præ cæteris eleganter explicat P. Ant. Perez, D. 1 de Just., obligatio juris directè tendit ad hunc finem, ut servetur indemnis alterius libertas circa res suas, vel ea quæ sunt ipsi debita. Sicut enim jure gentium, ad vitandam confusionem, inventa sunt jura publica jurisdictionis, ceu termini quidam et limites, ultra quos excurrere legislatoribus non licet; sic ad vitandas innumeras lites inventa sunt jura privata proprietatis, ut quisque se contineat intra fines à justitia libertati suæ concessos, nec involet in terminos alienæ libertatis. Et hinc obligatio juris et justitiæ distinguitur ab obligatione virtutum aliarum quæ sunt ad alterum, ut charitatis, pietatis, gratitudinis, religionis, etc., ut infrà manifestiùs apparebit.

3. *Dico* 2°: Jus proprietatis aliud est jus in re, aliud jus ad rem. Jus in re dicitur quo res absolutè mihi devincta est et propriè mea, sic ut immediatè possim de ea disponere. Jus ad rem dicitur quo res nondum absolutè mihi devincta est, nec propriè mea, quamvis mihi sit debita. Declaro diversitatem exemplis. Venditio mercis, secuta traditione, gignit jus in re; quia propter dispositionem legum, merx vendita et tradita ita mihi obligatur, ut ubicunque sit et ad quascumque manus devenerit, semper retineat hanc obligationem; vel, ut juristis loqui placet, quasi clamet ad me : atque ideo mercem ubique possum repetere vel mihi vindicare, sive sit apud malæ fidei, sive sit apud bonæ fidei possessorem. Contrà venditio mercis, non secuta traditione, communiter (ex jure Romano à quo aliquatenùs differt jus nostrum Gallicum, de quo vide tractatum *de Contractibus*) tantùm parit jus ad rem; quia merx ordinariè propter solam venditionem nondum est absolutè mihi devincta, sed tantùm venditor est obligatus ut eam mihi tradat. Quocirca si Titius venditor mercem denuo vendat, et tradat Sempronio, qui non est conscius primæ venditionis, venditio secunda valet, neque possum legitimè mercem à Sempronio repetere, sed solùm mihi competit actio contra Titium iniquum venditorem, qui tenetur ad interesse, seu debet mihi præstare quantùm meâ intererat ut venditio prima traditione consummaretur, et merx fieret absolutè mea. Jus in re vocatur communiter à RR. jus reale; quia, dum læditur, parit actionem realem. Jus ad rem vocatur jus personale; quia parit actionem personalem. Nonnulli cum Haunoldo concedunt tertium jus, id est, mixtum. Sed hoc nihil est aliud, nisi concursus utriusque juris, et antiquiores T T. vel Jurisconsulti non meminerunt juris mixti.

4. *Dico* 3°: Jus reale, vel jus in re dividi solet in dominium perfectum et imperfectum. Prius est jus perfectè disponendi de re suâ, sive est legitima facultas disponendi de re suâ quovis modo possibili, nisi fortè lex obsistat, et per accidens irritam aut invalidam reddat dispositionem. Posterius est jus imperfectè disponendi de re suâ, quod iterum subdividitur in dominium directum proprietatis, et in dominium indirectum utilitatis. Sed hæc parùm faciunt ad nostrum propositum.

*Objectiones.*

5. *Obj.* 1°: Jus proprietatis extenditur etiam ad actus illicitos; sed ad hos non extenditur legitima potestas, nisi velis admittere potestatem legitimam peccandi, quod in terminis est absurdum : ergo jus proprietatis non est legitima potestas. *M. prob.* Dominus habet jus utendi re sua non tantùm licitè, sed etiam illicitè, v. g., prodigendi pecuniam turpiter in meretrices. 2° Maritus qui ligatur voto simplici castitatis habet jus petendi conjugale debitum, et uxor ex justitia tenetur obedire, nisi precibus aut alio facili modo possit avertere maritum à peccato. 3° Juxta sententiam valdè communem, clericus habet jus expendendi bona superflua non tantùm ad pias, sed et profanas causas, quamvis, expendendo profanè, turpiter agat. Huc etiam spectat facultas qua pecunia nonnullis datur ad usus licitos et illicitos.

*R. D. M.* Extenditur ad actus illicitos quoad valorem, ut ratione juris agatur validè, *C.* quoad licentiam et honestatem, ut ratione juris agatur etiam licitè vel honestè, *N. M.* Non datur potestas legitima peccandi simpliciter, datur tamen legitima potestas operandi validè per peccatum. Ita sacerdos habet legitimam potestatem consecrandi validè, dum est in statu peccati mortalis, quamvis non habeat potestatem legitimam consecrandi licitè; sicut enim lex, ita legitima facultas est multiplex. Aliqua lex præcipit, alia consulit, alia præcisè permittit actum. Una lex permittit actum ut licitum, alia solùm ut validum.

6. *Obj.* 2°: Si possibilis est legitima facultas et jus ad actus illicitos, etiam est possibilis ad actus injustos : hoc implicat; ut enim arguit Haunoldus, Tract. 2 de Jur. et Just. n. 55, actus à jure procedens, semper est justus saltem negativè, sive non est injustus.

*R. D. M.* Est possibilis ad actus injustos formaliter ut injustos, et quoad licentiam, *N.* ad actus injustos materialiter tantùm, et quoad valorem, *C.* Si Caius contraheret sponsalia cum Berta, sed dein hac invita matrimonium iniret cum Sabina, matrimonium esset jure validum, esto per hoc violaretur jus Bertæ :

ergo Caius post sponsalia retinuit jus ad contractum validum matrimonii cum Sabina. 2° Titius, qui vendidit absque traditione rem suam Cneio, potest validè, saltem in pluribus casibus, rem eamdem iteratò vendere et tradere Sempronio, non obstante jure Titii : ergo habet jus et facultatem legitimam ac jure munitam ad secundam venditionem validè ponendam. 3° In sententia valdè communi, quodlibet peccatum mortale repugnat juri stricto quo nos obligat Deus, et tamen jus et legitima facultas extenditur ad actus illicitos.

7. *Obj.* 3° : Ex eo quòd Titius rem Cneio venditam iterùm validè vendat Sempronio, non sequitur ei competere jus ad secundam venditionem ; potest enim dici quòd venditio sit valida, non propter jus Titii, sed propter jus et dominium altum residens in republica, quæ dominium in eo casu transfert in Sempronium.

*R. N. A.* Nam hac ratione posset etiam dici quòd quoties dominus in translatione dominii peccat, non ille, sed respublica vel Deus transferat dominium. 2° Quando Titius, post sponsalia cum Berta, contrahit matrimonium cum Sabina, Titius utique jus aut dominium sui corporis validè transfert in Sabinam, et non respublica vel magistratus : ergo etiam à pari. 3° Ut Titius validè rem vendat secunda venditione, non sufficit potestas purè physica pronuntiandi verba quibus fit contractus, et tradendi localiter rem venditam, sed requiritur potestas juridica, seu facultas libera munita favore legis, quæ tribuat venditioni secundæ valorem : hæc verò facultas nihil est aliud quàm jus Titio favens et gravans alios, ut in valore venditionis Titius impediri non possit, et per venditionem comparet dominium pecuniarum : jus autem Titio sic assistens est jus Titii.

8. *Obj.* 4° : Hoc modo jus unum alteri foret contrarium ; nam Titius haberet jus ad secundam venditionem, et Cneius primus emptor haberet jus contra secundam venditionem : item hoc modo possibile foret bellum utrinque materialiter justum.

*R. N.* Jus Titii tantùm se porrigit ad valorem secundæ venditionis, et Cneii jus tantum est contra licentiam secundæ venditionis, in quo nulla contrarietas est. Porro bellum materialiter justum est, quod ex justitia simpliciter licet, sive quo non violatur alterius hominis jus : hoc autem ex utraque parte repugnat.

9. *Obj.* 5° : Licèt habeam jus in mea bona, licitè tamen impediunt me superiores ab usu vel exercitio mei juris ; imò superiores non rarò justissimè non tantùm prohibent, sed et irritant aut invalidum efficiunt exercitium mei juris, ut patet in pupillis : ergo jus proprietatis non est adversùm alios.

*R. D. C.* Adversùm omnes alios, etiam eos adversùm quos mihi non competit jus, *C.* eos adversùm quos mihi competit jus, *N.* Non habeo jus ut superior non prohibeat aut irritet exercitium mei juris, pro casibus in quibus privatum meum aut publicum bonum id exigit. Injustè tamen ageret superior si, seclu-so hoc bono, impediret exercitium mei juris. Unde subditus habet jus in multis casibus etiam adversùs superiorem.

10. *Obj.* 6° : Pupillus habet jus et dominium perfectum in sua bona, neque tamen potest de illis pro libitu disponere ; nam absque consensu magistratûs validè nequit alienare res suas immobiles, vel mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt.

*R.* Non potest pro casibus in quibus dispositio non fit specialiter per leges invalida, *N.* in quibus specialiter fit invalida, *subd.* Non potest potentiâ proximè expeditâ, sive non potest ex defectu conditionis, vel propter impedimentum extrinsecum, *C.* ; non potest potentiâ remotâ, per accidens tantùm impeditâ, sive non potest ex defectu juris aut dominii sufficientis, *N.* Sicut ignis retinet intrinsecè totam potentiam urendi, quando non est applicatus, vel quando per decretum extrinsecum Dei specialiter impeditur ab ustione ; sic etiam pupillus retinet intrinsecè totam potentiam disponendi, quando per leges impeditur specialiter à valida dispositione ; leges enim istæ nec tollunt, nec diminuunt, nec in alium transferunt jus aut dominium pupilli, sed præcisè propter ipsius bonum impediunt, ut in certis casibus non valeat dispositio sine consensu magistratûs facta.

11. *Obj.* 7° : Pupillo competit jus perfectum et dominium plenum in sua bona : sed dominium plenum est facultas legitima se porrigens ad omnem usum, qui possibilis est habenti dominium plenum : at inter usus possibiles est utique bonorum alienatio.

*R. D. m.* Ad omnem usum possibilem specificativè sumptum, et non annullatum per contrariam legem, *C.* reduplicativè sumptum et annullatum per legem contrariam, *N.* Pupillus habet facultatem legitimam ad omnem usum possibilem, sed in sensu diviso, non autem composito, contrariæ legis annullantis usum ; sicut ignis habet potentiam urendi tantùm in sensu diviso, non autem composito, quo Deus efficaciter impedit ustionem. Cæterùm opus est hîc distinguere triplicem legem. Prima lex constituit intrinsecè jus et facultatem legitimam dominii. Secunda præcisè prohibet usum juris et dominii. Tertia simul annullat usum juris et dominii pro certis circumstantiis, vel ad aliquod tantùm tempus. Prima lex non tollitur per secundam aut tertiam, quod patet ex eo, quia sublatis posterioribus legibus, dominus validè simul et licitè disponit, etiamsi non accedat nova lex constituens dominium. Aliud foret si lex annullaret omnem usum dominii, et quidem in perpetuum. Tunc enim moraliter censeretur extingui dominium ; quia dominium quod in nullo casu validè potest exerceri, penitùs est inutile, et moraliter censetur esse nullum.

12. *Obj.* 8° : Infans, ebrius, aut dormiens nihil potest rationabiliter velle : ergo nec obligare potest in commodum sui beneplaciti.

*R. D. A.* Nihil potest velle per volitionem actualiter et physicè suam, *C.* habitualiter aut interpretativè suam, *N.* Volitio triplex est : actualis et physica, sive quam actu et physicè nunc elicio. 2° Habitualis, quæ

physicè præteriit, et nondùm est retractata. Talis esse potest etiam in dormiente vel ebrio. 3° Moralis et interpretativa, quæ fictione juris aut hominum æstimatione censetur mea. Sic voluntas parentum, tutorum aut reipublicæ moraliter est volitio filiorum aut pupillorum. Sic etiam voluntas Adami moraliter fuit nostra voluntas.

13. *Obj.* 9°: Dominus obligans alios ex justitia, sæpè non intendit commodum sui beneplaciti, v. g., si repetat à te librum hæreticum, ut non seducaris, aut gladium, ut in œstro furoris te non occidas. Et universìm potest dominus uti re sua non minùs ad utilitatem alienam quàm propriam; nam ideo res nostris juribus subduntur, ut dispensentur in communem utilitatem, et avaritiæ sordibus non caret qui bona sua refert tantùm ad proprium emolumentum : ergo de ratione juris non est ut obliget alios in commodum proprii beneplaciti.

*R. N. C.* Aliud est quòd dominus jure suo gravans alios, non intendat semper utilitatem propriam, et aliud quòd non velit obligationem quæ principaliter ac directè cedit in commodum proprii beneplaciti. Frequenter enim accidit ut alius sit finis obligationis vel præcepti, et alius sit finis obligantis aut præcipientis. Ita si voves jejunium propter sanitatem, finis tuus est sanitas; finis autem intrinsecus voti non est sanitas, sed honestas relucens in actu religionis, quo servatur Deo promissum. Ita si papa jejunium indiceret ad impetrandam pacem, finis intrinsecus præcepti non esset pax, sed honestas temperantiæ vel obedientiæ.

14. *Obj.* 10°: Qui gaudet jurisdictione, multa validè simul et licitè præcipit in proprium commodum. Ita, v. g., superior regularis petere potest ut everras ipsius cubiculum : ergo jurisdictio non differt à jure proprietatis. Dein, qui principem impedit vi, dolo, vel metu quominùs exerceat jurisdictionem, afficit eum injuriâ : non esset autem injuria, nisi jus proprietatis et jurisdictio forent idem.

*R. D. A.* Ita ut finis iste tantùm sit extrinsecus præcepti, *C.*; intrinsecus et sufficiens ad valorem præcepti, *N.* Finis, qui directè respicitur à lege vel præcepto, semper est utilitas subditorum; lex enim est ordinatio rationis facta in bonum communitatis. Unde philosophus, 1 Moral., observat discrimen inter servos et liberos, quòd illi sint gratiâ dominorum, isti gratiâ sui : nam dominus uti potest servis pro libitu; superior non potest præcipere pro libitu. Porro, quod additur de impediente principem, non habet vim; quia princeps habet jus proprietatis reflexum in jurisdictionem. Unde qui per vim, dolum aut metum impedit eum ab usu jurisdictionis, infert injuriam; non quia lædit jurisdictionem, sed quia lædit jus reflexum proprietatis.

15. *Obj.* 11°: Deo tanquam supremo legislatori competit absolutissima potestas jurisdictionis : Deus autem in usu suæ jurisdictionis intendit semper directè bonum sui beneplaciti.

*D. m.* Intendit hoc solum, *N.* simul cum utilitate nostra, *C.* Deo competit indivisìm eminentissimum jus proprietatis in omnes omnino creaturas, et absolutissima potestas jurisdictionis in omnes creaturas rationales. Et quoties operatur ad extra, semper habet duos fines, seu propriè, seu minùs propriè sic dictos, finem scilicet primarium excellentiæ suæ seu gloriam, et finem secundarium utilitatis seu felicitatem nostram. Et hi duo fines semper indispensabiliter sunt connexi; nam gloria Dei extrinseca nihil est, nisi clara notitia Dei cum laude : sed in hac notitia et laude potissimùm residet nostra felicitas. Hinc agimus Deo gratias propter magnam gloriam suam, quia gloria Dei extrinseca semper est utilitas nostra.

16. *Obj.* 12°: Inter Deum et hominem, ex probabili multorum sententia, potest intercedere mutua quædam obligatio justitiæ commutativæ, sic, ut Deo competat jus proprietatis adversùs hominem, et homini vicissim adversùs Deum : non autem apparet quomodo juri divino adversùs hominem, vel humano adversùs Deum conveniat nostra definitio. Nam 1° Deus obligare non potest ad suum commodum, ut enim dicitur Jobi 22, 3 : *Quid prodest Deo, si justus fueris?* 2° Deus ad multa jure suo nos obligat non liberè, sed necessariò, v. g., ut vitemus blasphemias, perjuria, vel alia quæ naturali lege vetantur : ergo non obligat ex beneplacito. 3° Homo nullatenus potest obligare vel gravare Deum; aliàs tolerari posset absona propositio quam damnavit Innoc. XI : *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.*

*R. O. M. Neg. m. Ad primum.* Deus obligare non potest ad suum commodum intrinsecum, *C.* extrinsecum, *N.* Bona nostra serviunt ad gloriam divinam extrinsecam, vel multiplicem finem divinitus intentum. Unde Paul. 2, Tim. 2 : *Si quis ergo mundaverit se à peccatis, erit vas utile Domino.* Ad secundum. Deus ad vitandas blasphemias, etc., saltem obligat ex beneplacito suo necessario. Deinde semper intendit liberrimè plurimos fines, qui peccatis nostris impediuntur. Unde semper obligat ad commodum sanctissimæ suæ voluntatis et finem liberrimè intentum. *Ad tertium.* Eatenus tantùm homini competit jus adversùs Deum, quatenùs in commodum sui beneplaciti potest exigere à Deo quod sibi debetur titulo promissionis onerosæ : non autem quòd obligare possit Deum. Unde non dixi : *Jus proprietatis est legitima potestas obligandi alios in commodum sui beneplaciti;* sed præcisè : *Est facultas adversùm alios in commodum, etc.*

17. *Obj. ult.* Plures habent legitimam facultatem exigendi quædam ab aliis in commodum sui beneplaciti, quin habeant jus strictum proprietatis : ergo necdum bene subsistit nostra definitio. *A. prob.* Pater à filiis exigit multa titulo pietatis præcisè in suum commodum. 2° Majores in republica meritò postulant observantiam et reverentiam à minoribus. 3° Benefactor expectat et vult obsequia grati clientis. 4° Deus ob infinitam et eminentissimam suam dignitatem exposcit omnem possibilem cultum religionis, esto non obliget titulo justitiæ. 5° Si vovisti dare pauperi panem, quando vel quoties ipsi libuerit, pauper habet legi-

timam potestatem exigendi panem pro suo beneplacito.

*R. D.* Ita ut obligatio quam imponit aut respicit illa facultas, per se directè vel principaliter ordinetur ad alium finem quàm ad indemnitatem alienæ libertatis, *C.*; ita ut per se directè vel principaliter ordinetur ad hunc finem, *N.* Finis quem per se directè respicit obligatio justitiæ commutativæ, non est alius quàm pax, tranquillitas et indemnitas alienæ libertatis circa res suas, aut ea quæ sibi debentur, et nulla possibilis est obligatio stricti juris quæ non instituta sit in favorem et gratiam alterius ad usum aut dispositionem aliquam liberam. Et hinc injuria non fit volenti, quia injuria quâ talis non affert nocumentum vitæ aut honoris, sed libertatem lædit aut impedit, et materiale quid est, quòd impeditio libertatis fiat in usu vitæ, membrorum, honoris, famæ, vel pecuniarum. Hinc etiam quamvis in bruta possit exerceri crudelitas, tamen inferri non potest illis injuria. Verbo, sicut obligatio veracitatis instituta videtur ut in vita sociali sit conformitas intellectuum, et unus alteri conceptus suos ritè manifestet, sic obligatio justitiæ commutativæ videtur intenta potissimùm ut sit conformitas voluntatum, et unusquisque se teneat intra cancellos libertatis propriæ, nec lædat jura libertatis alienæ. Porro finis hic non apparet in obligationibus aliarum virtutum. Nam finis pietatis in parentes est, ut amemus illos et honoremus, tanquam principia nostræ nativitatis, sive dein parentes hoc exigant à nobis, sive non. Finis observantiæ in majores ac seniores, ut eos debito cultu prosequamur. Finis gratitudinis, ut beneficia compensemus reciprocis obsequiis, sive dein benefactor illa velit, sive non : imò si benefactor ea nolit, longè magis debemus esse grati. Finis religionis, ut præstemus divinæ majestati debitum cultum. Finis denique voti non est, ut faciamus quod proximus vult, sed ut solvamus promissionem factam Deo.

## QUÆSTIO II.

### QUID SIT INJURIA, NUM FIAT CONSENTIENTI.

18. *Dico* 1° : Injuria, theologicè sumpta, est *juris alieni violatio.* Ubi per jus intelligitur jus strictum proprietatis, quod à justitia commutativa respicitur. Duplex autem est injuria : *materialis*, quando læditur jus alienum absque formali peccato, vel absque cognitione et advertentia juris alieni ; *formalis*, quando æditur liberè cum peccato formali, cum cognitione et advertentia juris alieni. Jurisprudentes sæpiùs aliter injuriam accipiunt, et intelligunt læsionem injustam honoris, aut contumeliam ; unde nascitur actio injuriarum.

19. *Dico* 2° : Consentienti validè non fit injuria. S. Th. 2-2, q. 59, a. 3, et alii, quibus concinit *Regula Canor.* 77 *in* 6 : *Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus ;* et *Reg. civil.* 145 : *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, et consentiunt. Ratio* 1°. Consentire validè dicitur ille, qui consentit efficaciter voluntate cessivâ juris, vel qui tollit aut suspendit ita sui juris obligationem, ut alterius actioni non resistat : sed qui sic consentit, pati non potest injuriam. Sicut enim impossibilis est violatio legis, quando tollitur aut suspenditur obligatio legis . ut actionem non ampliùs prohibeat, sic etiam est impossibilis violatio juris, quando tollitur aut suspenditur obligatio juris, ut alterius actioni non ampliùs adversetur. 2° Hospes invitatus ad mensam domini, quando comedit ob licentiam domini cibos non suos, non infert injuriam domino : sed cur ita, nisi quia dominus validè consentit in comestionem ciborum, et tollit aut suspendit obligationem sui juris, quod habet adversùm alios in suos cibos ? 3° Sicut injuria formalis est actio moralis facientis injuriam, sic est passio moralis domini patientis injuriam : sed inter actionem et passionem moralem hoc est discrimen, quòd illa procedat ab intrinseco secundùm inclinationem voluntatis, ista procedat ab extrinseco contra voluntatis inclinationem : ergo si dominus non habeat contrariam inclinationem voluntatis, non potest pati moraliter injuriam.

20. *Dico* 3° : Sæpissimè fit injuria consentienti, quando consensus est invalidus, et inefficaciter tantùm tollit aut suspendit obligationem juris. *Ratio* 1° Quamdiu manet jus et obligatio juris, tamdiu locum habet violatio juris : sed quando consensus ex natura sua vel saltem ex dispositione juris est invalidus, manet jus et obligatio juris. 2° Invalida licentia consentientis præpositi non aufert violationem præcepti : ergo etiam invalida licentia consentientis domini non aufert violationem juris. 3° Consensus inefficax et invalidus perinde moraliter est ac nullus consensus : sed quando nullus est consensus domini, potest inferri injuria domino.

21. *Nota tamen*, cæteris paribus, esse majorem injuriam quæ fit domino nullatenùs consentienti, quàm quæ fit aliquatenùs et inefficaciter tantùm consentienti ; quia quo magis est dominus rationabiliter invitus, eo majorem patitur injuriam. An verò diversitas hæc injuriarum sit specifica, vel explicari debeat in confessione, dicemus ubi de furto et rapina.

### *Objectiones.*

22. *Obj.* 1° : Viator qui, metu mortis adactus, donat latroni vestem, patitur injuriam à latrone ; sed viator in hoc casu validè consentit in donationem, quia contractus, directè per metum gravem et injustum extorti, sunt validi non solùm jure naturali, sed etiam positivo, proùt satis apertè colligitur ex § *Si metu coactus. Inst. except. L. si mulier* 21, § *fin. ff. quod metûs causâ. L. ult. C. de his quæ vi. C. Abbas eodem* et cum innumeris docet Th. Sanchez, l. 4 de Mat. D. 8.

*R.* 1° multos facere discrimen contractus inter onerosos et purè lucrativos ; quamvis enim contractus onerosi videantur validi, non tamen idcirco validi sunt contractus purè lucrativi. Ratio discriminis est, quia leges et jura debent intelligi, quomodo regulariter magis favent innocenti læso : regulariter autem magis favent si contractus onerosi sint absolutè validi, nec

deseri possint ad arbitrium lædentis; hæc ratio non pugnat in contractibus purè lucrativis, ubi solus lædens lucratur. Item si valerent contractus lucrativi, directè per metum gravem et injustum extorti, valeret etiam licentia prælati per ejusmodi metum extorta, quod satis communiter negatur. Nec obstare videtur *L. fin. C De his quæ vi;* ubi donationes sic extortæ jubentur *infirmari*, quasi non infirmæ forent ante sententiam judicis; potest enim dici quòd judices non debeant rescindere, sed tantùm irritos declarare hujusmodi contractus. Sed quidquid sit de hâc responsione, quam Th. Sanch. Less. C. de Lugo, Palaus non probant,

*R.* 2° *C. M. D. m.* Validè consentit in donationem secundùm quid, *C.*; simpliciter et secundùm omnes circumstantias, *N.* Esto viator validè consentiat in donationem nudè spectatam, et renuntiet juri reali vel dominio quod habet in vestem; non tamen renuntiat juri quod habet contra minas latronis, et ne per metum injustum cogatur ad donationem, nec etiam renuntiat juri personali quod acquirit per donationem iniquè extortam. Unde jus viatoris perpetuò resistit acceptioni vel retentioni vestis. Hæc responsio servit etiam ad casum quo quis fraude deceptus, validum init contractum.

23. *Obj.* 2°: Pupillus dum alienat res suas absque consensu tutoris aut judicis, sæpè renuntiat efficaciter juri: sed, hoc non obstante, patitur injuriam à contrahente, saltem in casu quo tenetur hic etiam in foro conscientiæ contractum omittere : ergò. *M. prob.* Pupillus sæpè concipit voluntatem ita firmam, seriam et absolutam alienandi res suas, ut nullam habeat, aut habere possit voluntatem contrariam; sed voluntas hæc est efficax : ergò. Quòd si dicas, legem resistere; contra est *regula* 69, *ff. Invito beneficium non datur.*

*R. N. M. Ad prob. O. M. D. m.* Est efficax attento solo jure naturali, *C.*; attento jure positivo, *N.* Jus humanum, ac multò magis divinum potest reddere nostros consensus invalidos et insufficientes ad plurimos effectus morales. Ita scimus irritum esse matrimonium clandestinum, professionem religiosam ante 16 annos ætatis completos, etc. Illa regula civilis habet locum, quando beneficium accipiens est rationabiliter invitus, secùs fallit sæpissimè : nam potest excommunicatus invitus absolvi, potest ægrotus invitus sanari.

24. *Obj.* 3°: Injuria semper fit invito : sed pupillus in priori casu non est invitus : ergò.

*R. D. m.* Non est invitus voluntate physicè suâ, *C.*; moraliter suâ, *N.* Pupilli voluntas est alligata voluntati tutoris, aut magistratûs. Unde quando tutor aut magistratus est invitus, etiam pupillus est moraliter invitus. Adde quòd pupillus etiam censeatur invitus saltem implicitè et interpretativè, quia voluntate generali cupit esse felix membrum reipublicæ : pertinet autem ad ipsius felicitatem ut non valeant sui contractus absque consensu tutoris aut magistratûs; quia propter imbecillitatem judicii, subjaceret infinitis deceptionibus : hæc autem generalis voluntas prævalet intentioni particulari, non aliter ac in ministro sacramentorum; juxta TT. sæpissimè prævalet universalis intentio.

25. *Obj.* 4°: Contingere potest ut ego cedam jure quod mihi competit in meos cibos, tu verò cibos meos comedas, neglectâ vel vilipensâ meâ cessione : sed in hoc casu volenti fit injuria.

*R. N. m.* Dominus nunquam consentit ut independenter à licentiâ comedas ipsius cibos, neque relaxat unquam obligationem juris adversùs actionem quâ comederes ipsius cibos, vilipensâ vel neglectâ licentiâ. Quòd si tamen ita relaxaret obligationem juris, et abdicaret à se prorsùs omne dominium, inferretur injuria tantùm affectivè, non autem effectivè.

26. *Obj.* 5°: Ex nostrâ doctrinâ sequitur, occiso nullam injuriam inferri. Nam per homicidium uti destruitur homo, sic destruuntur omnia hominis jura, quæ competunt ad hæc sublunaria : sed quando destruitur jus, locum non habet violatio juris : ergò.

*R. N. seq. Ad prob. D. m.* Quando destruitur jus ante tuam actionem, sic ut actioni tuæ moraliter non resistat, *C.*; quando destruitur per tuam actionem, et actioni tuæ moraliter resistit, *N.* Homo proùt existens instanti A, jure suo petit ut non occidas eum instanti B : ergo jus existens instanti A moraliter resistit occisioni quæ fit instanti B. Taceo quòd jus formaliter resideat penès animam; hæc enim sola capax est legitimæ facultatis quâ constituitur jus : atqui jus hoc in animâ perseverat pro instanti quo violenter expellitur ex corpore. Videatur Ilaunoldus, tr. 2 de Jur. et Just. n. 590, contra Mart. Esparza.

27. *Obj.* 6°: Martyribus, utut volentibus mortem, irrogata fuit ab occisoribus injuria.

*R. D.* Si non renuntiârunt efficaciter juri ad vitam, *C.*; si renuntiârunt, *N.* Multa strictim hìc dicenda. 1° Juxta S. Th. alia est voluntas beneplaciti qua desideras mortem; alia voluntas signi quâ renuntias juri ad vitam, vel quâ das alteri licentiam inferendæ. Mortis prior voluntas non necessariò conjungitur cum posteriori. Nam legislator subinde desiderat actionem, quin det licentiam illius; et nonnulli, dum obligant subditos lege pœnali, desiderant tacitè transgressionem, ut puniant. 2° Heroes sancti non consenserunt in illicitas actiones tyrannorum; sic enim voluissent peccata : sed tantùm desiderârunt perpessionem, ex hypothesi quòd tyranni per malitiam se determinarent ad infligenda tormenta. 3° Esto potuerint martyres cedere jure suo privato in vitam, tamen neutiquam ad hoc erant obstricti; secùs enim quilibet dominus abdicare se deberet dominio rerum, ne patiatur injuriam peccantis. Item hæc cessio nihil admodùm minuisset malitiam tortorum, qui perinde sæviissent, sive facta sive non facta fuisset hæc cessio juris, et aliunde martyribus erat meliùs pati simul injuriam et mortem, quàm solam mortem. 4° Licèt ex martyribus

complures ante mortem condonârint tortoribus omnem injuriam, tamen propterea non abdicârunt jus ad vitam. Nam illa condonatio fuit tantùm abdicatio juris ad iram, indignationem et aversionem contra tortores, aut vindictam in hâc vitâ petendam. Sic etiam multi condonant aliis injuriam detractionis, incendii, vel furti, non tamen remittunt obligationem restitutionis. 5° Scriptura satìs clarè manifestat eos non renuntiâsse juri ad vitam. Quippe, Sap. 7, tribuitur ipsis *actio injuriarum* contra tortores in extremo judicio. 6° Juxta plurimos, utut voluissent athletæ sanctissimi, tamen efficaciter abdicare non poterant jus ad vitam, quia non erant domini vitæ. Verùm Card. de Lugo, D. 8 de J. n. 13, est contrarius, et Aristoteles, quem communiter sequi solet Angelicus Doctor, 5 Eth. c. 9, cùm docet, volenti non fieri injuriam; affert exemplum Euripidis de filio qui matrem volentem occidit.

28. *Obj.* 7° : Qui cum peccato mortali manus injicit in clericum utut volentem, afficit injuriâ clericum, et incidit in excommunicationem latæ sententiæ, *cap. contingit* 1, *de sentent. excommunic.* Idem est si clericum volentem convenias coràm judice seculari.

*R.* Si clericus validè renuntiet juri suo, non committitur quidem injuria contra clericum, ut personam privatam, committitur tamen contra statum aut communitatem clericalem, cujus juri, utpotè non suo, renuntiare nunquàm validè potest privatus clericus. Imò, si clericus ipse violentas in se manus injiceret cum peccato gravi, propter eamdem rationem incurreret canonis excommunicationem, ut cum communi docet card. de Lugo, d. 8, n. 9. Nùm verò clericus validè renuntiet juri privato, dubium est inter auctores. Esparza cum multis negat : c. de Lugo cum multis affirmat : quia nullum est jus, per quod invalida reddatur ejusmodi renuntiatio.

29. *Obj.* 8°: Marito quantùmvis consentienti fit injuria per adulterium uxoris, et nisi committeretur injuria, non committeretur adulterium, sed simplex tantùm fornicatio, quod est nefas asserere post Innoc. XI decretum, ubi damnatur hæc 50ª propositio : *Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

*R. D.* Consentienti tantùm invalidè, *C.*; validè consentienti, *N.* Communiter in adulterio mulieris triplex malitia concurrit. Una contra castitatem ; altera contra fidem et puritatem matrimonii, ac contra bonum prolis ; tertia contra jus mariti. Cardenas, diss. 3, n. 43, in fidelibus addit malitiam irreligiositatis contra sacramentum matrimonii. Prima et secunda malitia semper adest, etiamsi maritus consentiat. Unde non benè confitetur uxor se fornicatam. An verò tertia malitia separari possit, disputant auctores. C. de Lugo. Less. et Moya concedunt. Cajetanus autem, Dicastill. Turrian. Anton. Perez, Espar. Maurus, Cardenas, Illsung et alii communiùs negant; quia non aliter ab uxore violari potest fides et puritas matrimonii, nisi quatenùs violatur jus mariti, quod acquisivit per contractum matrimonii. Juxta priorem sententiam specialiter aperiendum est in confessione, si fiat adulterium consentiente marito ; quia mutatur species peccati, nec habet omnes tres solitas malitias adulterii.

30. *Obj.* 9° : Detractor agit injustè, si graviter infamet monachum volentem, licèt hic validè renuntiet juri ad famam.

*R.* Agit injustè contra monachum consentientem, *N.*; contra cœnobium aut ordinem, *C.* Monachus validè quidem renuntiat juri privato ad famam, ut multi concedunt; non tamen validè renuntiat juri totius cœnobii vel ordinis, qui sæpè per infamiam unius atro carbone notatur.

31. *Obj.* 10° : Usurarius infert injuriam mutuatario, si quid petat vel accipiat ultra sortem, esto mutuatarius sciens et volens det.

*R.* Si mutuatarius sponte suâ donet aliquid ultra sortem, nulla fit usura, nec mutuatarius patitur injuriam. 2° Si mutuatarius det aliquid ultra sortem tanquàm pretium absolutè debitum, et ex justitiâ, consensus ex communi TT. est nullus; quia nullus adest titulus quo transferri possit dominium, et consensus fertur in aliquid impossibile. Nam pretium mutui repugnat ex omni jure, naturali, divino, canonico et civili saltem particulari christianarum gentium. Deinde vel mutuatarius scit nihil ultra sortem ex justitiâ deberi, vel non. Si posterius, injustè decipitur ab usurario petente vel accipiente pretium; si prius, ordinariè non habet animum transferendi dominium usuræ, sed tantùm exteriùs eam dat : traditio verò sola citra consensum internum non transfert dominium, *L. nunq.* 31, *ff. De acquir. domin.* 3° Si verò mutuatarius solvit usuram ex titulo fidelitatis, quia promisit usuram, putat quidem card. de Lugo, quem sequitur Haunold. Tr. 9, n. 452, transferri dominium, sed mutuatarius tamen aliunde patitur injuriam ; quia dominus, nolens aliter dare mutuum injustè coegit ad promissionem, vel saltem injustè promissionem acceptavit.

32. *Obj.* 11° : Simoniacus facit injuriam danti rem temporalem, quantùmvis iste consentiat.

*R.* Si simoniacus ex justitiâ teneatur gratis dare rem spiritualem, *C.*; si teneatur tantùm ex virtute religionis, *N.* An simonia semper sit contra justitiam, disputant auctores, et Suar. tom. 1. de Rel. l. 4, c. 59 et 60, sequentia tenet : 1° Qui vendit functionem spiritualem, ad quam aliunde tenetur ex justitiâ, ratione muneris aut stipendii, procul dubio peccat contra justitiam, v. g. parochus, qui ratione beneficii tenetur gratis dicere sacrum. 2° Qui vendit beneficia quorum est administrator tantùm, uti v. g. prælatus, episcopus, vicarius, iterùm peccat contra justitiam, quia vendit rem non suam, non aliter ac si regis eleemosynarius venderet eleemosynas, aut hæres pia legata. 3° Qui vendit rem spiritualem ut spiritualem, videtur iterùm peccare contra justitiam, quia vendit rem simpliciter invendibilem, et quæ secundùm prudentem rationem non est æstimabilis pretio temporali; et aliàs

etiam non ageret injustè, si propter spiritualitatem pro missâ vel baptismo peteret mille vel plures aureos. Item spiritualia, proùt sunt spiritualia, non sunt sub dominio hominis; et Deus concedit tantùm potestatem illa ministrandi gratìs. 4° Qui moderato pretio vendit præcisè commodum temporale, quod est annexum enti spirituali, quod aliunde non tenetur ex justitiâ præstare, esto committat simoniam, peccare tantùm videtur contra religionem; quia commodum illud per se est pretio æstimabile. 5° Et hinc, spectato solo jure naturali, non tenetur ad restitutionem, qui vendit beneficium suum, in quod habet jus, et ex quo percipit emolumenta temporalia; ac esto, non transferat jus in emptorem, tamen abdicat se suo jure. Item, qui cariùs vendit fundum propter jus patronatûs, et commoditates temporales quæ proveniunt ex jure patronatûs. Qui cariùs vendit miraculosam imaginem, ob lucrum, quod illius occasione habetur. Utrùm assertiones istæ sint veræ, videbimus alibi.

33. *Obj.* 12° : Per *L.* 1, *C. De raptu virg.* pœnâ capitali puniendi sunt qui rapuerint virginem etiam volentem : hæc verò lex supponit injuriam fieri volenti virgini.

*R. N. m.* Non solùm injustitia, sed et alia peccata graviora merentur capitale supplicium. Dein esto non inferatur injuria virgini, parentibus tamen infertur et reipublicæ, quibus non licet eripere puellas per vim. Sic etiam, qui seipsum occidit punitur à republicâ pœnis infamiæ, confiscationis bonorum, et privationis sepulturæ. Quamvis enim non inferat injuriam sibi ipsi, cùm justitia et injustitia semper sit ad alterum, tamen injuriam infert civitati vel reipublicæ, quam violenter privat membro.

## QUÆSTIO III.

QUID SIT RESTITUTIO, QUÆNAM EJUS NECESSITAS?

34. *Dico* 1° : Restitutio dupliciter à TT. accipitur, latiùs et strictiùs. Priori modo definit eam Lessius, l. 2, c. 7, n. 15 : Est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio. Posteriori describunt illam RR. cum C. de Lugo, D. 8, n. 17 : Est juris alieni redintegratio, vel, actus justitiæ commutativæ, quo reparatur jus alterius materialiter aut formaliter læsum. Prima definitio comprehendit etiam redditionem mutui, commodati, depositi, pignoris, ubi non præcessit alieni juris violatio; secunda definitio non comprehendit; et quamvis prima deducatur ex verbis S. Th. q. 62, a. 1, O. non tamen idcirco rejici meretur secunda, cùm in re conveniant auctores.

35. *Dico* 2° : Restitutio differt à solutione. Nam 1° solutio non semper est actus justitiæ commutativæ, v. g. cùm solvimus ea quæ debemus ex voto, juramento, caritate, vel misericordiâ. 2° Cùm reddimus rem acceptam, v. g. pignus, depositum, commodatum, non dicimur solvere, sed restituere. 3° Restitutio communiter fit in eadem re, solutio fit in diversa.

36. *Dico* 3° : Restitutio differt à satispassione. Nam 1° finis satispassionis est satisfacere justitiæ vindicativæ, vel sustinere tantam pœnam, quantam culpa præterita juxta vindicativam justitiam meretur. Finis restitutionis est satisfacere justitiæ commutativæ, et impedire damnum imminens ex injustâ læsione. 2° Finis satispassionis est, ut corrigatur delinquens, vel alii per exemplum à delictis avertantur. Finis restitutionis ut quilibet habeat quod suum est. 3° Satispassio regulariter non debetur ante sententiam judicis. Restitutio regulariter debetur ante omnem sententiam judicis.

37. *Dico* 4° : Restitutio differt à satisfactione. Nam 1° satisfactio generatim est solutio cujuslibet debiti, sive sit ex præcepto justitiæ, sive sit ex præceptis aliarum virtutum. 2° Satisfactio pressiùs est reconciliatio offensi per obsequium, petitionem veniæ, et similia. 3° Satisfactio potissimùm est in utilitatem satisfacientis, ut propter obsequia sua liberetur à pœnâ, quam delicto promeritus est. Restitutio potissimùm est in utilitatem illius cui fit restitutio.

38. *Dico* 5° : Restitutio non est ad salutem necessaria necessitate medii, sed tantùm necessitate præcepti. Ita ferè omnes TT. contra pauculos antiquos, qui dissentire videntur apud Navarram. *Ratio.* Nam, ut fusiùs exponit C. de Lugo, D. 3 de Euch. sect. 1, tantùm illud est necessarium necessitate medii, quod est medium per se requisitum et ordinatum ad conferendam aut constituendam justificationem hominis, quo modo necessaria sunt, v. g., *baptismus*, qui per se requiritur, ut deleat peccatum, et conferat homini primam gratiam sanctificantem; *fides remuneratoris Dei*, quæ per se disponit ad primam gratiam sanctificantem, et justificationem; *pœnitentia post lapsum*, quæ juxta cœlestem ordinationem nos reconciliat cum Deo; *gratia prima sanctificans*, quæ vel maximè constituit justificationem : atqui tali modo non est necessaria restitutio, quæ per se non confert primam gratiam, nec directè ullatenùs influit in justificationem, sed est necessaria tantùm ut evitetur novum peccatum. 2° Quamvis Eucharistia juxta multos, attrito, bonâ fide procedenti, conferat primam gratiam, non tamen dicitur necessaria necessitate medii; quia per se non ordinatur ad conferendam primam gratiam, et per accidens est quòd in aliquo casu conferat : ergò multò magis hoc dici debet de restitutione. 3° Restitutio non aliter est ad salutem necessaria, quàm adimpletio cujuslibet præcepti naturalis graviter obligantis : nemo tamen asserit eam idcirco necessariam necessitate medii.

39. *Dico* 6° : Restitutio non ita requiritur ad salutem, ut anima defuncti detineatur in purgatorio, donec restitutio fiat ab hæredibus. Ita communis TT. apud Dicastill. D. 1 de Restit. n. 38, contra populärem errorem. *Ratio* 1°. Vel enim defunctus, antequam obiret, fecit, quantùm potuit, aut certè quantùm sub culpâ gravi debuit, ad implendum præceptum restitutionis, vel non. Si posterius; est in loco unde non datur regressus. Si prius : ergò si satis est passus pro suis peccatis, æquum non est ut propter culpam hæredis ampliùs torqueatur. 2°. Hæredes multi semper

negligunt restitutionem : ergo defunctorum animæ vel nunquàm vel tantùm post extremum judicii diem evaderent flammas. 3ª. Defunctus ante mortem non rarò lucratur plenarias indulgentias, et quid si susciperet baptismum, aut afficeretur martyrio? Num etiam iste propter alienam culpam cruciandus semper est in purgatorio? Solum id populo dandum, animabus defunctorum sæpissimè proficuam esse restitutionem, ut citiùs liberentur, proùt infrà dicemus.

40. *Dico* 7° : Præceptum restitutionis rectiùs dicitur affirmativum quàm negativum. Ita S. Th. hìc q. 62, a. 8, ad 1, Sotus, Valent. Less. Herincx et alii contra multos. *Ratio* 1ª. Præceptum restituendi per se directè præcipit actum positivum, v. g. compensationem illati damni, retractationem infamatorii dicti, redditionem accepti. 2ª. Quamvis præceptum restituendi reductivè vel indirectè pertineat ad præceptum negativum non furandi, tamen directè præcipit aliquid aliud quàm præceptum non furandi. Nam aliud est omittere furtum, et aliud restituere : sed hæc diversitas explicari non potest, nisi dicas, per præceptum restitutionis directè præcipi positivum actum restitutionis, et præcepto non furandi directè præcipi tantùm omissionem furti. 3ª. Præceptum solvendi pecunias debitas ex contractu est affirmativum non minùs ac præceptum dandi eleemosynam : ergò et præceptum restituendi.

*Objectiones.*

41. *Obj.* 1° : Christus, Luc. 11, 41, cùm increpuisset Pharisæos ob rapinas et usuras, continuò subjunxit : *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis :* ergò non est necessaria restitutio.

*R. N. C.* quæ similis est huic : ergo non est necessaria pœnitentia. Textus tripliciter exponitur. 1° Christus hortatus est ad eleemosynas, non quòd seorsim sufficiant, sed quòd impetrent, aut de congruo mereantur auxilia pœnitentiæ. 2° Christus videtur ironicè locutus, quasi diceret : Date eleemosynam de acceptis per fas et nefas, canite tubâ ante vos, et erit salva res. 3° Fortasse Christus intellexit bona incerta ex delicto, quæ sunt eroganda pauperibus. Omnes expositiones sunt bonæ, sed prima præplacet.

42. *Obj.* 2° : Creditor ex caritate tenetur postponere bona temporalia, ne proximus damnetur : ergo tenetur remittere debitum nolenti restituere : ergo debitor est liber ab onere restitutionis; quia non retinet invito, sed permittente domino.

*R. N. A.* Argumentum probat etiam furtum non esse peccatum, vel potiùs nullum esse possibile furtum; quia dominus ex caritate teneretur impedire peccatum grave furis, et dare jus in bona sua. 2° Obligatio remittendi cuivis debita brevissimo spatio redigeret omnes ad extremam inopiam, et everteret totum commercium humanum. 3° Caritas tantùm obligat in casu quo proximus est in necessitate, vel quando se liberare non potest ab æternâ damnatione, vel alio gravi malo.

43. *Obj.* 3° : Restitutio post actionem graviter iniquam, est ad salutem necessaria, vel in se, vel in voto, non minùs ac baptismus, aut pœnitentia sacramentalis post lapsum : ergo est necessaria necessitate medii.

*R. D. A.* Non minùs est necessaria, vel est æquè necessaria æqualitate quadam generica, *C.*; æqualitate specifica et ejusdem ordinis, *N.* Post actionem graviter et iniquè damnificantem, restitutio quidem est simpliciter necessaria vel in se, vel in voto, non tamen est medium per se requisitum et ordinatum ad delendum peccatum, aut conferendam gratiam justificantem. 2° Injustus damnificator, si nondum restituit, vel fortassis etiam restituere non potest, debet quidem in pœnitentiâ concipere votum aut propositum saltem implicitum restituendi, casu quo restitutio fieret possibilis : votum verò vel desiderium restitutionis non est votum et desiderium alicujus medii per se influentis ad justificationem. 3° Observantia cujuslibet præcepti graviter obligantis est ad salutem necessaria vel in se, vel in voto, quòd implicitè continetur in amore Dei super omnia, vel dolore serio peccatorum; nemo tamen dicet, observantiam cujuslibet præcepti esse necessariam necessitate medii.

44. *Obj.* 4° : Extant in historiis plurimæ revelationes animarum quæ vivis apparuêre, petentes restitutionem, ut liberarentur purgantibus flammis, et S. Brigitta, l. 6 Revel. c. 66, testatur animas in purgatorio tamdiu cruciari, donec restituatur quod ablatum : Revelationes autem S. Brigittæ non debent à cordato theologo rejici, cùm eas accuratè priùs discussas approbârint Greg. XI, Urb. VI, Bonif. IX, Martinus V, ac eas valde commendent gravissimi doctores Cordub. Turrecr. Canis. Suar. Vasq. Salazar, Lezana.

*R.* Hoc argumento tantùm evinci quòd animæ citiùs liberentur restitutione factâ; neque plus indicatur in revelationibus S. Brigittæ, quàm quòd restitutio defunctorum animabus plurimùm prosit. Et *ratio :* 1° quia sæpissimè viventes offerunt pro defuncto restitutionem ut opus satisfactorium. 2° Restitutio fit ex affectu commiserationis, quæ videtur instar orationis impetrare mitigationem pœnarum. 3° Qui restitutionem aut eleemosynam accipiunt, excitantur ad suffragia pro defuncto. 4° Verosimiliter opera quæ fiunt ex præcepto defuncti, movent Deum ut faciliùs exaudiat preces in ejus gratiam, vel etiam ut excitet alios viventes ad orandum pro defuncto. 5° Sicut effectus alii peccatorum quæ commisit defunctus, sæpissimè sunt causa cur Deus non abbreviet pœnas purgatorii, vel non acceptet statim preces illis applicatas; ita movere potest etiam omissio restitutionis, et damnum, aut afflictio quam proximus patitur ex neglectâ restitutione. Et hinc meritò SS. canones, *C. qui oblationes* 9, *q.* 2, excommunicationem statuunt in desides executores testamentorum.

45. *Obj.* 5° : Animæ purgantes non liberantur à pœnis, donec præstiterint condignam satisfactionem pro suis peccatis : ad condignam verò satisfactionem requiritur restitutio.

*R. N. M. et m.* 1° Ut liberentur animæ, requiritur

tantùm debita satispassio. 2° Sicut animæ purgantes non possunt ampliùs mereri, sic juxta plurimos non possunt ampliùs satisfacere. 3° Esto possent satisfacere, non tamen satisfacerent per restitutionem ab hæredibus factam, quia non videtur hæc ab illis humano modo procedere : cùm eam post mortem non possint ampliùs procurare vel impedire, nec voluntas defunctorum in illam virtualiter influat. Sic etiam non mereris aut satisfacis formaliter per opera quæ fiunt à servo tuo te dormiente, quamvis ea priùs imperaveris.

46. *Obj.* 6° : Præceptum restitutionis videtur esse potiùs negativum ; nam idem est præcipere : *restitue*, et, *non detine rem alienam* : hoc verò secundum præceptum est utique negativum.

*R.* Non esse propriè synonyma, *restituere*, et *non detinere rem alienam* ; nam qui non restituit famam aut honorem, non propriè dicitur detinere famam aut honorem alterius. 2° Qui nihil habet de proximi bonis, nec ullatenus eum læsit, non detinet rem alienam, et tamen non idcirco restituit. 3° Si præceptum restitutionis plus non præciperet quàm ut non retinerem rem alienam, satisfacerem abjiciendo rem in flumen. Alii casum miraculosum fingunt, quo res aliena replicaretur, in quo si rediret equus ad dominum, esto foret apud me replicatus, nihil agerem contra restitutionis præceptum.

47. *Obj.* 7° : Præceptum restitutionis obligat semper et pro semper : sed hoc est proprium solius præcepti negativi : ergo. *M. ex eo patet.* Præceptum non accipiendi rem alienam, invito rationabiliter domino, obligat semper et pro semper : ergo et præceptum non detinendi rem alienam, vel non omittendi restitutionem, invito rationabiliter domino.

*R. N. m.* Præceptum restitutionis, etsi directè sit affirmativum, indirectè tamen includit etiam præceptum negativum, prohibens detentionem alienæ rei, vel læsionem alieni juris, ut observat S. Th. q. 62, a. 8, ad 1.

48. *Obj.* 8° : Posset dici quòd præceptum restitutionis ex genere suo nec sit affirmativum, nec sit negativum determinatè, sed ab utroque præscindat ; quia præcipit tantùm redintegrationem alieni juris : hæc verò, licèt communiter fiat per actionem positivam, subinde tamen fieri potest per actionem negativam, ut si detineres alterius rem, v. g. bovem, vaccam, aut canem, et animal absque tuâ actione rediret ad dominum. 2° Si possidens fundum alienum, non resisteres domino fundum sibi vindicanti. 3° Si princeps, occupans injustè provinciam, cum militibus eam deserat.

*R. N. A. Ad prob.* In hoc casu cessat obligatio restitutionis ob defectum materiæ, non tamen propriè satisfacis præcepto restitutionis ; quia propriè non reddis rem domino. Sic etiam non satisfacis præcepto restitutionis, si dominus ultrò tibi condonet restitutionem. Non satisfacis præcepto eleemosynæ per hoc præcisè, quòd pauper rapiat tibi pecuniam. *Ad secundum* eadem est responsio. *Ad tertium* illa cessio corporalis jam est actio positiva. Deinde non sufficit quomodocumque deserere rem iniquè possessam, sed debet domino suo reddi. Verùm de his plus nimio.

## Quæstio IV.

EX QUIBUS TITULIS ORIATUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS ?

49. *Dico* 1° : Primus titulus est injusta acceptio, vel injusta læsio. *Ratio* 1ª est auctoritas communis SS. PP. è quibus Augustinus suprà citatus, Epist. 54 ad Macedon. : *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, et non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur. Quòd si verò agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quæ verba concil. Turon. tanquàm Ecclesiæ doctrinam amplexum est, teste Salonio. 2. Nisi titulus hic fundaret obligationem restitutionis, rueret omne commercium humanum, nulla posset consistere pax, et latissima via panderetur furtis, rapinis, fraudibus, usuris et aliis injustitiis infinitis. 3. Qui domino rationabiliter volenti non resarcit damnum injustè datum, nisi per impotentiam excusetur, voluntariè continuat damnum injustè datum : hoc autem non minùs est nefas quàm primò dare damnum injustè. 4. Jus domini per furtum, rapinam, aut aliam injuriam non tollitur, sed præcisè læditur. Unde licèt dominus facere non possit ut injuria non sit facta, cùm factum infectum reddi non possit, meritò tamen exigere potest ut injuria non perseveret in effectu. 5. Denique veritas hæc est ita patens ut etiam à barbaris communiter agnoscatur, in quibus sepeliri non potest illud rationis lumen : *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.*

50. *Dico* 2° : Alter titulus est res accepta. *Ratio* 1ª. Naturalis æquitas non patitur aliquem cum alterius detrimento locupletari. *L. nam hoc natura* 14, *ff. de condict. indeb. L. jure naturæ* 206, *ff. de R. J. C. locupletari de R. J. in* 6. 2. Qui, domino rationabiliter invito, rem alienam detinet, putans esse suam, errore cognito non potest ulteriùs eam detinere, nisi velit committere furtum aut injustitiam. Idem est si re venditâ detineat pretium, et ditior sit factus ; nam res et pretium ex re comparatum moraliter æquivalent, et unum alteri subrogatur, ac, ut antea dictum, æquum non est tecum alterius detrimento locupletari. 3. Quamdiu res aliena formaliter extat in se, vel æquivalenter in suo pretio, dominus habet jus vindicandi rem suam, aut exigendi pretium rei substitutum ; et nemo jus suum amittere debet, nisi vel per voluntarium consensum, vel ob propriam culpam injustitiæ, vel ob dispositionem legis, vel propter casum purè fortuitum. 4. Naturale lumen exigit ut qui plus habet quàm quod ei ratione sui juris competit, reddat ei qui minus exinde habet quàm quod ei jure competit. 5. Nisi hic titulus fundaret obligationem restitutionis, dissolveretur omne commercium, pax et tranquillitas humana.

51. *Dico* 3° : Secluso speciali contractu, vel particulari hominum lege, non datur alius titulus restitutionis extra prædictos. Ita communiter TT. cum S. Th. q. 62, a. 6. C. *Ratio.* Vel enim extat apud te res aliena, vel non. Si prius ; teneris ad restitutionem ti

tulo rei acceptæ. Si posterius; per se et secluso speciali contractu, vel particulari hominum lege, non teneris ad restitutionem, nisi ablatio, vel actio tua damnificativa fuerit formaliter injusta. Nam 1° qui rem alterius absumpsit bonâ fide, rationabiliter existimans esse suam, nec inde factus est locupletior, ad nihil tenetur, ut docent receptissima jura. *L. item veniunt* 20, § *præter hæc. L. sed etsi lege* 25, *ff. de pelit. hæred.* 2° Qui rem alterius innocenter et casu purè fortuito perdidit, secluso speciali contractu, iterùm ad nihil tenetur. *C. unic. de commodat.* 3° Rursum ex communissimâ TT. non subjacet restitutioni qui rem alterius bonâ fide credidit esse suam, et turpiter aut prodigè destruxit absque lucro; quamvis enim egerit turpiter et prodigè, non tamen egit injustè, nec domino veram injuriam intulit. 4° Qui nocumento suo voluntario non læsit formaliter justitiam, sed alias virtutes ad alterum, v. g. caritatem, misericordiam, votum, etc., nullatenus obligatur ad restitutionem, nisi res aliena formaliter aut æquivalenter extet, ut denuo sentit communissima TT. et infrà fusiùs ostendam. 5° Restitutio solùm est actus justitiæ commutativæ: sed ista non corrigit aliud delictum quàm injustitiæ, quod solum est sibi contrarium.

52. Ex his assertionibus infer 1° esse latissimum discrimen inter titulum injustæ acceptionis et titulum rei acceptæ: nam titulo rei acceptæ non teneris, nisi res aliena formaliter aut æquivalenter extet, ac faciat te ditiorem. Titulo injustæ acceptionis aut læsionis teneris, etiamsi nullum temporale commodum acquisieris aut habeas ex re alienâ, v. g., si malitiosè succendisti domum, aut horreum Caii, si calumniis denigrâsti famam Titii, vel contumeliis proscidisti honorem Sempronii. Si enim ex justitiâ teneris non supponere fomitem ignitum alienis ædibus, etiam ex justitiâ teneris suppositum à te fomitem removere, priusquam ædes ardeant. Igitur ex justitiâ pariter teneris impedire per restitutionem ne continuetur damnum injustâ succensione datum.

53. Infer 2° obligationem restitutionis ex injustâ culpâ non consurgere, si præcisè tentatum, sed non efficaciter illatum est damnum. Ita si quem injustis quidem modis, sed incassum impedire tentâsti quominùs consequeretur sua bona, non teneris ad restitutionem; quia restitutio, quæ debetur ob injustam culpam, tantùm eò tendit, ut reparetur jus efficaciter læsum, aut resarciatur damnum injustè datum. Hinc etiam qui destruxit injustè rem alterius, quæ per incendium, tempestatem, aut alium casum purè fortuitum certò periisset apud dominum, juxta multos non tenetur ad restitutionem, de quo tamen alibi. *V.* infrà, n. 501.

54. Infer 3° possessorem bonæ fidei, qui per errorem inculpatum detinet rem alterius, teneri statim ad restitutionem, ubi certò comperit esse rem alterius, nisi fortè dominus consentiat in moram et dilationem restitutionis; aliàs enim fit malæ fidei possessor et fur. Dixi, *cùm certò comperit;* nam si tantùm dubitat, manet in possessione, donec veritatem liquidò vel multò probabiliùs comperiat, ut alibi statuemus.

55. Infer 4° detentorem alicui, compertâ veritate, non posse *(regulariter)* prètium exigere pro restitutione; sic enim venderet domino rem suam, quod jure non solùm naturali, sed et humano damnatur. *L. suæ rei* 16, *ff. De contrah. empt. et vendit.*, ubi ejusmodi venditio dicitur nulla. Quocirca conscientiis suis pessimè consulunt, qui rem casu repertam nolunt reddere, nisi pretio priùs persoluto.

*Suprà dictæ restitutioni adversantur qui dispositiones articuli 2280 Codicis civilis pro æquitatis normâ ducere non dubitant, legis quidem auctoritate freti, conscientiæ verò non assensu et ratiocinii auxiliis adjuti. Statuit enim articulus iste rem amissam, imò et furtivam, in commercio verò versatam, quùm apud mercatores et in foro et nundinâ publicetur, domino ipsi repetenti gratuitò non esse restituendam. Quasi verò rei ablatæ primitivam labem commercii vices detergere possent, resque multis voluta manibus originis suæ vitium purgaret. Contra quæ multiplicia et in Digestis argumenta reperire est; negotiatorum verò in securitatem et tutelam lex talem exceptionem decernere potuit, ut et præscriptionis usucapionisque jura tueri, dummodò tamen bonæ fuerit emptor fidei, nullo enim in casu mala fides dominium conferre valet. Commercii enim plurimùm interest ut incertum non pendeat rei dominium, traditionisque et possessionis jura multo favore dignentur, ne exquirendis titulis tempus consumptum, inutiliter disperdatur, celeritatique permutationum noceat. Ita et sentiunt Daelman, Dens, Billuart, Collet, D. Gousset et Bouvier, Codicisque commentarium; eâ tamen restrictione, ut etiam in lege civili, casus intra præscriptos coerceatur ista à conscientiâ et naturali æquitate aberratio, utque imprudenti rerum alienarum emptori dominica revendicatio ubique occurrat, imò et pœnas graviores eliciat, quotiescumque, lege non approbante suspectarum personarum conditionibus manus dederit *.

2° Si emisti modico rem alterius, ut eam restituas domino, qui aliàs eâ foret cariturus, potes ab illo pretium exigere tanquàm utilis negotii gestor. Imò subinde potes totum pretium expetere, si scias dominum ita constitutum, ut malit expendi totum pretium quàm omnino ferre jacturam rei. Quòd si tamen falsò credas hanc esse domini mentem, petere non potes totum pretium, ut contra Lessium benè probat C. de Lugo, D. 17, n. 4; nam in hoc casu non es utilis negotii gestor: et aliàs, si rem ipsius emisses pretio admodùm excessivo, dominus ob ignorantiam et errorem tuum cogeretur vel invitus subire jacturam rei, vel redimere rem suam pretio excessivo.

56. Infer 5° si bonâ fide rem alienam emisti justo pretio, et durante eâdem fide rem iterum vendidisti æquali vel minori pretio, te ad nihil teneri, cùm non sis factus ditior.

* Severius apud Billuart et Dens argumentum in emptoris damnum reperias; siquidem nihil respicientes ad bonam fidem, oblitique sui in commercii commoda nuperrimi propensûs, contendunt principiis et conse-

quentis aliis esse locum, scilicet : 1° Pretium est repræsentatio rei, ejus vices occupat : qui ergò in rem jus habet, jus habet et in pretium ; atqui in rem alienam nullum jus tibi datur, ergò et nullum in pretium; et si rem alienaveris, pretium etiam solvere debes. 2° Nemo ditior fieri potest divitiis alienis : atqui, rem alienam adipiscendo, ex opibus alienis ditatus es, siquidem nullo jure eam consequi poteras; pretium prætereà furi à te datum jam ad te non pertinebat, rem ergò servando ditior factus es, siquidem per ipsam compensâsti damnum quod à fure illatum perpessus eras. Inde concludunt restituendam esse rem domino, teque teneri seu objecti, seu pretii de redintegratione*.

Si verò vendidisti majori pretio, et excessus iste fuit fructus peculiaris industriæ et laboris tui, v. g. quia transportâsti rem in alium locum, poteris illum excessum retinere; quia non es factus locupletior ex re alienâ, sed à tuâ industriâ et labore. Si verò excessus ille non fuit fructus peculiaris industriæ et laboris tui, sed potiùs ipsius rei, v. g. si vitulus aut equus adolevit, vel vinea vel hortus per maturitatem fructuum melior evasit, non potes excessum tibi retinere, ut cum communi C. de Lugo ubi suprà, n. 19 et 20.

57. Infer 6° Titium, qui bonâ fide rem Caii donavit Sempronio, non donaturus aliam, si re Caii caruisset, ad nihil teneri; quia non est factus ditior ex alienâ re, nec ampliùs habet rem Caii, vel pretium rei subrogatum. Secus esset, si rem aliam ex suis donâsset; tunc enim ex alienâ re factus est ditior, et pepercit rei suæ : tenetur igitur ad restitutionem, in quantum factus est ditior. Idem ex communi dicendum, si Titius bonâ fide comedit apud Caium cibos Sempronii : videndum quippe num Titius factus sit ditior, et quomodo pepercerit domi sumptibus ciborum.

58. Infer 7° Titium qui rem Caii sibi donatam bonâ fide vendidit Sempronio, debere Caio restituere pretium, si Caius rem suam vindicare non possit à Sempronio. Si verò Caius rem suam vindicet à Sempronio, Titium debere pretium restituere Sempronio. Ratio prioris est; quia Titius ex alienâ re factus est ditior, et rem Caii commutavit in pretium, ac jus reale, quod habebat antea Caius contra Titium, propter acceptionem pretii conversum est in jus personale. Ratio posterioris est, quia venditio Titii non erat omnino valida, nec transtulit rei dominium in emptorem Sempronium : igitur Sempronius habet jus ad rescissionem contractûs.

59. Infer 8° restitutioni non obnoxium esse qui non causaliter, sed tantùm occasionaliter ex alienâ re factus est ditior. Dicitur autem occasionaliter factus ditior, qui rem alienam nunquam habuit, nec convertit in pretium, aut parcimoniam suarum facultatum. Ita si fur occasione spolii lætior donaret tibi rem propriam, non esses obnoxius restitutioni, licet fortassè fur non fuisset donaturus, si timuisset rem furtivam iterum à se vindicatam iri. Sic etiam, ut C. de Lugo suprà, n. 14, si Titius rem alienam bonâ fide vendidisset Caio, pretium verò donâsset Sempronio, Sempronius comparenti domino non deberet restituere pretium; quia dominus nullum haberet jus contra Sempronium : non reale; quia Sempronius rem domini non habet : non personale; quia Sempronius nunquam habuit rem alienam, nec illam commutavit in pretium. Pecunia verò quam Titius ipsi dedit, fuit verè Titii; quia per venditionem transiit in ejus dominium. Similiter occasionaliter tantùm fit ditior, qui rem alienam quidem habet, sed illam præcisè tanquam instrumentum adhibet ad consequendum fructum industriæ vel laboris, v. g. qui negotiatur alienis pecuniis, et ex eâ negotiatione magnum percipit lucrum; hic enim fructus non oritur à pecuniâ, quæ sterilis reputatur, sed à solo labore vel industriâ.

60. Infer 9° eum qui causaliter ex alienâ re factus est ditior, non teneri semper ad restitutionem, in quantum factus est ditior. Aliàs qui vocatus ad convivium bonâ fide consumeret cibos furtivos valentes medio floreno, cùm tamen domi consumpsisset cibos valentes integro floreno, deberet restituere totum florenum. Satis est igitur si restituat medium florenum, scilicet, in quantum factus est ditior usque ad valorem alienæ rei quam bonâ fide consumpsit. Sic enim adæquatè resarcit damnum à se datum cum lucro.

OBJECTIONES.

61. *Obj.* 1° : Qui per inculpabilem errorem alteri detrahit, tenetur ad restitutionem famæ, saltem si possit absque notabili damno, vel molestiâ : at nec tenetur titulo rei acceptæ, neque titulo injustæ acceptionis.

*Respondent complures*, teneri detractorem titulo rei acceptæ. Nam moraliter censetur retinere famam alterius, qui, cùm possit, eam non restituit.

*R.* 2° : Tenetur restituere per accidens, et indirectè, *C.*; per se et directè, *N.* Detractor in hoc casu per se vel directè tenetur non continuare detractionem : continuaret autem virtualiter, nisi retractaret dicta ; nam silentium ipsius videretur esse virtualis approbatio dictorum.

62. *Obj.* 2° : Si vera prior responsio, sequitur, eum qui prorsus inculpatè, sed absque suo lucro causavit alteri grave damnum in bonis fortunæ, saltem indirectè vel per accidens obligari ad restitutionem ; quia, nisi restituat, virtualiter continuat damnum.

*R. N. sequelam.* Damnum hoc ordinariè non possum compensare citra meum æquale vel grave damnum. Unde sicut non teneor restituere famam innocenter ablatam cum æquali meâ infamiâ, sic etiam in altero casu non teneor compensare damnum.

63. *Obj.* 3° : Quid si patiens damnum esset pauper, inferens autem opulentus? In hoc casu, licet opulentus jure naturali deberet compensare damnum inculpatè datum, non pateretur æquale damnum.

*R. D. m.* Non pateretur æquale damnum formaliter, *C.*; materialiter, *N.* Quamvis opulento facilius sit subire jacturam unius aurei quàm pauperi, tamen si deberet compensare damnum à se inculpatè datum et æstimatum uno aureo, pateretur absolutè grave damnum ad hoc autem natura per se non obligat; quia nemo doctorum hanc obligationem cognoscit. Item natura semper in suis obligationibus attendit ad casus communiter contingentes, vel ad ea quæ communiter se-

querentur ex obligatione : foret autem ordinariè nimis arduum, si quis compensare deberet grave damnum inculpatè datum in bonum fortunæ. Non est autem ordinariè nimis arduum, si quis retractare debeat dicta per errorem inculpabilem de proximo.

64. *Obj.* 4°: Si res aliena sit ex eorum genere quæ functionem recipiunt, et unico suo usu consumuntur, ut pecunia, vinum, oleum, triticum, cibus ; et ego rem illam bonâ fide consumpsi apud furem, tamen si fur restituere potest rem similem ejusdem bonitatis et valoris, non teneor ego quid restituere, quamvis inde ditior evaserim. *Et ratio;* nam in his quæ functionem recipiunt, sufficiens fit restitutio, si detur res similis ejusdem bonitatis et valoris, et fur non habet obligationem reddendi domino determinatè eamdem numero rem, præsertim cùm usu suo ponatur consumpta, sed tantùm omnino similem : igitur si fur potest hanc restituere, non teneor ego. Ita Salon. Bannez et Ledesma dicens esse communem Thomist.

*R.* Hoc argumento tantùm probari quòd bonâ fide consumens rem furtivam non teneatur ad restitutionem ante furem. Sed nec istud efficaciter probatur ; quia dominium ejusmodi rerum, nisi fortè fuerint indiscernibiliter mixtæ cum propriis, nullo modo transit in furem, nec in accipientem à fure, juxta *L. traditio* 20, *ff. De acquir. domin* et *L. rogâsti* 2, et *L. nam etsi fur* 13, *ff. Si certum petetur*. Ergo si bonâ fide rem accipiens à fure, adhuc eam retinet, procul dubio teneretur ad restitutionem ante furem : ergo etiam si rem illam consumens inde ditior evasit. Secus esset dicendum, si fur alienas res ita miscuisset cum suis, ut ampliùs discerni non possent ; tunc enim sicut fur acquireret dominium, ita validè transferret illud in accipientem. Vide Th. Sanch. l. 2 Decal. c. 23, n. 34.

65. *Obj.* 5°: Pone, Titium emisse cum Caio bona fide rem Sempronii 100 aureis ; Caium verò, qui pro Titio priùs emerat, remisisse postea socio debitum 50 aureorum. Pone rursus, durante bona fide, rem ab utroque venditam eodem pretio. In hoc casu, si Sempronius non posset vindicare rem suam, Titius deberet ei 50 aureos restituere, quod C. de Lugo, n. 25, putat esse certò falsum.

*R. N. sequelam.* Titius enim in hoc casu non fit ditior ex re alienâ, nisi tantùm occasionaliter. Non enim refert lucrum ex venditione rei alienæ, sed tantùm ex liberalitate socii debitum gratis remittentis. Casus est similis illi quem adduximus n. 59.

66. *Obj.* 6°: Ergo etiam, si Caius rem Sempronii bona fide 100 aureis emat, et gratis donet Titio, Titius verò 100 aureis illam denuò vendat comparente Sempronio, poterit hic retinere centum aureos; quia lucrum hoc provenit non tam ex re alienâ quàm liberalitate donantis. Caius enim potuisset priùs eam Titio vendere 100 aureis, totum verò suum jus liberaliter ei remisit, aut in illum transtulit gratis rem dando. Unde sicut Caius ad nullam restitutionem teneretur, si 100 aureis vendidisset eam Titio, vel alteri cuicumque, sic etiam Titius ad nullam restitutionem tenetur, esto rem vendiderit 100 aureis.

*R. N. C.* 1° Quia generaliter omnes docent, eum, qui bonâ fide consumpsit aut distraxit rem alienam, restituere debere in quantum ditior est factus, sive dono, sive quovis alio titulo rem alienam acceperit. 2° Caius habet quidem jus retinendi pretium ex venditione rei, quia per eam non fit ditior : jus autem hoc transferre suâ donatione non potest in Titium ; quia facere non potest per suam donationem ut Titius ex re alienâ non fiat ditior. 3° Caius in hoc casu liberaliter Titio nihil donat præter rem alienam. Unde Titius nihil lucratur nisi rem alienam, aut pretium ex ipsa. Alius foret casus, si Caius creditò venderet Titio rem 100 aureis : item Titius denuò venderet 100 aureis Sempronio, postea verò Caius sponte suâ remitteret Titio debitum 100 aureorum ; tunc enim Titius non fieret ditior ex emptione et venditione rei alienæ, sed ex alio disparato contractu.

---

# DE CULPA JURIDICA.

## Ad sequentes quaestiones proœmium.

* Proœmium illud in capite quæstionibus auctoris inscribere pro utili duximus, ex eo quòd principia tum juris, tum theologiæ, longè invicem à se distantia et dispersa per opus P. Vogler disseminaverit, quorum veluti appendicem lectori submittendum esse putavimus, ne inermis et ignarus viarum inter arduas ambages ægrè procedere queat, quæ per viginti et quinque quæstiones extenduntur.

Et primò quid per culpam sit intelligendum non omnes consentiunt. Sunt qui culpam juridicam respuunt, quasi nil nisi verba sonantem : theologi in culpâ nil nisi Dei offensam intuentur ; jurisperiti nil nisi damnum seu detrimentum aliis illatum. Quæ ratio definiendæ culpæ per ejus effectus satis valuit, ideòque nobis explanandum est quomodò detrimentum alii à nobis accipere possint, ut indè culparum divisio fiat.

Damnum proximo voluntariè inferre possumus ; 1° voluntariè, sive consultò ; tumque culpa theologica locum habet ; juridico autem ordine hoc factum non culpam modò, verùm etiam dolum malum, fidei abnegationem redolet ; 2° Involuntariè, omisso legis imperio, quo præcavere jubemur ne quid damni negligentes vel imprudentes conferamus ; quam culpam verè juridicam theologi affirmant esse, ex eo quòd in sensu jurisperitorum hunc characterem induat. 3° Casu fortuito, voluntateque nullo modo conscià, quod factum apud jurisperitos casûs fortuiti nomen retinet. In primo casu, quæ et quomodò fiat restitutio, auctor quæstionibus 7, 8 et 11 exposuit, ad quas lectorem remittimus. In tertio casu, damni compensationi locum non esse, ideòque non de hoc ambigendum etiam auctor asserit et meritò, siquidem tum cum lege congruit et ratione naturali. Tertius ergo manet longè majoris ac cæteri momenti.

In hoc casu quotuplici modo possit culpæ reus de restitutione teneri faciendâ, jurisperiti satis concordant. Tres sunt hujus obligationis fontes : 1° contra-

ctus; 2° quasi-contractus; 3° quasi-delictum. Seorsim tractare aggredimur.

## CAPUT PRIMUM.

*De præstatione juridicæ culpæ in contractibus.*

Quam quæstionem diverso jure Romani, posteaque Galli agitaverunt. Utrumque exponemus.

I. Jus Romanum. Triplex in eo culparum gradus erat, ut et theologis, testibus Heinaccio, Vinnio, Gallisque jurisprudentiæ Romanæ doctissimis investigatoribus, inter quos Pothier, Toullier, etc. Erat enim culpa, seu *lata*, seu *levis*, seu *levissima*.

1° *Lata*, quæ locum habet cùm quis mali patrisfamiliàs exemplo, nec nova quærere, nec quæsita retinere bona didicit.

Secundùm theologos, est omissio diligentiæ à perspicuis hominibus ejusdem conditionis in rerum administratione allatæ.

2° *Levis*, cùm communis prudentiæ præscriptis aliquid derogatum fuerit.

Secundùm theologos, omissio est diligentiæ quam homines in negotiis versati adhibere solent.

3° *Levissima*, cùm sagacissimi attentissimique exactam diligentiam non adhibuerit rei custos.

Secundùm theologos omissio est seu oblivio illius prudentiæ quæ non nisi in versutissimos et acerrimos viros cadit.

Inde videre est jurisperitos pro levi culpâ habere, quod latam theologi, pro levissimâ ducere, quod levem theologi esse decreverunt. His autem minùs quàm cæteris in arte sibi propriâ peritiæ concedimus, unam tamen auctoris animadversionem magni ponderantes, scilicet culparum gradus varios esse, nec ipsas esse indivisibiles et absolutas, ut jam voluerant stoici, quos tam lepidè Flaccus irridet.

Surrexit et aliquando brevior sententia cujusdam advocati nomine Lebrun, consensum communem scriptorum sociorumque suorum explodentis; quo in systemate non ampliùs quàm duo culparum genera reperiebat; eo judice, lata fuit, quæ à debitore committitur non adhibitâ in rem alienam ceu creditoris vigilantiâ, quæ in virum prudentem cadit: levis autem, si objectum commune sibi et aliis homo minùs accuratè pertractet. Quæ sententia, quamvis non omnibus probata, non sine pondere fuit, teste Pothier.

Cùm contrahentes in tria discrimina culparum venire possint, placuit et tria culparum genera tribus applicare contractibus: si enim contractus in utilitatem dantis vergit, latæ culpæ repetitio læso dabitur; si in commodum accipientis, levis, si utriusque interest, levissimæ tantummodò. Sed obsoleverunt pleræque ex his distinctionibus, quibus ratiocinii fulcrum defuit: siquidem, eadem à vario reo commissa, prout ingenii vis varia fuit, ejusdem generis esse desinebant. Praxi præterea applicandæ incertissimis limitibus comprehensæ distinctiones maximè nocebant, indèque superadditis multiplicibus exceptionibus merè chaos exoriebatur. Quod continuò accidet, quoties non ex facto, sed ex mentis humanæ cognitione culpa pendebit.

II. Jus Gallicum. In vetere jure Gallico, quod, ut notum omnibus est, Romanam jurisprudentiam servili prope modo secutum est, distinctiones supra allatas reperire est: quibus autem mutandis emendandisque curam ut facerent utilem, codicis civilis institutores principium ipsum immutaverunt, Romanasque argutias exosi, à jure naturali illud mutuaverunt. Voluêre scilicet ut alteri facere quisque cogatur quod ipse sibi fieri vellet; inde progressi, utriusque, et obligantis et obligati conditionem meliorem fecêre: siquidem hunc onerosâ providentiâ et curis eximere, illum verò suspicione et angoribus expedire tentaverunt; communiorem agendi modum hominum considerantes, viderunt in theoricâ distinctione non statutum fuisse quibus adjunctis, quibus conditionibus, quo pacto fuerat stipulatum, quæ omnia directè ad naturam contractûs pertinebant. Inde ortus est articulus 1137 qui generaliter: « L'obligation de veiller à la conservation « de la chose, soit que la convention n'ait pour objet « que l'utilité de l'une des parties, soit qu'elle ait pour « objet l'utilité commune, soumet celui qui en est char- « gé à y apporter tous les soins d'un bon père de fa- « mille; cette obligation est plus ou moins étendue « relativement à certains contrats, dont les effets, à « cet égard, sont expliqués sous les titres qui les con- « cernent. »

Ex hujus articuli interpretatione duplex orta fuit commentandi ratio: sunt qui, duce Toullier et assentientibus multis, intellexêre ex articulo supra dicto fluere ut vel levissimis culpis indulgendum non sit, quia, inquiunt, *omnibus curis*, non verò *partim* rem tutari et conservare debet obligatus; addunt articulos 1147 et 1148, quibus damnorum impensâ mulctatur quicumque rem non gesserit, nisi fortuiti casûs, causæ sibi extraneæ, visque majoris quàm ut ei obniti potuerit, testimonium non tantùm afferat et excusationem, sed etiam probet, ad id tendere, ut strictissimè accipiatur obligationis vinculum. Addunt etiam, ex articulo 1379 posse concludi, non etiam vim majorem, fortuitosque casus semper pro excusatione valere, prætereaque licere ipsorum discrimen vel assumere sibi, vel aliis imponere multis in circumstantiis. Articulis 1882, 1928 et 1992 innixi, contendunt de levissimâ culpâ etiam teneri quicumque contraxerit: finem etiam art. 1137 hoc sensu explicant, in quo *quosdam contractus* in exemplum afferendo, veterum jurisconsultorum ad consuetudines nos revocant, statuuntque inter contractuum pœnas differentiam esse prout differt et eorum natura contractuum. Argumentum denique claudunt allatis art. 1382 et 1383 dispositionibus: « Tout fait quel- « conque de l'homme qui cause à autrui un dommage, « oblige celui par la faute duquel il est arrivé, de le « réparer. — Chacun est responsable du dommage « qu'il a causé non seulement par son fait, mais en- « core par sa négligence ou son imprudence. » His freti et auctoritate Domat, assentiente D. Gousset, judiciariæ culpæ reum arctissimis compedibus vinciunt.

Altera est sententia jurisprudentûm et theologorum

asserentium per verba hæc articuli 1137, *curas boni patrisfamiliàs* non aliud intelligi ac communem omnibus diligentiam, non autem eam quam prudentissimi simul et peritissimi viri adhibere possunt. Contendunt ex legislatorum etiam verbis induci debere hunc sensum, quibus Romanorum distinctiones contumeliosè habitæ sunt, nec immeritò. Legis silentium de culparum gradibus pro codicis assensu, quo una et sola culpa, scilicet quæ lata dicitur à theologis, quæ levis à jurisperitis, in pœnam incidat, autumant. Quibus etiam accedunt directissima verba tribuni Maleville : « La première partie de l'article 1137 abroge la di- « stinction que faisaient les Romains entre les diffé- « rentes espèces de contrats. » Censent etiam articulorum 1882, 1928, 1992 dispositiones, quæ aliquam culpæ quasi admittere possent distinctionem, nonnisi exceptionem esse et detractionem minimam ex generali principio quo sublata erat illa graduum veluti scala.

Sed in practicâ omnia aliter versantur quàm ex diversissimarum sententiarum pugnâ à fronte exspectandum appareret; concordant enim tum distinctionum tuitores, tum earum adversarii, regulis æquitatis et circumstantiarum necessitudinibus obsequi; jus in principio exolevit, in facto revixit, ambagibus suæ originis extricatum. Quanquàm enim adversati sint Romano juri in hâc parte Codicis civilis confectores, in eorum postea decretis facile percipere est triplicem imponi modum curas suas in certis contractibus conferendi :

1° Boni patrisfamiliàs diligentia requiritur in contractu locationis, art. 1728; in deposito judiciario, art. 1962; in commodato, 1880; in usufructu, 601. Pereunte autem re commodatâ in manibus commodatarii, qui suam servare potuit integram, alienâ omissâ, lex minimè consulentem proximi commodis mulctat, art. 1882.

2° Ut res propriæ tractandæ sunt res commissæ depositario, ut patet art. 1927. Itaque si negligentiâ accipientis depositum perierit, nil ipsum quod arguat habet deponens, qui scilicet de se queri tantùm debet, quòd malè amicum elegerit, præsertim si incautum jam novisset.

Accidit tamen ut quod priùs adeò laxis habenis normarum regebatur, adjunctorum concursu ad severiora revocetur : sicque depositarii munera onerosiora fiunt, si semetipsum obtulerit; si conducatur mercede; si in ipsius commodum depositum fuerit factum; si culpæ alicujus præstandæ sese obligaverit : imò, ex articulo 2060 carcere cohiberi interdùm posset. In his autem casibus nuperi jurisconsulti patrisfamiliàs diligentiam exigunt, ideòque culpæ levis obligationem depositario imponunt.

3° Contractus exstant de quibus Codex civilis nil specialiter patrandis decrevit : quos enumerare in promptu est : 1° Mandatum ex se ipso gratuitum, sed mercedis additione strictiùs mandatarium obligans, art. 1950 et sequent.; aliter negotium gestioni simile fit, bonique patrisfamiliàs diligentiam exigit, art. 1374. 2° Societas, art. 1850, quæ latiore modo administratur, si quidem proprii negotii æquipollet gestioni, nihil habente socio quòd queretur, cùm sibi ipsi imputare debeat errorem in eligendo à se commissum. 3° Pignus, art. 2080, quo detentor boni patrisfamiliàs ad exemplar ad servandam rem oppigneratam adstringitur, salvâ impensarum suarum restitutione.

Hæc sunt juris Gallici præcipuæ dispositiones. Ex principiis autem si ad practicam transeamus, alium offendimus scopulum. Quæritur enim quo tempore et quatenùs conscientia legis civilis institutionibus subjaceat. Maximi enim momenti est ut vir probus et religiosus quorum officiorum peragendorum tencatur et quandò, apprimè cognoscat, ut onus impositum opportunè excutiat.

De illis omnes quæstiones ad has redactæ sunt : 1° Obligatio-ne vim habet latâ judicis sententiâ? 2° Obligatio-ne ante latam judicis sententiam contrahentem adstringit?

De primâ quæstione paucissimi sunt qui dissentiant : siquidem iniquum est quis mente rejiciat quod facto quæsivit contrahens, et cùm alicujus contractûs sponte suâ adierit discrimen, consequentias ejus eludere velit.

De secundâ autem disputatur : multi, quibus assentiunt Lessius et De Lugo, nec non et D. Gousset, ante judicis sententiam obligationem præstationis culpæ juridicæ nullam esse senserunt; imò dicit D. Gousset parvi interesse conscientiæ qualis culpæ præstatio sit à legibus civilibus determinata : ex eo quòd ante judicis sententiam nullius culpæ, nisi theologicæ, contrahens sit capax et reus. Post sententiam autem cujuslibet pœnæ præstandæ tenebitur.

Contra quos P. Antoine, Billuart, et adeò multi exsurgunt, ut eos enumerare nimis operosum foret; quorum verò argumenta breviter exponemus, ut alterutram etiam eligentibus quæstio nil novi et ignoti offerat. Est in contractûs naturâ, ut à principio re cognitâ, et per consensum mutuum jam obliget. Quid autem est sententia judicis quoad contractum? Potestne naturam ejus obligatoriam aut restringere, aut extendere, aut mutare? Certissimè nequit; ad id tantummodò valet, ut conventionis intra terminos coerceat excedentem stipulatorem. Jam ergo contracta fuerat obligatio ex ipso facto stipulationis; quod facilè in legum ipsarum multiplicibus casibus probabitur; veluti cùm in emptione-venditione venditori art. 1626 legem faciat assecurandi emptoris ab omni evictione, etiamsi non turbatæ possessionis et intercepti usûs arguendus sit.

Contra quam opinionem sunt qui asserunt ipsam esse duriorem, quùm aliquid pœnale ante judicatam causam et auditam constituat, inutileque esse bono publico autumant, ut condemnationem saltem dubiam prævertat.

Respondent adversarii : In contractibus qui ad jus pertinent, et consuetudinem obligatio præstandæ culpæ juridicæ videtur conditio quæ inhæret essentiæ con-

tractûs, implicitèque in ipso continetur, nullumque aliud quærentibus dicendum, nisi : Patere legem quam ipse tibi fecisti. Dura ergo non est lex ; minimè etiam bono publico seu privato nocet : siquidem magni interest contrahentis, ut sciat quâ diligentiâ seu quâ securitate usurus sit in hoc vel illo contractu ; imò, credibile esset consensum, quo nititur contractus, non planè dari, nisi rectè cognito quid boni malive sibi ferant hujus conditiones. Concludendum ergo est in mente fuisse legislatoris, ante quem nemo censetur ignorare legem, ut contrahentes obligationem sibimetipsis imponerent, hâcque se ligatos ducerent, non adhibito judicis graviore ministerio.

## CAPUT II.

### *De præstandâ culpâ juridicâ in quasi-contractibus et officiis.*

Hoc in titulo theologorum sententiam multorum exponimus, inserto verbo *officiis;* siquidem solent plerique theologi quasi-contractus et officia iisdem legibus subjicere, cui sententiæ manus non porrigunt juris interpretes : hinc facilè intelligitur dispari utrosque usuros definitione. Secundùm theologos, datur quasi-contractus, quùm non formalis explicitusque consensus affertur à contrahentibus, attamen ex utrâque vel alterutrâ parte provenit tacitè vel interpretativè : inde fluit, juxta eos, causidici medici officia in quasi-contractuum classim incidere, cùm tacito consensu expromendam omnem quâ gaudent diligentiam stipulentur ; eadem ad munerum publicorum susceptores, porrecta denominatio.

Jurisperitos inter veteres et recentiores de definitione quasi-contractûs non absolutè eadem stetit sententia : utrique verò theologicam explodere voluerunt. Per quasi-contractum Justinianus intellexit illud quod, absque contractu vel maleficio suo aliquem tamen obligat. Hujus fons est in fictione legali, quâ verus et absolutus consensus, qui tamen deest, exstitisse reverà præsumitur ; imò non etiam tacitum vel expressum consensum requirit, quem lex finxit et suspicatur pro reali ; atque hoc aspectu definitus quasi-contractus, ad medicum aut ad pastorem pertinere nequit, quorum certissimè consensus saltem tacitus reverà existit.

Idem animadvertemus si definitioni Codicis civilis fides sit. Titulo enim ex quo profluunt capita duo de quasi-contractibus et quasi-delictis inscribitur : *De obligationibus quæ sine conventione formantur.* Sequiturque art. 1370 sic : « Certains engagements se forment « sans qu'il intervienne aucune convention ni de la « part de celui qui s'oblige, ni de la part de celui en- « vers qui l'on est obligé. Les uns résultent de l'auto- « rité de la loi, les autres naissent d'un fait personnel « à celui qui se trouve obligé. » In fine articuli explicantur exemplis prædictæ notiones, quarum prior ad tutores et administratores quibus etiam invitis munus incumbit, posterior ad actus licitos illicitosve spectat, et mutato nomine quasi-contractus vel quasi-delictum fit, prout à lege vel à facto hominis processit.

Justiniani definitioni adhærere minùs prudens credet qui annotabit exempla in ipsius gratiam allata, negotiorum scilicet gestionem, tutelam, communionem rei, additionem hæreditatis, et indebiti solutionem, in quibus aliquid certè consensûs reperire facilè arbitramur. Codex autem civilis noster ex art. 1371 ad 1381 de quasi-contractibus tractat, quorum duos tantummodò indigitat, negotiorum scilicet gestionem et indebiti solutionem.

In art. 1374 negotiorum gestorum qui munus suscepit, officia sua inscripta habet. Boni patrisfamiliâs vices tenere debet, ideòque si malè consultis viribus sese immiscuerit, culpæ præstationem incurrit, quanquàm lex judicis arbitrio per art. 1374 in fine permiserit, exploratis adjunctis, pœnam ut minuat. Inde quoque concludi potest si periclitanti rei ex necessitate servandæ ejus se gestorem præstiterit, re etiam malè tractatâ, posse à judice excusari, quasi non aliam diligentiam rebus alienis quam suis afferre coactus.

Ex art. 1376 ad finem capitis, de illo qui indebitam rem accepit, decretum est : de quo duo notanda sunt : 1° An bonâ fide, 2° an malâ fide acceperit. In priore casu, nullius culpæ præstandæ tenetur, quia culpâ caret, ex illo Digestis principio : « Qui quasi rem « suam neglexit, nulli querelæ subjectus est. » Nullis fermè contradicentibus in veteri jurisprudentiâ viguit hæc decisio, cui nec obstant art. 1631 verba in fine, nec etiam art. 1379 dispositiones : illæ enim ad hominem spectant qui cùm bonæ fidei possessor in principio fuerit, postea quo vitio laboraret sua possessio notum habuit.

In posteriore casu, severiori legis improbationi subjacens, cujus vi culpæ etiam levissimæ præstationi obnoxius, etiam à quibusdam furi æquiparatur, et ideò art. 1302 pœnalibus exponendus placitis. Hæc Delvincourt, cui Toullier et D. Gousset adversantur, ex eo quòd furis instar haberi nequit ille qui nihil subripuit, nec dolosus latronis labe afficiendus sit, secundùm legis principium : *Inimicitiæ restringendæ.* Restituendo autem evidenter tenetur ex adagio : *Nemo potest rebus alienis ditescere.*

Communio rei, tutelæ administratio, hæreditas beneficiaria vel simplex, variis tractantur in codicis nostri paginis, non verò, ut in Justiniano eodem titulo addicta.

Communio bonorum non aliam diligentiam exquirit pro alieno quam pro suo.

Tutelæ administratio articulis 450 et sequentibus describitur officiumque boni patrisfamiliâs imponitur gestori ; quod his verbis concepit annotator celebris codicis : *En bon père de famille, comme un homme vigilant et économe administre ses propres affaires.* Quæ ipsum culpæ latæ solummodò obnoxium reddunt.

Hæreditatis beneficiariæ administrator, rem quasi suam in gestione quùm obtineat, pro gravibus tantùm culpis pœnas dare cogitur, art. 804, secùs ac hæredes rem legatam tractantes, quibus et romano et gallico jure rei administratio severior mandata est, ita ut de minimâ culpâ teneantur.

Quod ad forum conscientiæ pertinet, invaluit apud theologos sententia non priùs esse culpam præstandam

quàm judex pronuntiaverit. Notabimus verò theologos ita statuentes, à sibi propriâ definitione processisse, proprièque officia, non verò præcisè quasi-contractus spectâsse. Quanquàm autem contractus tacitus in officiis reipsà intercedat, aliâ tamen lege reguntur ac formales contractus ; et hoc duplici de causâ : 1° De contractibus expressis et directis verbis lex statuit ; de officiis non item. 2° Quamvis interveniat consensus tacitus in officiis suscipiendis, non vulgari hominum sententiâ stricta per ipsa intercedit obligatio, quæ contractibus pactis inhæret. Imò verò culpæ præstatio ante juridicam sententiam molestior esse posset in officiis quàm in contractibus ; horum enim obligationes arctioribus limitibus per leges coercentur. Si verò de quasi-contractibus agatur in sensu jurisperitorum acceptis, quamvis in decisione suâ eos theologi officiis æquiparent, illos ab his non distinguentes, contractuum legem normamque subeant æquum videtur generatim, præsertimque cùm ad quasi-contractus propriè dictos respiciatur, qui ex facto voluntario sese obligantis nascuntur.

## CAPUT III.

*De præstatione culpæ juridicæ extra contractum et quasi-contractum, seu de quasi-delictis et eorum obligationibus.*

Juris Romani amplissima fuerunt de hâc materiâ statuta ; legibus enim propriis, quas Galli sparsis articulis in Codice tractaverunt, jus vetus quosque casus regebat. Concordat autem jus utrumque, et de principiis et de obligationibus.

Tres sunt præcipuè modi per damnum illatum præstationem culpæ juridicæ suscipiendi, prout ipsi injuriam intulimus, vel per personas nobis commissas, vel per res nostras damnum accidat. Quæ Codex Romanus complexus est lege Aquiliâ, ex Aquilio tribuno dictâ, lege noxali, et lege quadrupedariâ, ceu *si quadrupes pauperiem*, etc. His præmissis, videamus quid de his casibus sit statuendum.

### ARTICULUS I.

*De damno illato per factum personale.*

Omnis hujus materiæ norma nititur articulis 1382 et 1383 Codicis civilis, quorum prior sic statuit : « Tout fait quelconque de l'homme qui cause à autrui « un dommage, oblige celui par la faute duquel il est « arrivé à le réparer. » Posterior sic : « Chacun est « responsable du dommage qu'il a causé non seule- « par son fait, mais encore par sa négligence. » Quibus congruit art. 1370 dispositio : « Certains engage- « ments se forment sans qu'il intervienne aucune con- « vention..... tels sont ceux qui naissent d'un fait « personnel à celui qui se trouve obligé. » Per factum autem intelligitur omnis agendi ratio quæ quoquo modo possit aliis prodesse vel nocere : nec tantùm actus, sed etiam omissio arguitur, ex fine articuli 1382, *par sa négligence*. Sufficit ut damni existentia pateat, ut factum per seipsum nocuerit, vel etiam, duce Toullier, occasionem dederit inferendo detrimento, siquidem ex Digestis regulîs occasionem damni qui præstat, damni illati reus fit. Hìc non satis illustri ratione res exponitur, quæ clarior fit allatâ distinctione sequenti : Culpæ præstandæ tenetur qui vel occasionem tantùm detrimenti ministravit, si sermo sit de causâ etiam mediatâ vel indirectâ ; aliter autem res se habet, si agatur de occasione strictè acceptâ, quæ nec physicè, nec moraliter damnum determinavit, quo casu nulla præstanda est restitutio. De hâc quæstione inter jurisperitos exortum est dissidium, quorum hi articulo 1734 innituntur, alii articulo 1202 refellunt severiorem consequentiam : siquidem ex principio latiùs accepto deductionem extorserant, teneri de damno illato per aliquid è fenestris in viam effusum, omnes domûs inhabitatores ; similitudine etiam acceptâ ex articulo 1734 ratiocinabatur Delvincourt, quo incendii correi erant omnes qui locationem conduxerant. Et placuit redactoribus Codicis, ut apparet, illa interpretatio, nec principium deseruêre, sed exemplis abstinuerunt ; vigere ergo nunc etiam temporis quidam asserunt. Quibus expressis verbis art. 1202 conceptum, parùm relinquit effugii. « La solidarité ne se présume point : « il faut qu'elle soit expressément stipulée. » Refellitur argumentum ex art. 1734 expressum, dictitando non generaliter, sed speciali et peculiari casu statutas fuisse hujus dispositiones, ut soli incendio quadrarent, quod reverà, ut accidens ex vi majore, et lineâ vulgari videtur excedere. Quod si Romani juris ad auctoritatem proclametur, ipsius contra expressas legum decisiones impotentiam nemo est qui ignoret. Concludamus ergo delinquentem teneri præstandæ culpæ pro facto, omissione et imprudentiâ non semper pro occasione allatâ : nullum autem, excepto casu incendii, solidarium esse facti à se alieni.

### ARTICULUS II.

*De damno illato per personas nobis commissas.*

Omnes personæ quæ dominio quiritario Romæ et in provinciis subjacebant, herum factis suis obligare poterant ; imò et servos noxæ dari reparandæ jussum est, unde lex noxalis dicta fuit. Gallico jure de damno illato tenentur : 1° pater, et mater, defuncto marito, damni correi sunt illati à filiis minoribus cum ipsis habitantibus ; 2° Heri et mandantes tenentur de damno patrato à famulis suis et à præpositis in muneribus quæ ipsis fuerunt commissa ; 3° Institutores et opifices, de damno incusso per alumnos discipulosque, quamdiù ipsorum inspectioni submittuntur ; 4° Omnes qui pro aliquo vel spoponderunt, vel spondere creduntur, articulo 1384 ; 5° Mandatarius pro personâ quam sibi subrogavit, art. 1994 ; 6° Opifices et artifices solidarii sunt factorum eorum quos conduxerunt, art. 1797 et 1798, ut et negotiatores vicariorum suorum ; 7° Caupones nautæque pro furto in navi vel domo suâ patrato. Quibus una superest excusatio, si probent damno inferendo non occurrere se potuisse ; quæ etiam defensio mandantes et heros non tutatur, siquidem rei sunt culpæ, qui in eligendis hominibus quibus fidunt, errorem admisêre

## ARTICULUS III.

*De damno illato per res nostras.*

Codice civili ad duos præcipuè casus spectant legis dispositiones, quæ multos complectuntur alios. Articulus 1385 statuit de damno solvendo quod ab animale infertur seu sub heri oculis, qui tùm reus est non impeditæ noxæ, seu remotè ab jus conspectu, quùm scilicet in vinclis retinere feram et potuisset et debuisset; nisi tamen detrimentum tribuendum sit facto illius qui læsus est, vel alii, verbi gratiâ, canem vagum irritantis, vel stimulantis. Articulus 1386 providet damno solvendo quod ex ædis ruinis oritur, sive in ædificationis vitio, quo casu architectus in jus vocari potest, sive neglectâ domûs curâ, quo casu dominus satisfaciendo tenetur. Notandum est in nostro jure non admitti, ut in Romano, culpæ præstationem derelictâ et deditâ re cui velut auctori imputandum est damnum; possunt enim rabiosi quadrupedis longè graviora esse facinora, quàm ut pretio ipsius redimi possint.

Ex dictis hactenùs fluit quæstio duplex:

1° Cujus culpæ tenentur qui in talibus delinquunt? An levissimæ etiam, vel tantùm latæ gravisque?

Si multis theologis fides, è lege Aquiliâ sequitur levissimam etiam culpam imputari debere; addit Toullier, Pandectarum et Domat auxilio fidens, quamcumque culpam reparari debere, quia meliùs est auctorem plecti damni quàm læsum ex eo pati, et ita D. Gousset. Cui assertioni obluctantur plerique his argumentis: Si juris solius naturalis, omissâ judicis sententiâ, rationes consulant, nullo modo tenetur homo de resarciendo damno absque culpâ theologicâ illato. Præterea diverso jure lex ipsa casus distinguit et regit. Quosdam non posse esse innocuos existimat, et ex ipso facto qui eos admittunt præstandæ culpæ damnat; sunt alii casus in quibus lex culpam solummodò præsumit et quasi subolfacit, admissâ tamen rei excusatione vel contrariâ probatione. In casibus prioris speciei, non deliquisse videtur qui licet vigilantissimum non se præstiterit, prudentis tamen viri diligentiam et cautiones servaverit; cui ergo culpa tantummodò imputanda est quæ lata apud theologos, levis apud jurisperitos ducitur. In posterioris speciei casibus, in quibus probationibus oppugnari potest legis præsumptio, nihil quod sibi exprobret ille habebit, qui cautorum et vigilantium sese more virorum rexerit. Cæterùm, cùm lex probationi in contrarium obstat, de culpæ naturâ disquirere non interest, si quidem lex, damnatione absolutâ, facti circumstantias et adjuncta è quibus culpæ natura pendet, omninò præterit et negligit.

2° Quæritur etiam utrùm et quatenùs conscientia in his casibus obligetur. Ex theologorum multiplicibus de hâc materiâ controversiis hausimus conscientiam illis legibus astringi, quùm judex sententiam dixerit, nec priùs. Quamvis enim juris Romani pleraque instituta ad hæc obsoleverint, in legum Codicis discussionibus mens legislatorum se prodidit nostro judicio consentanea. Non enim in præsumptionibus facti, sed reverà in præsumptionibus juris tribuni instituerunt, ita ut quodam modo generaliter et universè factum arguerint, non quòd absque exceptione damnosum sit, sed quòd absque dubio plerùmque periculosum sit; non quòd latam vel leviorem culpam in eo deprehenderint, cujus gradum assignare pro arduo nimiùm haberetur, sed quòd sine culpâ peragi factum non posse duxerint. Imò, æquissimâ severitate lex præcavere voluit ne nimiùm utilitatis proximi homines incuriosos se præstarent. Ita et opinantur D. Gousset et plerique theologi*.

## QUÆSTIO V.

AN, ET QUANDO DEBEATUR RESTITUTIO PROPTER DAMNUM AB ANIMALI, SERVO VEL DOMESTICO DATUM?

67. Sciendum 1° jure civili vel Cæsareo statutum ut, si quadrupes aut animal, naturâ suâ mansuetum, ex lasciviâ, feritate, pavore præter consuetudinem aggrediatur, vulneret, aut occidat alterius animal, dominus animalis, quanquàm nullam commiserit culpam, resarciat damnum, aut animal suum noxæ dedat, sive dominium ejus transferat in læsum. Sic habetur *lib.* 4, *tit.* 9, *Instit. lib.* 9, *tit.* 1, *ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

68. Sciendum 2° eodem jure decretum ut, si servus aut mancipium furto, rapinâ vel alio delicto scienter et voluntariè damnum inferat, dominus qui culpæ non est particeps, vel reparet damnum, vel servum noxæ tradat. Ita *lib.* 4, *t.* 1, *Inst. lib.* 9, *tit.* 4, *ff. lib.* 3, *tit.* 41, *Cod. de noxalib. action.*

69. Sciendum 3° similes esse leges quibus præcipitur ut exercitor navis, stabuli, vel cauponæ conveniatur de dolo vel furto quod ab ejus ministris in navi, stabulo, vel cauponâ fuit commissum. Item ut paterfamiliàs sarciat damnum, si quid ex ædibus ipsius dejectum aut effusum culpâ domesticorum. Hùc etiam revocant casum, quando per culpam coqui in culinâ, stabularii in stabulo, lotricum in lavatrinâ excitatum incendium corripuit vicinas ædes. Ita colligitur ex *lib.* 4, *tit.* 5, *Instit. lib.* 9, *tit.* 3, *ff.*

70. Difficultas est an et quomodò leges istæ vim habeant in conscientiâ. Prima sententia vult, damnum ab animali vel servo datum absque culpâ domini, sarciendum à domino de jure naturali ante omnem sententiam judicis. Ita Gabriel Vasq. de Restit. c. 2, § 2, dub. 1, cum individuo suo discipulo Lud. Turriano. Secunda docet, ex legibus saltem positivis, obligationem esse ante sententiam judicis. Ita Panorm. in cap. ult. *de injuriis*, et alii complures præsertim antiqui, quamvis aliqui potiùs loquantur de lege Aquiliâ. Tertia censet, ex adductis legibus, nullam obligationem oriri ante sententiam judicis. Ita Molina, tr. 2, D. 713; Azor, tom. 3, l. 4, c. 8; Lessius, l. 2, c. 9, n. 118; Rebellus, p. 1, l. 2, q. 10, n. 25; Dicastillo, D. 3 *de rest.* n. 14; Navarra, l. 2, c. 1, n. 35; Layman, tr. 3, p. 1, cap. 6; C. de Lugo, D. 8, n. 46; Tamburinus, Anton. Perez, Esparza, Filliucius, Haunoldus, Illsung, Joan. Pontius, Herincx,

Mezger, Sangallens, Petschacher, Sporer, Sannig.

71. *Dico* 1°. Secluso contractu, nemo de jure naturali tenetur sarcire damnum, ab animali datum absque propriâ suâ culpâ. *Ratio* prima. De jure naturali non teneor sarcire damnum quod nullo modo mihi potest imputari : sed damnum quod datur à meo animali, sine propriâ meâ culpâ, nullo modo mihi potest imputari. Nam, ut ait S. Aug. ep. 154 : *Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo, aliquem occidat. Aut ideò non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?* et inferiùs : *Absit ut ea quæ propter bonum aut licitum fecimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* Secunda. Si foret in hoc casu naturalis obligatio sarciendi damnum, vel illa consurgeret ob rem acceptam, vel ob injustam acceptionem aut læsionem; alius quippe titulus ad restitutionem naturaliter obligans non datur : at non consurgit ob rem acceptam, quia suppono damnum illatum absque domini lucro : nec etiam ob injustam acceptionem, aut læsionem, *ut patet.* Tertia. Damnum ab animali meo datum absque culpâ meâ, respectu meî censetur esse casus purè fortuitus : at casum purè fortuitum, secluso speciali contractu, non teneor præstare; secùs deberem sarcire damnum, si res mihi commodata periisset improviso casu, fulmine vel motibus aquarum, quod tamen expressa jura negant, *cap. unic. commodat.* Quarta. Si domus mea casu fortuito corrueret, aut ex domo decideret statua marmorea, vel, si vis, etiam aurea, et opprimeret tuum animal, de jure naturali non deberem sarcire damnum, nec etiam tu posses in compensationem damni statuam, aut rudera domûs accipere, quod planè fatebuntur omnes. Et aliàs etiam ex jure naturali tenerer ad aliquam compensationem tibi faciendam, si pater tuus occideret se ferro, vel fune meo, præter aut etiam contra meam voluntatem. Quinta. Si furiosus, infans, dormiens, aut rationis impos intulit damnum, nemo dicet jure naturali me ligatum ad præstandum damnum. Et tamen actio mea dormientis, infantis, etc., magis procedit à me quàm actio mei animalis, quam nullatenùs procuro. Sexta. Dominus neque ex jure naturali, neque ex jure positivo tenetur præstare damnum fortuitò datum à servo : cur ergo præstare teneatur ex jure naturali damnum à bruto datum? Septima. Actio bruti quæ fit citra culpam hominis, est actio solius naturæ : sed actio solius naturæ non inducit obligationem sarciendi damnum; alioquin natura seipsam obstringere deberet ad sarciendum damnum, vel possemus exigere restitutionem à natura.

72. *Dico* 2°. Secluso contractu, nemo de jure naturali tenetur reparare damnum à servo datum, absque propria culpa. *Ratio* 1. Naturalis hæc obligatio non fundatur in ullo titulo : non in re accepta; nam ponimus abesse lucrum domini : non in injusta acceptione; nam ponimus dominum innocentem. 2. Damnum à servo datum sine culpa domini, respectu domini tantùm est casus fortuitus : sed ad casum purè fortuitum ex jure naturali nemo per se tenetur. 3. Si de jure naturali tenetur dominus ob delictum servi, non est ratio quare non ex eodem jure teneatur pater ob delictum filii : sed hoc est falsum; aliàs vicissim etiam filius teneretur ob delictum patris, quod est contra leges. *Quòd pater in reatu criminis alicujus est, filiis impedimento ad honores esse non debet. L.* 3, § 9, *ff. de mun. et hon. Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. L.* 26, *ff. de pœnis. Filius non portabit iniquitatem patris.* Ezech. 18. Eòdem facit totus titulus, *C. ne filius pro patre.* 4. Ut jurisconsulti communiter admittunt, si filius sine consensu vel delicto patris alterum in bonis temporalibus læsit, pater secluso speciali statuto vel contractu, et spectato solo jure communi, non potest conveniri de peculio quod filio dedit administrandum; neque potest inquietari de peculio adventitio, in quo habet usum fructum; multò minùs tenetur præstare legitimam : ista verò non essent æquitati consona, si de jure naturali teneretur quis satisfacere pro culpa servorum aut domesticorum. 5. Ut universim jura pronuntiant, nemo per se tenetur ob alterius delictum, et *unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. L.* 26, *ff. de pœnis. Grave est et æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari. L. unic. C. ut nullus ex vican. Factum cuique suum, non adversario nocere debet. L.* 155, *ff. de R. J.*

73. *Dico* 3°. Ante sententiam judicis nemo tenetur ex jure positivo reparare damnum ab animali, servo, vel domesticis sine culpa propria datum. *Ratio* 1. Leges quæ videntur nobis contrariæ, vel non præcipiunt damni reparationem ante sententiam judicis, vel, si præcipiunt, sub tanto rigore non sunt sufficienter manifestatæ, nec sunt communiter usu receptæ; et theologi qui præ cæteris accuratè discutiunt obligationes legum in foro conscientiæ, plerique negant, aut non cognoscunt hanc obligationem. 2. Quando lex naturalis est clara, lex autem humana post diligentem inquisitionem summè dubia, standum est potiùs legi naturali : sed est clara lex naturalis eximens nos à compensatione damni, quod præter nostram culpam à nostris animalibus, servis, aut aliis domesticis est datum; lex autem humana præcipiens damni compensationem etiam ante sententiam judicis, est summè dubia, cùm tot, imò longè plures eam negent quàm affirment. *M.* est principium juris. Nam correctio juris est vitanda, quoad fieri potest, et in dubiis prævalet jus certum et clarum. 3. Bonæ fidei possessor non dejicitur à possessione propter jus alterius et dominium incertum : ergo etiam dominus spoliari non debet dominio suarum facultatum propter obligationem aut legem positivam incertam (1). 4. Si nec ex verbis

(1) Quibus argumentis dissertationem suam instruat Vogler facilè dignoscitur; nunc temporis, ut sæpiùs in operis sui decursu, duo principia usurpat ex commentatoribus Juris Romani, dein ex Probabilistarum scriptis decerpta, scilicet : *Lex dubia non obligat*, et : *In dubio melior est conditio possidentis.* Quibus forsan minùm fidenter propositis adhæret, aut ea saltem minimâ extensione dignatur, cùm ad materias omninò

aut fine legum, neque ex interpretatione doctorum, neque ex praxi subditorum sufficienter liquet an leges obligent ante, vel primùm post sententiam judicis, locum habent notissimæ regulæ juris : *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* L. 9, *ff. de R. J. et c.* 30 *eodem in* 6. *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minùs justius quàm tutius est.* L. 192, *ff. de R. J. Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio facienda est. Cap.* 57 *de Reg. jur. in* 6. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* L. 56, *ff. de R. J.* 5. Finis istarum legum unicus, aut certè præcipuus est stimulare cives ad majorem diligentiam, et accuratiùs cavenda damna proximi; sed hic finis longè meliùs et utiliùs obtinetur, si leges primùm obligent post sententiam judicis : nam, hâc seclusâ, communissimè non observarentur, aut gignerentur innumeræ lites, scrupuli vel perplexitates. Et est nimis violentum et arduum, ut quis ultrò se condemnet ad reparationem damni, cujus ipse non fuit causa.

74. *Dico* 4°. Post sententiam judicis in foro conscientiæ datur obligatio sarciendi damnum ab animali, servo vel domesticis absque propria culpa datum. Ita omnes ferè doctores, teste Dicast. D. 3, de Rest. n. 5. *Ratio.* Sententia justa judicis obligat etiam in conscientia, nisi falsa præsumptione ducatur : at sententia judicis, dùm jubet reparari damnum ab animali, servo, vel domesticis absque culpa propria datum, est justa, neque ducitur falsa præsumptione : ergo. *M. est*

extraneas promiscuè aptare laborat. Nonnulla enim tum ipsorum principiorum firmitati, tum usûs eorum opportunitati qui objiciant, reperire est in promptu. Siquidem 1° testimonio priorum Probabilistarum theologorumque veterum compertum fit hæc principia diutiùs aut ignota aut fastidita jacuisse, nuncque etiam non sine repulsâ à multis, et controversiâ ab aliis tractari. 2° Dubiæ legi obligationis vinculum rapere non licet; siquidem nunquàm lex adeò obscura esse potest, ut ipsius principia non aliquâ parte sese exerant. Sed etiamsi dubio admitteretur laborare, supersunt utique moralis axiomata, quorum ope nebulæ dissipari admodùm possunt. Præterea juris principium succurrit incerto, statuens scilicet : *In dubio melior pars est eligenda.* Imò Gallico jure dubii concepti excusatio malignè semper accipitur, ut ex art. 4 Codicis civilis patet. 3° Aliud axioma irreprehensum non omnes ducunt, quo statuitur in dubio meliorem esse conditionem possidentis. Illud in civili jure acceptum, ut incertæ possessionis vicibus occurri posset non injuriâ in codicibus insertum est; jam enim innatus hominum in res quæ dominio ejus subduntur amor, servandis fortunis vigilantia, suspiciones derelictarum rerum sine pretio et venditione longiùs arcebant; ideòque possessio præsumptionem tituli præ se ferre potuit. Minùs autem aptaretur axioma sive propositum illud exquirendo sensui legis, vel ejus existentiæ deducendis consequentiis; insulsè enim possessionem nactus, eam uno argumento fulcirem isto : Possideo, possessioque mea valet, ex eo quòd nihil præcisè de hoc statuerit, vel etiam nulla sit lex de hâc materiâ. His argumentis cæterisque quæ in manu sunt vim addere non nostrum est; sufficit tantùm ut moneantur lectores non probabilistarum auctorum asserta pro vulgari apud theologos doctrinâ accipienda : textus item, quibus opinionem suam tutantur, detracti fuêre et ab adjunctis suis divisi, in quibus tamen eorum causam reperire facile esset, et quasi detorsi et in alienam terram translati, minimè cum longinquis à se materiis quadrare possunt. (Editores.)

*certa.* Nam forum internum conformari debet externo, nisi forum externum falsa præsumptione nitatur, ut cum Baldo non solùm juris-consulti, sed et TT. communiter agnoscunt. *M. prob.* Judex in hoc casu pronuntiat inprimis juxta leges æquissimas, et omnium sapientùm calculo roboratas. Deinde non præsumit nec etiam præsumere potest culpam in patrefamiliàs aut domino. 1° Quia si circa damnum ab animali datum accesserit culpa domini, non habet locum actio legis quadrupedariæ, quod patet ex *L.* 1, § 4, *ff. si quadrupes.* 2° Leges noxales, quibus dominus jubetur aut sarcire damnum à servo datum, aut servum noxæ tradere, præcipiunt hoc etiam pro casu quo dominus est immunis ab omni culpa, vel quando dominus ignoravit, aut impedire non potuit actionem noxiam servi, prout apertè colligitur ex *L.* 2 *et* 5, *ff.* 2 *et* 4. *C. de noxal. actionib.* Imò si dominus instigavit servum ut, v. g., vulneraret, occideret, alia gignitur actio juxta, *L.* 44. *ff. ad. L. Aquil.* 3° Actione legis quadrupedariæ vel noxalis tenetur etiam is qui post damnum ab animali vel servo datum, animal aut servum obtinuit ex quocumque titulo; quia *noxa caput sequitur* : at leges ineptè præsumerent culpam in eo qui damnum dare non potuit. 4° Ut habetur *Instit. l.* 4, *tit.* 5, cùm aliquid effusum aut dejectum ex domo, nocumentum attulit, paterfamiliâs non tenetur *ex maleficio*, quasi propriè culpam commisisset, sed *ex quasi-maleficio*, quia plerùmque tenetur ob culpam alterius. 5° Ut habetur ibidem, exercitor navis, stabuli, vel cauponæ, quando tenetur ob culpam ministrorum, teneri dicitur *quasi ex maleficio, si modò nullum ipsius sit maleficium.* Fateor tamen in hoc ultimo casu videri posse quòd etsi leges non præsumant culpam directam in exercitore navis, stabuli, vel cauponæ, præsumant tamen culpam aliquam indirectam; quia scilicet ascivit improbos ministros ad laborem. Unde dispiciendum quomodò leges vigeant in praxi.

75. *Dico* 5°. Asserta de servo non vigent ampliùs inter christianos, et extendi nullatenùs debent ad famulos. *Ratio prioris est*, quia servitus vera pridem desiit apud christianos, nisi quòd habeant alicubi servos barbaros ac infideles; et aliqui, teste Florentio de Cocq., volunt generatim eam extinctam ann. 1250; et qui per Germaniam vocantur alicubi mancipia, non sunt propriè servi, neque id quod acquirunt, dominis suis acquirunt, sed tantùm habent arctiores quasdam obligationes ad certa obsequia realia vel personalia, domino territorii præstanda, et impediuntur ab ordinibus et aliis dignitatibus, donec manumittantur. *Ratio posterioris est*, quia, cùm servi destituantur proprio peculio, leges optimè decreverunt ut, propter damnum à servo voluntariè datum, conveniatur dominus; hæc ratio cessat in famulis.

76. Addo tamen, dominum in certis casibus convenire posse propter delicta famulorum : 1° si dominus famulo debeat mercedem aut salarium, ex quo potest satisfieri læso; 2° si dominus locupletetur ex delicto famuli; 3° si famulus delinquat mandante vel consentiente domino; 4° si dominus adsciscat aut retineat

famulos notoriè scelestos et improbos; 5° si famulus in ministerio sibi credito damnificet alios, v. g., stabularius in stabulo, minister cauponarius in caupona, etc. Non tamen universim hoc oportet ad quosvis famulos extendere; secùs si pharmacopolæ minister, qui communiter habebatur bonus et industrius, malitiosè propinâsset aliquibus venenum, posset dominus conveniri. Vide Manzium in app. ad tit. 8, l. 4 Instit.

OBJECTIONES.

77. *Obj.* 1° *contra primam conclusionem.* Est æquitati naturali consonum ut, qui percipit commodum, patiatur etiam incommodum : ergo, sicut dominus ab animali suo percipit commodum, ita debet pati incommodum, et sarcire damnum ab eo datum.

*R.* Hoc argumento Vasquii probari nimiùm. 1° Deberes sarcire damnum à servo tuo fortuitè datum, quod tamen excipitur à jure. Cur enim jure naturali potiùs sarcias damnum à cane, fele, vel bove datum, quàm fortuitò datum à servo? 2° Deberes sarcire damnum illatum à domo, statua, vel qualibet insensata re, quæ tuis commodis inservit. 3° Deberes sarcire damnum à teipso, sed dormiente vel infante, datum; nemo quippe plus commodi percipit ex te, quàm tu. *R.* 2°. Est consonum negativè, sive non est iniquum; item est aliquo modo consonum etiam positivè, sive congruum, ut præcipiatur lege positiva, *C.*; est positivè consonum, ut, seclusa lege positiva, sit debitum ex justitia, *N. et retorq.* Ad quem pertinet commodum, pertinere debet etiam incommodum; sed si meus canis, equus aut bos tibi casu prodesset, commodum ad te pertineret : ergo. Cæterùm observa, posse subin contingere, præcisis omnibus legibus positivis, ut obligeris ad reparationem damni quod sine culpa tua bos infert, v. g., si pinguescat ex alterius prato, jure naturali debes restituere quantùm ditior es factus.

78. *Obj.* 2°. Per divisionem rerum non est sublatum jus naturale, quod extitit ante divisionem : sed ante divisionem cuilibet competebat jus naturale compensandi damnum, à pecude datum, non expectatâ sententiâ judicis : ergo.

*R. D. m.* Competebat jus compensandi, sed sine præjudicio vel damno alterius innocentis, *C.*; cum præjudicio, *N.* De jure naturali poterat quivis ante divisionem rerum accipere vel mactare pecudes sibi nocentes, quia pecudes erant nullius, et fiebant primò occupantis. Non autem potest de jure naturali quivis accipere vel mactare pecudes alienas cum præjudicio domini innocentis; secùs enim posset quis accipere pretiosissimas res alienas, v. g., statuas, quæ fortuitò damnum dederunt.

79. *Obj.* 3° Saltem ex jure naturali debes sarcire damnum, malitiosè datum à servo; læsus enim habet jus contra servum : igitur vel debes sarcire totam æstimationem damni, vel pro noxa dedere servum.

*R. N. A.* Dominus in servo jus habet anterius reale, vi cujus servus est instar fertilis agri; sicut enim ager semper domino fructificat, ita servus semper domino lucratur. At verò læsus post damnum, à servo datum absque lucro, tantùm habet jus posterius personale contra servum, ita ut, si quondam hic evaserit liber, aut obtineat interim bona quædam propria, debeat satisfacere læso : jus autem antiquius reale fortius est quàm posterius personale, nec culpa servi præjudicat innocenti domino.

80. *Obj.* 4° *contra* 2^am^ *conclusionem.* Lex quadrupedaria fundatur in jure divino : nam Exodi 21 præcipitur 1° : *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur.* 2° *Si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius, et contestati sunt dominum ejus, nec, recluserit eum, occideritque virum aut mulierem, et bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occident.* 3° *Si quis aperuerit cisternam, et non operuerit eam, ecciderit que bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum.* 4° *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et dividentpretium.* 5° *Sin autem sciebat quòd bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus, reddet bovem pro bove.* Et hinc observat Emm. Gonzalez in *cap. fin. de injuriis*, legem quadrupedariam ab Hebræis ad Phœnices, ab his ad Athenienses, ab istis ad Romanos denique profectam : at si lex quadrupedaria fundatur in jure divino, obligat ante sententiam judicis.

*R.* Leges judiciariæ veteris Testamenti pridem expirârunt, et post mortem Christi fuerunt penitùs abrogatæ. 2° Licet pontifices in *titulo de injur. et damno dato*, quasdam ex illis innovaverint, eæ tamen non ampliùs obligant ex jure positivo divino. 3° Ex adductis legibus pontifices in cit. tit. tantùm instaurârunt tertiam et quintam, ubi manifestè supponitur aliqua culpa domini, quæ, si fuerit gravis, obligabit ante sententiam; si levis aut juridica tantùm, obligabit primùm post sententiam, *ut patebit in quæstione sequenti.*

81. *Obj.* 5° ex cap. fin. de injuriis et damno dato. *Si animalia tua nocuisse proponas, ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum, quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, quæ consueverunt nocere, fuissent, et quam debueras, non curâsti diligentiam adhibere.* Ubi Gregorius IX duo damna distinguit : unum ab animali feroci datum ex incuria vel culpa domini; alterum ab animali mansueto datum citra culpam et incuriam domini; et in utroque casu decidit esse necessariam satisfactionem, ita tamen ut in uno sufficiat si noxæ tradatur animal, non item in altero casu. Cùm autem pontifices respondeant præcipuè pro foro conscientiæ, manifestò sequitur legem quadrupedariam obligare non tantùm in foro externo post sententiam judicis, sed etiam in interno ante sententiam judicis.

*R. D.* Sequitur legem quadrupedariam obligare pro foro conscientiæ post sententiam judicis, *C.*; ante sententiam, *N.* Pontifex in allato capite non respondet alicui consulenti, sed ex motu proprio loquitur et approbat legem civilem quadrupedariam. Unde, cùm ista per se tantùm obliget post sententiam judicis, non credendum est à pontifice gravius onus imponi.

82. *Obj.* 6°. Leges noxales et de pauperie non sunt pœnales : leges autem justæ, si non sint pœnales, obligant in conscientia ante sententiam judicis.

*R. D. m.* Si legislator hanc obligationem intendat, et sufficienter declaret, item si leges cum tanto rigore sint receptæ, *C.*; secùs, *N.* Sicut in jure *L. 4 Instit. tit. 1 et 5* sunt obligationes *quædam ex delicto, quædam ex quasi-delicto;* et quasi-delicta nostra vocantur, quæ citra nostram propriam culpam à domesticis fiunt : sic possunt et solent à TT. distingui *leges propriè pœnales, et leges quasi-pœnales.* Dicuntur autem quasi-pœnales, quæ instar verè pœnalium non obligant nisi post sententiam judicis. 2° Leges quæ præcipiunt compensationem damni, per domesticos et ministros dati, dicuntur obligare ex quasi-culpa, et sunt quasi-pœnales ; quia reputatur quasi-culpa, quòd paterfamilias, rector navis, præfectus cauponæ non asciverit meliores ministros, aut non magis invigilaverit suis domesticis : sed hoc idem asseri potest de legibus noxalibus. 3° Multæ leges exstant in jure quæ primùm obligant post sententiam judicis, v. g., ad rescissionem contractûs, ad restitutionem in integrum, etiamsi non sint leges verè pœnales. Quidni similis obligatio sit possibilis in legibus noxalibus?

83. *Obj.* 7°. Sequeretur ex nostra sententia, quòd dominus ante sententiam judicis licitè possit occultare vel mactare suum animal, aut dimittere servum, ne tradere cogatur eos noxæ.

*R.* Si paratus animo sit ad compensationem damni post sententiam judicis, *C.*; secùs, *N.* Non tenetur dominus determinatè tradere servum aut animal ad noxam; alioquin sæpissimè teneretur plus pati quàm alter, qui per servum aut animal est læsus. Sed satis est si velit emendare damnum prout jura requirunt. Aliud foret, si dominus per fraudem aut injustam vim includeret animal, ut læsus scire non posset unde profectum sit damnum.

84. *Obj.* 8°. Ut scribit Zoësius ad *tit.* 1, *L.* 9. *ff.*, in plerisque locis consuetudo viget ut animal includatur aut retineatur à læso, donec damnum emendetur : hæc autem consuetudo non esset licita, si primùm post sententiam judicis deberet emendari damnum.

*R. N. m.* Ex eo quòd læsus possit includere pecudem, non sequitur quòd dominus sponte suâ debeat tradere pecudem; hoc enim posterius est longè violentius, quàm prius. Dein illa consuetudo tantùm permittitur in casu quo pecus aliena depascitur, ubi non instituitur actio de pauperie, sed de pastu.

85. *Obj.* 9° *contra* 4^um^ *conclus.* Lex humana contra naturalem statuere nil potest : ergo si lex naturalis absolvit dominum à reparatione damni per animal aut servum dati, non potest humana lex eum condemnare.

*R.* argumentum militare contra quamlibet legem positivam, quâ nobis imponitur obligatio quæ jure naturali non existit. In forma *D. C.* Si lex naturalis absolvit simpliciter et absolutè, *C.*; si tantùm conditionatè, vel ex hypothesi quòd non intercedat specialiter contractus, aut lex positiva quid aliud decernat, *N.* Lex positiva, si sit justa, non est contra, sed præter legem naturalem. Nihil enim præcipit adversùs id quod præcipit lex naturæ; sed tantùm præcipit quod lex naturæ nec prohibet, nec præcipit, sed purè permittit.

86. *Obj.* 10°. Est iniqua lex quæ punit innocentem, et spoliat bonis ob casum merè fortuitum, sine culpa propria commissum.

*R.* 1°. Princeps et magistratus humanus ob utilitatem aut necessitatem reipublicæ, possunt disponere de bonis subditorum ex dominio alto, sicut privati cives ex dominio basso : ergo, sicut isti per contractus obstringere se possunt ad præstandos casus fortuitos, sic etiam potest princeps et magistratus per leges. 2° Leges noxales propriè pœnales non sunt, sed quasi pœnales, aut medicinales, ordinatæ tantùm ad acuendam industriam, et meliorem custodiam animalium et servorum, et ne nimiùm multiplicentur damna propter multitudinem animalium aut servorum. 3° Eædem leges antecedenter ad omnem eventum sunt æqualiter omnibus optabiles, omnibus perinde favent, et omnes ponunt in eadem spe lucri, vel periculo damni. Taceo similes leges in Exodo.

87. *Obj.* 11°. Iniqua foret lex naturæ si compelleret ad præstandos casus fortuitos : ergo etiam lex positiva.

*R. D. C.* Si compelleret ad præstandos quoscumque, *C.;* aliquos tantùm, v. g., circa pecudes aut servos, in quibus expedit acuere vigilantiam dominorum, et impedire damna quæ nasci possunt ex nimia copia servorum et pecudum, *N.* Si natura nos cogeret ad præstandum unum casum fortuitum, ob paritatem rationis cogeret ad omnes. Item involveret nos nimiis scrupulis, qui tamen cessant, quando positiva lex obligat tantùm in certis casibus post sententiam judicis.

## QUÆSTIO VI.

### AN ORIATUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS EX CULPA MERE JURIDICA ?

88. Sciendum 1° culpam aliter à TT., aliter à jurisperitis accipi. Culpa theologis idem est ac offensa Dei. Jurisperitis est omissio diligentiæ, legibus requisitæ, quâ potuit caveri alterius damnum, sive dein adjungatur formalis offensa Dei, sive non. Juridicam culpam dividunt in latissimam, latiorem, latam, levem et levissimam. Latissima est dolus apertus. Latior est dolus præsumptus. Lata est omissio diligentiæ quam passim adhibent prudentes similis conditionis. Levis est omissio diligentiæ quam adhibent tantùm prudentiores. Levissima est omissio diligentiæ quam adhibent solùm prudentissimi : v. g., si librum commodatum relinquas ante fores cubiculi, dicitur culpa lata : si clauso cubiculo removeas clavem, sed seram aut pessulum non obducas, dicitur culpa levis : levissima, si clauso cubiculo removeas clavem, sed non tentes an obducta sit sera; quod tamen Molina limitat ad casum quo sæpiùs aut aliquoties expertus es clavem in-

fidelem. Porrò culpa juridica propter inadvertentiam, oblivionem, aut alias causas sæpè committitur absque theologica

89. Sciendum 2° contingere non rarò ut culpa quæ materialiter et absolutè spectata videtur levis, formaliter et respectivè considerata, sit gravis aut lata; vel ut culpa quæ levis est in una materia, sit gravis in alia. Major quippe diligentia requiritur in poliendo pyropo quàm marmore; major in curando morbo valdè periculoso quàm minùs periculoso; major, cùm agitur de bono publico quàm cùm de bono privato; cùm agitur de vita vel membris hominum quàm cùm de fortunis.

90. Sciendum 3° diligentiam magnam, majorem et maximam nequaquam in indivisibili consistere, sed habere suos gradus, sicut pretium infimum, medium et summum. Unde potest quis dici maximam diligentiam adhibuisse, quamvis non attigerit supremum apicem omnis possibilis diligentiæ.

91. Sciendum 4° celeberrimam in jure contineri legem, aut potiùs plebiscitum Aquilium, ita dictum ab Aquilio tribuno plebis, quo rogante plebs Romana tulit legem. Ejus olim tria fuerunt capita; sed secundum hodie nec exstat, nec est in usu. Primo capite, qui mancipium alienum, aut pecudem, gregatim pasci solitam, occidit injuriâ, tenetur sarcire damnum, et in tantum condemnatur quanti mancipium aut pecus eo anno, retrorsùm computato, plurimi valuit. Tertio capite jubetur præstari quodlibet aliud damnum injuriâ datum, absque furto vel usurpatione rei. Videatur *tit.* 3, *L.* 4 *Inst.*, *tit.* 2, *L.* 9, *ff. tit.* 35, *L.* 3, *C.*

92. Sciendum 5° injuriam à jurisperitis dici quod non jure, vel contra jus alterius factum est per culpam juridicam, etiam levem et levissimam. Excipiunt tamen communiter auctores contractus, vel etiam quasi-contractus, ubi partes conveniunt de culpa solùm lata, vel etiam levi præstanda.

93. Quæstio nunc est an et quomodo lex ista valeat in conscientia? tres autem sunt sententiæ. Prima vult, etiam ante sententiam judicis, sarciendum esse damnum ex culpa merè juridica datum. Ita Panorm. in cap, fin. de injur. Adrian. in 4 de restit. § *utrùm in foro conscientiæ;* Covarruv. p. 2, de matrim. c. 6, § 8, n° 16; Angelus v. *culpa*, n° 6; Rosel. Ludov. Engle. in *cap. fin. de injur.* Secunda negat esse sarciendum ante sententiam judicis. Ita Innocent. in cap. *Sicut dignus*, de homic. Silvester, v. *culpa*, q. 4, v. *restitutio*, 2, n. 12; Henriq. de Irreg. c. 15; Saa, v. *culpa;* Toletus l. 5, c. 18; Molina tr. 2, D. 698, n. 6; Vasq. c. 2, § 2, dub 2; Less. l. c. 7, n. 27; Azor, p. 3, l. 4, c. 7; Dicast. D. 3. de restit. n. 58; Reginald. l. 10 de Restit. n. 69; C. de Lugo D. 8, n. 49; Mastrius in Theol. mor. D. 7, n. 18; Rebell. Navarra, Laym., Turrian., Ant. Perez, Amicus, Esparz, Joan. Pont., Bassæus, Tambur., Pirrhing, Haunoldus, Herincz, Mezger, Illsung, Reiffenstuhl, Sporer, Sannig. Tertia contendit, neque post sententiam esse sarciendum damnum ex culpa juridica datum, nisi accesserit culpa theologica. Ita Rebellus, Amicus, Reginald., Haunold., Ferd. Krimer, quibus in MS. accedunt aut favent Romani theologiæ magistri, Nicolaüs Martinez, Angelus Alemanni, Joann. Gormaz.

94. *Dico* 1°: Secluso contractu, nemo de jure naturali tenetur sarcire damnum ex culpa merè juridica datum. *Ratio* 1ª. Naturalis obligatio quam vix ullus doctorum agnoscit, aut certè paucissimi, probabilissimè non datur: talis est obligatio de qua loquimur; nam auctores qui docent reparandum esse damnum ex culpa merè juridica datum, unicè fundantur in legibus positivis. *M. est certa.* Naturales enim leges, esto non omnibus, plerumque tamen multis sapientibus sunt notæ. 2ª Naturalis hæc obligatio vel oriretur ex re accepta, vel ex injusta acceptione aut læsione: non ex re accepta, quippe ponitur, damnum esse datum sine lucro damnificantis: non ex injusta acceptione vel læsione; nam ubi culpa vera coram Deo non est, injustitia vera non est. 3ª Qui prodigè vel luxuriosè dissipat rem alterius, bona fide putans esse suam, nullo jure tenetur ad restitutionem, ut passim admittunt auctores: ergo multò minùs ex jure naturali tenetur qui rem alterius destruit, aut violat illius jus sine omni culpa theologica. 4ª Si datur obligatio naturalis præstandi culpam juridicam levem aut levissimam, proùt communiter culpam istam intelligunt, quilibet de jure naturali tenetur, ad impediendum proximi damnum, esse plus quàm ordinariè diligens; nec sufficiet impendere diligentiam qualem communiter prudentes ejusdem conditionis, officii vel artis adhibent: at hoc est falsum; quia nemo per se tenetur esse diligentior in avertendis alienis damnis quàm propriis. Nemo debet esse circumspectus in superlativo semper gradu, nemo debet esse plus quàm diligens; aliàs obrueremur infinitis scrupulis. 5ª Quòd si verò per culpam levem aut levissimam, ut mihi quidem videtur, in jure debet intelligi culpa quæ materialiter quidem est levis et levissima, formaliter tamen et respectivè gravis est aut lata, secundùm ea quæ diximus n. 89, contra adhuc est. Non possum lædere jus alterius per culpam merè juridicam et respectivè latam, nisi naturalis quædam inadvertentia, vel oblivio, vel invincibilis ignorantia periculi, vel alia causa similis amoveat culpam theologicam: at læsio sic contingens, in tribunali divino pertinet ad casus fortuitos, quos de jure naturali nemo tenetur præstare, nisi fortè specialis sit contractus. 6ª Denique nobiles juristæ cum Covarruvia tradunt, culpam merè juridicam, levissimam aut levem non esse præstandam, si consistat tantùm in omissione, non autem in commissione, quod etiam aliqui colligunt ex *L. si mora* 9, *ff. solut. matrim.*; sed hoc discrimen oriri non potest ex solo jure naturali.

95. *Dico* 2°: Etiam de jure positivo nemo tenetur præstare culpam merè juridicam ante sententiam judicis, nisi fors intervenerit contractûs. Assertio probatur iisdem ferè rationibus, quibus superior circa leges noxales. 1° Lex Aquilia vel non præcipit ut præstemus culpam merè juridicam ante sententiam judicis; vel, si præcipit, non est manifestata sufficienter,

aut non est communiter usu recepta. Nam theologi, qui potissimùm expendunt obligationes in conscientia, communissimè negant hanc obligationem, et hodie paucissimi legem observant cum tanto rigore. 2° Num lex aliqua sit usu recepta, est pura quæstio facti, quæ deciditur ex testimoniis et auctoritate doctorum. Unde, si fidem merentur jurisconsulti, dum apud Haunoldum cum Rebuffo, Mornacio, Zypæo, Corvino, Schneidevinio testantur legem Aquiliam in quibusdam provinciis hodie non ampliùs receptam, quoad æstimationem quanti plurimi, fidem quoque meritò postulabunt plerique TT., dum asserunt legem Aquiliam non esse receptam usu quoad præstationem culpæ tantùm juridicæ. 3° De jure naturali clarum est non dari obligationem præstandi culpam merè juridicam ante sententiam judicis; de jure positivo et humano summum est dubium : quando verò colliduntur duo jura, clarum prævalet obscuro et dubio (1). 4° Legislatores per legem Aquiliam clarè non exprimunt an obligare velint etiam ante sententiam judicis, ob culpam merè juridicam : ergo censendi sunt non obligare. *Semper enim facienda interpretatio contra eum qui legem dicere potuit apertiùs. Cap.* 57, *de R. J. in* 6. *In obscuris, quod minimum est sequimur; in dubiis pars benignior præferenda. L.* 9, *l.* 56, *l.* 192, *ff. de R. J.* (1). 5° Possessor bonus, oborto dubio num res sit alterius, non dejicitur à possessione si dubium vinci non possit, nec obsistat jus aliquod speciale et manifestum : ergo nec dominus spoliari debet dominio suorum bonorum in dubio num præstare debeat culpam merè juridicam. 6° Cùm difficillimum sit in particularibus casibus semper discernere quando culpa sit sufficiens ad obligationem legis Aquiliæ, nimisque violentum sit ut quis ultro se condemnet ad reparationem damni quod innocens et citra culpam theologicam dedit, orirentur innumeræ lites et scrupuli, si lex Aquilia propter culpam merè juridicam obligaret ante sententiam judicis. Denique finis istius legis longè melius, suavius et certius, vel saltem sufficienter obtinetur, si primùm obligat latâ sententiâ.

96. *Dico* 3° : Probabiliùs judex ex vigore legis Aquiliæ condemnare non potest ob culpam respectivè levem aut levissimam. *Ratio* 1ª. Nam, ut accuratè ponderat C. de Lugo D. 8, n. 54, lex Aquilia ferè perpetuò loquitur de culpa lata, quæ regulariter involvit culpam theologicam; et exempla quæ juristæ communiter afferunt ad explicandam legem Aquiliam, pleraque continent culpam latam; nec ullus est textus qui cogat ad aliquam exceptionem. 2ª *Esto* lex 44, *ff. ad L. Aquil.* expressè meminerit culpæ levissimæ, dubium tamen est quomodo vox ista sumatur, et longè melius conciliatur jus positivum cum naturali, si cum Covarr. ubi suprà, n. 18, dicatur intelligi culpa, quæ juxta n. 89 materialiter quidem est levis et levissima, formaliter tamen et respectivè gravis est aut lata, propter materiam in qua requiritur à quovis prudente summa diligentia, v. g., si cum lucerna noctu vageris in fœnili, turri pulveraria; etc. 3° In jure varia suppetunt exempla quæ satis apertè monstrant, per culpam levem aut levissimam nihil aliud indicari quàm culpam respectivè latam, quam vitaret omnis prudens et diligens ejusdem conditionis et officii. Ita *L. si merces*, 25, § *qui columnam ff. locati et* § 5 *Inst. eodem*, locans operam in re admodùm fragili, vel gravissimis periculis objecta, v. g., in transferenda columna, jubetur esse sicut diligentissimus paterfamiliâs, adeòque culpam levissimam præstare. Similiter, etiamsi mandatarius, *L.* 8, § *ult. et L.* 10, *ff. mandati*, tantùm jubeatur præstare culpam latam, tamen *L.* 23, *ff. de R. J.* et alibi, videtur compelli ad præstandam culpam levem. *At L.* 13 *et L.* 21 *C. mandati*, satis apertè jubetur præstare culpam levissimam : hujus verò diversitatis alia non est ratio, juxta Bachov. Brunnem. et alios, quos sequitur Bernardus Gletle, 3 p. select. c. 15, quàm quòd aliqua negotia communem, alia majorem, alia maximam diligentiam desiderent. Unde culpa quæ levis et levissima in uno negotio, gravis et lata censetur in alio, ubi quilibet prudentûm exactissimam cautelam impenderet. 4° Nimis rigida, vel etiam intolerabilis esset lex humana, si contenta non foret ordinariâ diligentiâ, quâ prudentes communiter satisfacere se putant in cavendis aliorum damnis, sed requireret diligentiam majorem et maximam, aut si juberet universaliter refici damnum etiam gravissimum, quod oritur ex neglectu diligentiæ majoris et maximæ, quam nec Deus à nobis exigit, et quam prudentes passim absque scrupulo solent omittere. Et quidni posset sic statui lex, quæ disjunctivè nos obligaret vel ad supremum apicem omnis possibilis cautelæ, vel ad sarcienda quælibet damna, quæ per neglectum ejusmodi cautelæ possunt exurgere, quod tamen esset nimis inhumanum? 5° In officiis, ubi tamen ob mercedem et stipendium videtur major diligentia requiri, nullus hodiè syndicatur, aut condemnatur ob culpam respectivè levissimam, aut levem, ut infrà videbimus. Et severitas major legum absterreret meritò prudentes ac timoratos ab officiis : ergo nec extra officium condemnandus quis est ob ejusmodi culpam.

97. *Dico.* 4° Probabiliùs tamen, post sententiam judicis, in foro conscientiæ præstari debet culpa juridica respectivè lata, quamvis nulla intercesserit culpa theologica. *Ratio* 1ª Quia sic longè frequentiùs asserunt auctores et interpretes Aquiliæ legis. 2° Finis Aquiliæ legis ex communi DD. sensu, videtur ut homines fiant diligentiores in cavendis aliorum damnis, sicut finis legum noxalium et illarum quæ obligant ex quasi delicto, est, ut homines fiant diligentiores in custodia servorum, animalium et domesticorum. Unde, sicut istæ compensationem damni postulant, quando nulla prorsus intercessit culpa theologica, sic etiam illæ. 3° Non rarò fit ut culpa respectivè lata, propter oblivionem, inconsiderantiam aut alias similes causas, excusetur à theologica : sed in hoc casu judices non videntur attendere ad culpam theologicam, sed injungunt reparationem damni, sive dein

(1) *V.* notam subjectam, n. 73.

concurrerit, sive non concurrerit culpa theologica. 4° Quando propter incuriam alicujus oritur incendium vicinæ domûs, ordinariè condemnatur incurius ad aliquam compensationem : non est autem probabile quòd judices semper tunc præsumant culpam theologicam; aliàs præsumere deberent mortalem. 5° Si vera est contraria sententia, posset condemnatus ob culpam merè juridicam et respectivè latam, quando nôsset se coram Deo penitùs innocentem, occultam instituere compensationem : hoc admitti non potest, quia nimia daretur ansa compensationibus occultis, rueret præcipuus finis legis Aquiliæ, lites texerentur ex litibus. Quòd si dicas, occultam compensationem ex alio capite non fore licitam, quia scilicet nemo propter jus incertum uti potest beneficio compensationis occultæ, jam hoc ipso fateris adversam sententiam nihil aut parùm ad praxim conducere. Porro, quæ dicta sunt hactenus de culpa respectivè lata, à fortiori locum habent, quando saltem accessit culpa theologicè venialis. Id tamen addo, satis æquum videri ut judex non imperet compensationem totius damni, quando potest ex circumstantiis personæ, etc., verisimiliter colligi quòd nulla vel minutissima tantùm et moraliter inevitabilis culpa theologica accesserit, quòd damnum potiùs ex naturali quadam ignorantia vel oblivione fuerit profectum.

98. *Dico.* 5° Quando nulla prorsus intercessit culpa theologica, non videtur damnificans obligari posse ad excessum quanti plurimi. *Ratio.* Quia quoad istum excessum lex Aquilia est purè pœnalis, ut expressè dicitur § 9 Inst. de lege Aquilia. Et judices non solent infligere tam gravem pœnam, nisi quando nôrunt aut præsumunt damnum scienter et voluntariè datum : ergo supponunt culpam theologicam.

## OBJECTIONES.

99. *Objicitur* 1° *contra primam conclusionem* auctoritas Gregorii IX, cap. fin. *de injur. et damno : Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentiâ evenerunt : jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere vel iacturam.* Quo textu putant aliqui nihil apertius contra nos posse statui. Nam culpa theologica distinguitur a merè juridica, quòd illa scienter et cum advertentia contingat, ista verò præcisè per ignorantiam et oblivionem.

*R.* Pontifex utique locutus esset apertiùs, si dixisset obligari nos etiam in casu, quando coram Deo non sumus rei. Cùm autem hoc non expresserit, sequimur regulas juris n. 95 citatas. 2° Pontifex manifestò loquitur de culpa per ignorantiam vincibilem commissa. Dicit enim : *Si scire debuisti;* sed hæc culpa non est merè juridica. 3° Pontifex infrà subjungit, eum non esse damni reum, *qui nihil de contingentibus omisit :* at, qui facit omnia quæ necessaria sunt in foro conscientiæ, coram Deo nihil de contingentibus omittit. 4° *Esto* pontifex loquatur de culpa merè juridica, tamen non exprimit an ea præstanda sit etiam ante sententiam judicis. 5° Imò, licet hoc absolutè statueret, tamen ejus constitutio non esset ampliùs sub tanto rigore recepta.

100. *Obj.* 2°. Stephan. V, cap 20 *consuluisti*, 21, q. 5, mandat parentibus ut tenellos infantes secum in uno lecto non collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur : ergo quælibet negligentia etiam juridica sufficit ad reatum homicidii, multò magis ad obligationem restitutionis.

*R. D. C.* Quælibet negligentia, proveniens ex culpa lata, vel mortali, *C.;* quælibet simpliciter, *N.* Parentes peccare mortaliter, si cum periculo suffocationis, extra casum necessitatis, collocent infantes secum in eodem lecto, communis est et certa sententia. Imò casus hic in multis Germaniæ diœcesibus, ut Salisburgensi, Basileensi, Curiensi, etc., est reservatus.

101. *Obj.* 3°. Gratis dicitur legem Aquiliam non esse receptam usu quoad damnum præstandum ante sententiam judicis, si nulla intervenit culpa theologica. Nam hoc asserunt tantùm aliqui TT. supponentes suam sententiam, et ex praxi constat plurimos inquietari scrupulis, si damnum dederunt ex incuria, vel culpa merè juridica.

*R.* Si lex ita foret usu recepta in foro conscientiæ, mirum esset id non ab aliquibus tantùm, sed à plerisque TT. qui post Sotum et Molinam scripserunt, hactenus ignoratum. Quòd autem ex rudibus nonnulli scrupulis angantur ob damnum, culpâ merè juridicâ datum, profectò non est mirum, cùm etiam aliqui timoribus vexentur ob damnum casu fortuito datum.

102. *Obj.* 4°. Qui, v. g., sclopeto trajicit anseres rusticorum ob recreationem, ac seriò proponit resarcire damnum, utique tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis : sed hæc obligatio provenit ex culpa merè juridicâ : ergo. *M. prob.* Si committeretur culpa theologica contra justitiam, committeretur culpa gravis, quoties anseres essent magni valoris : sed hoc nemo dixerit, nam rustici non solent esse graviter inviti si resarciatur omne damnum, præcipuè si jaculator sit princeps, qui communiter duplo plus restituit.

*R. N. m.* Obligatio non provenit ex culpa, sed ex tacito vel interpretativo contractu : nisi enim jaculator tacitè vel interpretativè promitteret reparationem damni, non posset præsumi licentia rustici, vel rusticus non concederet tacitè vel interpretativè licentiam jaculandi. 2° Etiam in hoc casu peccari potest contra justitiam, quia, nisi vel expressa, vel tacita, vel saltem interpretativa et rationabiliter præsumpta licentia domini excuset, fas non est alienam rem destruere cum proposito restitutionis; aliàs possem, invito te, vendere tuum equum et reddere pretium æquivalens. 3° Jaculator in hoc casu sæpissimè peccat prodigalitate, vel contra charitatem; quia rustico, cui nihil constat de mente jaculatoris, præbetur scandalum et occasio non levis iracundiæ, blasphemiæ, etc.

103. *Obj.* 5°. Si gentilis sciens et volens inferat invito grave damnum, utique tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis : at non tenetur ex culpa theologica ; nam pono quòd Deum invincibiliter ignoret : ergo tenetur tantùm ex juridica.

*R. N. m.* Contraria doctrina supponit peccatum philosophicum, quod non ita pridem Vaticanis ignibus est absumptum. 2° Ut S. Hieronym. ad Algasiam : *Nullus hominum est, qui legem hanc universalem nesciat : quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris* ; at cognoscens legem universalem cognoscit et legislatorem universalem, sive Deum. 3° Nullus agit formaliter inhonestè, nisi præsciat malum inhonestum à nullo, nuspiam, nunquàm propter nullum bonum aut malum esse faciendum : sed hoc ipso cognoscit legislatorem supremum, qui semper, ubivis et omnès obliget.

104. *Obj.* 6° *contra tertiam concl.* Leges noxales præcipiunt reparationem damni, sine ulla culpa, etiam juridica, dati : quidni etiam lex Aquilia præcipere possit reparationem damni dati per culpam juridicam respectivè levem et levissimam?

*R.* Aliud est quòd lex Aquilia præcipere posset, et aliud quòd actu præcipiat reparationem damni dati per ejusmodi culpam. Prius fortasse potest concedi, posterius negamus ; quia rigor iste non sufficienter ex illa lege colligitur. 2° Si lex Aquilia juberet præstari quamlibet culpam respectivè levem aut levissimam, esset incomparabiliter magis rigida quàm leges noxales : nam leges noxales non præcipiunt semper compensari totum damnum, sed contentæ sunt si servus aut animal tradantur noxæ. Lex autem Aquilia juberet compensari totum damnum propter culpas quæ frequentissimè contingunt, et moraliter sunt inevitabiles, et à prudentibus communiter non vitantur. 3° Circa leges noxales est specialis ratio, quæ non servit circa legem Aquiliam : sicut enim respublica propter bonum commune potest omninò tollere servos, et imminuere copiam animalium apud dominos, ne nimiùm multiplicentur damna, sic potest concedere copiam servorum et animalium cum hoc onere, ut damna ab iis data sarciantur : hæc ratio non habet locum in Aquilia lege.

105. *Obj.* 7°. Per legem Aquiliam nemo tenetur ex casu merè fortuito, quod patet ex § *ac ne is*, *Inst. h. t.*; sed, cùm infers alteri damnum absque culpa theologica, casus est merè fortuitus : ergo. *Prob. m.* Cùm infers damnum et violas alterius jus, semper es reus culpæ theologicæ, nisi fortè per ignorantiam invincibilem, inadvertentiam, oblivionem excuseris : sed, quando sic excusaris, est casus merè fortuitus.

*R. D. m.* Est merè fortuitus in consideratione theologica, *C.*; juridica, *N.* Theologicè casus est tibi fortuitus, qui præter intentionem ac voluntatem tuam accidit, ita ut nihil omiseris eorum quæ debebas in foro conscientiæ. Juridicè fortuitus casus est eventus inopinatæ rei, qui nullâ providentiâ vel hominum curâ caveri potuit ac debuit, v. g., 4° si candelam sine necessitate ponas in loco admodùm periculoso, simulque firmissimè proponas eam statim amovere, sed dein obliviscaris, aut obruaris somno ; 2° si præceps et inconsideratus sis in agendo, vel ex habitu quodam effundas aut dejicias aliquid è fenestra, fores relinquas apertas, etc., unde sequatur nocumentum ; *esto* theologicè non pecces actu ; 3° si dans operam rei ex qua potest incendium nasci, non adhibeas diligentiam legibus requisitam, et quam prudentes communiter adhibent ; *esto* fiat hoc ex inconsiderantia, quæ coram Deo non est culpabilis. Taceo casum quo committeres culpam respectivè latam, cum proposito emendandi damnum, si quod fortè sequatur.

106. *Obj.* 8°. Lex Aquilia supponit damnum injuriâ datum, ut patet *ex* § 1 *Instit. h. t.*, sed injuria dicit culpam theologicam : ergo.

*R. D. M.* Supponit damnum injuriâ juridicâ datum, *C.*; theologicâ, *N.* Ut habetur § 3 *Inst. et L.* 5, *ff. h. t.*, injuria juridicè dicitur, quidquid fit sine jure, vel contrà jus, per aliquam culpam : at de jure sufficiens culpa putatur, si non impendis diligentiam à legibus requisitam, et talem quam prudentes communiter adhibent, et quam potuisses etiam impendere, si paulò circumspectior et accuratior esses in tuis negotiis et actionibus.

107. *Obj.* 9°. Lex Aquilia, *L.* 5 *sed et si*, § *et ideò ff. ad leg. Aquil.*, docet expressè, furiosos, infantes et alios qui doli vel rationis non sunt capaces, actione legis Aquiliæ non teneri : sed hujus alia ratio non est, nisi quia nulla culpa theologica potest in iis supponi.

*R. N. m.* Qui carent usu rationis, non solùm capaces non sunt culpæ theologicæ, sed nec juridicam propriè committere possunt, neque subjacent legibus, aut per legem Aquiliam acui possunt ad majorem vel maximam diligentiam.

## Quæstio VII.

### QUALIS OBLIGATIO NASCATUR EX CULPA THEOLOGICE SOLUM VENIALI?

108. Quæstio non est de culpa injusta, quæ venialis est tantùm ex parvitate materiæ, v. g., si duntaxat obolum clepas ; tunc enim oriri tantùm obligationem levem, est luce clarius. Difficultas est de culpa qua simul aut successivè graviter damnificas, ita tamen ut excuseris à mortali ; quod multifariam accidit : 1° propter defectum plenæ deliberationis ; 2° per omissionem diligentiæ tantùm venialiter culpabilem in cavendo proximi damno ; 3° per errorem, quo quis invincibiliter nescit pretium rei, ut si gemmam projicias in aquas, bona fide putans esse vitrum modici valoris ; 4° per errorem, quo tantùm invincibiliter ignoras gravitatem formalem, non verò materialem damni, v. g., si sciens et volens alteri surripias aureum, sed invincibiliter existimes acceptionem non ascendere ad lethale peccatum, vel dominum non esse graviter invitum ; 5° si furta minutula sæpiùs repetas, ita tamen ut nunquàm attendas ea coalèscere simul in materiam peccati lethalis. Nos hìc agimus tantùm de primo et secundo casu, de cæteris acturi postea.

109. *Dico* 1°. Ex culpa tantùm indeliberata non

oritur gravis obligatio sarciendi totum damnum, vel partem notabilem damni. Ita Sotus l. 4, q. 7, a. 2; Henriq. l. 14, de irreg. c. 15; Saa, v. *culpa* et v. *restitutio;* Lessius l. 2, c. 7, n. 27; Navarra l. 2, c. 1, n. 48; C. de Lugo D. 8, n. 56; Toletus l. 5, c. 18; Azor p. 3, l. 4, c. 8; Th. Sanch. l. 2, Dec. c. 23, n. 160; Filliuc. Amic. Ant. Perez, Esparza, Tambur. Haunold. Illsung, Mastr. Joan. Pont. Herincx, Sannig, Mezger, Sangallens, Petschacher, Sporer, et alii contra Vasq. et Turrian. qui putant totum damnum, et contra Molin. Dicastill. Bonac. Rebell. Laymann, qui censent partem notabilem damni sub obligatione gravi resarciendam esse. *Ratio* 1°. Ubi culpa tantùm est indeliberata, læsio non est plenè libera vel voluntaria; sed, ubi læsio non est plenè libera et voluntaria, non oritur gravis obligatio restituendi : ergo. *M. prob.* Læsio quæ non est plenè libera vel voluntaria, videtur in humanis et moralibus quasi casus fortuitus : sed ex isto non oritur gravis obligatio restituendi, quod superiùs ostensum. 2°. Vota, juramenta, promissiones et alii contractus, juxta communem, non inducunt gravem obligationem, quando non fiunt animo plenè deliberato : ergo nec culpa quæ per indeliberationem est levis. *C. videtur bona.* Nam obligatio gravis quam, nobis invitis, aut saltem directè non volentibus, injicit necessaria lex naturæ propter culpam, non debet faciliùs induci quàm obligatio gravis quam nobis ipsis injicimus voluntate propriâ et directâ per contractum; possumus enim ex arbitrio voluntatis ad plurima nos obligare graviter, ad quæ natura non potest nos obligare graviter; et vicissim natura non potest ad aliquid nos obligare graviter, ad quod non possimus etiam nos obligare graviter ex arbitrio voluntatis. 3°. Ideò votum, ex subreptione profectum, non valet, vel non inducit gravem obligationem, quia videtur iniquum ut, qui suî non est plenè compos, et non habet libertatem sufficientem ad merendum supplicium aut præmium æternum, inducat sibi gravem obligationem, et obliget se sub pœnâ damnationis æternæ : sed hæc ratio pariformiter in casu nostro procedit. 4°. Videtur esse communis hominum conceptio, non esse consonum æquitati ut quis, per se loquendo, vel præcisis aliis finibus, expolietur suis bonis, propter actum non plenè deliberatum; ac idcirco fuerunt latæ leges in subsidium pupillorum, quia præsumimus eos se obligare aliis potiùs ex judicii imbecillitate quàm ex ratione : sed, qui non plenè deliberat deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, non est suî compos, magisque agit ex imbecillitate judicii quàm ratione. 5°. In materia restitutionis spectandum est summoperè quid expediat, vel humano generi sit optabilius antecedenter ad omnes eventus : sed optabilius non est ut ex culpa tantùm indeliberata nascatur gravis et naturalis obligatio restituendi; nam onus restitutionis per se difficillimum est, et nemo se facilè spoliat rebus suis nisi coactus; et ex altera parte peccatum indeliberatum est culpa valdè modica, quæ moraliter evitari vix potest; neque videtur satis æquum ut, qui propè inscius et involuntariè dedit damnum, sciens dein et volens subeat grave damnum ob necessitatem restitutionis. Imò sæpissimè contingeret ut, quando damnum ex subreptione datum, est maximum, cogeretur quis omnibus ferè suis bonis spoliari, quia bona vix sufficerent ad resarciendum damnum; quod planè difficillimum foret, et plurimos absterreret à tractandis aliorum rebus, et suscipiendis officiis in quibus periculum est committendi culpas indeliberatas, ex quibus oriantur non rarò valdè gravia damna. 6°. Obligatio restitutionis, quæ nascitur ex injusta acceptione, quamvis propriè pœna non sit, est tamen instar pœnæ, quam naturæ lex imponit, ut homines absterreantur à libidine damnificandi : sed obligatio sarciendi grave damnum est pœna vel quasi pœna valdè gravis et molesta, quæ per se, vel seclusis aliis finibus, est improportianata delicto levi, per indeliberationem commisso; nec etiam absterreri sufficienter possumus ab actu semideliberato per eam pœnam; quia per actum semideliberatum, nec ad delictum, nec ad pœnam sufficienter attendimus, et satîs esse debet quòd in certis casibus, humana lege definitis, per sententiam judicis condemnari possimus ad reparationem damni indeliberatè dati. 7°. Quando per culpam semideliberatam infers damnum unius floreni, quæro, vel oritur obligatio gravis restituendi totum florenum, vel præcisè partem notabilem, id est, medium florenum. Non prius; sic enim cogereris præstare totum damnum, quod tamen est semifortuitum. Non posterius; cur enim propter culpam semideliberatam imponi debet gravis obligatio restituendi medium florenum, cùm tamen per aliam culpam semideliberatam, quâ præcisè damnum medii floreni dedisses, nulla prorsùs gravis obligatio fuisset inducta? Item si posterior culpa propter indeliberationem est simpliciter improportionata ad gravem obligationem, cur prior est proportionata?

110. *Dico* 2°. Quando culpa tantùm est indeliberata, ne levis quidem oritur obligatio resarciendi grave damnum. Ita Lessius, suprà, n. 28; C. de Lugo, n. 58; Mastrius, Tambur. Herincx, Haunold. Illsung et alii. *Ratio.* Obligatio naturalis ad materiam gravem nunquam est levis : hæc obligatio foret naturalis, et respiceret materiam gravem : ergo. *M.* est principium, à nobis alibi statutum, et brevissimè *probatur.* 1° Natura, dum obligat semper obligat necessariò, vel obligat tantùm quantùm materia simpliciter est capax : sed materia gravis simpliciter est capax obligationis gravis. 2° In opposita sententia, non foret sufficiens regula naturalis statuendi quænam obligatio sit gravis aut levis, et ex materiæ parvitate vel gravitate non posset desumi quantitas obligationis. 3° Ut indicat Lessius, valdè mirum esset dari naturalem quidem sed levem duntaxat obligationem solvendi centum millia florenorum. Adde, si ex delicto levi et indeliberato nasceretur obligatio levis reparandi totum et gravissimum damnum, hoc perinde foret ac si ex delicto homicidii tantùm levi, quod à gravitate peccati per inadvertentiam excusatur, oriretur obligatio levis sustinendi gravissimas pœnas homicidii : sed hoc in

terminis est absurdum; nam, licèt respectu præmii sit possibile meritum purè congruum, tamen respectu pœnæ tantùm est possibile meritum condignum; quia puniens ultra condignum non esset liberalis, sed sævus et injustus.

111. *Dico.* 3°. Ex negligentia tantùm venialiter culpabili, nec gravis nec levis oritur obligatio restituendi grave damnum. Ita cum aliis C. de Lugo, n. 57. *Posterior pars* quoad obligationem levem *patet ex dictis. Prior* quoad gravem *prob.* 1° Hæc obligatio, antecedenter ad omnem eventum, non esset optabilis humano generi propter difficultatem summam evitandi quamlibet negligentiam venialiter culpabilem circa proximorum damna. 2° Nihil frequentius quàm ut officiales etiam timorati, medici, judices, œconomi famuli committant in materia justitiæ negligentiam venialiter culpabilem, ex qua tamen sæpè oriuntur mediocria damna: dicere verò quòd semper contrahant gravem obligationem restitutionis, est oppidò durum, et hæc obligatio meritò prudentes averteret à susceptione ejusmodi officiorum. 3° In rebus magni momenti non solet contingere levis tantùm negligentia, nisi per inconsiderantiam, inadvertentiam aut indeliberationem: hæc culpa non inducit onus grave restitutionis, ut nuperrimè dictum. Putat tamen C. de Lugo, subindè saltem esse deliberatam hanc levem negligentiam, ut si tenearis adhibere diligentiam ut viginti, sed deliberatè tantùm adhibeas diligentiam ut novemdecim, quia putas modicissimum esse periculum gravis damni.

## OBJECTIONES.

112. *Obj.* 1°. Greg. IX, *cap. ult. de Injuriis*, docet, eum non excusari cujus imperitiâ vel negligentiâ damnum est datum, sed eum duntaxat qui de contingentibus nihil omisit, vel adhibuit eam diligentiam et cautelam quæ communiter à prudentibus adhiberi solet: at qui per culpam theologicam injustitiæ causat alteri grave damnum, esto, propter inadvertentiam, excusetur à mortali, non adhibet eam diligentiam et cautelam quæ communiter à prudentibus adhiberi solet: ergo.

*R.* cum Lessio, Pontificem intelligendum de culpa lata et perfectè libera, quæ moraliter ab hominibus evitari potest. Et famulus, œconomus, judex et officialis dicitur nihil de contingentibus omittere, quamvis subinde per culpam indeliberatam præbeat occasionem gravibus damnis.

113. *Obj.* 2°. Qui lædit alterum sciens et volens, tenetur ad restitutionem: sed qui lædit cum culpâ veniali contra justitiam, lædit sciens et volens: ergo.

*R.* Si sciens et volens, scientiâ perfectâ et voluntate plenâ, *O.*; scientiâ tantùm imperfectâ et semiplenâ voluntate, *N.* Si sufficeret sola voluntarietas, ac necessaria non esset libertas et advertentia ad iniquitatem damni, furiosus esset obnoxius restitutioni, quoties voluntariè damnum inferret.

114. *Obj.* 3°. Videtur æquius ut sustineat damnum, qui saltem aliquo modo culpabilis et nocens est, quàm qui nullo modo, præsertim si nocens sit dives, et innocens pauper: at qui lædit ex culpa veniali, quantumvis imperfectâ vel indeliberatâ, saltem aliquo modo nocens et culpabilis est; qui verò læditur, nullo modo culpabilis aut nocens est.

*R.* 1° indirectè. Etiam videtur æquius ut sustineat damnum qui est quàm qui non est causa damni: sed qui lædit per casum purè fortuitum, est causa damni; qui verò læditur, non est causa damni.

*R.* 2°. Videtur æquius, attento tantùm uno vel altero casu sigillatim, *O.*; attentis omnibus possibilibus indivisim, *N.* In moralibus non oportet semper dispicere quid hìc et nunc, sed quid universim expediat; non expedit autem ut ob culpas moraliter inevitabiles, universim imponatur à natura difficillimum onus restitutionis, et facilius est pati damnum quasi-fortuitum quàm illud reparare scienter et voluntariè. Neque per absentiam hujus obligationis infertur singulare præjudicium læsis, sed, antecedenter ad omnes eventus, est omnium hominum par conditio, spes aut periculum; nam, sicut ego tibi non teneor sarcire damnum grave, per inadvertentiam hodie datum, sic etiam tu mihi non tenebere cras sarcire damnum simile, simili modo datum.

115. *Obj.* 4°. Obligatio gravis restituendi non est improportionata delicto levi, semideliberatè tantùm admisso; nam si Deus ob ejusmodi delictum potest et solet irrogare pœnas gravissimas purgatorii, non est cur natura propter idem delictum injungere non possit onus grave restitutionis.

*R.* 1°. Si paritas est bona, posset pro quovis damno, quantumvis minutissimo et per culpam levissimam illato, nobis imponi durissimum onus restituendi maximam summam, et obligatio sustinendi gravissimas pœnas hujus vitæ. 2° Promissio semideliberata, si sit peccaminosa, sufficit ad pœnas purgatorii, non tamen inducere potest obligationes civiles, quas parit aliàs promissio deliberatè concepta. 3° Alius est ordo reipublicæ divinæ vel æternæ, et alius est ordo reipublicæ humanæ vel temporalis: in priori præcipuè consideratur quid serviat ac deceat, ut quis ingredi possit beatitudinem æternam, et quomodo satisfieri debeat ob offensam infinitæ majestatis; in posteriori perpenditur quid expediat ad felicitatem temporalem et commercium humanum, et quomodo satisfieri debeat ob injuriam factam homini. Si respublica temporalis pro delictis levibus imponeret pœnas quales exigit Deus in purgatorio, pridem fuissemus omnes vicomburio sublati.

116. *Obj.* 5°. Per leve delictum sæpiùs incurritur excommunicatio minor, quæ gravior est pœna quàm jactura temporalium: ergo per leve delictum aut damnum indeliberatè datum, potest etiam incurri gravis obligatio sarciendi maximum damnum.

*R. N. C.* Damnum quod incurritur ex excommunicatione minori, facillimè reparatur absolutione: damnum quod incurritur ex restitutione gravis summæ, non ita facille reparatur. Unde, licet juxta considerationem asceticam excommunicatio sit pœna major, in

consideratione tamen morali vel politicâ, quæ prævalet in humano commercio, jactura temporalium est absolutè gravior.

117. *Obj.* 6°. Qui per culpam indeliberatam graviter denigravit alterius famam, tenetur ad restitutionem.

*R.* Si possit absque gravi proportionaliter incommodo, *C.*; secùs, *N.* Etiam qui prorsus inculpatè denigravit alterius famam, tenetur retractare dicta, si possit citra magnum incommodum, ut n. 61 dictum.

118. *Obj.* 7°. Non repugnat obligatio levis ad materiam gravem : ergo fallit secunda assertio. *Prob. A.* 1° Possum me leviter obligare ad recitandum quotidie rosarium per totum annum. 2° Superior ordinis obligare suos potest leviter ad jejunium, et ejusmodi præceptum viget apud RR. PP. Carmelitas, ut testis est Arriaga, D. 16, de leg., n. 74. 3° Similis obligatio potest imponi per spontaneum contractum.

*R. D. A.* Obligatio voluntaria, quam homo liberè sibi vel aliis imponit, *C.*; involuntaria vel necessaria, quam imponit natura, *N.* Natura, dum obligat, obligat necessariò quantùm potest. Homo, dum se vel alios obligat, obligat quantùm vult : unde, sicut in materia gravi potest se non obligare, sic se potest obligare tantùm sub levi.

119. *Obj.* 8°. Est possibilis obligatio naturalis, eaque gravis ad materiam levem : ergo et levis ad materiam gravem. *A. prob.* Qui sartori furatur acum, unicè necessariam ad laborem et victum, ex justitia tenetur eam restituere : sed hæc est obligatio naturalis, et quidem gravis ad materiam levem.

*R. N. A. Ad. prob. N. m.* Obligatio non est ad restitutionem acûs præcisè, sed ad cavendum ne sartor patiatur notabile damnum.

120. *Obj.* 9°. Ponamus ad grave furtum exigi quantitatem medii floreni; fur medii floreni graviter obligatur ad restitutionem : atqui tantum obligatur ad materiam levem, seu restitutionem unius crucigeri : ergo. *M.* est communis sententia, quam docent Th. Sanch. l. 7, Dec. c. 21; Azor p. 3, l. 5, c. 13, Dicast. l. 2, tr. 2, D. 9, n. 62; C. de Lugo D. 16, n. 41; Moya tr. 6, D. 4, q. 4, § 3; Navarra, Rebell. Sair. Bonac. Vasq. Sotus, Arragon. Tambur. Haunold. et alii. *Ratio.* Acceptio 29 crucigerorum non est culpa mortifera furti : ergo nec retentio. 2° Si retentio 29 crucigerorum esset mortifera culpa, foret etiam retentio 28, 27, et sic ulteriùs, donec perveniretur ad primum crucigerum. 3° Sicut in furto, sic in omissione restitutionis est parvitas materiæ : sed hæc assignari non posset, nisi veniretur ad quantitatem indivisibilem, ultra quam retentio est lethalis, et infra quam retentio non est lethalis.

Respondent 1° Medina, Corduba, Lopez et Esparza q. 36, grave debitum restitutionis in hoc casu non extingui per restitutionem unius tantùm crucigeri. Nam læsus per ablationem medii floreni, jus obtinet exigendi totam quantitatem simul et indivisim, ac utitur jure suo, si nolit crucigerum acceptare nisi reddantur simul aliæ partes, vel certè pars valdè notabilis : hoc autem jure dum utitur, tenetur lædens sub gravi plus reddere quàm unum crucigerum; et aliàs furans medium florenum semper aut plerumque posset omittere totam restitutionem; quia communiter aut plerumque potest supponere quòd læsus malit potiùs nihil habere quàm unum duntaxat crucigerum, aut obolum. Sed quidquid sit de istâ doctrinâ, quâ videtur probari quòd lædens obligari possit graviter ad restitutionem omnium omninò crucigerorum.

*R.* 2° cum aliis, *N. m.* Obligatio gravis quâ fur medii floreni stringitur ad restitutionem, indirectè quidem respicit materiam levem, directè verò materiam gravem. Nam directè sub gravi tenetur ad non retinendam materiam gravem, indirectè verò tenetur ad restituendum saltem crucigerum. Hæc enim restitutio medium est ad implendam directam et gravem obligationem. Sic etiam, quando jam clepsisti 29 crucigeros indirectè sub gravi teneris omittere furtum novi crucigeri; quia directè sub gravi teneris omittere furtum gravis materiæ.

121. *Obj.* 10°. Ex nostra doctrina sequitur, eum qui per indeliberationem est causa gravis damni, ne quidem obligari leviter ad resarciendam partem levem damni. Nam, qui vovet indeliberatè rosarium, ne quidem ad unum *Ave* sub levi tenetur : at sequela concedi non potest : ergo.

*R.* 1°. Si damnum det indeliberatè quoad omnes partes, *C.*; secùs, *N.* ut putat Haunoldus, tr. 2, n. 194. Ordinariè, cùm est indeliberatus consensus in totum damnum, miscetur deliberatus in partem levem : ex voto tamen indeliberato materiæ gravis non resultat obligatio levis ad levem partem, quia vovens obligari non vult ad partem levem, nisi simul obligetur ad totum, vel quia vult votum non esse validum, nisi totum sit plenè liberum, vel quia leges ecclesiasticæ sic disponunt, et Deus non aliter acceptat votum.

*R.* 2°. *C. M. N. m.* 1° Auctores cæteri communiter non faciunt discrimen hìc inter obligationem ex indeliberato voto et obligationem ex indeliberata culpa. Unde, sicut ex indeliberato voto non oritur obligatio levis ad partem levem, ita nec oritur ex indeliberata culpa. 2° Gratis supponitur quòd vovens indeliberatè rosarium, communiter voveat deliberatè unum et alterum *Ave* : et si id esset, planè non suppeteret efficax ratio deobligandi voventem à recitatione unius et alterius *Ave*. 3° Hoc modo quilibet actus semideliberatus esset meritorius æternæ vitæ; quod tamen à TT. communiter rejicitur; cuilibet enim actui semideliberato misceretur consensus deliberatus in bonum honestum. 4° Haunoldus, ex sua Theologia, l. 2, n. 242, supponit omnem actum moralem, etiam semideliberatum, oriri ex dictamine aliquo metaphysicè certo et evidenti; quod tamen hodie satis communiter rejicitur. 5° Esto cuilibet actui semideliberato misceatur consensus deliberatus, contingere tamen potest ut, semideliberatè causans injustum damnum, non habeat plenam deliberationem circa damnum injustum, v. g., si deliberatè mentiens non sufficienter advertat ad detractionem aut periculum detractionis.

Aliud esset, si quis, deliberatè volens creare damnum in bonis fortunæ, credat damnum esse minutum, nec satis advertat ad periculum gravis damni.

122. *Nota* tamen, confessarios nequaquam debere facites esse, vel præcipites, ut judicent damnificationem externam contigisse citra sufficientem deliberationem. Quamvis enim, ut optimè notat Lessius, l. 2, c. 7, n. 29, semiplena deliberatio frequens sit in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus, opera tamen externa statim periculum suum ingerunt, et excitant mentem ad deliberandum.

## QUÆSTIO VIII.

AN EX CULPIS VENIALIBUS, DELIBERATÈ COMMISSIS, VEL ETIAM EX UNA, NASCI POSSIT OBLIGATIO GRAVIS RESTITUENDI?

123. *Dico* 1°: Ex culpis venialibus, deliberatè commissis, oritur obligatio naturalis sarciendi totum damnum. Ita communis apud Cardenam in sentent. prohib. Dissert. 23, n. 90; Moyam, tr. 6, q. 5; Haunold. tr. 2, n. 198. *Ratio.* Qui successivè brevi temporis intervallo et deliberatè per minutas acceptiones clepit eidem domino 100 denarios, esto fortè nunquam advertat se peccare mortaliter, obligatione naturali tenetur restituere omnes 100 denarios : ergo tenetur sarcire totum damnum. *A. prob.* Fur in hoc casu jure naturali tenetur vel omnes denarios, vel nullum restituere : nec enim est ratio cur potius istos quàm alios teneatur restituere, cùm omnes abstulerit sciens et volens invito domino. 2° Obligatio restituendi primum denarium non tollitur per oblationem secundi, et obligatio restituendi secundum non tollitur per ablationem tertii, etc., secus enim ablatio secundi vel tertii vim haberet eamdem quam habet restitutio primi vel secundi; nam eodem modo tolleret obligationem restitutionis ac restitutio. 3° Si fur restituere non deberet omnes denarios, non deberet restituere primum, secundum, tertium, etc., nisi sub conditione quòd non sit plures furaturus : hoc autem in terminis est absurdum. Item felicior esset quoad obligationem restitutionis qui plura quàm qui pauciora successivè furatur. 4° Lex naturalis non minùs est efficax quàm positiva : sed si lex positiva post singulas acceptiones injungeret restitutionem, obligaret ad restitutionem omnium. 5° Qui quotidie per annum acciperet mutuò denarium, aut creditò panem, post annum cogeretur reddere vel solvere plusquam 360 denarios aut panes : ergo à pari.

124. *Dico* 2°: Ex pluribus culpis venialibus, deliberatè commissis, oritur obligatio gravis sarciendi totum damnum. Ita rursum communissima DD. apud auctores antea citatos. Ratio 1ª. Nam inter prohibitas ab Innoc. XI, 38 sic habet : *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Pontifex autem non videtur damnâsse propositionem tantùm in casu quo quis retinet adhuc rem alienam, minutatim ablatam, aut in casu quo clependo minutatim, pervenire valuit ad quantitatem gravem, et peccavit lethaliter : sic enim damnatio fuisset inutilis et frustranea; quia nullus auctorum unquam negavit obligationem gravem restitutionis in his casibus : igitur damnâsse videtur propositionem etiam in eo casu quo quis non retinet ampliùs rem alienam, et minutatim furando non peccavit mortaliter. Secunda. Obligatio naturalis sarciendi grave damnum est gravis : sed in casu quo fur brevi temporis intervallo, v. g., intra duos aut tres menses, eidem domino clepit 100 denarios, oritur obligatio naturalis sarciendi grave damnum : ergo. *M. patet.* Nam obligatio naturalis ad rem gravem nunquam est levis, ut dictum est n. 110. *M.* ex communi persuasione colligitur : putant enim omnes, dominum, si tam modico temporis spatio fur ei clepit 100 denarios, pati notabile vel grave damnum. Tertia. Qui quotidie per annum acciperet mutuo denarium aut credito panem, procul dubio contraheret obligationem gravem reddendi 360 denarios, aut solvendi 360 panes : ergo etiam à pari, qui quot diebus eidem domino sublegeret unum denarium. Quarta. Obligatio naturalis quâ prohibeor singulis ferè diebus eidem domino clepere denarium, est gravis; aliàs non peccaret mortaliter, qui sub initium anni statueret ita constanter clepere; et est, purè per accidens, quòd aliqui fures, minutatim clepentes, excusentur à mortali; quia scilicet non advertunt semper surreptiones suas coalescere moraliter in grave damnum : ergo etiam obligatio naturalis quâ jubeor restituere denarios ita sublatos, est gravis. Quinta. Consideratis omnibus, utut gravis sit hæc obligatio, tamen optabilius est eam existere quàm non existere; quia non sufficiènter aliàs absterrerentur homines à minutis, deliberatis et frequentatis furtis, quibus sæpissimè gravis pernicies infertur. Plura dicam, ubi de furtis minutis.

125. *Dico* 3° : Lædens injustè, si cognoscit totam gravitatem materialem damni, sed ignorat gravitatem formalem, sub mortali tenetur ad restitutionem. Exemplo sit : Furaris simul principi tres aureos plena libertate, valorem et pretium optimè scis, bona tamen fide putas hanc quantitatem non esse sufficientem ad mortale peccatum. In hoc casu, licèt consumpseris pretium, et ditior inde non sis factus, teneris sub mortali restituere tres aureos. Ita P. Illsung, D. 3, n. 16, cum aliis RR.; nam antiquiores communiter ex instituto non examinant casum. Ratio verò est eadem quæ pro conclus. super. Si enim sub mortali teneor tres aureos restituere, quando venialiter tantùm peccans eos per furta minuta successivè sublego, teneor pariter, quando sciens et volens eos simul surripio.

### OBJECTIONES.

126. *Obj.* 1° : Hæc propositio : *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque magna sit summa totalis*, damnata est, ut jacet; et, universaliter prolata, est falsa : nam tenetur restituere 1° qui rem gravem adhuc habet, esto per venialia tantùm illam abstulerit; 2° qui rem consumpsit cum conscientia gravis injustitiæ, quamvis res non ampliùs exstet; 3° qui minuta-

tim eam est furatus cum animo perveniendi ad summam gravem : ergo falsum est propositionem esse damnatam in sensu quem nos comminiscimur, sive non est prohibita sententia docens, eum ad restitutionem graviter non obligari, qui materiam gravem absumpsit per peccata merè venialia, nec inde ditior est factus. *Cons. prob.* Propositio quam proscripsit pontifex est universalis negativa ; nam idem est, *non tenetur quis*, ac *nullus tenetur :* ex falsitate verò propositionis universalis negativæ, tantùm infertur veritas particularis affirmativæ, scilicet, *aliquis tenetur ;* non autem veritas universalis affirmativæ, *omnis tenetur*. 2° Damnatio pontificis est odiosa, quam extendere non debemus ultra quàm exigat proprietas verborum : hæc verò non cogit nos ad ultimum sensum. 3° Pontifex in bulla non explicat an propositionem damnatam esse velit etiam in ultimo sensu : *In obscuris autem sequimur quod minimum est, et contra eum facienda est interpretatio, qui clariùs legem dicere potuit.*

*R.* cum P. Cardenas et aliis. Nulli DD. unquam incidit quòd non teneatur ad restitutionem sub peccato mortali, qui quantitatem gravem, furtis minutis ablatam, adhuc retinet, vel qui minutatim furando peccavit lethaliter contra justitiam : pontifex autem videtur propositiones neutiquam damnâsse solùm in sensu qui nulli doctorum incidit ; aliàs enim prohibitio fuisset inutilis, et fulmen inane, contra neminem intortum. 2° Licèt pontifex non damnaverit propositiones in quolibet sensu DD., damnâsse tamen videtur in sensu saltem unius aut alterius doctoris, cujus sententia velut liberior à Lovaniensibus, et aliis vel theologis vel episcopis fuit delata Romam, ut videre potes apud Franciscum Bonæ Spei Carmelitam, in Apologia contra Caramuel. 3° Pontifex insistens vestigiis Alexandri VII, doluit theologiam moralem ab aliquibus deformatam, et ad bullam compulsus est, ut compesceret quorumdam novitates ac laxitates. 4° Si liceret uti metaphysicis ejusmodi subtilitatibus in expositione sententiarum quas damnavit pontifex, periret omne robur pontificiæ damnationis.

127. *Obj.* 2° Nemo tenetur sarcire damnum fortuitum et involuntarium : sed qui successive multa minuta furatur, et nunquam advertit ea coalescere simul in grave damnum, non vult inferre grave damnum.

*R. D. m.* Non vult inferre grave damnum simul, indivisim, collectim, ac per modum unius, *C.;* non vult successivè, vel divisim et per modum plurium damnorum levium, reipsà coalescentium in grave damnum, sive non vult singulas partes quæ constituunt grave damnum, *N.* Qui sciens furatur successivè 300 denarios, vult inferre damnum 300 denariorum, et quamvis non velit omnes partes collectim una volitione, vult tamen omnes partes distributè pluribus, et distinctis volitionibus. Sic etiam tenetur restituere simul 300 aureos, qui quotidie per annum furatur aureum, etsi nunquam advertat aureos in gravissimam hanc summam coalescere.

128. *Obj.* 3° : Omnis obligatio restitutionis oritur vel ex injusta acceptione, vel ex re accepta, vel, si vis, etiam ex legibus aut contractu : sed obligatio gravis restituendi propter furta tantùm venialia, sæpè repetita, non oritur ex ullo capite : non ex re accepta ; quia ponimus rem absumptam sine lucro : non ex legibus aut contractu ; nam ponimus hæc abesse : non ex injusta acceptione ; nam obligatio quæ nascitur ex injusta acceptione, est pœna ; pœna verò gravis non est proportionata delicto levi.

*R. N. m. quoad ultimam partem. Ad prob. D. M.* ad mentem C. Lugo, D. 8, n. 69, Haunoldi et aliorum DD. Est pœna tantùm impropria, vel conventionalis, intenta solùm ad compensationem damni, scienter et voluntariè dati, *C.;* propria, vel judicialis, intenta solùm ad vindicationem delicti, *N. M.* et *D. m.* Pœna propria vel judicialis non est proportionata delicto levi, *C.;* pœna tantùm impropria, vel conventionalis, *subd.* Non est proportionata, si damnum illatum est leve, *C.;* si grave, *N.* Ut optimè P. Esparza, q. 25, obligatio restitutionis ob injustam acceptionem, ultimatò reducitur in conventionem naturalem et tacitam omnium gentium et hominum, quâ quivis, antecedenter ad omnes eventus, vult servari jura sua quælibet illæsa, vel reparari jura sua scienter ab alio læsa ; consequenter etiam vult illæsa servare quælibet jura proximorum, vel illa reparare, si fortè scienter à se fuerint læsa, juxta principium illud : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et hæc conventio maximè necessaria fuit ad promovendam felicitatem, et stabiliendam pacem humanam. 2° Sicut ille qui sciens alterius anseres trajicit sclopeto cum efficaci proposito sarciendi quantociùs damnum, imponit sibi pœnam quasi-conventionalem sarciendi damnum ; ita qui sciens alteri minutatim furatur, imponit sibi, vel potiùs, ex contractu quodam naturali, suscipit pœnam et obligationem reddendi quælibet minutatim ablata : ergo etiam suscipit obligationem reddendi gravem summam, si per furta minutatim est ablata. 3° Qui clepit eidem domino quot diebus unum denarium, non minùs suscipit obligationem reddendi surreptos denarios quàm ille qui singulis diebus ab eodem domino mutuum accipit denarium, hoc solùm discrimine, quòd in posteriori casu sit obligatio restituendi, directè volita, in priori verò sit tantùm indirectè volita, et habeat se per modum pœnæ quæ sequitur necessariò delictum.

129. *Obj.* 4° : Ergo jam ponitur alia radix restituendi quàm res accepta, vel injusta acceptio, scilicet pœna conventionalis.

*R. N. sequel.* Hæc enim pœna convenit cum titulo injustæ acceptionis. Dein admitto plures esse titulos remotos restitutionis ; nam omnes tituli qui fundant dominium, etiam remotè fundant in damnificante obligationem restitutionis : tituli verò fundantes dominium, sunt innumeri : proximi tamen tituli restitutionis sunt tantùm duo.

130. *Obj.* 5° : Hac ratione peccatorum inæqualium

æqualis esset pœna ; nam eodem modo restituere deberes summam gravem, sive venialiter, sive mortaliter ablationibus peccâsses.

*R. D.* Pœna aliqua, *C.;* omnis pœna, *N.* Debitum restituendi, si tamen est propriè pœna, non est omnis pœna quæ mortali vel veniali peccato injustitiæ respondet : per mortale contrahitur reatus inferni, per veniale reatus purgatorii.

131. *Obj.* 6° : Qui per furta tantùm venialia surripit alteri magnam quantitatem, non dat alteri causam rationabilem gravis offensæ vel indignationis : atqui sic non tenetur sub gravi quantitatem magnam restituere : ergò.

*R. D. M.* Ita tamen ut daret, si sciens postea magnam quantitatem retineret, aut non restitueret, *C.;* ita ut neque hoc sit, *N.*

132 *Obj.* 7° : Si viverem annos Mathusalæ, singulis annis cleperem tres duntaxat denarios, nil unquàm restituerem, summa quam tandem restituere deberem, esset valdè notabilis ; atqui non deberem restituere sub obligatione gravi : ergo, etc.

*R. D. M.* Summa quam restituere deberem sub obligationibus pluribus moraliter distinctis, et quarum singulæ respicerent tantùm materiam levem, vel quæ non coalescerent in unam gravem obligationem, *C.;* sub obligationibus moraliter indistinctis, vel quæ coalescerent in unam, *N.* Obligationes leves aliquandò coalescunt, aliquandò non : e. g., 1° qui centies vovet recitare modicas preces in honorem variorum sanctorum, habet centum leves obligationes, quæ juxta quosdam non coalescunt in gravem ; 2° qui distinctis personis millies exilia promittit, mille contrahit leves obligationes, quæ tamen non coalescunt in unam ; 3° qui diversis sæpissimè, sed tantùm in re modicâ detraxit, plurimas habet obligationes restituendi famam, quæ tamen non coalescunt in unam gravem obligationem.

133. *Obj.* 8° : Ergò potest etiam dici quòd, si per annum aliquis minutatim eidem clepat 600 denarios, habeat quidem quamplurimas leves, non autem gravem obligationem restituendi 600 denarios.

*R. N. sequel.* In priori casu leves obligationes ideò non coalescunt in gravem obligationem, quia damna levia quæ maximo temporum intervallo disjunguntur, non coalescunt moraliter in grave damnum ; imprudens enim foret qui lamentaretur grave sibi damnum obortum, præcisè per hoc quòd singulis annis unus tantùm aut alter denarius fuerit surreptus : at in posteriori casu damna levia coalescunt moraliter in grave damnum, et est lethale peccatum illa voluntas, quâ statuis quotidiè per annum homini mediocris fortunæ surripere denarium, et minutis furtis ascendere tandem ad summam 300 denariorum. 2° Si singulis anni diebus acciperes credito panem, vel mutuum denarium, levia debita coalescerent in grave debitum, ut superiùs ostensum : ergò à pari. 3° num aliqua moraliter coalescant, optimè desumitur ex judicio prudentûm : at in casu nostro prudentes communiter judicant ex pluribus damnis levibus oriri tandem grave damnum, et obligationem gravem restituendi. Sic Tambur. l. 8, Dec. tr. 3, c. 2, § 5, n. 6, dicit, omnes fateri quòd in hoc casu detur gravis obligatio restituendi. Testantur eamdem auctoritatem Haunold. Illsung et alii.

## Quæstio IX.

### EX QUA CULPA NASCATUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS IN CONTRACTU ?

134. *Sciendum* 1° contractum aliquando strictiùs, aliquando latiùs sumi. Strictiùs est pactum, seu consensus voluntarius duorum aut plurium, ultro citròque pariens obligationem justitiæ, ut emptio, venditio, conductio. Latiùs est pactum inducens obligationem justitiæ, sed non mutuam, ut donatio vel liberalis promissio. Priores contractus vocantur onerosi, posteriores lucrativi.

135. *Sciendum* 2° triplex esse genus contractuum, strictè sumptorum. Aliqui cedunt in utilitatem solius accipientis, ut regulariter commodatum, si, v. g., commodes alicui gratis equum ad certos dies ; alii cedunt in utilitatem solius dantis, ut depositum ; alii demum in utilitatem utriusque, ut emptio, locatio. Fieri tamen potest ut commodatum aliquando cedat in utilitatem utriusque, vel solius dantis, v. g., si vasa pretiosa commodentur ad recipiendum communem amicum ; si sponsus sponsæ commodet vestes, ut ornatiùs ad ipsum accedat. Simile quid est in deposito, v. g., cùm depositarius accipit pro deposito mercedem ; tunc enim contractus cedit in utilitatem utriusque.

136. *Sciendum* 3° in contractibus primi generis, qui cedunt in utilitatem solius accipientis, præstandam de jure quamlibet culpam etiam levem et levissimam. Patet hoc ex *L. in rebus commodatis* 18, *ff. commodati et Instit. quibus modis re contrahitur obligatio*, § *Item is, et cap. un. de commod.* Excipe tamen 1° contractum precarii ; nam esto fiat in gratiam solius accipientis, quia tamen ad arbitrium dantis revocari potest, jura meritò statuerunt, præstandam esse solam culpam latam. *L. quæsitum* 8, § *eum quoque ff, de precario, et L. contractus* 23, *ff. de regulis juris.* Excipe 2° si commodatum fuerit pupillo vel minori. Nam licèt in gratiam illius unicè sit concessum, jura tamen, sicut in aliis materiis, sic etiam in hâc specialiter illis faverunt, ut teneatur tantùm de dolo, vel culpâ latâ.

137. *Sciendum* 4° in contractibus secundi generis, qui cedunt in utilitatem solius dantis, de jure non aliam culpam esse præstandam nisi latam. Patet ex *Instit. supra*, § *Præterea et is.* Ubi tamen obiter observa monasterium ex culpa lata monachi non teneri, quamvis hic ex illius beneplacito munus depositarii susceperit, nisi fortè monasterium inde locupletius evaserit, *c.* 1, *de deposito.* Similiter Ecclesia non tenetur ex delicto depositarii clerici vel etiam prælati, *cap. Episcopo* 16, *q.* 6.

138. *Sciendum* 5° in contractibus tertii generis, qui cedunt in utilitatem utriusque, præstandam esse culpam latam et levem, non item levissimam. Patet hoc ex *L. contractus* 23, *ff. de R. J. et Instit. supra*, § *Credi-*

tor. Excipiunt tamen auctores 1° mandatarium, qui tenetur etiam ex culpâ levissimâ, juxta *L. à procuratore et L. in re mandata C. mandati;* sed hoc restringi debet ad casum, quando negotium est maximi momenti, juxta, n. 96, vel quando mandatarius ultro se offerens, tacitè promittit exactissimam diligentiam : 2° conductorem; hic enim tenetur ad custodiam, qualem diligentissimus paterfamiliàs suis rebus adhibet, juxta § 6, *Instit. de locat.;* hoc iterum restringi debet ad casum quo res locata postulat summam diligentiam, juxta n. 96 : 3° nautas, stabularios, caupones, qui tenentur in depositis etiam ex culpâ levissimâ, juxta *L. 1 et 3, ff. nautæ, caupones;* quod meritò statutum, ut fraudibus istorum hominum occurratur. Observat tamen Castro Palao, tr. 32, D. 2, p. 8, legibus istis obstringi tantùm nautas et caupones ex officio, non item cæteros qui per occasionem hospites recipiunt, esto pretium accipiant. Idem addit, caupones ab obligatione præstandi culpam levem aut levissimam immunes reddi, quando prænonent hospites ut rebus suis invigilent, vel ipsis arcam aut cubiculum cum clave designant; quia sic excutiunt obligationem, et in hospites eam transferunt. Demum, etsi caupones ex legibus videantur assumere custodiam rerum, quoties ipsis aut famulis videntibus res aliquæ deponuntur, tamen consuetudine videtur inductum ut, nisi prænoneantur de custodia, non teneantur ad specialem diligentiam. 4° Demum excipiunt aliqui socium; nam, *L. 72, ff. pro soc. et § ult. Instit. eodem,* dicitur socius satisfacere, si rebus communibus eam diligentiam adhibeat quam suis adhibet, esto ipse sit parùm diligens : igitur tantùm ex culpâ latâ tenetur. Idem est in cohærede, juxta *L. 25, § 16, ff. fam. herc.*

139. *Sciendum* 6° in contractu sæpiùs ex culpa teneri non solùm accipientem, sed et dantem, v. g., si commodavit equum aut dolium, et non monuit de vitio vel fissurâ. Unde si commodatum fuit in utriusque gratiam, tenebitur etiam ex culpâ levi. Quod idem dicendum est de locatore qui non monuit de vitiis rei locatæ, si quidem conductor subiit aliquod detrimentum.

140. *Sciendum* 7° culpam latam, levem aut levissimam accipi posse materialiter et formaliter, absolutè et respectivè, proùt diximus n. 89; et hinc Toletus l. 5, c. 19, de Lugo D. 115, censent, culpam, quæ levis est in deposito, latam esse vel gravem in commodato; quia naturalis æquitas exigere videtur ut majorem diligentiam adhibeas, quando rem alienam accipis in tui solius gratiam, ac quando rem accipis in gratiam solius dantis : quod utrùm sit verum, statuemus infra.

141. *Dico* 1° : In contractibus in quibus dominium accepti non transfertur in accipientem, accipiens per se non tenetur ad restitutionem ex casu merè fortuito, Less. l. 2, c. 7, Dub. 8; Lug. D. 8, n. 107, Palaus et alii communissimè, et habetur *cap. unico de commodato,* et Cod. civ, art. 1148, statuit, exceptis casibus art. 1302, 1807 et 1884. Quia fortuiti casus sunt supra nostram diligentiam, et res quælibet, dum fortuitò perit, domino suo perit. Nec exstat ullum jus naturale, vel positivum, ex quo teneatur quis ad præstandum casum merè fortuitum.

Dixi, *per se.* Nam excipe 1° nisi speciale pactum accesserit de præstando casu fortuito (1), quod, e. g., commodans meritò potest exigere, quando gratis commodat : secus est, quando commodat justo pretio, tunc enim imponeret onus injustum; 2° nisi commodatarius aut alius qui rem alienam habuit ex contractu, fuerit in culpabili mora restituendi : tunc enim tenetur ob injustam detentionem; vel, si voluit injustitiam effugere, debuit suscipere obligationem restitutionis etiam pro casu fortuito; 3° si re alienâ non sit usus eo loco vel modo quo fuerat conventum, et ubi majus periculum imminet. Disputant tamen auctores an, e. g., commodatarius tenetur ad restitutionem, quando bonâ fide credidit moram suam aut usum non displicere domino. Molina, Lessius et alii docent non teneri, si verè id domino placuerit; quia sic usus et mora fit sub ratihabitione : *Ratihabitio verò retrotrahitur, et mandato æquiparatur, C. 10, de R. J.;* secus verò, si dominus fuit invitus. Sed C. de Lugo D. 8, n. 124, censet, universim excusari commodatarium, siquidem invincibiliter erraverit, aut non implicito saltem contractu se obstrinxerit ad præstandum casum fortuitum, posito quòd mora vel usus domino displiceret. Hic verò contractus, virtualis aut implicitus, est per se necessarius ad effugiendum peccatum, quoties commodatarius, re commodata aliter utens, non certò vel probabilissimè scit voluntatem domini.

142. *Dico* 2° : Jure naturali nemo tenetur ad restitutionem ex aliâ culpâ quàm respectivè latâ. Molina D. 295; Less. l. 2, c. 7, Dub. 8; C. de Lugo D. 8, n. 103; Tambur. in Dec. l. 8, tr. 3, c. 5, § 1; Haunold. tr. 2, n. 250; Esparza q. 32, et alii communissimè. *Ratio* 1ª. Jure naturali, vel seclusis specialibus pactis, nemo tenetur majorem adhibere diligentiam in custodiendis rebus commodatis, conductis, oppignoratis, etc., quàm soleant communiter alii prudentes, qui non adhibent semper diligentiam et cautelam maximam. 2ª. Attento tantùm jure naturali, non satis apparet quare conductor, v. g., teneatur ex culpa levi, famulus autem, artifex, medicus, advocatus, aut alius officialis teneatur tantùm ex culpâ latâ. Sicut enim contractus locationis cedit in utilitatem utriusque contrahentis, nempe locatoris et conductoris, sic officium famuli cedit in utilitatem utriusque, scilicet famuli ac domini; et, sicut dominus pro certo pretio locat domum conductori, sic famulus locat ope-

(1) Inter casus fortuitos maximam distinctionem admittunt articuli 1772 et 1773 Codicis civilis, eàque credimus utendum esse regulâ, ut rectè sciamus quid statuatur in his casibus. Exemplum enim afferens è locatione conductione Codex, statuit decem casibus fortuitis se ipsum onerare reparandis posse qui locationem accipit; deinde articulo sequenti excludunt̃ur casus fortuiti quos nominat extraordinarios, et quos potiùs dicere debuisset casus vis majoris quàm ut eis obluctetur. Vide etiam de hâc materiâ Cod. commercialem, tit. VI, *des Commissionaires.*

ram domino, qui dat stipendium. 3ª. Qui rem alienam habet precario, juxta leges tenetur ex culpâ solùm latâ, licèt contractus sit in solam ipsius gratiam : ergo etiam, attento solo jure naturali, qui rem alienam habet commodato, solùm tenetur ex culpâ latâ ; nam precarium à commodato præcisè differt in hoc quòd rem precario datam possit dominus repetere pro libitu, modò saltem indulgeat ad aliquod tempus, ne contractus sit omnino ridiculus ; commodans verò non possit repetere, nisi elapso tempore præfixo : sed hoc discrimen non videtur inducere tantam differentiam in obligatione restitutionis. Si enim commodato rem habens tenetur ex culpâ levissimâ, quare precario rem habens non tenetur saltem ex culpâ levi ? et, si conductor tenetur ex culpâ levi, quia contractus cedit in utilitatem utriusque, cur precario rem habens tenetur solùm ex culpâ latâ ? cùm tamen contractus cedat in utilitatem solius accipientis. 4ª Juxta *L.* 1 *et* 3, *ff. nautæ, caupones, etc.*, in rebus depositis isti tenentur ex culpâ levi et levissimâ, quamvis iste contractus non tantùm serviat in utilitatem accipientium. Et esto, propter periculum continuum quod in navibus et cauponis adest, videatur requiri major diligentia quàm in aliis depositis, tamen ex aliâ parte, cùm propter nimiam multitudinem hospitum, cauponibus sit admodùm difficile majorem diligentiam adhibere, non apparet cur jure naturali sint magìs obligati quàm alii. 5° Socius, juxta *L.* 72, *ff. pro socio et* § *ult. Inst. eodem*, tenetur tantùm ex culpâ latâ ; quia socius sibi debet imputare quòd non elegerit meliorem socium : sed hoc idem, spectato jure naturali, dici posset de locatore, conductore, etc.

143. *Dico* 3° : Etiam de jure positivo nemo per se tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis, præterquam ex culpâ respectivè latâ. Sotus, l. 4, q. 7, a. 2 ; C. Tolet., l. 5, c. 18 ; Henriq. c. 15, de Irreg. ; Emm. Saa, V. *commodatum ;* C. de Lugo, D. 8, n. 106 ; Tamburinus, l. 8, tr. 3, c. 5, § 1 ; Ant. Perez, D. 3, de Rest., n. 142 ; Patrit. Sporer, tr. 4, c. 2, n. 234 ; Haunoldus, tr. 2, n. 250 ; Esparza, Ferd. Krimer, et alii RR. *Ratio prima.* Leges quæ citantur pro contrariâ sententiâ non videntur aliter latæ quàm lex Aquilia, leges noxales et leges obligantes ex quasi-delicto : sed istæ non obligant ante sententiam judicis, quando culpa non est respectivè lata : ergo. *M. prob.* tum ex ipso tenore legum, in quibus alia vel major obligatio non exprimitur, tum ex eo quòd sufficiens disparitas afferri non possit. Secunda. Esto, leges requirant majorem diligentiam à commodatario, v. g., qui rem accipit in suî solius gratiam quàm à depositario qui rem accipit solùm in utilitatem deponentis, tamen ex hoc tantùm probatur quòd culpa, quæ respectivè levis est in depositario, possit esse gravis in commodatario, quod ultro concedimus ; non autem probatur quòd commodatarius debeat præstare culpam quæ respectivè non est lata, sive quòd teneatur ad restitutionem, quando res periit, et ipse diligentiam adhibuit qualem communiter adhibent prudentes commodatarii. Tertia. Ut ostendimus n. 96, de locatore et mandatario, qui subinde tenentur præstare culpam levissimam, leges nihil aliud videntur intelligere per culpam levissimam quàm respectivè latam. Sic etiam qui se specialiter obligavit ad diligentiam maximam, teneri dicitur ex culpâ levissimâ, quamvis hæc culpa sit in foro theologico formaliter et respectivè lata, quam omnis prudens vitaret. Quarta. De jure naturali nemo per se tenetur in contractibus præstare culpam, nisi formaliter et respectivè latam ; de jure verò positivo saltem est dubium : at in conflictu jurium, standum est potiùs juri claro quàm dubio. Item dominus spoliari non debet dominio suarum facultatum propter jus alterius incertum (1). Quinta. In quasi-contractu non præstamus aliam hodie culpam nisi respectivè latam, ut infrà videbimus : ergo nec in veris contractibus, et leges non videntur aliter usu receptæ. Nam, ut præter alios observat C. de Lugo, commodatarius, nisi gratis agat, restituere nil solet, quando circa rem commodatam, quæ periit, adhibuit diligentiam non solùm communem, sed eam quam diligentiores commodatarii passim adhibent, esto non adhibuerit maximam : et quis divinabit qualis sit apex illius cautelæ quem attingere debet commodatarius ? Item conductor non format sibi scrupulum, quando non restituit pretium equi pereuntis, in cujus custodia diligentiam adhibuit communem, ordinariam et humanam, qualem diligens quivis et prudens conductor solet adhibere. Sexta. Denique tot et tam diversæ ac subtiles sunt leges et interpretationes legum circa culpam quam præstare cogitur conductor, socius, commodatarius, depositarius, mandatarius, negotiorum gestor, ut orirentur anxietates nimiæ, si leges obligarent ante sententiam ex aliâ culpâ quàm formaliter et respectivè latâ.

144. *Dico* 4° : Nemo per se sub gravi tenetur ad restitutionem in contractibus ante sententiam judicis, nisi ex culpâ mortali ; tenetur tamen post sententiam judicis. Posterior pars colligitur tum ex dictis ad leges noxales et plebiscitum Aquilii, tum ex eo quòd, juxta communissimum sensum, contrahentes saltem ad hoc se videntur obligare. Priorem partem defendunt Sotus, Henriq. Saa, Toletus, C. de Lugo, Tambur., Esparza, Sporer, Haunoldus et alii suprà citati, ac probabilem esse fatentur Less. Filliuc. Herincx, Tannerus. *Ratio prima.* Ex contractu nemo per se tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis, nisi commiserit culpam formaliter aut respectivè latam : ergo etiam nemo per se tenetur ad restitutionem gravem, nisi commiserit culpam theologicè mortalem. *C. prob.* Culpa formaliter et respectivè lata, quæ committitur in materia gravi, semper est theologicè mortalis, nisi fors, error, ignorantia vel indeliberatio mentis excuset, aut nisi specialiter statuas emendare damnum grave, si quod emerserit ex culpa formaliter et respectivè lata : sed in posteriori casu datur quidem obligatio gravis sarciendi damnum, sed ea nascitur per accidens ex implicito vel interpretativo contractu,

(1) *V.* notam subjectam, n. 73.

proùt fusiùs n. 102 fuit declaratum : in priori verò non datur gravis obligatio restituendi ; quia casus est fortuitus, aut quasi-fortuitus coram Deo. Secunda. Si commodatarius incideret in amentiam, et, eâ durante, pessumdaret commodatum, eximeretur à restitutione : ergo etiam si per oblivionem naturalem, aut imperfectam deliberationem eam pessumdat, cùm hic casus in foro divino nihil aut perparùm à priori differat. Tertia. Si foret obligatio gravis restituendi propter culpam theologicè non mortalem, illa nasceretur vel ex jure naturali, vel ex jure positivo, vel ex propriâ voluntate contrahentium : non ex jure naturali ; sicut enim jus naturale non obligat graviter ad præstandam culpam purè juridicam, levem aut levissimam, ita nec graviter obligat ad præstandam culpam latam, quæ per errorem, inadvertentiam, non est theologicè mortalis : non ex jure positivo ; nam leges de contractibus non exprimunt aliam obligationem quàm lex Aquilia, vel leges noxales, et in dubio standum est potiùs jure naturali : non ex propria contrahentium voluntate ; quia contrahentes communiter non volunt aliter obligari per contractus, nisi juxta formam à jure naturali vel positivo præscriptam. Quarta. In quasi-contractu paucissimi formant sibi scrupulum de gravi obligatione restitutionis, nisi lethaliter peccaverint, aut diligentiam requisitam omiserint cum proposito vel implicito contractu sarciendi damnum, si quod fortè fuerit exortum : ergo à pari in vero contractu. Quinta. Denique, cùm tot et tam graves auctores teneant nostram sententiam, et opposita sufficienter probari non possit, relinquendus est dominus in possessione bonorum, neque propter jus alterius incertum adigendus ad restitutionem aut solutionem certam (1).

## OBJECTIONES.

145. *Obj.* 1° *contra* 1^am^ *assert.* Mutuatarius ex sententia communi tenetur ad restitutionem, etsi pecunia mutuata fortuitò pereat : ergo fallit prima assertio.

*R. N. C.* Assertio prima loquitur de contractibus in quibus non transfertur dominium : at in casu posito dominium pecuniæ transfertur in mutuatarium. Unde si pecunia casu fortuito perit, domino suo perit.

146. *Obj.* 2°. Si res quælibet domino suo perit; ergo si res vendita perit ante traditionem absque mora vel culpa venditoris, perit venditori, non emptori : nam ante traditionem rei non emptor, sed venditor est dominus rei venditæ : atqui contrarium manifestè patet ex *L.* 35, § 4, *ff. de contrahend. empt. et vend.* et *L.* 1 *et sequentibus Cod. de periculo et commodo rei venditæ.* Quocirca, si res ita pereat, emptor solvere debet pretium, aut pretium solutum venditor non debet restituere.

*R.* 1°. *N. sequel.* Licèt emptor ante traditionem non sit dominus absolutè, vel quoad omnes effectus, est tamen dominus fictione juris quoad commoda vel pericula, meliorationem aut deteriorationem rei, siquidem res determinata sit absolutè vendita. Secus enim est dicendum, si res indeterminata tantùm sit vendita, vel si vendita sit res determinata, sed conditionatè tantùm. Vide Less. l. 2, c. 21, dub. 12; Card. Lug. D. 26, n. 216, et Haunold. tr. 10, n. 39 et sequentibus.

* *R.* 2° : Jure Gallico præsenti, facillimè omnis disceptatio ad terminum suum duceretur; Romanæ enim legis traditionem necessariam aliquandò Codex abolevit, ex ipso jure Romano quasi legis suæ fundamenta extrahens duo axiomata : *Res perit Domino*, et *consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus.* Quorum exempla nonnulla deprehendere est tùm in art. 711, 1138, 1302, 1583, 1647. Quæ regula exceptionibus paucis et expressis firmatur, ut videre est 1° in secundâ art. 1138 parte quam explanat art. 1139; 2° in art. 1141, in quo de mobilibus agitur ; 3° art. 1129, qui de rebus certis et determinatis tractat; juxtà quas solas consensus dominium transferre potest, quod apprimè congruit cum art. 1585 de rebus quæ pondere, mensurâ et numero perpenso venumdantur ; 4° si pereat res quæ erat antè venditionem vitiosa sciente venditore, quod fidem malam et dolum peculiari modo redolet ; 5° si gustanda quæ tribuuntur et præstantur accepta nondùm sint. Quarum exceptionum facillimè fons detegitur : siquidem, priore casu, moram prolatans sese expediendi, venditor malam fidem suam arguit ; secundo et tertio casu, nimis incerta et ex se mobilia, ideòque facilè subripienda non potest lex ut certa et fixa protegere; quarto casu fraus innotescit; quinto casu nulla nisi suspensivâ conditione accedit voluntatis declaratio, ideòque non locus est consensûs mutui, cùm nondùm declaratus sit, virtutem inclamandi *.

147. *Obj.* 3° : Si rem commodatam aut aliud debitum misisti per nuntium, et nuntius rem est furatus, res tibi, non domino perit : sed casus hic est fortuitus : ergo.

*R. D. M.* Aliquando, si nimirum intercessit culpa tua, *C.*; semper et seclusâ tuâ culpâ, *N.* Casus est multiplex. Si res, quam habes et mittis absque culpa, sit alteri tanquam domino debita determinatè quoad individuum, vel, ut juristæ loquuntur, in specie, res illi, non tibi perit ; nam ipse dominus est, et res quæque domino perit per casum fortuitum, nec innocens debitor cogi potest ad præstandum casum fortuitum. 2° Si res creditori sit debita tantùm indeterminatè quoad speciem, vel, ut juristæ loquuntur, in genere, res tibi perit; nam tu manes dominus, antequam res alteri tradatur. 3° Si rem alienam habes ex culpa gravi, res tibi perit, et tu teneris præstare casum fortuitum ob culpam præcedentem, ut cum communi ferè omnium docet Lugo, D. 21, n. 59. Unde non excusantur à restitutione iniqui possessores, si rem confessario tradunt, et confessarius eam perdit : sicut etiam non excusatur fur volens restituere, si res interim incendio perit. 4° Si rem alienam mittis cum culpa lata, v. g., per nuntium aut famulum, de cujus fide non es

(1) *V.* notam subjectam, n. 73.

moraliter certus, res iterum tibi perit. 5° Si verò dominus designavit nuntium, excusaris à restitutione post traditionem nuntio factam; nam traditio procuratori facta, censetur solutio domino facta. *L.* 180 *quod jussu*, *ff. de R. J.*

148. *Obj.* 4°. Quando contractus cedit in utilitatem utriusque, videtur æquitati consonum ut damnum, fortuitò secutum, dividatur; cùm enim uterque percipiat æqualiter commodum, par est ut uterque sustineat æqualiter damnum. Ita Valerius, Diana, Paludanus apud Card. Lugo, D. 8, n. 126.

*R.* Hoc absque fundamento dici. Secus si conduceres domum valentem 100,000 aureorum, et ea fortuito terræ motu periret, deberes solvere 50,000; quod nemo dicit, et est expressè juri contrarium n. 51. Dein dominus rei semper habet incomparabiliter majus jus in rem quàm alter.

149. *Obj.* 5°. Ut refert Haunoldus tr. 10, n. 729, jure Bavarico cavetur ut, si res commodata fortuitò pereat, dominus non sustineat totum damnum, sed commodatarius arbitrio judicis cogatur ad transactionem.

*R.* Quidquid sit de juribus municipalibus, nos loquimur tantùm de jure communi et Cæsareo. Sic etiam depositarius qui rem absque mercede recipit in alterius gratiam, de jure communi tenetur tantùm præstare culpam latam; sed de jure Mechliniensi tenetur etiam præstare levissimam, ut testis est Guil. Herincx D. 5, n. 31. Porro videndum quomodo vigeat in praxi statutum illud Bavaricum; et quia jura municipalia quæ recedunt à jure communi, sunt strictæ interpretationis, non debet Bavarica lex ad precarium extendi vel commodatum, quod fit in utriusque gratiam.

150. *Obj.* 6°. Videtur contra naturalem æquitatem ut, cùm dominus rem suam unicè commodat in tuî gratiam, et res apud te perit casu fortuito, quo minimè periisset apud dominum, teneatur ipse solus sustinere damnum, tu verò sis immunis ab omni compensatione.

*R.* Dominus qui gratis alteri commodat, et te non obligat specialiter ad præstandum casum fortuitum, exhibet tibi liberale beneficium; at pro liberali beneficio nihil ex justitiâ, sed tantùm ex gratitudine debetur. Unde, qui sunt admodum urbani vel ingenui, solent præstare casum fortuitum, non tantùm in commodato, sed etiam in precario, quamvis non obligentur titulo justitiæ. 2° Periculum quod habent commodantes ne res casu fortuito pereat apud commodatarium, abunde compensatur per amicitiam alterius, et per æqualem spem servandi rem illæsam : sicut enim sæpè contingit ut res fortuitò pereat apud commodatarium, quæ non periisset apud dominum, sic etiam sæpè contingit ut res fortuitò pereat apud dominum, quæ non periisset apud commodatarium. 3° Dominus qui commodat, vicissim posset esse commodatarius. Unde, sicut ipse tunc nollet ex justitiâ esse obstrictus ad præstandum casum fortuitum, ita nec alterum velle debet obstrictum extra contractum specialem assecurationis.

151. *Obj.* 7°. Si commodatarius non tenetur ex casu fortuito, sequitur illum restitutioni nequaquam obnoxium fieri, dum in casu fortuito ruinæ, naufragii, vel incendii res proprias servat, neglectis commodatis, quas servare simul unà cum propriis non potest. *Cons.* est contra *L.* 5, § 4, *ff. commodat.*

*R.* Si commodatarius res omnes proprias, non minùs viles quàm pretiosas servat, neglectis rebus commodatis, nascitur præsumptio quòd dolum aut latam culpam commiserit. Unde damnabitur ad restitutionem, nisi præsumptionem fortiori probatione elidat. 2° Si res ambæ simul servari non possint, et res propriæ sint pretiosiores aut æquè pretiosæ, non tenetur commodatarius alienas res præferre; quia nimiùm difficilis hæc obligatio foret, et in eam nemo prudens, ante casum omnem particularem, consentiret. 3° Si res propriæ sint viliores quàm alienæ, debet commodatarius utiliter gerere negotium commodantis. Potest tamen postea pretium rerum sibi peremptarum exigere, saltem si res suæ sint alicujus aut magni momenti; quia non tenetur in rem commodatam facere expensas extraordinarias. *L.* 18, § 2, *ff. commodat.* 4° Si verò commodatarius non speret compensationem damni, non est cur debeat postponere sua si magni sint momenti; quia commodatarius non tenetur majorem diligentiam in alienis impendere quam diligentissimus paterfamiliâs in suis : diligentissimus autem potiùs arcet id quod est sibi formaliter majus et gravius damnum, cùm unusquisque sibi sit proximus, et se magis diligat quàm alios. Et quis, quæso, mediocris fortunæ civem obligabit ut, quando non potest rem alterius pretiosissimam servare quin faciat jacturam irreparabilem 1000, vel plurium aureorum, sponte suâ suspiciat hoc damnum? (Ita quidem docent C. deLugo, D. 8, n. 136, etc., et alii multi quos citat et sequitur Billnart, t. 11, p. 268; sed contradicunt Lessius, l. 2, c. 27, dub. 6; Sylvius, t. 3, p. 349; Pothier, *Tr. du prêt à usage*, n. 56, qui docent commodatarium teneri rem alienam præferre, nec posse suam, etiam pretiosorem, servare, nisi animum habeat alienæ valorem commodanti solvere. In eo nituntur quòd commodatarius exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellatur (*L.* 1, § 4, *ff. de obl. et act.*), nec æquum videatur ut commodans damnum patiatur ob beneficium alteri præstitum, præsertim cùm dici possit istum ditiorem esse factum quatenus rei propriæ pepercit. Quamvis non omnino forsan decretoriæ sint illæ rationes, in eo sensu expressè statuit Codex civilis, art. 1882 ac proinde dicendum videtur commodatarium censeri reipsà se obligare ad valorem rei in eo casu præstandum. Sed ille Codicis articulus non est ad alios contractus extendendus : « Assurément, ait Duranton, t. 1, p. 439, « un vendeur, dans le même cas, pourrait fort bien, « sans être responsable de la perte de la chose ven- « due, sauver la sienne propre ») (1).

(1) Notam hanc parenthesi inclusam mutuamur à D. Carrière, Sulpitiano, modestiæ simul et summæ scientiæ laude maximè dignandi, quocum sæpiùs concordes fuisse nobis ex animo gratulamur.

**152.** *Obj.* 8°: Saltem præstandus est in commodato casus fortuitus, quando res traditur æstimata : quod Bartolus, Anton. Gomez et alii cum Glossa probant ex *L. si ut certò* 5, § 1, *ff. commodati.*

*R.* cum Panormit. Molin. C. de Lugo, legem illam habere tantùm in eo casu locum, quando constat ideo fieri priùs æstimationem, ut totum periculum sit penes accipientem : secùs enim in quovis contractu præstandus esset casus fortuitus, quando res æstimata traderetur; quod tamen ipsimet AA. negant; et æstimatio per se solùm deservit ut constet de valore certo rei, nec opus sit postea litigare si quis rem acceptam culpâ suâ perdat. Articulo 1883 Codicis civilis, si res æstimata dispereat usu suo, mutuantisque nullâ injuriâ et culpâ, commodatario damnum incumbit, qui certissimè periculum rerum à se æstimatarum suscepit : siquidem non ideò quòd æstimatione usum fuerit, dominium in mutuantem transferetur, sed ideò quòd ipsi qui æstimationem rei provocavit in mente fixum est hoc modo sese assecuraturum fore, restitutionemque rei, si intacta manet, pretiumque, si aboletur. Inde axioma juris : *Æstimatio facit periculum ejus qui suscepit*.

**153.** *Obj.* 9° *contra cæteras assertiones.* Ex lumine naturali et communi prudentùm judicio, patet quòd obligemur ad majorem diligentiam circa res quas accipimus in nostrî gratiam præcisè, quàm circa res alias quas accipimus in alterius gratiam : e. g. , quilibet ex instinctu naturæ judicat se magis obligatum ad custodiendum equum, quando commodatum accipit in gratiam suî præcisè, quàm si præcisè recipit illum in gratiam domini, qui fortè non habet stabulum: ergo, si de jure naturali præstari debet culpa lata in contractu qui cedit in utilitatem solius dantis, præstari debet ex eodem jure culpa levis in contractu qui cedit in utilitatem utriusque, et culpa levissima in contractu qui cedit in utilitatem solius accipientis.

*Respondebunt aliqui : D. M.* Patet quòd obligemur ad majorem diligentiam titulo gratitudinis, *C.;* justitiæ, *N.* Duo sunt in commodato subtiliter distinguenda, res scilicet commodata, et usus rei ad certum tempus. Quamvis autem usus rei sit potissimùm in commodato, quod cedit in utilitatem accipientis, tamen ex illo non videtur nasci obligatio justitiæ; nam usus rei donatur ab eo qui purè liberaliter commodat : quod verò donatur, non inducit obligationem justitiæ, cùm donatio sit datio irredibilis et gratuita. Contrà verò res commodata non donatur, sed traditur cum obligatione reddendi : atqui non apparet satis ex jure naturali cur hæc obligatio justitiæ sit strictior in commodato quàm aliis contractibus, ubi etiam traditur res cum obligatione reddendi.

*R.* 2° cum Toleto, C. de Lugo, Anton. Perez, hac objectione tantùm evinci quòd plus requiratur ad evitandam culpam mortiferam in uno contractu quàm in altero, vel quòd culpa quæ levis est in uno, formaliter et respectivè lata sit in altero, sive dein hoc proveniat ex lege naturali, sive tantùm ex legibus positivis, aut communi contrahentium voluntate. Sic etiam in moralibus culpa quæ levis est in laicis, potest esse gravis in sacerdotibus aut episcopis; defectus qui levis est in grammatico, gravis est in rhetore; offensa quæ levis est in extraneo, gravis est in filio respectu patris.

**154.** *Obj.* 10° : Si contrahens, in cujus gratiam fit contractus, sub gravi non tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis, nisi propter culpam respectivè latam aut mortiferam, nemo libens inibit contractus, qui cedere solent in commodum solius accipientis.

*R.* Argumentum AA. solvendum in quasi-contractibus, ubi tantùm præstatur culpa respectivè lata et mortifera; item in casibus fortuitis, quorum periculo res suas exponit contrahens : at quando non committitur culpa respectivè lata, vel mortalis, casus est quasi-fortuitus, nisi fortè, culpam admittens, efficaciter statuat reparare damnum quod ex illa potest oriri. 2° Commodans ita vult ex justitia ligatum commodatarium, proùt ipse vellet esse ligatus si commodatum acciperet : at nescio num velit quis, secluso speciali pacto assecurationis, ex justitia esse ligatus ad præstandos casus quasi-fortuitos et moraliter inevitabiles. 3° Commodans, quando rem suam concedit tantùm in utilitatem alterius, vult ei præstare beneficium singulare : sed hoc plurimùm diminueretur, si commodatarius deberet etiam præstare casus quasi-fortuitos. 4° Si commodans evitare vult omnia pericula commodati, potest adjicere pactum assecurationis.

**155.** *Obj.* 11° : Quomodo leges obligent aliunde metiùs innotescere vix potest quàm ex judicio vel interpretatione DD.: sed isti communissimè fatentur, leges de contractibus obligare ante sententiam judicis, etiam ob culpam merè juridicam, levem et levissimam. Ita Less. l. 2, c. 7, n. 45, fatetur sententiam nobis adversam, esse communiorem et ordinariè servandam in praxi. Palao, D. 3, p. 6, n. 2, asserit omnes ferè DD. consentire quòd in contractibus obligatio restitutionis oriatur ex culpa merè juridica. Joan. Azor, p. 3, l. 7, c. 7, de commodat. dicit, sententiam nostram non esse solùm contrariam juris civilis et canonici doctoribus, sed etiam omnibus summistis; alii sententiam Soti vocant singularem.

*R.* Ex auctoribus qui citantur in oppositum, videntur complures intelligi posse de culpa quæ, materialiter et absolutè spectata, levis, formaliter tamen et respectivè gravis est aut lata, proùt ostensum in legibus n. 96, et apparebit inferiùs ex dicendis de quasi-contractu; vel possunt accipi de culpa juridica, quando quis, omittens ordinariam et moralem diligentiam, tacitè suscipit obligationem præstandi damnum. 2° Nec adversarii videntur in praxi semper à commodatario requirere summam et exactissimam cautelam, aut apicem summæ possibilis diligentiæ. 3° Esto veteres plus voluissent, tamen hodie sententia nostra satis auctoritate munitur.

**156.** *Obj.* 12°: Leges plus volunt quàm ut præstetur culpa tantùm respectivè lata; secus enim frus-

tranea foret distinctio culpæ levis et levissimæ. Item leges, dum obligant ad præstandam culpam levem et levissimam, inducunt novam obligationem : non autem inducerent, si quis tantùm obligaretur ex culpâ respectivè latâ et mortiferâ ; nam hæc etiam præstari debet, attento solo jure naturali.

*Resp. D.* Plus volunt post sententiam judicis, *C.* ante, *N.* Discrimen illud inter culpas non est frustraneum, quia leges hoc modo loquendi præcipiunt absolutè majorem accurationem in quibusdam contractibus quàm aliis. An autem hæc obligatio proveniat ex jure naturali, præscindimus.

## QUÆSTIO X.

EX QUA CULPA NASCATUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS IN QUASI-CONTRACTU.

157. *Sciendum* 1° vocari quasi-contractum, quando non utrinque formalis et explicitus consensus intervenit, sed ex unâ parte virtualis tantùm et interpretativus, uti fit in officio tutoris aut curatoris qui, dum assumit munus, tacitè vel virtualiter se adstringit ad debitam diligentiam in rebus pupilli vel minoris.

158. *Sciendum* 2° quinque genera quasi-contractuum in jure numerari, *L.* 3, *Instit. tit.* 28, videlicet negotia gesta, tutelam et curam, communionem rerum, aditionem hæreditatis, solutionem indebiti : sed hodie nomen hoc porrigitur ad quodvis officium et munus, v. g. gubernatoris, judicis, medici, procuratoris, advocati vel cujuslibet artificis aut opificis, item episcopi, parochi, confessarii, etc. ; nam omnes isti, dum munere funguntur, tacitè promittunt obligationem requisitæ diligentiæ.

159. *Sciendum* 3°, quod sæpiùs jam insinuaveram, pro diversitate materiæ diversam industriam et accurationem exposci ; nam utique major exposcitur vigilantia medici, quando morbus est sonticus et valdè periculosus, ac quando morbus est communis, non habens grave periculum. Unde culpa quæ materialiter est levis, sæpiùs est respectivè gravis et crassa. Quibus suppositis,

160. *Dico* 1° : In quasi-contractu nemo per se tenetur ad restitutionem, nisi ex culpâ respectivè latâ, Silvester, v. *Advocatus;* Vasq. c. 2, dub. 5 ; Less. l. 2, c. 7, n. 31 ; C. de Lugo D. 8, n. 91 ; Sporer tr. 4, c. 2, n. 240 ; Tambur. l. 8, tr. 3, c. 5, § 2 à n. 1 ; Herinex D. 5, n. 34 ; Sotus, Henriq. Saa, Perez, Haunoldus, Esparza, et communissimè RR. *Ratio prima.* Quia nemo per se tenetur in officio majorem adhibere diligentiam quàm soleant communiter homines gnavi vel prudentes ejudem conditionis et artis : non ex jure naturali, quia vix ullus agnovit hoc jus : non ex jure positivo, nam hoc sufficienter probari non potest, et in dubio standum est jure naturali. *Secunda.* Officiales communiter ad aliam diligentiam se non obligant quàm ordinariam, nec respublica videtur ab illis plus exigere quàm dominus ab œconomo vel famulis, qui satisfaciunt etiam moderatâ vel morali diligentiâ. *Tertia.* Si tenerentur officiales etiam præstare culpam respectivè levem aut levissimam, timoratos hæc obligatio plurimùm absterreret ab officiis, nemo libens attrectaret alienas res, et quò magis quisque securitati suæ studeret, eò magis abhorreret ab artibus et muneribus cum maximo reipublicæ detrimento. Quippe nimis est arduum effugere quaslibet culpas, etiam respectivè leves, et attingere semper apicem illius diligentiæ quem AA. requirunt. *Quarta.* Ut cum aliis testatur Julius Clarus gravissimus J.-Ctus, apud Lessium et C. de Lugo, non est hodie moris ut officiales syndicentur aut accusentur, quando non commiserunt dolum aut culpam respectivè latam.

161. *Dico* 2° : In quasi-contractu nemo per se sub gravi tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis, nisi commiserit culpam theologicè mortalem. Ita præter Gabr. Vasq. et Turrianum omnes auctores nuper citati. Ratio prima eadem est quæ suprà n. 144. Culpa respectivè lata quam committis in materiâ gravi, semper est theologicè mortalis, nisi fors, error, ignorantia vel indeliberatio mentis excuset, vel nisi specialiter statuas emendare damnum grave quod fortassis emergere potest ex culpâ respectivè latâ. Secunda. Antecedenter ad omnes eventus, non est optabilior humano generi gravis obligatio sarciendi damnum, per culpam imperfectam et indeliberatam in officiis illatum ; cùm enim moraliter impossibile sit in officiis cavere quaslibet culpas theologicè leves, et ex iis, præter intentionem aut sufficientem advertentiam, oriantur non rarò sat gravia damna, timorati plurimùm abhorrerent à susceptione munerum, si deberent ante judicis sententiam compensare damna gravia, citra culpam mortalem illata. Et væ medicis si cogerentur ad restitutionem quoties per ignorantiam aut inadvertentiam, venialiter culpabilem, causa sunt acceleratæ mortis ! væ judicibus qui moraliter evitare non possunt culpas omnes theologicè leves in tractandis et decidendis forensibus causis ! Tertia. Circa famulos qui minutula sæpiùs domi furantur, est communis DD. sententia, plus ad furti gravitatem exigi quàm si furta minuta fierent ab extraneis, ac dominos non ita severos quoad restitutionem : ergo nec debemus supponere quòd domini, propter culpam indeliberatam et moraliter inevitabilem, exigant à famulis gravissimam restitutionem, non expectatâ sententia judicis ; cùm, ut dictum est n. 109, ne quidem extranei facere debeant ejusmodi restitutionem. Quarta. Obligatio gravis præstandi culpam respectivè latam, quæ propter indeliberationem aut alias causas excusatur à mortali, non potest ex ullo jure sufficienter probari, neque satis etiam deducitur ex praxi ; cùm hodie pauci formentsibi scrupulum faciendæ restitutionis, si culpam respectivè latam per oblivionem naturalem aut indeliberationem admiserint ; et quamvis auctores plurimi, præsertim veteres, videantur eam asserere, tamen hodie tot ac fortè plures illam negant : in ambiguis autem controversiis, quando veritas liquidò deprehendi non potest, standum est pro domino qui, propter jus alterius incertum, non est privandus dominio certo

suarum facultatum (1). Cæterùm dixi semper, *ante sententiam judicis.*

162. *Dico* 3°: Per accidens tamen oriri potest in quasi-contractu gravis obligatio præstandi culpam respectivè levem et levissimam. 1° Quia potest accedere pactum assecurationis de præstandis ejusmodi culpis, imò de casibus etiam fortuitis. 2° Sæpe fit ut artifex, chirurgus, medicus et officialis se diligentissimum ac peritissimum venditet, ac dominus quærens bonum artificem, chirurgum, etc. peritiorem et diligentiorem accercisset; tunc enim artifex, chirurgus, etc., tenetur præstare culpam respectivè levem aut levissimam, nisi malis dicere culpam hanc non esse respectivè levem aut levissimam, quia artifex se graviter obligavit ad exquisitissimam diligentiam. Sed nolim de vocibus contendere; saltem ejusmodi culpa levis appellari potest respectu artificis in genere. 3° Sæpe res tractanda postulat exactissimam diligentiam. Verùm hìc rectiùs dicitur omissionem summæ diligentiæ, non levem, sed latam esse culpam.

163. *Dico* 4°: Culpa lata, propter quam officiales obligantur ad restitutionem, non solùm contingere potest in administratione, sed etiam in susceptione munerum, v. g. si homines imperiti se ingerant in munera, ac postea propter imperitiam aut ignorantiam causent gravissima damna. *Ratio.* Nam hæc ignorantia, cùm sit vincibilis, non excusat à culpâ injustitiæ, multò minùs à restitutione; et hinc meritò timere debent æternum animæ dispendium causidici, senatores, prætores et judices, qui, tametsi jura primis vix labiis delibaverint, cruda vel impolita studia mox in forum, propellunt, causas sanctissimas orare sustinent, et illotis, ut aiunt, manibus, gravissima tractant reipublicæ negotia, quos recentiorum nonnemo bene vocat *togatos vultures, privilegiarios crumenicidas* et *honoratos prædones.* Idem esto judicium de medicis, confessariis et pastoribus animarum.

164. *Dico* 5°: Officialis qui peccavit contra justitiam, assumendo vel retinendo munus ad quod erat insufficiens, si tamen postea tantum assecutus est suâ diligentiâ quantum doctus assequeretur, non tenetur ad restitutionem; quia damnum quod sequitur, non oritur formaliter ex imperitiâ, sed ex difficultate rei quam nec doctus superare potuisset. Ita C. de Lugo D. 8, n. 89.

165. *Objicitur.* Sententia quæ docet, in quasi-contractu præstari duntaxat culpam latam, est contraria legibus, sensui communi DD. et rationi. Nam 1° *L. quidquid tutoris* 7, *C. arbitrium tutelæ, et L. tutori* 20, *Cod. de Negot. gestis*, tutor et curator non tantùm dolum et latam culpam, sed et levem præstare jubentur. Item *L. adversus* 1 *ff. Si mensor*, agrorum mensor, si mercede sit conductus, non omnem præstare culpam dicitur: igitur solùm excipitur à levissimâ. 2° Joan. Azor, p. 3, l. 4, c. 6, et Dicast. lib. 3, de Restit, n. 87, scribunt, esse communem opinionem, quòd officialis aut operarius, ex mercede vel stipendio serviens, teneatur ex culpâ levi. 3° Naturalis æquitas exposcit ut majorem adhibeas diligentiam, quando servis alteri propter mercedem, et ex officio percipis emolumentum quàm si gratis tantùm et liberaliter præstas obsequium.

*R.* cum Less. l. 2, c. 7. n. 32, sententias conciliari facilè, si dicas, in quasi-contractu præstari culpam respectivè latam: quamvis enim officialis, artifex, aut famulus, mercede vel stipendio conductus, ad ampliorem diligentiam adstringatur quàm alius qui purè gratis et liberaliter servit, tamen non debet adhibere majorem quàm communiter solent alii, mercede vel stipendio conducti. Sic etiam, quamvis lex Aquilia jubeat præstari culpam levissimam, tamen, ut rectè Covarruvias de matrim. p. 2, c. 6, § 8, n. 18, notat, id non est intelligendum de culpâ respectivè levissimâ, sed de eâ quæ levissima foret in aliis materiis, ubi non requiritur tam exacta diligentia.

## QUÆSTIO XI.

### AN SARCIRI DEBEAT DAMNUM PER ACCIDENS ET EX IGNORANTIA DATUM?

166. Frequens est casus ut vacans rei licitæ vel illicitæ, præter intentionem sit causa damni cujus nullam habet aut habere potest suspicionem: e. g. 1° Cæcilius vacat honestæ venationi, videt animal in dumeto, per invincibilem errorem putat esse cervum, aut aprum, jaculatur, et occidit hominem. 2° Eligius contra præceptum Ecclesiæ festâ die laborat in officinâ fabrili, casu prorsus improviso suscitat incendium et comburit horreum Fabricii. 3° Nerva vult expilare domum Tarquinii, præter intentionem movet ac dejicit asserem, et occidit infantem subtus latentem.

167. *Dico* 1°: Vacans operi licito, quando præter intentionem et ex errore prorsus invincibili dat alteri damnum ac lædit ipsius jus, per se non tenetur ad restitutionem. Ita omnes. Et *ratio* 1°. Juxta *c. quantum* 48, *dist.* 50, *et cap. fin. si culpâ, De injuriis*, non tenetur ad restitutionem, *qui nihil de contingentibus ad præcavendum damnum omisit:* nihil autem omisit qui, vacans operi licito, damnum alterius prævidere nullatenus potuit. 2°. Creans damnum in hoc casu nec tenetur ob rem acceptam, ut suppono, nec ob injustam acceptionem aut læsionem: nam injustitiæ culpa vera non est, quæ non est voluntaria; nihil autem volitum, nisi prægnitum, ut cum S. Th. 1-2, q. 6, a. 8, docent omnes TT. et concinunt J.-Cti *L. nihil consensui* 116, *ff. de R. J.* 3° Aliàs etiam obnoxius restitutioni foret infans, dormiens aut amens, quoties causaret damnum materialiter injustum. 4° Qui bonâ fide consumit rem alienam, putans esse suam, esto gravissimum pariat damnum, non tenetur ad restitutionem, nisi factus sit ditior. 5° Cæcilius, quando licitè venatur, et præter omnem intentionem occidit hominem, quem, factâ sufficienti diligentiâ, putat esse feram, in omni foro absolvitur ab homicidio, neque fit irregularis; quia casus censetur omnino fortuitus, ut patet ex *c. Dilectus* 13, *c. Joann.* 23, *c. quidam* 25 *de homicid. et L. qui occidit* 30, § *fin. ff. ad leg. Aquil.*

168. *Dico* 2°: Assertio posita locum habet etiam in

(1) *V.* notam subjectam, n. 73.

casu quo lædens habitualiter aut actualiter est ita comparatus, ut vellet injustum causare damnum si suppeteret occasio : v. g. Titius, vacans venationi licitæ, præmissâ sufficienti diligentiâ, certissimò sibi persuadet in frutetis latere bestiam, mallet præsentem esse Caium inimicum, jaculatur, et reipsa non bestiam, sed Caium occidit : in hoc casu non tenetur Titius ad restitutionem ex homicidio, nec incurrit pœnam irregularitatis. Ita Suarez, D. 4, s. 8, de cens. n. 9; Th. Sanch. l. 9, de matrim. D. 32, n. 26; Vasq. 1, 2, D. 125, n. 4 et 9; Azor, t. 1, l. 1, c. 14, q. 4; Navarra, l. 2, c. 1, dub. 7, n. 61; Dicast. D. 3, de Restit. n. 68; Sotus, Reginald. Tamb. et alii communissimè contra Mercadum, etc. *Ratio* 1ª Ad inducendam obligationem restitutionis, non sufficit pravus et injustus affectus quo velies lædere, si posses; aliàs teneretur ad restitutionem, qui vellet furari centum millia florenorum, aut flammis absumere totam regionem, si posset; sed requiritur affectus efficax quo des actu damnum, et alterum effectivè lædas in suis bonis et juribus : hic autem in posito casu non adest. 2° Affectus Titii quo vellet occidere Caium, est purè conditionatus et concomitans, ac nullatenus dirigit, imperat aut efficit occisionem Caii : sed occisio quæ non dirigitur aut efficitur ab injusto mentis affectu, non imputatur ad culpam formalis injustitiæ. 3° Nemo vult absolutè nunc facere quod videt hìc et nunc sibi non esse possibile : Titius autem, invincibiliter existimans adesse tantùm bestiam, videt hìc et nunc non esse sibi possibilem occisionem Caii. 4° Si quis vehementi concupiscentiâ motus, accederet ad non suam, bonâ fide putans esse suam, non committeret opus externum adulterii formalis, esto vellet accedere si femina non esset sua; nam pravum istud propositum non influit moraliter in opus in quo nulla videtur possibilitas aut periculum adulterii. 5° Qui percutit clericum, invincibiliter existimans esse laicum, non incurrit excommunicationem, quamvis ita sit dispositus, ut vellet etiam percutere clericum; nam Ecclesia non punit propter solos actus internos, neque ligat excommunicatione propter percussionem externam clerici, quando non est voluntaria : non est autem voluntaria percussio clerici quæ non procedit à voluntate percutiendi clericum, sed tantùm à voluntate percutiendi laicum.

169. *Dico* 3° : Vacans operi prohibito, quod tamen non est contra justitiam, si, factâ sufficienti cautelâ, per accidens causet injustum damnum, non tenetur ad restitutionem. Ita Molina, t. 3, tr. 2; D. 728. n. 2; Less. l. 2, c. 9, n. 103; Navarra l. 2, supra, et c. 3, n. 362; Dicast. D. 7, de Rest. n. 100, et alii contra Gabriel. *Ratio prima.* Nullus est titulus ex quo nascatur obligatio restitutionis : non res accepta, quod supponitur non injusta acceptio vel læsio, neque contractus aut lex. *Secunda.* Damnum injuriosum in hoc casu fortuitum est et omnino involuntarium : non enim est voluntarium in se, vel directè, cùm damnificans illud æquaquam prævideat, aut intendat; nec est voluntarium in causâ, vel indirectè, cùm damnum per se, vel ut plurimùm, vel etiam frequenter non oriatur ex operе, et consecutio illius invincibiliter ignoretur : invincibilis autem ignorantia tollit voluntarium. Unde S. Th. 1-2 q. 76, a. 3, docet ignorantiam invincibilem circumstantiæ peccati excusare à speciali illius malitiâ, tametsi peccatum ipsum secundùm se voluntarium sit. *Tertia.* Si non fuisset secutum damnum, malitia injustitiæ nec apud Deum, nec apud homines imputaretur operanti : ergo etiam, quamvis sequi contingat damnum, malitia non debet imputari, cùm malitia non pendeat ex eventu purè casuali. *Quarta.* Qui prodigè vel luxuriosè dissipat res alienas, bona fide putans esse suas, quamvis agat illicitè, non tamen tenetur ad restitutionem : ergo etiam à pari. *Quinta.* Si vera esset contraria sententia, reus esset homicidii, vel obnoxius restitutioni laicus qui tempore interdicti pulsaret campanam unde deciduus malleus occideret hominem, item clericus illicitè venans, si casu creparet bombarda cum alterius pernicie, vel si fors occideret hominem ferinâ pelle tectum; aut qui diebus esurialibus apponeret alicui carnes unde contraherent morbum : sed hoc est contra communem.

170. *Dico* 4° : Qui vacat operi formaliter injusto, et voluntariè causat iniquum et grave damnum, et per accidens ac præter omnem intentionem ac suspicionem infert aliud damnum quod cum priore per se non connectitur vel ex eo communiter, ut plurimum, aut valde frequenter non oritur, non tenetur ad reparationem posterioris damni. Ita Molina, tom. 3, tr. 2, D. 728, n. 2; Less. l. 2, c. 9, n. 110; Vasq. c. 3, de Rest. § 2, dub. 3; Dicast. D. 3 de Rest. n. 70; Navarra l. 2, c. 1, n. 79; Rebell. l. 2, q. 10, n. 19; C. de Lugo D. 8, n. 82, et alii communissimè contra Gabriel et Silvestr. quos novissimè sequitur Mastrius in Theol. Mor. D. 9, n. 30. *Ratio prima.* Quia damnum hoc est penitus fortuitum et involuntarium : non enim est voluntarium directè vel in se, quia ponitur nullatenùs prævideri : nec est voluntarium indirectè, vel in causâ; nam effectus ordinariè non dicitur volitus in causâ, nisi per se, vel necessariò, vel ut plurimùm, vel admodùm frequenter proveniat ex causâ, vel nisi saltem cognoscatur consecutio effectûs ex causâ. *Secunda.* Ut optimè Suar. D. 45, de Cens. s. 6, n. 8, quid refert, opus unde sequitur damnum injustum, esse malum contra justitiam, vel esse malum præcisè contra temperantiam, castitatem, obedientiam, etc., si ex utroque opere nascitur damnum per accidens et cum eâdem ignorantiâ? Ergo, sicut non teneris sarcire damnum quod per accidens et præter omnem suspicionem oritur ex opere malo contra temperantiam, castitatem, etc., ita neque teneris sarcire damnum quod per accidens oritur ex opere malo contra justitiam. Jus enim quod, c. g., Caius habet in suam vitam, non prohibet occasiones injustas, ex quibus remotè tantùm, per accidens et fortuito casu nascitur damnum aut privatio vitæ. *Tertia.* Qui furtim cædit arbores alienas in locis inviis, ubi, post sufficientem diligentiam, nullum videt periculum occisionis, non censetur reus homicidii, quando præter intentionem et contra suam opinionem occidit hominem. Idem est,

si volens occidere tuam vaccam, casu prorsus improviso, simul interficiam tuum filium, de quo nullam habere potui suspicionem. *Quarta.* Qui percussione suâ graviter vulnerat principem aut sacerdotem, quem invincibiliter putat esse plebeium aut laicum, non incurrit crimen læsæ majestatis aut sacrilegii, nec subjacet pœnis quæ statutæ sunt adversùs hujusmodi crimina. Ergo à pari. *Quinta.* Si deberet injustus occisor, v. g., compensare quælibet damna, etiam invincibiliter ignorata, quæ per accidens fortè nascuntur ex homicidio, nimirum onus accresceret occisori, maxima nasceretur in tribunalibus confusio, nullus esset finis litium; quia semper emergerent aut se proderent nova et nova damna, nec ullus esset restituendi finis, ut optimè notat C. Pallav. l. 4, c. 7, n. 72.

171. *Dico* 5° Auctor injusti damni, si tantùm prævideat aliud damnum sequi posse, sed tamen moraliter certò sibi persuadeat damnum minimè secuturum, non tenetur ad restitutionem, secuto damno. Ratio *prima.* Nam auctor injusti damni non potest in hoc casu rationaliter suspicari eventum damni, et nemo prudenter timet eventus purè possibiles, quorum periculum est valde remotum. Secunda. Esto, sub pelle ferinâ latere possit homo, nullus tamen arguet injustitiæ venatorem, quando sclopetum explodit in animal ferinâ pelle tectum. Tertia. Licet ænea fistula subin sponte suâ dissiliat, et interficiat vicinos, quia tamen casus hic est admodùm rarus, injustitiæ reus non est habens fistulam oneratam. Item licèt, appositâ sufficienti diligentiâ, dum emittitur glans plumbea, subinde casu per mediam viam currat homo, et ab illa corripiatur, non tamen idcirco culpabilis est jaculator. Id solùm est verum, sufficere minus periculum ut ex justitiâ tenearis actionem omittere, quando periculum est irreparabilis damni quoad vitam, quàm si damni periculum est in aliis minoribus bonis. Undè, licèt probabilius sit in dumeto latere lupum, si tamen est aliquo modo verisimile hominem latere, debes ex justitiâ jaculationem omittere.

172. *Dico* 6° : Auctor injusti damni, etiamsi prudenter suspicetur eventurum aliud damnum, si tamen illud non eveniat per se, nec ut plurimùm, nec valde frequenter, sed rarò, vel si potiùs ob aliorum malitiam aut ignorantiam eveniat, ordinariè non tenetur ad compensationem illius damni. Molina t. 4, D. 86; Less. l. 2, c. 9, n. 111; Dicastillo D. 7, n. 105; C. de Lugo D. 8, n. 82; Sotus, Angles, Salonius, Lopez, Sporer et alii communissimè (1). Ratio prima. Qui vendit arma vel chartas lusorias, furto subductas, sæpe prudenter timet abusum, neque tamen idcirco tenetur præstare damna secuta; secus etiam teneretur qui venderet arma vel chartas, nullo furto subductas; cùm in priori casu moraliter non magis influat in damna venditor quàm in posteriori. Secunda. Qui furatur Euclioni centum aureos, vel aufert feminæ deliciosum catellum aut aviculam, prævidet subinde tristitiam immodicam et morbum, vel etiam mortem domini, et gravissimè peccat contra charitatem : non tamen tenetur ad restitutionem; quia morbus et mors non oritur ex naturâ actionis per se, sed potiùs ex stultitiâ domini. Similiter femina, quando timet, se conspectâ, juvenem ex amoris violentiâ futurum ægrotum aut insanum, tenetur quidem ex charitate conspectum vitare si commodè possit, non tamen ex justitiâ. Tertia. Aliud est præbere causam, aliud occasionem damni : posterius non sufficit ad obligationem restitutionis. Excipiunt tamen aliqui casum in quo creans injustum damnum intenderet aliud damnum per accidens connexum. Sed de hoc infrà, cùm de intentione nocendi, quæst. 25.

173. Ex his assertionibus resolvi possunt innumeri casus : lubet aliquot exempla subjungere. *Primum sit.* Curtius occidit occultè Mutium : cædes, præter illius intentionem, imponitur Mævio; rapitur hic ad torturam, fatetur cædem, afficitur extremo supplicio. Curtius in hoc casu tenetur ad restitutionem hæredibus Mævii; quia supplicium Mævii per se non oritur ex occisione Mutii, sed ex malitiâ vel ignorantiâ accusatorum, testium et judicum. Ita Molina, tom. 4, D. 86, n. 4, et alii communiter. Si tamen Mævius satisfecit hæredibus necessariis Mutii, tenetur Curtius refundere sumptus hæredibus Mævii; quia, cùm jure naturali teneatur ad restitutionem faciendam hæredibus necessariis occisi, siquidem hoc damnum prævidit, satisfacere postea debet iis qui loco ipsius coacti fuerunt hanc obligationem suscipere.

174. *Secundum.* Tiberius occidit in ædibus suis Pomponium, cadaver longiùs portat, ut suspicionem evadat, et projicit ante domum Egnatii : defertur hic ad tribunal, cogitur ad carcerem, torquetur, imponit sibi crimen, et carnifici traditur. In hoc casu, si Tiberius non præscivit Egnatium aliàs suspectum de cædibus aut capitalibus odiis contra Pomponium, Tiberius non videtur cogendus ad restitutionem; quia situs ille cadaveris ante domum ordinariè non est causa sufficiens ad incarcerationem et torturam. Sic etiam non tenetur ad restitutionem qui puerum, ante suas fores depositum, deponeret ante fores alterius; quia per hoc alter non cogitur ad educandum puerum, ut optimè Th. Sanch. l. 1, Consil. c. 5, dub. 5, n. 71. Ad summum Tiberius tenebitur compensare damnum, si fors Egnatius opifex, ad examen citatus, fraudari debuit lucro diurni laboris. Si tamen Tiberius præsciverit Egnatium esse suspectum de cædibus aut inimicum capitalem Pomponii; vel, si Pomponium occideret, indutus vestibus Egnatii contra voluntatem ipsius, vel in ejus domo, vel gladium cruentum ibi relinqueret, teneretur ad restitutionem; quia cædes in his circumstantiis patrata, communiter, ut plurimùm, vel valde frequenter gravia damna causat Egnatio, proùt observat Vasq. c. 2, de Rest. § 2, dub. 4, n. 31.

175. *Tertium.* Frobenius Sabino petenti potum, offert poculum veneno mixtum ex intentione necis : Tarquinius illud eripit Sabino, bibit et moritur. In hoc casu Frobenius, si non poterat citra manifestatio-

(1) *V.* quæ infrà dicturi sumus, n. 185 *bis.*

nem sceleris et certum vitæ periculum impedire Tarquinium, non tenetur ad restitutionem; quia periculum istud non prævidit, et non tenebatur cum certo vitæ periculo mortem improvisam avertere. Similem casum de ficu venenatâ resolvit C. de Lugo, D. 8, n. 86, quamvis in hoc casu concedam faciliùs prævideri posse periculum; cùm in convivio sæpiùs contingat ut unus cibum sibi porrectum alteri tradat.

176. *Quartum.* Titius infligit Caio vulnus admodum leve, Caius ex incuriâ non accersit chirurgum, non obligat vulnus, vel adhibet emplastrum nocens ac moritur. In hoc casu Titius non tenetur ad restitutionem pro morte; quia per accidens tantùm sequitur, et oritur potiùs ex incuria Caii vel imperitia chirurgi quàm ex facto Titii. Similiter non teneretur Titius si verberaret Caium, et Caius fugiens casu procideret, allideret caput ad petram, unde postea moreretur.

177. *Quintum.* Furbius ingreditur noctu sine lumine domum alienam, offendit pedibus in vas crystallinum et pretiosum, illudque frangit. In hoc casu, si Furbius nihil cogitavit de damno vel ejus periculo, non tenetur ad restitutionem, ut rectè Dicastillo, D. 3, n. 72. Imò, si præscivit remotum aliquod periculum, et diligentiam eam adhibuit quam communiter alii prudentes solent qui licitè domum alienam ingrediuntur noctu sine lumine, non videtur ad restitutionem cogendus, ut in simili resolvit Molina, tom. 3, tr. 2, D. 728, n. 2, qui tamen n. sequenti statim observat, nisi de sufficienti diligentiâ constet, in foro externo faciliùs in hoc casu præsumi culpam theologicam, vel per modum pœnæ restitutionem imponi.

178. *Sextum.* Nigidius lumen ferens recludit et ingreditur domum alienam, surripit pecuniam, sed casu simul incendit aulæa vel aliam supellectilem. Inde territus ac fugiens relinquit domum apertam, ac eâdem nocte furantur alii duos equos ex stabulo. Nigidius in hoc casu tenetur ad restitutionem pecuniæ, quod est per se liquidum; item ad compensationem equorum, quia domum voluntariè reliquit apertam: sed pro combustis aulæis ad nihil tenetur, cùm casus sit fortuitus. Quòd si Nigidius faculâ præter intentionem incendit illam ipsam mercem quam voluit furari, facienda est distinctio. Vel enim vestem illam jam surripuit, et tunc restituere tenetur ob injustam acceptionem, sicut si res alia, furto subducta, casu pereat: vel vestem illam nondum surripuit, et excusatur; quia præter intentionem et casu fortuito mercem incendit, et Nigidius non comburere, sed furari voluit. Ita C. de Lugo, D. 18, n. 88.

179. *Septimum.* Turpilius habet rem cum alterius uxore. Supervenit maritus zelotypus, et mulierem in flagranti deprehensam occidit. In hoc casu, si Turpilius adhibuit sufficientem cautelam, ut marito non innotesceret crimen, vel si rem habuit in iis regionibus ubi rarissimus et extraordinarius est casus, ut mariti zelotypi tam atrociter sumant vindictam, non potest dici causa moralis homicidii: secus, si in aliis regionibus, ubi frequens est ejusmodi vindicta, et si simul non adhibuit sufficientem cautelam. Et in hoc casu Suar. D. 45, de Cens. s. 6, n. 7, existimat intelligendum Pium V, qui, consultus à sacrâ Pœnitentiariâ, declarâsse dicitur quòd adulter ejusmodi sit irregularis.

*Objectiones.*

180. *Obj.* 1° *contra tertiam conclus.* Dans operam rei prohibitæ, si sequatur inde mors alterius, in jure punitur ut homicida, vel fit irregularis, quamvis illud opus prohibitum non sit contra justitiam, et ex eo nec per se, nec ut plurimùm, nec etiam valde frequenter oriatur mors. *Ant. patet* ex c. *tua nos* 19 *de hom.*, ubi monachus sacerdos, qui chirurgiam exercuit contra legem ecclesiasticam, et apostema gutturis aut strumam incidit, secutâ morte, declaratur irregularis; et ex *c. fin. de homic. in* 6, ubi, dum mandatarius excessit fines mandati, et occidit alterum quem percutere vel vulnerare solum erat jussus, mandans irregularis pronuntiatur. Item jura solum dicunt, eum irregularem non fieri, secutâ morte, qui dedit operam rei licitæ cum sufficienti cautione: igitur à contrario fit irregularis, qui dedit operam rei non licitæ: quamvis enim argumentum à contrario sit apud dialecticos imbecille, firmissimum tamen est apud Juris-Consultos.

*R.* 1° *N. C.* Irregularitas ob specialem juris dispositionem incurri potest, quando non incurritur obligatio restitutionis; quippe si potest irregularitas imponi propter opus nullatenus peccaminosum, sed potiùs meritorium, ut quando quis agit causam sanguinis, non est ratio quare non possit imponi propter homicidium casuale, secutum ex opere prohibito.

*R.* 2° *D. A.* Fit irregularis in casibus jure expressis *C.* in aliis, *N.* Irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis, ut colligitur ex *c. is qui* 18, *de sent exc.*, *in* 6. Unde putat Suar. D. 45, de Cens. s. 6, n. 9, non incurri pœnam irregularitatis propter opus illicitum, ex quo sequitur casuale homicidium, nisi quando specialiter à jure prohibitum est opus ob periculum aliquod homicidii, proùt contigit in allatis casibus. Potest autem pontifex, tum in odium homicidii, tum ob reverentiam altaris, meritò pœnas hujusmodi statuere.

181. *Obj.* 2°: Irregularitas in prædictis casibus incurritur ut pœna propter homicidium: pœna verò non incurritur nisi propter delictum voluntarium: igitur homicidium in iis casibus est voluntarium: igitur ad homicidium voluntarium satis est si voluntarium sit opus prohibitum, ex quo sequi potest aliquando homicidium.

*R. N. m.* Sed incurritur ut pœna propter opus illicitum, ita tamen ut homicidium requiratur tanquam conditio sine quâ non, ut bene Suarez suprà n. 16. Dein homicidium in prædictis casibus non est quidem reipsa voluntarium, est tamen voluntarium interpretatione legis; quia lex positiva specialiter prohibet illa opera, propter periculum aliquod homicidii.

182. *Obj.* 3°: S. Th. 1 2, q. 73, a. 3, *Quandoque nocumentum, ait, nec est prævisum, nec intentum; et tunc, si per accidens se habeat ad peccatum, non aggra-*

*vat peccatum directè; sed propter negligentiam considerandi nocumenta quæ consequi possent, imputantur homini ad pœnam mala quæ eveniunt præter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitæ*: ergo, si fur, noctu domum tuam ad furandum ingressus, eam per omnimodam inadvertentiam incendit, obligandus est ad restitutionem. Ita quippe textum Angelici doctoris exposuisse dicitur Sotus, cùm Salmanticæ prælegeret, qui tamen alterâ die, cùm meliùs locum perpenderet, sententiam revocavit, ut testis est Rebellus, l. 2, de Restit. q. 10, n. 19.

*R. D. C.* Post sententiam judicis, *C.* ante, *N.* Locus S. Th. procedit de quovis injusto damnificatore qui dat operam rei illicitæ, et per culpam merè juridicam est causa damni præter intentionem secuti; tunc enim in foro judiciali cogitur damnificator reparare damnum, juxta *L. in lege 43, ff. ad Leg. Aquil.* Unde S. Doctor addit, ejusmodi restitutionem esse pœnam, per civile jus appositam.

183. *Obj.* 4°. Qui se volens inebriat, et in ebrietate committit homicidium, non solùm ebrietatis, sed etiam homicidii est reus, et tenetur ad restitutionem, ut tradit communis opinio veterum, quibus favent S. Thomas 2-2, q. 150, a. 4 in c. et Aristoteles 3 Eth. c. 5, ubi docet ebrium qui vulnerat aut occidit alterum ebrietatis tempore, duplici pœnâ dignum. Huc etiam facit antiquissima lex Pittaci statuentis ut ebrii, si percuterent, graviùs punirentur quàm sobrii.

*R. D. A.* Si prævidit se pronum ad rixas, et in ebrietate malum hoc verosimiliter eventurum, *C.*; si non prævidit, aut si moraliter adhibuit sufficientem cautelam ut impediretur ejusmodi malum, *N.* Mala quæ prudenter ab ebrio prævideri non possunt, non imputantur ad culpam, ut Origenes, Irenæus, Chrysost. Theodoret. ac præcipuè S. August. quos sequitur Vasquez, 1-2, D. 27, n. 3; Lothum, tametsi reus fuerit ebrietatis, excusant ab incestu, quia flagitium hoc minimè prævidit.

184. *Obj.* 5° *contra quintam et sextam conclus.*: Quamvis damnum injustum ordinariè, vel ut plurimùm non oriatur ex actione tuâ, si tamen oriri possit et aliquoties oriatur, ac præterea scias hoc periculum, non potes actionem ponere citra peccatum injustitiæ, et damnum inde secutum merito tibi imputatur: ergo, si domum alienam intres animo furandi pecuniam, et conculces humi vasa crystallina, vel præter intentionem suscites incendium, semper teneris ad restitutionem. *A. prob.* Qui videt eminus animal, esto longè probabiliùs judicet esse feram, si tamen non sit omnino certus, et tenuiter tantùm probabile sit hominem adesse, tenetur omittere jaculationem.

*R. D. A.* Si periculum sit aliquo modo propinquum et damnum sit gravissimum, quod reparari facilè non potest, neque sit necessitas ponendi actionem, *C.*; secùs, *N.* Ut dictum est n. 171, periculum, propter quod oportet actionem ex justitiâ cavere, debet aliquo modo esse propinquum; nam valde remota non prudenter timemus. 2° Quò gravius est damnum, eò faciliùs timeri debet periculum, et accuratior requiritur cautela. 3° Perpendi quoque debet utilitas et necessitas actionis. Unde venditor armorum excusatur ab injustis cædibus, quæ sæpiùs postea fiunt ab emptoribus.

185. *Obj.* 6°: Qui domino furenti, vel minitanti cædem injustam absque sufficienti necessitate, reddit gladium apud se depositum, censetur injusta causa necis, quamvis ista per se non oriatur ex naturâ actionis, sed ex malitiâ domini furentis: ergo etiam, qui furto suo dominum ita contristat, ut moriatur, est injusta causa mortis.

*R.* 1° *ant.* non esse positum extra controversiam, et P. Molina, t. 3, D. 755, putat depositarium peccare tantùm contra charitatem, dummodo necem alterius non intendat.

*R.* 2° cum Soto, Ledesma, Lessio, Bonac. quos sequitur C. de Lugo, D. 21, n. 29: *C. A. N. C.* Licèt injusta cædes per se non oriatur ex redditione gladii, secundùm se spectatâ, tamen ut plurimùm oritur ex eâ, si fiat in talibus circumstantiis in quibus dominus, petens gladium, est paratus ad injustam cædem, et subministratio gladii in iis circumstantiis videtur nimis proxima cooperatio ad cædem; aliàs etiam posset quis furenti subministrare proprium gladium citra vitium injustitiæ, quod nemo concedet. Contrà verò rarissimò contingit ut quis propter furtum incidat in tristitiam causativam mortis: et esto sint aliqui tam miseræ vel delicatæ complexionis, imò sint possibiles homines ejusmodi infiniti, tamen in moralibus attendi debet quid actu communiter, plerumque, vel admodum frequenter fiat.

* Minùs peremptoriè abscidi nodum difficultatis videtur, nec disparitas decretorio satismodo distinguitur: *Ut enim, licet injusta cædes per se non oriatur ex redditione gladii, tamen ut plurimùm oritur ex eâ, si fiat in talibus circumstantiis in quibus dominus petens gladium est paratus ad injustam cædem*, sic quoque licèt in vulgaribus casibus rarissimè accidat ut furto spoliatus, præ tristitiâ, mortis discrimen incurrat, possit tamen dici illud ut plurimùm ac probabiliter eventurum fore, si furtum in hominem incidat quem fur novit esse tenui infimâque valetudine et habitudine corporis. Illis ut in ambagibus impediri nulli liceat, præmissâ definitione auctoris propositum illustrare tentabimus; hujus enim sententia ad unum revocari potest, scilicet de restitutione non teneri qui merè occasionalis vel accidentalis causa fuerit damni, quod omnibus intellectibus certissimè subjacet: nec inutile tamen erit, quid per causam merè occasionalem, quid per merè accidentalem percipiendum sit, explanare.

Cum causâ mediatâ sæpiùs confusa est causa occasionalis: quarum discrimen magni esse momenti et decretoriâ ratione eminere facilè probatur: siquidem causa mediata absque dubio plerùmque præstandæ restitutionis et resarciendi damni tenetur, ut apparet in exemplo consciorum, et vel manu vel consiliis agentes juvantium, dùm occasionalis non ita directè

accidentibus immiscetur. Ut ergò nomen occasionalis indicat, non sufficit ut ei accedat alia causa etiam libera quæ ipsi opituletur ; non etiam ut damnum alienæ malitiæ vel ignorantiæ potiùs quàm occasionali causæ sit tribuendum, quo casu mediata diceretur ; causa occasionalis erit qui factum admittit, quod nec physicè, nec moraliter damnum impingere ex se potest, quo autem peracto alter proprio motu nullo impellente, noxam parat et infert. Vide n. 173, 176. Ex his ergò sequitur causam posse esse merè occasionalem, quamvis eâ remotâ damno locus datus non, fuisset : quo in casu dici potest conditio sine quâ non non autem causa efficax, vel etiam mediata, vel cooperans, nec etiam partialis illati damni.

Causa merè accidentalis dicetur quæ damnum ut plurimùm non infert, quandoque tamen nocere potest ; nihil enim mirum esset in casibus peculiaribus damnum adeò imminens esse, ut probabiliter subsecuturum hanc causam quasi determinantem prævideatur. Omnium verò intellectum læderet, communemque sensum offenderet, qui accidens et fortuitum casum facto præviso, effectui necessario æquipararet ; vulgaris etiam sermonis significationem oblitus fuisset.

Accidentalis ergo causa damni erit ille qui damnum nec ut certum, nec ut probabile prævidere et suspicari, vel potuit, vel debuit, actumque peregit nullo probabili nexu et apparente cum clade subsecutâ connexum ; quem de restitutione teneri affirmare nemo nisi iniquè posset, cùm evidenter hìc, absente prævisione, abfuerit etiam voluntas ; imò verò si possibilitatem suspicatus, maturo et prudenti judicio probabilitatem damni respuerit, tunc etiam involuntaria moraliter causa diceretur ex eo quòd meræ possibilitatis ratio exigi nequeat ab homine, qui nullo modo ad præcavendum omnibus quæ accidere possunt adstringitur *.

## QUÆSTIO XII.

### AN COMPENSARI DEBEAT EXCESSUS DAMNI INVINCIBILITER IGNORATUS ?

186. Quæstio non est de excessu qui per accidens tantùm connectitur cum damno scienter et voluntariè dato ; nam de illo dictum est suprà : sed de excessu qui per se connectitur, vel ex eo damno voluntariè dato communiter aut plerumque solet oriri ; v. g. Titius in mare projicit gemmam Caii, mille florenis æstimatam, ipse tamen errore penitus invincibili putat eam valere minoris. In hoc casu triplex est opinio. Prima vult compensandum esse totum damnum, esto Titius putaverit gemmam esse modici valoris. Ita C. Pallav. l. 4, c. 7, n. 71. Secunda contendit tantùm tunc compensandum esse totum damnum, quando Titius gravem injuriam intulit, existimans gemmam esse magni valoris, esto putaverit esse minoris. Ita C. de Lugo, D. 8, n. 63, quem sequitur Illsung. tr. 4. D. 3, n. 22. Tertia negat excessum invincibiliter ignoratum esse sarciendum. Ita P. Esparza, q. 34 ; Haunold. tr. 2, n. 219 ; Mezger, D. 32, a. 2, n. 19 ; Ferd. Krimer, de Jur. et J. n. 524.

187. *Dico* 1° Qui voluntariè damnum infert contrà justitiam, sed invincibiliter existimat damnum esse leve, non tenetur ad reparationem totius damni. Ratio prima, quia nimis inhumana foret obligatio si v. g. Titius bonâ fide credidit gemmam esse vitrum unius aut alterius teruncii, nec habuit ullam prudentem suspicionem oppositi, reddere cogeretur centum mille, vel plures aureos. Secunda, Si Titius bona fide credidisset impolitam gemmam esse vitrum nullius omnino valoris, non teneretur ad ullam compensationem : ergo nec tenetur ad compensationem totius damni, quando credidit gemmam esse vitrum unius tantùm aut alterius teruncii ; sicut enim priori casu totum damnum est involuntarium, sic in posteriori quasi totum damnum est involuntarium, et tantùm est voluntarium damnum unius aut alterius teruncii. Tertia, Destruens gemmam in hoc casu non posset ad furcam condamnari, dummodo legitimè constaret illum invincibili errore deceptum : ergo nec condemnari debet ad gravissimam restitutionem aut reparationem totius damni. Quarta. Pone quòd famulus ex petulantia dilaceret chirographum, vi cujus domino debentur trecenta millia florenorum, ita tamen ut ob ruditatem nihil suspicari possit de gravi damno, quis eum obligabit ad restitutionem tam gravis summæ ?

188. *Dico* 2° : Qui bona fide credidit damnum esse leve, vel unius tantùm aut alterius teruncii, non tenetur ad reparationem alicujus gravis damni. Ratio prima : Quia grave damnum est ei penitus involuntarium et fortuitum. Secunda. Si conceditur quòd Titius in priore casu non debeat reparare totum damnum, non poterit taxari quantum de gravi damno debeat reparare. Non enim potes dicere quòd debeat 10 aut plures florenos reddere ; quòd enim gemma valeat 1000 florenis, est purè per accidens respectu Titii, et Titius non commisit majorem formaliter injustitiam in hoc casu quàm in altero, quo gemma solùm valuisset 100 florenis. Tertia. Nonapparet unde nascatur hæc gravis obligatio : non ex re accepta, quod patet ; non ex injusta acceptione ; quia culpa valde modica, quâ voluntariè tantùm feror in leve damnum, non videtur proportionata satis ad tam gravem obligationem ; et aliàs etiam qui levissimam tantùm negligentiam committeret in rebus alienis, putans remotum esse periculum damni, semper teneretur ad gravem restitutionem, secuto gravi damno.

189. *Dico* 3° : Qui voluntariè causat injustum et grave damnum, quod tamen bona fide credit esse minùs grave quàm sit, probabiliter non tenetur ad excessum invincibiliter ignoratum, quamvis iste per se vel ut plurimùm connectatur cum damno volito Ratio prima. Excessus damni, qui per errorem invincibilem ignoratur, ut nec veniat, nec post sufficientem inquisitionem venire possit in prudentem suspicionem, est fortuitus et involuntarius ; non enim est voluntarius in se, quod patet : nec est voluntarius in causa ; licèt enim necessariò connectatur cum

causa, tamen hæc connexio invincibiliter ignoratur à lædente. Secunda. Ut bene notat Esparza, perinde se habent in moralibus præcisio rationis ac distinctio realis; et malitia, quam mentaliter ab actu præscindo, et invincibiliter nescio, non potest mihi moraliter imputari, sive dein per se, sive per accidens connectatur cum actu quem intendo; ita qui peccat cum ligatâ, quam invincibiliter putat esse solutam, committit quidem formaliter malitiam fornicationis, non verò committit formaliter malitiam adulterii. Qui per furorem eructat voces, quæ simul blasphemæ sunt in Deum, et in hominem contumeliosæ, non est reus blasphemiæ, si per errorem invincibilem nesciat voces esse blasphemas : ergo non potest imputari moraliter ad peccatum excessus damni invincibiliter ignoratus : ergo nec imputari debet ad obligationem restitutionis. Tertia. Ideò, secundùm AA qui nobis astipulantur supra n. 172, non debeo resarcire damna quælibet extrinseca, per accidens connexa cum damno, scienter et voluntariè dato, quia sunt mihi penitus involuntaria vel fortuita : et ideò sunt mihi fortuita vel involuntaria, quia nullatenus sunt prævisa, sed invincibiliter ignorata : sed hæc ratio, si quid probat, probat etiam pro nostro casu. Quarta. Si Titius à Caio, domino gemmæ, sæpiùs audisset eam constare duobus tantùm aut tribus florenis, nec haberet ullam suspicionem oppositi, sed post destructionem intelligeret à trapezitis eam valere centum aut mille florenis, planè nimis durum videretur eum cogere ad solvendos centum aut mille florenos : sicut enim, si furca statuta tantùm foret adversùs furem centum aut mille florenorum, Titius non posset ad hanc pœnam cogi, dummodo legitimè probaret sibi furtum tam grave non fuisse voluntarium, et se deceptum errore penitus invincibili, ita nec cogi debet ad restitutionem totius pretii, quando destructio totius pretii non fuit voluntaria. Quinta. Si Titius haberet duas gemmas Caii, quarum unam invincibiliter putaret esse suam, et committeret sciens et volens actionem ex qua per se nasceretur destructio utriusque gemmæ, profectò deberet unius tantùm gemmæ pretium reddere : ergo etiam in casu, quo tantùm unicam destrueret gemmam Caii, valentem mille florenis, sed cujus medium pretium invincibiliter putaret ad se propter hæreditatem spectare, nonnisi medietatem pretii deberet refundere : ergo etiam in casu quo destrueret gemmam valentem mille florenis, sed quam invincibiliter putaret valere tantùm quingentis florenis. Taceo quòd exemplum de gemma quod communiter afferunt AA. non videatur satis ad propositum. Quòd enim gemma communiter nunc tanti fiat ab hominibus, est purè per accidens et dependet ab arbitraria hominum æstimatione; nam gemma quæ constat mille florenis, posset æstimari tribus aut paucioribus florenis. Sexta. Si damnum quod per se connectitur cum damno scienter et voluntariè dato, non obveniret illi cui damnum scienter et voluntariè datur, sed alicui tertio de quo nec in genere nec in specie prudens est suspicio, fatetur ipsemet C. de Lugo, D. 11, n. 89, non esse reparandum; quia, cùm invincibiliter ignoretur istius damni consecutio, tertius nullam formaliter injuriam patitur : ergo etiam, si damnum consequens obveniat illi cui damnum antecedens scienter et voluntariè datur. Septima. Denique, cùm hæc nostra sententia sit valde probabilis, et nemo debeat privari dominio certo suarum facultatum propter jus incertissimum alterius, videtur meritò præferenda in praxi. (1)

## OBJECTIONES.

190. *Obj.* 1° Qui projicit gemmam alterius in flumen, absolutè vel executiva sua volontate vult projicere totum quod habet in manu; sed habet in manu gemmam mille florenorum : ergo vult in flumen projicere gemmam mille florenorum, esto non cognoscat totum hunc intrinsecum valorem.

*R.* 1° retorsionem esse manifestam in Cæcilio qui per oculorum ludibrium fortè deceptus et videns animal, existimat esse feram, quod tamen est homo. Cæcilius enim absolutè vel executiva sua voluntate vult occidere quod videt, aut sclopeto trajicit : sed hoc est homo : ergo. Alia retorsio formari potest in casu quo Titius invincibiliter existimaret gemmam esse vitrum nullius omnino valoris, et absolute projiceret gemmam.

*R.* 2°: *D. M.* Vult projicere totum quod habet juxta suam existimationem, sive quod per errorem invincibilem putat se habere, *C.*, quod habet ultra vel contra suam existimationem, *N.* Sicut Cæcilius tantùm vult occidere quod invincibiliter putat se videre, scilicet feram, et non hominem, ita Titius vult projicere quod putat se habere.

191. *Obj.* 2° : Contingere potest ut Titius projiceret gemmam, etiamsi cognosceret totum intrinsecum ejus valorem : ergo debet restituere totum intrinsecum valorem, licèt eum actu non cognoscat, vel non possit cognoscere totum ejus valorem.

*R.* 1° Nos loqui tantùm in casu quo projiciens non est ita perversus, sed potiùs nollet projicere gemmam si cognosceret totum ejus valorem.

*R.* 2° : *N. C.* Contingere potest ut, qui vult occidere feram, concomitanter habeat voluntatem occidendi suum inimicum, si præsens foret; et tamen si deceptus occideret inimicum loco feræ, non esset idcirco reus homicidii, nec obligaretur ad restitutionem, juxta n. 168. Aliud fortassis est si Titius hanc voluntatem conciperet : volo projicere gemmam, cujuscumque demum sit valoris, etiam majoris quàm ego mihi persuadeam. De quo P. Suar. D. 4, de cens. s. 8, n. 10.

192. *Obj.* 3° : Licèt resarcire non debeas damna quævis extrinseca, quæ per accidens connexa sunt cum damno gravi scienter et voluntariè dato, debes tamen resarcire damna quævis intrinseca, quæ vel sunt identificata cum damno scienter et voluntariè dato, vel ex illo communiter aut plerumque nascuntur;

(1) *V.* notam subjectam n. 73.

nam posteriora semper volita sunt in causa, non item priora : ergo.

*R. N. A.* Damna posteriora non possunt esse volita moraliter in causa, quando nullatenus cognoscitur eorum connexio cum causa : secus enim dici posset quòd in casu quo destruens gemmam bona fide crederet eam esse modicissimi valoris, gravitas damni sit indirectè volita in causa. Item excessus gravissimi damni non solùm imputari deberet ad obligationem restitutionis, sed etiam ad malitiam.

193. *Obj.* 4° : Obligatio sarciendi grave damnum quoad excessum invincibiliter ignoratum, antecedenter ad omnes particulares eventus et alias circumstantias quæ sanum judicium pervertere solent, est optabilior generi humano, et omnino necessaria videtur, ut fures et injusti rerum consumptores absterreantur à gravibus injuriis, si nimirum sciant se postea cogendos ad sarciendum quodlibet damnum intrinsecè connexum, etiamsi nunc fortè lateat : ergo.

*R. D. A.* Obligatio sarciendi post sententiam judicis, *C.;* ante, *N.* et retorqueo in damnis extrinsecè connexis, aut per accidens tantùm secutis. Quamvis autem obligatio tam rigida, qualem adversarii requirunt, aliquos absterreret, apud plerosque tamen non esset efficax; quia, cùm damna invincibiliter ignorata sint extra prudentem suspicionem, pauci moverentur metu restitutionis ob hujusmodi damna.

194. *Obj.* 5° : Videtur æquitati naturali conformius ut excessum invincibiliter ignoratum luat vel compenset nocens, qui voluntariè gravem injuriam intulit, quàm ut eum ferat innocens. Nimis enim est arduum ut innocens, præter gravem injuriam, ferre debeat notabilem damni partem sine ulla spe compensationis : natura verò non debet majus onus innocentibus imponere quàm nocentibus.

*R. D.* Si nocens voluntariè gravem injuriam inferat etiam quoad excessum invincibiliter ignoratum, *C.*, secus, *N.* et retorqueo iterùm in damnis extrinsecè connexis et per accidens tantùm secutis. Sicut enim absolutè difficilius foret, si nocens ante sententiam judicis luere deberet hæc damna fortuitò data, quàm si debeat innocens illa pati; sic etiam absolutè difficilius foret, si nocens luere deberet damna intrinsecè quidem connexa, sed invincibiliter ignorata. Concedo tamen post sententiam judicis sæpius hæc damna compensanda. Nam si judex imperare potest reparationem damni quod, te nesciente, servus aut animal dedit, quare non possit in pœnam gravis injustitiæ præcipere compensationem damni intrinsecè connexi, sed invincibiliter ignorati, dummodo non sit nimiùm exhorbitans excessus, ubi durissimum esset compellere nocentem qui maximam damni partem invincibiliter ignoravit, ad compensationem totius? Et hinc falsum est quòd læsus ordinariè sufferre debeat partem notabilem damni per errorem invincibilem dati, cùm habeat recursum ad judicem.

195. *Obj.* 6° : In dubio præferri debet sententia quæ potiùs innocentibus quàm reis favet : ergo, cùm dubium uter ferre debeat damnum quoad partem invincibiliter ignoratam, reus potiùs quàm innocens est astringendus.

*R. D. C.* Si reus sit etiam reus quoad partem invincibiliter ignoratam, *C.;* secus, *N. Argumentum quoque retorqueo.* In dubio non debet condemnari reus : in dubio melior est conditio possidentis, et nemo spoliari debet dominio certo suarum facultatum propter jus alterius incertum (1).

196. *Obj.* 7° : Obligatio sarciendi totum damnum, quod per se non connectitur cum damno gravi voluntariè dato, videtur esse proportionata culpæ mortali, per quam dissolvitur amicitia læsi, vel occasio præbetur gravis indignationis et tristitiæ : ergo læsus meritò potest exigere compensationem totius damni.

*R. N. A.* Nam ob hanc rationem posset læsus exigere compensationem cujuslibet damni per accidens exorti; cùm hæc obligatio gravior non sit quàm obligatio sustinendi pœnas inferni pro culpâ mortali. 2° Licèt hæc obligatio seorsim sumpta, non transcendat gravitatem pœnæ quam peccans sustinere debet in inferno, transcenderet tamen, si simul acciperetur cum aliis obligationibus quæ per mortale peccatum incurruntur. 3° Circa moralem obligationem restitutionis debet attendi quid potissimùm expediat in hac vita : non autem expedit obligatio restituendi ante sententiam judicis, quando damnum est fortuitum et involuntarium. Vide quæ dicta sunt n. 115.

197. *Obj.* 8° : Pro delicto gravi sæpiùs imponitur pœna quam reus invincibiliter ignoravit, ut manifestum est in fure qui suspenditur, etsi nesciverit furcam esse statutam pro gravissimo furto : ergo etiam per injuriam gravem incurri potest obligatio resarciendi totum damnum, etiamsi pars notabilis fuerit invincibiliter ignorata.

*R. D. A.* Si tamen agnoscatur tota malitia cui pœna respondet, *O.;* secus, *N.* Obligatio restituendi, dum oritur ex injusta læsione, respondet peccato injustitiæ. Quocirca, si non committitur injustitia respectu partis invincibiliter ignoratæ, non oritur obligatio restituendi quoad illam partem. Aliud foret si damnificans injustè per invincibilem ignorantiam nesciret obligationem restitutionis ex injusta damnificatione; tunc enim procul dubio teneretur ad restitutionem juxta proportionem injustæ damnificationis. Dein *argumentum retorqueo.* Si furca tantùm esset statuta pro furto 100 aureorum, et fur invincibiliter existimaret damnum non esse 100 aureorum, fur agi non posset in furcam si probaret suum errorem.

198. *Obj.* 9° : Homicida, dum in æstu furoris occidit inimicum, ordinariè non cogitat de damno quod inde provenit uxori vel liberis, et tamen in utroque foro cogitur ad restitutionem istis faciendam.

(1) *V.* notam subjectam n. 73.

*R. D. A.* Non cogitat explicitè, *C.*; confusè saltem, et non potest, adhibitâ diligentiâ, clariùs cognoscere quibus damnum inferat, *N.* Sacerdos peccans contra castitatem, licèt explicitè non habeat actualem cognitionem de voto castitatis, tamen committit peccatum sacrilegii, quia sæpius antè cognovit peccatum carnis esse contra suum votum, et dum actu peccat, confusè saltem concipit malitiam quam sæpius antè cognovit inesse suo peccato, sive concipit peccatum suum esse contra leges quas sufficienter antea percepit : simile quid in occisore cogita. Si tamen per judicium contrarium et invincibilem errorem excluderet hanc circumstantiam, et citra suspicionem contrarii crederet inimicum suum esse clericum carentem liberis et uxore, non teneretur ad restitutionem, ut optimè probat C. de Lugo, D. 11, n. 90.

199. *Obj.* 10° : Fur pecuniæ non solùm tenetur restituere pecuniam furto sublatam, sed et compensare debet damna quælibet emergentia vel lucra cessantia, quamvis ad ista non attenderit.

*R. D.* Quamvis ad ista non attenderit in specie, *C.;* in genere, *N.* Fur communiter cognoscit esse casum admodùm ordinarium, ut ex gravi furto nascantur domino varia damna fortunarum, aut lucra non modica cessent. Quòd si verò damna fortunarum essent admodùm extraordinaria, quæ rarissimò solent obtingere, puto nec AA. ita fore rigidos, ut furem obligarent ad restitutionem.

200. *Obj.* 11° : Qui detinet injustè commodatum ultra dies præfixos, et est graviter culpabilis in mora restitutionis, debet restituere totum commodati valorem, si pereat interim casu fortuito. Qui clàm alterius equum usurpat, tenetur compensare totum damnum, si fors equus rapiatur à latronibus aut vi fulminis occidatur, esto neuter prævideriit hunc casum, aut voluerit tam grave damnum inferre : prior enim vult commodatum ad paucos dies aut hebdomades ulteriùs retinere ; posterior usurpare vult equum ad iter, et postea reddere : igitur neuter domino vult auferre totum valorem commodati vel equi, sed præcisè valorem usûs ad certos dies.

*R. 1° argumentum ab omnibus solvendum ;* cùm enim sit casus fortuitus quòd commodatum, v. g., pereat incendio, vel equus rapiatur à latronibus, et damna fortuitò tantùm connexa præstari non debeant, ipsimet AA. coguntur reddere disparitatem.

*R.* 2° : Qui commodatum aut equum retinere vult tantùm ad certos dies, implicitè se obligat ad reddendum commodatum aut equum post illos dies, eo ferè pacto quo discurrimus n. 102, de trajiciente rusticorum anseres; et nisi tacitè susciperet usuarius injustus hanc obligationem, haud dubiè graviùs peccaret.

*R.* 3° cum C. de Lugo, D. 18, n. 89, actiones aliquas injustas esse multis periculis fortuitis expositas, ac idcircò prohiberi specialiter à justitia, ne res aliena per casus fortuitos omnino pereat domino. Talis est injusta retentio commodati ultra tempus præfixum, et usurpatio equi alieni contra domini voluntatem ad aliquot dies. Unde si res fortuitò pereat, debet injustus detentor aut usurpator, qui saltem in genere prævidit periculum, illum casum præstare. Contrà verò quædam actiones non sunt expositæ multis casibus fortuitis, nec à justitia specialiter prohibentur propter pericula casuum fortuitorum. Talis est ingressus nocturnus in alienam domum animo furandi tantùm. Hæc enim actio specialiter à justitia non prohibetur ob periculum fortuitum incendii, sed propter periculum aut animum furandi, et hìc non oportet præstare casum fortuitum.

## QUÆSTIO XIII.

### AN ERRANS IN PERSONA LÆSI TENEATUR AD RESTITUTIONEM ?

201. Sæpissimè contingit ut volens unum lædere, loco ipsius per errorem invincibilem alium lædat, de quo minimè cogitabat et quem fortassis lædere noluisset : v. g., Titius comburit horreum aut ædes amici Lucii, quas per invincibilem errorem existimat esse Cneii capitalis inimici. 2° Cæsar volens occidere Pomponium hostem, occidit charissimum Brutum. 3° Paulus ex fenestra videt prætereuntem Annam, quam putat esse Bertam, et astantibus dicit prætereuntem feminam sæpiùs in adulterio deprehensam.

202. *Dico* 1° : Qui furatur, consumit aut destruit rem Lucii, putans esse Cneii, tenetur ad restitutionem, quamvis inde non evaserit ditior. Ita cum communi Th. Sanches, l. 2, Dec. c. 23, n. 157; Rebellus, p. 1, l. 3, q. 11, n. 11; Dicastillo, D. 7, n. 107, contra C. de Lugo, D. 17, n. 78, et Tamb. l. 8, Dec. tr. 3, c. 4, § 6, qui, licèt regulariter obligent furem, putant tamen excusandum in casu quo sic animo comparatus est, ut explicitè vel implicitè nollet furari vel consumere rem alienam, si sciret esse Lucii. *Ratio* 1°. Nam accipiens aut consumens, est verè fur, et accipit aut consumit rem alienam invito domino : furtum verò semper inducit obligationem restitutionis. 2° Licèt accipiens aut consumens erret in hoc casu quoad personam læsi, tamen hic error in furto non est substantialis, sed accidentalis tantùm. Accipiens enim aut consumens efficaciter et absolutè vult omnia quæ requiruntur ad substantiam furti : scit rem non esse suam, sed alterius : scit alienum accipi non posse, domino rationabiliter invito : scit nullam sibi competere licentiam accipiendi vel consumendi rem alienam, et tamen, his non obstantibus, accipit, consumit rem alienam. 3° Emens rem à Sticho, quem putat invincibiliter esse Cneium, modò non erret circa substantiam mercis, emit validè, et Sticho tenetur ad solutionem, esto non emisset si putâsset rem esse Stichi : ergo etiam consumens rem Stichi, tenetur ad restitutionem Sticho, quamvis non Stichum existimet lædi, sed Cneium. 4° Voluntas quâ fur implicitè vel explicitè sic est comparatus, ut nollet furari, consumere vel destruere rem alienam, si sciret esse Cneii, tantùm est conditionata, nec impedit ut absolutè non accipiat, consumat aut destruat rem alienam Lucii. Sicut autem in contractibus non attenditur

quid contrahens esset facturus aut voliturus si præsciret hanc aut illam circumstantiam, sed quid absolutè faciat, sic etiam in furto non debet attendi quid fur esset facturus sub hac aut illa conditione, sed quid absolutè faciat; aliàs absolutè non esset fur qui dum actu furatur, ita mente comparatus est, ut nollet furari si certò præsciret se postea suspensum iri. 5° Si vera contraria sententia, non tenerentur ad restitutionem mercatores qui sæpissimè famulos, ministros aut procuratores dominorum decipiunt, ita tamen habitualiter affecti sunt, ut nollent decipere si lædi scirent hos aut illos dominos; item qui habuit bona incerta ex delicto, et illa voluntariè consumpsit, ex omnium sententia tenetur ad restitutionem, esto nesciverit dominum. Quidnì etiam in nostro casu ?

203. *Dico* 2° : Qui lethaliter vulnerat Titium amicum, putans invincibiliter esse Caium inimicum, peccat opere suo contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. Ita Rebellus et Dicast. suprà contra Tambur. l. 6, c. 4, § 3, n. 30, cui favet C. de Lugo. *Ratio* 1°. *Ex L. eum qui nocentem* 18, § 3, *ff. de injur., si injuria mihi fiat ab eo cui sim ignoratus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cùm sim Caius Sejus, prævalet quod principale est, injuriam eum mihi facere velle. Nam certus ego sum, licet ille me putet alium esse quàm sum, et ideò injuriarum actionem habeo.* 2° Esto vulnerans nollet id facere si cognosceret adesse Titium amicum, tamen hæc voluntas est purè conditionalis, ut suprà diximus de furto, et prævalet absoluta vel efficax intentio quà vult efficaciter et absolutè tele configere personam ibi stantem aut hominem individuum illac prætereuntem : ergo, sicut tenetur ad restitutionem qui scienter et voluntariè furatur et consumit rem alienam quam putat esse Caii, cùm tamen sit Titii, sic etiam vulnerans tenetur ad restitutionem in hoc casu. 3° Vulnerantis aut occidentis error est tantùm accidentalis, et nullatenus impedit injustam mutilationem, vulnerationem, aut occisionem alterius : scit enim actionem suam esse prohibitam lege justitiæ, vel quinto præcepto Decalogi; rursum scit actionem suam esse contra jus hominis ibi stantis aut illac prætereuntis, qualiscumque demum ille sit : igitur voluntariè facit omnia quæ requiruntur ad substantiam injustæ vulnerationis aut occisionis : igitur tenetur etiam ad restitutionem damni, si quidem illud reparare possit. 4° Si maritus zelotypus occideret alium, quem per invincibilem errorem putaret adulterii reum, non occisurus si crederet innocentem, utique peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem : ergo etiam peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, siquidem ea sit possibilis, qui vulnerat aut occidit Titium, existimans esse Caium : hæc enim circumstantia individualis non plus facit ad injustam vulnerationem et occisionem quàm circumstantia innocentiæ. 5° Quivis hominum habet absolutè jus ut auctoritate privata non percutiatur, vulneretur, mutiletur aut occidatur ab altero, præterquam in casu justæ defensionis, sive dein cognoscatur ab altero sub ratione individuali, sive tantùm agnoscatur sub ratione specifica hominis; aliàs non ageret injustè, qui percuteret, mutilaret aut occideret hominem ignotum, personatum et in tenebris ambulantem : atqui jus hoc scienter et voluntariè lædítur à vulnerante. 6°. Qui percuteret hominem quem invincibiliter crederet esse clericum Gregorium, cùm sit clericus Ambrosius, esto simul ita foret affectus ut nollet percutere clericum Ambrosium, tamen ideircò non effugit censuram canonis, ut cum communissima docet Th. Sanch. l. 9 de Mat. D. 32, n. 27; nam voluntariè percutit aliquem clericum : ergo à pari. Sicut enim propter voluntariam percussionem clerici contrahitur excommunicatio, ita propter voluntariam vulnerationem hominis incurritur obligatio restituendi.

204. *Dico* 3°: Qui prætereuntem feminam graviter infamat, putans aliam esse quàm sit, tenetur ad restitutionem. Assertio patet ex nuperrimè dictis, et ex *L. eum qui nocentem.* Hæc enim præcipuè concernit casum in quo per errorem infamas, calumniaris aut convicio proscindis alium quàm reipsà destinâsti. Dein est specialis hìc ratio; nam etiam qui purè materialiter et sine culpâ detrahit, et per errorem inculpatum affigit alteri falsum crimen, compertâ veritate, tenetur, si facilè potest, retractare dictum, juxta numerum 61.

## OBJECTIONES.

205. *Obj.* 1°: Incendiarius qui per invincibilem errorem putat ædes esse Cnecii, cùm sint Lucii, et nollet eas comburere nisi crederet esse Cneii, nullam infert injuriam : ergo non tenetur ad restitutionem. *A. prob.* Nam 1° non infert injuriam Cneio, quia Cneium non effectivè, sed affectivè tantùm lædit, et hinc in *L.* superiùs citatâ 18, § 4, *ff. de injur.* dicitur, eum qui filiumfamiliâs lædit, putans esse patremfamiliâs, nullam injuriam patri facere. 2° Nec infert injuriam Lucio, quia de Lucii damno nihil omninò cogitavit, et animo sic est comparatus, ut nollet comburere si sciret esse Lucii. 3° Nec infert injuriam homini cuidam indeterminatè vel vagè; quia nullum alium vult lædere quàm Cneium inimicum. Argumentum hoc C. de Lugo, D. 17, n. 77, putat esse difficile solutu, et demùm illi succumbit.

*R.* 1° argumento manifestè nimiùm probari; nempe quòd ille qui clam accipit et usurpat rem Lucii, putans esse Cneii, non consumpturus si crederet esse Lucii, reipsà non committat formale furtum, nec in sacro tribunali debeat accusare se furti. Quippe furtum formale semper continet formalem injuriam, et fit contra jus et voluntatem domini.

*R.* 2°. *N. A.* Incendiarius in hoc casu facit injuriam Lucio; nam, ut benè Th. Sanch. l. 2, Dec. c. 23, n. 157, ad injuriam domino faciendam sufficit ut generatim præscias rem non esse tuam, sed alterius, et invito domino non posse rem illam destrui, neque dominum dare tibi licentiam destruendi; et tamen, hàc scientiâ non obstante, rem absolutè destruas.

206. *Obj.* 2°: Voluntas incurrere non potest malitiam formalis injuriæ, quam intellectus invincibiliter

ignorat; sed, dùm incendiarius destruit ædes amici Lucii, quas putat esse Cucii, intellectus ipsius invincibiliter ignorat malitiam injuriæ formalis contra Lucium. ergo. *M. patet* ex generali principio : *nihil volitum, nisi præcognitum.* Undè, licèt peccata nostra, juxta probabilem et fortassis veram sententiam, involvant injuriam strictè dictam adversùs Deum, tamen, ut existimat suprà C. de Lugo, si peccator hoc invincibiliter ignoraret, ac prudenter judicaret peccata non continere talem injuriam, non esset reus injustitiæ formalis adversùs Deum. Sic etiam non contraheret malitiam inobedientiæ formalis, qui præceptum superioris invincibiliter nesciret.

*R. D. m.* Intellectus invincibiliter ignorat malitiam injuriæ formalis contra Lucium sub aliquo prædicato, *C.*; sub omni prædicato, *N.* Incendiarius scit actionem suam esse contra jus illius qui reipsà dominus est, et hoc sufficit ut contrahat malitiam injuriæ formalis contra verum et legitimum dominum, esto nesciat quis ille sit dominus, et per errorem affingat illud Cucio. Sic, ut in tract. *de Conscientiâ* dicitur, quando gentiles, Turcæ, vel athei per dictamen naturale sciunt actiones suas esse contra jus et voluntatem supremi Legislatoris, cui semper, ubivis et ab omnibus est parendum, esto prædicatum hoc supremi Legislatoris per errorem affingant fabulosis diis, Deo simplici quoad personam, Deo chimærico, vel magistratui politico, tamen actionibus et flagitiis suis offendunt verum et supremum Legislatorem.

207. *Obj.* 3° : Homicida qui per errorem invincibilem occidit clericum, patrem aut regem, dum vult occidere laicum, exterum aut plebeium, non est reus sacrilegii, parricidii vel læsæ majestatis, non committit injuriam in clericum, patrem aut regem : ergo etiam, qui per errorem invincibilem occidit Titium amicum, volens occidere Caium inimicum, non committit injuriam in Titium.

*R. D. A.* Non committit injuriam in clericum, patrem aut regem, quà talem, *C.*; quà hominem, *N.* et *D. C.* Ergo non committit injuriam in Titium, ut amicum, *C.*; ut hominem, *N.* Qui clericum, patrem, amicum aut regem per errorem invincibilem occidit, non cognoscit ullum prædicatum quod sufficiat ad contrahendam malitiam sacrilegii, parricidii, etc.; qui verò per errorem invincibilem occidit Titium, cognoscit saltem hominem ibi stantem, qualiscumque demùm sit, habere jus ad vitam, nec posse nisi per gravissimam injuriam occidi; undè contrahit malitiam injusti homicidii.

208. *Obj.* 4° : Qui per errorem contrahit matrimonium cum Bertâ, volens inire solùm cum Annâ, non contrahit voluntariè matrimonium, et matrimonium est nullum propter errorem substantialem in personâ : ergo, qui per errorem lædit amicum, lædere volens inimicum, voluntariè non lædit amicum.

*R. D. C. ut suprà.* Voluntariè non lædit amicum, ut amicum, *C.*; ut hominem, *N.* Error in personâ non semper est substantialis; aliàs baptismus aut ordo sacer esset invalidus, quoties baptizans aut ordinans erraret in personâ : sed tunc tantùm est substantialis, quando propter illum actus est simpliciter involuntarius, uti fit in matrimonio : nam contrahens est ita mente paratus, ut efficaciter et absolutè nolit matrimonium inire cum aliâ quàm cum Annâ, nec aliter contrahit cum Bertâ quàm sub conditione, si sit Anna; undè, cùm hæc conditio non impleatur, matrimonium est nullum. Contrà verò, qui per errorem consumit res amici, vel eum occidit, non conditionatè tantùm, sed absolutè res consumit aut occidit; et quamvis nollet consumere vel occidere si sciret amicum lædi, tamen hæc intentio tantùm est inefficax, et non impedit quin absolutè consumatur res amici, vel ipse occidatur, et prævalet efficax intentio quâ vult agere contrà jus illius cui reipsà jus competit.

209. *Obj.* 5° : Occidens unum loco alterius, quem reipsà noluisset occidere, non puniri potest pœnâ mortis ut homicida, sed subjacet tantùm pœnis arbitrariis, ut docet communis apud Jul. Clar. l. 5, sent. § *homicidium;* cujus alia ratio non est, nisi quòd homicidium non sit voluntarium.

*R.* cum Covarruv. in c. *alma mater*, § 10, n. 14, et Molina, tom. 4, D. 30, longè communiorem et probabiliorem esse contrariam sententiam : nam homicida non punitur pœnâ mortis præcisè, quia Sempronium aut Titium, sed quia citra jus ullum hominem occidit. Potest tamen sæpiùs pœna mitior infligi; cùm homicidium in hoc casu quoad personam individualem non ita voluntarium sit ut in aliis casibus, neque ita gravis injuria redundet in agnatos occisi.

210. *Obj.* 6° : Si quis, putans se percutere servum nocentem, præter omnem intentionem percutiat hominem liberum, percusso non conceditur actio injuriarum adversùs percutientem, ut docet Ulpianus, *L. illud relatum* 3, § 4, *ff de injur.*; ergo etiam si quis mutilat Caium, putans se mutilare Lucium.

*R. N. C.* Qui vult percutere servum nocentem, nullam facere vult injuriam; quia percutiens ejusmodi servum utitur jure suo, et potest illum meritò punire. Contrà qui mutilat Caium, putans se mutilare Lucium, voluntariè facit homini gravem injuriam, esto non sciat qualis sit homo, vel per errorem prædicatum specificum hominis affingat alteri individuo quàm sit.

211. *Obj.* 7° : Si Mævius et Julius rixentur, et Nerva se medium objiciat, ut dirimat rixam, Mævius verò gladium vibrans in Julium, præter intentionem vulneret Nervam, non est reus injusti vulneris : ergò etiam, si, volens occidere Caium inimicum, occidat Titium amicum.

*R. N. C.* In posteriori casu non est homicidium casuale; nam occisor non errat simpliciter in corpore occisi, et directè vult occidere hominem ibi stantem, esto non sciat quis ille sit. Contrà Mævius fortuitò tantùm vulnerat Nervam; nam, ut ponitur in casu, prudenter advertere non potuit periculum Nervæ qui se medium incautus objecit.

212. *Obj.* 8° : Occidens Titium loco Caii, nec Titio, nec uxori, nec hæredibus ejus tenetur ad restitutionem. Non Titio; nam isti restituere nil ampliùs po-

test ; non uxori, vel hæredibus, nam istorum damna minimè potuit suspicari.

*R.* Esto non sequatur obligatio restitutionis in hoc casu, tamen oritur in alio quo quis præcisè vulneraret aut mutilaret Titium loco Caii. Tunc enim compensare deberet damna quæ per se, vel ut plurimùm derivantur ex vulnere vel abscissione membri. 2° Si vera quorumdam sententia, qui docent pro bono vitæ faciendam esse compensationem in alio genere bonorum, occisor non esset exemptus ab onere restitutionis. 3° Si saltem generatim et confusè agnovit interfector alterum non destitui necessariis hæredibus, non satis video cur istis non teneatur ad restitutionem. Taceo maximas expensas quæ sæpiùs fiunt ante mortem in curando vulnere.

## QUÆSTIO XIV.

### AN ORIATUR OBLIGATIO RESTITUTIONIS EX VIOLATIONE JUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ?

213. Difficultas potissimùm est an electores, patroni, vel collatores, quando scientes eligunt, præsentant ac promovent ad beneficia vel officia minùs dignum aut simpliciter indignum, ac idcirco peccant contra justitiam distributivam, cogendi sint ad restitutionem faciendam magis digno vel digno. Decisio verò pendet ex eo, num digno vel digniori competat jus, strictè dictum, ad beneficium spirituale vel officium seculare publicum.

214. *Dico* 1° : Dignus aut dignior ante collationem, electionem, præsentationem aut nominationem, per se non habet jus strictè dictum ad beneficium spirituale vel officium seculare publicum. Ita doctores infrà citandi. *Ratio.* Vel enim illi competeret jus in re, vel præcisè jus ad rem : neutrum competit : ergò. *Min. quoad priorem partem liquet;* aliàs dignus aut dignior ante collationem, electionem aut præsentationem jam posset officium aut beneficium ut sibi proprium vindicare, quod nullus asserit ; neque valeret electio digni, prætermisso digniori, quod iterùm communissimè negatur. *Posterior pars prob.* 1° Quia nec auctoritate, nec ratione sufficienter evincitur hoc jus, et nuspiam ex praxi relucet quòd dignus aut dignior coram judicibus illud prosequatur, aut privatim urgeat restitutionem pro jure læso. 2° Dignior per se non habet alium titulum, nisi quòd sit aptior ad beneficium aut officium : sed major aptitudo non est jus propriè dictum ad beneficium et officium ; aliàs etiam artifex aut opifex, qui majorem habet peritiam, haberet jus propriè dictum ut in labore cæteris anteferatur. 3° Licèt Deus, Ecclesia vel respublica velit ut anteponatur dignus indigno, vel dignior minùs digno, tamen idcirco nullum jus propriè dictum accrescit digno, vel digniori : nam etiam œconomus à Domino jubetur conducere strenuos operarios ad culturam vineæ, vel etiam seligere meliores ; neque tamen idcirco jus ullum propriè dictum acquiritur operariis bonis aut melioribus. 4° Beneficia spiritualia sunt veluti stipendia ministrorum laborantium in vinea Christi, et officia pinguia secularium sunt veluti stipendia ministrorum laborantium in horreo reipublicæ humanæ ; sed ad stipendia per se non datur ullum jus, nequidem inchoatum, ante laborem, electionem, conductionem aut promissionem. 5° In magnis provinciis, quin et in curia Romana, citra scrupulum, quidquid aliqui clament, venduntur officia secularia : sed hoc non esset licitum, si digniores haberent absolutum jus prælationis ad officia ; vel enim venderentur officia minùs dignis, et sic fieret injuria dignioribus ; vel venderentur, ut sæpè fit, dignioribus, et sic iterum injuria fieret dignioribus ; quia non possum tibi vendere quod ante meam venditionem absolutè jam et stricto jure tibi debetur. 6° Quò magis eligendi repugnant et abhorrent à dignitatibus, eò magis sunt eligendi : contrà quò plus aliqui se pronos ostendunt ad munera speciosa, eò fortiùs ordinariè sunt repellendi ; quod patet ex communi suffragio Patrum : at contrarium deberet accidere, si dignioribus competeret verum jus ; nam, ut mitio dictum, obligatio juris stricti dependet ex voluntate illius qui gaudet stricto jure. Neque dicas, hoc ipso quòd aliqui se pronos ostendant ad munera speciosa vel dignitates, eos effici minùs dignos, et tanquam ambitiosos ab electoribus esse repellendos : contrà enim est ; si notoriè digniores haberent jus strictè dictum præ cæteris, non essent ambitiosi, sed persequerentur suum jus eo pacto quo legitimè electi jus suum meritò prætendunt.

215. *Dico* 2° : Distributor iniquus officiorum aut beneficiorum per se nihil restituere tenetur omissæ personæ dignæ, vel digniori. Ita Suarez, opusc. de Just. Dei, s. 3, n. 14 ; Less, l. 2, c. 32, n. 15, et c. 34, n. 72 ; Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 41 ; Molina, I. C. l. 2 de Primogen. c. 5, n. 57 ; C. de Lugo, D. 1 à n. 51, et D. 35 à n. 75 ; Castro Palao, tr. 13, D. 2, p. 11, § 4 ; Dicast. D. 8, n. 150 ; Sotus, Covar ruv. Adrian. Navarrus, Tolet. Azor, Rebell. Valent. Tanner, Laym. Tambur. Filliuc. Haunold. Herincx, Sporer, Illsung, contra S. Anton. Palud. Silv. Palac. Cajet. Bannez, Medin. Lopez, Salon. Aragon. Vasquez, et Navarram, quos sequitur Esparza. *Ratio est :* Restitutio propriè sumpta, semper est actus justitiæ commutativæ, et obligatio restitutionis, si quando nascitur ex culpa, nascitur tantùm ex violata justitia commutativa : sed iniquus distributor per se non violat justitiam commutativam respectu personæ dignæ vel dignioris, ut patet ex n. præcedenti : ergo. *M. prov.* 1° testimonio S. Th. q. 62, a. 1, cujus auctoritatem sequuntur hìc communiter omnes theologi. 2° Restitutio est reparatio juris alieni, materialiter aut formaliter læsi : ergo non datur obligatio restitutionis, nisi quando jus alterius est materialiter aut formaliter læsum. 3° Ex violatione solius caritatis, misericordiæ, pietatis, obedientiæ, gratitudinis, etc., non oritur obligatio restitutionis, ut fatentur omnes : ergo nec oritur ex violatione solius justitiæ distributivæ. Nam ideo non oritur obligatio restitutionis ex violatione solius caritatis, misericordiæ, etc., quia virtutes istæ non supponunt verum et propriè dictum jus in altero : sed

hæc ratio locum etiam habet in justitiâ distributivâ. 4° Licet iniquus distributor violet jus aliquod minùs rigorosum alterius, et æqualitatem intentam à justitia distributiva, tamen hæc virtus injungere non potest restitutionem. Vel enim restituere deberet iniquus distributor ex bonis privatis : atqui sic non reparat jus et æqualitatem intentam à distributivâ ; nam hæc intendit æquam distributionem bonorum communium. Vel restituere deberet ex bonis communibus : sed hoc non ampliùs est in potestate distributoris; quia, juxta communem, collatio facta minùs digno, valet, nec potest revocari citra gravem injuriam electi. Si verò rursum occurrat occasio similis eligendi, et beneficium velit prensare alius adhuc dignior quàm qui priùs fuit omissus, non debet hic, sed ille potiùs eligi. 5° Ideo cæteræ virtutes, ut caritas, obedientia, pietas, postquam sunt violatæ, non ampliùs obligant ad restitutionem; quia post earum violationem non perseverat finis quem virtutes istæ respiciunt : v. g., si teneris lege caritatis succurrere proximo patienti gravem necessitatem, et non succurris, transactâ necessitate, non teneris quidquam restituere proximo, quia cessat necessitas quam sublevare caritas intendit. Si superior herì præcepit auditionem sacri, non teneris hodie compensare negligentiam hesternam ; quia non manet finis obedientiæ, scilicet, conformitas cum præcepto superioris : sed hæc ratio locum habet etiam in justitia distributiva. Vide C. de Lugo, D. 1 à n. 51.

216. *Dico* 3° : Si tamen beneficia vel officia conferuntur per concursum, id est, si plures edicto convocantur ad examen, ut eorum dignitas exploretur, et eligatur dignissimus, fit injuria strictè dicta dignissimo si non eligatur, et elector obligatur ei ad restitutionem. Ita Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 46; Aragon, q. 62, a. 2; Dicastillo, D. 8, de restit. n. 152; Rebellus, l. 3, q. 5; C. de Lugo, D. 34, n. 42, et alii communissimè contra Sotum, Navarrum, Ledesm. et paucos alios, quorum sententiam Aragon. Dicastillo, Rebellus non agnoscunt esse satis probabilem. *Ratio* 1°. Quando fit electio per concursum, electores tacitè promittunt electionem dignissimo sub conditione quadam onerosà, si nimirum se sistat, subeat examen et exponat se periculo repulsæ vel posthabitionis : at qui violat promissionem onerosam, peccat contra justitiam commutativam, et promissario tenetur ad restitutionem. 2° In rebus levioris momenti, quando plures citantur ad cursum aut ludum equestrem, ac proponuntur victoribus præmia, non possunt, citra propriè dictam injuriam, victores fraudari præmiis; est enim pactio quædam innominata, *facio ut des*, inter ludentes et distributores præmiorum : at ejusmodi pactum intercedit etiam inter concurrentes et collatores beneficiorum, sive dein pactum sit expressum in ipso edicto quo citantur concurrentes, sive sit tantùm implicitum et fundatum in consuetudine vel statuto quo præcipitur ut dignior præferatur. 3° In omni causa judiciali, cùm res uni ex pluribus est adjudicanda, peccant contra justitiam commutativam judices, si non adjudicent ei cui secundùm leges est adjudicanda, et tenentur isti debitam facere restitutionem : at, quando beneficia vel officia conferuntur per concursum et oppositionem, instituitur causa quædam judicialis. 4° Cùm apud Hispanos, v. g., conferuntur cathedræ scholasticæ per oppositionem, ac instituuntur priùs examina, vel publicæ concertationes, ut eligi possit dignissimus, non possunt electores, citra gravem injuriam oppositorum, præferre quemdam extra numerum illorum, ut fatentur apud Rebellum ipsimet adversarii, Sotus, Nav. et Ledesma : ergo etiam non possunt ex ipsis oppositoribus præferre minùs dignum citra gravem injuriam dignissimi. Si enim oppositores habent jus strictè dictum, ut nullus extra numerum ipsis præferatur, etiam dignissimus habet simile jus ut non præferatur minùs dignus; cùm unicus scopus oppositionis sit ut ex oppositoribus eligatur dignissimus et sicut oppositoribus tacitè promittitur electio unius intra numerum illorum, ita promittitur etiam electio dignissimi. Jam verò quod dicitur de cathedris, etiam dici debet de beneficiis per concursum collatis.

## OBJECTIONES.

217. *Obj.* 1° : Juxta S. Th. q. 62, a. 1, ad 3, distributor iniquus tenetur ei restituere cui minus dedit quàm dare debuit ex justitia distributiva.

*R.* cum Soto et aliis : Si dare debuit ex sola distributiva, *N.*; si dare debuit simul ex justitia commutativa, *C.* Sæpissimè fit ut cum justitia distributiva concurrat justitia commutativa : quod patet 1° quando beneficia vel officia per concursum, ut nuperrimè dictum, conferuntur; 2° cùm bona distribuenda sunt bona fortunæ, quæ principaliter destinata sunt, non ad bonum reipublicæ, sed ad utilitatem privatorum ; tunc enim communiter ex justitia commutativa debent distribui juxta proportionem laborum, meritorum aut indigentiæ, proùt fusiùs explicat Illsung, D. 3, n. 8; et dominus aut administrator bonorum in hoc casu verum et propriè dictum jus confert hominibus privatis : 3° cùm imponuntur onera vel vectigalia subditis; tunc enim quilibet privatorum habet jus rigorosum ne nimiùm et ultra proportionem gravetur.

218. *Obj.* 2° : Si quis in testamento relinquat mille florenos, ut distribuantur pauperibus juxta proportionem inopiæ, singuli pauperes acquirunt jus strictum ad majorem aut minorem summam, juxta proportionem inopiæ : ergo etiam, si respublica velit officia distribui juxta proportionem dignitatis et meritorum, digni vel digniores acquirunt jus strictum juxta proportionem dignitatis et meritorum.

*R. D. A.* Si testator efficaciter velit pauperibus competere jus, *C.*; secùs, *N.* Totum pendet ab intentione testantis. Sicut enim paterfamiliàs dare potest uxori vel filiis pecuniam erogandam in pauperes, quin efficaciter hac sua voluntate transferat jus in pauperes, sed tantùm velit uxori vel filiis dare materiam exercendæ misericordiæ; sic etiam testator relinquere potest bona danda pauperibus, quin efficaciter velit iis competere jus, ut liquet in casu quo relinqueret bona fratribus Minoribus, qui sunt incapaces juris et

dominii. Similem in modum respublica vel Ecclesia variè potest obstringere suos administratores ad æquam distributionem officiorum aut beneficiorum : 1° sic, ut hac voluntate tribuat dignis aut dignioribus strictum jus ; 2° ut æquam distributionem exigat titulo fidelitatis aut obedientiæ ; 3° ut imponat administratoribus obligationem ex justitiâ commutativâ, non quidem erga dignos aut digniores, sed erga seipsam. Quòd verò primum fiat, nec ab auctoritate, nec à ratione, nec à praxi satis colligitur : secundum admittimus : de tertio disputabimus quæstione sequenti.

219. *Obj.* 3° : Dux belli, cùm partitur spolia, debet ea partiri juxta proportionem meritorum ; aliàs propriè dictam injuriam militibus infert : ergo etiam, qui dat officia minùs dignis aut indignis, propriè dictam injuriam infert.

*R. N. C.* Spolia distribui debent principaliter in utilitatem militum, et sunt veluti merces et stipendium laboris transacti : merces autem et stipendium ex justitiâ commutativâ commensurari debet labori transacto. Contrà beneficia vel officia principaliter distribui debent ad utilitatem Ecclesiæ vel reipublicæ, neque sunt merces aut stipendium laboris transacti ; nam sæpissimè promoveri debent ad beneficia vel officia, qui nihil laborârunt pro Ecclesiâ vel republicâ. Fateor tamen beneficia vel officia posse vocari stipendia quædam anticipata, quæ dantur intuitu laboris suscipiendi : verùm etiam hæc stipendia non debentur ante conductionem et promissionem.

220. *Obj.* 4° : Si dignus aut dignior per se non habet jus ad beneficium aut officium, non irrogatur ei injuria, quando postponitur indigno vel minùs digno : falsum hoc : ergo.

*R.* Non fit injuria strictè sumpta, *C.* ; largiùs accepta, *N.* Sicut digno præ indigno, vel digniori præ minùs digno competit jus largiùs acceptum, sic per postpositionem ei fit injuria largiùs accepta. Jus autem istud consistit partim in dignitate vel meritis illius cui beneficium aut officium est conferendum, partim in lege naturali vel positivâ, quâ jubentur electores præferre digniores minùs dignis et dignos indignis.

221. *Obj.* 5° : Evangelicus ille paterfamiliâs non fuit distributor iniquus mercedis, quando laborantibus inæqualiter dedit æqualem mercedem ; cujus alia causa non fuit, nisi quòd magis laborantes non habuerint strictum jus ad ampliorem mercedem : ergo etiam collator beneficiorum aut officiorum non distribuit iniquè, si dignioribus non confert meliora beneficia, vel officia.

*R. N. C.* Paterfamiliâs ille non egit iniquè, quia nec ex justitiâ commutativâ, nec etiam ex distributivâ tenebatur magis laborantibus ampliùs quid dare quàm pactam mercedem : minùs verò laborantibus ex pura liberalitate dedit aut promisit ampliorem mercedem, quàm ipsis aliàs debebatur. Contra verò, qui jubentur à republica distribuere bona communia, tenentur ex justitiâ distributivâ digniores ac dignos præferre.

222. *Obj* 6° : Officia publica sunt bona communia reipublicæ : ergo quivis in republica jus habet inadæquatum.

*R. D. A.* Sunt communia negativè, sive non possunt extraneis citra dictam injuriam conferri, *O.* ; positivè, *N.* Singula reipublicæ membra nec habent jus reale nec personale ad officia publica, ut ipsis determinatè conferantur ; secus enim et inepti promovendi forent. Dein universaliter etiam non est verum quòd officia publica debeant semper indigenis conferri : cùm sæpissimè prospiciatur longè meliùs utilitati reipublicæ, si vocetur extraneus.

223. *Obj.* 7° : Beneficia vel officia publica, quamvis principaliter ordinata sint ad utilitatem reipublicæ, minùs principaliter tamen ordinata sunt ad utilitatem privatorum, qui digni vel digniores sunt : ergo istis competit verum jus. *A. prob.* Beneficia vel officia sunt communiter præmia meritorum, quibus homines privati se reddiderunt conspicuos in studiis, artibus aut aliis laboribus. 2° Nisi beneficia vel officia forent ordinata, saltem minùs principaliter, in bonum privatorum, languerent studia, vilescerent artes, cessaret laudabilis æmulatio, succresceret otium, etc. 3° Si vacarent duo beneficia, pinguius unum, alterum minùs pingue, sed quæ requirerent æqualem aptitudinem aut peritiam, digniori conferendum est beneficium pinguius, uti tanquam certum tuetur Th. Sanch. l. 2 Consil. dub. 2, n. 2 : sed hoc non esset certum, imò potiùs falsum, si beneficia tantùm ordinata forent ad utilitatem reipublicæ.

*R. C. A. N. C.* Hic finis obtinetur abunde si collatores beneficiorum aut officiorum obligentur dignioribus aut dignis saltem ex justitia distributiva, vel si debeant æquam facere distributionem ex titulo obedientiæ, fidelitatis, caritatis aut justitiæ commutativæ quam exhibere tenentur reipublicæ vel Ecclesiæ, proùt infrà declarabitur. 2° Quando summus pontifex indicit Ecclesiæ jejunium, subditi transgredientes præceptum, non tantùm peccant contra obedientiam pontifici debitam, sed etiam contra temperantiam, quia pontifex suo præcepto constituit jejunium in materia necessaria temperantiæ, proùt fusiùs in tractatu de Peccatis exposui : ergo etiam, quando respublica vel Ecclesia præcipit ut fiat æqua distributio beneficiorum et officiorum, transgressores præcepti peccant contra justitiam distributivam. 3° Esto beneficia vel officia communia vocari possint aliquo modo præmia meritorum, non tamen sunt præmia ex pacto, vel alio titulo justitiæ commutativæ dignioribus aut dignis debita, sed ad summum ex gratitudine tantùm ; imò sæpiùs justissimè conferuntur etiam iis qui nihil apud rempublicam aut Ecclesiam, in qua sunt officia vel beneficia, promeriti sunt. Ac Rebell. l. 3, q. 3, n. 6, addit, evitari non posse simoniam, si beneficia darentur vel reciperentur tanquam pretia servitiorum.

## QUÆSTIO XV.

QUOMODO PECCENT ELIGENTES INDIGNUM AUT MINUS DIGNUM AD BENEFICIUM AUT OFFICIUM. ET AN TE-

NEANTUR AD RESTITUTIONEM ECCLESIÆ VEL REIPUBLICÆ?

224. Hæc quæstio, quamvis à plurimis in praxi non admodùm magni fiat, tamen, ex communi sapientium et proborum judicio, est gravissimi momenti; et, ut habetur in Divorum actis, S. Petrus Apostolus S. Leoni pontifici, de propria salute multùm sollicito, hoc unum commendavit, ut attenderet maximâ curâ, et examinaret solertissimè ministros Ecclesiæ, quos præficeret; hoc enim exactissimè dijudicatum iri coram tribunali divino. Ut autem clariùs procedam,

225. *Sciendum* 1° quatuor potissimùm conditiones esse pensandas, ut videas an alter sit beneficio vel officio dignus. *Prima* est capacitas juridica, vel præsentia eorum quæ lex canonica vel civilis speciatim exigit, ut ætas, legitimi natales, etc. *Secunda*, probitas morum; sic juxta communem est indignus beneficio curato, vel etiam simplici, qui frequenter et notoriè vivit in peccato mortali. *Tertia*, scientia competens ad ministerium; beneficium quippe datur propter officium. *Quarta*, prudentia et industria agendorum. Less. l. 2, c. 34, dub. 17, numerat decem conditiones, quas omnes dein explicat juxta morem suum clarè, breviter, solidè.

226. *Sciendum* 2° ex S. Th. q. 63, a. 2, in c., digniorem universim non esse qui doctior aut sanctior est, sed qui, pensatis omnibus, utilior est Ecclesiæ vel reipublicæ futurus, sive qui, pensatis omnibus circumstantiis personæ, loci, temporis, aptior censetur ad ministerium quod ratione beneficii vel officii peragendum est. Unde quibusdam in locis dignior est beneficio qui magis sanctus; in aliis, qui magis doctus aut prudens: sæpè confert etiam nobilitas et potentia secularis, ad reprimendam audaciam hæreticorum, præsertim in locis septentrionalibus, ubi plurimùm expedit episcopos esse potentes. Unde summi pontifices faciliùs etiam ibi dispensant in unione beneficiorum et episcopatuum.

227. *Sciendum* 3° non universaliter accipi posse quod Aug. Barbosa, p. 1, de officio Parochi, c. 2, n. 109, cum quibusdam jurisconsultis asserit, digniorem esse qui diutiùs expectavit aut est senior. Quippe, nisi meliùs probaverit sua merita, vel majorem collegerit peritiam, ætatis conditio vel expectatio diuturnior parùm valet; cùm ecclesiastica beneficia principaliter ordinata sint in utilitatem Ecclesiæ, non in commodum accipientium. Et hinc Th. Sanch. l. 2 Cons. c. 1, dub. 8, referens statutum aliquod ecclesiæ Granatensis, vi cujus antiquior præfertur ad beneficium simplex, ait quidem illud esse tolerabile, sed addit intolerabile futurum si statutum simile fieret circa beneficia curata.

228. *Sciendum* 4° nec etiam sustineri posse, quod aliqui putant, præferendum esse pauperem, et qui debet alere parentes egentes, etiamsi cætera non sint paria; parochia quippe non est propter parochum, nisi tantùm secundariò; sed parochus est potiùs propter parochiam. Imò, si cætera sint paria, et potentia divitiarum vel nobilitas multùm conferant ad Ecclesiæ splendorem, et comprimendos hæreticorum conatus, potiùs præferendus est dives et nobilis.

229. *Sciendum* 5° magnam et odiosam esse controversiam inter TT. et jurisconsultos, quis ad beneficia sit præferendus, an jurista, num verò theologus; in qua singuli ferè dimicant pro suo foro. Quoad beneficia parochialia, quæ non habent annexam jurisdictionem externam, etiam jurisconsulti dant manus; quia præcipuus parochi finis non est colligere decimas, oblationes et vota vel dirimere lites, sed explicare doctrinam Christi, proponere, defendere supernaturalia fidei mysteria, tradere generalia conscientiæ principia, ministrare sacramenta, excipere confessiones; quæ regulariter melius scit theologus. Longè magis assertum est verum in locis ubi pullulant hæreses, aut hæretici sunt vicini. Circa beneficium episcopale major est difficultas, et videri potest ex canonistis Pax Jordanus præl. 13, ex theologis Vasq. c. 2, § 3, dub. 9; quisque in suo sensu abundat. His suppositis,

230. *Dico* 1°: Eligere vel promovere scienter indignum ad beneficium ecclesiasticum, est peccatum mortale: Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 2, n. 12; Less. l. 2, c. 34, n. 53; C. de Lugo, D. 35, n. 1, quibus nemo refragatur. *Ratio* certissimæ *conclusionis est:* 1° constans sensus SS. PP., summorum Pontificum et conciliorum, qui promotiones indignorum semper detestati sunt, ut præsentissimam Ecclesiæ pestem, quod patet ex *C. grave nimis et absurdum* 29, *de præbendis; C. cùm in cunctis* 7; *C. cùm Wintoniensis* 25; *C. per inquisition.* 26, *de elect. C. perpetuò* 7; *C. quamquam* 18, *de elect. in* 6, ubi etiam gravissimæ pœnæ statuuntur in eos qui scienter eligunt indignum. 2° Ut bene Lessius, omnes ferè hæreses, omnia scandala vel mala Ecclesiæ proficiscuntur ex eo quòd beneficia conferantur indignis, id quod satis experta Germania temporibus Lutheri. 3° Sicut œconomus graviter peccat contra fidelitatem ac justitiam domino debitam, si scienter eligat ineptum, ignavum, frugiperdam et furtis deditum operarium, à quo periculum imminet gravis detrimenti; sic etiam peccat promovens indignum ad beneficium ecclesiasticum. 4° Elector, quando suscipit officium, obligat se per quasi-contractum ad hoc ut Ecclesiæ semper in electionibus provideat, et in hunc finem fideles ex obligatione justitiæ pendunt electoribus decimas, ut vicissim electores ex obligatione simili dent eis bonos ac idoneos ministros. 5° Imò, licet elector nullum haberet emolumentum ex electione, tamen, hoc ipso quòd suscipiat officium electoris, suscipit etiam obligationem administrandi bene suum officium, ferè sicut confessarius, medicus aut judex qui gratis officium administrat. Porro notant optimè DD. electorem in conscientia non esse tutum, si conferat beneficium ei quem nescit indignum, vel quem generaliter præsumit esse bonum; sed esse necessarium ut post sufficientem diligentiam positivè judicet esse bonum; et P. Less. supra, n. 56, dicit, patronos peccare graviter, si præsentent aliquem de cujus vitâ, moribus et doctrinâ non sunt satis informati per viros doctos et idoneos, de quorum fide non

possunt ambigere. Similiter C. de Lugo, n. 7, putat frequentiùs ab aliquibus peccari, quòd promoveant indignos quàm quòd eligant minùs dignos; cùm nimis facilè vel etiam temerè judicent dignos qui reipsa sunt indigni; et n. 103, magnam impertit laudem coævo cuidam cardinali, qui rogatus ut auctoritatem suam interponeret apud datarium pro conferendo beneficio, christiana libertate respondit : *Quomodo possum tutâ conscientiâ id petere, qui nondum habeo notitiam de tua dignitate ad beneficium?*

231. *Dico* 2° : Electio indigni sæpiùs est irrita de jure, sæpiùs tantum irritanda. Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 45; Lessius, c. 24, n. 129; C. de Lugo, D. 35, n. 9, cum aliis. Ita, cùm electus habet incapacitatem juris, defectum ætatis aut ordinis requisiti, censurâ vel irregularitate affectus, electio est irrita ipso jure. 2° Si defectus sit in scientia, et electus omnino sit illitteratus, qui latinè non sciat legere vel scribere, collatio beneficii est nulla, nisi fors papa dispenset. Si verò non sit litteratus omnino, sed tamen neutiquam instructus sufficienti scientia, non est irrita, sed irritanda tantùm electio, nisi fors ad beneficium necessariò requiratur gradus doctoris vel licentiati. 3° Si proveniat indignitas ex pravis moribus, non est ipso jure nulla, sed irritanda promotio, nisi peccata secum afferant censuram, irregularitatem aut infamiam, quæ reddant inhabilem personam ad recipiendum beneficium.

232. *Dico* 3° : Eligere minùs dignum ad beneficium episcopale, mortiferum est peccatum. Ita S. Th. q. 63, a. 2 c., et q. 185, a. 3 c., Vasq. de Benef. c. 2, § 3, n. 50; Lessius, l. 2, c. 34, n. 62; Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 2; C. de Lugo, D. 35, n. 11; Palaus, t. 2, tr. 13, D. 2, p. 11; Card. Dis. 28, in prohibitas; Cov. reg. peccatum, p. 2, § 7; Barbosa, de officio parochi, p. 1, c. 2; Pax Jordanus, prælud. 12, et alii sine numero. *Prob.* 1° auctoritate C. Tridentini, sess. 14, de Reform. c. 1, ubi sacra synodus *omnes et singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione, à sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut inprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos pastores, et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, aut Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Et ibidem dicitur ad finem : *Sancta synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium quàm ut Romanus Pontifex lectissimos tantùm cardinales sibi asciscat, et bonos maximè, atque idoneos pastores, singulis præficiat, idque eò magis quòd ovium sanguinem, quæ peribunt, Dominus Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus;* quibus verbis quid clarius afferri possit non video. Neque dicas, superlativum et comparativum gradum *lectissimos, maximè bonos et idoneos, digniores*, accipi pro positivo. Nam hæc expositio damnata fuit expressè sub pœna excommunicationis ab Innocent. XI. Notandum quoque, nequaquam hìc à concilio statui novam legem, cùm concilium apertè pronuntiet se nihil innovare pro præsenti temporum ratione.

233. *Prob.* 2° *ratione :* Elector qui liberè conjicit Ecclesiam in morale periculum sustinendi gravissima detrimenta, peccat mortaliter : hoc facit eligens minùs dignum : ergo. *M. est clara;* nam elector hoc modo graviter abutitur suo officio, et in materia gravi agit contra fidelitatem aut justitiam Ecclesiæ debitam. *M. prob.* ex verbis antea citatis concil. Tridentini, quibus dicitur, in Ecclesia gravissima incommoda consurgere, si non præficiantur maximè idonei : nihil magis Ecclesiæ Dei necessarium quàm ut asciscantur lectissimi; collatores, electores, promotores et quicumque operam suam præstant, communicare peccatis alienis ac mortaliter peccare, si non digniores præfici diligenter curaverint. Dein, ut experientia quotidiana satis demonstrat, et optimè ponderat C. de Lugo, fidelium tepiditas, vitiorum augmentum, improborum insolentia et omnia christiani populi mala potissimam sumunt originem ex eo quòd non vigilantissimi pastores singulis ecclesiis præficiantur.

234. *Prob.* 3° : Elector qui liberè conjicit Ecclesiam in morale periculum habendi pastorem aut episcopum simpliciter indignum, peccat mortaliter, et gravissimè abutitur suo officio : sed hoc facit eligens episcopum minùs dignum : ergo. *Prob. m.* Episcopus, juxta S. Paulum, 1 Tim. 3, debet *irreprehensibilis* esse, vel, ut ex PP. eruditè probat Aug. Barbosa, p. 1, de potest. Episc. tit. 2, norma virtutum omnium. Item debet esse simpliciter perfectus, ut docet S. Th. q. 184, a. 7, quem omnes TT. sequuntur; nec tantùm tendere debet ad perfectionem, ut religiosi, sed debet habere gradum consummatæ perfectionis. Præterea finis episcopi proprius est, ut ovium necessitatibus opituletur, arceat lupos in ovile Christi grassantes, peccata subditorum impediat, mores corruptos reformet, et pristinum Ecclesiæ splendorem, quantùm fieri potest, restituat : ad hunc autem finem tot exiguntur dotes prudentiæ, doctrinæ, pietatis, zeli, constantiæ, sanctitatis, ut multi quidem sint respectivè digniores, id est, minùs indigni quàm alii; reipsa tamen et absolutè paucissimi sint digni, imò frequenter, ut Cardenas observat, ex toto collegio cathedrali vix ullus absolutè vel simpliciter sit dignus : ergo qui liberè minùs dignum eligit, Ecclesiam liberè conjicit in morale periculum habendi pastorem et episcopum simpliciter indignum : hoc autem non facit alius eligens respectivè magis dignum; quia, cùm non possit eligere meliorem, liberè non conjicit Ecclesiam in periculum habendi pastorem aut episcopum simpliciter indignum. Huc faciunt etiam verba gravissima Tridentini sess. 24, de Ref. c. 1, quibus dicitur episcopale munus esse hujusmodi, *ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum videri possit.*

235. *Dico* 4° : Eligere minùs dignum ad parœciam aut beneficium curatum, est per se peccatum mortale. S. Th. q. 63, a. 2, et in Quodl. q. 6 et 8, ubi rem hanc

incunctanter, ut loquitur Sotus, et velut constitutissimam astruit; item Vasq. Less. Th. Sanch. C. de Lugo, Palaus, Carden. Covar. Barbosa, Pax Jordan. supra citati; Azor, p. 2, l. 6, c. 15, q. 1; Dicastill. D. 8, de rest. n. 81; Valentia 2-2, D. 5, q. 7, p. 2; Sotus, l. 3, q. 6, conclus. 9; Navarr. l. 2, c. 2, n. 123; Rebell. p. 1, l. 3, q. 4; Ascan. Tambur. de Jure Abb. t. 1, D. 5, q. 13; Mastrius in Th. moral. D. 6, n. 9; Herincx, D. 7, n. 27, et alii quamplurimi : adeò ut Covarruv. et Dicast. pronuntient esse communem omnium ferè DD. sententiam; Azor testetur omnes Summistas consentire; Vasquez asserat esse doctrinam omnium præterquàm aliquot juristarum. Ratio prima est hæc ipsa TT. et Canonist. auctoritas, quæ semper in moralibus est maximi facienda. Secunda : Tametsi synodus Tridentina loquatur supra de beneficiis tantùm episcopalibus, tamen idem alibi sentit de parœcialibus; nam sess. 24 de Refor., c. 18, præcipit episcopis ac patronis ecclesiasticis, ut eligant ad parœcias eum *quem cæteris magis idoneum judicaverint, ut è dignis eligant digniorem.* Tertia : Eadem sacra synodus gravissimè præcipit, ut, vacante parochiâ, plures ab episcopo vel ecclesiastico patrono nominentur, qui credantur digni beneficio; vel etiam, si pro regionis more magis expediens esse videatur, per publicum edictum vocentur qui volent examinari : finito dein examine, semper ab ecclesiastico patrono præsentetur aut ab episcopo eligatur, qui cæteris dignior est judicatus. Si verò neglecta fuerit ab episcopis aut patronis ecclesiasticis hæc forma, synodus œcumenica provisionem et institutionem beneficii parochialis declarat esse subreptitiam, quod etiam statuit B. Pius V, in bullâ cujus initium : *In conferendis ecclesiis.* Quamvis autem hæc decreta quoad formam eligendi non sint ubique recepta, tamen ex iis satis apparet quàm necessarium esse duxerint Tridentini Patres et summi pontifices, ut eligeretur dignior ad beneficium parœciale. Quarta : Qui scienter eligit episcopum notabiliter minùs dignum, peccat mortaliter, quia *communicat peccatis alienis,* ut superiùs ostensum ex Trident., sive quia per electionem est causa cur ob defectum optimi pastoris magis invalescant scelera : sed hæc ratio, si quid probat, etiam ostendit, illos communicare peccatis alienis, et peccare mortaliter, qui non eligunt dignissimum parochum, præsertim in Germaniæ pagis et oppidis, ubi frequenter unus duntaxat presbyter regit aliquot animarum millia, et longè majus animabus periculum imminet quàm in plurimis Italiæ civitatibus, ubi non multò plures animas episcopus gubernat, et ubi strenuam operam episcopo navant plurimi ferventes religiosi. Quinta : Qui seriò perpendit quanti momenti negotium sit cura multarum animarum, difficulter definiet quantus gradus perfectionis desideretur ut aliquis beneficio parœciali simpliciter et absolutè sit dignus, et experientia docet plurimos ex iis quos ante collationem putavimus absolutè dignos, successu temporis apparere parùm aptos et simpliciter indignos, præsertim in Germaniæ locis, ubi pastores ab urbibus et à consortio virorum spiritualium semoti, nisi planè sint optimi, per otium et alia vitia sensim intepescunt et pessimè corrumpuntur : ergo, nisi collator eligat eum quem existimat esse notabiliter aliis digniorem, Ecclesiam liberè conjicit in morale periculum habendi pastorem simpliciter indignum. Sexta : Œconomus in re gravissimi momenti peccat contra fidem aut justitiam domino debitam, si non asciscat operarios maximè gnavos et idoneos, quos tamen facilè posset asciscere. Rursùm, ut diximus ad *legem Aquiliam,* et in materiâ de contractibus, quando negotium est maximi momenti, non satisfacit artifex aut officialis, nisi maximam pariter diligentiam adhibeat : atqui non est res parvi momenti, multis millibus aut centuriis animarum præficere virum qui per annos viginti, triginta vel plures fortassè parœciam solus est recturus. Septima : Constat ab experientiâ quantùm efficere possit apud homines rurales et instructionis plurimùm egentes, vir unicus, apostolico zelo flagrans, et instructus egregiis naturæ et gratiæ dotibus, quàm brevi tempore possit exscindere non unam duntaxat, sed plures pravas consuetudines, ac inducere novos et sanctiores mores. Certè similis mutatio passim cernitur etiam in populosis urbibus, ubi confessarii possunt testari quid impetrare possit apostolicus concionator, qui notabiliter alios antecellit : atqui collator beneficii, cùm facilè potest eligere meliorem parochum, non potest Ecclesiam citra peccatum mortale tantis bonis orbare. Cæterùm conclusio nostra regulariter procedit; nam quædam curata beneficia parùm dissident à simplicibus; vel quia paucissimas animas habent sibi subjectas; vel quia totam ferè curam animarum assumunt regulares, sic, ut parochus ferè tantùm præsit cantandis officiis, et tunc fortassis eo proportionaliter modo discurrendum est de parœcialibus sicut de simplicibus.

236. *Dico* 5° : Non solùm elector, sed et patronus peccat mortaliter, si minùs dignum præsentat ad episcopatum aut beneficium curatum magni momenti. Ita Th. Sanch. l. 2 Cons. c. 1, dub. 5, citans Frederic. Mendos. Molinam, J. C. Spinum, Mercadum, Less. l. 2, c. 34, n. 62; Vasq. de benef. c. 2, § 3, dub. 5 et 7; Rebell. l. 3, q. 4; Filliuc. tr. 41, c. 4, l. 3, n. 178; Dicast. D. 8, de Rest. n. 81 et 102; C. de Lugo, D. 35, n. 40; Wiggers, tr. 7, c. 3, dub. 3, n° 32; Florent. de Cocq. tr. 4, c. 2, f. 1; Cardenas in prohibitas, diss. 28, n. 21 et 38; Covarruv. reg. peccatum, § 7, n. 5; Guttierez, l. 2, c. 11, n. 26; Salon. Aragon. Bannez et alii Thomistæ q. 63, a. 2, et TT. communiter contra Barbosam et multos juristas, qui putant sufficere si patronus laicus dignum præsentet, saltem ad beneficium inferius episcopali. Ratio prima : Tridentinum supra n. 232 citatum, asserit omnes *qui quodcumque jus, quàcumque ratione, à sede Apostolicâ habent, aut alioquin operam suam præstant, alienis peccatis communicantes, peccare mortaliter, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Quis autem magis operam suam præstat quàm patronus, cujus præsentatio non potest irritari si dignus, etsi non dignior non præsentetur? item licet

patroni non habeant jus suum ex speciali privilegio sedis Apostolicæ, tamen habent jus ex generali concessione; cùm fundatio sola beneficii sine concessione summi pontificis non det jus patronatûs : Secunda. Sacra synodus docet, electorem minùs digni peccare mortaliter; quia communicat peccatis alienis, sive quia non impedit multa et gravia peccata fidelium, quæ facilè posset impedire per electionem pastoris dignissimi, quæque tenetur vel ex charitate, vel ex fidelitate, vel etiam ex justitiâ impedire : sed hæc ratio procedit etiam in patrono tam ecclesiastico quàm laico. Tertia : Esto Tridentinum in allato textu loquatur de promotione episcoporum, tamen eadem proportionaliter est ipsius mens quoad promotionem parochorum; et, si communicando peccatis alienis peccat mortaliter qui non promovet digniorem ad episcopatum, etiam peccat mortaliter qui non promovet digniorem ad parochiam, ut superiùs est visum. Quarta. Eadem in Ecclesiâ, vel potiùs graviora sequerentur incommoda, si patroni laici possent absque mortali peccato minùs dignum præsentare, quàm si possent electores aut patroni ecclesiastici eum promovere; cùm laici seculares, quales communiter patroni laici sunt, faciliùs ducantur humanis, politicis et carnalibus rationibus, et sæpiùs errare possint in præsentatione illius quem judicant esse dignum, quàm electores aut patroni ecclesiastici. Quinta : Obligatio quâ tenentur electores sub gravi peccato promovere dignissimum, non est juris tantùm positivi, seu naturalis, ut concedunt plerique DD. : aliàs hæc obligatio posset abrogari per contrariam consuetudinem, quod tamen nec ipse Palaus, ut contrariæ sententiæ patronus, audet concedere : item concilium Tridentinum, ubi præcipit electionem dignioris, addit se nihil innovare, vel non condere novam legem; aliæ verò leges humanæ scriptæ non sufficienter probant esse necessariam electionem dignissimi in omnibus beneficiis curatis, ut contra Lessium ostendit C. de Lugo, D. 35, n. 11; lex autem humana purè tradita gratis fingitur : atqui non potest ostendi lex ulla naturalis, propter quam sub mortali debeat elector promovere dignissimum, et non debeat etiam patronus laicus.

237. *Dico* 6° : Doctrina proposita de electione vel præsentatione magis digni patitur aliquot exceptiones quæ reduci possunt ad tria capita : parvitatem materiæ; necessitatem aut utilitatem reipublicæ; jus eorum qui minùs sunt digni. Nam 1° quando modicum est discrimen inter magis et minùs dignum, sine peccato mortali minùs dignus eligitur etiam ad beneficium curatum. Ita plerique DD. contra Turr. *et ratio*, quia, cùm modicum inde damnum patiatur Ecclesia, vel respublica, parùm pro nihilo reputatur, et electores alioquin nimiis exponerentur scrupulis. 2° Ob eamdem rationem, quando modicus et exiguus est excessus inter beneficia, licèt magnus et notabilis sit inter personas, non videtur lethale, minùs digno majus conferre beneficium. Ubi tamen observes, non esse duntaxat æstimandum excessum beneficii quoad redditus pecuniarios, sed etiam quoad honorem, dignitatem et alia quæ beneficium præstantius efficiunt. 3° Si per longam experientiam evidenter cognosco familiarem meum esse dignum, saltem respectivè, vel eo modo quo communiter alii parochi, sed alterum probabiliter tantùm judico dignum aut digniorem, sine gravi peccato familiarem præfero; quia certa vel evidens notitia de dignitate unius æquiponderat notitiæ tantùm probabili de majori dignitate alterius. Aliud foret si cognoscerem evidenter alterum esse saltem parem meo familiari, simulque cognoscerem probabiliter eum esse notabiliter digniorem; tunc enim, ut ait C. de Lugo, tenerer eum præferre. 4° Si non possit inveniri dignus, aut si dignus nolit beneficium, quia nimis est tenue, vel sit periculum ne devolvatur beneficium ad hæreticos, absque culpa promovetur indignus : nam ex duobus malis eligitur minus, et melius est aliquem quàm nullum habere pastorem, qui sacramenta validè ministret. 5° Cùm electio minùs digni necessarium est medium ad exclusionem indigni, potest ac probabiliùs debet in suffragio dignior omitti; quia non teneor eligere nisi digniorem ex possibilibus, et Ecclesiæ sic magis prospicitur. Eodem modo, si tres concurrerent, unus dignus, alter indignus, tertius indignissimus, et aliter caveri non possit electio indignissimi, eligendus esset indignus. 6° Cùm certissimò prævides suffragium tuum digniori nihil profuturum, quia cæteri omnes inclinant in minùs dignum, censent aliqui digniorem absque culpa præteriri; nam electus unanimi voce multò suaviùs et utiliùs gubernat. Excipiunt casum quo beneficium distribueretur per concursum, et suffragium tuum digniori multùm prodesset ad aliam electionem. 7° Potest eligi minùs dignus, quando magis dignus utiliùs occupatur alio munere, vel ex industria servatur ad melius beneficium brevi vacaturum. Quando verò duo sunt beneficia, pinguius unum, alterum verò tenuius, licèt hoc posterius requirat majorem aptitudinem quàm prius, attenta quidem utilitate Ecclesiæ, digniori conferendum esset tenuius beneficium; quia tamen secundariò beneficia sunt etiam in utilitatem accipientium, et Ecclesiæ generatim utilius est ut digniores operarii melioribus fruantur stipendiis, non satis video quare non dignior promoveri possit ad pinguius. Meritò tamen indignatur hic Bannez, quòd sæpè pinguiora sint beneficia simplicia minoris momenti quàm curata, quæ requirunt longè majorem aptitudinem quàm priora. 8° Quando prævides digniorem brevi renuntiaturum parochiæ, sæpiùs illum rectè negligis; quia mutationes hujusmodi non prosunt ecclesiis, et, mutatis identidem pastoribus, nunquam satis cognoscuntur oves. Aliud foret, si præscires Ecclesiam ex hac mutatione nihil damni passuram. 9° Sæpe fieri debet electio ex personis certi loci, collegii, diœcesis aut nationis; quia competit ipsis jus ex institutione beneficii contra peregrinos et extraneos. Quocirca prætermittendus est dignior extra locum, collegium, etc. Ita pontifex eligitur ex collegio cardinalium, licet Sotus dicat id minimè necessarium. Et in nostris partibus eligi debet episcopus ex ecclesia cathedrali. Sic in Hispania sunt incapaces beneficiorum omnes extranei

etiam cardinales, nisi saltem sint naturales. Idem in Gallia servari testis est Rebuffus. Posse verò beneficia sic institui, patet ex *C. bonæ memor* 4, § *quia verò, de postul. C. ne pro defectu* 41, *de elect. C. nec emeritis* 12. *C. nullus* 13, *dist.* 61 : et ratio, quia communiter indigenæ magis diligunt ecclesiam, faciliùs conciliant sibi subditorum animos, non extrahunt pecunias è provincia, non inficiunt nationem peregrinis moribus; item multo magis vitantur lites, si tam activæ quàm passivæ voces affigantur certæ communitati. 10° Id ipsum extendit Th. Sanchez ad casum quo beneficii fundator apposuit conditionem ut beneficium semper conferretur uni de familia, dum ex illa reperiatur dignus : quod ego libenter quidem de beneficiis simplicibus et supranumerariis concesserim; at de curatis magni momenti non videtur verum, saltem regulariter loquendo, prout infrà monstrabitur. 11° Quando per concursum alicui beneficium jam est promissum tanquam dignissimo, non potest illud alteri supervenienti postea conferri; quia prior jam habet jus. 12° Si promisit episcopus extra concursum et promissione purè gratuita beneficium vacans alicui digno et bene merito, tenetur episcopus implere promissionem, dum tamen alius notabiliter dignior non compareat; hoc enim comparente, promissionem non ligare putat Vasq., c. 2, § 2, d. 4. Si verò promittat beneficium vacaturum, promissio est omnino nulla, ex *cap. de testanda* 2, *de concess. præbendæ, in* 6. Quod etiam ad patronorum promissiones extendere conatur Vasq. Videantur Th. Sanch. l. 1 Cons. c. 2, et C. de Lugo, D. 35 à n. 21.

238. *Dico* 7° : Qui semel iterùmque vel rarò minùs dignum promovet ad beneficium simplex minoris momenti, non peccat mortaliter. Ità Th. Sanch. l. 2 Consil., c. 1, dub. 3, n. 20; Less., c. 4, n. 66; C. de Lugo, D. 35, n. 20; Barbosa, *de Offic. Parochi*, c. 2, n. 103; Pax Jordanus, præl. 12, n. 32; Navarra, l. 2, c. 2, n. 147; Herincx, D. 7, n. 28; Reginald. Sotus, Laym. Arag. Guttier. et alii quamplurimi contra Vasq. Ratio : Finis primarius ad quem instituta beneficia sunt, est utilitas Ecclesiæ; sed huic fini non graviter præjudicat qui semel iterùmve tantùm prætermittit dignorem, et paucorum mediocritas aliorum virtute facilè compensatur. Secunda : Esto beneficia partialiter etiam instituta sint in favorem privatorum, tamen iis nullo stricto jure debentur, nec ostendi potest ulla lex naturalis aut positiva, quæ sub peccato mortali cogat semper conferre beneficium simplex magis digno. Tertia : Addunt aliqui quòd, si contraria sententia esset vera, omnes fere prælati viverent in statu damnationis æternæ.

239. *Dico* 8° : Videtur tamen mortale passim et communiter eligere minùs dignum ad beneficium simplex. Ita Regin. Herincx, Less. Lugo et alii complures contra Navarram, Barbosam, Pacem Jordanum, etc. Ratio 1ª : Quia sic elector se conjicere videtur in morale periculum sæpiùs graviter errandi, vel eligendi ministros simpliciter indignos. 2ª Hâc ratione fraudatur intentio fundatorum, qui videntur graviter inviti si redditus passim applicentur minùs dignis. 3ª Elector videtur etiam graviter violare fidelitatem Ecclesiæ debitam : sic enim œconomus diceretur graviter negligens si passim et ordinariè conduceret operarios minùs strenuos, gnavos et solertes, cùm tamen facilè possit habere notabiliter magis strenuos, gnavos et solertes; sic etiam elector in hoc casu graviter negligeret bonum Ecclesiæ. 4ª Elector iste dat causam ut langueant clericorum studia, multique non curent digniores effici, sed beneficia modis humanis aut illicitis ambiant, id quod cedit in grave præjudicium Ecclesiæ. Porro Rebellus, l. 3, q. 4, n. 12, et C. de Lugo, D. 35, n. 20, putant, ne semel quidem posse citra gravem culpam omitti digniorem in beneficiis simplicibus majoris momenti, qualia sunt archidiaconatus, præpositura, canonicatus splendidi; quod præcipuè notandum pro Germaniæ provinciis, ubi solent ex gremio canonicorum eligi principes episcopi, etc.

240. *Dico* 9° : De secularibus officiis eo ferè modo discurrendum est ut de beneficiis ecclesiasticis, et peccant mortaliter eligentes indignos aut minùs dignos ad officia majoris momenti, uti sunt prætoris, judicis, gubernatoris, quæstoris in ampla provincia. Quoad indignum, consentiunt omnes. Quoad minùs dignum, assertionem tenent Sotus, Arag. Salon. Perez, quos citat et sequitur Lessius c. 32, n. 15; item Valent. Vega, Rebel. Malder, Bannez, quos ex Diana citat et ferè sequitur C. de Lugo, c. 34, n. 13 et seqq. Ratio est : Ut in beneficiis ecclesiasticis, sic etiam in officiis secularibus frequentissimè contingit ut, quos censemus esse dignos, reipsa sint indigni : igitur, nisi maximus sit delectus et officia conferantur quàm dignissimis, respublica gravibus periculis subjacebit, et sensim implebitur ministris malis, politicis, atheis, ambitiosis et avaris, qui se suaque tantùm curent, bonum commune negligant, et omnia distorqueant ad pravas intentiones, qui jus et fas, justitiam et religionem auro venalem exponant. 2° Licet minùs digni ritè fungerentur officio, quod tamen ordinariè non fit, aliunde tamen imminet grave detrimentum reipublicæ si digniores omittantur : nascuntur enim graves offensiones et alienationes subditorum à superioribus, languent studia, torpent ingenia, fovetur ambitio, neque subditi curant ampliùs egregiis facinoribus sibi devincire rempublicam, in quà favoribus et pecuniis omnia emulgentur. 3° Ut Lessius : quamvis uterque ex dignis fortasse posset æqualiter occurrere necessitatibus et periculis communibus reipublicæ, tamen dignior præterea potest etiam occurrere necessitatibus extraordinariis et magis particularibus. Item potest sagacitate vel industriâ suâ novas identidem et speciales utilitates in republicâ procurare, quod minùs dignus non potest : at si commodè fieri potest, distributor officiorum uti que debet etiam attendere ad speciales utilitates reipublicæ, neque contentus esse debet mediocri, sed optimo statu, quem facilè procurare potest electione digniorum officialium. 4° Denique leges juris communis præcipiunt electionem dignissimi, in *Authenti-*

*ta, ut judices sine quoquo*, § 8, *eos autem ; et Authent. de defensoribus civitatum*, § *interim, collat.* 2, *et L. ad subeunda* 45, *C. de decurionibus*. Fateor tamen cum C. de Lugo. D. 34, n. 21, faciliùs evitari lethale peccatum, si conferantur notabiliter minùs dignis semel iterùmve tantùm officia secularia magni momenti, quàm si conferantur beneficia curata; quia longè plus dependet ex animarum curâ quàm ex administratione seculari.

241. *Dico* 10° : Qui sciens et volens eligit ac promovet indignum ad beneficium ecclesiasticum aut officium seculare publicum, in conscientiâ reficere debet omnia damna vel detrimenta quæ per electionem aut promotionem indigni subiit Ecclesia vel respublica, modo saltem illa rationabiliter potuerint prævideri, vel in prudentem adduci suspicionem. Ita doctores universim apud Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 45. Ratio : Nam, ut suprà dictum n. 230, promotor aut elector, ex officio suo vel quasi-contractu, constituere debet bonum, idoneum ac fidelem ministrum, ac providere ne per electionem indigni respublica vel Ecclesia conjiciatur in certum aut morale discrimen gravium damnorum. Unde, sicut œconomus teneretur reficere damna, quando sciens ac volens ascisceret ad laborem ignavos, imperitos ac ineptos opifices, artifices, vel alios operarios, ita multò magis tenetur elector aut promotor indigni, cùm damna publica longè pluris facienda sint quàm privata. Dein, cùm indignus et ineptus sæpissimè labore suo nihil aut perparum mereatur, elector aut promotor debet Ecclesiæ vel reipublicæ stipendium quod indigno datur, refundere, saltem in defectum promoti, qui primo loco tanquam principalis causa tenetur reficere damna per malitiam aut imperitiam data, vel etiam reddere stipendium quod labore suo non est promeritus. Atque hìc meritò C. de Lugo, D. 35, n. 49 et 50, multis electoribus et promotoribus objicit maximum salutis periculum et gravissimum onus restituendi, quod humeris suis imponunt, quando tradunt gubernacula cæcis et indignis officialibus, ut quasi cæcorum duces rempublicam in syrtes, scopulos et mille mala præcipitent. Quot enim in tribunalibus injustæ sententiæ, quot latrocinia, vexationes pauperum, peculatus et aliæ id genus injuriæ consurgunt ob electionem unius indigni vel imperiti prætoris, quæstoris, judicis? Hæc autem si debeant omnia resarciri, væ pravis et iniquis promotoribus!

242. *Dico* 11°: Probabiliter iniquus elector aut promotor etiam sarcire debet damna quæ per electionem aut promotionem notabiliter minùs digni subiit Ecclesia vel respublica. Ita Salon. q. 63, a. 4; C. de Lugo. D. 34, n. 42, quos sequitur Florent. de Cocq, tr. 4, c. 2, s. 2. Ratio. Nam : ut dictum n. 233 et sequentibus, elector et promotor ex officio cavere debent ne, per electionem aut promotionem suam, Ecclesia vel respublica conjiciatur in periculum morale sustinendi gravia detrimenta : sed in hujusmodi periculum conjicitur Ecclesia vel respublica si notabiliter minùs dignus eligitur aut promovetur. 2° Œconomus in re gravissimi momenti tenetur ex justitiâ non promiscuè quoscumque, sed meliores operarios vel optimos asciscere, si quidem facilè possit ; et, nisi faciat, tenetur sarcire damna subsecuta : ergo etiam à pari promotor aut elector, cùm longè gravioris momenti sit promotio ad episcopatum aut parœciam insignem, quàm œconomicum hominis privati negotium, et impendeant sæpissimè multò majora mala, si prætermittatur is qui longè dignior apparet ad episcopatum aut parœciam, quàm si non accersantur ad laborem opifices optimi vel diligentissimi operarii. 3° Distributor beneficiorum aut officiorum non tantùm ex lege positivâ, sed etiam, ut theologi plerumque concedunt, ex jure naturali tenetur ad beneficia vel officia majoris momenti promovere notabiliter magìs aptos et dignos, saltem in casibus n 237 non exceptis : atqui non videtur alia lex naturalis afferri posse quàm justitiæ commutativæ quâ distributor obstringitur Ecclesiæ vel reipublicæ ; non enim ista lex naturalis fundatur in jure stricto quod habent digniores præ minùs dignis, cùm hoc abundè sit confutatum n. 214 : neque fundatur in solâ charitate, prout existimat Laymannus; quia distributor *ex officio* debet cavere damna, vel pericula damnorum quæ facilè nascuntur ex electione notabiliter minùs digni, præsertim in episcopatibus et parœciis insignibus magni momenti : item elector, distributor aut patronus accipit stipendium, decimas, jus præsentationis et similia, ut Ecclesiæ vel reipublicæ non noceat aut accersat gravia pericula per electionem, distributionem aut promotionem notabiliter minùs digni : ergo non solùm ex charitate vel amore boni communis ac publici, sed specialiter ratione sui muneris et officii, tenetur præferre notabiliter digniorem : neque demum lex ista fundatur in solâ fidelitate, quod vult Lessius cum communi; sicut enim œconomus in rebus gravissimi momenti non solùm ex fidelitate, sed etiam ex officio justitiæ tenetur eligere meliores artifices, et, si facilè fieri potest, optimos operarios, ita similiter tenetur elector aut promotor asciscere quantùm fieri potest, aptissimos et maximè idoneos ministros, præsertim in episcopatibus et parœciis magni momenti ; cùm juxta Trident. n. 232 et sequentibus, in hâc materiâ nunquàm satis caveri possit, et nihil magis expediat aut necessarium sit Ecclesiæ quàm pastores maximè idoneos eligere.

243. *Dico* 12° : Videtur tamen etiam probabilis, et in praxi tuta sententia quæ tradit hoc non esse peccatum injustitiæ strictiùs sumptæ contra rempublicam aut Ecclesiam, et electores aut promotores qui scienter eligunt aut promovent notabiliter minùs dignum, dummodo reipsa sit vel absolutè dignus appareat, non teneri ad restitutionem reipublicæ vel Ecclesiæ faciendam. Ratio 1°. Quia longè communior est inter auctores. Ita Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 45, n. 10; Sotus, l. 4, q. 6, a. 3 ad 6; Lessius, c. 34, n. 74, Rebell. Arragon, Layman et alii quamplurimi, quorum

aliqui volunt sententiam suam esse certissimam, certam, aut cum Th. Sanch. ferè certam. 2°. Esto jure naturali teneantur electores aut promotores præponere notabiliter magis dignum, tamen fuit in arbitrio et potestate reipublicæ vel Ecclesiæ, ut electores et promotores vi sui officii se adstringerent vel titulo justitiæ commutativæ, sub onere restitutionis, vel titulo solius fidelitatis, sine restitutionis onere : quòd autem posterius præcisè sit factum, colligi videtur tum ex communiori judicio doctorum ; tum ex longissima praxi, qua nunquam videmus electores aut promotores qui notabiliter minùs dignum præponunt, ad restitutionem cogi ; tum etiam quia fortassis sequerentur in electoribus aut promotoribus nimiæ perplexitates. 3°. Propter ingentem et maximam auctoritatem contrariæ sententiæ, quæ per nullam convincentem rationem enervatur, saltem dubia fit assertio quam propugnat suprà C. de Lugo cum aliis, scilicet, quòd elector ex justitia commutativa teneatur præficere magis dignos : quando verò dubium est an per electionem iniquam violata sit justitia commutativa, non videtur bonus possessor aut dominus adigendus ad restitutionem (1).

## OBJECTIONES.

244. *Obj.* 1° *contra tertiam, quartam et quintam concl.* : Œconomus rite fungitur officio, quamvis non constituat optimos operarios pro vinea domini, modò constituat bonos : ergo à pari elector. *A. prob.* Nemo tenetur administrare suum officium optimè ; satis est, si bene. Dein œconomus non tenetur facere plus quàm dominus prudenter agens : sed hic non quæreret semper optimos.

*R. D. A.* Si non facilè constituere possit optimos, et si, neglectis optimis, non impendeat moraliter domino notabile damnum, *C.;* secus, *N.* Ordinariè non possunt haberi notabiliter meliores operarii, vel ex illorum neglectu non impendet domino notabile damnum. Dein paritas non est inter operarios qui per aliquot dies aut hebdomadas domino laborant, et inter officiales ecclesiasticos aut seculares qui longissimo tempore munus exercent. Item, paritas non est inter damnum quod patitur tota respublica, diœcesis aut parochia, et inter damnum privati domini.

245. *Obj.* 2°. Si prælatus aut princeps eligere tenetur optimos, etiam tenetur ad diligentiam summam in quærendis optimis, nec sufficiet moderata.

*R. N.* Onus adhibendi diligentiam summam foret difficillimum et intolerabile, nec reipublicæ foret expediens ; quia principes aut prælatos timoratos absterreret ab officiis. Onus verò promovendi quos, adhibitâ moderatâ diligentiâ, reperis notabiliter digniores, non est nimis arduum, et est reipublicæ maximè necessarium.

246. *Obj.* 3° : Lex quæ non est usu recepta, non censetur obligare : sed non est usu receptum ut semper præferantur dignissimi, præsertim in beneficiis curatis parochorum, et nimis est durum peccati mortalis arguere praxim totius propemodum orbis christiani.

*R. D. M.* Si lex sit humana tantùm, *C.;* naturalis, qualis est in casu nostro, *N.* Contra legem naturalem nulla valet præscriptio vel consuetudo ; nam hoc ipso quòd sit contra legem naturalem, est irrationabilis, et optimè pronuntiavit Card. Centinus apud Mastrium, D. 6, n. 12, hodie non vigere justitiam distributivam, sed potiùs disturbativam. 2° Falsò supponitur hanc corruptelam invaluisse passim, et contrarium optimè probant C. de Lugo, D. 35, n. 8, et Cardenas, Diss. 28, à n. 28 ; saltem de beneficiis majoribus Hispanorum, ubi reges accuratissimi sunt in capiendis arcanis informationibus, et præsentant ad episcopatus nonnisi dignissimos, qui nunquam fortè frequentârunt aulam, vel gratiam regis ambiverunt. 3° Multi, dum promovent minùs dignum, excusantur partim ob ignorantiam, partim ob titulos n. 237 breviter expositos.

247. *Obj.* 4° : Electus non tenetur ad optimam administrationem officii : ergo nec elector ad optimam electionem.

*R. N. C.* Prior obligatio foret intolerabilis, non item posterior ; et, licet electus non teneatur ad optimam administrationem, tamen si notabiliter est habilior, longè plus reipublicæ proderit moderatâ suâ diligentiâ quàm alius, qui communiter etiam non adhibebit plus quàm moderatam diligentiam.

248. *Obj.* 5° Apostolus, I ad Tim. 3, et ad Tit. 1, enumerans conditiones episcopi, solùm requirit ut sit sobrius, pudicus, hospitalis, doctor, irreprehensibilis ; non autem ut cæteris sit dignior.

*R.* Si legantur glossemata SS. PP. apud Barbosam, p. 1, de off. Episc. tit. 2, et consulatur Tridentinum de magnitudine muneris episcopalis, ista vox *irreprehensibilis* tot includit conditiones, ut paucissimi sint qui omnes habeant.

249. *Obj.* 6°. Prælaturæ regulares non necessariò conferuntur dignissimis : ergo nec episcopatus aut alia munia curata. *A. prob.* ex praxi quâ sæpe eliguntur superiores juvenes, tantùm ut probetur eorum dignitas et aptitudo regendi, præteritis senioribus, quos certò constat esse digniores. 2° Superiores, utut dignissimi, possunt in quibusdam ordinibus amoveri pro libitu, modò absit periculum gravis infamiæ. 3° Prælaturæ regulares neutiquam sunt præmia meritorum, ut distribui debeant juxta proportionem meritorum ; præmium quippe debet ex natura sua suscitare desiderium sui, quod tamen est contra perfectionem ordinum.

*R. D. A.* Si ex illorum neglectu non impendeat grave damnum, *C.;* secus, *N.* Expedit ordinibus ut experientia quandoque sumatur etiam de novis et junioribus superioribus, ut amoveantur à regimine superiores etiam dignissimi, ne prælaturæ præscribantur apud paucos, et succrescat ambitio ; vel, deficientibus senioribus, non sit qui cum dignitate succedat. 2° Minùs digni, cùm periculum apparet, in multis ordinibus statim removeri possunt. Unde non est idem periculum quod apud ecclesiasticos seculares. 3° Religiosæ

(1) *V.* notam subjectam n. 75.

quædam communitates adeò perfectæ sunt, ut vix egeant superiore, sed locum habeat illud Isaiæ 11 : *Puer parvulus minabit eos.* Quòd si verosimiles exceptiones desint, clarum est peccari mortaliter in eorum promotione, qui disciplinam notabiliter pessumdant. Vide C. de Lugo, D. 35, n. 55.

250. *Obj.* 7°. Etsi concilium eligi velit digniores in episcopatibus, non tamen id exigit in parochiis : nam sess. 24, c. 18, de reform. sic habet : *Expedit maximè animarum saluti, à dignis atque idoneis parochis gubernari*, non dicit *necesse est*, sed *expedit;* non dicit à *dignissimis et optimis*, prout suprà dixerat de cardinalibus et episcopis, sed à *dignis atque idoneis :* ergo.

*R. N. A.* Mens concilii patet abunde. Nam in eadem sessione et capite verbis aliis obligat episcopum aut patronum ecclesiasticum, ut è dignis eligant digniorem. Item severissimè mandat ut beneficia quæ non sunt patronatûs laici, conferantur per nominationem plurium et concursum, ut eligi possit omnium dignissimus.

251. *Obj.* 8° : Saltem patronus laicus non tenetur præsentare digniorem, quod patet ex *C. monasterium* 16, *q.* 7, ubi fundatori laico permittitur ut præsentet quem voluerit, modò non sit malus aut indignus. Dein, ut Th. Sanch. l. 2, Concil. c. 1, dub. 10, contendit, potest fundator apponere conditionem, ut ad beneficium non eligatur alius quàm ex sua familia, si quidem ex illa reperiatur dignus, esto digniores sint extra familiam. Imò potest fundator apponere conditionem, ut patroni sequentes aut sui successores conscientiæ satisfaciant, si præsentent dignum omisso digniori.

*R. D. A.* Non tenetur in casibus in quibus Ecclesia potest hoc permittere, vel in quibus Ecclesiæ simpliciter est melius et utilius relinquere patrono laico facultatem præsentandi quemcumque dignum, etiam omisso digniori, *C.;* universaliter et absolutè, *N.* Quando jus præsentandi convenit laico, non propter institutionem beneficii ex propriis bonis, sed ex speciali concessione, vel propter insignia merita in Ecclesiam, non potest laicus patronus omittere digniorem : nam Ecclesia non potest in patronum transferre jus magis liberum quàm quod habet ipsa; unde, sicut ipsa non habet jus omittendi digniorem, ita nec habet patronus laicus. 2° Quando laicus fundat beneficia simplicia, quæ tamen Ecclesiæ necessaria non sunt ad debitum decorem, potest Ecclesia permittere fundatori potestatem præsentandi quemcumque dignum; quia sic Ecclesia non patitur notabile detrimentum; licet enim ex delectu promiscuo illorum qui videntur digni, conjiciatur in morale periculum habendi ministros indignos, tamen hoc malum abunde compensatur augmento ministrorum et cultûs divini, qui tantus non esset si tantùm præsto forent ministri necessarii. 3° Quando verò laicus fundat beneficia curata parochialia, non potest Ecclesia permittere facultatem omittendi communiter digniorem; quia nimis magna sequerentur detrimenta vel pericula, et aliàs etiam, si rex fundaret multos episcopatus, posset pro libitu notabiliter minùs dignos præsentare, quod tamen cum Tridentini verbis n. 233 non convenit. 4° Cùm beneficia curata sint valde necessaria, et Ecclesia ipsa per se debeat ex decimis aut aliis redditibus illa constituere, ac dein aptiores ministros eligere, non potest Ecclesia per se fundatoribus laicis hanc obligationem promovendi digniores remittere. 5° Si tamen Ecclesia non possit instituere beneficium, et absolutè melius esset permittere fundatori laico potestatem præsentandi quemcumque dignum quam beneficio carere; posset Ecclesia potestatem hanc permittere fundatori ad unam aut alteram vicem, non autem regulariter, semper aut in perpetuum.

252. *Obj.* 9° : Si non potest eligi vel præsentari minùs dignus, etiam confirmari non potest, si fortè fuit electus aut præsentatus : falsum hoc, et episcopus tenetur ejusmodi præsentatum aut electum confirmare; quod pluribus ostendit Th. Sanch. Consil. l. 2, c. 1, dub. 6, et manifestè colligitur ex Trid. sess. 24, c. 18.

*R.* cum S. Th. q. 63, a. 2 ad 3, *N. M.* Si non valeret electio vel præsentatio minùs digni, quælibet electio vel præsentatio pateretur calumniam, et nimia foret conturbatio litium. Audiatur decisio Rotæ Romanæ, quam afferunt Pax Jordanus, prælud. 12, n. 6; Barbosa, *de officio Parochi*, p. 1, c. 2, n. 98; Farinac. et alii : *Quamvis pro validitate electionis satis sit, si dignus eligatur, et electio de digniori sustineatur, id tamen procedit, postquam celebrata est electio, ut litium occasiones amputentur; sed ante electionis celebrationem omnia jura clamant, quòd meliores et sanè sanctiores eligantur, et ideo peccant qui scienter, omisso digniori, eligunt dignum.* Taceo quòd nonnulli dubitant an beneficia parœcialia, quæ non sunt patronatûs laici, vel quæ conferri debent per concursum aut nominationem plurium, consequantur firmum valorem, si non promoveatur dignissimus.

253. *Obj.* 10°. Permutans, renuntians aut resignans beneficium, non debet quærere magis dignum : ergo non elector aut patronus. *Ant.* existimat Th. Sanch. suprà dub. 7, sufficienter ex praxi constare; Salonius, q. 63, a. 3, et C. de Lugo, D. 35, n. 49, testantur esse communem sententiam.

*R.* 1° *ant. esse controversum.* Negant illud Navarrus, Navarra, Sotus, Palac. Vasq. Dicast. Wiggers, Flor. de Cocq, et P. Carden. diss. 28, n. 45. Imò Palacios apud Th. Sanch. asserit, episcopum peccare mortaliter, si permittat resignationem in favorem minùs digni.

*R.* 2°. *D. A.* Si per ejusmodi renuntiationem non præjudicatur Ecclesiæ, vel ista non constituitur in statu notabiliter deteriori, *C.;* secus, *N.* 1° Quandoque permutatur beneficium simplex cum simplici, vel curatum cum curato, quorum tamen neutrum exigit notabiliter majorem aptitudinem, necesse non est quærere notabiliter digniorem, sed sufficit æquè dignum substituere; quia non collocatur Ecclesia notabiliter in deteriori statu. Quippe, si potes beneficium retinere, nihil detrimenti patitur Ecclesia, modò substituas æqualem; et hoc etiam concedunt Vasq.

et Navarra. Idem juris est si beneficium non permutas, sed præcisè resignas in alium æquè dignum, modò non sit valde junior, aut spes magna sit post mortem tuam beneficium conferendum magis digno; nam etiam in hoc casu non collocatur Ecclesia notabiliter in deteriori statu. Si tamen in promptu foret ut beneficium prensaret alius notabiliter dignior, putat Lessius hunc ex charitate præferendum, nisi fors occupetur in beneficio majoris aut æqualis momenti. 2° Si duo beneficia curata requirunt æqualem aptitudinem, tu verò malles beneficium alterius, qui quidem est minùs dignus quàm tu, sed tamen adhuc absolutè dignus, non videtur illicita permutatio; quamvis enim sequatur aliquod damnum, quòd beneficium tuum obveniat minùs digno, tamen illud abunde compensatur per hoc quòd alterum beneficium obveniat tibi magis digno. 3° Si verò beneficia sint inæqualia, curatum unum, alterum simplex, non videtur licita permutatio quâ notabiliter minùs dignus acquirat beneficium curatum; quia jam Ecclesia collocatur notabiliter in deteriori statu. 4° Resignatio episcopatûs in favorem alterius regulariter est suspecta, nec nisi gravissimas ob causas admittitur, imò nunquam in Hispania, tum ob maxima pericula quæ nascuntur in episcopatibus ob omissionem dignissimi; tum etiam quia communiter resignantes episcopatum reservant sibi pensiones, ut successor muneri suo pro dignitate non possit satisfacere, nec habeat unde pauperibus succurrat. 5° Similes ob causas putat C. de Lugo non facile permittendam beneficii curati permutationem cum simplici, præcipuè si resignans pensionem sibi reservet. Idem Card. improbat modum quo senes resignare solent beneficium in gratiam adolescentis consanguinei vel nepotis, ut beneficium hæreditarium perseveret in familia; quod etiam jura summopere detestantur, *C. plerique*, *C. apostolica* 8, *q.* 1, *et C. ex transmissa* 7, *de filiis presbyterorum*; *C. quia clerici* 6, *de jure patronatûs*.

254. *Obj.* 11°: Si non licet eligere minùs dignum, etiam non licet ad beneficium concurrere cum magis digno; quia sic concurrens, dum petit eligi, petit rem intrinsecè malam.

*R. D. M.* Si certò constet alium esse notabiliter digniorem, et non adsint aliæ circumstantiæ quæ concursum honestent, *C.*; secus, *N.* Minùs dignus sæpissimè non est certus alium esse notabiliter digniorem, et ipsi non competit dijudicare sua vel competitorum merita. 2° Ordinariè non scit adesse vel abesse circumstantias in quibus, juxta n. 237, licitè præfertur minùs dignus. Sæpè sibi graviter præjudicaret ad aliud beneficium si cum pluribus competitoribus, è quibus varii non sunt ipso digniores, non concurreret ad beneficium. Unde, dum concurrit, solùm conditionatè petit ut hac vel alia vice promoveatur, si fuerit repertus dignior.

255. *Obj.* 12°: Officia secularia licitè possunt vendi. Ergo de necessitate non conferuntur dignioribus. *C.* fuit; quis enim credat emptores opulentos semper esse digniores? *A. prob.* 1° suffragio S. Thomæ, quem sequuntur plurimi apud C. de Lugo, D. 34, n. 24; 2° ex praxi, quæ non solùm in principum et regum curiis, sed etiam in Romana viget, et, ut observat Azor, prævalebit semper, quidquid contrà clamaveris; 3° ex supremo dominio principis; possunt enim supremi principes donare, vendere, vel infeudare castella, comitatus, etc.; ergo et officia iis annexa.

*R.* Possunt vendi per accidens, si reipublicæ necessitas exposcat, et aliæ conditiones debitæ non deficiant, *C.*; secus, *N.* Conditiones sunt: 1° auctoritas in vendente; 2° ut vendantur officia, quantùm fieri potest, dignissimis; 3° ut pretium sit moderatum; 4° ut necessitas sit reipublicæ; 5° ut emptores obtineant emolumenta specialia, quæ non præcisè propter laborem in officio debentur: aliàs venderetur ipsis labor. Addo tamen cum S. Thoma, Lessio et aliis, ejusmodi venditiones non expedire, sed ut plurimùm esse perniciosas in praxi; quia, dum officia sunt vendibilia, plerumque per pecuniam obtinentur ab indignis, studia pereunt et quisque pecuniis studet, sola divitum causa promovetur et officia vertuntur in proprium quæstum. Unde jure communi venditiones istæ fuerunt olim prohibitæ, *Novell.* 8, *c.* 7. Easdem strictè vetuit Pius V, anno 1571; sed et S. Thomas à Villanova dissuasit Carolo V vendere præturas Castellæ, quod multi volebant.

## QUÆSTIO XVI.

### AN RESTITUERE DEBEANT COOPERANTES AD INJUSTUM DAMNUM?

256. De cooperantibus ad injustum damnum agunt S. Th. hìc. 62, a. 7, quem sequuntur ibi Bannez, Aragon. Salon, et alii discipuli: Sotus, l. 4 de Just. q. 7, a. 3; Medina C. de restit. d. 7 et 8; Covarruv. ad reg. *peccatum*, p. 2, § 12; Navarrus, c. 17, n. 17, et Vasq. c. 9, de rest. Molina, tom. 3, D. 729 et sequentibus usque ad 741; Lessius, l. 2, c. 13; Rebell. l. 2, q. 14; Azor, t. 3, l. 4, c. 10 et sequentibus usque ad 20; C. de Lugo, D. 19; Dicast. de restit. D. 4 5; Mercado, t. 6, c. 18; Navarra, l. 3, c. 4; Tambur. l. 8, tr. 4, c. 2; Laym. de rest. c. 5 et 6; Patrit. Sporer. tr. 5, c. 3; Anton. Perez, D. 3, de rest. c. 3 et seqq. Haunold. t. 1, tr. 2, à. n. 372; Florent. de Cocq, tr. 1, de J. et J. c. 8, et alii quamplurimi.

257. *Sciendum* 1° communiter novem recenseri causas cooperantes, quas indicant vulgares versiculi:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

258. *Sciendum* 2° cooperantes ideo vocari, quia non inferunt immediatè, vel exequuntur damnum injustum, sed ad illud mediatè, materialiter aut etiam physicè concurrunt. Unde, si computetur executor, sunt decem genera personarum, quæ propter injustum damnum obligantur ad restitutionem.

259. *Sciendum* 3° quosdam è cooperantibus positivè, quosdem negativè tantùm concurrere. Priori modo concurrunt mandans, consiliarius, consentiens, palpans aut laudans, dans recursum et participans,

qui mandato, consilio, suffragio, etc., positivè movent ac incitant alterum ad injustè nocendum, vel cum eo physicè participant. Posteriori modo concurrunt mutus, non obstans, non manifestans, qui præcisè non impediunt injustum damnum. Sed de causis istis specialiter infrà. Nunc ad generalia principia.

260. *Dico.* 1°: Qui positivè cooperatur ad injustum damnum, id est, qui mandato, consilio, precibus, adulatione, minis, etc., movet alterum ad injustum damnum, aut qui sciens et volens physicè participat, agit contra justitiam et tenetur ad restitutionem, si sit efficax causa damni. Ratio prima est consensus omnium DD. Secunda. Qui positivè cooperatur injustum damnum, est causa moralis aut physica damni injustè dati : sed hoc est contra justitiam, et infert obligationem restitutionis, si quidem efficaciter secutum sit damnum. Tertia. In quavis ordinata republica condemnatur ut injustitiæ reus, et compellitur ad restitutionem, qui sciens et volens mandato, consilio, vel alia quamvis ratione movet efficaciter ad injustum damnum. Ita, si consilium dedisti ut Caius Titium occideret, secutâ morte, teneris de homicidio, *cap. si quis viduam. Dist.* 50, *C. sicut dignum* 6, *de homic.* Si consilio movisti servum ut fugeret aut furtum faceret, teneris furti, vel servi corrupti, *L.* 1, § *persuadere, ff. de servo corrupt.* Si persuasisti Titio ut me afficeret injuriâ, teneris mihi actione injuriarum, *L. non solum* 11, *ff. de injur.* Si supposuisti scalas, commodâsti claves aut effregisti fenestras, ut alter furtum faceret, teneris furti, *Lib.* 4, *tit.* 1, § 12, *Inst.* Si mandâsti Mævio ut Seium occideret, secutâ nece, teneris homicidio, *C. perniciosè, D.* 1, *de pœnitentia, et alibi.* Quarta. In moralibus idem est damnum injustè dare et ad illud cooperari. Sic enim habet regula 169, *ff. is damnum dat, qui jubet dare.* Et Gregor. IX, *C. fin. de injuriis*, universaliter decidit : *Si culpâ tuâ damnum est datum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, jure super his satisfacere te oportet.* Quinta. Innocentius XI sub excommunicatione profligavit hanc thesim : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

261. *Dico* 2°: Positivè cooperans non eximitur à restitutione per hoc præcisè quòd, ipso non cooperante, fuisset alius cooperatus, et damnum, ipso deficiente, tamen fuisset secutum. Ita Molina, D. 736, n. 5; Less. c. 13, n. 2; C. de Lugo, D. 19, n. 6, et alii communissimè. Nec reipsà dissentiunt veteres. Ratio prima. Quamvis, te non cooperante, fuisset alius cooperatus, tamen ideirco non omittis cooperationem, neque tollitur efficax tuus influxus in damnum alterius injustum : sed qui causat efficaciter damnum injustum alterius, tenetur ad restitutionem, ut dictum est n. sup. Secunda. Inepta foret in rebus physicis hæc illatio : si deficeret ignis A, calefaceret ignis B, cui sociatur ignis A : ergo ignis A non calefacit : ergo etiam in moralibus mala censetur illatio : si non mandâssem ego eædem injustam, mandâsset alius; ergo mandatum meum non efficaciter influxit in eædem injustam. Tertia. Executor injusti damni tenetur ad restitutionem, etiamsi, deficiente ipso, non defecisset alius executor : ita, v. g., tenetur ad restitutionem famulus, si de mandato domini succendit injustè domum Titii, quamvis, ipso recusante, succendisset alius famulus : ita tenetur etiam qui furatur res Caii, quamvis easdem alius fur abstulisset; qui Caium injustè trucidat, quem alius injustè trucidâsset : ergo etiam cooperans efficaciter ad injustum damnum tenetur ad restitutionem, licèt, ipso deficiente, cooperatus fuisset alius. Quarta. Ista conditionalis, *si ego non fecissem, alii fecissent*, nihil facit ad mores, à tribunalibus exploditur, nec tollit quominùs damnum injustè fuerit à me datum. Sic etiam in opposito, si largior eleemosynam quam equidem alius dedisset, non privor mercede. Quinta. Sicuti necesse quidem est ut veniant scandala, væ tamen est homini illi per quem scandalum venit; ita, etsi damnum hoc necessariò per alios evenisset, væ tamen est illi per quem damnum infertur.

262. *Dico* 3° : Qui negativè tantùm et indirectè cooperatur ad injustum proximi damnum, sive qui non impedit injustum alterius damnum quod ex charitate tantùm impedire debet, non tenetur ad restitutionem. Est communissima DD. cum S. Th. q. 62, a. 7. Ratio prima. Ex violatione solius charitatis non oritur obligatio restitutionis, et alioquin oriretur etiam ex violatione solius obedientiæ, misericordiæ, pietatis, justitiæ legalis aut distributivæ; quod n. 215 fusiùs est rejectum. Secunda. Qui non succurrit inopi patienti gravem aut extremam necessitatem, non fit obnoxius restitutioni, quamvis graviter peccet contra charitatem, ut est communissimus sensu somnium DD. Qui deserit naufragum, et non eripit illum ab undis, cùm facilè potest, in nullo tribunali condemnatur ad restitutionem, dummodò non teneatur ad opem ex officio justitiæ. Tertia. Si tenetur ad restitutionem qui non impedit alterius damnum, cùm facilè potest, esto non obligetur ex justitia, tenetur etiam ad restitutionem qui non positivè procurat alterius bonum, cùm facilè potest : sed hoc nemo dicit.

263. *Dico* 4° : Qui negativè cooperatur ad proximi damnum quod ex justitia debet impedire, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem. Ita rursùm communissima cum S. Th. suprà. *Ratio* 1ª. Nam injustitiæ culpa semper obligat ad restitutionem, quoties est efficax causa damni. 2ª. Quando principes, gubernatores et præfecti reipublicæ sponte suâ non impediunt gravissima damna quæ per bestias, latrones, hostes aut alios in republica creantur, nemo dubitat eos fieri obnoxios restitutioni. 3ª. Similiter tenentur tutores, curatores et administratores bonorum Ecclesiæ, quando per supinam eorum negligentiam accrescunt varia damna pupillis, minoribus aut Ecclesiæ. Nota tamen sæpiùs excusari non impedientes, quando non possunt advertere aliena damna sine periculo majoris aut æqualis sui damni. Licet enim ex justitia teneantur avertere damna, communiter tamen non tenentur cum gravi suo incommodo nisi fortè specialiter ad

hoc se obstrinxerint, uti milites, qui debent hostibus obsistere etiam cum gravissimo periculo vitæ.

264. *Dico* 5°: Ex justitia nemo tenetur impedire proximi damnum, nisi teneatur vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione, vel ex contractu, vel ex quasi-contractu. Sic, qui rem alterius habet quam priùs bona fide putavit esse suam, tenetur ex justitia cavere, quantùm commodè potest, ne fures eam surripiant; aliàs sequeretur quòd etiam ex justitia non teneretur ultrò monere dominum ut rem suam accipiat, vel non deberet ei rem reddere sponte suâ. 2° Qui librum aut equum alterius citra licentiam accepit ad usus aliquot dierum, ex justitia vigilare tenetur ne res omnino pereat, vel subeat nocumentum. 3° Qui rem alterius habet ex contractu depositi, commodati, conducti, etc., titulo justitiæ debet avertere damna circa rem alienam. 4° Similiter debent esse solliciti circa res aut personas sibi creditas gubernatores, officiales, tutores, curatores, judices, medici propter quasi-contractum. Verùm extra quatuor istos casus gratis et contra communissimam DD. fingitur obligatio justitiæ quâ quilibet esset obstrictus ad impedienda proximi damna, quoties facilè potest, nec ullum ampliùs discrimen fieret inter obligationem charitatis et obligationem justitiæ.

## OBJECTIONES.

265. *Obj.* 1° *contra primam concl.* § *interdùm* 12, *Inst. de obligationibus, quæ ex quasi-delicto*, Justinianus sic habet: *Qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantùm consilium dedit atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.*

*R.* textum intelligendum pro casu quo vel nullum secutum est furtum, vel consilium non influxit efficaciter in furtum, aut fur aliunde jam ita determinatus erat, ut consilium non addiderit stimulum, aut fur non curavit consilium.

266. *Obj.* 2° *contra tertiam concl.* Innoc. III, *cap. quantæ.* 47, *de sent. excomm.* pari pœna judicat dignos qui percutiunt clericum, et qui non obstant percutientibus clericum: ergo etiam qui non impedit alterius damnum injustum, cùm facilè potest, eodem modo tenetur ad restitutionem ac ille qui dat injustum alteri damnum.

*R. N. C.* Pontifex in capitulo loquitur de consentientibus; nam dicit, *consentientes et facientes pari pœna plectendos.* 2° Esto Pontifex infrà tanquam fautores criminis excommunicet, *qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare;* tamen, ut Glossa textum exponit, loquitur solùm de illis qui ex officio justitiæ debent impedire percussionem clerici, vel qui habent ex officio auctoritatem prohibendi, et non prohibent, cùm facilè possint; namiti moraliter censentur consentire percussioni, dum eam non impediunt. 3° P. Suarez, quidem D. 22, de Censur. s. 1, n. 56, cum Innoc. et Abbate concedit, excommunicatos etiam esse qui tenentur tantùm ex officio charitatis aut religionis impedire percussionem, et ex odio vel alio peccato mortali non impediunt, cùm facilè possint. Verùm, licet hæc sententia forèt vera, quam tamen multi rejiciunt, tamen nihil inde contra nos eliceretur; nam excommunicationis pœna potest infligi non solùm ob grave peccatum injustitiæ, sed etiam ob alia peccata. Contrà non oritur obligatio restitutionis ex alio peccato quàm injustitiæ.

267. *Obj.* 3°: Alex. III, *cap. sicut dignum* 6, *de homic. Qui potuit*, inquit, *hominem liberare à morte, et non liberavit, occidit.*

*R. D.* Qui potuit et ex officio debuit, vel qui positivè juvit occisores, et impedit alios per vim et fraudem ne succurrerent, *C.*; universaliter, *N.* Pontifex respondet Oxoniensium episcopo, propter injustissimam cædem S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, pro qua vult omnibus positivè cooperantibus imponi congruam pœnam, etiam iis qui comitati tantùm sunt occisores, ut opem iis ferrent si fors ab aliis impedirentur; nam et hi positivè concurrerunt, incitando scilicet percussores ut securiùs ferirent. 2° Esto comites isti positivè non incitâssent occisores, venerunt tamen ut eis opem præstarent, et injusta vi repellerent alios, qui fortè S. martyri tulissent suppetias; imò probabiliter illos terruerunt, ut succurrere non possent: hoc autem est manifestè contra justitiam, ut infrà videbimus, ubi de impedientibus per vim et fraudem. 3° Potest dici cum Lessio quòd Pontifex occisionem latiùs acceperit, proùt est violatio charitatis, et non strictè proùt est violatio justitiæ. Sic enim et D. Ambrosius divites eucliones vocat homicidas pauperum, etiamsi non teneantur ex justitia, sed ex charitate tantùm succurrere. *Si non pavisti, occidisti. C. pasce, dist.* 86.

268. *Obj.* 4°: Qui potest facilè impedire damnum injustum alterius, ex officio debet impedire: sed qui non impedit damnum alterius quod facilè potest, et quod ex officio debet impedire, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, maximè si faciat id ex odio vel vindicta privata.

*R. D. M.* Ex officio vel charitatis vel justitiæ, *C.*; semper ex officio justitiæ, *N.* Sicut ex justitia non teneor alteri positivè procurare quodvis bonum, quod ei debetur ab aliis ex justitia, quamvis facilè possim; sic etiam ex justitia non teneor impedire quodlibet damnum, quod ab aliis injustè creatur, esto facilè possim. Quin etiam, si damnum alterius permitterem ex odio, vel spiritu privatæ vindictæ, tamen hic affectus nihil faceret ad obligationem restitutionis; cùm odium sit purè contra charitatem, et intentio nocendi per se non variet obligationem restitutionis, ut alibi dicemus ex instituto. *V.* quæst. 25.

269. *Obj.* 5°. Ergo etiam non peccas contra justitiam, si suadeas alicui ne furtum impediat, quod tantùm ex charitate tenetur impedire: sed hoc est falsum et rejicitur à Joan. Medina, cujus sententiam approbare videtur Vasq. c. 4, § 3, dub. 1, n. 8: et si non peccas in hoc casu contra justitiam, etiam non peccares contra justitiam, si Titio volenti se defendere contra Caium, injustum aggressorem, eriperes arma, quod enim Titio sunt arma, hoc alteri, patienti furtum, est bonus amicus, parans suppetias.

*R.* cum Molina, D. 735, n. 4, et C. de Lugo, 15,

n. 101, si purè suadeas, et non adhibeas vim aut fraudem, *C.*; secùs, *N.* Qui sine vi vel fraude impedit alterum à bono quod ei per justitiam non debetur, non peccat contra justitiam; aliàs etiam ita peccaret, qui sine vi vel fraude solis precibus aut consiliis moveret Caium ut Sempronium non eligeret hæredem : item in priori casu peccaret etiam contra justitiam, qui videret tuas rationes non esse sufficientes ad omissionem licitam auxilii, et auxilium contra furem non ferret. Quamvis autem suadens videatur in hoc casu concurrere positivè, non tamen positivè concurrit ad injustum damnum, sed tantùm ad arcendum et impediendum auxilium quod alteri ex justitia non debetur. Et hinc etiam non est paritas quoad arma, quibus se vult aliquis defendere contra violentum et injustum invasorem; nam invasus est dominus armorum, vel certè jus habet ne per vim eripiantur sibi.

270. *Obj.* 6°: Ergo etiam non peccat contra justitiam, et non tenetur ad restitutionem, qui pecuniam accipit, ut non impediat furtum, vel ut dissimulet aut non prodat furem : sed hoc negant Salonius et Navarra, quibus ferè consentit Lessius hìc n. 68; et *ratio*, quia pecuniam accipiens videtur animare furem ad latrocinium, et habet se sicut palpo vel adulator, qui positivè concurrit ad maleficium.

*R.* cum Molina suprà, n. 3, et C. de Lugo, n. 102, *C. sequel.* Aliud est animare positivè et directè, vel incitare laudibus aut vituperiis alterum ad injustam actionem, et aliud est animare negativè et indirectè, vel omittere terrorem aut promittere omissionem terroris, quo poterat alter impediri ne poneret injustam actionem : prius est contra justitiam, non item posterius. 2° Aliud tamen foret si fur daret pecuniam non ex propriis bonis, de quibus potest disponere, sed ex alienis aut furtivis; tunc enim accipiens esset furti particeps, et procul dubio teneretur ad restitutionem. 3° Majus dubium agitari posset an, si fur ex propriis bonis daret pecuniam ut sileres aut non obsisteres, deberes ex justitia saltem furi reddere pecuniam acceptam. Verùm hoc pertinet ad materiam de turpi lucro, ubi communis sententia tenet non debere restitui pecuniam si fuit absolutè donata, vel si fuit promissa, vel data sub onerosa conditione quæ jam est impleta; debere tamen reddi ante conditionem impletam.

## QUÆSTIO XVII.

### QUANDO MANDANS TENEATUR AD RESTITUTIONEM.

271. Certum est ex dictis suprà n. 260, peccare contra justitiam et obnoxium esse restitutioni, quoties jussione, præcepto vel auctoritate sua movet alterum efficaciter ad injustum damnum. Ut verò clariùs et distinctiùs procedatur, lubet præcipua dubia circa mandantem dissolvere.

272. Dubitabis 1° an mandans debeat compensare damnum, si mandatum efficaciter revocavit antequàm mandatarius illud impleret?

*R. cum omnibus negativè*, si quidem mandati revocatio pervenit ad notitiam mandatarii; nam, revocato mandato, non movetur ampliùs mandatarius ab auctoritate vel voluntate mandatis; neque facit maleficium, quia judicat mandantem id velle, sed quia sibi placet, aut propter alias causas. Id ipsum indicant jura variis locis *ff. mandati.* Porrò mandatum dupliciter revocari solet : *expressè*, quando verbis, litteris aut nuntio mandans expressè significat contrariam voluntatem; vel *tacitè*, cùm nutu, facto vel alio signo declarat implicitè contrariam voluntatem.

273. Dubit. 2° an mandatum revocatum censeatur ob longum temporis decursum?

*R.* Negat Azor hìc c. 10, secutus Abbatem, Innoc ac Bartolum. Quamvis enim in quibusdam causis voluntas prima diuturnitate temporis revocetur, tamen hìc aliter dicendum, quia mandatarius movetur adhuc à voluntate mandantis. Alii concedunt. Putem ego, si tantum sit temporis intervallum ut mandatarius prudenter possit ac debeat judicare mandantem non ampliùs persistere in antiquo proposito, mandatario potiùs imputandum esse maleficium quàm mandanti.

274. Dub. 3° an teneatur ad restitutionem mandans qui, post mandatum pœnitentiâ ductus, vellet quidem illud revocare, sed non potest ob distantiam mandatarii?

*R.* cum communi omnium *affirmativè.* Quamvis enim mandator efficaciter revocet affectum iniquum, tamen non facit ut mandatum, iniquè datum, efficaciter non influat in maleficium. Et aliàs non esset reus homicidii, vel non subjaceret pœnis homicidii, qui post lethale vulnus inflictum conciperet sincerum dolorem, et recuperaret statum amissæ gratiæ divinæ, priusquàm vulneratus è vita decederet. Item non deberet sarcire damnum incendii, qui supposuit ignem alienis ædibus, sed visis postea flammis, detestatur facinus, ac vellet illud non fuisse commissum. Videri potest Suar. D. 44, de cens. s. 3, n. 5.

275. Dub. 4° an qui mandatarium tempestivè monere non potest ut desistat, debeat, si potest, ex justitia tertium monere ut sibi caveat vel rebus suis consulat?

*R. affirmativè* cum C. de Lugo, D. 19, n. 20. *Ratio.* Qui posuit injustè causam ex qua per se nascitur grave damnum alterius, ex justitia debet tollere causam, aut impedire saltem influxum causæ : qui contra jus supposuit ignem alienis ædibus, ex justitia debet ignem extinguere, si potest : qui per injustam calumniam accusavit innocentem, et conjecit in proximum particulum necis, debet retractare calumniam etiam cum æquali periculo propriæ vitæ, si non potest aliter innocentem liberare, cùm in pari causa melior debeat esse innocentis conditio quàm nocentis. Quòd si verò ex monitione tua immineat tibi damnum valdè notabiliter majus quàm sit damnum tertio inferendum ex mandato tuo, non teneris admonere tertium : quia nemo debet etiam restituere cum longè graviori suo incommodo. Unde, si tertio solùm inferendum sit damnum in bonis fortunæ, non teneris illum admonere, quando propter admonitionem tua vita vel fama gravissimè periclitaretur, prout alibi dicemus, ubi de causis excusantibus à restitutione.

276. Dub. 5° an mandans teneatur ex justitia vel charitate saltem monere tertium, ut sibi consulat, quando revocavit quidem mandatum, videt tamen mandatarium in suo proposito persistere?

*R.* cum C. de Lugo suprà contra P. Suar. D. 44, de Cens. s. 3, n. 8: Probabiliùs per se non tenetur ex justitia; quia jam sustulit causam injustam, et damnum non imminet ampliùs tertio propter mandatum, sed propter nequitiam mandatarii. Idem esset dicendum, si mandans antea promisisset mercedem aut præmium mandatario; nam, revocato mandato, non potest mandatarius moveri spe mercedis aut præmii. Secùs tamen esset dicendum, si mandans proposuisset mandatario specialia motiva, quæ mandatarium impellere potuerunt ad homicidium, v. g., spem obtinendi pecunias apud occisum; tunc enim ex justitia monere deberet tertium, imò, si non posset eum monere, teneretur postea ad restitutionem, proùt infrà n. 297, 208, dicetur de consulente. Quòd si tamen in primo casu mandans absque suo incommodo posset monere tertium, teneretur ad hoc ex charitate; non item si non possit absque pari suo incommodo, quia charitas per se non obligat cum tanto incommodo.

277. Dub. 6°: Quid si mandans revocâsset mandatum, sed mandatarius crederet revocationem esse duntaxat simulatam propter adstantes, aut si putaret quidem seriò factam, sed illius postmodùm oblivisceretur, ac idcircò perficeret damnum?

*R.* cum C. de Lugo, n. 26 et 27, videri probabile quòd mandans non eximatur à restitutione; nam etsi mandatarius sibi falsò persuadeat perseverare voluntatem mandantis, tamen non falsò sibi persuadet præcessisse mandatum, et ex illo movetur ad maleficium. Mandans autem qui posuit causam injustam aut dedit mandatum injustum, tenetur ad restitutionem, quoties efficaciter non impedit ut causa posita, vel mandatum iniquè datum non sortiatur effectum. Sic etiamsi mandans revocaret mandatum, et mandatarius ob surditatem, distractiones vel alias causas non intelligeret revocationem, mandans absque dubio teneretur ad restitutionem.

278. Dub. 7° an, si mandatarius excessit fines mandati, teneatur mandans ad excessum damni?

*R. cum distinctione.* Vel in potestate mandatarii fuit servare fines mandati, vel non: si prius, non tenetur mandans ad excessum, ut patet ex *L. diligenter*, 5, *ff. mandati*: si posterius, tenetur. Ita si Caius mandavit Sejo tantùm ut furaretur Titio, Sejus verò Titium occidit, ut faciliùs lateret furtum, Caius homicidii non tenetur. Contra si Caius mandavit Sejo ut ferro percuteret aut vulneraret Titium, Caius ordinariè tenetur homicidii, quia, qui ferro vulnerat aut percutit, nec solet, nec etiam communiter potest ita prudenter cavere ut solùm vulneret et non simul occidat, et Caius facilè potuit hoc periculum prævidere. Si verò Caius mandavit Sejo ut Titium interficeret, Sejus autem qui non potuit aliter Titium interficere quàm exurendo domum Sempronii in quâ latebat, non tenetur Caius ad reparationem damni quod Sempronius est passus, nisi fortè præviderit aut prævidere debuerit hoc periculum.

279. Dub. 8°: Quid si Titius Caio mandavit ut Sejum occideret, Caius verò per inculpatum errorem occideret Sempronium, nor Sejum?

*R.* Quamvis Azor supra existimet Titium teneri ex homicidio, quia potuit ac debuit hoc periculum prævidere; cùm ejusmodi damna frequenter ex mandatis proveniant, probabiliùs tamen id negat Patrit. Sporer, tr. 5, c. 3, n. 206, afferens declarationem cardinalium in Conc. Trid. sess. 14, c. 7, quâ decisum fuit, mandantem in hoc casu non incurrere pœnam irregularitatis, quia reipsà non mandavit Sempronium occidi; et non ita frequenter contingit ut unus occidatur loco alterius à mandatariis. Nec obstat quòd mandatarius, volens occidere Sejum, teneatur ad restitutionem ex homicidio Sempronii, prout ostensum n. 203: quia mandatarius vult occidere hominem ibi stantem, quem falsò existimat esse Sejum; mandans non jubet occidi hominem ibi stantem, sed Sejum.

280. Dub. 9° an mandans teneatur etiam reficere damna quæ mandatarius est passus ob executionem mandati?

*R.* Si mandatarius sponte se obtulit, nec ulla vi vel metu coactus, sed ob mercedem operam addixit mandatori, mandator ad nihil tenetur; quia sponte volenti non fit injuria. Si verò mandator per vim aut metum injustum coegit, uti communiter cogunt superiores, tenetur reficere saltem ea damna quæ communiter, per se vel ut plurimùm vel valdè frequenter oboriuntur mandatario, v. g., si mandatarius, in maleficio deprehensus, gravissimè puniretur aut etiam occideretur. Puta, si Caius per vim aut metum injustum adigeretur ut palàm aggrederetur Sempronium, et occideretur à Sempronio tuente vitam suam. Cætera verò damna purè fortuita quæ rarissimò contingunt et verosimiliter prævideri non possunt, reficere non tenetur, ut si mandatarius in itinere periret fulmine, suffocaretur in flumine, vel casu spoliaretur à latronibus. Facit hùc casus Tamburini, quo duo litigabant de summâ 50000 et ampliùs aureorum: cùm autem unus ex procuratoribus, qui fortiùs litem urgebat, ab altero graviter sauciatus, peteret à domino cui serviebat expensas vulnerum, rectè responsum est, nihil ei deberi; partim quia damnum non erat ex communiter contingentibus, et purè fortuitus erat hic casus ad officium procuratoris et mandatarii; partim quia procurator sponte suscepit officium ob mercedem, et nemo reficit damnum fabro murario, si mercede conductus decidit ex tecto.

281. Dub. 10°. Quid si mandatarius à principio mandato non consentit, sed potiùs omninò respuit, et postea tamen delictum patravit?

*R.* Azor vult mandantem tunc non teneri, citans Baldum in *L. si litteras, ad finem, C. mandati*, et in *L. 1, C. de serv. fugit.*, et Bartolum in *L. qui alienâ*, § *si is qui, ff. de acquir. hæred.* Et *ratio* fortasse, quia si mandatarius initio respuat mandatum, et mandator ultra non urgeat, supponere potest ac debet non

ampliùs velle mandatorem ut ipse maleficium exequatur. Verùm contrarius est Suar. D. 44, de Cens. s. 3, n. 9, quia nisi mandator expressè vel tacitè mandatum revocet, mandatarius movetur à voluntate mandantis, præsertim si mandans etiam præmium promisit.

282. Dub. 11° an teneatur etiam ad restitutionem, qui non mandavit, sed tamen postea ratum habuit injustum damnum?

*R.* cum C. de Lugo, n. 32, Azorio, Vasquio, Less. Rebell. et aliis communissimè contra Navarrum, Angel. Silvest. Palud., *negativè*. Quia per ratihabitionem sequentem iste non influit efficaciter in damnum præteritum: nec obstat *C.* 10, de R. J. in 6: *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari;* nam hoc tantùm est verum quoad aliquos effectus, à jure specialiter expressos. Ita ratam habens percussionem clerici, suî gratiâ factam, incidit in excommunicationem canonis juxta *C. cùm quis.* 25, *de sent. excomm. in* 6. Quod, ut C. de Lugo cum pluribus contra Molinam tuetur, extendi non debet ad pœnam irregularitatis propter ratihabitionem injustæ cædis.

283. Dub. 12° an teneatur ad restitutionem qui scit aut timet nomine suo vel gratiâ suî damnum inferendum, neque tamen illud impedit, cùm facilè possit?

*R.* Si non impediens dedit signa positiva, quibus declaravit sibi gratum fore si nomine suo damnum inferretur, procul dubio tenetur ad restitutionem. Ita peccavit contra justitiam Henricus Angliæ rex, qui, licet explicitè non mandaverit necem S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, satis tamen prodidit desiderium, quando sæpiùs fuit lamentatus se cum uno sacerdote pacem habere non posse. 2° Si non expediens ex officio debet impedire damnum injustum alterius, iterùm tenetur ad restitutionem, ut nemo negat. 3° Si taciturnitas sit instar consensûs, v. g., si tui necessarii vel familiares, te præsente, tractent de damno quod putant tibi futurum acceptissimum, tu verò non repugnes, sed taceas, cum facilè possis impedire damnum, censet Rebellus, l. 2, q. 14, n. 13, induci obligationem restitutionis; quia qui tacet consentire videtur, et inferentes damnum moventur ex taciturnitate tanquàm implicito consensu. Verùm, extra positos casus, putat idem auctor nullam induci restitutionis obligationem, quanquàm contrarius sit Molina, D. 729, n. 4, post Navarrum universaliter obligans ad restitutionem.

## QUÆSTIO XVIII.

QUANDO CONSULENS TENEATUR AD RESTITUTIONEM?

284. Certum est ex n. 260, consiliarium peccare contra justitiam, et obnoxium esse restitutioni, quoties sciens et volens præbet iniquum consilium, et alterum efficaciter instigat, urget, hortatur aut impellit ad injustum damnum; in moralibus enim eodem loco sunt efficere et suadere damnum, ac philosophus, 2 Phys. t. 29, consiliarium reputat inter causas efficientes.

285. Dubitabis 1° an peccet contra justitiam, et restitutioni fiat obnoxius, qui suadet minus damnum ut evitetur majus?

*R.* Si fur, latro vel maleficus est obfirmatus ad gravissimè nocendum Caio, nec aliter avelli potest à maligno proposito, justè suades ut potiùs inferat eidem Caio minus damnum, v. g., ut noceat in bonis fortunæ si nocere voluit in bono vitæ, vel ut noceat in pecuniâ si graviùs nocere voluit in combustione ædium. Ita Sotus, l. 6, q. 1, a. 5; Suar. D. 45, de Cens. s. 3, n. 3; Th. Sanch. l. 7 de Matr. D. 11, n. 16; C. de Lugo, D. 19, n. 44, et alii communissimè. *Ratio* 1°. Quia sic geris utiliter negotium Caii, facis quod Caius fieri desiderat, et ille tibi tenetur ad gratias reddendas. 2°. In hoc casu non suades absolutè malum, nec determinas maleficum ut absolutè noceat, sed tantùm ut noceat minùs, vel ut omittat saltem gravius damnum, quando non vult omne damnum omittere. 3°. Facit hùc auctoritas SS. PP., è quibus S. Chrysost. hom. 27, ad Antioch. asserit, assueto jurare per Deum, si non possit aliter à vitio dimoveri, consulendum *ut potiùs per caput suum juret*, quanquàm etiam hoc sit illicitum ac determinatè prohibitum, Matth. 5, 36: *Neque per caput tuum juraveris;* et S. Aug. qui refertur *cap. si quod verius*, 33, q. 2, loquens de marito qui cogitabat interficere conjugem, ut cum pellice vel aliâ feminâ posset copulari: *Si facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, et non faciat homicidium;* et S. Epiph. l. 2 contra Hæres. t. 2, hær. 6, pag. 6, videtur ei qui contra votum castitatis assiduò vacabat libidini, nec ullam præbebat spem bonæ frugis, consulere matrimonium: *Meliùs est unum peccatum habere et non plura: meliùs est lapsum palàm sibi uxorem sumere quàm quotidie occultis jaculis sauciari.* Fateor tamen in ultimo casu superstes esse remedium dispensationis in voto. Illud etiam addo, valdè cavendum ne maleficus, quando suadetur ei conditionatè minus malum præ majori, confirmetur in proposito nocendi; cùm sæpissimè certum non sit, eum aliter averti non posse quàm per ejusmodi suasionem à suo decreto.

286. Dub. 2° an possis etiam cooperari malefico ad minus damnum, si non potest aliter averti majus damnum respectu ejusdem personæ?

*R.* Si damnum minus concernit tantùm bona fortunæ, potes licitè cooperari; quia dominus non est invitus, et cooperatio tua materialis ad damnum non est furtum, nec est actio intrinsecè mala. 2° Si verò damnum minus concernit bonum aut integritatem corporis, v. g., si maleficus absolutè decernit eripere vitam Caio, nec aliter moveri potest à maligno proposito quàm per suasionem mutilationis, imò per immediatam cooperationem ad injustam mutilationem, gravior est difficultas; quia Caius non est dominus membrorum, et intrinsecè malum est innocentem mutilare. Quocirca Vasq. de Scand, n. 13, et Dicast. D. 4, de Rest. n. 74, putant cooperationem immediatam in hoc casu non esse licitam. Mihi, salvo meliore, videtur aliunde petenda decisio; ex eâ nempe quæstione, num homo possit abscindere sibi membrum ad servandam vitam, quando mors non imminet ex causis intrinsecis, puta ex carcinomate, gangrena, sed à causis extrinsecis, v. g., si tyrannus imponeret tibi abscissionem

manùs, aliàs te mox interfecturus. Multi cum Soto, l. 5, q. 2, a. 1, et Vasquio supra, negant. Alii cum Less. l. 2, c. 9, n. 101, concedunt; quia quilibet est custos, usufructuarius aut usuarius vitæ vel membrorum. Usuarius autem habet jus perdendi partem, ne pereat totum. Si vera est posterior sententia, non erit injusta vel illicita materialis cooperatio ad mutilationem non lethalem; quia Caius, qui mutilatur tanquam custos, usufructuarius aut usuarius vitæ vel membrorum, dat tibi licentiam mutilationis, ut serves vitam; sive dat licentiam exequendi quod ipsemet exequi sine peccato potuisset. 3° Si verò maleficus decrevisset necare patrem et filium, et mors utraque non posset vitari quin immediatè concurreres ad unius necem, certissimum est te cooperari non posse; quia nemo tibi dat jus in vitam.

287. Dub. 3° an, si fur, obfirmatus ad nocendum, aliâ viâ non potest impediri, justè suadeas ut potiùs aliis ditioribus furetur quàm Caio?

*R.* cum Th. Sanch. l. 8 de Matrim. D. 11, n. 24; C. de Lugo, D. 19, n. 49; Ant. Perez, D. 3, c. 5, n. 78, et aliis *affirmativè*, si quidem generatim tantùm suadeas, nullâ determinatè nominatâ personâ. *Ratio prima.* Quia sic precisè defendis Caium, et idem facis ac si furi clauderes januam, ne possit furare Caio. *Secunda.* Si præcisè diceres furi: *Non noce Caio, quia valdè pauper est*, aut, *quia meus amicus est*, nemo te argueret injustitiæ; quòd autem dicas: *Noce potiùs aliis*, vel: *Non deerunt alii ditiores quibus noceas cum minori detrimento*, nihil aut parùm addit; nam, ut ponitur in casu, fur est obfirmatus ad furandum, et, si cohibeatur à documento Caii, statim cogitat de aliis, etiamsi tu nihil addas. Unde non possunt alii rationabiliter contra te conqueri, cùm idem determinatè iis contingeret si præcisè diceres: *Parce Caio. Tertia.* Si quis omninò decrevit exsaturare suas concupiscentias per adulterium, non ageret iniquè maritus si repelleret adulterium à violatione thori, vel generatim illi diceret: *Committe potiùs fornicationem quàm adulterium*, et hâc ratione videtur etiam intelligendus S. Augustinus supra, n. 285.

288. Dub. 4° an, si fur, latro, maleficus obfirmatissimus statuit nocere Caio, justè suadeas ut potiùs noceat Titio, de quo tamen minimè cogitavit?

*R. negativè* cum communi DD., quos sequitur Th. Sanch. supra n. 24. *Ratio prima.* Quia non debet innocens defendi cum præjudicio vel injuria tertii, et Titius meritò foret invitus si, dum maleficus cogitat interficere Caium, eum determinares ut potiùs vulneret aut mutilet Titium. *Secunda.* Suasor in hoc casu videtur agere sicut ille qui volentem furari Caio positivè dirigeret ad domum Titii, vel ei daret claves ad domum clausam Titii: dum enim fur unicè cupit nocere Caio, et nihil omnino cogitat de Titio, Titii dominus est furi propter incogitantiam aut decretum contrarium quasi moraliter occlusa. *Tertia.* Qui liberare vult innocentem à proximo periculo injusti damni, non debet nec potest idcirco alium innocentem conjicere in periculum: hoc facit qui damni periculum amoturus à Caio, suadet ut damnum potiùs inferatur Titio, de quo nulla furis est cogitatio: sic enim Titius positivè conjicitur in periculum in quo priùs non fuit. Aliud foret si Titius esset vir opulentus, qui non gravatè damnum subiret pro Caio.

289. Dub. 5° quomodo possit excusari Loth, quando filias proprias obtulit ad stuprum, ut impediret gravius crimen Sodomiæ.

*R.* varias esse sententias. Multi cum S. August. q. 44 in Gen. et c. 9 de mendacio, factum Lothi non excusant à culpâ. Quamvis enim in Script. 2 Pet. 11,7, Loth asseratur esse justus, non tamen idcirco præsumi potest justus etiam in hoc actu singulari. 2° Alii, quos sequitur Dicastillo, D. 4, n. 80, divinant Lothum fortassis excusatum fuisse per ignorantiam invincibilem, quæ contingere potuerit in re tam implexâ et maximâ mentis perturbatione. 3° Non pauci judicant Lothum, etiamsi dixerit civibus, *abutimini illis*, hyperbolicè tantùm esse locutum, eo modo quo dicere solemus: *Me potiùs interfice quàm ut illi noceas*, et quo modo David ad Jonathan dixit, 1 Reg. 20, 8: *Si est iniquitas in me, tu me interfice;* et Judas ad patrem Jacobum, Gen. 42, 37: *Duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Benjamin;* adeòque non timuisse quòd homines nefarii conditionem hanc essent acceptaturi, vel etiam quòd filiæ maritatæ essent consensuræ, proùt etiam docuit eventus. Ita videntur intelligi posse S. Ambrosius, l. 1 de Abraham, c. 6, et S. Th. de Malo, q. 1, a. 1, ad 14

290. Dub. 6° an, si fur, latro vel maleficus deliberat inter Caium et Titium, justè suadeas ut potiùs inferat minus damnum Caio?

*R.* In hoc casu non est iniquum dicere furi: *Non noce Caio, quia pauperrimus est*, vel, *quia meus amicus est.* Quippe si potest Caius seipsum defendere, non est ratio quare non etiam tu Caium ut amicum possis defendere. Et esto sequatur damnum Titii, tamen id est per accidens, quod per se non oritur ex locutione tuâ, sed tantùm ex malitiâ furis. 2° Etiam non videtur injustum dicere furi: *Majus malum est nocere Caio, quia pauperior est;* item: *Majus malum est potiùs fugiendum;* quia sic tantùm aperis certissimam veritatem, quam si Deus furi suggereret, non esset auctor injustitiæ, nec determinaret furem ad nocendum alteri. Atque ita sentiunt Vasq. hìc c. 9, § 1, n. 14; Less. l. 2, c. 13, n. 21; C. de Lugo, D. 19, n. 46; Dicast. D. 4, n. 87. 3° Imò C. de Lugo supra putat iniquum non esse si dicas furi: *Potiùs Titio noce quàm Caio;* quia moraliter non es magis causa damni quod infertur Titio quàm si dicas: *Parce Caio; magis malum est nocere Caio; majus malum est potiùs fugiendum.* Fur enim, ut in casu ponitur, est obfirmatissimus ad nocendum alterutri. Verùm contrarius est Dicastillo supra, n. 89; sed et Less. n. 21, non audet hunc consulendi modum approbare. Mihi saltem videtur, tametsi formulæ istæ non sint adhibendæ, non tamen consultorem idcirco cogendum ad restitutionem; quia non est magis efficax causa injusti damni quàm si præcisè diceret: *Majus malum potiùs est fugiendum; non noce Caio; Caius pauperrimus est.*

291. Dub. 7° an possis æquale damnum consulere ad vitandum æquale?

*R.* Th. Sanch, l. 7 de Matr. D. 11, n. 26, putat quidem, ex consilio quo suades unum damnum ad vitandum alterum prorsùs æquale respectu ejusdem personæ, non oriri obligationem restitutionis; quia nihil operatur hoc consilium nisi mutationem purè materialem damni. Addit tamen, se non videre quomodo possit honestè consilium præberi. Sed C. de Lugo, n. 51, docet oppositum, saltem in casu quo tibi foret utile, si fur potiùs hanc materiam, puta pecuniam, surriperet quàm aliam, puta triticum, quod emere decrevisti; nam in hoc casu consilium non est in damnum domini, qui perinde lædereturdeficiente consilio; nec in damnum spirituale furis, cùm non sit ipsi occasio peccandi simpliciter et absolutè, sed mutandi tantùm unum peccatum in aliud omninò æquivalens; nec contra charitatem Dei, nam consilium dans absolutè non vult offensam, sed præcisè vult ut, si futura sit offensa, potiùs hæc omninò similis quàm illa fiat. 2° Si damnum æquale quod suades sit inferendum alteri de quo fur minimè cogitat, clarum est ex dictis n. 288, peccare te contra justitiam. 3° Si verò fur hæret anceps inter utrumque, judicat C. de Lugo, n. 54, non esse contra justitiam, si suadeas ut fur parcat tuo amico, vel etiam dicas: *Si nullâ ratione vis omittere furtum, furare potiùs Titio quàm Caio, qui meus est amicus.* Verùm de hoc jam dictum est supra, n. 290.

292. Dub. 8° an liceat consulere majus damnum, ut evitetur minus

*R.* Quamvis propriè non liceat consulere majus damnum ad vitandum minus, sæpissimè tamen possum et teneor impedire potiùs minus malum, esto prævideam secuturum majus damnum. Ita Lothus ex officio patris vigilare potiùs debuit ut Sodomitæ non abuterentur filiis, quàm ut non abuterentur contra naturam hospitibus. 2° Qui videt furem obfirmatissimum ad nocendum, sed ancipitem inter Titium et Caium, potest defendere Caium amicum, et rogare vel etiam impedire furem ne Caium injustè lædat. Quod enim facere potest Caius, cur non Caii nomine facere possit amicus, esto per accidens inde sequatur majus damnum Titii? 3° Si suasor in hoc casu diceret furi non solùm: *Parce Caio*, sed etiam adderet: *Si vis alterutrum ex his duobus lædere, nec aliter à proposito tuo potes dimoveri, læde potiùs Titium quàm Caium*, meritò controverti potest an tenetur ad restitutionem; quia vox ista plus non operatur aut non efficaciùs influit ad injustum Titii damnum, quàm si præcisè diceret: *Si vis alterutrum lædere, non læde Caium:* at quia communiter auctores casum non attingunt, aliorum judicio rem submitto.

293. Dub. 9° an, sicut aliquando licet consulere minus malum et peccatum ad evitandum majus, ita liceat etiam facere minus malum ad evitandun majus?

*R. negativè.* Nam implicat in terminis peccatum aut malum culpæ, quantumvis leve, sine peccato fieri: et turpiter hallucinati sunt quidam ex veteribus, quos tacito nomine perstringit Glossa, c. 1, Dist. 14, qui docuerunt non esse nefas veniale committere peccatum, ut evitetur in aliis mortale. 2° Suasor non potest impedire utrumque malum, et suasione suâ nil aliud efficere contendit quàm ut saltem evitetur majus: contra verò qui consilium audit, potest utrumque malum omittere. 3° Est generale principium: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona;* et, ut dicitur *in cap. 4, super eo, de usur.: Cùm Scriptura sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri, multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.*

294. Dub. 10° an peccet contra justitiam qui furi vel malefico, qui paratissimus est ad hodie nocendum, suadet ut potiùs cras noceat?

*R.* Si fur aliter à proposito diverti non potest, non est iniquum furi vel malefico dicere ut potiùs cras noceat quàm hodie; quia sic absolutè fur aut maleficus non impellitur ad injustitiam; imò potiùs est spes mutandi propositi. 2° Si moralis est certitudo furem aut maleficum à proposito non destiturum, putat C. de Lugo, D. 19, n. 15, non injustum semper esse si furi vel malefico suadeas accelerationem damni: v. g., maleficus obfirmatissimè statuit inferre damnum crastino die festo, ubi violabit Ecclesiæ præceptum etiam omissione sacri, vel labore servili, potes ei suadere ut potiùs hodie furetur, si nulla quidem spes affulgeat mutandi consilii. Idem juris est si dominus ex maleficio cras patrando majorem concepturus sit mœrorem quàm ex maleficio hodie patrato. Sic etiam qui injustè vel justè certissimò necandus est, absque peccato petere potest ut citiùs occidatur, quando meliùs est depositus aut minor hominum concursus ac minus infamiæ periculum; et aliàs etiam qui condemnatus est ad lentam mortem, rogare non posset ut mitiori supplicio velociùs tollatur è vita. Ita sentit doctissimus cardinalis. Noto tamen, cavendum ne consultor nimis facilè vel temerè sibi persuadeat non mutatum iri furis aut malefici propositum. Unde nisi certus existat de pertinacia, nec potest nec debet inducere furem aut maleficum ad accelerationem damni, quamvis timeat postea secuturum gravius peccatum; quia damnum quod hodie certò datur, in æstimatione morali præponderat damno quod fortasse cras dabitur, et multis modis adhuc impediri potest. Et nemo prudens accersit hodie periculum certissimi mali, ut evitetur cras periculum incertum aliquantò majoris mali. Sic etiam ex opposito prudenter nos sæpè conjicimus in periculum incertum majoris mali, ut evitemus periculum certum minoris. V. g., mercatores cum periculo vitæ prudenter navigant ad depellendum certissimum periculum paupertatis, quamvis mori sit majus malum quàm paupertas. 3° Qui suadet accelerationem damni absque sufficienti et rationabili motivo, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem damni secuti. Num verò tenetur in solidum, statuetur infrà.

295. Dub. 11° an qui bona fide vel per errorem in-

culpatum dedit malum et iniquum consilium, v. g., dicens contractum esse licitum, qui reipsà non est licitus, cognitâ veritate, teneatur ex justitia vel ex charitate tantùm illud retractare, dum res adhuc est integra?

*R.* Suasor in hoc casu probabiliùs ex justitia tenetur, si tamen facilè potest. Ita contra Th. Sanch. in materia simili, quando quis bona fide testatur esse falsum, quod vergere potest in grave detrimentum proximi, resolvunt Molina, tom. 5, tr. 4, D. 40; Less. c. 30, n. 55; C. de Lugo, D. 39, n. 24; Tambur. l. 9, c. 3, § 3, et Dicastillo, de Pœn. D. 10, n. 250. *Ratio* 1°. Qui bona fide proximum infamat, imponendo crimen falsum, errore comperto, tenetur ex justitiâ retractare dictum, si quidem sine gravi suo incommodo possit; aliàs censetur moraliter continuare suum dictum: ergo etiam, et quidem à potiori, in nostro casu; nam, ut Dicastillo benè observat, qui operatur ex alieno consilio, movetur ad suam operationem, quia putat consultorem adhuc persistere in sua sententia, non operaturus si sciret contrarium. 2° Qui per inadvertentiam applicuit ignem alienis ædibus, ubi primùm advertit, tenetur ex justitia subducere fomitem ignitum, si possit absque gravissimo suo malo; secùs moraliter censetur conservare causam incendii. 3° Qui præbet inscius alteri venenum, ubi rescit errorem, ex communi sensu videtur magis obligatus ad removendum malum quàm alius qui non præbet venenum, sed aliunde scit præberi venenum: hæc autem major obligatio non potest explicari, nisi dicatur esse justitiæ. 4° Sicut paterfamiliàs ex justitia tenetur cavere, quantùm commodè potest, ne à domesticis, pueris ac infantibus inferatur aliis positivum et injustum grave damnum; ita quivis etiam ex justitia tenetur cavere ne per actiones suas et consilia positivè patiantur alii grave et injustum damnum. Unde, sicut paterfamiliàs ex justitia tenetur accurrere quando videt puerum suum accendere segetes alienas, ita quilibet ex justitia tenetur opitulari, quando videt positivas suas actiones vergere in grave et injustum proximi damnum.

296. Dub. 12° an qui sciens dedit iniquum consilium, factâ revocatione, teneatur adhuc ad restitutionem, secuto damno?

*R.* Si consilium erat simplex, v. g., si præcisè dixisti contractum esse licitum, bellum justum, medicinam salubrem, etc., vel si rogàsti duntaxat alterum ut hoc aut illud faceret in tuî gratiam, non teneris ad restitutionem, revocato consilio. Ita communis omnium; *et ratio*, quia consilium hoc æquiparatur mandato, et qui consilium accipit, non potest aliunde moveri per tuum consilium quàm ex auctoritate, judicio, vel etiam ex voluntate tua: ergo si sciat judicium tuum esse mutatum aut voluntatem tuam esse contrariam, non potest ampliùs moveri per tuum consilium.

297. Dub. 13°: Quid verò, si consilium tuum iniquum non erat simplex, sed vestitum? Vestitum consilium appellatur, quando non solùm interponis tuam auctoritatem, sed insuper adducis motiva, vel dicta-mina gloriæ, commoditatis aut voluptatis, quæ proximum impellere possunt ad injustè nocendum, ve etiam doces artem nocendi, vel pandis secretum magicum ad nocendum.

*R.* In hoc casu teneris ad restitutionem, etiam retractato consilio. Ita Molina, D. 731; Less. c. 13, n. 16; Vasq. c. 9, § 1, n. 11; Azor. l. 4, c. 11; Dicast. D. 4, n. 62; C. de Lugo, D. 19, n. 37, et Cardenas, Diss. 23, in prohib. n. 136, aiens oppositam sententiam ab Innoc. XI damnatam. *Ratio* 1°. Licèt revoces consilium, ac seriò dicas pœnitere te dati consilii, vel etiam alterum obnixè roges aut horteris ut non obsequatur tuo consilio, non movetur quidem maleficus ad inferendum damnum à tua voluntate vel auctoritate, movetur tamen ab aliis rationibus quas anteà suggessisti: v. g., si feminam hortatus es ad abortum ob declinandam infamiam, et pandisti modum faciendi abortum, femina movetur ex infamia quam facilè potest declinare pharmaco secreto. Si juvenem ambitiosum ad vindictam aut duellum animâsti per exaggerationem injuriæ vel ostensionem gloriæ mundanæ, juvenis movetur potissimùm his phantasticis umbris. Unde, nisi removeas efficaciter hæc motiva, semper teneris ad restitutionem. Affert exemplum Granatense Cardenas, Dissert. 23, n. 138, de duobus adolescentibus nobilibus amicitiâ conjunctissimis, quorum unus alterum galero percussit leviter ferè per ludum; cùm autem tertius percusso diceret eum esse oneratum, nec posse dissimulari injuriam, hæc pessima insinuatio vinculum amicitiæ ita disrupit, ut percussus statim provocaret alterum ad duellum, sed infelici vulnere mox sauciatus, brevi post mortuus sit. In hoc casu tertius obligatus fuisset ad restitutionem, etiamsi postea consilium iniquum retractâsset. 2° Qui suggerit ejusmodi consilium vestitum, agit perinde ac si claves alteri suppeditaret ad furtum aut ensem ad injustam occisionem alterius: at suppeditans clavem aut ensem tenetur ad restitutionem, si non eripiat hæc instrumenta, vel efficaciter moveat alterum ad omissionem maligni propositi, quantumvis millies oret et obsecret ut desistat: ergo etiam à pari. 3° Innoc. XI damnavit hanc propositionem, n. 39: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem damni illati.* Qui verò dat ejusmodi consilium, verè movet et inducit ad inferendum grave damnum, esto retractet suam voluntatem, aut asserat seriò sibi displicere datum consilium. Aliud tamen foret si rationes antè datas penitùs dissolveres, aut ita veluti redigeres ad nihilum, ut ex iis moveri non posset ampliùs alter ad injustè nocendum: ubi tamen observo, non satis esse si malus consultor suggerat spiritualia motiva contra temporales rationes; nam istæ communiter prævalent apud homines mundanos, et illecebris terrestribus nimiùm quantùm fascinatos.

298. Dub. 14° an, si malus consultor pœnitentiâ ductus abstrahere non possit alterum ab iniquo proposito, saltem monere debeat tertium cui damnum impendet?

*R.* Si consilium erat tantùm simplex, et malus consultor revocavit quidem consilium, sed alterum avertere non potuit ab iniquo proposito, tenetur ex charitate tantùm monere tertium ut rebus suis invigilet. 2° Si verò revocare non potuit consilium propter distantiam aut hujusmodi causas, ex justitia monere debet tertium. 3° Hoc à fortiori locum habet quando consilium erat vestitum; tunc enim monere debet ex justitia tertium, sive consilium revocaverit apud alterum, sive non : quæ omnia patent ex dictis de mandato, n. 275 et seq.

299. Dub. 1° an malus consultor teneatur etiam ei qui consilium petiit aut accepit, sarcire damna postmodùm secuta?

*R.* Si consilio circumvenit alterum, ita ut consilium accipiens non adverterit ad fraudem et iniquitatem consilii, malus consultor utique tenetur ad sarcienda damna; quia fraus et dolus nemini patrocinantur. 2° Si verò qui consilium accepit, sufficienter advertit ad iniquitatem consilii, non tenetur ad restitutionem, *quia scienti et consentienti non fit injuria neque dolus*, C. 27, de R. J. in 6, et *nullus ex consilio, dum fraudulentum non fuerit, obligatur*. Et hinc etiam, si consultor est notoriè rudis et idiota, consilium petens et accipiens sibi debet imputare quòd hujusmodi consultorem adierit aut ei sit obsecutus, cùm tamen abundè sciverit ejus imperitiam. 3° Sæpissimè contingit ut solus consultor teneatur resarcire quælibet damna quæ vel illi qui consilium accepit, vel aliis sunt enata : nam sæpissimè qui consilium accipit, procedit optimâ fide, quia putat consiliarios nil mali consulere; quod maximè notandum, et celte sculpendum in silice consiliariis principum et regum.

300. Dub. ultimò ex qua culpa teneatur malus consultor?

*R.* Juxta Molinam, D. 730, si consiliarius judicetur peritus artis aut facultatis quam profitetur, nec accipiat stipendium aut mercedem, communiter tenetur ex culpa lata; si verò stipendium accipiat, ex culpa levi; si demum exactissimam peritiam ac diligentiam jactet, ut impediatur dominus à quærendis optimis consiliariis, tenetur ex culpa levissima. Quæ tamen omnia sunt intelligenda secundùm ea quæ fusiùs exposita sunt q. 9 et 10 de contractibus aut quasi-contractibus. 2° Navarrus, c. 17, n. 132, rectè monet sapientes et litteratos ut non nimiùm prudentiæ vel scientiæ suæ tribuant; quia sæpissimè per ignorantiam vincibilem peccant, quæ non excusat à restitutione. 3° Excusatur tamen consultus, quando respondet juxta opinionem verè probabilem, quam adhibitâ sufficienti diligentiâ putat esse veram; vel qui, consultus, simpliciter aperit suam opinionem, dicens ita sibi videri, non autem suadet ut alter sequatur, imò simul indicat se dubitare : tunc enim alter, si sequatur, suæ temeritati ascribat.

## QUÆSTIO XIX.

### QUANDO TENEATUR AD RESTITUTIONEM CONSENTIENS, PALPO ET DANS RECURSUM?

301. Dub. 1° quis veniat nomine consentientis?

*R.* Consentiens hìc dicitur qui suffragio, voto vel sententia movet aut determinat alterum ad injustum damnum. Ita, v. g., consentiunt superiores, domini, patresfamilias, quando subditis, servis aut filiis dant potestatem aliis injustè nocendi, tametsi non præcipiant; 2° senatores et consiliarii, quando per suffragia concurrunt ad iniquas sententias, exactiones, tributa, etc.; 3° electores, capitulares et patroni, quando promovent indignum. Hùc pertinent in Hispania scholares, quibus in aliquot academiis jus competit per suffragia nominandi vel eligendi magistros. Hos autem omnes peccare contra justitiam et obnoxios esse restitutioni, quoties voto vel suffragio suo creant injustum damnum, est luce clarius, et patet ex dictis n. 260.

302. Dub. 2° an teneatur ad restitutionem senator aut consiliarius, quando dat injustum suffragium, in casu quo minimè desunt alia suffragia sufficientia ad injustum damnum?

*R.* 1°. Si consiliarius et senator est inter primos qui suffragantur, tenetur ad restitutionem, esto sciat absque suo suffragio non defutura alia plus quàm sufficientia suffragia ad injustum damnum. Ita cum Navarro, Cajet. Molin. Lessio, Vasq. et aliis C. de Lugo, D. 19, n. 17. *Ratio*. Nam hoc modo jam influit efficaciter in damnum injustum, quod antea nondùm erat sufficienter in causa præparatum. 2° Si verò suffragatur inter ultimos, et non est ulla spes mutandi vel revocandi priora suffragia, quæ propter numerum sufficiunt ad injustum damnum, non tenetur consiliarius ad restitutionem, quamvis gravissimè peccet contra justitiam. Ita rursùm iidem DD., *et ratio;* quia damnum injustum erat jam ante sufficienter præparatum ac determinatum in causa propter pluralitatem votorum. 3° Aliud tamen foret si propter ultima suffragia cresceret, v. g., pœna per injustam sententiam concepta, vel si princeps fortè non esset secutus pluralitatem votorum, sed ad iniquam sententiam motus est à consiliariis per unanimem consensum.

303. Dub. 3° an teneatur ad restitutionem consiliarius, quando dubitat an suffragium suum fuerit inter priora, vel inter posteriora, v. g., prout sæpè contingit, quando suffragia non palàm et publicè feruntur, sed causa secretis calculis deciditur?

*R. aff.* Ita Molina, D. 736, et C. de Lugo, D. 19, s. 1, n. 22; P. Sporer, c. 3, n. 35, contra Dianam et alios. *Ratio* 1ª. Quando damnum illatum est certum, et singuli cooperantes dubitant an ipsi determinatè fuerint efficax causa damni, tenentur omnes ad restitutionem; aliàs enim foret pessimè consultum læso si nullam exigere posset restitutionem. 2ª. Quando plures, etiam non communicato priùs consilio, simul explodunt in hominem aut jumentum alterius, et ex vulnere vel circumstantiis non constat quis determinatè læserit, omnes concurrentes ubique gentium ex æquitate naturali condemnantur ad restitutionem; nec est ratio cur forum internum hìc discrepet ab externo. 3ª. Quando quis injustè lædit integram communitatem per furta minuta, v. g., mercator utens falsis pon-

deribus, ita tamen ut nesciat quos determinatè læserit, per se debet satisfacere communitati, vel singulis in communitate, juxta proportionem dubii : ergo etiam, quando vicissim aliqua communitas aut collectio lædit, etiamsi nullus determinatè sciat an ipse læserit, tenentur omnes ex collectione, qui cooperati sunt, satisfacere. 4°. Si Caio constaret rem quam habet non esse suam, sed esse debitam uni ex tribus, ita tamen ut nesciat cujus determinatè sit, omnes tres possent exigere restitutionem à Caio juxta proportionem dubii : ergo etiam, si constat tres cooperatos ad injustum Caii damnum, et nescitur quis determinatè dederit, Caius similiter pro ratâ dubii potest ab omnibus exigere restitutionem. 5°. Si non essent plura suffragia mala quàm quæ sufficerent ad injustum damnum, suffragatores injusti procul dubio tenerentur ad integram restitutionem, et Caius iniquè læsus haberet jus certissimum adversùs omnes : quòd autem accesseris tu per suffragium tuum, non debet idcircò Caii conditio reddi deterior : imò potiùs, quia per injustum suffragium impediisti Caium ut non possit à cæteris exigere compensationem totius damni, debes Caio propter injustum hoc impedimentum satisfacere, vel reddere quantum alii minus reddent.

304. Dub. 4° an consiliarii vel senatores peccent contra justitiam et teneantur ad restitutionem, quando subterfugiunt senatum, ubi tamen possent impedire sententias injustas?

*R.* Cum Molina, D. 732; C. de Lugo, D. 19, n. 66, et aliis quamplurimis, *affirmativè :* nam ex officio justitiæ vel quasi contractu tenentur hujusmodi sententias impedire; tres tamen casus excipiunt. 1° Possunt aliquando senatores abesse citra legitimum impedimentum, quando non imminet ex absentia magnum inconveniens; 2° quando justam absentiæ causam habent. Ut tamen observat hìc C. de Lugo, requiritur gravissima causa, quando sciunt rem magni momenti tractandam, et periculum est ne noceat absentia; 3° quandò certissimò sciunt conclusum iri contra justitiam, et suffragium suum non aliò serviturum quàm ut odium sibi concilient et suscitent graves rixas. Ubi tamen iterum optimè notat C. de Lugo, contingere non infrequenter ut nimiùm sibi blandiatur privatus et proprius amor, et irrepat inordinatus metus : cùm tamen unius cordata libertas multorum pusillanimitatem corrigat, vel saltem impediat senatores ut aliâ vice non tam facilè consentiant in facta iniqua.

305. Dub. 5° quis sit palpo, quando teneatur ad restitutionem?

*R.* Palpo idem est quod adulator. Tenetur hic ad restitutionem, quoties adulatione, laudibus aut blanditiis est causa cur damnum fiat aut damnum illatum non resarciatur. 2° Eodem onere premitur qui murmure, vituperio, vel exprobratione timiditatis, ignaviæ vel pusillanimitatis, determinat alterum ad injustè nocendum, prout sæpissimè fit inter gregales juvenes, dum unus alterum incitat ad vindictam. 3° Hùc etiam spectant qui homini per injuriam affecto ita repræsentant injuriæ magnitudinem aut nobilitatem, ut ille commotus adversarium interficiat, esto non facerint animo incitandi ad tale damnum, modò saltem animadverterint probabiliter secuturum id damnum, aut dubitaverint, ut rectè post Navarrum, Azor, Rebell. et Navarram observat Dicastillo, D. 4, n. 108 : quamvis enim juxta plurimos excuseris à restitutione quando dubium est an commiseris injustitiam, non tamen excusaris quando operatus es cum dubio inferendi injustum damnum.

306. Dub. 6° quid sit recursus, et quando teneatur ad restitutionem qui præbet recursum?

*R.* Recursum hìc præbere dicitur, qui malefactori positivè præstat refugium aut securitatem, ut vel maleficium committat, vel ne post maleficium restituat. 2° Hoc modo sæpissimè peccant advocati furum, caupones, quando recipiunt latrones, vel qui spolia furum abscondunt; item magnates, quorum protectione nituntur malefici. 3° Istos verò ad restitutionem teneri, dum efficaciter movent alios ad injustè nocendum, non est dubium : *hinc C. qui aliorum* 24, q. 3, Urbanus pontifex ait : *Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis qui errant.* Item Aug. ep. 54, relatus in c. 1, 14, q. 6 : *Illud verò fidentissimè dixerim, eum qui pro alio ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, et qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restitutionem non invellit, socium esse fraudis et criminis.*

307. Dub. 7° an ergo nunquam possit maleficis præstari recursus?

*R.* Potest præstari materialiter. 1° Quando maleficus seipsum potest defendere; sic quando furtum in judicio non est sufficienter probatum, advocatus licitè tuetur furem. Advertere tamen debet ut is occultè restituat vel præstet cautionem. Similiter si fur injustè vel contra juris ordinem vexatur in judicio, potest eum advocatus defendere, licet hac occasione fur fortasse sit abusurus ad detinendam rem injustè surreptam. 2° Non peccant qui post factum recipiunt furem ut non incidat in manus carnificis aut lictorum, vel quando recipiunt tantùm ob causam amicitiæ, sanguinis, necessitatis aut humanitatis, vel ratione officii, ut si sint caupones, et non desint alia diversoria quibus recipiuntur fures. Tunc enim formaliter non recipiunt fures ut fures, sed materialiter ut homines, consanguineos et amicos, nihilque præstant in damno inferendo vel retinendo. Sic etiam complures intelligunt censuras quæ latæ sunt contra receptores hæreticorum aut bannitorum, scilicet, quando recipiunt eos formaliter ut tales. 3° Sæpiùs etiam excusantur receptores, quando prudenter metuunt ne, si non recipiunt furem, occidantur, vel aliud damnum proportionaliter admodùm grave sustineant. Si tamen fur iis tradat res furto sublatas, tenentur eas domino reddere, non manifestato fure, si possunt absque notabili suo detrimento, nec ullo modo licet eas ut res sibi proprias asservare. 4° Qui furem abscondit, potest illum ad fugam juvare, cùm etiam ipsi reo non sit illicitum fugere manus insequentium. Cavendum

tamen ut furi non præbeatur spes recursûs in posterum, ut similia committat.

308. Dub. 8° an excusentur à restitutione caupones, si recipiant filiosfamiliàs à quibus potu vel lusu consumitur pecunia paterna ?

*R.* 1° Si caupones credant invitos esse parentes quoad substantiam, peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem, tum ob rem acceptam, tum etiam ob injustam acceptionem, si recipiant à filiisfamiliàs pecuniam paternam. 2° Imò, si nihil recipiant à filiisfamiliàs, sed tamen locum, chartas aut lumen concedant, peccant contra justitiam, et per se tenentur ad restitutionem, nisi fortè sciant eos æquè conventuros alibi, vel rationabiliter existiment parentes non esse quoad substantiam invitos. 3° Quando summa non est valdè notabilis, sæpissimè pater, committens filio administrationem pecuniæ, non obligat eum titulo justitiæ, sed obedientiæ tantùm, ut eam expendat in bonos et necessarios usus ; quia scit non Carthusiano vel religioso, sed juveni vano, seculari se committere pecuniam ; unde caupones tunc excusantur ab injustitiâ vel restitutione. 4° Sæpè parentes non curant restitutionem, postquàm pecunia malè fuit expensa ; quamvis ista voluntas non debeat præsumi, quandò summa valdè notabilis est.

## QUÆSTIO XX.

QUANDO PARTICIPANS TENEATUR AD RESTITUTIONEM ?

309. Dub. 1° quid sit participans, et quandò teneatur ad restitutionem ?

*R.* Nomine participantis intelligitur quicumque socius et adjutor maleficii ; quod fit tripliciter. Sæpè quis immediatè tanquàm executiva causa participat in eodem maleficio, v. g., si quis cum alio furatur aut occidit. Sæpè participat quis in maleficio tantùm mediatè, v. g., si tantùm explorat an via furandi sit tuta, vel instrumenta, scalas aut similia suppeditat ad furandum. Sæpè quis participat tantùm in re acceptâ, v. g., si capiat partem spolii post factum. 2° Qui sciens participat in re acceptâ, semper tenetur ad restitutionem titulo rei acceptæ. 3° Qui sponte suâ participat in actione injustâ, tenetur ad restitutionem, quoties ità participat, ut moraliter ei possit attribui damnum. Unde tanquàm grave crimen hoc reprehenditur, Psal. 49 : *Si videbas furem, currebas cum eo ;* ubi S. August. : *Si non currebas, concurrebas.* Et in jure participantes ejusmodi puniuntur ut fures. *L. in furti* 50, § *cum eo*, et *L. si pignore* 54, § *qui ferramenta*, *ff. de Furtis.*

310 Dub. 2° an qui propter metum gravem immediatè participat in actione injustâ, sit liber à restitutione ?

*R.* Qui participat immediatè et liberè ponit actionem intrinsecè malam, non excusatur à restitutione. Sicut enim metus non tollit voluntarium, et non excusat à peccato formalis injustitiæ sic etiam non liberat à restitutione. Et hinc 1°, ut notant communiter DD., si Turcarum captivi in bello formaliter injusto, contra Christianos admoveant ignem bombardis, explodant pilas aut jaciant sagittas, non excusantur ab injustitiâ vel restitutione : nam actio quæ per se, non superveniente aliâ causâ liberâ, necessariò trahit injustam occasionem alterius, est intrinsecè mala contra justitiam. 2° Qui metu coactus incenderet res alienas, perageret opus intrinsecè malum, nisi fortè materia sit talis, ut participans ob extremam necessitatem alterius licitè possit eam surripere, vel nisi dominus rationabiliter credatur esse tam benignus, ut malit potiùs incendi rem suam quàm tibi vitam eripi, prout sæpè potest supponi, quando certissimum est te non succendente, alios ministerium hoc obituros, et nulla prorsùs est incendii vitandi spes. His enim causis cessantibus, actio combustiva est per se determinata ad inferendum alteri necessariò grave et injustum damnum ; et, cùm actio moraliter imputari non possit igni, debet ascribi causæ quæ liberè fomitem ignitum apposuit. 3° Less. c. 13, n. 30, revocat hunc casum, quando quis ob metum mortis effringeret januas, penetraret fenestras et res foràs projiceret, aut pecus alienum abigeret à stabulis. Verùm contrarius est Castro Palao, D. 6, de Car. p. 11, n. 12, cujus sententiam amplector, saltem in casu quo prædictæ duæ limitationes adsunt.

311. Dub. 3° an semper sit peccatum cooperari mediatè tantùm ad alterius peccatum ?

*R.* 1° Qui cooperatur eâ intentione ut alter pravam suam voluntatem exequatur, est moraliter particeps ejusdem culpæ. 2° Qui verò citra pravam intentionem cooperatur per opus de se indifferens, excusatur quoties habet sufficientem causam. Aliàs graviter peccarent sacerdotes, quoties homini, quem privatâ tantùm notitiâ sciunt malè dispositum, distribuerent Eucharistiam ; vel mutuarii, quoties in gravi necessitate peterent mutuum ab usurario ; vel conjuges quæ marito malè petenti redderent debitum. 3° Si tamen mediatè cooperans concurreret formaliter per actionem intrinsecè malam, ut si quis mandaret aut suaderet peccatum, procul dubio particeps esset peccati.

312. Dub. 4° quænam causa sufficiat ut mediatè cooperari possis ad peccatum aut injustitiam alterius ?

*R.* Vix posse tradi generalem regulam, sed recurrendum sæpissimè tantùm ad judicium commune prudentûm. P. Th. Sanch. l. 1 Dec. c. 7, n. 12, rectè notat, 1° tantò majorem communiter requiri causam, quantò certius ac gravius est peccatum aut damnum quod propter tuam actionem imminet, et quò propinquiùs actio tua concurrit ad peccatum et injustitiam alterius ; item quantò probabilius est imped mentum iri peccatum aut damnum, te non concurrente. 2° Addit ibidem doctissimus auctor urgentiorem desiderari causam, ut licitè coopereris indirectè, quando peccatum et abusus alterius qui p[illegible]videtur, est contra justitiam, ubi tertius et invitus patitur, et quando tantùm est contra charitatem,

ubi solus peccans ex voluntate propriâ detrimentum spirituale subit. 3° C. de Lugo, D. 25, n. 214, subministrat aliam regulam quoad peccata injustitiæ, scilicet, attendendum an dominus, cui datur damnum, meritò sit invitus circa cooperationem indirectam. Nam, si non sit rationabiliter invitus, cooperans non committet peccatum injustitiæ, nec tenebitur ad restitutionem : contrà verò committet et tenebitur si dominus sit rationabiliter invitus. 4° Putem ego, considerandum quoque sæpiùs an non humano commercio nimia labes inferretur si non liceret indirecta cooperatio. 5° Denique semper ob oculos haberi debet universale principium ad dignoscendas obligationes naturæ, scilicet utrùm, omnibus benè perpensis, expediat potiùs obligationem existere quàm non existere : de quo post C. de Lugo et C. Pallav., videri potest Haunoldus, l. 2, Theol. n. 349 et seqq.

313. Dub. 5° an peccent mortaliter contra justitiam, et teneantur ad restitutionem christiani remiges, dum apud Turcas captivi, de mandato dominorum et ex metu mortis remigant contra christianos ?

*R.* Quamquam affirmativam acerrimè defendat Suar. D. 21, de Censuris, s. 2, n. 60, post Navarr. Ugolin. et Toletum, probabilior tamen est contraria sententia quam tuentur Molin. tr. 2, D. 115; Th. Sanch. l. 1 Dec. c. 7, n. 18; Less. c. 9, n. 122, et c. 13, n. 30; Vasq. c. 9, dub. 2, § 1, n. 39; Palaus, de Charit. D. 6, p. 11, n. 10; Corduba, Navarra, Lopez, Rodriq. Azor, Saa, Laym. Regin. Rebell. Salas, Dicast. C. de Lugo, Tambur. Flor. de Cocq, Sporer et alii. Ratio. Nam remigatio non est opus intrinsecè malum, sed indifferens, ut eo benè vel malè utantur barbari, neque videtur in hoc casu prohibita. Sicut enim remiges labore suo cooperantur indirectè ad mortem injustam aliorum, sic cooperarentur indirectè ad mortem suam si detrectarent laborem : est autem valdè durum dicere quòd in pari necessitate non possint potiùs sibi quàm aliis prospicere. 2° Sicut manus, sic etiam libertas est nobis data, ut nobis potiùs quàm aliis serviat : ergo si remiges pari modo dant ansam injustæ necis, sive laborent, sive non laborent, non debent obligari graviter aut etiam leviter ad opitulandum potiùs aliis quàm sibi. 3° Qui domino reddit gladium, quando properat ad injustam cædem, communiter excusatur à peccato si non possit negare gladium sine periculo certissimo propriæ necis : videtur autem hic casus omnino similis priori. Cæterùm assertionem bene limitant Molina, Sanch. Less. Rebell., nisi gravis pernicies immineat reipublicæ christianæ propter remigationem ; tunc enim bonum commune præferendum est privato ; verùm, ut Palaus advertit, rarus est casus in quo, si remigum unus aut alter cessaret, non statim præstò forent alii, vel damnum reipublicæ christianæ vitaretur.

314. Dub. 6° an peccent contra justitiam qui barbaris et infidelibus deferunt arma, muniunt castra, subvehunt annonam ?

*R.* 1° Qui sponte sua suppeditant infidelibus arma, dum sunt hostes christianorum, lethaliter peccant et incurrunt excommunicationem, in bulla *Cœnæ* contentam, de qua Suar. D. 21, de Cens. s. 2, n. 51. 2° Qui verò metu mortis adactus ea præbet, nec censuram incurrit, nec injustitiam committit; et ratio est eadem quæ suprà de remigantibus. 3° P. Less. l. 2, c. 7, n. 123, judicat, probabiliter excusari catholicos aurigas et nautas, qui, v. g., Hollandis aut aliis hæreticis, injustè bellantibus, devehunt annonam, quamvis metu gravi non adigantur, modo saltem absit prava intentio, vel, illis cessantibus, non desint hæretici qui vecturam exerceant : nam hæc actio non est mala de se, nec etiam est iniqua propter intentionem agentium, nec etiam ex eventu, cùm, ut ponitur, hæretici milites æquè sint annonam habituri ab aliis, et permissio talis vecturæ non augeat vires adversariorum, imò potiùs contraria prohibitio catholicis plurimùm officiat; quia privantur maximo lucro quod soli hæretici capiunt.

315. Dub. 7° an peccent contra justitiam fabri ferrarii qui promiscuè vendunt arma, tametsi sciant aliquos abusuros.

*R.* 1° Si generatim tantùm et indeterminatè prævideant aliquos abusuros, non peccant ; quia tolleretur aliàs totum commercium humanum et nihil posset vendi, cùm nihil ferè sit quod non ab aliquibus vertatur in aliorum perniciem. 2° Si verò prævideant aliquos jam proximè comparatos ad injustam cædem, non possunt vendere propter exiguum et ordinarium lucellum, ac requiritur gravissima vel valde gravis causa, prout est major aut minor spes impediendi ; secùs enim fabri nimis propinquè concurrerent ad injustas cædes, sicut qui ruenti in cædem inimici præbent gladium. 3° In bello quod ex una parte formaliter est injustum, si venditores nesciant an milites serviant injustæ parti, non peccant arma vendendo promiscuè petentibus ; nam hæc venditio non magis tendit ad irrogandam quàm depellendam injuriam. Si verò sciant quinam sint ex injusta parte, non possunt vendere citra gravem et proportionatam causam.

316. Dub. 8° an peccent contra justitiam venditores veneni ?

*R. affirm.* Si quidem moraliter eis non constet ementes non abusuros veneno. *Ratio prima.* Nisi promiscua veneni venditio foret prohibita per legem naturalem justitiæ, sequeretur maxima pernicies humani generis. *Secunda.* Ut optimè Suar. D. 10, de Charit. s. 4, n. 6; Th. Sanch. l. 1 Dec. c. 7, n. 6; Palaus, D. 6, de Char. p. 8, faciendum est discrimen inter indifferentia quæ bono vel malo usui deservire possunt. Aliqua, si promiscuè liceret ea vendere, regulariter converterentur in malum usum : hujusmodi sunt venenum, clavis adulterina, idolum in partibus infidelium. Alia verò regulariter emuntur et destinantur in bonum usum, ut arma, vestes, cibi, chartæ. Si objecta sint prioris generis non possunt vendi, nisi moraliter constet ementes bene usuros ; si verò sint ex posteriori genere, possunt vendi, quotics de abusu non constat

*Tertia.* Potest autem ex qualitate personarum, fine vel modo petendi, colligi num ementes benè sint usuri. Quare, si vir notus publicè petat venenum, pharmacopæus aut aromatarius communiter præsumere potest bonum usum; quia rarissimus est tam audax, ut, si maleficum cogitet, non affectet secretum. Sic etiam non peccant macellarii, quando tempore jejunii vendunt carnes publicè petentibus; quia præsumuntur petentes habere privilegium, vel aliam causam excusantem, quam ipsi non debent nec etiam commodè possunt examinare. Cæterùm in venditione veneni multò magis præsumitur bonus usus si pictores venena desiderent ad colores, aut si civis honestus petat ad interimendos mures aut alia noxia animalia. Num verò venditor veneni peccet contra justitiam, vel tantùm contra charitatem, si vendat ei qui dicit se petere ad interimenda animalia, quamvis probabiliter putet cum malè usurum, est controversia. Less. c. 13, n. 31, judicat non esse contra justitiam, ac fortè ducitur hoc motivo, quia ex venditione veneni propter istam petitionem regulariter non oritur damnum injustum alterius : verùm alii sentiunt oppositum, saltem in casu quo damnum est propinquum.

317. Dub. 9° an excusentur œnopolæ, qui vinum promiscuè vendunt tabernariis aut cauponibus, quos sciunt corrupturos vinum.

*R.* Œnopolæ communiter in hoc casu non peccant contra justitiam, quia nimiùm aliàs restringeretur commercium humani generis; et, ut advertit Th. Sanch. l. 1 Dec. c. 7, n. 37, difficulter œnopolæ distraherent vinum cum gravi suo detrimento, cùm rarò caupones occurrant de quibus timeri non possint ejusmodi fraudes. Et quamvis unus aut alter œnopola nolit habere commercium cum cauponibus dolosis, tamen idcirco non impedientur istorum peccata; non enim deerunt qui lubentissimè vinum ipsis etiam optimâ fide suppeditabunt, utpote non satis conscii fraudum. Cùm autem actus aliquis per se non est malus, sed indifferens, imò necessarius ad commercium humanum, et cùm per omissionem actûs non impediuntur alterius peccata, sed incurritur tantùm gravis jactura, non est actio graviter prohibita. 2° Si tamen facilè reperiant œnopolæ caupones de quorum sinceritate non possunt prudenter ambigere, saltem ex charitate, ut vult Palaus suprà, p. 13, n. 3, cauponibus istis potiùs quàm aliis debent vendere; quia tenentur, quoad possunt, impedire peccata, maximè si vergant in damnum et præjudicium tertii. 3° Si non vendant œnopolæ, sed præcisè deponant suum vinum apud tabernarios, ut isti vendant illorum nomine, profectò peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem œnopolæ, si sciant à tabernariis distrahi vinum corruptum : non enim tabernarii, sed œnopolæ principaliter in hoc casu vendunt. Quòd si verò non sciant, tenentur saltem ad restitutionem, quantùm facti sunt ditiores.

318. Dub. 10° an qui vendit aut ministrat indifferentia, prævidens malum abusum, aut iniquam applicationem alterius, universim excusetur ex hoc capite quòd alius eadem venderet aut ministraret, ipso deficiente?

*R. negat.* Nam aliqua sunt ex objectis indifferentibus quæ ratione sui, vel attentis circumstantiis, tam propinquè serviunt ad alterius peccatum, ut, nisi per legem naturæ prohibita foret in certis circumstantiis eorum venditio vel subministratio, sequeretur maxima pernicies universi : v. g., si liceret concedere scalam latroni quem scis iniqua meditari; supponere corpus furi, quando vult et non potest aliter ascendere per fenestram; præbere gladium furenti, quando meditatur injustam cædem. Et esto concurreret alius ad tam infame ministerium, tamen idcirco tu non es excusatus : sicut enim ille non effugeret peccatum per suum concursum, ita nec effugis tu per tuum. Excipe tamen, nisi gravissima, sufficiens aut proportionata causa tuam cooperationem reddat honestam. 2° Promptior tamen et facilior est excusatio si non deforent alii qui bonâ fide suppeditarent instrumenta necessaria pro peccato : v. g., si Caius rueret ad iniquam cædem, et alii, quibus ignota penitùs est Caii machinatio, lubentissimè suppeditarent gladium, neque tu posses illos monere, faciliùs ei posses reddere gladium quàm si nullus alius sine peccato concederet. Sic etiam si dominus repetat gladium apud te depositum, quo tamen absolutè non eget ad injustam cædem, cùm domi suæ plures habeat gladios omninò similes, quos eripere non potes, utique faciliùs eum posses reddere quàm si nullum haberet. Hâc ratione censetur etiam Christianus excusari, quando paschali tempore venderet agnum Hebræo, prævidens impiam ejus superstitionem; quippe nisi venderet iste, certissimò venderet alius, et quidem optimâ fide, nec ullâ ratione peccatum impediretur. 3° Si verò sunt objecta quædam indifferentia extra materiam justitiæ, quæ non ita propinquè serviunt ad alterius peccatum, v. g., vendere fucos meretrici, præparare cibos soluturo jejunium, sternere mensam, etc., existimat Th. Sanch. l. 1 Dec. c. 7. n. 16, non esse peccatum mortale, siquidem alius non desit qui ministret : concedit tamen esse peccatum veniale, quia, dum ego non cooperor, regulariter alter peccabit minùs, et mea tergiversatio salubriter alterum movet ut saltem in posterum non tam facilè peccet. Verùm Palaus, D. 10 de Charit. p. 9, n. 1, contrarius est, ac docet esse peccatum mortale, nisi causa sufficiens concursum tuum honestet. Verùm quænam illa sit, nec ipse nec alii generatim explicant, et nullus unquàm explicabit, cùm res dependeat ex plurimis circumstantiis particularibus. Sic in casu posito circa jejunium, Palaus suprà, p. 11, n. 4, cum Navarro, Sanch. Azor et Saa putat, ancillas, servos aut filios excusari ratione famulatûs aut filiationis, si jussu domini vel patris præparent cibos, sternant mensam, etc.; contra verò p. 10, n. 2, cum Vasquio negat, per se licitum esse ut dominus invitet ad cœnam eum quem scit aliàs soluturum jejunium, esto contrarium sentiant Navarr. Cajet. et alii satis communiter.

319. Dub. 11° an peccent contra justitiam, qui cooperantur ad usuras?

*R.* 1° Certum est mutuatarium qui petit mutuum ab usurario, non peccare contra justitiam ; quia nemo justitiam aut injustitiam exercet adversùs seipsum. 2° Imò neque contra charitatem peccat, si mutuum petat ex justa vel rationabili causa, quamvis videat alterum non daturum sine usuris. Richardus autem existimat justam causam non esse, nisi cogat notabilis necessitas vel immineat notabilis penuria. Verùm alii communiter quos congerit Th. Sanch. l. 3 Dec. n. 12, non videntur exigere necessitatem gravissimam aut gravem; quod apparet probabile, dum usurarius aliunde jam habitualiter est paratus ad usuras unde unde colligendas. Imò Suarez, Salas, Hurtado, quos sequitur C. de Lugo, D. 25, n. 233, putant sufficere magnam utilitatem mutuatarii, qui non potest aliunde nancisci mutuum, licet usurarius aliunde paratus non sit ad colligendas usuras. 3° Molina, Suarez, Vasquius, Rebellus, Th. Sanch. Palaus et alii communiùs credunt esse mortale, si mutuum petatur ad res non honestas aut necessarias, sed venialiter saltem illicitas. Verùm Sotus, Cajet. Navarr. Saa, Corduba, Vega, quibus adhæret C. de Lugo, n. 234, docent oppositum, saltem in casu quo jam aliunde paratus esset usurarius ad usuras unde unde colligendas, et mutuatario valdè durum foret carere mutuo. 4° Id communiter recipitur, mutuatarium non peccare si post mutuum solvat usuras ; nam ordinariè magnas subiret molestias si non solveret, neque per negationem solutionis minueret usurarii peccata, sed potiùs daret ansam pluribus et majoribus, nisi judicis auctoritas intercederet. 5° Famuli tandem mutuatarii possunt facere quidquid facere potest mutuatarius. Unde non peccant contra justitiam si faciant ea quæ vel expressè, vel tacitè vult mutuatarius.

320. Dub. 12° an peccent contra justitiam et teneantur ad restitutionem, qui cooperantur ad usuras ex parte usurarii ?

*R.* Applicandam hìc regulam C. de Lugo, n. 312, propositam, an scilicet mutuatarius sit invitus necne. Et hinc 1° non videntur peccare famuli qui præcisè numerant pecuniam aut eam mutuatario deferunt; nam hoc mutuatarius absolutè vult, et est ipsi perinde, sive per proprios famulos, sive per famulos usurarii pecuniam recipiat. 2° Multò minùs peccant famuli, quando sub clave custodiunt pecunias usurarias ; nam hæc actio nimis remotè concurrit ad usuram. 3° Si famuli præcisè dicant mutuatario, dominum non aliter concedere mutuum, nisi sub usuris, vel si, post mutuum datum, sine ulla vi vel coactione absque minis et importunis verbis simpliciter referant tempus solutionis elapsum, aut asserant dominum desiderare solutionem, imò totum relinquant ejus arbitrio, non videtur mutuatarius graviter invitus ; cùm has actiones communiter præstare possint ipsius proprii famuli vel amici, et mutuatarius ordinariè sit sponte soluturus. Atque ita sentiunt Sotus, Navarra, Tolletus, Turrianus et alii, quos sequuntur C. de Lugo, D. 25, n. 224, et Dicastill. l. 2, tr. 10, D. 3, n. 98, quanquàm alii cum Lessio refragentur. 4° Si verò cogant ad solutionem aut importunis verbis sollicitent, ex omnium sententia, peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem, in defectum usurarii. 5° Si famuli præcisè referant in libros rationum quæ data sunt mutuò, judicant Salas et Navarra non evitari grave peccatum injustitiæ ; sed Molina, Sotus, Bannez, Salonius, Aragon. Lessius, Turrianus, C. de Lugo et Dicastillo satis probabiliter docent oppositum ; quia non videtur mutuatarius graviter invitus, si famuli de jussu domini referant in libros quod ipse dominus scriberet. 6° Tabelliones et notarios qui conficiunt instrumenta et palliant usuram, ac scribunt usurarium dedisse centum et quinque, cùm tantum dederit centum, non vindicat ab injustitia et restitutione P. Suar. D. 13, de Cens. s. 5, n. 25; sed Discatillo putat hoc intelligendum, nisi tabelliones id faciant in gratiam vel ad preces mutuatarii, qui mutuum aliter extorquere non potest. 7° Principes ac judices graviter peccant contra justitiam si mutuatarios cogant ad solvendas usuras, ac incidunt in excommunicationem *Clement. de usuris.* Existimat tamen C. de Lugo, propter gravissimas causas, posse statutum fieri quo mutuatarii compellantur ad solvendas usuras, non quidem ut debitas, sed ad impedienda majora mala ; quo pacto Navarrus ait, coactos aliquando fuisse Christianos, Romæ, Anconæ et Avenione ad solvendas Judæis usuras. Verùm obsistit Lessius. 8° Qui locant usurariis domos, communiter excusari solent; nam hæc actio nimis remotè conducit ad usuras, et alioquin etiam peccaret qui cibaria vel vestes iis subministraret. Palaus tamen, D. 6, de Car. p. 12, excipit casum quo tua domus ob situm loci multò commodior esset ad usuras, et absque gravi tuo detrimento posses alios et meliores habere conductores. 9° Qui deponit, mutuat aut alio contractu tradit pecuniam usurario, quando prævidet fore materiam injusti fœnoris, à quibusdam absolvitur omni peccato, ferè sicut locator domûs, esto non habeat gravem causam, modò negotiationem malam non intendat aut consulat. Alii tamen cum Molina, Rebell. Th. Sanch. et aliis quos sequitur Palaus suprà, p. 13, gravem causam postulant, v. g., securitatis pecuniæ, magnum et justum lucrum, etc. ; siquidem, cessante depositione, vel non exercerentur usuræ, vel non in tanta quantitate; quia non solum vitari debet peccatum usurarii, sed etiam damnum quod mutuatariis infertur. Imò Vasq. et Basil. Pontius existimant deponentem sine causa, quando potest, omissâ depositione, multas usuras impedire, non agere solùm contra charitatem, quod volunt alii cùm Molina, sed et contra justitiam et ad restitutionem obligari. Verùm contrarius est cum Lessio C. de Lugo, D. 25, n. 217, quia mutuatarius qui non potest aliunde pecunias accipere, non solùm non ægrè fert, sed etiam gaudet quòd usurarius multas pecunias in promptu habeat, quanquàm doleat aliquid exigi supra sortem.

321. Dub. 13° an peccent famuli contra justitiam quando comitantur heros ad maleficium.

*R.* Si famulus comitatur herum, ut idem cum eo maleficium patret, v. g., ut in duello pugnet, aut

cum eo furetur, liquidum est illum ab injustitiâ vel restitutione non excusari; cùm hoc opus sit intrinsecè malum, et per nullam causam reddi possit honestum. 2° Si famulus comitatur herum ad duellum, non animo pugnandi, sed tantùm defendendi dominum à morte, si fortè vulneratus alteri succumberet, iterùm peccat contra justitiam, quia dominus ex hoc comitatu regulariter fit animosior ad pugnandum, et non iret famulo non comitante : neque valet hìc futilis excusatio servi superiùs n. 310 rejecta, quòd, ipso deficiente, non defecissent alii; melior tamen esset excusatio, si famulus metu mortis aut gravissimi mali cogeretur ad comitandum; cùm enim hoc opus de se sit indifferens, esto propter iniquam domini mentem proximè deserviat ad maleficium, tamen non est illicitum quando cogit extrema necessitas. Atque ita resolvit Th. Sanc. l. 1 Dec. c. 7, n. 13, idem paulò post, n. 18, cum Cordub. dicit, non peccare contra justitiam navicularios qui paratos inire duellum, ex metu gravissimo mortis, cymbâ transvehunt ad locum privati certaminis, esto possent illud impedire si non transveherent; et cum Emm. Saa pariter excusat eos qui simili timore compulsi monstrant locum ubi latet inimicus. 3° Si tamen famulus comitatu suo nullatenùs animaret dominum, et hic pergeret ad patrandum maleficium famulo non eunte, nec famulus ullâ duceretur intentione pravâ, qui tamen est casus rarissimus, non committeret peccatum injustitiæ, neque cogi posset ad restitutionem ob maleficium domini.

322. Dub. 14° an famulus peccet contra justitiam, si jussu domini deferat aut scribat litteras mala vel iniqua continentes ?

*R.* Si famulus præcisè suspicatur aut dubitat an litteræ contineant quid mali vel iniqui, censet Palaus suprà, p. 11, n. 7, tutò deferri posse litteras ; quia nimiùm aliàs enervaretur disciplina, vel debita subjectio famulorum. Unde S. Aug. relatus *in Cap. quid culpatur* 23, *q.* 1 : *Vir justus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrùm sit, certum non est.* Existimo tamen, si famulus non umbratili tantùm suspicione ducatur, sed habeat rationabile, solidum et grave dubium an res vergat in admodùm grave damnum tertii innocentis, et insuper si facilè possit supprimere litteras, et damnum alterius impedire, non teneri famulum, nec posse statim obsequi; quod ipsum etiam agnoscere videtur Palaus, tr. 1, D. 3, p. 13, n. 17. Aliud est de bello, ubi nimia sequerentur incommoda regnorum si non possent in dubiis obedire subditi, cùm non expediat subditis patere principum arcana. Facilior tamen est excusatio, quando litteræ non cederent in præjudicium tertii innocentis. 2° Qui scienter defert litteras proximè duellum spectantes, vel invitantes ad actum libidinis, mortaliter peccat; quia moraliter loco domini provocat ad duellum, libidinem, etc., quod est intrinsecè malum. 3° Si tamen famulus sciret mulieris constantem animum, et deferret ei litteras non ad scandalum, sed potiùs ad risum et contemptum, vel ut illæ comburerentur, posset excusari. Verùm non facilè præsumi debet hæc constantia mulierum, et res est admodùm lubrica, in quâ præstat astringere quàm laxare famulis habenas 4° Faciliùs possunt excusari famuli, quando portant litteras remotè tantùm incitantes ad duellum aut libidinem, vel communia tantùm urbanitatis signa deferunt, esto prudenter timeant sinistrum affectum domini; secùs enim famulatus nimiùm difficilis generatim accideret, et paucissimi timorati possent adire famulatum. Et hinc Th. Sanch. l. 1, Dec. c. 7, n. 22, 24 et 29, advertit, multa servitia, de se indifferentia, quæ remotè tantùm serviunt ad pravum opus, et à dominis etiam ordinantur ad aliquid mali, famulis esse licita, quæ tamen aliis non licerent. Quòd si famulus sciret dominum meditari flagitium, et juberetur inquirere num femina domi sit, et juberetur concubinam adducere, profectò non excusaret sola ratio famulatûs, sed requireretur urgens aut gravissima ratio, prout est major spes impediendi flagitium. Ita docent Navarr. Rodriq. Azor, et Th. Sanch. 5° Si famulus jussu domini scribat litteras proximè concernentes duellum, aut libidinem, existimat Th. Sanch. suprà, n. 26 et 28, nunquàm eum excusari, quamvis metu mortis cogatur; nam ista scribere semper est intrinsecè malum, et ad nullum bonum potest deservire Verùm Palaus, D. 6, de Char. p. 11, n. 7, dubitat, cùm possint ista subinde scribi propter bonum finem, v. g., ut proferantur in judicio, confutentur à DD. ostendantur superioribus, etc. Ego rem peritiorum censuræ committo.

323. Dub. 15° : Quid si famulus sternat equum, aperiat januam, afferat scalas, aut alia ministret ad maleficium?

*R.* Non posse certam regulam tradi, sed considerandum sedulò quale sit maleficium quod intenditur ; quàm propinquè ministerium serviat maleficio ; num ministerium absolutè requiratur ad maleficium, sic, ut, eo negato, possit inhiberi maleficium, et an, te deficiente, deficiant etiam alii qui bonâ fide ministrent; quæ causa vel necessitas urgeat ministerium; an ille, cui maleficium intenditur, meritò sit invitus, et jure queratur contra ministrum. Et hinc 1° famulus, citra causam urgentissimam, sternere non potest equum ituro domino ad duellum, quando certò scit dominum aliàs non iturum. Minor tamen causa sufficeret, si non deforent alii qui bonâ fide sternerent equum, aut si dominus aliàs iret. 2° Famulus qui reverentiæ causâ tantùm aperit januam manu sive vi, non videtur peccare graviter, secluso pravo affectu, neque tenetur ad restitutionem ; quia ministerium hoc nimis remotè conducit ad pravam intentionem domini, neque necessariò requiritur, cùm dominus ipse possit aperire januam. 3° Ancilla sternens lectum, esto præsciat dominum graviter peccaturum, juxta communem DD. non est delicti mortalis rea ; nam præparatio lecti valdè remotè conducit ad adulterium, neque vitaretur hoc peccatum quamvis ancilla refugeret id obsequium.

Et aliàs etiam peccarent qui venderent adultero lectum. Aliud tamen foret in hospitio, si duo jam proximè meditarentur flagitium, et ancilla cauponis facilè posset illud impedire non reserando cubiculum. 4° Si domina redux à furto incidat in ancillam, et jubeat asportare secum res furtivas, quas tamen sola domina facilè portaret, meritò dubitari potest an semper peccet contrà justitiam juvando; quia, cùm furtum inhibere non ampliùs possit, nec etiam possit efficaciter permovere suam heram ut res furtivas restituat fortassis parùm curat dominus rerum, si præstet ancilla breve servitium, quod tamen est minimè necessarium ad furtum. Quidquid sit, certius illud ex Laymanno, quòd non teneatur ad restitutionem ; quia labor ipsius non multùm influit in damnum injustum alterius. 5° Denique circa concursum famulorum maximè notanda venit propositio 51, ex damnatis : *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Ubi tamen non placet expositio P. Cardenas, quæ nimis est rigida, cùm tamen propositio damnata sit tantùm ut jacet : et, si propter notabilem necessitatem cooperor usuris, et peto mutuum, quod absque malo fœnore non est alter concessurus, quare non propter urgentissimam causam vel metum mortis possit famulus præstare ministeria quæ de se sunt quidem indifferentia, sed ob pravam intentionem domini deserviunt ad libidinem ?

## QUÆSTIO XXI.

### QUANDO TENEATUR MUTUS, NON OBSTANS, NON MANIFESTANS?

324. Dub. 1° quid sit mutus, non obstans, non manifestans ?

*R.* Ut voces non sint synonymæ, mutus est qui non impedit damnum præcepto, voce, litteris, monito, clamore, strepitu, quamvis teneatur ex contractu, vel quasi-contractu. Sic muti sunt superiores, quando non prohibent subditorum damna; consiliarii, quando non monent ante damnum ; custodes vinearum, agrorum, etc., quando non præcavent damna quæ verbo vel signo facilè possunt impedire. 2° Non obstans est qui non præstat opem aut operam quam ex contractu vel quasi-contractu debet, ut medici quando deserunt ægrotum ; duces exercitûs quando non succurrunt. 3° Non manifestans, qui, contra contractum aut quasi-contractum, reipublicæ, principi vel judici maleficum non manifestat, vel ante factum, quando damnum est impediendum, vel post, quando damnum est sarciendum.

325. Dub. 2° an confessarii teneantur ad restitutionem, quando rudem pœnitentem ex culpa non admonent, et sunt indirectè causa cur iste non restituat ?

*R.* Quamvis affirmativa quam tuentur Angelus, Rosell. Silvest. Navarrus, Tolet. Navarra, Molina, Sairus, Aragon. Salon. et Moya, sit probabilis, negativa tamen quam docent Suar. Henriq. Vasq. Palaus, Emm. Saa, Valent. Rebell. Less. Coninck, Filliuc. Arriaga, Philipp. Faber, C. de Lugo, Bonac. Dicast. Malder, Sporer et alii, verosimilior apparet; quia confessarius ex officio justitiæ tenetur quidem procurare bonum spirituale pœnitentis, non autem emolumenta temporalia tertii. Neque placet discrimen quod nonnulli dant inter confessarium ex officio qui stipendium aut decimas accipit ut confessiones excipiat, ut parochus et episcopus, et inter confessarium qui non ex officio confessiones excipit : quippe si prior ex justitia deberet impedire damna temporalia tertii, teneretur etiam posterior; nam qui purè gratis et voluntariè suscipit munus ad quod ex justitia non tenetur, perinde debet illud administrare, sicut ille qui tenetur ad officium ex justitia vel propter stipendium. Sic etiam qui gratis suscipit munus judicis, debet perinde justitiam ministrare, sicut judex ordinarius. 2° Si tamen confessarii silentium ob circumstantias æquivaleat positivo consilio, v. g., si pœnitens interrogaret specialiter de obligatione restitutionis, ac per modum interrogantis diceret se utique non obligatum esse ad restitutionem, ac confessarius ex culpa vel ignorantia crassa sileret, probabiliter confessarius teneretur ad restitutionem ; quia taciturnitas in hoc casu foret instar positivi responsi. Ita sentit Dicastillo D. 10, de Pœnit., n. 324. 3° Quod autem P. Moya, tr. 3, D. 7, q. 4, asserit, silentium confessarii apud indoctos semper æquivalere positivo consilio, cùm indocti omnes æquè liberos se agnoscant à restitutione, sive confessarius positivè dicat eos non teneri, sive taceat, hoc mihi non probatur; quia possunt indocti credere quòd ex oblivione confessarius fortè non monuerit, et sæpissimè, dùm indocti nullum habent scrupulum de obligatione restitutionis, nihil etiam cogitant de judicio confessarii circa restitutionem.

326. Dub. 3° an famuli teneantur ad restitutionem, quando non impediunt damna quæ vel à domesticis vel ab aliis inferuntur domino ?

*R.* Si non impediant, quando cavere debent ex officio, tenentur ad restitutionem ; secùs verò non tenentur. Ita 1° præfectus cellæ, granarii, penûs, horti vel culinæ, tenetur ex officio justitiæ, vel sub obligatione restitutionis, cavere ne quis damnum inferat in cella, granario, penu, etc., vel furetur res suæ curæ specialiter concreditas. 2° Eâdem obligatione stringitur famulus cui dominus tradit clavem, ut afferat aliquid ex loco clauso, cubiculo, cista, armario vel cella ; nam hoc ipso quòd dominus tradat clavim, tacitè censetur ipsi committere custodiam loci. 3° Idem onus habet præfectus supremus, cui totius domûs cura incumbit, hic enim ex justitia vigilare tenetur ad clepaces domesticorum aut aliorum manus. 4° Probabiliter omnes famuli tenentur etiam ex justitia defendere dominum adversùs exterorum injurias, furta vel damna, saltem si possint absque notabili vel proportionato suo detrimento ; cùm iis hoc ipso quòd in familiam asciscantur, demandari videatur à domino cura adversùm ex-

tranеos. Ita Sotus, Navarra, Less. Laymann et C. de Lugo, Sporer, contra Molin. Azor et Bonac., quorum doctrinam Dicastillo putat non esse improbabilem. 5° Si famulus egredientem dominum comitetur, et in via videat furem insidiari crumenæ domini, tenetur ex justitia obsistere, quia est custos domini. 6° Quando famulus videt furtum à domestico committi, cujus ipse præfectus non est, et in rebus curæ suæ specialiter non concreditis, probabiliùs ex justitia non tenetur obsistere; cùm vix ullus doctorum obligationem agnoscat, et famulitium aliàs redderetur nimis difficile vel exosum. Hanc auctoris sententiam nonnulli sunt qui explodant, interque recentiores scriptores non plurimi valet, siquidem in facto et in principio infirmissima est quâ ratiocinatur causa. Difficile et exosum famulitium in facto non redderet; facilè enim furantis etiam sibi præfecti agendi modum patefacere quisque potest, nec absque memori animo herus studium famuli cognoscet; in facto etiam benè est si quis famulus opportunâ delatione à se suspicionis labem et consequentias arcere potuerit, quæ furto commisso, semper in inopes et humiles convertuntur. Quod autem ex odii timore arguitur, et falsum est, siquidem plùs valeret heri amicitia quàm noceret præpositi invidia, et etiam iniquum principium statueret, scilicet metûs causâ licere ab officiis suis deterreri. Adde quòd præsumi debet in hoc casu voluntas domini, se scilicet furto non spoliari, quam voluntatem ut adjuvet, famulus peculium accipit, quæ etiam voluntas certè est ut à suis moneatur in illo casu. Cuique etiam notum est alia esse famuli, alia extranei officia; strictiora esse famuli, curam vigilantiorem imponi, quasi rerum dominicarum custodi et servatori, per tacitam conventionem quæ ex utriusque contrahentis officiis exprimitur; nec tamen, nostro tempore, omninò ab exprobratione liber foret etiam extraneus qui immotis ore et manu furtum conspiceret; à fortiori ergò famulus. Ità Haber, Collet, Billuart sentiunt; quibus accedunt Bouvier, Logerot et complures; id tantùm addentes, scilicet excusari posse famuli silentium, si omni re perpensâ, non sine ineluctabili periculo posset furantem insimulare *. 7° Si tamen domesticus, noctu meditans fugam, multa surriperet, probabiliter alius famulus, etsi non ejus præfectus sit, nec gerat specialem rerum curam, ex officio deberet impedire; quia domesticus ille jam moraliter esset velut extraneus. Vide C. de Lugo, D. 19, num. 106.

327. Dub. 4° an paterfamiliàs teneatur compensare damna quæ per ejus negligentiam gravem aut culpam latam intulerunt domestici?

*R.* S. damnum dederunt uxor vel liberi, tenetur; quia ex officio debet istis invigilare ne graviter aliis noceant, cùm uxor et liberi censeantur una quasi persona cum patrefamiliàs, et iste debeat in omnibus eorum curam gerere. 2° Idem juris est si damnum per ejus negligentiam gravem dederunt animalia vel servi propriè dicti; quod patet tum ex iis quæ dicta sunt ad leges noxales q. 5, tum ex sensu communi, tum etiam ex eo quia servi et animalia conceduntur dominis cum pacto cavendi ne per servos aut animalia damnum creetur aliis; et humano generi malè foret consultum, si domini non deberent etiam ante sententiam judicis resarcire damna quæ per eorum gravem socordiam intulerunt servi vel animalia. 3° Si damnum dederunt famuli vel ancillæ liberæ, quibus proprium peculium competit, satìs est quòd læsi convenire possint famulos aut ancillas, et heri non videntur ex justitia obligari ut caveant omnia damna quæ per malitiam aut socordiam inferri possunt à famulis et ancillis. Excipe tamen, nisi famuli vel ancillæ delinquant in officiis quæ specialiter herus ipsis demandat. Ita Rebell. l. 2 de Rest. q. 14, n. 61, quem sequitur Dicastillo, D. 4, de Rest. n. 138.

328. Dub. 5° an ministri publici, qui tenentur alios ex officio defendere, teneantur etiam cum periculo vitæ?

*R.* cum Molina, tom. 3, D. 723, et C. de Lugo, D. 10, n. 217, non posse certam et universalem regulam tradi, sed exactè simul librandam necessitatem reipublicæ, quantitatem periculi vel damni quod utrinque tum reipublicæ, vel innocentibus, tum etiam ministris publicis imminet, stipendium et finem ministrorum, ac denique spem avertendi damni. Et hinc 1° satellites non tenentur cum tanto periculo quærere maleficum privatum, qui non admodum nocet reipublicæ, cum quanto tenentur quærere publicum grassatorem. 2° Famuli qui præcipuè suscipiuntur ad comitandum dominum, cum minori periculo tenentur quàm satellites principis. 3° Gubernator civitatis, qui magìs est minister ad pacem quàm ad bellum, non tenetur se tantis periculis objicere sicut miles.

329. Dub. 6° an custodes saltuum, vinearum, lacuum, etc., teneantur resarcire damna quæ propter eorum dissimulationem sunt exorta?

*R.* cum communi *affirm.*, siquidem domini graviter ferant eorum dissimulationem. Unde si pauperes ex urgenti necessitate ligna moderatè cædant, præsertim ex locis communibus, possunt custodes tutò dissimulare; quia suadet hoc lex caritatis, præsumpta voluntas dominorum et consuetudo. 2° Quando venantes aut cædentes ligna sunt consanguinei ipsius domini, sic, ut censeant illum neutiquam invitum, iterum tutò dissimulant. 3° Sæpiùs etiam excusantur custodes, quando vel consuetudine vel patientiâ principis, scientis ac dissimulantis, receptum est ut non tam severè munus suum exequantur.

330. Dub. 7° an custodes saltuum, vinearum, etc., teneantur etiam ad restitutionem mulctarum, quas aliàs certò solvissent ii quos manifestare neglexerunt.

*R.* cum S. Bernardino, Navarro, Silvestro quos citat et sequitur Lessius, c. 13, n. 73, item cum C. de Lugo, D. 37, n. 102, et Dicastillo, D. 4, n. 165, contra Navarram, Salon. et Sotum, *negativè*. 1° Quia praxis contraria passim est, et domini vel non agnoscunt in custodibus hoc onus, vel communi consensu restitutionem ipsis remittunt. 2° Custodes communiter non videntur constituti ut ex justitia rem-

publicam, fiscum aut dominos manifestatione delinquentium locupletent, sed tantùm ut impediant damna quæ fierent aliàs in silvis, agris, vineis et lacubus. Unde satis est eos obligari per justitiam ad sarcienda damna notabilia quæ per ipsorum socordiam in silvis, vineis, etc., contingunt; ad manifestandos verò delinquentes, si non impendeat aliud damnum in silvis, vineis, etc., videntur ex fidelitate solùm vel ex juramento ligari, proùt in simili dictum est, n. 243, de promotoribus minùs dignis. 3° Si custodes ipsi delinquerent, utique non tenerentur ex justitiâ suâ sponte solvere mulctam quæ delinquentibus est præfixa: ergo nec tenentur eam dependere si delinquant alii, et eos ipsi non manifestent; dum enim dissimulant aliorum damna, fiunt moraliter auctores damnorum. 4° Ut plurimùm nimius foret rigor, et obligatio custodum excederet longè tenuitatem salarii, si cogerentur in conscientia solvere mulctas quas alii qui sunt in delicto deprehensi solvissent, et quorum delicta dissimulârunt. Cæterùm assertio hæc est vera, sive gratis, sive accepto pretio dissimulent. An verò pretium hoc debeant restituere, pertinet ad materiam de turpi lucro.

331. Dub. 8° an custodes saltuum, vinearum, etc., peccent contra justitiam aut caritatem, si datâ operâ se abscondunt, ut liberiùs postea delinquentes ex insidiis captent ac ab eis pœnas exigant?

*R.* Certum est quòd non peccent contra justitiam; quia nullo justitiæ præcepto tenentur consulere bono delinquentium aut à pœnis eos indemnes servare. 2° Probabiliùs etiam non peccant contra charitatem; quia fas est permittere materiam minoris mali ad cavendum majus et frequentius malum; quippe si sciatur custodes sæpiùs latere, rariùs delicta committuntur, et delinquentes absterrentur metu, ne fors à latentibus intercipiantur. Atque ita docent Navarrus, Navarra, Corduba, Rodriq. Molina, quos sequitur Dicastillo suprà, n. 176, contra Medinam, Azor et alios. Taceo quòd aliquando possimus aliena peccata permittere, utendo illis in proprium commodum. 3° Si tamen custodes hac occultatione directè vel per se intenderent peccatum et damnum proximi, verissima foret contraria sententia.

332. Dub. 9° an præfecti gabellarum teneantur ad restitutionem, quando non exigunt gabellas?

*R.* Præfecti gabellarum tenentur quidem ad compensanda damna quæ per eorum gravem negligentiam respublica vel princeps patitur ex defraudatione gabellarum, ad mulctas tamen defraudantium minimè tenentur; nam, ut bene Lessius, officium illorum est, non mulctas procurare, sed vectigalia recipere; neque leges pœnales sunt factæ ut respublica ex pœnis locupletetur, sed ut leges serventur et subditi officium præstent. 2° Quamvis, juxta communiorem, gabellæ solvi debeant in conscientia, non tamen gabellarii damnandi sunt, quando subinde benigniùs agunt, præcipuè cum pauperibus, vel etiam iis qui gabellas aliàs diligenter solvunt; nam, ut sapientissimè C. de Lugo, D. 36, n. 41, principes ordinariè majorem summam exigunt quàm quæ sufficiat ad publicas necessitates; quia sciunt gabellas et tributa non integrè solvi. 3° Imo, quod alibi fusiùs dicam, etiamsi fideles maximè sint hortandi ut tributa diligenter solvant, si tamen subinde aliquantum defraudent, non obligandi videntur ad restitutionem; quia communissima praxis id habet, principes connivent, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi quique dubitant an omnia prorsus sint justa; imò veteres aliqui satis asperè loquuntur.

333. Dub. 10° quid dicendum de apparitoribus qui noctu, v. g., deprehendunt gestantes arma prohibita, quæ per statutum applicanda sunt fisco?

*R.* cum C. de Lugo, D. 37, n. 99, videri satis probabile quòd non teneantur ad restitutionem, etiamsi non auferant arma, vel ablata statim iterum reddant ex benevolentia, vel etiam pro liberali munere; quia sic habet communissima praxis, et nimis rigida foret obligatio contraria, quam respublica vel princeps non censetur imponere. 2° Si deprehensus allegaret causam valde rationabilem, apparitor absolutè non teneretur arma auferre, vel posset ablata statim in continenti reddere, nec teneretur ad restitutionem: ergo etiam, si nonnunquam id faciat intuitu specialis benevolentiæ. Nam principes ordinariè plus non exigunt; imò potiùs expetit ad reipublicæ bonum ut arma subin auferantur tantùm ad terrorem, et postea reddantur. 3° Arma sic ablata non videntur absolutè debita fisco, nisi postquam ei sunt tradita, vel apparitor illa jamdiu habuit.

334. Dub. 11° an reus qui, legitimè rogatus in judicio, sine justâ causâ negavit delictum, debeat restituere pœnam pecuniariam ad quam aliàs certò fuisset damnatus?

*R.* Ita quidem affirmat Molina, tom. 1, D. 95, sub finem; sed rectiùs negant Navarrus, Salas, Vasq. Th. Sanch. et alii quos sequitur C. de Lugo, D. 37, n. 101. *Ratio* 1ª. Pœna communiter non debetur ante sententiam judicis, et fiscus aut actor non habet jus ad pecuniam, nisi mediâ sententiâ judicis. 2ª. Sicut reus non tenetur ante sententiam judicis subire pœnas corporales, esto per fraudes et mendacia evaserit sententiam judicis, ita nec ante sententiam judicis exequi debet pœnas pecuniarias. 3ª. Aliàs mercator qui contrà legem in provinciam induxisset merces prohibitas, constantes, v. g., ter centum millibus florenorum, et in viâ decepisset gabellarios aut etiam præfectos legitimè rogantes, teneretur ultrò tradere merces quæ fuissent aliàs confiscatæ; beneficiarius in judicio negans delictum, propter quod certò fuisset dejectus officio, teneretur ultrò se abdicare beneficio; ludentes ludo prohibito, si fors à prætore deprehensi et legitimè rogati, eluderent prætorem mendaciis, deberent sponte suâ reddere totam pecuniam quam post sententiam judicis coacti fuissent solvere; sed hæc omnia nimis sunt aspera, repugnant communissimæ praxi, neque desiderari videntur à legislatoribus, et nullus ferè confessariorum est qui scrupulum idcircò moveat. Excipi tamen possunt quasi pœnæ quæ

per leges noxales debentur, non ad ultionem delicti, sed ad compensationem alieni damni, ubi communiùs auctores agnoscunt non posse dominum animalis aut servi fraudibus uti vel mendaciis, ut læso non sarciatur damnum, saltem post sententiam judicis.

335. Dub. 12°: Quid verò si pœna pecuniaria incurratur ipso facto, v. g., si statuta sit bonorum omnium confiscatio propter delictum hæresis, in partibus ubi crimen hoc non toleratur, vel propter incestas nuptias, ipso facto incurrenda?

*R.* Quamvis Panorm. Castro, Covarruv., et alii velint has pœnas deberi ante sententiam etiam declaratoriam judicis, meliùs tamen id negat Molina, tr. 1, D. 95; quia lex obligans in conscientiâ ante sententiam omnem judicis ad actum adeò difficilem et spontaneam privationem omnium bonorum, esset intolerabilis, et imbecillitati hominum non satis accommodata; et usus, qui optimus est legum omnium interpres, videtur ubique contrarius. 2°. Si tamen delinquens, in judicio legitimè rogatus, crimen negaret, putant Sotus et Molina, suprà, delinquentem in conscientiâ non fore tutum, nisi traderet omnia bona sua fisco : sed C. de Lugo, D. 37, n. 110, videtur contrarius. 3° Quòd si minores essent pœnæ pecuniariæ, dubium non est quin lex ecclesiastica vel civilis, ante sententiam judicis, ex aliquo facto compellere possit ad pœnas. Hujusmodi pœna videtur quâ beneficiarii privantur parte reddituum, ob neglectum breviarium.

336. Dub. 13° an judex qui sine sufficienti vel legitimâ causâ relaxat pœnas pecuniarias, à legibus præscriptas, teneatur ad restitutionem?

*R.* Quamvis affirmativa quam tuentur Suar. l. 5, de Leg., c. 11, n. 6, Silvest. Angel. Laym. Rebell. Molina, P. Navarra, Medina, Salon. Aragon. Bannez, et Thomistæ communiter cum S. Th. sit valdè probabilis, oppositam tamen etiam benè defendunt Less. c. 13, n. 73, Joan. Salas, D. 15, de Leg. n. 105, C. de Lugo, D. 37, n. 97, Th. Sanch. Vasq. Diana, Sporer et alii. *Ratio;* quia communis est hic stylus, et nullus est judex qui restituat ejusmodi pœnas, aut propterea syndicetur; neque sufficienter probari videtur ab AA. tam gravis obligatio. 2° Fiscus et alii quibus deberent applicari pœnæ, non videntur habere jus ad pœnam, nisi purè conditionatum, nempe si rei fuerint condemnati. 3° Licèt judex ex officio teneatur ad observantiam legum, tamen hæc obligatio non oritur ex jure quod habet fiscus aut læsi, sed tantùm ex debito quo stringitur erga rempublicam, ut scilicet subditi magis absterreantur à delictis. Undè si fortè propter nimiam conniventiam invalescerent scelera, teneretur quidem judex ad restitutionem reipublicæ, non tamen fisco vel iis qui per delicta sunt læsi. Atque hæc sententia mihi quoque probabilior apparet, si pœna juxta leges erat applicanda fisco, pauperibus aut ministris justitiæ. Si verò sit applicanda læsis et actoribus, qui directè secundùm leges petunt condemnationem malefactoris ad pœnam, opposita doctrina, sicut est communior, ita fors verisimilior est. Illud benè probatur à Th. Sanch. l. 1 Cons. c. 5, dubio 2, judicibus incumbere gravem obligationem, ut quando custodes, satellites et ministri justitiæ modo legitimo denuntiant aut probant grave damnum esse creatum, moneant læsos ut postulent sibi fieri satis.

337. Dub. 14° an testis teneatur ad restitutionem, quando non manifestat in judicio?

*R.* Si testis nondum est citatus et declinat judicium, non peccat contra justitiam : quamvis sæpiùs agat contra caritatem, ut si facillimè testimonio suo liberare posset innocentem. 2° Si verò sit legitimè vocatus ad testandum, et per fugam aut fraudes declinet judicium, juxta communiorem peccat contra justitiam. Sed Molina, t. 1, D. 83, et t. 3, D. 700, et C. de Lugo, D. 39, n. 5, sunt contrarii; quia vocatus ad testandum non tenetur aliundè quàm ex præcepto judicis : atqui non satis apparet quòd judex imponit hìc subdito præceptum justitiæ potiùs quàm obedientiæ. Sic etiam si quis, jussus à magistratu capessere tutelam, nollet obedire, vel falsis prætextibus se excusaret, non esset injurius in magistratum aut pupillum, sed tantùm inobediens, pertinax aut parùm pius : et universim nemo videtur ex justitia teneri ad functiones alicujus officii, nisi vel expressè vel tacitè officium acceptet. Secus tamen est dicendum, si jussus proferre scripturam ad judicium, eam laceraret aut occultaret : tunc enim peccaret contra justitiam; quia scriptura est res externa : de rebus autem externis respublica potest disponere propter publicam necessitatem, et actoribus in illas jus concedere, sicut ex communi fit in hoc casu. 3° Multò minùs peccat testis contra justitiam, quando tantùm formidat se citatum iri, et dolosè judicium subterfugit; quia nemo tenetur præcepto judicis, priusquam ei imponatur : sicut etiam inferior, vitans conspectum superioris, ne mandatum accipiat, peccat quidem utens hoc artificio, non tamen agit contra mandatum superioris. 4° Si tamen testis ultrò se offerat, vel acceptet officium testis, tenetur ex justitia dicere veritatem, ac proin restituere debet iis quos injusto silentio vel testimonio falso læsit. Ad restituendam verò pœnam pecuniariam quam reus solvisset fisco, non tenetur, *ut patet ex suprà dictis.* 5° Obligatur etiam ad restitutionem, quando, veritatem celans, est causa cur is in cujus favorem tenetur dicere, non adhibeat alios et sinceriores testes. 6° Si testis in judicio bona fide testificatus est falsum, in grave præjudicium tertii, tenetur ex justitia retractare dicta, juxta n. 295.

338. Dub. 15° quando teneatur ad restitutionem advocatus?

*R.* Si per ejus negligentiam aut imperitiam cliens justâ causâ excidit, tenetur de damno quod clienti obvenit. 2° Si tuetur causam manifestè iniquam, tenetur ad compensationem omnium damnorum quæ parti alteri victæ obveniunt. Clienti verò causâ cadenti tenetur, si bona fide procedentem non monuit de injustitia. 3° Simili ratione tenetur, si persuadeat transactionem in causa manifestè iniqua; nam transactio tantùm habet locum in causa dubia. 4° Si fraudibus

clientem defendat, probabiliter non tenetur compensare emolumentum quod fisco per damnationem obvenisset. 5° Circa advocatum fisci major est dubitatio. Multi cum Salonio concedunt, eum obligari ad resarcienda damna quæ per ejus negligentiam aut silentium obveniunt fisco. Sed Less. c. 31, n. 51, et C. de Lugo, D. 37, n. 112, Salas et Bannez, tuentur oppositum; quia fiscalis primariò videtur institutus tantùm ad accusanda delicta, ne fiant, sicut custodes qui denuntiare debent delicta, quamvis hoc secundariò conducat ad bonum fisci.

## QUÆSTIO XXII.

### AN OMNES ET SINGULI COOPERANTES TENEANTUR AD RESTITUTIONEM IN SOLIDUM?

339. Sciendum 1° cooperantes ad injustum damnum non semper æquali modo concurrere. Quidam principaliter influunt, ut *mandans*, qui meritò dux criminis appellatur, et in genere moris est principalissima causa; et *executor*, qui, quamvis moraliter determinetur à mandante, tamen in genere physico censetur causa principalis, quia seipsum immediatè, liberè et physicè determinat ad injustum damnum. Alii cooperantes secundariò tantùm aut minùs principaliter influunt, ut consiliarius, adulator, mutus, non obstans.

340. *Sciendum* 2° per accidens contingere sæpiùs ut causa quæ foret aliàs secundaria, sit causa principalis aut unica cui possit ascribi damnum injustum; v. g., si consiliarii pessimi principem permoveant ad iniquam sententiam, injustum bellum et nimias exactiones, ubi sæpissimè princeps est excusatus quia bona fide procedit, et nequitiam in consiliariis non advertit.

341. *Sciendum* 3° non esse quæstionem an omnes cooperantes teneantur in solidum absolutè, sive num omnes et singuli debeant absolutè compensare totum damnum; quia sic læso deberet sæpiùs restitui decuplo vel centuplo plus quàm æstimetur totum ejus damnum; sed, an omnes teneantur in solidum, vel absolutè, vel saltem conditionatè, hoc est, si cæteri cooperantes non restituant.

342. *Dico* 1°: Quilibet ex cooperantibus qui concurrit efficaciter, ita ut moraliter ei possit ascribi totum damnum, tenetur ad restitutionem in solidum, vel absolutè, vel saltem conditionatè, hoc est, si cæteri non restituant.

Ut assertio, cujus notitia summopere requiritur in praxi quotidiana, rite penetretur, adverto tria concurrere debere, quibus positis, cooperans vel absolutè vel conditionatè teneatur ad restitutionem totius damni. 1° Ut cooperans influat physicè vel moraliter in totum damnum; nam si tantùm influit in partem damni, manifestum est eum obligari solùm ad restitutionem partis. Ita si plures, non communicato consilio vel operâ, spoliant mercatorem, quilibet restituere tantùm debet partem in qua mercatorem læsit. 2° Ut influat efficaciter; si quis enim consilio suo non persuadeat et permoveat alterum ad inferendum damnum, et alter inferat damnum ob alias causas, iterùm est certum consulentem ad nihil obligari; quia restitutionis obligatio non tam provenit ex injusto consilio vel actione quàm ex damno per consilium aut actionem injustam efficaciter dato. 3° Ut influat efficaciter, non quomodocumque, sed ita ut totum damnum ei moraliter ascribi possit: hoc autem bifariam contingere potest. Unus modus est, si cooperans ponit actionem injustam quæ per se sufficit, et actu determinat ad totum damnum: v. g. si duo cooperantur ad injustam cædem, et singuli lethaliter vulnerant; in hoc enim casu quilibet est causa verè totalis, cui totum damnum, non tantùm totalitate effectûs, sed etiam totalitate causæ, potest ascribi. Alter modus est, si cooperans actione sua non quidem sufficit ad inferendum totum damnum sine aliis concausis, tamen, subtracto suo influxu, potest impedire totum damnum; vel si ita influit, ut, eo non influente, vel non superveniente simili causa, non poneretur damnum. Hoc modo communiter influit mandans: quamvis enim solum mandatum absque concursu executoris non sufficeret ad damnum, tamen, remoto mandante, vel non succedente simili causa, non poneretur damnum. Sic influit sæpissimè consiliarius aut suffragator qui, subtracto suo consilio vel suffragio, totum damnum impediret.

Assertio sic declarata *prob.* 1° ex consensu communi TT. omnium, à quo non licet in re tanti momenti discedere. 2° Nisi vera sit hæc assertio, non erit ulla ratio quare consiliarius, suffragator, mandans aut executor sæpissimè teneatur ad restitutionem in solidum. 3° Etiam in tribunalibus passim observatur mos ut, cùm duo vel plures eamdem trabem aut quamlibet rem ponderosam furto asportaverint, quam quilibet solus ferre non posset, unusquisque teneatur in totum actione furti, juxta *L. ita vulneratus* 51, § *fin. ff. ad L. Aquil. et L. si plures* 6, *ff. arborum furtim cæsarum, et L. vulgaris* 21, § *si duo, ff. de furtis.* Leges autem istæ, dum concedunt actionem furti in totum, ex communi DD. interpretatione non statuunt novam pœnam, sed præcisè declarant quid de jure naturali competat læsis per furtum. 4° In hoc casu cooperans est causa verè totalis non tantùm totalitate effectûs, sed etiam causæ; licèt enim cooperans actione sua non sufficiat ad totum damnum sine cæteris causis ponendum, ita tamen influi ut, subtracto influxu et non succedente causa simili, totum damnum fuisset omissum: at causa sic influens, in æstimatione morali censetur causa totalis, cui justissimè totum damnum adscribitur, ac læsus meritò conqueri potest de tali cooperante, tanquam de causa totali, cùm solus potuerit ac debuerit totum damnum impedire. Dein, cùm cæteræ causæ sine tali cooperatione non sufficiant, damnum totum stat penes ejus arbitrium. igitur, si faciat efficaciter ut potiùs existat quàm non existat damnum, potest ei damnum imputari, quia solus illud dedisset.

343. *Dico* 2°: Si tamen cooperans influit quidem aliquo modo efficaciter ad totum damnum, ita tamen ut influxus ipsius non sufficiat ad totum damnum, nec etiam, influxu cohibito, vel non succedente alia simili

causa, damnum omitteretur, probabiliter cooperans non tenetur ad restitutionem totius damni, sed tantùm ad aliquam partem, juxta proportionem sui influxûs. Ita contra Molinam, D. 736; Cajet. q. 62, a. 7; Sotum, q. 7, a. 3; Less. c. 13, n. 3; Rebell. Medin. Covarruv. Vasq. Navarrum, Dicastill. Tannerum et alios doctissimos RR. sentire videntur S. Th. in 4, d. 15, q. 1, a. 5 ad 3; S. Anton. Palud. Richard. Angel. Gabriel, Adrian. Silvester, Navarrus, quos citat C. de Lugo, D. 19, n. 2, et sequitur n. 82. Item Tambur. l. 8, tr. 4, c. 2, § 8, n. 5; Patrit. Sporer, tr. 5, c. 3, n. 66, et novissimè Joan. Gormaz, Theol. Rom. Ratio prima. Aliàs fatendum foret quòd, si totus exercitus junctis viribus inferret urbi gravissimum et injustissimum damnum, quilibet ex gregariis militibus de rigore juris teneretur ad restitutionem totius damni; nam quilibet efficaciter influit in totum damnum, et cæteri milites animantur ex consortio, nec ullus auderet inferre damnum, nisi videret se tot sociis stipatum : sequela verò, licèt admittatur à Molina, Dicast. Rebell. Laym. et aliis, est tamen nimis rigida, quam antiquiores communiter non agnoverunt; et Navarrus, c. 17, n. 20, testatur se contrarium resolvisse cùm anno 1527 Roma diriperetur à militibus Borbonii, nec ullum resolutioni suæ fuisse contrarium. Secunda. Sequeretur quòd, si furi qui propter efficacissima motiva jam est obfirmatissimus ad furandum, suggererem novum motivum quod seorsim acceptum contemneretur aut cum risu rejiceretur, hìc tamen et nunc adderet aliquem, sed debilissimum stimulum, deberem dein, deficientibus cæteris concausis, resarcire totum et integrum damnum : hoc iterum est nimis rigidum, ac plurimi hac doctrina redigerentur ad desperationem. Tertia. Idem semper esset dicendum, si consilio tuo tantùm promovisses alterum ut aliquantulo citiùs aut alacriùs intulisset damnum; cùm tamen, ut advertit Laymannus, læsi parùm intersit an primâ vel secundâ diei horâ creetur damnum, quod aliàs absque dubio perficiendum erat. Quarta. Videtur contra praxin, ut restitutio tota, cùm deficiunt aliæ concausæ, petatur ab ejusmodi cooperante qui tenuissimè tantùm influxit, et non potuit impedire totum damnum. Quinta. Mensura restitutionis potissimùm est injusta causalitas et efficax influxus in damnum : ergo, si cooperans tam debiliter influxit in damnum ut in æstimatione morali vix censeatur influxisse, quamvis aliquali modo influxerit, non est cogendus ad integram restitutionem, et eo pacto quasi fortissimè influxisset.

344. *Dico* 3° : Si causa principalis per se sufficit, et est paratissima jam ad injustum damnum, et accedit causa minùs principalis : e. g., consulens, palpo, consentiens, probabiliùs ista non tenetur ad restitutionem, quando non apparet ex effectu vel circumstantiis quòd causa magis principalis propter hunc concursum alacriùs, animosiùs, citiùs, atrociùs aut graviùs nocuerit quàm aliàs nocuisset. Ita Vasq. Molina, Rebell. Azor, Less. Navarra, Bannez, quos citat et sequitur Dicastillo, D. 4, n. 11. Ratio prima est auctoritas S. Th. q. 62, a. 7 c. : *Tunc solum tenetur consiliator aut palpo, id est, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta;* sed in hoc casu posito, probabiliter æstimari non potest quòd ex consilio, suffragio, etc., causæ minùs principalis injusta acceptio fuerit subsecuta; sicut enim, quando concurrunt efficaciter duæ causæ physicæ, semper in effectu vel modo productionis apparet quædam diversitas ac quando tantùm est unica causa; sic etiam ordinariè, quando concurrunt efficaciter plures causæ morales. Secunda. Juxta sententiam communem, quando quis injustè suffragatur inter ultimos, non tenetur ad restitutionem si præcesserunt suffragia, quorum numerus sufficit ad injustum damnum, ut ex communi sententia n. 302 est dictum. Tertia. Qui scalam, à fure jam applicatam, tenet, ne fur labatur, ad nullam tenetur restitutionem, quando fur per eam ascendens inde non magis movetur aut firmatur ad furandum, et æquali cum alacritate properaret ad furtum, uti cum Soto, Molina, Laymann, docet Dicastillo suprà n. 26. Simili de causa, quod est exemplum Laym. c. 5, de Rest. n. 5, non tenetur ancilla quæ, cùm domina redit à furto, ejusdem jussu simul asportat rem furtivam quam aliàs sola domina portaret. Quarta. Ut vult Dicastillo n. 27, qui tantùm excubat dum alii furantur, ut, si opus sit, eos admoneat, non tenetur ad restitutionem, si fures eodem modo, æquè libenter et alacriter essent furaturi sine hoc vel alio vigili. Quinta. Huc etiam spectat § *ope, Instit. de obligat. quæ ex delicto*, ubi sancitur, consultorem actione furti non teneri, nisi præstiterit simul opem; quod intellige, nisi causa fuerit sine qua non, vel nisi moverit ad alacriùs, expeditiùs aut graviùs furandum.

*Objectiones.*

345. *Obj.* 1° *contra primam conclus. L. ita vulneratus* 51, § *fin. ff. ad L. Aquil. L. si plures* 6, *arborum furtim cæsarum, et L. vulgaris* 21, § *si duo, ff. de furtis*, statuitur ut, si duo vel plures eamdem trabem, tignum aut aliam rem ponderosam asportaverint furtivè, et si nullus eorum potuit rem asportare solus, omnes teneantur actione furti in solidum : igitur à contrario, si quilibet eorum asportare potuit solus, non omnes tenentur actione furti in solidum.

*R. N. C.* Leges allatæ tantùm explicuerunt id quod erat certum et clarum, non tamen negârunt, neque negare potuerunt alterum.

346. *Obj.* 2° *contra secundam conclus.* : Si fur ex se sit determinatissimus ad furandum Caio centum, Titius autem accedat et furi suadeat ut surripiat bis centum, certè Titius in conscientia debet restituere bis centum : ergo causa minùs principalis tenetur ad restitutionem totius damni, quamvis non ita concurrat ut, influxu suo cohibito, possit impedire totum damnum, nec etiam ponat actionem quæ per se sufficiat et actu determinet ad totum damnum. *Ant.* probat Molina, t. 4, D. 736, quia post consilium fur eadem indivisibili volitione movetur in bis centum; nec est ulla ratio cur dicatur fur ob consilium moveri potiùs in

hos quàm illos centum. 2° Pone bis centum in eodem marsupio concludi, certè fur qui per consilium movetur ad surripiendos hos centum, etiam movetur ad surripiendos alios centum, quia movetur ad sublegendum totum marsupium. 3° Si fur erat ex se determinatus ad furandum vas pretiosum constans centum florenis, tu verò consilio permovcas ad furandum vas constans bis centum florenis, certè tibi potest ascribi moraliter damnum totius vasis.

*R.* Quamvis ista valde probabilem reddant contrariam sententiam, tamen non cogunt deserere sententiam communem veterum, è quibus S. Th. in 4, D. 15, q. 1, a. 5 ad 3: *In aliis autem causis enumeratis*, inquit, *non tenetur quis ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit quòd suum consilium fuit efficax, et quòd alias injusta ablatio commissa non fuisset;* et S. Antonin. p. 2, c. 1, tit. 12, § 12: *Si sine consilio vel mandato fuisset nihilominus facta rapina vel damnificatio, et nihil amplius per illud est additum, non tenentur, nisi quantum ad eos de rapina pervenit. Si verò aliquid amplius ex mandato vel consilio factum est, ad illud amplius tenentur in solidum.* Idem in hoc casu sentiunt expressè Covarruv. Medin. P. Navarr. Rebell. Aragon. Salon. Azor, Reginald. Sair. quos sequitur Dicast. D. 4, de Rest. n. 73, et Laym. c. 5, de Rest. n. 5. *Ratio:* quia si in hoc casu fur est obfirmatissimus ad surripiendos Caio centum aureos, et actio damnosa seu furtiva centum aureorum sufficientissimè jam est determinata in sua causa, ac certissimò secutura; Titius in æstimatione morali non censetur efficaciter determinare furem ad speciem, sed ad summum determinat ad aliam volitionem aut actionem qua feratur indivisibiliter ad bis centum: hoc autem nihil facit ad substantiam damni quoad priores centum aureos. Sic etiam, si fur esset paratissimus ad surripiendum equum, et Titius suaderet ut simul etiam accipiat ephippium aut phaleras, non imputaretur ipsi moraliter ablatio equi quoad substantiam, sed tantùm quoad circumstantias et ornatum.

347. *Obj.* 3°: Si Titius in priori casu movet efficaciter ad aliam volitionem aut actionem qua fur indivisibiliter tendit ad bis centum, Titio debet ascribi furtum aureorum bis centum.

*R. D.* Debet ascribi secundùm æstimationem physicam et quoad individuum actionis aut volitionis, *C.;* secundùm æstimationem moralem et quoad speciem actionis aut volitionis, *subd.* Proùt actio vel volitio fertur in excessum, *C.;* proùt præcisè fertur in centum aureos, *N.* Si fur esset firmatissimus ad surripiendos Caio centum aureos vel ex marsupio A, vel ex marsupio B., et ego determinarem eum ut potiùs surriperet ex marsupio B, non essem moraliter efficax causa gravis damni. 2° Si Cneius esset paratissimus ad necandum Sempronium in loco patulo, et ego determinarem eum ut potiùs in occulto occidat, ubi minus est scandali, non essem moraliter efficax causa cædis injustæ. 3° Si rogo maleficum ut iniquum propositum potiùs exequatur cras quàm hodie, determino quidem illum ad aliam individuam actionem quæ damnificat, non tamen teneor ad restitutionem; nam, ut bene Lessius, c. 13, n. 9, et Laym. c. 5, de rest. n. 5, parum refert ad damni substantiam utrùm ceteriùs fiat an tardiùs, hàc an illà actione individuâ, hoc an illo instrumento.

348. *Obj.* 4° Qui volentem furari consilio suo movet ut citiùs, alacriùs et animosiùs furetur, tenetur ad restitutionem in solidum, ex communi RR. doctrina: ergo etiam qui volentem furari centum movet ut furetur bis centum, restituere tenetur omnes bis centum.

*R.* Quidquid sit de RR. doctrina, tamen antiqui, quod fatentur ingenuè Lessius et Molina, sunt contrarii; neque satìs apparet quare consultor in eo casu sit in solidum obligandus, cùm ad substantiam aut speciem actionis non determinet, sed tantùm ad individuum aut circumstantias, quæ parum aut nihil faciunt in æstimatione morali. Taceo quòd plerique RR., quando venitur ad casus particulares in hac materia, videantur sibi contradicere, quod ostenderem facilè si luberet ejusmodi contentionibus immorari. Fateor tamen, si moraliter superfuit aliqua spes inhibendi, consultorem qui movit ut citiùs, alacriùs et animosiùs fieret damnum, teneri saltem ad restitutionem quanti valebat illa spes.

349. *Obj.* 5° Antiquorum auctoritas probat nimiùm, et, si vera sententia S. Th. et S. Antonini, sequeretur excusatum à restitutione, qui concurrit quidem ad injustam actionem, ita tamen ut, ipso non concurrente, concurrisset alius, aut, ipso deficiente, damnum tamen esset secutum: sed hoc fusè rejectum est n. 261. Præterea S. Th. etsi videatur nobis favere loco superiùs adducto n. 346, tamen, ut advertit Navarra, l. 3, c. 4, n. 68, mutavit sententiam 2-2, q. 62, a. 7, dum ait: *In aliis autem quatuor causis non semper quis tenetur ad restitutionem, sed tum solùm tenetur consiliator aut palpo, id est, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.* Ubi vides omitti conditionem ultimam n. 346 relatam.

*R.* antiquorum doctrinam esse sanam, si percipiatur eo modo quo Lessius eam interpretatur. Non enim volunt eum ad restitutionem non obligari, qui furatus est, occidit, dedit injustum consilium, mandatum, etc., ita tamen ut, ipso quidem deficiente, sed succedente aliâ simili causâ, damnum tamen esset secutum. In hoc enim sensu doctrina est manifestè falsa, ut patet ex n. 261, sed præcisè volunt eum non obligari qui ita movet ad damnum, ut, ipso cessante, nec succedente simili causa, tamen sequeretur damnum.

350. *Obj.* 6°: Innoc. XI damnavit hanc thesin: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni:* sed qui paratum furari consilio suo movet ut citiùs, alacriùs aut animosiùs furetur, movet et inducit ad inferendum grave damnum.

*R. D. m.* Movet quoad substantiam, *N.;* quoad accidentia vel circumstantias individuantes, *C.* Non hìc

nego obligationem restitutionis, nego tantùm obligationem in solidum.

351. *Obj.* 7° : Si bellum est injustum, omnes gregarii milites qui concurrunt ad pugnam, fiunt irregulares, esto sint eorum multa millia, nec omnes occidant aut lethaliter vulnerent; satis enim est quòd omnes concurrant, et se mutuò animent ad pugnam : ergo etiam, si plura millia militum injustè confluunt ad diripiendam eamdem urbem, omnes ad restitutionem tenentur in solidum.

*R.* 1° P. Coninck, D. 18, de Sacr. n. 98, esse contrarium. Putat enim omnes quidem irregularitatem contrahere, quando sunt ita pauci ut se mutuò videre vel audire possint; nam omnes isti se mutuò moraliter animant ad pugnam : non item omnes qui se mutuò nec videre nec audire possunt. Verùm C. de Lugo, D. 19, n. 94, bene ostendit ad animationem mutuam non requiri ut singuli à singulis videri vel audiri possint, sed sufficere si constet omnibus adesse totum exercitum, ex tot millibus compositum.

*R.* 2° : *C. A. N. C.* Ad irregularitatem contrahendam sufficit concursus partialis. Unde, si plures non successivè, sed simul suffragiis suis concurrant ad injustam sententiam mortis, omnes fiunt irregulares, licèt singuli partialiter tantùm concurrant; et, quovis suffragio deficiente, tamen injusta sententia sequeretur propter aliorum suffragia. Contra verò, ad contrahendam obligationem restituendi totum damnum, non sufficit partialis influxus, sed requiritur ut mihi tanquam causæ totali possit ascribi totum damnum, proùt dictum est n. 342.

352. *Obj.* 8° Dux exercitûs, vel qui dedit consilium injustæ direptionis, tenetur ad restitutionem in solidum : ergo etiam gregarii milites, quando cæteros animârunt. Quòd autem à confessariis non cogantur ad restitutionem in solidum, provenit partim ex eorum impotentia, partim ex præsumpta benignitate christianorum qui, postquam damna sunt illata, nolunt obligare milites rigore toto quo possunt, et contenti sunt si quilibet ex gregariis resarciat totum damnum quod immediatè dedit, et propter suam cooperationem insuper, addat tolerabilem aliquam et moderatam compensationem arbitrio prudentis, attentâ scilicet qualitate personæ, damni, vel cooperationis.

*R. N. C.* Dux exercitûs in æstimatione morali censetur causa totalis injustæ direptionis; quia, nisi mandaret aut consuleret, non sequeretur injusta direptio. Gregarii verò milites liberantur ab obligatione resarciendi totum damnum, non propter impotentiam, cùm sæpè plus possent restituere quàm restituere cogantur; nec propter benignitatem præsumptam christianorum, hæc enim æquè posset fingi circa ducem exercitûs aut consiliarium; sed propter tenuissimum suum influxum.

## QUÆSTIO XXIII.

### QUO ORDINE TENEANTUR COOPERANTES AD RESTITUTIONEM?

353. Dico 1° : Si actio injusta fuit lucrativa, ut furtum et rapina, et res ablata formaliter aut æquivalenter adhuc exstat, ad restitutionem primo loco tenetur qui rem furtivam adhuc possidet, aut ex ejus consumptione factus est ditior. Ita communis omnium apud C. de Lugo, D. 19, n. 119. *Ratio;* quia titulus rei acceptæ fortior est in restitutione quàm titulus injustæ acceptionis, et res aliena semper clamat ad dominum, ac æquissimum est ut qui lucrum ante cæteros habet, etiam ante cæteros sentiat onus et incommodum restitutionis.

354. *Dico* 2° : Si actio injusta fuit purè damnificativa, ut incendium, homicidium, detractio; vel si res aliena nec formaliter nec æquivalenter ampliùs exstat, ad restitutionem primo loco vel præ cæteris causis tenetur qui fuit causa principalis damni. Ita communis theologorum cum S. Th. q. 62, a. 7, ad 2. *Ratio prima* consensus hic ipse doctorum. *Secunda.* Talis esse debet ordo quoad obligationem restitutionis, qualis est ordo quoad causalitatem injustam : ergo qui principaliter est causa damni, principaliter etiam obligatur ad restitutionem; et qui secundariò tantùm, accessoriè vel minùs principaliter est causa damni, ligatur secundariò tantùm, et in defectum causæ principalis aut principalioris. *Tertia.* Causa principalis, hoc ipso quòd primariò præ cæteris injustè noceat, præ cæteris et primariò pati debet incommodum restitutionis quod oritur ex injusto nocumento.

355. *Dico* 3° : Quando res aliena non ampliùs exstat in se vel in æquivalenti, mandans ante cæteras causas primo loco tenetur ad restitutionem. Ita communis cum S. Th. q. 62, a. 7, ad 2. *Ratio prima.* Quia mandans est dux criminis et principalissimus auctor damni; mandatarius verò vel executor est tantùm causa instrumentaria; cæteri cooperantes sunt tantùm adminicula. *Secunda.* Mandans aliquod maleficium, vult totum inferri suo nomine, sui gratiâ vel ad suum honorem, commodum aut oblectamentum : ergo rejicit in se totam obligationem restitutionis, et interpretativè vult alios cooperantes indemnes esse. *Tertia.* In tribunalibus ubique maleficium mandanti potiùs ac principaliùs quàm executori vel aliis cooperantibus adscribitur. Excipe, nisi executor damni motus fuisset ex se, vel egisset etiam particulariter negotium suum, tunc enim æquè fuisset causa principalis ac mandans. Sed quid si plures sint mandantes, unus immediatus, alter mediatus; puta, si rex injustam depopulationem urbis præcipiat duci exercitûs, hic verò tribunis, et tribuni militibus? Aio regem principalissimè teneri; quia omnium principalissimè movet.

356. *Dico* 4° : Si nemo mandavit damnum, et actio injusta non fuit lucrativa, executor injustus primo loco tenetur ad restitutionem. Ita rursum communis cum S. Th. suprà. *Ratio prima.* Quia, licet executor sit causa instrumentalis respectu mandantis, tamen respectu cæterorum cooperantium est causa principalis; nam alii qui nec jubent nec volunt inferri damnum suo nomine, sunt causæ tantùm accessoriæ vel secundariæ, quæ dirigunt, fulciunt, animant et non impediunt executorem, ac quodammodo

serviunt ei tanquam instrumenta malefacti. *Secunda.* Sicut mandans est principalissima causa moralis, sic etiam executor est principalissima causa physica. *Tertia.* Cæteræ causæ suum influxum subordinant arbitrio executoris, qui solus immediatè et liberè se determinat ad damnificationem injustam. Excipe, nisi per fraudem ab altero seductus, bona fide damnum creâsset; tunc enim non ipse, sed consultor fraudulentus teneretur ad restitutionem; imò consultor in genere moris tunc esset executor.

357. *Dico* 5° : Inter reliquas causas, positivè concurrentes, ordinariè non est subordinatio statuenda quoad restitutionem, nec una tenetur ante cæteras. Molina, D. 737, n. 4; Vasq. c. 9, § 3, dub. ult. Lessius, c. 13, n. 49; Dicastill. D. 4, n. 232; C. de Lugo, D. 19, n. 130; Tambur. Herincx, Haunold. Sporer, Flor. de Cocq et alii contra Sayrum, Bonacin. et Azor. *Ratio prima.* Nam una causa communiter non est instrumentum alterius; una non operatur per aliam aut alterius nomine vel auctoritate : v. g., qui dat consilium, ordinariè non agit per laudantem, nec vicissim; consentiens non servit receptatori, nec iste participanti : sublato autem ordine quoad influxum et modum agendi, non apparet cur una causa principaliùs obligetur, altera secundariò tantùm aut in defectum alterius. *Secunda.* Cur mandans ante mandatarium teneatur, est quia, dum vult suo nomine damnum inferri, suscipit totam obligationem restitutionis : et ratio cur executor ante reliquas causas obligetur, est quia cæteris causis utitur tanquam instrumentis, vel quia immediatiùs influit : at hæ rationes non procedunt in cæteris causis. *Tertia.* Nunquam ab adversariis afferri potest solidum discrimen quoad reliquas causas. Cur enim, ut Azor et Bonacina volunt, consulens magis tenetur quàm reliquæ causæ secundariæ? num quia immediatiùs influit? at hoc est falsum; num quia principaliùs? at cur hoc? num quia magis movet? at sæpè magis movet adulator aut receptator. Et esto magis moveret, ex hoc tamen capite consulens tantùm obligaretur ad ampliorem restitutionem, non autem obligaretur immediatiùs. Excipe, nisi per accidens aliquis ordo foret inter has causas, v. g., si Titius Caio suaderet ut Sejum consilio permoveret ad damnum Cneii; nam in hoc casu probabiliter unus consulens teneretur ante alterum, et C. de Lugo, D. 19, n. 131, docet Caium ante Titium obnoxium fore restitutioni, quia est executor respectu Titii : executor verò tenetur ante consulentem.

358. *Dico* 6° : Causæ negativæ probabiliter tenentur primùm post causas positivas, ita tamen ut nulla sit inter eas subordinatio, saltem ordinariè loquendo. Lessius, c. 13, n. 81; Laym. c. 6, de rest. n. 4; Vasq. c. 9, § 3, dub. ult. n. 9; C. de Lugo, D. 19, n. 133; Tambur. Herincx, Haunold. Sporer, Florent. de Cocq. Ratio posterioris contra P. Navarr. colligitur ex numero præcedenti. *Ratio prioris* contra Molinam est : 1° causæ negativæ verè et propriè non inferunt damnum, sed præcisè non impediunt damnum quod ex officio tenentur impedire : videtur autem æquitati conformius ut restitutio priùs exigatur ab iis qui verè, propriè et positivè damnum inferunt. 2° Injustè læsus eatenus solùm à causa negativa restitutionem exigere potest, quatenus ob ejus silentium ab aliis est injustè læsus : ergo priùs probare debet damnum ab aliis illatum et conservatum, id est, non fuisse compensatum : igitur causa negativa non tenetur ad restitutionem, nisi ex hypothesi quòd alii, positivè cooperantes, non fecerint restitutionem. 3° Si consulens, v. g., potest dici causa instrumentalis respectu executoris, et si tenetur executor ante consulentem, à quo positivè tamen impellitur ad damnum, non video quare non etiam causa negativa possit vocari causa quædam instrumentalis respectu causæ positivæ, vel quare causa positiva non teneatur etiam ante negativam, à qua præcisè non impeditur à damno. Bene tamen Lessius advertit, subinde causas quæ negativæ videntur, esse positivas; quia silentium illarum est instar approbationis qua malefactor animari solet.

359. *Dico* 7° : Si causa principalis, id est, mandans aut executor restituat totum, ad nihil tenentur reliquæ subordinatæ causæ. Ita communis et certa doctorum apud C. de Lugo, D. 19, n. 115, et Laym. c. 6, de rest. n. 6. *Ratio.* Si reliquæ causæ deberent aliquid restituere, deberent restituere vel læso, vel causæ principali, quæ læso debitam restitutionem plenè jam præstitit. Non prius; quia præceptum restitutionis obligat tantùm ad æqualitatem, et læsus exigere non potest duplicem solutionem adæquatam, aut aliquid ultra competentem reparationem damni. Non posterius; quia causa principalis absolutè tenetur ante cæteras causas integrè satisfacere læso, nec habet ullum jus adversùs causas secundarias, quæ tantùm obligantur ad satisfaciendum læso sub conditione, si deficiat causa principalis. Porrò, quod asseritur de causa principali respectu cæterarum secundariò concurrentium, parem ob causam dici debet de causis positivè concurrentibus respectu cæterarum negativè tantùm influentium.

360. *Dico* 8° : Causâ minùs principali totum restituente, non manet immunis à restitutione causa principalis. Ità denuo communis; et *ratio prima.* Licèt causa principalis in hoc casu non teneatur quidquam restituere parti læsæ, cui ponitur integrè satisfactum, tenetur tamen indemnem servare causam minùs principalem, quæ tantùm in defectum causæ principalis erat obligata, quæque per restitutionem utiliter gessit negotium causæ principalis. Secunda. Causa minùs principalis et secundaria, dum restituit totum ob moram causæ principalis, succedit in jus et locum creditoris, cui facienda erat plena restitutio per causam principalem. Tertia. Causa principalis ex mora, pertinacia vel delicto suo non debet ferre lucrum; nec causa secundaria debet esse malæ conditionis, propterea quòd citiùs ipsam pœnituerit, vel quòd minùs fuerit pertinax.

361. *Dico* 9° : Si plures æquali gradu vel loco, id est, æquè principaliter vel æquè secundariò tenentur ad restitutionem, et unus restituit totum, cæteri te-

nentur ei satisfacere pro rata. *Conclusio patet ex præcedenti.* Notant hic auctores, non omnes causas quæ æqualiter immediatè concurrunt, vel æquali loco aut gradu tenentur ad restitutionem, obligari semper ad easdem portiones in divisione faciendas, nam aliquæ plus, aliquæ minùs tenentur restituere juxta proportionem influxûs. Difficillimum autem est tangere punctum. Mihi valde placet Haunoldi doctrina, qui putat observandum quale lucrum ex cooperantibus quisque reportâsset ex damno. Quando enim plures latrones concurrunt ad spoliationem viatoris, ordinariè plus spolii relinquitur robustioribus et audacioribus. Quando plures conveniunt ad expilationem domûs, communiter minus reportant qui tantùm applicant scalas, aut excubias agunt, quàm alii. Quocirca pari modo videtur imperanda restitutio.

362. *Dico* 10° : Si injustè læsus condonet debitum restitutionis auctori principali, cæteri qui tantùm secundo vel tertio loco tenentur, fiunt immunes ab omni debito : si verò condonet debitum ei qui secundo vel tertio loco tenetur, non ideo fit immunis auctor principalis. Si demum condonet uni ex iis qui eodem gradu tenetur, cæteris adhuc incumbit obligatio totam et integram suam portionem restituendi. Ita omnes apud C. de Lugo, D. 19, n. 140. *Ratio primæ partis est :* quia condonatio hæc est instar solutionis, et à jurisperitis vocari solet acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio : sed solvente principali, cæteri fiunt immunes à debito restitutionem. *Ratio secundæ partis est :* obligatio tantùm accessoria, qualem habent causæ secundariæ in defectum causæ principalis, potest deficere, quin deficiat obligatio causæ principalis : nam principale non dependet ab accessorio, sed vicissim ; et sicut, solvente causâ secundariâ, non excusatur causa principalis, ita nec excusatur si condonatio fiat causæ secundariæ. *Ratio tertiæ partis est :* si plures æquali gradu vel loco tenentur ad restitutionem, potest uni remitti obligatio restitutionis, quin remittatur alteri.

OBJECTIONES.

363. *Obj.* 1° : Si mandans primo loco tenetur ad restitutionem, quia vult maleficium creari suo nomine vel in suî gratiam, etiam primo loco tenebitur qui quomodocumque petit maleficium in suî gratiam, esto non sit superior executoris : hoc autem est falsum et meritò rejicitur à Vasq. c. 9, § 1, n. 56, quia si petens maleficium, non est superior executoris, potiùs rogat quàm mandat; hoc enim est discrimen mandantem inter et rogantem, quòd rogans manifestatione suî desiderii moveat tanquam inferior et indigens alieno beneficio, mandans verò tanquam superior agat, et moveat alterum ut inferiorem et indigentem executione mandati. Et hinc Deus rogare vel mandatum exequi non potest. Hinc etiam ridemus eorum arrogantiam qui, cùm superiores non sint, utuntur verbis imperativi modi : at qui rogat, est instar consulentis, qui non tenetur ad restitutionem primo loco. 2° Qui mandat, movet alterum, quia potest exigere pœnam, seu jure, ut reges, seu injuriâ, ut tyranni, et utitur executore tanquam manu sua, vel instrumento sibi subjecto : qui verò rogat, plenam auctoritatem alteri relinquit, et potiùs subservit ejus imperio sicut consultor. 3° Si rogans aut petens maleficium in suî gratiam, primo loco tenetur, tenebitur etiam eodem loco blandiens, qui sæpissimè maleficium extorquet in suî gratiam, ut feminæ, quando persuadent injusta.

*R.* Cum Rebello, l. 2, de Rest. q. 15; Less. c. 13, n. 42; Laym. c. 6, de Rest. n. 2; Anton. Perez, D. 3, de Rest. n. 67; C. de Lugo, D. 19, n. 128; Dicast. D. 4, n. 221 : *D. M.* Etiam primo loco tenebitur qui quomodocumque petit in suî gratiam, si moveat efficaciter ut maleficium unicè vel principaliter fiat in suî gratiam, *C.;* secus, *N.* Nullus superior habet legitimam potestatem imperandi damnum injustum : ergo si non tenetur ad restitutionem primo loco propter hanc causam, quia vult maleficium creari suo nomine, vel principaliter in suî gratiam, non erit ampliùs valida ratio cur mandans primo loco teneatur ad restitutionem. 2° Qui minis aut terroribus alterum compellit ad iniquum damnum, ex communi sententia primo loco tenetur ad restitutionem, esto non sit superior executoris : ergo etiam qui vult inferri maleficium suo nomine, vel principaliter in suî gratiam. 3° Is cujus nomine principaliter fit maleficium, est finis principalis maleficii : finis autem in moralibus præcipuum habet locum. 4° Qui tantùm commodi vel oblectamenti sui causâ cupit inferri maleficium, implicitè censetur totum onus restitutionis suscipere : par enim non est ut onus et obligationem maleficii in alios rejiciat, qui suâ causâ illud inferri postulat. 5° Esto rogatus principaliter velit officium præstare in gratiam rogantis, non tamen hoc ipso vult nomine rogantis pati damnum ex actione mala subnatum. Taceo quòd sæpissimè promittatur à non superiore merces propter maleficium : in hoc autem casu, qui mercedem accipit et maleficium exequitur, constituit se famulum saltem ad actiones iniquas.

364. *Obj.* 2° : Esto mandans sit causa principalis damni, tamen ex hoc tantùm sequitur quòd debeat plus cæteris restituere, non autem quòd ipse solus ante cæteros debeat reficere totum damnum. Nam 1° præter mandantem, executor et alii complures ad maleficium concurrunt : non est autem æquitati satis consonum ut, inter tot concurrentes, solus mandans cogatur reficere totum damnum. 2° In judicio forensi punitur immediatè quisquis cooperatur ad injustum damnum, neque punitur ullus conditionatè tantùm aut in defectum alterius : ergo idem quoque tenendum est de pœna vel onere restitutionis. 3° Executor ordinariè mercedem accipit ex maleficio : par autem est ut qui refert immediatè lucrum ex damno, subeat etiam immediatè onus et incommodum restitutionis. Ob has et alias rationes P. Lessio, c. 15, n. 43, non videtur improbabilis sententia P. Navarræ, l. 3, c. 4, n. 102, volentis mandantem non teneri sic ad immediatam restitutionem, ut non alii quoque teneantur immediatè suas conferre portiones : v. g., si damnum foret

sex aureorum, mandans fortè cogeretur restituere tres, executor duos, laudator unum. Verùm

*R. N. M.* Ipse Navarra, n. 108, fatetur sententiam suam esse singularem et disputandi tantùm gratiâ propositam, et reipsa non audet à S. Th. cæterisque theologis abscedere. *Ad primam prob.* Esto plures concurrant ad injustum damnum, tamen non omnes eodem modo concurrunt, et aliqui principaliùs, alii minùs principaliter et secundariò. Satis autem est si secundariæ causæ tantùm secundariò teneantur aut in defectum causæ principalis. *Ad secundam.* In judicio forensi sicut plurimi puniuntur, qui nullatenus tenentur ad restitutionem, ita sæpiùs multi possunt ac debent puniri, qui secundariò tantùm aut accessoriè tenentur ad restitutionem. *Ad tertiam.* Uti famulus qui recipit mercedem à domino, purum est instrumentum domini, sic mandatarius accipiens mercedem ob servitium iniquum, non desinit esse purum instrumentum mandantis. Aliud foret si rem ipsam injustè ereptam acciperet in mercedem; tunc enim ante cæteros teneretur ad restitutionem, tum ob titulum rei acceptæ, tum etiam quia lucrum immediatè percipere ret ex re furtiva : quod in nostro casu non accidit, ubi famulus aut executor non formaliter percipit commodum ex re furtiva, sed tantùm occasionaliter propter pactum domini volentis remunerari suum laborem.

365. *Obj.* 3° : Executor est immediata causa damni, mandans verò solùm est mediata : videtur autem æquitati conformius, ut priùs restituat qui fuit immediata causa quàm qui solùm mediata, vel saltem ut utraque causa simul compellatur.

*R. D. M.* Si cætera sint paria, *C.;* secus, *N.* Sicut in physicis effectus, sic in moralibus bonitas actionis aut malitia magis imputatur causæ principali quàm instrumentali, neque refert quòd instrumentalis immediatiùs operetur; ut enim dicere philosophi solent, omne instrumentum operetur in quantum est motum à principali agente. 2° Quod sæpius jam dictum, mandans dum vult suo potissimùm nomine maleficium creari, primariò suscipit onus restituendi totum damnum. 3° Mandans est etiam ordinariè causa sine qua non, et executor non ageret, nisi motus aut coactus à mandante. Quocirca communiter etiam magis irascimur domino jubenti maleficium quàm servo obtemperanti, magis judici qui præcipit injustam necem quàm carnifici.

366. *Obj.* 4° : Si famulus ex imperio domini consumeret omnino rem alienam, sed non absque magno suo commodo; puta, si rem illam edendo vel bibendo consumeret, nec tamen evaderet inde locupletior, aut propterea parceret suis sumptibus : in hoc casu non apparet quis primo loco teneatur ad restitutionem. Non enim tenetur executor; nam hic est tantùm instrumentaria causa mandantis, et tantùm ideò comedit, quia dominus imperio suo movet. Sed neque primo loco tenetur dominus; quia famulus agit potissimùm ad suum commodum.

*R.* Licèt C. de Lugo, D. 19, n. 120, velit in hoc casu dominum ante famulum teneri, tamen mihi verosimilius est oppositum; quia famulus comedens aut bibens rem alienam, potissimùm agit negotium suum, vel attendit ad propriam utilitatem. Aliud foret si dominus compelleret servum per metum injustum; tunc enim ob injuriam ei factam, teneretur famulum servare indemnem à restitutione.

367. *Obj.* 5° : Si decem essent prædones, ac mitterent unum qui communi nomine succinderet domum, executor hic eodem loco cum cæteris teneretur ad restitutionem. Unde si damnum esset mille florenorum, quilibet teneretur ad centum.

*R.* Si executor jussus esset agere solùm aliorum nomine, non teneretur ad restitutionem, nisi post illos. At si jussus est agere communi omnium nomine, tenetur ad restitutionem æquali loco cum illis; quatenus enim agit suo nomine, non habuit causam principalem cui inserviit.

368. *Obj.* 6° : Ad restitutionem sæpiùs primo loco tenentur quos posuimus secundo loco, v. g., consiliarii principum, quibus sæpè solis imputantur injusta damna; 2° suffragatores, qui sua voce condemnant innocentem, quem tamen executor sententiæ putat innocentem; 3° receptatores filiorumfamilias; nam filiifamilias sæpè non intelligunt injustitiam se committere, si dissipent bona domestica.

*R. D.* Tenentur primo loco si non adsit alia causa principalis, aut si causa principalis per ignorantiam invincibilem procedat, *C.;* secus, *N.* In his casibus solus consiliarius, suffragator aut receptator est causa moralis injusti damni.

369. *Obj.* 7° : Si foret lex purè pœnalis, ut nemo cæderet ligna, venationem aut piscationem instituere in silva vel lacu communitatis : in hoc casu non tenerentur ad restitutionem transgressores legis; tenerentur tamen custodes, qui ex officio justitiæ debent impedire damna : custodes autem sunt tantùm secundariæ vel accessoriæ causæ : ergo principaliter in hoc casu tenentur ad restitutionem causæ secundariæ vel accessoriæ. Casum hunc aliqui cum Joan. Medina vocant singularem.

*R.* Custodes in hoc casu non sunt secundariæ vel accessoriæ causæ, sed primariæ; nam ipsis solis incumbit officium impediendi damna.

370. *Obj.* 8° : Inter causas negativas videtur ponenda subordinatio quoad obligationem restitutionis : nam aliqui sunt custodes generales, alii tantùm particulares; unde si generales, quorum est major potentia, dissimulant, potiùs et immediatiùs ad restitutionem sunt obligandi quàm particulares.

*R. D.* Per accidens, quando scilicet una priùs ex officio debuit impedire damnum quàm altera, et non impediit, *C.;* secus, *N.* Custos generalis aut œconomus ex officio suo non tenetur immediatè cavere damna cellæ, culinæ vel stabuli; tenetur tamen monere custodes particulares, vel eos ad dominum deferre, quando reperit eos negligentes et incurios. Unde si damnum ex hac desidia fuerit ortum, primo loco videtur obligandus ad restitutionem custos particularis,

et in defectum istius secundo loco custos generalis aut œconomus. Ita C. de Lugo, n. 135, quamvis alii discurrant aliter.

371. *Obj.* 9° : Etsi causa principalis impotens fiat et damnum sarcire non possit, non tamen idcirco cæteri qui concurrunt ad damnum, immunes fiunt ab onere restitutionis : ergo etiam si causæ principali remittatur à creditore debitum, non tamen idcirco cæteri liberantur ab obligatione restitutionis.

*R. C. A. N. C.* Impotentia debitoris non extinguit debitum aut obligationem restitutionis, sed illam præcisè differt aut suspendit, donec debitor fiat potentior : remissio verò facta debitori penitùs extinguit debitum.

## QUÆSTIO XXIV.

### AN IMPEDIENS ALTERUM A CONSECUTIONE BONI TENEATUR AD RESTITUTIONEM ?

372. Legi possunt Domin. Sotus, l. 4, q. 6, a. 3 ; Cajet. q. 62, a. 2 ad 4, et alii Thomistæ, Silvester, Angelus, Armilla, Tabiena, Rosella, v. *Restitutio ;* Navarr. c. 17, n. 69 et seq. ; Covarruv. Reg. *peccatum*, p. 2, § 7, n. 8 ; Azor. tr. 3, l. 4, c. 9 ; Molin. tr. 3, D. 227 ; P. Navar. l. 3, c. 6 ; Rebell. l. 3, q. 1 ; Less. l. 2, c. 12, dub. 18 ; Dicast. D. 8, de Rest. dub. 1 et 2 ; Laym. c. 7, de Rest. C. de Lugo, D. 18, de Rest. s. 5 ; Tamb. l. 8, tr. 3, c. 4, §2, Patrit. Sporer, tr. 4, c. 2, s. 5.

373. *Dico* 1° : Quando bonum est alteri debitum ex justitia, sic, ut ei competat jus in re, non potest consecutio boni citra delictum injustitiæ impediri, et impediens tenetur ad restitutionem totius boni. Ita omnes, et *ratio* est manifesta : nam impediens in hoc casu quoad substantiam operatur perinde ut fur, et moraliter idem sunt impedire, negare, non dare vel auferre bonum, in quod alteri competit jus reale.

374. *Dico* 2° : Quando competit alteri jus ad rem, scilicet, ob promissionem, stipulationem, venditionem traditione non secuta, præsentationem, concursum, expectativam, coadjutoriam, accessum, regressum et alios similes titulos, ex quibus conceditur actio personalis ad rem, impediens peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, non quidem quanti valet res et bonum impeditum, sed quanti valet spes boni vel jus ad rem impeditam. Ita denuo communis et certa ; quippe sic damnum infertur per violationem alieni juris, quod est contra justitiam, et trahit necessitatem restitutionis. Quia verò bonum speratum et debitum multis sæpè modis interverti potest et pendet ab aliorum libera collatione, non est æquum ut impediens teneatur resarcire totum damnum. Quanti verò valeat jus et spes boni consequendi, non potest universim decidi, sed debet per arbitros, confessarios aut alios prudentes æstimari, vel inter lædentem et læsum amicabilis iniri compositio. Certè spes consequendi centum et mille aureos sæpè non æstimatur decem aureis.

375. *Dico* 3° : Qui sine vi vel fraude impedit alterum à consecutione boni quod ei licitè quidem conferri potest, at nullo justitiæ titulo debetur, non peccat contra justitiam et nihil restituere cogitur. Est communissima DD. *et ratio*, quia qui præcisè precibus, consiliis, donis absque vi vel fraude obtinet ut alteri non conferatur bonum speratum, non est magis causa damni quàm ille qui precibus, consiliis et donis allectus, bonum non confert : at iste non peccat contra justitiam. 2° Alàs ageres contra justitiam, quando Titium qui probabiliter alium esset scripturus hæredem, sine metu, fraudibus aut mendaciis rogares ut tibi potiùs relinqueret hæreditatem : sed hoc nemo dicit. Imò peccares contra justitiam, quoties aliquod donum ab altero postulares, quod dominus probabiliter alteri foret concessurus. 3° Qui præcisè precibus, consiliis et donis utitur, relinquit alteri plenissimam libertatem tam à necessitate quàm à coactione, nec ulla prorsus est ratio cur cogendus sit ad restitutionem aut injustitiæ damnandus. Accedit clarissima lex finalis *Cod. Si quis aliquem testari prohibeat, et C.* 62 *de R. J. in* 6 *: Nullus ex consilio, dummodo non fuerit fraudulentum, obligatur.*

376. *Dico* 4° : Qui sine vi vel fraude impedit dignum aut digniorem à consecutione boni, quod ei tantùm ex justitia distributiva debetur, non peccat contra iustitiam commutativam, nec tenetur ad restitutionem. Conclusio liquet ex disputatis alibi de collatione beneficiorum. Nam si collator qui omnium maximè titulo justitiæ distributivæ tenetur eligere dignum aut digniorem, non debet facere restitutionem omisso digno vel digniori, multò minùs tenetur ille qui tantùm est causa secundaria collationis iniquæ. Sed qui consilio tantùm precibus aut blanditiis absque vi vel fraude movet collatorem, est tantùm causa secundaria collationis iniquæ. Major est difficultas an hæc et prior conclusio vera sit, etiam quando quis alterum impedit ex odio vel spiritu vindictæ. Sed hoc expendetur quæstione sequenti

377. *Dico* 5° : Qui sine legitima potestate adhibet vim aut incutit metum, et per hoc impedit alterum à consecutione boni licitè et liberè conferendi, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem quanti valebat spes boni. Ita communissima DD. apud C. de Lugo. n. 91. *Ratio.* Licèt alter non habeat absolutè jus ad bonum, habet tamen jus conditionatum, si nimirum alter liberè velit ; item habet jus absolutum ne per vim aut metum impediatur à bono quod aliàs proximè consequeretur. 2° Vis et incussio metûs, nisi procedant à legitima potestate, semper sunt contra justitiam ; quia quilibet est dominus suarum actionum, et habet jus ad liberos usus suorum facultatum : sed huic juri directè contraria sunt vis et metus, quæ licèt non tollant libertatem à necessitate, seu libertatem indifferentiæ, tollunt tamen libertatem à coactione. 3° Extorta per vim aut metum absque legitima potestate, non possunt in conscientia retineri ; nec firmi vel omnino validi sunt contractus, dispensationes aut licentiæ, quando per vim aut metum absque legitima potestate exterquentur, ut patet ex utroque jure

*ff. de vi et vi ; C. de his quæ vi metûsque causâ,* et ex Decretalibus *eodem tit.* Cujus alia ratio non est, nisi quia vis et metus, quando non adhibentur ex legitima facultate, semper militant directè contra justitiam.

378. *Dico* 6° : Qui fraudibus aut mendaciis impedit alterum à consecutione boni licitè et liberè conferendi, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem quanti valebat spes boni. Ita rursum communissima DD. apud C. de Lugo suprà. *Ratio.* Nam in jure vis et fraus semper æquiparantur quoad injustitiam, et hinc regulæ juris *L.* 47, *ff. de R. J. Consilii non fraudulenti nulla obligatio; cæterùm si dolus et calliditas intercessit, de dolo actio competit;* et *Cap.* 62, *eodem tit. in* 6 : *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* 2° Sicut vis et metus, sic et multò magis fraus et dolus tollunt voluntarium, et impediunt dominum ab usu libero suarum facultatum. 3° Qui per mendacia vel fraudes extorquet bonum ex justitia sibi non debitum, agit contra justitiam et tenetur ad restitutionem : ergo similiter peccat et tenetur, qui per mendacia vel fraudes impetit altèrum à consecutione boni quod ex justitia quidem ei non debetur, sed tamen licitè potest conferri. Taceo quòd fraus et mendacium sit contra contractum universalem omnium populorum et hominum, qui voluerunt esse mutuò obstricti ad non utendum signis contra suam institutionem.

379. *Dico* 7° : Qui mendaciis, fraudibus aut illegitima vi proximum impedit à consecutione boni, quod hic justè non potest accipere, vel non potest facere suum, non tenetur ad restitutionem illius boni. P. Vasq. Less. et C. de Lugo. n. 96. *Ratio.* Nam impediens in hoc casu agit ad summum injustè, quatenus utitur mendaciis, fraudibus aut illegitima vi ; non autem quatenus impedit proximum à consecutione boni, quod non potest hic facere suum, vel non potest accipere citra peccatum injustitiæ. 2° Qui malis artibus impedit proximum à consecutione boni, quod justè potest consequi per liberam et beneficam collationem alterius, ideò solùm peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, quia lædit efficaciter jus quod proximus habet ut nemo malis artibus impediat liberam collationem, aut justam petitionem boni proximè sperati : sed hoc jus nullatenus efficaciter lædit, qui malis artibus impedit proximum ut non consequatur id quod citra peccatum injustitiæ non potest accipere, vel facere suum; non enim efficaciter impedit justam petitionem aut liberam collationem, sed tantùm efficaciter impedit injustam acceptionem. 3° Qui fraudibus et mendaciis avertit latronem à rapinis, in nullo foro condemnatur ad restitutionem. Qui fraudibus aut mendaciis obstat sicario, ne proruat violenter in cædes injustas, non debet sarcire damna bonorum quæ sicarius obtinuisset ex cædibus. Qui falsis criminationibus impedit indignum ab officio vel beneficio, tenetur quidem recantare dicta vel abstergere gravem infamiam; non tamen tenetur compensare quanti valebat spes officii vel beneficii. Et ratio ulterior est : nam indignus beneficio vel officio ne quidem habet conditionatum jus ad beneficium aut officium, quo simpliciter est indignus; quia juste non potest illud accipere, quamvis elector liberè velit conferre : sed qui non habet jus saltem conditionatum ad aliquod bonum, queri rationabiliter non potest, si quis mendacio, fraude vel illegitima vi præpediat liberam collationem boni. Taceo quòd aliqui cum Lessio velint mendacia vel fraudes in hoc casu non opponi justitiæ, sed tantùm veritati.

380. *Dico* 8° : Etiam non tenetur ad restitutionem, qui malis artibus impedit alterum à consecutione boni quod citra peccatum injustitiæ potest quidem accipi et conferri, non tamen acciperetur aut conferretur sine gravi peccato. Ita Tambur. supra n. 9; nam alii casum communiter non expendunt. Sit exemplum. Caius, homo sui juris et adhuc cœlebs, per famulum mittere vult feminæ pretiosum donum, ut eam pelliciat ad fornicandum; famulus scit pravam domini mentem; scit etiam certissimò pessimam inclinationem mulieris, quæ recepto dono statim obsequeretur : excogitat mendacium ut impediat donationem et peccatum. In hoc casu, quamvis famulus agat malè, non tamen subit obligationem restitutionis; quia neutra pars rationabiliter potest conqueri, et mendacium non est propriè perniciosum, sed jocosum tantùm aut officiosum, quod non trahit obligationem restitutionis. Cæterùm si donatio non sit utrinque peccaminosa, sed tantùm illicita, vel ex parte donantis, vel ex parte donatarii, putat Tamburinus eum qui mendaciis aut fraudibus impedit donationem, peccare contra justitiam et obnoxium esse restitutioni, quia dum malis artibus impedit peccatum donantis, violat jus donatarii qui potest licitè bonum accipere; dum verò malis artibus impedit peccatum donatarii, violat jus donantis, qui licitè potest conferre bonum. Verùm hæc resolutio valde difficilis est et ampliorem poscit indaginem. Quippe si mulier impediret mendacio suum maritum ne prodigè donaret aliis pecuniam, ne convivium valde sumptuosum instrueret aut bona sua dissiparet in popinis, an propterea statim pronuntiabis uxorem ad restitutionem iis teneri qui per mendacium impediuntur à consecutione bonorum? ego rem aliorum meliori judicio committo.

381. *Infer ex his assertionibus* 1° graviter peccare contra justitiam et ad restitutionem teneri, qui per vim, fraudes et mendacia testari volentem impediunt, qui notarios et testes avertunt, aut falsa spe sanitatis et longioris vitæ moribundum distrahunt, ut testamentum, codicillos vel legata facere non possit in favorem aliorum.

382. *Infer* 2° similis injustitiæ reos, qui fraudibus, mendaciis et falsis criminationibus impediunt opifices, operarios, mercatores et famulos à labore vel lucro, quod à locantibus aut ementibus essent consecuti; item judices qui sine legitima causa detinent opifices, ut laborare non possint; vel prætores urbium, qui sine sufficienti causa mendicos impediunt ne corrogent eleemosynas.

383. *Infer* 3° peccare contra justitiam et ad resti-

tutionem obligari magistros scholarum, quando vi, fraudibus ac mendaciis subtrahunt aliis discipulos cum detrimento lucri et honoris. Hæc autem mendacia, ut advertit C. de Lugo, n. 112, facilè misceri solent, dum, reluctante propria conscientia, doctrinam propriam longè supra meritum extollunt, et promittunt utilitatem ac profectum, quæ tamen minimè futura sciunt, alienas scientias et earum magistros deprimunt, non absque notabili scholarium detrimento. Imò Navarrus, c. 25, n. 57, Cajet. et auctor Armillæ putant mortaliter peccare contra caritatem, qui, seclusis fraudibus, dolis aut vi, subtrahit alteri magistro discipulos cum notabili damno profectûs eorum. Verùm C. de Lugo, n. 111, contrarius est : àliàs enim etiam peccati mortalis damnandi advocati, medici, tonsores, artifices et mercatores, qui citra vim et fraudes, sed non sine præjudicio aliorum, trahunt illos ad suam officinam aut operam.

384. *Infer* 4° peccare mortaliter contra justitiam, et ex communiori sententia teneri ad restitutionem sacræ familiæ, qui juvenem opulentum vi, fraudibus et mendaciis avertit à religionis ingressu. Quamvis enim sacra familia non habeat absolutum jus ad hæreditatem et bona juvenis, habet tamen jus ne per vim aut fraudes impediatur. Verùm hoc alibi discutiemus ex instituto.

385. *Infer* 5° Caium peccare contra justitiam et teneri ad restitutionem Titio, si tabellarium cui Titius dedit litteras in curiam pro beneficio consequendo, consultò divertat longis et inutilibus colloquiis, et adhibeat prandio, ut interim præmisso celeriore cursore Titium prævertat; cùm enim tabellarius ex officio justitiæ debeat iter accelerare, fugere moras aut diverticula, Caius ita nuntium divertens cooperatur injustitiæ, et Titium impedit ab obsequio tabellarii, quod est ipsi debitum ex justitia. Dein, ut observat C. de Lugo, n. 103, etiam fraus hìc intervenit; nam ista non solùm in vocalibus mendaciis consistit, sed et aliis actibus externis, quibus aliud significatur et aliud intenditur. Ita si Caium homicidam ex asylo proliceres ad egressum prætextu cœnæ, sed interim moneres apparitores ut cœnantem caperent, dicereris fraudibus illum extraxisse.

386. *Infer* 6°, si Stichus sit Cneii procurator omnino spontaneus, qui nullo justitiæ titulo tenetur suscipere vel prosequi procuratoris officium, non peccare te contra justitiam, quando precibus et consiliis tantùm eum permoves ut non petat officium aut beneficium pro Cneio : si verò procurator non sit omnino spontaneus, sed ex justitiæ titulo obstrictus Cneio, tu verò consiliis ac precibus eum permoveas ut non fungatur suo munere, peccare te contra justitiam et ad restitutionem obligari Cneio; quia cooperaris injustitiæ procuratoris.

387. *Infer* 7° quid dicendum ad casum quem proponit Lessius, c. 12, n. 131. Caius Augustà scribit Romam ad Titium, vacare beneficium in mense pontificis; litteras intercipit Sempronius, et, quod res erat suspicatus, eas aperit, et est causa cur Caius non obtineat beneficium. In hoc casu Sempronius 1° graviter peccat aperiendo et legendo litteras alienas in re magni momenti; cùm ex communi hominum judicio censeatur hæc gravis injuria, cujus licentia everteret omnem communicationem inter absentes. 2° Si studio supprimat litteras, ut ipse possit acquirere beneficium, denuò peccat in justitiam et tenetur ad restitutionem Caio, quem malis artibus impedit à beneficio. 3° Si secretum manifestet alteri et iste præveniat, iterum obnoxius est restitutioni, quia per injustam revelationem secreti non modicum damnum ciet Caio. 4° Si litteras obsignet ac tempestivè tradat Titio, simul tamen concurrat et beneficium impetret, existimant Less. Palaus, Bardi, Diana, Sporer, illum non esse restitutioni obnoxium; quia licet injustè legerit, tamen injustè non utitur scientiâ, et intellecto secreto non minùs habet jus ad petendum beneficium quàm Caius. Sic etiam, qui per opem dæmonis acquireret scientiam aut artem, illâ justè dein uteretur ad suum commodum et lucrum, etiam cum præjudicio aliorum. Verùm huic opinioni resistit acriter C. de Lugo, D. 18, n. 104, quia Sempronius non minùs injustè Caium impedit quàm si beneficium obtineret Fabricio, vel hunc moneret ut sollicitaret pro se. Neque ad rem est exemplum de scientiâ per opem dæmonis acquisitâ; nam illa non obtinetur injustè sed superstitiosè tantùm.

388. *Infer* 8° quid sentiendum in casu quem Silv. v. *Emptio*, q. 17, narrat Venetiis contigisse. Mercator accepit litteras Alexandriâ, quibus significabatur superventuram penuriam aromatum; illas dilaceravit et temerè abjecit in foro : has collegit alius mercator, et partibus conjunctis legit; tum magnam aromatum copiam currente vili pretio emens, alterum prævenit et lucrum præripuit. Quæritur an secundus mercator fecerit injuriam primo, vel teneatur ad restitutionem? Affirmant Rebellus, Lacroix, P. Antonius, Liguoriusque, hoc argumento : quæ fuit intentio, quid propositum mercatoris litteras dilacerando, etiamque eas à se projiciendo fragmentis divisas? Evidentissimè earum lectionem probabiliter impossibilem facere agitaverat; jus suum malâ conservationis ratione protegebat, attamen non omninò deserere gestiebat, nullique licet seu calliditate, seu vi rapere quod jure possidet alius, nec dereliquit. Ex ipso facto patet, siquidem si renuntiare pro bono duxisset mercator cur epistolam integram non in viam projecisset? Tum propositum communicandi cuilibet obvio quod ipse sciebat, apertè declarâsset. Altera autem agendi ratio nullo modo renuntiationem significat, imo ad retinendum jus providentiam arguit, quæ nonnisi eo decepto falli potuit. Sed meliùs negant Sylvester et Laymann, quos sequitur Sporer, supra, n. 208. Cùm enim mercator primus sponte suâ projecerit litteras dilaceratas in forum, dedit omnibus potestatem in fragmenta litterarum, ut quilibet iis uti posset in suum commodum. Secus tamen esset dicendum, si quis alienas litteras in iis locis legeret ubi certò moraliter constaret non esse consultò relictas, sed casu vel involuntariè.

389. *Infer* 9° non peccare contra justitiam nec ob-

noxium esse restitutioni, qui detegit occulta cujusdam crimina prælatis, et superioribus, ut, quod aliàs fieret, beneficium aut officium magni momenti non conferatur indigno; nam hoc expedit ad bonum commune, cujus salus et incolumitas meritò præponitur hominis privati famæ. Quin etiam id aliquando licet, quando testator aliàs relinqueret magnas divitias homini qui graviter eis est abusurus. Imò licet palàm et injustè vulgares occulta crimina, tantùm deberes resarcire famam, non item emolumenta beneficii, officii vel lautissimæ hæreditatis, ut cum Lessio resolvit C. de Lugo, n. 92.

390. *Infer* 10° eos qui metu reverentiali, molestis et importunis precibus, blanditiis aut assidua petitione permovent alios ut bona sua non largiantur iis quibus liberè destinabant, aliquando peccare contra justitiam, et aliquando non. Peccant, juxta C. de Lugo, D. 22 à n. 150, quando causa metum reverentialem incutiens, explicitè vel implicitè continet minas injusti mali. Non peccant, quando causa metum reverentialem incutiens, non continet ejusmodi minas. Et hinc non agunt injustè pauperes qui sæpiùs repulsi sæpiùs instant, et eleemosynam rogant; nisi fortè velis injustitiam vocare nimiam vexationem aurium. Multò minùs peccant contra justitiam mulierculæ, dum blanditiis suis aliquid extorquent; nam blanditiæ potiùs augent voluntarium quàm minuunt. Sed de hoc fortassis alibi.

*Objectiones.*

391. *Obj.* 1° contra tertiam *conclus: Clementinâ* 1 *de privilegiis*, sub interminatione mortis æternæ prohibetur regularibus ne, dum intersunt testamentis, retrahant testantem à legatis faciendis ecclesiæ matrici, vel suadeant ut bona testantis relinquantur potiùs monasteriis quàm ecclesiæ matrici : ergo peccat contra justitiam qui sine vi vel fraude matricem ecclesiàm impedit à consecutione boni, quanquam ex justitia nondum sit ei debitum.

*R. N. C.* Præceptum illud est positivum et ecclesiasticum, ad tuendam pacem et concordiam inter clerum et regulares, nec imponit obligationem justitiæ; unde Molina, tr. 2, D. 727, negat religiosos obligari ad restitutionem legati vel hæreditatis, nisi petatur, esto peccâssent mortaliter impediendo matricem ecclesiam. Imò Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 49, n. 28, negat esse restituendam hæreditatem, etsi petatur; quia Clementina restitutionem non præcipit in pœnam. Addit, religiosos peccare quidem lethaliter, si ex odio vel avaritiâ impediant ne bona legentur matrici ecclesiæ; non item si bono zelo, ut consulant saluti testantis.

392. *Obj.* 2°.: Juxta Philosophum, 2 Phys. c. 5, t. 56, quem citat S. Th. q. 62, a. 2, infortunatus est, qui non obtinuit bonum quod proxima spe certò jam erat sibi pollicitus; quia *quod parum distat, nihil distare videtur :* ergo, sicut peccas contra justitiam, si consiliis et precibus, absque vi vel fraudibus, impedis alterum invitum à consecutione boni jam debiti vel promissi, ita etiam peccas, si solis consiliis aut precibus impedias à consecutione boni certò consequendi.

*R.* Doctrina Philosophi perperàm hìc applicatur, nam qui parum abest ut peccet, non ideo peccat; qui parum abfuit ut hominem occideret, non punitur ut homicida; qui parum abfuit ut furaretur, non existimatur fur. Aristotelis effatum est verum quoad aliquos effectus, puta, suscitationem gaudii vel tristitiæ, si spes boni fuit valde propinqua et improvisò impedita; non autem quoad alios effectus promiscuè, præsertim civiles et juridicos. Nam pontifex, v. g., si sit electus et confirmatus, summa pollet jurisdictione; proximè eligendus nullâ pollet. Aliquando tamen bene potest applicari dictum Aristotelis in materia restitutionis : e. g., si quis pessumdedisset fructus agrorum aut vineæ, qui perparum aberant à maturitate; tunc enim eamdem fere restitutionem teneretur præstare quantam si fructus maturos abstulisset.

393. *Obj.* 3° *contra* sextam *et* septimam *conclus.:* Licet per vim aut fraudem inferas injuriam illi cui vim aut fraudem adhibes, non tamen infers injuriam ei cui vim aut fraudem non adhibes : at sæpè contingit ut vim et fraudem adhibeas soli collatori, qui statuit alteri beneficium conferre, non item collatorio cui vult collator benefacere : ergo si per vim et fraudem impedias Caium ne suam hæreditatem relinquat Titio, non infers injuriam Titio, nec obstringeris ad restitutionem ei faciendam. Atque ita sentire videntur aliqui DD. antiqui, quorum sententiam esse probabilem fatentur Azor et Dicast.

*R. D. M.* Non infers injuriam ei cui vim aut fraudem non adhibes immediatè vel mediatè, *C.;* cui solùm non adhibes immediatè, *N.* Qui Caium immediatè per vim aut fraudem impedit ne suam hæreditatem relinquat Titio, saltem mediatè vim aut fraudem adhibet Titio. 2° Libertas activa dandi et libertas quasi-passiva accipiendi sunt essentialiter invicem connexæ : ergo dum una libertas impeditur, etiam impeditur altera. 3° Sicut nimia sequeretur pernicies humanæ reipublicæ si citra obligationem restitutionis liceret per vim aut fraudem impedire collatorem immediatè à libera dispensatione bonorum, sic etiam sequeretur si liceret mediatè impedire collatarium.

394. *Obj.* 4° : Si vera nostra sententia sequitur ad restitutionem cogendos esse mendicos qui variis, ut ordinariè fit, mendaciis, simulatis morbis, et specie sanctitatis extorquent et aliis præripiunt eleemosynam; item mercatores et opifices qui falsis laudibus extollunt res suas, et impediunt emptores ne merces alibi procurent; præterea candidatos officiorum aut beneficiorum qui mendacio tegunt suos defectus, quibus cognitis eligerentur alii : sed sequela nimis est dura.

*R.* Cùm hoc mentiendi genus apud mendicos, mercatores et opifices sit valdè vulgatum, ordinariè non adhibetur ipsis magna fides, et ipsorum mendacia parum aut nihil influunt in damnum alterius. 2° Plurimi, dum ita mentiuntur, venialiter tantùm delinquunt; vel quia non attendunt ad damnum proximi, vel quia

non satis cognoscunt gravem obligationem. Ex delicto autem veniali per se non oritur obligatio gravis restituendi, proùt in simili resolvit C. de Lugo, D. 14, n. 149, et D. 18, n. 37, et colligi potest ex dictis q. 7. Aliud foret, si quis levi tantùm mendacio detulisset innocentem, unde privandus erat beneficio vel officio; tunc enim procul dubio teneretur recantare dictum, si res adhuc esset integra. 3° Sæpissimè contingit ut, dum unus petit eleemosynam aut aliam gratiam, non adsit alius competitor : tunc verò per mendacium non impeditur alius; vel certè sæpiùs impedimentum est valde remotum, ex quo non oritur obligatio restituendi. 4° Qui mendacio tegit suos defectus quos manifestare non debet, sæpissimè non magis impedit alios quàm si modis honestis ac licitis eos celaret : tunc autem non apparet cur imponi debeat restitutio. 5° Non tamen nego mercatores sæpiùs ad restitutionem teneri, quando mendaciis suis officaciter impediunt alios mercatores à lucro; uti et mendicos, quando valde notabiles elcemosynas extorquent, et per mendacia proximè impediunt alios.

395. *Obj.* 5° : Sequeretur ex nostra sententia quòd injustus homicida teneatur ad restitutionem omnibus pauperibus quos occisus liberaliter alebat, omnibus amicis et consanguineis quos ad convivia sæpiùs invitabat, item omnibus operariis, famulis et mercatoribus qui per obsequia vel contractus ab illo multa sperabant; nam istos omnes homicida per vim injustam impedit à consecutione bonorum : sequela verò nimis est rigida, quam communiùs rejiciunt auctores ac præcipuè Molina, t. 4, D. 83; Less. c. 9, n. 154; Dicast. D. 7, de Rest. n. 69; C. de Lugo, D. 11, n. 75; Corduba, Sotus, Bann. Ledes. Salon. Aragon : Angles, Lopez, Mercad. Laym. Haunold. Tambur. Herincx, Sporer, Mezger, Sangall.; et C. de Lugo dicit esse contra praxim omnium pœnitentium aut confessiones excipientium.

*R.* 1° sequelam habere multos et graves patronos. Tuentur illam Sot. Adrian. Speculat. Panorm. Ang. Rosell. Navarrus, Navarra, quos citat et sequitur Th. Sanch. l. 1 Cons, c. 4, dub. 3; Vasq. Turrian. Azor, Sairus, ac novissimè P. Illsung, tr. 4, D. 3, n. 70; imò Vasquez evidentem esse pronuntiat. Addunt tamen per accidens homicidam excusari : nam 1° sæpiùs impedimentum non est efficax; dum enim occiditur pater, succedit filius qui pari vel fortassis majori liberalitate sustentabit pauperes. 2° Frequenter homicida non prævidet, nec etiam probabiliter prævidere potest ejusmodi damna : tunc autem damna censentur sequi per accidens, quæ non debent in conscientia resarciri, proùt colligi potest ex dictis q. 11 et seq. 3° Non rarò læsi condonant restitutionem. Ita regulariter præsumi potest de consanguineis et amicis, quos occisus liberaliter sæpiùs invitabat ad convivium. Licèt enim isti doleant acerbissimè mortem alterius, de restitutione tamen non sunt solliciti, præsertim cùm invitati sæpiùs ad convivia soleant communiter æquales perdere sumptus; quia reciprocè invitantes invitantur. 4° Sæpissimè spes boni quod alii consequi poterant per liberalitatem occisi, est admodum remota : tunc autem non oritur obligatio restitutionis; aliàs injustus occisor in infinitum deberet restituere, quia nunquam deerunt qui prætendere possint spem aliquam lucri remotam interversam esse per occisionem injustam.

*R.* 2° *potest* cum Lessio, Dicastillo, C. de Lugo et aliis, eum qui ponit injustam vim aut fraudem, teneri tantùm ad sarcienda damna quæ per se vel ut plurimùm inde subnasci solent, non item ad cætera quæ per accidens tantùm aut rarò sequuntur : videtur autem per accidens et rarò tantùm contingere quòd pauperibus obveniat damnum ex occisione divitis ac liberalis domini (1). 2° Universali consuetudine receptum videtur ut occisor injustus solùm restituat hæredibus necessariis, vel, si vis, etiam creditoribus occisi; non item aliis qui quomodocumque patiuntur incommodum ex injusta nece : igitur humana gens, penes quam stat obligatio voluntaria juris, non videtur ordinariè titulo justitiæ vel sub onere restitutionis astringere suos, ut per occisionem injustam non impediant alios à consecutione bonorum quæ per liberalitatem occisi poterant iis obtingere. Addunt tamen aliqui cum Molina et C. de Lugo limitationem, nisi maleficus per occisionem injustam specialiter intendat aliorum damna : sed hæc limitatio discutietur q. seq. 3° Qui per vim aut fraudem impedit liberalitatem alterius, ex communi judicio tenetur quidem ad restitutionem iis quos proximè per actionem suam impedit, ita ut moraliter iis nocere velle censeatur; non item aliis quibuscumque promiscuè quos remotè tantùm impedit. Aliàs, qui dominum abire volentem ad aliam civitatem, ubi multis pauperibus larga stipe succurreret, vel ad locum sacrum ubi gazophylacio non paucos inferret aureos, per mendacium abstraheret à proposito, et eum vellet retinere secum, teneretur ad restitutionem; quod abhorret à communi DD. omnium sensu.

396. *Obj.* 6° : Saltem admitti debet custodes saltuum, vinearum, teloniorum, etc., reos, testes aut advocatos ad restitutionem teneri, quoties per mendacia vel fraudes impediunt fiscum à consecutione mulctarum. Licèt enim fiscus ante judicis sententiam non habeat absolutè jus ad mulctas pecuniarias, tamen habet jus ut per vim, fraudes et mendacia non impediatur : consequens autem est contra ea quæ diximus à n. 330.

*R. N. sequel.* Obligatio juris alieni pendet potissimùm ex illorum voluntate quibus competit jus, *ut patet ex dictis* q. 1. Respublica verò communiter non obligat titulo justitiæ, vel sub onere restitutionis, custodes saltuum, reos, testes, etc., ut manifestent sua vel aliorum delicta ad locupletationem fisci, vel ut per mendacia non impediant fiscum à consecutione mulctarum; sed tantùm obligat titulo fidelitatis aut veracitatis. Id quod optimè colligitur tum ex continua tribunalium omnium praxi, qua nunquam

(1) De hâc responsione *V.* supra, n. 185 *bis*.

videmus imponi vel exigi restitutionem propter ejusmodi mendacia ; tum ex eo quia nimiùm esset difficilis, hominum imbecillitati minimè commensurata vel intolerabilis omnino lex, qua rei sub obligatione justitiæ vel onere restitutionis cogerentur fateri sua delicta, propter quæ probabiliter aut certissimò præsciunt se condemnatum iri ad gravissimas mulctas pecuniarias.

397. *Obj.* 7° : Sequeretur ulteriùs ex nostra sententia, dominos peccare contra justitiam et ad restitutionem teneri, quando famulos inani spe promotionis in servitio detinent, ac impediunt ut apud alios dominos meliorem sibi conditionem procurent : hoc autem est contra praxim, et nemo dominorum idcirco formare sibi solet scrupulum aut compensationem facere.

*R.* damnabilissimam esse praxim; quippè si sponsus qui falsa pollicitatione matrimonii deludit sponsam, et impedit ab aliis melioribus nuptiis, certissimò tenetur ad restitutionem, non est ratio cur in hoc casu non teneantur etiam domini.

398. *Obj.* 8° : Qui per vim, fraudes aut mendacia notabiliter minùs dignum impedit, ut beneficium aut officium conferatur digniori, non tenetur ad restitutionem, ut cum Covarruv. et Salonio docent Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 1, dub. 49, et Tambur. suprà, § 3, n. 3 : et tamen minùs dignus licitè potest accipere beneficium aut officium : ergo non semper tenetur ad restitutionem impediens alterum immediatè per vim aut fraudes, ut non consequatur bonum quod licitè potest accipere.

*R.* Si verum est antec., quod tamen negant Henriq. et Dicastillo, D. 8, n. 29, ratio fortassis est, quia, quamvis Ecclesia vel respublica non approbet modum fraudulentum aut violentum, tamen absolutè vult ut notabiliter minùs dignus impediatur à beneficio vel officio, saltem extra casus exceptos, n. 237 : unde licèt per vim, fraudem aut mendacia fiat injuria collatori vel collatario, quatenus tamen illa minùs dignum impedit, non videtur injuria, vel certè non videtur injuria gravis, ex qua nasci possit obligatio gravis restituendi. Certior adhuc esset hæc responsio, quando posset impediens æquali facilitate per solas preces aut consilia minùs dignum impedire; tunc enim impeditus nullam haberet spem beneficii vel officii, neque propter vim aut fraudem impedientis exigere posset compensationem.

## QUÆSTIO XXV.

### AN ODIUM AUT INTENTIO PRAVA NOCENDI VARIET OBLIGATIONEM RESTITUTIONIS?

399. Cardo difficultatis est, an opus externum quod per se non opponitur alterius juri, evadere possit injustum præcisè propter mutationem intentionis, propter odium aut spiritum vindictæ : v. g., si patienti gravem necessitatem non succurras ex odio ; si dignum aut digniorem impedias à beneficio vel officio, ex libidine nocendi ; si judex ferat sententiam de se justam ex spiritu vindictæ.

400. *Dico* 1° : Qui non succurrit alteri, quando succurrere non tenetur ex justitiâ, non peccat contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem, esto ducatur intentione pravâ nocendi, moveatur odio vel spiritu privato vindictæ. Ita contra Rich. Major. Angel. Rosell. Tab. communissima DD. quos sequitur Dicastillo, D. 4, de Rest. n. 131, et C. de Lugo, D. 10, n. 100; nec obscurè consentit D. Th. hìc, q. 62, a. 7, ad 3. Ratio prima. Quia sinister hic affectus est tantùm contra charitatem, misericordiam aut pietatem, quarum violatio non inducit obligationem restitutionis, ut q. 14 fusiùs est expositum. Secunda. Contraria sententia caret omni fundamento, repugnat communissimæ simul et constantissimæ praxi seculorum, displicet plerisque doctis, et imponit onus non satis hominum imbecillitati proportionatum. Quid enim facilius quàm ut inter homines mutuis identidem offensionibus exasperatos gliscant odia, vel ex intentione pravâ negentur aut negligantur implorata vel usitata charitatis obsequia, v. g., ut ex spiritu privato vindictæ non detur alteri sollicitanti pecunia mutua, non commodetur equus, non elocetur domus; ut inimicus non invitetur ad cœnam, ut non obstetur damnis et injustis vexationibus eorum quos odimus? In his et similibus innumeris casibus intolerabile foret omnes ad restitutionem cogere. Tertia. Esto commune sit axioma PP. *si non pavisti, occidisti* ; tamen illud optimè potest exponi de transgressione solius charitatis aut misericordiæ, non autem debet intelligi de violatione justitiæ; secùs enim dives Euclio peccaret etiam contra justitiam, quando non studio directo nocendi, sed animo retinendi suas opes omitteret cibare mendicos : quod nescio num ullus hodiè scholasticorum dicat.

401. *Dico* 2° : Quando ponitur opus externum, quod est indifferens ut noceat vel non noceat alteri, sæpissimè propter variationem intentionis variatur obligatio restitutionis. Ita omnes. Et ratio prima. Nam intentio sæpissimè determinat opus externum ut sit alteri nocivum, et sæpissimè determinat ut non sit nocivum : opus verò quod non est nocivum alteri, nunquàm est contra justitiam, *ut per se patet;* opus verò quod est nocivum alteri, sæpissimè est contra justitiam : ergo, variatâ solùm intentione, sæpissimè variatur opus, ut sit vel non sit contra justitiam, inducat vel non inducat obligationem restitutionis. Sic, v. g., qui tollit è mensâ monetam alterius, animo tantùm inspiciendi formam et insignia, non peccat contra justitiam : qui verò tollit animo furandi vel rapiendi, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem. Secunda. Qui librum alterius accipit, ut inspiciat auctorem, non agit contra justitiam : agit verò, si librum accipiat ut furetur. Tertia. Accipiens aliquid ultra sortem, si tantùm accipiat ut donum gratùs et omninò sponte concessum, non est usurarius, neque tenetur ad restitutionem : si verò tanquàm debitum accipiat, est usurarius et ad restitutionem tenetur.

402. *Dico* 3° : Qui ponit opus externum, ad quod directè jus habet, et quod de se nocivum est alteri, non peccat contra justitiam, etiamsi ducatur spiritu

privato vindictæ, vel aliâ pessimâ intentione. Ita plerique, quos sequitur C. de Lugo, D. 8, n. 79, et D. 18, n. 98. Et ratio prima. Nam aliàs in justitiam delinqueret judex qui sontem, legitimè convictum, ex odio condemnaret ad mortem, et carnifex qui sententiam justam exequeretur ex odio; miles in bello justo, si quempiam occideret aut spoliaret ex intentione pravâ; mercator, si compararet aut venderet justo pretio merces, ut alii mercatores non gaudeant emolumentis : ubi tamen vix ullus agnoscit obligationem restitutionis. Secunda. Si non agit injustè, qui motus invidiâ vel odio non succurrit, quando non tenetur ex justitiâ succurrere, etiam non agit injustè qui motus eâdem passione ponit actum externum de se nocivum, ad quem directè jus habet, et quem ex justitiâ non tenetur omittere; cùm planè nulla sit disparitas, nisi quòd in priori casu noceatur per omissionem operis, in posteriori per positionem. Tertia. Si actio, prout est nociva, potest directè poni quin contraria sit alterius juri, non apparet quomodò pravus animus aut intentio mala nocendi superaddat actioni malitiam injustitiæ, vel pariat necessitatem restituendi; nam intentio mala nunquàm censetur injusta, nisi vel per seipsam immediatè lædat jus alterius, quo modo non lædit invidia vel odium, aut intendat actionem nocivam alterius juri contrariam.

403. *Dico* 4° : Qui dignum aut digniorem sine vi vel fraudibus impedit à consecutione beneficii vel officii quod non est ipsi debitum ex justitiâ commutativâ, non peccat contra justitiam commutativam, neque tenetur ad restitutionem, etiamsi moveatur invidiâ vel odio. Ita communis eorum qui negant beneficia vel officia dignis aut dignioribus stricto jure deberi, præsertim Molina, t. 3, D. 727, Th. Sanch. l. 2 Cons. c. 1, dub. 49; Less. c. 12, n. 128, et C. de Lugo, D. 18, n. 98. Ratio prima. Quamvis hoc vitium in curiis sit assiduum et penè quotidianum, nunquàm tamen videmus idcircò restitutionem fieri vel poni. Secunda. Cùm hæc actio per se noceat digno vel digniori, præscindendo ab omni intentione, neque per intentionem malam reddatur magis nociva, nec etiam, ut est nociva, contrarietur alterius juri, et impediens possit directè per consilia vel preces ponere obstaculum sine peccato injustitiæ strictiùs sumptæ, prorsùs impertinenter se habet ad restitutionem prava mentis affectio. Tertia. Si teneretur ad restitutionem quisquis invidiâ vel odio ductus impedit dignum aut digniorem à consecutione beneficii vel officii, teneretur etiam quisquis ex odio vel invidiâ impediret alterum à consecutione boni quod licitè posset ei conferri, adeòque teneretur etiam quisquis ex odio vel invidiâ non conferret alteri bonum indebitum : hæc autem obligatio non esset proportionata satis hominum imbecillitati, et vix ullus eam agnoscit.

404. *Dico* 5° : Universim loquendo, quoties opus externum est per se nocivum, neque repugnat alterius juri, intentio prava non inducit malitiam injustitiæ, vel obligationem restitutionis. Ita contra C. de Lugo, supra, n. 98, communiter RR., præsertim Haunold. tr. 2, n. 230; et Esparza, q. 35. *Ratio;* quia cùm justitia sit virtus ad alterum, et ex primario suo fine non versetur circa passiones aut affectiones internas, sed circa actiones et operationes externas, quibus conservatur indemne jus alterius, idcircò non prohibet alias volitiones, nisi quæ feruntur in illas actiones aut operationes externas, quibus læditur jus alterius : ergo si actio vel operatio externa per se non opponitur alterius juri, neque per volitionem malam constituitur simpliciter aut magis nociva, volitio mala non potest esse prohibita per virtutem justitiæ.

## OBJECTIONES.

405. *Obj.* 1° : *L. fluminum* 24, § *fin. et L. Proculus* 26, *ff. de damno infecto, et L. in summâ* 2, § 9, *ff. de aquâ, et aquæ pluviæ arcendæ*, statuitur, eum qui facit aliquid in ædificio vel fundo proprio, v. g., qui fodit puteum aut derivat torrentem, eo tantùm animo ut sibi prosit, infestari non posse per juridicam actionem; secùs si faciat ut obsit alteri : ergo malus animus et intentio sinistra nocendi contra justitiam est, et parit obligationem restitutionis.

*R. N. C.* Actio circa fundum aut ædificium proprium sæpiùs est materialiter justa, sæpiùs injusta, prout variantur circumstantiæ, tametsi non spectetur intentio. Sic agit justè vel utitur jure suo, qui torrentem sibi nocivum avertit à fundo, quamvis inde sequatur detrimentum alterius. Contra non agit justè nec utitur jure suo, qui torrentem sibi minimè noxium avertit in detrimentum alterius.

406. *Obj.* 2° : Variatâ solùm intentione, potest opus aliquod externum incurrere censuram : ergo etiam variata solùm intentione potest oriri necessitas restitutionis. *Antec. patet ex Clem.* 1, § *verùm*, ubi censuram excommunicationis subeunt inquisitores dum ex odio vel amore lucri temporalis negligunt ea quæ rationem muneris efficere debent adversùm hæreticos.

*R. D. C.* Si per intentionem opus evadat alteri nocivum, *C.*; si opus per se sit alteri nocivum, et nocens habeat directè jus ad opus, *N.* Excommunicationis pœna se latiùs extendit quàm ad sola peccata injustitiæ; necessitas restituendi non oritur ex alia culpa quàm injustitiæ : atqui opus externum ad quod nocens habet directè jus et quod æquè nocivum est alteri, sive præsens, sive absens sit intentio mala nocentis, non evadit injustum præcisè propter variationem intentionis, propter odium aut privatum spiritum vindictæ.

407. *Obj.* 3° : Qui noctu cœnat paulò liberiùs, ut in somno sequatur pollutio, peccat contra castitatem; qui verò cœnat ob alium finem, non peccat contra castitatem, esto prævideat aut formidet illud malum : ergo etiam sola diversitas intentionis facit ut eadem cœna sit vel non sit contra castitatem : ergo etiam sola diversitas intentionis facit ut eadem actio sit vel non sit contra justitiam.

*R.* Ut priùs *D. ult. C.* Si per intentionem actio fiat nociva et si nocens non habeat jus ad actionem, *C.*; secus, *N.* Si paritas esset bona, peccaret etiam contra justitiam qui non subveniret proximo patienti gravem necessitatem ex odio, vel qui privato spiritu vindictæ non daret alteri quod ex justitia non tenetur dare; sic-

uti enim peccat contra castitatem qui cum intentione pollutionis omitteret opera mortificationis, ita peccaret ille contra justitiam. 2° Pollutio quæ sequitur ex cœna liberiore, per se repugnat castitati, nec aliunde suscipit excusationem peccati quàm quia fit involuntariè : ergo, si per cœnam liberiorem intenditur, nulla prorsus est excusatio peccati contra castitatem. Contra verò nocivum opus quod per se non opponitur alterius juri, non repugnat justitiæ. 3° Nulla virtus assignari potest præter castitatem, quæ prohibeat cœnam assumptam ex illo fine : potest autem alia virtus quàm justitia designari, quæ prohibeat opus noxium, quod per se non injustum, sed tamen ex odio fit, scilicet charitas.

408. *Obj.* 4° : Tametsi non agas injustè si ponas ex odio noxium opus, ad quod habes positivè jus, vel quod præcipiunt tibi leges, v. g., si ut judex ex odio condemnes reum legitimè convictum; tamen agis injustè quoties ponis ex odio noxium opus, ad quod positivè non habes jus; v. g., si digniorem impedias à consecutione beneficii : ergo, etc.

*R. N. A.* Licèt non habeas jus positivè, vi cujus actio tua positivè sit justa, satis est si jus habeas negativè, sive si nullum jus strictum actioni tuæ sit contrarium. Sic in extrema vel gravi necessitate, si non succurris pauperi, non agis quidem justè positivè, tamen agis justè negativè, nec ullam injustitiam committis, esto succursum omittas ex odio.

409. *Obj.* 5° : Non est ratio cur vis, metus aut fraus sit contra justitiam, non item odium : ergo si peccat contra justitiam impediens alterum vi, metu vel fraude, peccat etiam contra justitiam impediens alterum ex odio. Hinc etiam S. Th. q. 62, a. 2, ad 4, docet eum qui impedit alterum à consecutione beneficii vel præbendæ, teneri ad restitutionem, si impediat eum injustè : *Puta, si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium vel vindictam aut aliquid ejusmodi.*

*R. N. A.* Ratio cur vis et incussio metûs nisi procedat à legitima potestate, sit contra justitiam, est hæc : quia quilibet est dominus suarum actionum, et habet jus ad liberos usus suarum facultatum, cui dominio vel juri directè contraria est vis aut incussio metûs, per quam tollitur libertas à coactione. 2° Ratio cur fraus sit contra justitiam est, quia fraus tollit aut minuit voluntarium, et impedit dominum à libero usu suarum facultatum et bonorum : tollere verò vel minuere voluntarium, aut impedire libertatem alterius sine legitima causa, semper est contra justitiam, cujus potissimus scopus est indemnitas alienæ voluntatis, aut libertatis circa res suas, ut initio statim, q. 1, est dictum. 3° Ratio cur odium non sit contra justitiam, sed præcisè contra charitatem, est inprimis doctorum consensus valde communis; dein quia non potest extendi jus quod per odium violetur; demum, quia per odium non restringitur aliena voluntas aut libertas quoad usus suarum facultatum et bonorum. Porro S. Thomas l. c. putavit impedito competere jus aliquod strictum ad beneficium vel præbendam; quod etiam nos concedimus, quando fit concursus : vel intellexit odium quod modis injustis, puta, fraudibus, mendaciis aut per vim exercetur; quo modo Scotum quoque suum exponit doctissimus scholiastes Cavellus.

410. *Obj.* 6° : Qui lædit injustè Titium, ac prævidet inde per accidens oboriturum fortassis aliquod damnum Caio, non agit injustè contra Caium, nisi damnum illud intendat : si verò damnum positivè et directè intendat, agit contra jus Caii, et secuto damno, tenetur ad restitutionem; quamvis enim illud damnum per se non connectatur cum injusta læsione Titii, prava tamen intentio supplet defectum hujus connexionis. Ita sapientissimus C. de Lugo, D. 8, n. 75, et D. 18, n. 99.

*R.* Intentio prava supplet defectum connexionis, ut actio sit peccatum contra caritatem aut alias virtutes, *C.*; ut sit contra justitiam, *N.* Veritas responsi sufficienter colligitur ex dictis.

411. *Obj.* 7° : Quamvis Caius non habeat jus ut directè non lædas Titium, tamen habet jus ut non lædas cum intentione directa lædendi Caium, cui per accidens fortè nascetur damnum : ergo.

*R. N. A.* Quia pari modo posset dici quòd rei non habeant jus ut non condemnentur à judicibus, habeant tamen jus ut non condemnentur ex odio; quòd patiens gravem necessitatem non habeat jus ut ipsi succurram, habeat tamen ut auxilium non omittam ex odio.

412. *Obj.* 8° : Mulier prægnans, in morbo gravi, si sumat medicinam ex solo motivo sanitatis, non est homicida; si verò solùm intendat occisionem prolis, est homicida : ergo variatâ solùm intentione, variatur operis injustitia.

*R.* Sumptio medicinæ ex qua per se, vel ut plurimùm, vel sæpissimè solet oriri mors innocuæ prolis, est opus quod per se repugnat justitiæ vel juri quod habet in utero proles, nisi gravis necessitas excuset ac dirigatur in conservationem matris, quæ cum prole deberet perire : unde mater accipiens hujusmodi medicinam, excusari non potest ab injustitia, nisi mors prolis ipsi sit involuntaria. Nos autem hìc loquimur de operibus quæ per se non repugnant justitiæ. Dein dubitari fors potest an mater peccet contra justitiam, si, quando jus habet ad medicinam, etiam intendat occisionem prolis. Sic etiam, ut putat C. de Lugo, D. 8, n. 79, tantùm peccat contra charitatem, qui injustum invasorem occidit ex odio.

443. *Obj. ult.* : Malè supponitur quòd justitia directè vel ex fine suo primario tantùm præcipiat aut prohibeat actiones externas; nam judicium temerarium est actus internus, et tamen directè prohibetur à justitia.

*R.* Malè supponitur in bonis honoris aut famæ, *C.*; in bonis vitæ, corporis et fortunarum, *N.* Dein actus externi vocari solent omnes actus à volitionibus distincti.

## QUÆSTIO XXVI

### QUO LOCO ET CUJUS EXPENSIS FACIENDA SIT RESTITUTIO?

414. Videri possunt S. Th. 2-2, q. 62, a. 5, et in 4,

dist. 15, q. 5, a. 5, quæst. 4. ad 1, 2 et 3; Azor, p. 3, l. 4, c. 32; Molina, t. 3, d. 752; Vasq. c. 10, de Rest. dub. 1; Less. c. 15, dub. 8; C. de Lugo, d. 20, s. 8; Dicast. D. 11, de Rest. dub. 9; Tambur. l. 8 Decal. t. 4, c. 1, § 7. Ego quæstionem in tres alias subdivido.

415. *Quæres* 1° quo loco facienda sit restitutio debitorum ex delicto?

*R.* Regulariter in loco creditoris. Unde si creditor alibi degat, tenetur debitor illuc mittere rem, esto facere debeat aliquas expensas. *Et ratio*; quia creditor ex injustâ tuâ læsione non debet pati damnum, sed reducendus est ad pristinum statum et perfectam æqualitatem juris. 2° Si tamen nimiæ forent expensæ, sic, ut creditor non possit rationabiliter exigere restitutionem immediatè sibi faciendam, exploranda voluntas ipsius per litteras; vel si non possit id fieri, res danda consanguineis, si quidem creditoris voluntas esse meritò præsumatur, vel in pauperes eroganda. 3° Quæ verò nimiæ sint expensæ, non conveniunt auctores. Silvester excusat debitorem ab immediatà restitutione, quando sumptus æquarent debitum: sed hæc opinio ut nimis benigna communiùs rejicitur. Navarr. Cajet. Joan. Medina, Vasq. aiunt, rem domino mittendam quæcumque sint expensæ, nisi dominus liberaliter obligationem remittat, aut remittere præsumatur: sed hæc sententia nimis est rigida. Quis enim credat eum qui fors abstulit rem unius aurei, teneri ad restitutionem domino immediatè faciendam, etiam cum sumptu mille aureorum? Richardus, Gabriel et Sotus excusant, quando sumptus excederent debitum. Lessius ait rem dari posse pauperibus, si parvi momenti sit et restitui domino non possit sine triplo vel quadruplo sumptu. Tamburinus vult non excusari debitorem ex delicto, si domino non possit aliter restituere centum aureos quàm expensis centum, ducentis aut trecentis aureis. C. de Lugo dicit pensandam esse non solùm quantitatem rei, sed et conditionem, necessitatem et indigentiam utriusque, tam debitoris quàm creditoris. Unde, si sit uterque æqualiter dives, existimat non excusari debitorem ab immediatà restitutione, nisi facere debeat expensas saltem duplo majores; nam restitutio, licèt non sit pœna, sapit tamen rationem pœnæ: cùm ergò judex intra terminos pœnæ pecuniariæ soleat imponere pœnam quadrupli, non erit nimium si debitor ex delicto facere debeat expensas duplo majores. 4° Idem cardinalis addit, sufficere multò minus detrimentum, ut possis restitutionem ad commodius tempus differre, vel ut loco rei mittere possis pecuniam, vel etiam ut possis rem dare parentibus aut filiis egentibus læsi, si quidem præsumi possit ejus voluntas. 5° Si dominus habens rem ante suam migrationem fecisset expensas in transferendâ re, possent istæ subduci.

416. *Quæres* 2° quo loco facienda sit restitutio debitorum ex re acceptâ?

*R.* Regulariter in loco debitoris. Unde, si creditor alibi degat, non est cogendus debitor ut eam transferat, nisi cum impensis creditoris. *Et ratio prima.* Quia debitor iste solùm restituere debet, quoad fieri potest, absque proprio damno; non enim est æquum ut innocens debitor extra contractum cogatur pati damnum in gratiam alterius. *Secunda.* Si impensæ quæ fieri deberent in transferendâ re, sint magnæ, vel meritò dubitetur an dominus expensas suscipere velit, differri debet restitutio, vel ejus voluntas explorari per litteras. *Tertia.* Si verò nec opportunius tempus expectari possit, nec etiam domini voluntas per litteras intelligi, juxta communem, res danda consanguineis aut pauperibus, juxta præsumptam domini voluntatem. Aliqui tamen non improbabiliter putant, rem posse retineri, perinde ut bona inventa. *Quarta.* Tamburinus benè notat, expedire plurimùm si possessor bonus admoneat dominum ut res in tertio loco constituatur; aliàs enim, si faceret superfluas expensas in ejus custodiâ, perderet sumptus. Item restituere cogeretur si culpam committeret in custodiâ.

417. *Quæres* 3° quo loco sit facienda restitutio debitorum ex contractu?

*R.* In loco qui per contractum designatus est (Cod. civ. art. 1247): si verò nihil expressè vel tacitè conventum, inspici debet natura contractûs. Vel enim est purè gratuitus, vel onerosus, in quo res eadem reddenda; vel onerosus, in quo reddenda res distincta. 1° Si contractus est purè gratuitus, puta, donationis, promissionis, legationis, solutio fieri debet in loco ubi res erat quando fuit donata, promissa vel legata; nisi enim donans, promittens aliud quid signis exprimat, non censetur ad certum se locum adstringere. Quòd si faciendæ sint expensæ translationis, fiant à donatario, promissario, legatario, etc., quia solus iste percipit utilitatem. Cavendum tamen est donanti vel promittenti ne malâ fide procedat, aut rem studio transferat in locum remotissimum, unde non possit ab altero sine maximis impensis acquiri: sic enim donatio vel promissio redderetur inutilis. Porro circa legationem id communiter observatur, non esse spectandum locum ubi scribitur testamentum aut legatum, sed ubi moritur ille qui fecit testamentum aut legatum; nam per mortem completur donatio. Si verò hæres transtulisset ex hoc loco legatum, teneretur illud suis expensis remittere. Census reales qui colliguntur ex agro, prædio, etc., solvendi regulariter sunt in loco ubi res censui obligata, cujus veluti fructus sunt census annuales: fructus autem, nisi aliter conventum, solvendus est ubi nascitur. 2° Si contractus est onerosus, in quo rem eamdem oportet reddere, restitutio facienda regulariter in loco ubi res accepta est, (seu in loco ubi res erat quùm stipulatio fieret, ut fert art. 1247 Cod. civilis); quia contrahentes in istum communiter tacitè conveniunt, et æquitas postulat ut, sicut eadem res est restituenda, sic etiam restituatur in eodem loco, nisi fuerit aliter conventum. Quoad expensas verò, videndum in cujus utilitatem contractus cedat: num si in utilitatem accipientis solius, expensæ fiant ab ipso; nam æquum non est ut expensæ fiant ab altero, cujus commodum in contractu non quæritur. Si verò contractus cedat in utilitatem solius dantis, expensæ fiant

ab isto. Si demum in utilitatem utriusque, expensæ dividantur, nisi fortassis aliud ex contractu vel praxi constet. Unde commodatarius qui suî solius gratiâ commodatum equum accepit, tenetur illum suis expensis ad locum reducere : non tamen tenetur mittere ad locum remotiorem quò fortè dominus commigravit; quia commodatum ibi non accepit, nec fuit causa cur dominus aliò migraret. Depositarius verò qui tantùm alterius gratiâ depositum custodit, tenetur illud mittere tantùm alterius impensis. Si tamen ipse depositarius cum deposito commigrâsset in locum remotiorem, teneretur illud in antiquum locum suis expensis remittere. (Debitor suis impensis solvit, Cod. civ. art. 1248.) 3° Si contractus est onerosus, in quo rem distinctam oportet reddere, restitutio facienda regulariter in loco ubi res aliena fuit tradita. *Ratio ;* quia designari non potest aptior locus, et aliàs contractus sæpiùs essent injusti, nec foret æqualitas inter datum et acceptum, v. g., si mutuum acciperem Viennæ, sed meis expensis solvere deberem Francofurti. (Debitori in suo domicilio solutio expeti debet, Cod. civ. art. 1247.)

418. *Dices.* Sæpè fit contractus onerosus in viâ, vel in loco peregrino, v. g., si quis mutuum petat ab amico quem in viâ vel hospitio reperit : quis autem dicat mutuum esse reddendum in eodem loco?

*R.* appositam superiùs vocem *regulariter*. Non enim nego subin contingere ut debitum non sit reddendum in loco quo res æquivalens fuit tradita. C. de Lugo, n. 204, putat inspiciendum in hoc causu num locus iste sit vicinior loco debitoris, num vicinior domicilio creditoris, num æqualiter ab utroque distet. In primo casu dicit solutionem mutui faciendam in loco debitoris ; in secundo et tertio, faciendam in loco creditoris. Tamburinus putat universim solutionem mutui esse faciendam in loco creditoris, et quidem impensis solius debitoris ; nam iste solus beneficium accipit.

## QUÆSTIO XXVII.

QUANDO SIT FACIENDA RESTITUTIO?

419. *Dico.* 1° : Debitum ex contractu restituendum est die vel tempore per expressam aut tacitam pactionem signato. Ita omnes, et habetur *L. eum, qui kalend. januar.* 40 et sequentibus, *ff. de verb. oblig.* et *L. magnam* 12, *de Contrahend. et committ. stipul.* Ratio colligitur ex ipsa natura vel obligatione contractûs. Si verò nullum tempus expressè vel tacitè signatum est, supponitur ordinariè creditor in moram consentire, quamdiu sponte sua debitum non repetit, ut habetur *L. mora* 32, *ff. de usuris*, *L. si ex legati* 23, *ff. de verb. obligat.*

420. *Dico* 2° : Quando terminus solvendi condictus est in favorem debitoris, ut in mutuo, commodato, potest debitor prævenire terminum ; et, si creditor non acceptet, ac postea res pereat, interitus imputabitur ipsi, saltem in casu quo debitor declarâsset se nolle periculum rei suscipere. Quando verò terminus est in favorem creditoris, ut in locato, debitor terminum prævenire non potest ; quia cederet in damnum compensare tenetur debitor omne lucrum cessans aut creditoris. Creditori verò nunquam conceditur petitio rei ante terminum præfixum, nisi in tribus casibus : 1° si pergat ad inopiam ; 2° si debitor fugam paret ; 3° si sit suspectus de non solvendo ; tunc enim iste cogitur saltem præstare cautionem.

421. *Dico* 3° : Debitum ex delicto, vel re accepta, per se statim est solvendum. Ita omnes, *et ratio :* quia, sicut non licet accipere, sic non licet retinere rem alienam sine domini consensu. Porro *statim* accipitur non mathematicè vel physicè, sed moraliter ; quia dominus ob brevem dilationem non potest esse rationabiliter invitus. An autem et quomodo multiplicentur peccata per moram, pertinet ad tractatum *de pœnitentia.*

422. *Dico* 4° : Non satisfacit debitor qui, cùm possit simul restituere totum, vult tantùm restituere per partes et successivè, nisi fortè dominus sponte consentiat. Ita contra paucos jurisconsultos communis et certa theologorum apud C. de Lugo, D. 20, n. 214, et habetur *L. tutor.* 41, § *Lucius*, *ff. de usur. et L.* 3, *ff. familiæ erciscundæ*, ubi plurima dicuntur esse incommoda dividuæ solutionis (Cod. civil. art. 1220 et 1244). *Ratio verò principalis est :* si non licet differre solutionem debiti totius ultra tempus præfixum, etiam non licet differre solutionem partis. Unde non potest absolvi pœnitens qui non vult aliter restituere ; nisi fortè per ignorantiam invincibilem excusetur, de quo legendus meritò Tamburinus, l. 8 Dec. t. 4, c. 4.

423. *Dico* 5° : Graviter peccant et sunt in maximo damnationis periculo, qui restitutionem ad mortem differunt, vel qui restitutionem aut dubium quod habent circa restitutionem bonorum, rejiciunt in hæredes. Ita omnes TT. *Ratio ;* quia creditores hanc dilationem ægerrimè ferunt, non tam ob damna communiter emergentia quàm ob periculum omnino carendi re sua. Praxis enim ostendit, hæredes, præcipuè nobilium, admodum esse negligentes in exequenda voluntate defuncti. Vide C. de Lugo suprà, n. 212. Subinde tamen excusare potest periculum infamiæ gravis aut alia justissima causa.

424. *Dico* 6° : Qui jam aliàs à confessario monitus, bis, ter aut sæpiùs restitutionem promisit, et promisso non stetit, regulariter absolvi nec debet nec potest, nisi fortè per accidens ob impotentiam aut aliam similem causam excusetur à restitutione statim facienda. C. de Lugo cum communi, n. 213. *Ratio ;* quia sacerdos meritò dubitat de firmitate propositi, et aliàs etiam absolvi quater aut quinquies posset qui contra promissum, confessario datum, non ejicit concubinam ; quam facilitatem absolvendi meritò Palaus vocat nimiam audaciam. Quòd si tamen concurrerent ejusmodi circumstantiæ, quæ suaderent pœnitentem esse magis dispositum, putant Molina, C. de Lugo, Tambur. subin beneficium absolutionis concedi posse, ita tamen ut vetetur accessus ad eucharistiam, nisi priùs fiat restitutio. Cajetanus verò ait, pœnitenti sic disposito dicendum : *Credo, fili, propositum tuum esse serium, et ideò priùs restitue.*

425. *Dico* 7° : Si mora sit culpabilis in restituendo,

damnum emergens. Ita communis apud C. de Lugo, D. 18, n. 26. *Ratio;* quia debitor est injusta causa lucri cessantis aut damni emergentis. Molina tamen afferens varias leges, excipit contractum emptionis et venditionis in quo morosus debitor tenetur solvere tantùm intrinsecum interesse, puta, fructus quos percipere poterat emptor ex merce, vel augmentum valoris quod percipere poterat venditor ex tradita moneta, non item extrinsecum interesse. Verùm C. de Lugo, n. 28, existimat eas leges esse tantùm pro foro externo conditas, ad vitandam nimiam turbam litium.

426. *Dico* 8° : Si debitum sit ex delicto, tenetur debitor compensare lucrum cessans aut damnum emergens, quod oritur etiam ex inculpabili mora restitutionis. Ita contra Palaum C. de Lugo cum communi, D. 18, n. 40, et D. 21, n. 16. *Ratio :* Licèt ea mora non sit culpabilis formaliter et in se, tamen est culpabilis causaliter et in radice, quod sufficit hìc ad obligationem restitutionis. Excipiunt communiter casum, nisi debitor incideret in extremam necessitatem, in qua posset rem alterius consumere sine obligatione restitutionis; tunc enim debitor, extrema necessitate peracta, teneretur compensare tantùm lucra quæ priùs cessârunt, aut damna quæ priùs emerserunt. Addo, probabiliter etiam non esse compensanda damna emergentia vel lucra cessantia, quæ nemo prudenter unquam potuit suspicari.

427. *Dico* 9° : Si debitum non sit ex delicto, et mora sit inculpabilis in restitutione, regulariter aut per se compensari non debet lucrum cessans aut damnum emergens. Ita contra Molinam et Emman. Sâ, valde communis cum C. de Lugo, D. 18, n. 35. *Ratio :* Nam hæc obligatio compensandi lucrum cessans aut damnum emergens 1° non oritur ex injusta retentione, *quod patet;* 2° non oritur ex re accepta, quod iterum est manifestum; 3° non ex contractu; quia communiter contrahentes ad hanc compensationem se non obligant, et durissimum foret asserere quòd, si quis commodaverit mihi librum ad mensem, et tam ego quàm commodans oblivisceremur postea commodati, commodans autem qui fortè judicaret librum interiisse, compelleretur ad novum emendum majori pretio, tenerer excessum pretii refundere. Limitationem unicam appono : si creditor non sit contentus ut debitor diutiùs restitutionem differat, nisi cum obligatione sarciendi damna quæ fortè per moram evenient; tunc enim debitor vel statim debet restituere, vel, si velit peccatum effugere, debet implicito se pacto obstringere ad compensenda damna quæ fortè propter moram evenient.

428. *Obj.* : Si debitor qui culpabiliter est morosus, compensare debet omne lucrum cessans aut damnum emergens ex mora, magnates morosi plerumque cogendi forent ad hanc compensationem : hoc autem videtur esse contra praxim et à Molina negatur.

*R.* cum C. de Lugo, D. 18, n. 37 : sicut ad contrahendam gravem obligationem restitutionis, ordinariè et per se non sufficit quæcumque culpa etiam juridica vel purè venialis, sed requiritur determinatè culpa mortalis; sic etiam ordinariè et per se requiritur culpa mortalis, ut quis ob moram ad compensationem damni emergentis aut lucri cessantis obligetur : atqui sæpiùs debitor morosus excusatur à culpa mortali, quin etiam frequenter à culpa veniali. Nam 1° sæpissimè statuto tempore solvere non potest, et habet alios debitores à quibus debitum extorquere non potest, quod tamen esset pro solutione necessarium. 2° Sæpè creditorem ipsum habet obstrictum alio genere debiti : quocirca si non solvit creditor, etiam ipse non tenetur solvere, juxta legem *sciendum* 21, *ff. de usur. et L. quod te mihi* 5, *ff. si certum petatur.* 3° Sæpè debitor non advertit adesse tempus solutioni præfixum. 4° Subinde contingit ut debitor jam obtulerit creditori congruam solutionem, sed iste noluerit eam accipere. 5° Sæpissimè mora non est magna, creditores autem per contractum ex communissima praxi consentire censentur in ejusmodi moram; et nimiùm inurbanus foret qui, nulla coactus necessitate, non permitteret inducias debitori. 6° Sæpè debitor prudentissimè judicat creditorem non esse graviter invitum, aut præsumit à creditore se monitum iri, quando periculum ingrueret lucri cessantis aut damni emergentis. Nam, ut rectè C. de Lugo, n. 32, si creditor non monet, quamvis facilè possit, ac sciat monitum profuturum, emergens postea damnum non tam sequitur ex mora debitoris quàm ex negligentiâ creditoris. 7° Mercatores qui sciunt magnates aliquos in solvendo valde morosos, eis multò cariùs vendunt merces ob periculum lucri cessantis : tunc autem non video cur emptores obligentur semper ad compensationem lucri cessantis. 8° Esto magnates aliqui sint tardiores, tamen mercatores non graviter ferunt moram; quia plus ab illis lucrantur dum vendunt eis in majori quantitate, quàm iis à quibus paratam pecuniam accipiunt.

*R.* tamen 2° negari non posse quin magnates frequenter obligentur ad compensanda lucra cessantia vel damna emergentia, nempe si mora solvendi sit exorbitans, si facilè possint solvere moderando luxum, si sæpiùs à creditoribus fuerint interpellati de damno emergente vel lucro cessante, vel etiam si non sint moniti propter metum reverentialem. Tunc enim sub peccato mortali debent vel statim solvere, vel contractu tacito promittere compensationem lucri cessantis aut damni emergentis.

## QUÆSTIO XXVIII.

### QUIS ORDO SERVANDUS INTER CREDITORES.

* Scribente Voglerio, antiqui juris tantùm proposita auctoritate vigebant, jusque commune constituebant. Nunc autem emersit è veteribus expressum et temporibus accommodatum jus, Gallicum scilicet, quod quasi remota novaque tempora vinculum coarctat, majorum principia societatis recentioris necessitudinibus aptans; ideòque duplex erit hujus quæstionis tractatio; una ex jure communi tractabitur, altera, Codicis et jurisperitorum nostræ ætatis sententias expandens.

quid statuant docebit . Itaque videamus quid ferat quæstio *.

I. EX JURE COMMUNI.

429. *Sciendum* 1° creditores alios esse reales, alios personales. Reales sunt, quibus competit jus et actio realis adversùs debitorem; personales, quibus competit jus tantùm personale. Reale jus habent, quorum bona sunt apud debitorem, uti sunt res furto subductæ, res depositæ, commodatæ. Jus item reale habent qui pignus aut hypothecam habent in bonis debitoris; nam pignus aut hypotheca fundat actionem realem quasi Servianam. Cæteri creditores habent jus tantùm personale.

430. *Sciendum* 2° creditores quosdam esse chirographarios tantùm, quosdam hypothecarios. Priores sunt qui, præter chirographum à debitore subscriptum, nil habent loco cautionis; hypothecarii, qui pignus aut hypothecam habent à debitore. Dicitur autem quis habere pignus aut hypothecam, quando res debitoris est ipsi obligata in securitatem debiti: et si quidem sit res mobilis, vocatur pignus, si verò sit immobilis, specifico nomine vocatur hypotheca, quamvis generatim hypotheca sumatur etiam pro pignore.

431. *Sciendum* 3° hypothecam aliam esse expressam quæ constituitur ex pacto contrahentium, aliam esse tacitam quæ constituitur ex sola dispositione legis; et unam esse specialem qua certa res obligatur creditori, aliam generalem qua res omnes obligantur creditori. Porrò tacitam et generalem hypothecam habet 1° maritus pro dote sibi promissa in bonis promittendis; 2° uxor in omnibus bonis mariti vel fidejussoris pro recuperanda dote; 3° fiscus aut camera principis in omnibus bonis illius qui fisco aliquid debet; minorennis in omnibus bonis tutoris aut curatoris; item ecclesiæ vel civitates in bonis eorum qui ærarium earum administrant; 5° filius in omnibus bonis patris administrantis bona adventitia; 6° dominus in omnibus fructibus et rebus illatis in prædium locatum pro assecuratione pensionis aut rei locatæ. 7° Qui mutuum dant ad instruendam aut reparandam navim, domum aut prædium, habent tacitam hypothecam in navi, etc. 8° Qui credit pecuniam, ut alter eat in militiam, comparet arma, equum aut alimenta.

432. *Sciendum* 4° creditores aliquos esse privilegiatos, et aliquos non privilegiatos. Illi sunt qui per speciale legis positivæ privilegium aliis creditoribus anteferuntur; isti verò, quibus non competit ejusmodi privilegium.

433. *Sciendum* 5° creditores plurimos esse certos, plurimos incertos; plurimos esse creditores ob delictum alterius, plurimos sine delicto alterius; plurimos item ex titulo purè gratuito, plurimos ex oneroso: quæ non indigent explanatione. Difficultas exoritur, quinam ex istis creditoribus sint præferendi, quando bona vivi vel defuncti debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus. Res est intricatissima propter innumeras leges, ut confessarius doctus sibi raniquam satis fidere possit. Vide Mol. tom. 3, D. 536 et 565, item 760; Lessium, L. 2, c. 15, Vasq. c. 11, de Rest. Dicast. L. 2, tr. 2, D. 11; Palaum, de Just. p. 18 à § 13; C. de Lugo, D. 20; Haunold. tr. 2 à n. 400.

434. *Dico* 1°: Creditores reales, quorum res extant apud debitorem, præferendi sunt omnibus aliis creditoribus. Ita omnes, et habetur *L. Procurat.* 5, *sed si dedi* 18, *ff. de tribut. act. D. Julianus* 13, § *offerri* 8, *ff. act. empt. L. si ventri* 24. § *in bonis* 2, *ff. de privilegiis creditorum.* Ratio est plana; quia solutio aliorum debitorum fieri non debet ex bonis alienis invito domino, sed fieri debet ex patrimonio debitoris. Nonnemo doctrinam extendit etiam ad casum quo debitor ex alieno factus est ditior, et res aliena tantùm æquivalenter extat. * Hæc sententia ex collat. Paris. *de usurâ*, et ex sancti Antonini verbis deducitur. Verùm alii communiter hoc non exprimunt; imò verò non sine causâ reprobant: quia 1° hìc non eidem motivo applicando locus est, cùm, re non subsistente, pretium sit in domicilio debitoris; 2° quo admisso quærendum foret quod æquivalens in locum rei fuerit suffectum, quæ perquisitio moraliter et in facto impossibilis est *.

435. *Dico* 2°: Creditores hypothecarii per se præferendi sunt omnibus personalibus. Ita omnes, et habetur *L. eos* 9, *C. qui potiores in pignore.* Ratio: Nam hypotheca est jus in re; vel, ut recentioribus loqui placet, est quædam servitus imposita rebus pro securitate debiti: jus autem in re fortius et efficacius est quàm jus tantùm personale; nam jus reale facit rem ipsam obligatam, jus verò personale tantùm facit personam obligatam; et sicut solutio fieri non potest ex bonis verè alienis invito domino, sic fieri non debet ex bonis quasi-alienis aut per hypothecam subjectis alteri domino. Excipiunt communiter creditorem personalem, qui dedit expensas ad funus debitoris, vel alterius cujus funus ad debitorem spectaret; nic enim præfertur omnibus hypothecariis, juxta *L. quæsitum* 17, *ff. de privil. credit. L. et si quis* 14, § 1, *ff. pro mort. L. pen. ff. de religiosis*, *et sumptibus funerum.* Quam prælationem communiter etiam extendunt ad medicos, chirurgos aut eos qui dederunt expensas tempore morbi, vel pro testamento et confectione inventarii. Nonnemo videtur extendere prælationem etiam ad eos qui dederunt necessaria pro sustentatione statûs: sed hoc rejicitur à C. de Lugo, n. 82.

436. *Dico* 3°: Inter creditores hypothecarios præferendus est antiquior, nisi junior aut posterior gaudeat speciali privilegio juris. Ita colligitur ex *L.* 4 *et* 6, *Cod. qui potiores in pignore;* et hìc maximè locum habet regula juris 54, *in* 6 : *Qui prior tempore, potior jure.* Ratio verò; quia res per hypothecam anteriorem jam est quasi alienata priori creditori, et transiit in reale jus illius: ergo non potest creditori posteriori per novam hypothecam obligari sine tacito vel expresso consensu illius: atqui creditor anterior tantùm consentit conditionatè, si nimirum ei possit ex aliis bonis satisfieri. Cæterùm regula procedit etiam quando tacito præcedit expressam aut generalis

specialem, ut contra Navarrum et Silvestr. communiter theologi et jurisconsulti.

437. *Dico* 4°: Creditores personales ob titulum onerosum præferendi sunt creditoribus personalibus ob titulum purè gratuitum. Ita communis apud C. de Lugo, n. 141, et colligitur ex *L. inter eos* 19, § *is quoque*, *ff. de re judicata*. Ratio prima. Qui gratuitò promittit, tacitè semper apponit hanc conditionem, si commodè vel sine præjudicio alterius potuero, vel nisi rerum status notabiliter mutetur : atqui status iste notabiliter mutatur, si creditoribus aliis quibus oneroso titulo debitor obstringitur, non possit aliàs satisfieri. Secunda. Sicut esset iniquum facere liberalem donationem ex bonis alteri debitis per titulum onerosum, hoc enim esset offerre munus ex rapina ; sic etiam iniquum esset promittere donationem ex bonis alteri debitis per titulum onerosum. Tertia. Ut aliqui discurrunt, in debito gratuito tantùm intervenit unicum vinculum libertatis gratuitò se ligantis ; in debito autem oneroso intervenit vinculum quasi duplex, scilicet obligatio voluntatis et obligatio oneris quod alter subiit : duplex autem vinculum per se præferendum est uni.

438. *Dico* 5° : Inter creditores personales præferendi sunt qui speciale privilegium juris habent. Ita omnes. Gaudent autem ejusmodi privilegio, 1° qui dederunt expensas funebres, quos, ut nuper dictum, oportet etiam hypothecariis creditoribus anteferre ; 2° sponsa de futuro, quæ dedit dotem, matrimonio non secuto ; 3° qui deposuit pecuniam apud depositarium à republica constitutum, neque percepit inde lucrum : imò Lessius contra Molinam hoc extendit ad omnes deponentes ; 4° pupillus, minor, fatuus qui, præter hypothecam tacitam, habet privilegium ut præferatur omnibus creditoribus personalibus tutoris; 5° qui dedit pecuniam ut ex ea solveretur creditori personali privilegiato ; tunc enim succedit in locum privilegiati. Plura videre poteris apud C. de Lugo à n. 81, et Haunold. à n. 243, ubi recenset ordinem servari solitum ex jure Bavarico.

439. *Dico* 6° : Inter creditores personales, æquè vel nullo modo privilegiatos, non est præferendus qui prior est tempore. Ita omnes juristæ teste Haunold. n. 419, quos sequuntur ex theologis S. Antoninus, Silvester, Navarrus, Azor, Molina, Lessius, Reginaldus, Vasquez, Layman, Palaus, Haunoldus, Illsung, contra Barth. Medinam, Sà, Valentiam, Toletum, Rebellum, quibus adhæret C. de Lugo, n. 146. Ratio prima. Quia sic habetur expressè *L. privilegia* 32, *ff. de priv. credit.* Secunda. Regula 54, *in* 6, *qui prior tempore, potior jure*, tantùm est lata pro creditoribus hypothecariis, et, ex intentione legislatorum aut ex paritate rationis, extendi non potest ad personales ; nam anterior hypothecarius ideò præfertur, quia jus prioritatis acquisivit in rem ipsam, cui debitor præjudicare non potest : at creditor personalis tantùm habet jus in personam debitoris, qui sæpiùs obligari potest etiam, cum præjudicio creditoris, juxta *L.* 1, § 2, *ff. de separationibus.* Tertia. Sententiam hanc evertere periculosum esset, quâ sublatâ fraus et dolus patentibus foribus admitterentur, quùm nihil facilius esset quàm tempus contractæ obligationis incertum vel ignotum facere. Quarta. Creditoris munus est, et securitas jubet, ut hypothecâ inscriptâ, debitum suum assecurari præcaveat : quod si omittat, damnum subsequens nulli alio quàm sibi imputare potest *.

440. *Dico* 7° : Creditores personales magis indigentes, nisi laborent extrema vel valde gravi necessitate, non gaudent privilegio prælationis. Ita Vasquez, Azor, Lessius, Palaus, Bonacina, Turrianus et C. de Lugo, n. 161, contra multos antiquos. Ratio prima. Quia nec ex jure naturali nec ex jure positivo probatur ejusmodi privilegium : non ex jure positivo ; nuspiam enim talis lex reperitur : non ex jure naturali, quia tam dives quàm pauper habent æquale jus in solutionem. Secunda. Aliàs, etiamsi creditor hypothecarius antiquior haberet jus ad centum, et posterior ad mille, deberem priùs solvere posteriori, tanquàm magis indigenti, vel cui plus debetur. Tertia. Sicut non potes auferre centum aureos diviti, propter qualemqualem etiam gravem tuam necessitatem, ita non potes restitutionem centum omittere respectu divitis ob majorem indigentiam alterius.

441. *Dico* 8°: Creditores certi communiter præferendi sunt incertis. Ita communis apud C. de Lugo, n. 2. Imò P. Azor, p. 3, l. 4, c. 36, dicit omnes in hoc convenire, quamvis Molina contrarium teneat, cujus sententia est probabilissima. *Ratio communioris assertionis est.* Creditor incertus ordinariè non est rationabiliter invitus ut debita certa præponantur incertis ; magis enim expedit ad cavendas perpetuas lites, ut certa debita priùs solvantur ; et incerto creditori melius est ut, solutis debitis certis, ipse retineat integrum jus, ut cum tempore, si redeat et debitor ad meliorem fortunam perveniat, possit integrè suum debitum exigere. 2° Incerta bona quæ sunt ex delicto, juxta leges eroganda sunt in pauperes et causas pias : at causa piissima est si solvantur debita certa. 3° Si bona incerta non sunt ex delicto, probabiliter nec jure naturali nec positivo debent erogari in pauperes aut causas pias : ergo potest et debet ex iis fieri solutio debitorum certorum. 4° De jure naturali certum est faciendam esse restitutionem, quoties debitum est certum : at de jure naturali non est certum faciendam esse restitutionem, quando debitum incertum ortum est sine delicto : jus autem naturale certum per se præponi debet incerto. Excipit C. de Lugo creditores qui propter nimiam distantiam conveniri non possunt, et æquiparantur creditoribus incertis ; nam isti probabiliùs malunt fieri restitutionem fratribus aut consanguineis egenis, qui sunt in loco debitoris. Idem est si creditor qui conveniri non potest, præsumitur velle potiùs ut debitum expendatur in bonum ipsius ad sacra legenda. Lessius quoque cum quibusdam ut certum supponit, quando res aliqua quoad individuum est incerti domini, ex ea non posse fieri solutionem debiti certi, quia solutio fieret

ex alieno. Verùm licet ista doctrina sit verissima cùm magna vel moralis est spes reperiendi dominum, at quando spes evanuit, non video quare non eodem jure possit res in solutionem debiti certi, sicut in pauperes vel causas pias expendi.

442. *Dico* 9° : Creditores ex delicto debitoris per se non sunt præponendi creditoribus sine delicto debitoris, nec vicissim. Ita communissima doctorum, quibus adhæret C. de Lugo, n. 36, contra multos veteres. *Ratio.* Nam, ut ex objectionibus patebit, nec ex jure naturali, nec ex jure positivo colligitur quòd unus creditor alteri sit præponendus, et æquè repugnat justitiæ detentio rei debitæ per contractum, ac detentio rei debitæ per delictum.

443. *Dico* 10° : Creditori gaudenti jure prælationis debet integrè solutio præstari, quamvis parum aut nihil supersit pro cæteris creditoribus. Est communissima doctorum ; *et ratio ;* nam in hoc ipso consistit jus et beneficium prælationis. Nec obstat quòd plurima prælationis privilegia dependeant tantùm ex jure civili : cùm enim leges istæ non sint pœnales, nec fundentur in falsa præsumptione, et sint rationabiles ac justæ, vim habent etiam obligandi nos in conscientia.

444. *Dico* 11° : Quando plures sunt creditores ejusdem qualitatis, et nullus eorum habet jus prælationis, debitor qui non potest omnibus totum solvere, debet solvere quantum potest, secundùm partes proportionales debiti, ita ut cui plus debet, proportionaliter etiam plus solvat. Ita communis, *et ratio ;* quia non potest excogitari melior modus satisfaciendi ; et debitor, si vellet uni solvere totum, ageret in præjudicium aliorum. 2° Si tamen ex creditoribus æqualibus unus in judicio præveniret ac peteret solutionem totius debiti, posset ei per sententiam adjudicari tota solutio. Sic enim statuitur in lege *quod autem* 6, § *apud Labeonem* 6, *et* § *sciendum* 7, *et L. pupillus* 24, *ff. quæ in fraudem creditorum*, ubi jura volunt præmiare vigilantiam creditorum, et citiùs petenti conferre jus prælationis. 3° Extra judicium tamen probabiliter inter creditores æquales non potest debitor priùs petenti præstare totam solutionem. Ita Vasq. Turrianus, Medina, Palaus, Lugo, n. 173, contra Silvestrum, Navarrum, Lessium, Aragonium, Bonac. et Reginald., quorum sententia etiam valde probabilis est. *Ratio.* Quia nec ex jure naturali, nec ex jure positivo sufficienter colligi videtur quòd extrajudicialiter petens habeat privilegium prælationis ; et ejusmodi privilegia, cùm vergant in præjudicium aliorum, citra necessitatem extendi non debent ; imò non pauci dubitant an etiam in judicio petens accipere possit totam solutionem. Unde 4° juxta priorem sententiam, peccat contra justitiam creditor qui petit solutionem totam extra judicium, sciens alios adesse creditores æquales, quibus postea satisfieri non possit ; sic enim petens inducit alterum ad id quod citra peccatum injustitiæ fieri non potest. Imò probabiliter etiam peccat contra justitiam acceptans solutionem altro oblatam ; quia, ut discurrit C. de Lugo, n. 116, contra Mol. et Less., licèt non cooperetur peccato dantis aut offerentis solutionem, cooperatur tamen injustæ damnificationi creditoris alterius, quem impedit ab acquirendo suo debito, cùm per acceptionem ejusmodi debitor fiat impotens ad præstandam ei solutionem. 5° Valida tamen foret hæc solutio vel acceptatio ; quia debitor transferret dominium rei suæ, quæ nullo jure reali ponitur aliis creditoribus obnoxia. Quocirca, si creditor bona fide reciperet ejusmodi solutionem, nullo pacto teneretur ad restitutionem creditori qui præjudicium est passus : non enim teneretur ob injustam acceptionem, quia procederet bona fide ; nec teneretur ob rem acceptam, quia non acciperet rem alienam.

445. *Dico* 12° : Legata solvi debent post cætera debita testatoris. Ita communis et certa DD. apud C. de Lugo, n. 89. *Ratio prima.* Quia, cùm legata sunt omnino voluntaria, fiunt solùm ex iis quæ supersunt, deducto ære alieno, quod priùs ex justitia solvendum est. *Secunda.* Inter legata verò, nisi testator aliud decreverit aut possit ejus voluntas sufficienter præsumi, non est servandus ordo, sed juxta proportionem omnia solvenda. Sic iterum communis. Et ratio, quia non debet asseri prælatio quæ nec in jure, nec in disponentis voluntate fundatur. *Tertia.* Si tamen gravis sit præsumptio quòd testator potiùs voluerit exsolvi quædam legata, v. g., pia potiùs quàm profana, voluntas hæc est adimplenda. Sic communiter priùs solvenda sunt legata quæ testator applicavit ad missas pro se legendas. *Quarta.* Si legatum aliquod relinqueretur ad implendum votum defuncti, hoc esset præferendum ; nam executio votorum, antequam fiant legata, jam est debita ; legata verò cætera sunt purè voluntaria, ut meritò testator præsumi debeat voluisse priùs executionem votorum. *Quinta.* Si vota sint æqualia et æqualiter Deo placeant, nec omnia possint impleri, datur optio hæredi solvendi vota quæ voluerit. Ita contra Th. Sanchez, C. de Lugo, n. 93. Quod si tamen votum aliquod esset præstantius et Deo magis placeret, illud sine dubio præ cæteris esset solvendum.

## OBJECTIONES.

446. *Obj.* 1° *contra secundam conclus.* : Si creditor hypothecarius est præferendus creditori personali, præferendus est etiam venditori, qui rem tradidit emptori, sed non recepit pretium, contentus nudo chirographo, vel promissione emptoris ; sed hoc negatur à Rebello, Silvestro, Navarro, Medina, Lessio, Bonacina : 1° quia nimis durum videtur quòd, si mea merx extet apud emptorem, ego debeam fraudari simul merce et pretio, supposito quòd creditoribus hypothecariis aliter satisfieri non possit. 2° Contractus non obligant ultra mentem et intentionem contrahentium : sed venditores non volunt aliter transferre dominium mercis in emptorem, nisi sub conditione pretii solvendi, voluntque sibi reservare jus et regressum ad rem suam, casu quo emptor non potest exhibere pretium. 3° Qui locat alteri domum aut prædium, habet hypothecam tacitam in omnibus rebus invectis et illatis pro secu-

ritate pensionis, juxta *L.* 1 *et* 2, *ff. ex quibus causis pignus vel hypoth.*; at si res quæ nunquam fuit mea, obligata est mihi pro securitate pensionis, multò magis pro securitate pretii debet esse mihi obligata res quæ fuit mea.

*R. C. sequelam*, quam admittunt ex theologis Vasq. Navarra, Molina, Turrian. C. de Lugo, n. 17, et Haun. n. 402. *Ratio.* Si venditor præferri deberet aliis creditoribus, deberet præferri vel propter dominium, vel propter hypothecam quam habet in re : neutrum habet; non dominium, quia, si vendat crebrò, vel si tradat rem alteri contentus chirographo et nuda promissione emptoris, et nisi specialiter aliud exprimat in contractu, non sibi reservat, sed alteri dat dominium : aliàs alter non posset consumere vel alienare rem, nisi soluto pretio ; et, si res alienata transiret ad tertium, ab illo posset res iterum vindicari, quod est falsum. Sed neque venditor habet hypothecam in re emptori tradita ; nam hæc hypotheca ex nullo jure colligitur, et Haunoldo teste, apud juristas est inauditum quod venditor persequi possit rem alteri cum dominio tradi tam, actione reali vel quasi Serviana, nisi specialiter in contractu voluerit rem hypothecatam esse. Dein, si foret hypothecata, non posset alter ante solutum pretium consumere, vel alienare rem ; quod iterum est falsum.

*Ad primam prob. R.* Venditor imputare sibi debet quòd sit secutus fidem emptoris, et nec dominium sibi reservaverit, nec per hypothecam sibi caverit. Dein, si mercis emptor eam vendidisset aut donâsset tertio, non esset nimis durum si venditor à tertio non posset ampliùs vindicare rem, et deberet carere pretio simul et merce. Ad hæc venditores, dùm creditò vendunt merces, sæpiùs peccant contra justitiam, et justo cariùs vendunt, ut æquum sit eorum injustitias ita puniri. *Ad secundam.* Venditor actu non habet hunc animum, sed tantùm haberet si periculum actu prævideret. In contractibus autem non attenditur ad intentionem habitualem et conditionatè tantùm futuram, sed ad actualem et præsentem. *Ad tertiam.* Objectio tantùm probat quòd jura potuissent in gratiam venditoris constituere tacitam hypothecam in merce, non autem quòd actu constituerint. Neque valet hìc argumentum à pari ; quia legislatores id non voluerunt, cùm successivè plures hypothecas novas induxerint, quamvis initio jam adfuerit major aut par ratio eas inducendi, sicut inductæ sunt aliæ. Dein non est paritas ex casu locationis : nam locator non potest statim petere pretium locationis, sed debet expectare per bonam anni partem, v. g., per trimestre, donec conductor re fuerit usus : at venditor statim potest petere pretium mercis. Alius fortasse casus foret, si venditor per dolum fuisset deceptus ab emptore circa solutionem pretii ; tunc enim venditio foret nulla, vel certè statim ad arbitrium vendentis deberet rescindi.

447. *Obj.* 2° *contra sextam conclus.* Non solùm inter hypothecarios, sed etiam inter personales videtur esse præferendus antiquior creditor ; nam 1° jura civilia, quæ videntur contraria, sunt correcta per jus canonicum, ubi statuitur universalis regula, *qui prior tempore, potior jure.* 2° Quando res eadem ex intervallo duobus est vendita, sed neutri tradita, juxta communem omnium res tradi debet ei qui priùs emit. Quando Titius initio contraxit sponsalia cum Berta, dein cum Sabina, procul dubio debet servare fidem sponsæ priori. Si promisisti tuam operam et servitium Caio, postea verò Sempronio, putans utrique servire te posse, superveniente impedimento, debes ei servire cui citiùs promisisti : at in his casibus debita sunt tantùm personalia. 3° Ideo præferendus est antiquior creditor hypothecarius, quia debitor, cùm eamdem rem obligat hypothecario posteriori, non aliter eam obligat aut obligare potest, nisi tantùm obligatione conditionata, vel cum conditione, si creditor antiquus non subeat præjudicium aut detrimentum : sed hæc ratio procedit etiam in antiquiore creditore personali ; nam debitor personalis creditori posteriori se non aliter obligat aut obligare potest quàm obligatione tantùm conditionata, vel cum conditione, si creditor antiquus non subeat præjudicium aut detrimentum. 4° Quando quis obligat se primo creditori, se tacitè semper obligat ad faciendum quod est necessarium ad solutionem, vel ad non ponenda solutionis impedimenta : ergo non potest obligare se creditori posteriori, nisi salvo jure prioris. 4° Iniquus foret hic actus : Promitto tibi solutionem, etiamsi non possim solvere citra præjudicium antiqui creditoris, cui debeo totam solutionem : ergo etiam iniquus est hic actus : Obligo me tibi ad solutionem, etiamsi non possim id facere sine præjudicio prioris : ergo, qui justè promittit aut obligat se novo creditori, tacitè semper apponit conditionem, si solutio fieri possit sine præjudicio prioris. Hæ rationes quibus C. de Lugo contrariam sententiam à n. 147 probat, eam procul dubio reddunt valde probabilem, quamvis idem eminentissimus fateatur nostram quoque probabilissimam esse propter auctoritatem et leges.

*R. N. A. Ad primum.* Correctio juris est vitanda quoad fieri potest, et regula juris canonici communiter intelligi solet de creditoribus hypothecariis, nec est applicanda personalibus. *Ad secundum.* In exemplis illis creditor antiquior habet jus ad rem determinatam, et res illa, postquam absolutè est debita uni, non potest absolutè alteri citra injuriam obligari ; in nostro verò casu datur obligatio vel jus ad rem tantùm indeterminatam. *Ad tertium.* Si talis conditio inesset secundæ obligationi personali, vel inesset ex intentione tacita, vel expressa contrahentium, vel ex dispositione legum. Non ex dispositione legum, cùm istæ non præferant antiquiorem debitorem personalem. Non ex intentione expressa contrahentium; nam isti communiter expressè nullam conditionem adjiciunt. Non ex intentione tacita contrahentium ; licet enim apponerent ejusmodi conditionem, si præviderent periculum in solutione, tamen, quando non prævident, nihil addere solent. Dein etiam in hypothecis sæpiùs non adest ejusmodi conditionata voluntas ; cùm sæpiùs creditor hypothecarius posterior ex privilegio juris præferri debeat an-

teriori. Quocirca generatim dicendum est contractus, nisi quid aliud exprimatur, fieri juxta mentem et intentionem legislatorum : atqui legislatores non volunt contractus posteriores, in quibus obtinetur debitum personale, fieri tantùm conditionatè. *Ad quartum.* Debitor ad summum se priori creditori censetur adstringere ut non ponat impedimenta voluntaria solutionis : dum verò contrahit novum debitum, rationabiliter putans se futurum solvendo parem, non voluntariè ponit impedimentum solutionis, sed est per accidens deindè quòd propter inopiam supervenientem solvere non possit. *Ad quintum.* Iniquus foret hic actus, si debitor actu prævideret morale periculum : secus verò non est iniquus, et retorsio patet in hypotheca posteriori et privilegiata, quæ licitè constituitur, esto per accidens subinde prior hypothecarius subeat aliquod impedimentum in solutione.

448. *Obj.* 3° *contra tertiam conclus.* Debita ex delicto videntur priùs solvenda quàm debita ex contractu ; quia 1° sic sentit S. Th. opusc. 73, c. 18. 2° Priùs recedendum est à graviori peccato quàm à leviori : ergo priùs recedendum à retentione rei per furtum acquisitæ, quàm à retentione rei debitæ per contractum. 3° Sicut justitia graviùs obligat ad non furandum quàm ad non accipiendam usuram, sic etiam graviùs obligat ad restituendum debitum ex furto quàm debitum ex usura ; ergo etiam minùs obligat ad restituendum debitum ex contractu licito : at, quando concurrunt duo præcepta, quæ simul servari non possunt, debet servari potiùs quod gravius est. 4° Per restitutionem debiti ex delicto tollitur injuria : per restitutionem verò debiti ex contractu licito non tollitur injuria, sed tantùm impletur justitia : major autem est obligatio tollendi injuriam quàm implendi justitiam. 5° Creditor ordinariè magis est invitus, quando non restituitur debitum ex furto vel rapina quàm quando non restituitur debitum ex contractu licito. Item qui per contractum alteri dat rem suam, volens eam exponi alicui periculo ; qui verò rem amittit ex furto vel rapina, nullo modo voluntariè rem amittit.

*R. ad primum :* Ut notat Sylvius, opusculum illud probabiliter non est S. Thomæ, cùm in editione Romana sit aliis litteris impressum. Dein esto divus Thomas esset contrarius, tamen in foro judiciali contrarium observatur, et in imperanda restitutione non fi discrimen inter debitum ex delicto et debitum ex con tractu : durum autem est dicere quòd judices, indifferenter imperantes restitutionem, agant contra jus naturale. *Ad secundum :* Si creditor restituit quod debet ex contractu, volens etiam, si posset, restituere totum quod debet ex furto, jam sufficienter recedit à peccato quod commisit per furtum. Dein etsi fur commiserit peccatum in furto quod non commisit in contractu, tamen si dominus æqualiter velit restitui rem debitam ex furto et rem debitam ex contractu, non minus peccatum est libere non restituere quod debetur ex contractu quàm quod debetur ex furto. *Ad tertium :* Justitia quidem graviùs vetat furtum quàm usuram ; quia gravior fit injuria simpliciter nolenti per furtum quàm non simpliciter nolenti per usuram : at non graviùs obligat ad restituendum debitum ex furto quàm debitum ex usurâ : quia virtus hæc in præcepto restitutionis non tam attendit ad injuriam quàm ad damnum : æquale verò damnum subit læsus, sive retineatur debitum ex usurâ sive debitum ex furto. *Ad quartum :* Per solutionem debiti ex contractu non quidem tollitur injuria præcedens, sed tamen impeditur ne fiat : perinde autem est in moralibus impedire ac tollere injuriam. *Ad quintum :* Creditor sæpè magis petit debitum ex contractu quàm debitum ex furto. Dein esto dominus communiter magis indignetur furi, propter præcedentem injuriam, non tamen minùs absolutè petit debitum ex contractu quàm debitum ex furto. Denique si graviter obligat ad reddendum utrumque debitum, non attendi debet in restitutione num intentiùs unum debitum exigat, sed utrùm exigat unum priùs quàm alterum.

### II. *Ex jure civili gallico.*

* Ut in hâc materiâ ordinatim et compositè digeri queant Codicis civilis aliorumque nunc temporis vigentium præcepta, utque simul à profanis distinctæ sint res theologicæ, totum hoc supplementum tribus articulis distribuemus. Primus Codicis civilis dispositiones de privilegio vel hypothecâ innitentibus creditoribus disseret ; secundus de creditoribus et debitoribus commercium agentibus, quibus assecurandæ obligationis causâ procedendi et persequendi seu defendendi rem suam ratio alia concessa fuit ; tertius theologorum proposita explanabit.

#### Articulus I.

#### *Codicis civilis dispositiones.*

Ex articulis 2092 et 2093 bona quæque debitoris, seu mobilia, seu immobilia, præsentia vel futura, corporalia tùm incorporalia, art. 517, 526, 528, 529 et 1166, communis cautio creditorum sunt ; juxta vires ejus fortunarum, æquâ proportione distribui debent, nisi anteponantur alii creditores legitimo titulo priorem locum obtinentes. Longè enim varia sunt jura in bonis, prout creditores chirographi, hypothecarii vel privilegiati sint.

Chirographi vocantur à græcâ voce χείρ et γράφω, quòd hoc nomine appellabantur qui titulum autographum à suo debitore quondam obtinuerant, nunc sic omnes qui titulo fruuntur cui nulla lex privilegia concessit, nec aliud jus quàm venditionem publicationemque bonorum provocandi, quo etiam casu proportione habitâ sui crediti in participationem vocatur, si ultra suas vires debitor conduxerit nummos.

Hypothecarii à voce græcâ ὑπόθηκα dicti sunt, quibus licet ex beneficio legis rem suam inter omnium manus insectari, chirographis exclusis, vel ad reliqua bona dividendum redactis ex privilegio lege concesso.

Tandem privilegiati, à vocibus latinis *primus* et *lego* dicti, tantâ apud legislatorem gratiâ valuêre, ut ipse statuerit privilegio nihil esse æquiparandum, hypothecariosque, et facilè intelliges chirographos, minùs ac-

ceptos excluderit. Privilegiati in distributione pretii concurrant, ex axiomate legis : *Privilegiatus contra æquè privilegiatum* non utitur privilegio. Art. 2093, 2094, 2096, 2097.

Quùm lex primò privilegiis faveat, dein hypothecis, postea chirographis, de privilegiis primò dicemus.

1° Habent autem privilegia vim tum in mobilibus tum in immobilibus; tum simul in omnibus bonis. Art. 2100.

Priorum, quibus mobilia tantùm gravantur, longam enumerationem attulerunt art. 2102, pro certis et determinatis mobilibus statuens, et art. 2103, in quodvis mobile jus decernens.

Aliorum qui in immobilibus jus privilegii obtinuerunt art. 2103 compendium facit, venditorum scilicet, mutuantium, cohæredum, de assecurando communi dividundo, architectorum opificumque, præstantium denaria ut solvantur opifices.

Posteriorum denique, quibus jus datur in mobilibus et immobilibus art. 2101 jam mentionem facit, qui præsertim sunt creditores pro impensis judicialibus, funerariis et ultimi morbi, famulorum mercede, victuum suppeditatione, etc. Sic ut ubique hæc credita, et quùm de immobilibus agatur, primum locum obtineant. V. art. 2104 et 2105.

2° Post eos qui privilegio gaudent, bona dividunt debitoris qui hypothecam in eis constituêre, quod fit non servato ordine acquisiti juris ad hypothecam, sed considerato tempore quo hypotheca inscripta fuit in tabellis conservatoris hypothecarum. Hæc de communibus seu conventionalibus et judiciariis hypothecis. Triplex enim est hypothecæ genus, scilicet : Hypotheca *legalis*, quæ competit feminis nuptis in bona mariti, minoribus et interdictis in bona tutoris, fisco civitatibus et publicis ædibus in bona exactorum ærariorum et administrantium suo periculo. Art. 2121. Etiam sine inscriptione primum locum in solutione vindicandâ obtinent minores, multisque in casibus feminæ secùs autem de fisco art. 2134, 2135. Hypotheca *judiciaria*, quæ vim obtinet ex sententiâ judicis, præsente vel absente vocato in jus latâ, jussuque regali executionis subscriptâ; art. 2123. Hypothecæ *conventionales*, seu consensuales, quæ assentientibus illis quibus alienare licet, in bonis eorum à creditore sumuntur; art. 2124. Plurimis autem hypothecis eodem die inscriptis, idem gradus conservatur, pro ratâque parte debiti concurrunt qualicumque horâ, seu matutinâ, seu meridianâ, seu vespertinâ conservator inscriptos fuis se notaverit.

Adjuvantibus his Codicis appendicibus, auctoris obscura esse desinunt quæ n. 435, 436, 438, 443 et 446 commenta evolvit. In chirographos et privilegio simul et hypothecâ destitutos recidimus, quorum jura satis luculenter descripsit auctor, n. 439 et 447, de præferendis vel non creditoribus antiquioribus tempore; n. 440, de indigentioribus; n. 441 de certis et incertis; n. 442, et 448, quid juris de creditoribus cum aut sine delicto; n. 445 an priùs legata testatoris quàm cætera debita solvenda sint.

### Articulus II.

*Codicis commercii dispositiones.*

Longè varia est Codicis commercii coram variis debitoribus persequendi ratio, prout commercio immisceantur vel non : in his enim qui veluti fide publicâ vivunt majorem actuum suorum observantiam exquirit, quàm in homine suis impensis substantiam quærente; commercii enim celeritas et commoda mutuam in negotiatoribus fiduciam exigunt, dùm contrà opifici quotidianum lacertis victum quæritanti, malè fiditur, imò fundorum dominis vix sine hypothecâ creditur. Alimentum ergo commercii fides, quam tutari lex debuit, ne periret invadente pecuniarum siti. Inde legis rigor exortus in hos qui deficiunt, commercii vices infelici successu experti, quibus præter carceris impendentis discrimen multiplices instant suspiciones. Hunc statum hominis solvendi sua debita in commercio inita imparis, vocant gallicè *faillite*, quem verbo *defectûs* traducemus : si sit autem debitis suis immersus homo non negotiator, dicemus eum *æs suum dissolvisse*, sive gallicè, *être en déconfiture*. Quidquid sit de his verbis, latinè parùm congruenter repræsentatis, de prioribus sermo sit, ut cognoscatur quid ad posteriores attineat.

Defectus seu impotentia negotiatoris locum habet ex quo alieno ære solvendo par esse desinit. Ipse calamitatem suam intrà tres dies notam facere declaratione debet, ut proindè liquidum fiat quo die defectum incœpisse tribunal statuet. Hujus autem diei maximè interest ut assignatio fiat à judicibus, ex eo enim contractuum sors pendet, declarantibus art. 443 et 444 quidquid immobilium translatum fuerit à debitore vanâ conventione tradi, si intra decem dies qui præcedunt diem assignatum, hæc alienatio locum habuerit. Disputatur etiam de sensu art. 442, quo administratio bonorum rapitur debitori ex die impotentiæ ejus. Quem diem hi aiunt esse epocham judicii declarantis; alii, quos plures sequuntur, stricto sensu diem esse intelligunt quo solvere cessavit. Quidquid sit, non possessio, sed administratio bonorum tollitur, ita ut salvis et incolumibus creditorum juribus, debitor vano cum titulo possidentis, in eorum detrimentum agere nequeat, usquedùm alii ipsi gestioni provideant. Cur autem statuatur non posse hypothecis gravari, alienationibus transmitti gratuitis bona deficientis, decem ante assignatam à judice epocham impotentiæ diebus, facilè detegitur; præcavit lex ne fraudulentis collusionibus debitorem inter et quosdam duriores creditores, cæteri fraudarentur.

Quibus autem factis suspicio et præsumptio fraudis adhæreat, videndum est; et quo principio innitantur judicum severiores sententiæ. In principio ergo ponitur nullitate affici quidquid in facto contrahentium vel in facto solius deficientis dolum redolet aut potest admittere. Et primò, ex parte debitoris, art. 445 Cod. comm., quidquid actibus commercialibus et stipulationibus fecerit et pactus fuerit intra dies de-

cem qui præerunt diei suæ impotentiæ assignatæ, fraude infici præsumuntur; quo casu non solùm vanescunt, sed et debitorem in suspicione collocant decoctionis fraudulentæ, Gallicè *banqueroute frauduleuse*. Secundò, ex parte eorum qui contraxerunt fraudulenter facta, ideòque inutilia sunt: 1° Omne privilegium et omnis hypotheca bonis debitoris imposita intra jam præscriptum spatium. — Quod asperiùs hic statuitur, si ad verbum Codicis attendatur; sed in practicâ distinguendum est inter privilegia quædam quæ dicuntur legalia, et privilegia quæ ex hominis facto procedunt, inter hypothecas legales et hypothecas conventionales; siquidem privilegiis articulorum 2101 et 2102 Cod. civ. quæ ex ipsâ lege proficiscuntur, nil nocet articulus 443 Cod. comm., dùm privilegio. art. 2071 Cod. civ. de pignoratis certissimè aliter statueret. Item de hypothecis; quas memorare oportet dividi in legales, judiciarias et conventionales. Dicendum ergò esset maritum, uxore orbum intra decem supradictos dies, hypothecâ certissimè legali bona sua onerare, quùm tutor filiorum necessariò fiat; contractas autem hypothecas judicio inscripto, vel eas quas nova sponsa intra hoc tempus requisivisset, nullâ virtute vigere. 2° Omnes actus transferentes dominium, gratuitò facti; translatorii autem actus dominii sunt alienationes, venundationes, donationes, etc., plerique articulo 893 Cod. civ. enumerantur; nec lex, eos in fraudem factos præsumens, aliquid effugii linquit in quo confidere possint creditores collusionis rei. Non tamen in legis exclusionibus mobilia numerantur, dummodò non ita sint immodicæ donationes eorum, ut creditores debito possint destituere, quo casu allatâ probatione ex art. 447 Cod. comm. annihilarentur. 3° Quidquid pecuniarum solutum fuit intra eosdem decem dies, pro debitis commercialibus nondùm exigibilibus, quoquo modo fiat hæc solutio, tum pecuniâ, tum obligationum et titulorum remissione, tum mercium, repeti debet ut in fraudem factum creditorum. Contendunt multi propriorum chirographorum emptionem pro fraudulentâ habendam esse, ex eo quòd nondùm sint exigibiles, sint commerciali debito inhærentes, ideòque art. 446 certissimè obnoxii; sunt autem plurimi qui respondeant actus merè commerciales non ei qui periclitatur, necdùm defecit, esse interdictos; atqui chirographorum emptio merè actus est solitus commercii et etiam sese liberandi et augendarum fortunarum modus expeditissimus; non ergo chirographos suos pacto lucro redimere vetatur. Facilè videbitur exigibile debitum non iniquè et in vanum solvi, siquidem absurdum esset pro crimine ducere quod lex et judices sanciunt, et non sine magnis impensis exigunt, solutionem scilicet debiti. Si de aliis debitis non commercio durante factis sermo est, nullam textus patitur controversiam. Siquidem multis in casibus Codex commercialia debita ab aliis sejungit et distinguit; si ergò hic debita commercialia directis verbis commemorat, de his solummodò agi voluit.

Hùc usque de his sermonem habuimus quæ nullitatem ex se ipsis trahunt, ità ut sufficiat eorum factorum præsentia ad suspicionem fraudis patenter admissæ: præsumitur in his omnibus fraus debitoris vel dolus creditorum fictorum; contrà præsumptiones legales quæ constituuntur ipso actu, nihil valeret bona fides, quia nulla probatio contrà legis vetantis vel jubentis præsumptiones aliquid admittentes vel denegantes, afferri potest. Sunt autem alii actus quorum fraus probatione innotescere debet ut irriti dicantur. Generaliter et art. 447 Cod. Comm. dispositionibus et principiis art. 1167 Cod. civ. innixi creditores fraudem patefacere debent: hoc in eorum munere est et utilitate. Imò in casu venditionis factæ oneroso titulo, non tantùm debitoris aut creditoris vel extranei mentis fraus peculiaris probanda est, sed etiam incumbit onus creditori qui eos actus explodit, probandi utrinque fraude peccatum fuisse; si quidem, non in eâdem lineâ erat æquum eodemque statu constitui emptorem bonæ fidei, qui certo pretio venundata exsolvit, et donatarium, qui nullâ impensâ factâ, creditorum detrimento augeretur et ditesceret. Ita Curia Cassat. 1823. Prætereà necesse est ut verè intersit utilitatis creditorum ut actus argui possint. Hìc enim duo notanda: 1° Legem etsi commercialibus maximè rebus consulentem noluisse tamen ut suspicionibus perpetuis et præsumptionibus infensis porta panderetur actusque forsan fide et probitate regentibus initos, duplicis et dolosæ intentionis leviter insimulari. 2° Non voluisse eamdem à quibusvis, quorum causa non agitur, in jam abruptis negotiis impedimenta strui, ideòque solis creditoribus jus proponendarum nullitatum tribuisse; imò verò debitoris deficientis has invocantis prætensa redarguit, multiplici de ratione; seu quòd *non auditur homo turpitudinem suam allegans*, ut fert lex Romana, seu quòd pactis et conventionibus propagandis consuli debeat, et ut securitas afferatur in his maximi sit momenti. Hoc statuit Curia suprema 9 maii 1834. Syrey, t. 34, l. 323.

His præmissis, transimus ad nullitates probatione fraudis determinandas. Hujus generis sunt quælibet in fraudem creditorum facta, quod planè cum jure romano congruit, quod etiam libertatem datam hoc modo irritam esse volebat. Nec solùm quæ intra decem præscriptos dies facta sunt, sed longè ante debitoris defectum et impotentiam in ita sub hoc art. 447 imperio rediguntur, ut patet sententiâ Curiæ Cass. 2 julii 1834, quâ etiam usura est restituenda pecuniarum, fraude pluribus abhinc annis in detrimentum creditorum admissâ. Syrey, t. 34, l. 710. In actibus suspectis numerant actus commerciales art. 445 citatos: bonorum derelictionem incuriamque, juris sui abdicationes; sic creditoribus licet ex debitoris parte, et veluti eum etiam invitùm repræsentantes, hæreditatem adire, art. 788; communionem bonorum invocare, art. 1464; communi dividundo intervenire, art. 865; separando patrimonio obsistere, art. 878; dividendo patrimonio adesse,

art. 882; derelinquen lis bonis obsistere, art. 1053; bonorum divisionem inter uxorem et maritum, etiam patratam, è novo oppugnare, art. 1447; actus tùm civiles, tùm commerciales fraudem redolentes discutere, art. 1167 Cod. civilis.

Hæc de versantibus in commercio, quibus addi tamen possint carceris imminens periculum quotiescumque chirographis dictis *lettres de change* non satisfaciant ærumnosi negotiatores, longèque severior pœna quæ fraudulentam decoctionem afficit. De cæteris debitoribus passim lex statuit, bonorum addictionem publicam jubens, pecunias debitas ipsis in gratiam creditorum apprehendens, mobilia et immobilia publicari sinens, ex quo pecuniæ dissolutio, seu *déconfiture* gallicè, denegatâ solutione chirographorum vel obligationum omissione constans fuerit, et solvendo factus sit impar, art. 1276, 1446, 1613, 1865, 1913, 2003, 2032, Cod. civ., et titulos VII, VIII, IX, X, XI, XII Cod. Proced. civ. lib. V. Intereà autem nullo in loco administratione bonorum suorum destituitur ut qui commercium agit; et certissimè quanquàm omnia quæ nuper dicta sunt de juribus creditorum extendantur non tantùm ad creditores commerciales, sed etiam ad quosque obligationum possessores, quamvis præter hos articulos sibi faventes, habeant etiam creditores, art. 1167 Cod. civ. dispositiones, non tamen ad id gratiæ in ipsos procedit lex gallica, ut non negotiatores tractare detur commercii Codicis asperitate, et alienationes decem ante dies dissoluti æris pro ruptis et inutilibus habere. Ut etiam ex articulo 1167 et aliis inquiratur in detegendam fraudem præsumptionibus gravibus, directis et concordantibus magistratus inniti debet, ut conscientiæ lucem inferat et securo animo dijudicet: non, ut in commercialibus, adsunt præsumptiones ex suâ naturâ actuum deletrices.

Quæritur ergo ex hisce omnibus quis sit ordo asservandus inter creditores quibus non potest debitor æs totum absolvere. Perpensis omnibus hùc usque allatis, facilè videbitur quid in pari casu faciendum sit. Quid autem statuatur theologicè, et quoad forum conscientiæ, nunc exponendum ut quæstionis nullæ desint illustrandæ rationes.

III. *De theologicis statutis pro ordine servando inter creditores.*

Notandum primò quo in statu ad respectum creditoris sit debitor. Triplex esse potest:

1° In jus vocavit debitorem creditor. Communi omnium approbatione receptum est debitum, cujus dies solutionis cedit, judicis ministerio posse repeti. Quo casu certè, ut minùs sibi noceat, impensas juris sustinendo, potest debitor aliis persecutorem suum in lite præferre, eique solvere, si præsertim alia debita nondùm exsolvenda sint. Vidimus hoc esse in tribunalium normâ, siquidem etiam qui æs dissolvit suum, urgenti in jure creditori intra decem decoctionis dies, satisfacere potest. Idem assentiunt theologi.

2° Rem suam creditor extra judicium repetit. Sunt benè multi qui æs solvi volunt. Jus enim, aiunt, non petitionem inter juridicam et non juridicam distinguit: æquali lance utramque admittit et ponderat; nec videretur rectum jure suo destitui creditorem eò quòd nec se, nec illum lædere gestit, ipsius fortunam mutilando, et impensis parcendo inutilibus quarum utrumque pœnitet. Sed plures contra statuunt nimiam hoc modo permitti licentiam debitori, ipsum judicem horum quos affectus aut commodum eum impellit ad exsaturandos, efficiendo sinendoque ut arbitrio suo aliena jura discutiat: præterquàm si hæc solutio admitteretur, nullius virtutis esset prohibitio solvendi, quæ vocato et monito creditore de ærumnâ suâ, à debitore facillimè eluderetur, cùm statim admonitus ad judiciales modos incurreret. Pari nos charitate quemque diligere proximum volens, mandatum non sinit ut fiat personarum acceptio, cùm præsertim lex non homines, sed naturam crediti introspiciat et ordine disponat.

3° Si nec juridicè nec alio modo repetatur, distinguendum an sit exigibile debitum vel non: primo casu, solvi potest, siquidem dies veniens obligat, et quod debetur etiam sine petitione adstringit ad solvendum. Quo casu excepto, pro iniquâ ducunt omnes ferè theologi debiti solutionem uni tantùm ex æqualibus in jure creditoribus factam. Inter creditores autem rursùs fit distinctio: vel enim ignorat creditor fraudem admitti à suo debitore, tuncque est bonæ fidei; vel cum eo colludit, et est malæ. Primo casu, non acceptum æs restituere debet, quia et suum accepit, et alienum non est adeptus, debitore bonorum suorum semper compote, nec unquàm acceptionem sibi exprobrare debet, qui fidenter et puro animo suum expetiverit. Sunt tamen nonnulli qui ratiocinantur materiali et actuali modo creditorem qui pecunias accepit, etsi involuntariè defraudâsse ejusdem juris participes, ideòque, re cognitâ, restitutionis faciendæ obligationem concipere; nullus enim omni jure locupletior fieri potest divitiis alienis. Alio casu, etiamsi cognoscat secum plures concurrere, si acceperit, sunt aliquot theologi qui restitutionem non deberi judicant hoc ratiocinio: rem accipere potest, suam enim esse scit: ergo jure eam assumere ex debitore offerente licet. Quòd si damnum quid patiantur alii, res ipsius non agitur; non enim tenetur suo damno et suis impensis aliorum detrimenta prævenire. Quam facilè factorum logicam leges evertunt et multiplices theologi in unum coeuntes. Quicumque enim suo facto sciens, vel etiam nolens, à fortiori autem re deliberatâ, proximo damnum infert, de restituendo tenetur; nec innoxia dici potest acceptio supradicta, cùm nocivos parit effectus. Aliundè, qui cooperatur malo, malum facit ipse; atqui debitor scit se malè agere, creditor non ignorat; ergo conscii sunt, reique simul. Tertiò, commune esse pignus creditorum vult et lex et ratio; atqui in bonorum insufficientiâ, pars cujusque minuitur, pro rata præstitorum. Jus ergo etiam cujusque creditoris in proportione decrescit; atqui totâ summâ acceptâ, duplex iniquitas locum habet: 1° creditorum fortunis aliquid detrahitur, 2° majorem ac jus permittit partem refert creditor, non suum abripit: ergo tenetur resti-

tuendo. Congruit hæc solutio etiam legibus et veteribus et nuperis.

Putamus nos parvi interesse an petitionem creditor in jure protulerit, necne. Si enim licet ipsi rem suam in jure persequi, non benè sentimus quâ de causâ extrajudicialiter non posset idem agere, nisi contendant ex petitione in foro jus fluere, quod nos et omnes soli obligationi tribuimus et pactis. Cùm autem non expostulari debet res ut non obtineatur, qui petere potest, potest ergo et accipere; frustra enim diceretur per oblationem debitoris fieri ut creditor jus suum amittat. Aliundè, si admittas in jure posse peti quod nobis debetur, et admittere debes nos posse etiam petere extra judicium; si secùs statueretur, inde fieret ut nullo modo, non magis in jure quàm extra jus hanc repetitionem fieri posse: siquidem causa negandi affertur læsio commodorum quæ ad omnes creditores pertinent: læsio ne aliquid minùs directi haberet quùm jure intercedente illata foret? Inde sequetur petitioni locum non esse, quæ aliorum jura diruit; non enim ex petitione novum jus creditori infertur: sequetur judicis sententiam falso supposito constare, scilicet intacta esse jura creditorum. Quod ad debitorem pertinet, sententiæ judicis obluctari periculosum et inutile foret, nec suo detrimento, impensasque continuando, aliorum utilitati consulere debet; cùm autem et obligationis vinculo teneatur monitos creditores sui statûs facere, sic necessariò ipsis hoc monitum communicando, ab obligatione liberatur. Nil ergo interest an petierit vel non juridicè creditor, sed an solvere possit.

Creditor autem qui bonâ fide à debitore accepit quidquid ipsi mutuaverat, aliis creditoribus nullo modo participationem soluti æris debet offerre, nisi jus nullitatis meræ notâ casus hos afficiat. Distinguendum cum jure an sit debitum exigibile vel non; si primus casus obtingat, non licet exquiri scrutantiori oculo fortunam debitoris, ideòque legibus et tribunalium consuetudini parendum est, quæ solutionem hanc assensione consecrant. Opposito in casu bonæ fidei cùm ante omnia leges favere voluerint, nec ibi suspicio fidei affertur, præter theologorum ratiocinia, quietâ conscientiâ quid lex offerat accipere potest creditor; sed semper eâ conditione, ut nullitatis nota non casibus inusta sit paribus lege jubente, siquidem lex ea publici ordinis saluti invigilat, rarâ perspicuitate se intra æquos fines continuit, non facta falsò præsumens, sed periculum et discrimen indicans et suspicata, ideòque et forum internum obligat.

Quod ad quæstionem pertinet de accipiendâ vel repudiandâ oblatione debitoris cùm ejus status innotescit, vel expetendâ solutione, negamus id sine injuriâ fieri posse: æquitas enim naturalis non vult alium alio creditorem præferri. Idem lex vetat, et reverà prudentissimâ prohibitione; quid enim facilius esset, si secùs statueretur, quàm collusio creditoris ficti, forsan proximi parentis, cum debitore? Voluit ergo quodcumque fraudem vel dolum suboleret, omnimodis investigationibus requiri, ut deinde nullitas actuum pronuntiaretur; cauto simul pede procedens, non suspectos omnes actus primo impetu abrupit. Talibus legis repugnare sententiis nec boni nec æqui viri esset. Animadvertendum solummodò est certo modo cognoscendum esse statum rerum debitoris, nec enim justum et charitati consentaneum foret suspicione aut dubio exorto proximi negotia in malam partem dijudicare *.

## QUÆSTIO XXIX.

### AN EXCUSET A RESTITUTIONE IMPOTENTIA RESTITUENDI IN EODEM GENERE?

449. Difficultas est an, qui non potest facere restitutionem in eo genere bonorum in quo nocuit, v. g., in vita vel membris, restituere debeat in illo genere, puta fortunarum. Affirmant Sotus, Cajet. Silvest. Angles, Armilla, Lud. Lopez, Aragon, Corduba, Salon. Mercado, Valent. Molin. Rebell. Azor et antiquiores theologi communiùs apud Tannerum, quibus favere videntur S. Thom. et Scotus. Aliqui tamen ex istis aiunt esse perinde, sive restitutio fiat in bonis spiritualibus, sive in pecuniâ. Negant Ostiensis, Panormit. Albericus, Ant. Gomez, Covarr. Navarrus, Navarra, Bannez, Salmanticenses, Vasquez, Turr. Th. Sanch. Less. Dicast. Laym. Haunold. Tambur. Herincx, Illsung, Mezger, Sporer, ac præcipuè C. de Lugo, D. 11, n. 5.

450. *Dico cum secunda sententia :* Qui restituere non potest in eo genere bonorum in quo nocuit, restituere non tenetur in alio genere. *Prob.* 1° auctoritate tum sacra, tum profana. *Exod.* 21, 18 et 19, præcipitur restitutio pro lucris cessantibus et expensis in medicos, non item pro vulnere quod injustè fuit inflictum. En textum : *Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum... et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.* 2° Leges civiles, ubi faciunt mentionem de damno vitæ vel membrorum injustè dato, semper quidem exigunt restitutionem pro damnis realibus annexis fortunarum; at pro damno solo personali vitæ vel membrorum nullam imponunt, ut videre est *L. ult. ff. de his qui effuderint, vel dejecerint.* Ubi redditur ratio : *Cicatricum autem, aut deformitatis* (idem à fortiori dic de vita) *nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam accipit æstimationem.* 3° Idem habetur *L. ex hâc lege* 3, *ff. si quadrupes pauperiem, L. liber homo* 13, *ff. ad L. Aquil.* § *ob hominem, instit. de oblig. quæ quasi ex delicto.* Non est autem credibile quòd J.-Cti peritissimi, vel principes christiani voluissent absolvere percussorem à restitutione quæ per adversarios est debita jure naturali.

451. *Prob.* 2° ex praxi constanti tribunalium. Quando mutilator aut homicida damnatur ad mortem, nunquam à judicibus cogi solet ad restitutionem faciendam mutilato vel hæredibus occisi pro damno vitæ vel membrorum, et est contra perpetuum usum ut homicida vel mutilator restituat; quod etiam ipsimet adversarii fatentur : atqui deberet restituere si vera foret opposita sententia. 2° Sicut ob capitale supplicium non eximitur fur à restitutione facienda pro dam.o

quod dedit in bonis fortunæ, sic etiam ob capitale supplicium eximi non deberet homicida vel mutilator à restitutione pro damno quod injustè dedit in bonis vitæ vel membrorum; et hæredes occisi, si jus haberent ad restitutionem pro damno vitæ, communiter potiùs urgerent hanc restitutionem quàm pœnam talionis, quæ nihil ipsis prodest. 3° Si mutilator aut homicida tenetur ad restitutionem pro solo vitæ vel membrorum damno, hæc obligatio transiret etiam ad hæredes, sicut transeunt obligationes justitiæ, quæ sunt ortæ per delictum, aut sicut transit obligatio restituendi pro lucris cessantibus, aut expensis occisi; consequens autem in tribunalibus non observatur, et ab ipsis adversariis communiter negatur.

452. *Prob.* 3° *à pari.* Si damnum vitæ vel membrorum compensari debet per bona fortunarum aut alterius ordinis, etiam damna spiritualia compensari debent per bona fortunarum, v. g., si quis juvenem vi vel fraude abstraxit ab ingressu religionis, neque potest aliam facere restitutionem quàm pecuniariam: consequens est contra sensum omnium. 2° Si pauper intulit grave damnum in bonis fortunæ, quod in eodem ordine bonorum reparare non potest, jure naturali non tenetur facere restitutionem in bonis spiritualibus. 3° Pro injuriâ solâ adulterii, præciso quolibet alio damno, non est facienda marito adulteræ restitutio pecuniaria; quamvis enim id velit Rebellus, existimans nullum esse maritum adeò vilem et ignobilem, cui non minimùm tres aurei pro primo adulterio sint reddendi, tamen, ut observat cum Molina C. de Lugo, D. 13, n. 6, contraria est praxis omnium pœnitentium et confessariorum; et aliàs fieri deberet etiam marito similis restitutio pro osculo, amplexu, tactu, etc., quibus aspergitur matrimonio macula quædam moralis.

453. *Prob.* 4° *à priori.* Justitia commutativa post violationem suî non obligat ad restitutionem, nisi quando res ablata restitui potest vel in se, vel in æquivalenti; sed vita vel membrum restitui non potest in se nec in æquivalenti: ergo, etc. *Quoad priorem partem* m. *est clara; quoad posteriorem probatur.* Tunc redditur res inæquivalenti, quando redditur pretium quo res ablata potest recuperari, sed vita vel membrum nullo pretio potest recuperari. *M. prob.* Justitiæ commutativæ finis tantùm est ut quilibet habeat quod suum est: ergo etiam finis justitiæ commutativæ, quando post violationem suî obligat ad restitutionem, tantùm est ut alter obtineat quod suum est, vel ut reparetur damnum injustè datum. 2° Ideo cæteræ virtutes, ut obedientia, charitas, pietas, non obligant violatorem suum ad restitutionem, quia, postquam sunt violatæ, non ampliùs potest obtineri finis quem virtutes intendunt: sed etiam, si damnum in vita vel membris irreparabiliter est illatum, justitia non potest ampliùs obtinere suum finem; finis enim ipsius est, ut læsus recuperet quod suum est: hic verò finis non obtinetur, etiam si pro vita vel membris solvatur quanta libet pecunia. 3° Justitiæ commutativæ finis est æqualitas inter bonum ablatum et bonum redditum: at inter bonum ablatum vitæ vel membrorum et inter bona reddita fortunæ nulla prorsus est æqualitas; nam, ubi non datur communis mensura, dari non potest commensuratio æqualitatis: inter bona verò diversi ordinis non datur communis mensura. 4° Si lex naturæ cogeret ad restitutionem pecuniæ pro vitâ vel membro, lex naturæ deberet etiam taxare quanta sit pecunia reddenda: sed hoc non taxat, imò nec taxare potest; cur enim jure naturali potiùs 100 quàm 1000; cur 1000 potiùs quàm 100000 sunt reddenda, cùm vita sit bonum altioris ordinis? 5° Denique restitutio, propriè dicta, est reparatio damni per injustitiam illati: sed per pecuniam non reparatur damnum vitæ.

*Objectiones.*

454. *Obj.* 1° Exod. 21, 26 et 27 præcipitur ut, si quis excusserit servo dentem aut oculum, ei donet libertatem. 2° Ibidem 22 statuitur ut, si quis percusserit mulierem prægnantem et causaverit obortum, subjaceat damno, quantum maritus expetierit, et arbitri judicaverint. 3° *Lege prætor edidit* 7, § *posse hodie ff. de injuriis*, conceditur actio pro quavis injuria etiam atroci, qualis committitur per occisionem aut mutilationem injustam. 4° *Lege prætor ait* 1, *ff. de his qui effuderint, vel dejecerint*, decernitur solutio 50 aureorum pro vita hominis liberi. 5° Idem habetur § *ob hominem instit. de obligat. quæ quasi ex delicto:* ergo lege positivâ præcipitur restitutio pro vitâ vel membris.

*Resp. D. C.* Præcipitur restitutio tantùm impropriè dicta, seu compensatio purè pœnalis, quæ præstanda tantùm est post sententiam judicis, *C.*; restitutio propriè dicta, quæ jure naturali præstari debet etiam ante sententiam judicis, *N.* Leges sibi non contradicunt, dum alicubi negant compensationem esse faciendam pro vita vel membris, alibi verò præcipiunt compensationem; nam prioribus in locis agunt de restitutione propriè dictâ, in posterioribus de restitutione impropriè dictâ, seu de compensatione purè pœnali, qualis exigi solet pro plurimis delictis, etiam iis quæ non militant contra justitiam.

455. *Obj.* 2° Tametsi leges non imperent restitutionem propriè dictam pro vitâ vel membris, tamen ea legum constitutio tantùm in foro civili valet, et leges præcisè denegant actionem civilem, qualis etiam in aliis casibus sæpè non conceditur, quando lædens apertè violavit justitiam, et in foro conscientiæ tenetur ad restitutionem.

*R. N. A.* Nam leges ideò negant actionem quia supponunt æstimari non posse vitam aut membra pretio pecuniario. 2° Leges non solùm negant actionem, sed etiam eximunt homicidam ab omni restitutione pro vitâ vel membris, ut patet ex usu tribunalium, quando cogitur homicida subire pœnam talionis. 3° Si jure naturali debita foret restitutio pro vitâ vel membris, leges negare non possent actionem in foro civili; nam, quando jure naturali debetur læsis restitutio, leges debent succurrere læsis et eis actionem permittere, nisi quando sequeretur aliàs nimia multiplicitas et perplexitas litium: hæc verò non sequeretur, esto concederetur actio pro restitutione damni

quod quis injustè passus est in vitâ vel membris. Sic etiam non sequitur nimia multitudo vel perplexitas litium, esto concedatur actio pro repetendis lucris cessantibus, aut expensis in medicos et chirurgos, quas injustè quis subiit ob occisionem aut mutilationem alterius.

456. *Obj.* 3° : Qui cum culpâ bovem alterius occidit, tenetur ad restitutionem : ergò etiam qui hominem : ridiculum quippè foret injustum homicidam gaudere meliori conditione quàm injustum bovicidam, et pro minori damno multum, pro majori nihil exigi posse.

*R. N. C.* Unum damnum potest vel in se formaliter, vel æquivalenter in pretio reparari, non item alterum. Nec bene deducitur ex majori gravitate injuriæ major obligatio restitutionis ; aliàs etiam restituere deberet qui alterum injustè præcipitavit in infernum. Imò sæpè quò gravior est injuria, eò difficilior est reparatio, et bona excellentissima sæpè non possunt ullâ restitutione compensari. Nec propterea melior est conditio homicidæ quàm bovicidæ ; nam homicida subjacet gravioribus pœnis tùm spiritualibus tùm temporalibus, esto secundùm quid habeat feliciorem sortem.

457. *Obj.* 4° : Qui servum alterius occidit aut mutilavit, nec potest alium substituere, tenetur ad restitutionem pecuniariam : ergo etiam qui mutilavit aut occidit alium hominem liberum.

*R. N. C.* Servus pertinet ad bona fortunæ domini, et subjacet illius dominio ferè sicut bos, asinus, etc.; ergò, sicut pro bove, sic etiam pro servo debet fieri restitutio, scilicet, quanti valeret si non esset occisus aut mutilatus. 2° Quando servus occiditur, non exigitur propriè restitutio pro vitâ servi, sed pro lucris cessantibus aut damnis emergentibus in bonis fortunæ, quæ non minùs dependent à laboribus servi quàm jumentorum. Unde, quantò vegetior, robustior et diligentior est servus, tantò major exigitur restitutio. 3° Sic etiam oritur obligatio restitutionis ex occisione liberi, non quidem propter vitam ablatam, sed propter lucra cessantia et damna emergentia quæ patitur uxor cum liberis. Similiter qui vulnere deformavit vultum puellæ nubilis, tenetur compensare damnum emergens ratione nuptiarum.

458. *Obj.* 5° : Licet vita et membrum restitui non possint formaliter in se, saltem restitui possunt in æquivalenti : sed hoc sufficit ad obligationem restitutionis, ut patet in occisione bovis, ubi non potest idem bos restitui. *M. prob.* Bona fortunarum ita multiplicari possunt, ut in æstimatione morali præponderent vitæ vel membro ; nam plurimi præsertim ignobiles et egeni crederent fortunatam jacturam digiti aut dentis si compensaretur lucro 100,000 aureorum. Sic etiam in simili, licet argentum sit inferioris ordinis, tamen ita multiplicari potest, ut æquivaleat auro. Similiter actus virtutum moralium, utut sint inferioris ordinis, ita multiplicari possunt, ut æquivaleant actui charitatis. 2° Licet bona vitæ, corporis, honoris, famæ, fortunæ sint ordinis diversi, quatenùs comparantur ad fines aliquos immediatos, tamen omnia sunt ejusdem ordinis, quatenùs comparantur ad felicitatem temporalem hominis ; nam omnia memorata bona conveniunt in hoc, quòd sint instrumentum et medium felicitatis temporalis humanæ : ergo sub hâc consideratione potest et debet unum bonum pro altero bono restitui. 3° Restitutio potissimùm intenditur jure naturali propter hunc finem, ut tollatur dolor illius qui damnum et injuriam est passus : at, si rusticus egenus est passus injuriam in membro, dolor ipsius tollitur per magnam pecuniæ quantitatem.

*Resp. D. M.* : Restitui possunt in æquivalenti, hoc est, potest aliquid reddi quod æquivaleat ad bonum reipublicæ, vel ad privatam felicitatem hominis aut alios fines, *C.*; potest aliquid reddi quod æquivaleat ad tollendum damnum aut reparandum jus læsi, *N.* Tunc tantùm censetur restitui res in æquivalenti, quando redditur res omninò similis, aut pretium quo vel res ipsa vel res omninò similis potest recuperari. Sed bovicida reddens 100 aureos, reddit pretium quo comparari per se potest bos omninò similis ; nam pecunia æquivalenter est omnia quæ numerantur in bonis fortunæ. Non item æquivalenter est membrum aut vita ; cùm per pecuniam non possit comparari membrum aut vita. 2° Si sufficeret restituere quod æquivalet ad privatam felicitatem hominis, satisfaceret fur qui, postquàm hæretico surripuit 100 aureos, eum converteret ad fidem. Item satisfaceret qui, postquàm abstulit alteri pecuniam, multis laudibus dilataret ipsius famam. 3° Ut suprà dictum est in rationibus, si natura nos obligaret ad restitutionem pro vitâ vel membro, deberet taxare pretium illud æquivalens quod debet restitui. Dic ergo quot aureis de jure naturali valeat nasus, quo Philippæis licitanda sit auricula, quanta pecunia debeatur pro dente vel oculo ? Et ex his sufficienter patet responsio ad primam et secundam oppositam rationem. *Ad tertiam D. M.* Ut tollatur dolor et simul etiam radix doloris, *N.*; ut tollatur solùm dolor actualis, *C.* Esto propter 100 aureos rusticus egenus ità diffundatur gaudiis, ut facilè divertere possit animum à jacturâ dentis, non tamen idcircò tollitur radix dolendi ; quia nisi rusticus ultrò remittat debitum, semper dolere potest quòd non habeat membrum suum. Videri potest Esparza, q. 37.

459. *Obj.* 6° : Esto natura determinatè non statuerit quanta pecuniæ summa sit reddenda pro membro vel vitâ, tamen id reliquit arbitrio prudentûm : hoc autem sufficit ad obligationem restitutionis. Nam 1° qui mutilat opificem, ut laborare posteà ampliùs non possit, tenetur ei compensare lucra cessantia vel damna emergentia ; qui modis et artibus injustis impedit alterum à consecutione boni, tenetur ad restitutionem de jure naturali ; quamvis in neutro casu natura determinet quanta pecuniæ summa sit reddenda, sed necessariò recurrendum sit ad judicia prudentûm. 2° Frequentissimum est ut libertas vendatur pecuniâ, castratio puerorum admittatur ob congruam sustentationem, vel incolumitas vitæ gravissimis periculis

exponatur pro militari stipendio; quin apud infideles quosdam est mos ut nobiles ad mortem damnati substituant egenum, qui contentus est si conjux cum liberis elevetur ad pinguiorem fortunam : hoc verò non contingeret si bona vitæ vel corporis compensari non possent pecuniis.

*R. N. M.* Vel enim natura reliquit hoc arbitrio privatorum, vel tantùm arbitrio magistratûs aut judicum. Si prius, iterùm quæro : vel reliquit arbitrio etiam unius tantùm, aut alterius privati; et sic neque lædens, neque læsus teneretur hoc arbitrio stare; quia maxima foret difformitas in judiciis privatorum, et quilibet judicaret, prout magis aut minùs esset affectus ergà aliquod bonum; vel reliquit arbitrio tantùm communi prudentûm; et isti nunquam convenient, imò nullus prudens asserere poterit, vitam aut membrum tanti circiter, et non pluris valere. Si posterius : ergo non obligatur lædens, nisi post sententiam judicis, quam exposcere suâ sponte non debet. 2° Esto natura permiserit prudentibus aut judicibus ut definiant compensationem pecuniarum, tamen id illis nullatenùs præcepit, ut patet ex praxi constanti prudentûm ac tribunalium. 3° Esto judices etiam imponerent aliquam compensationem pecuniarum, tamen eam non imponerent ut restitutionem propriè dictam, vel quia judicant vitam aut membrum tanti circiter, et non pluris valere; sic enim judicantes refragarentur suis legibus : sed imperant eam præcisè tanquàm pœnam, eo pacto quo pro delictis aliis, etiam iis quæ non sunt contrà justitiam, imponere solent pecuniariam mulctam. *Ad primam rationem contrariam.* Lex naturæ non tantùm obligat mutilantem aut impedientem ad restitutionem, sed etiam taxat quantitatem quæ debet restitui, scilicet, valorem spei, seu quanti valet spes lucri aut boni; quamvis dein, ut hæc spes æstimetur, propter diversas circumstantias morales sæpiùs recurrendum sit ad æstimationem prudentûm, qui tandem definiant quanti circiter valeat spes. *Ad secundam.* Fateor, pro libertate, membro vel similibus, posse pretium aliquod taxari conventione privata : sed hæc obligatio solutionis non oritur ex jure naturali, quod antecedenter ad talem conventionem pretium taxavit, sed ex liberà conventione partium. *Ad tertiam. Patet ex dictis.*

460. *Obj.* 7° : Si bona vitæ, corporis, famæ, vel honoris sunt superioris ordinis et pluris valent quàm omnia bona fortunarum, sequitur, quamlibet infamationem aut dehonorationem injustam esse peccatum mortale; nam qui plus aufert quàm valeant centum aurei, peccat utique mortaliter. At minimum bonum famæ vel honoris plus valet quàm centum aurei.

*R. N. sequel.* Lex naturæ semper attendit ad id quod expedit aut melius est humano generi : non autem expedit humano generi gravis obligatio vitandi quamlibet etiam minimam dehonorationem injustam alterius : contra verò plurimùm expedit obligatio gravis vitandi furtum centum aureorum. 2° Lex naturæ vel potiùs providentia Dei per leges naturales et necessarias invigilat bono, felicitati, paci vel commerciis humani generis : ad hunc finem maximè facit ingens pecuniæ quantitas quâ possent comparari plurima bona; parum verò facit modicissimus honor. 3° Licet quodlibet minimum opus bonum in æstimatione divina sit majus quàm vita, corpus et omnia bona naturalia creata, non tamen idcirco sequitur esse peccatum lethale, si proximum impedias ab opere bono levissimo.

461. *Obj.* 8° : Qui dat vitam, v. g., pater, generatione sua comparat jus ut à filio colatur, ametur ac tempore necessitatis alatur : igitur ex opposito, qui rapit vitam, imponit sibi obligationem juris ut alteri propter vitam ereptam benefaciat, quantùm fieri potest, suffragiis spiritualibus, aut subveniat propinquis.

*R.* 1° : *N. A.* Pater non habet jus strictum ad amorem, cultum et obsequia quæ defert filius : sed iste tantùm obligatur titulo pietatis. *R.* 2° : *N. C.* Pater est bonus filio per suam generationem; bonitas autem necessariò petit amorem; igitur pater titulo suæ bonitatis amorem exigere potest à filio : contrà verò, qui per injuriam occiditur ab altero, non est occisori bonus; igitur titulo cædis quam injustè sustinet, exigere non potest amorem ab occisore.

462. *Obj.* 9° : Justitia sæpiùs non attendit ad æqualitatem, et violatores suos obligat ad restitutionem, esto restitui non possit æquale : sic qui causavit alteri damnum æstimatum centum aureis, etsi non possit restituere centum, restituere tamen tenetur decem, si potest.

*R. D.* Sæpiùs non attendit ad æqualitatem omnimodam et totalem, et obligat ad restitutionem, esto restitui non possit æquale toti, *C.*; non attendit saltem ad æqualitatem partialem, et obligat ad restitutionem, esto ne quidem æquale parti possit restitui, *N.* In posito casu non restituitur quidem aliquid æquale toti damno, restituitur tamen æquale parti; quia fuit illatum damnum etiam decem aureorum, et justitia per se non tantùm intendit compensare totum damnum, sed et quamlibet partem totius damni.

463. *Obj.* 10° : S. Thomas apertè nobis refragatur q. 62, a. 2, ad 1, dum sic habet : *Quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri compensatio, qualis possibilis est; puta, cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare in pecunia, vel in aliquo honore.*

Respondent aliqui 1° S. Thomam esse quidem contrarium, at jura nobis suffragari; 2° alii cum Bannez, S. doctorem loqui de mulcta pecuniaria per judicem imponenda, non autem de debito naturali restitutionis; 3° alii cum Salmanticensibus, S. doctorem loqui de consilio, vel de foro pœnitentiario, in quo confessarius obligare potest vel etiam debet pœnitentem ut satisfactionem aliquam præstet in bonum defuncti. Sic Comitolus, l. 4 Moral., c. 10, n. 23, censet hanc pœnitentiam imponendam homicidæ diviti, ut singulis hebdomadis per annum integrum procuret sacrum et det eleemosynam pro anima occisi, ut quotidie per

annum flexis genibus recitet coronam B. V. in subsidium defuncti, ut octavo quoque die per annum confiteatur, et singulis mensibus eucharistiam accipiat, ut in omni vita quotidie semel pro anima occisi flexis genibus saltem recitet orationem Dominicam et salutationem Angelicam : quod consilium ex Comitolo plures auctores referunt et approbare videntur. Adjungo, confessarios etiam optimè facturos, si magnatibus aut principibus, qui fortè non possunt restituere famam plebeio ablatam, citra propriam et valde notabiliter graviorem infamiam, imponant compensationem pecuniariam quæ sufficiens videatur ad sopiendum plebeii dolorem.

## QUÆSTIO XXX.

### AN EXCUSET A RESTITUTIONE NECESSITAS PROPRIA VEL ALIENA?

464. De hac et aliis causis excusantibus à restitutione legi possunt Sotus, l. 4, q. 7, a. 4; Navar. c. 17, n. 75 et seqq. Medina, q. 3; Less. l. 2, c. 16; Azor, p. 3, l. 4, c. 39; Molin. tom. 3, D. 754 et seqq. Rebell. l. 2, de Rest. et 8; C. de Lugo, D. 21; Dicast. D. 10, de Rest. P. Navar. l. 4, c. 4; Laym. de Rest. c. 12; Castro Palao, tr. 32, p. 17; Tambur. l. 8, Dec. tr. 4, c. 1, § 9; Herincx, D. 8, q. 7; Haunold. tr. 2 à n. 424; Patr. Sporer, tr. 4, n. 50; Illsung, tr. 4, D. 3, q. 6 et 7.

465. *Dico* 1°: Extrema necessitas excusat à restitutione; sive, potest omitti restitutio, quando fieri non potest quin subeas extremam necessitatem, aut te conjicias in apertum et proximum periculum vitæ. *Ratio prima.* Consensus omnium DD. *Secunda.* Obligatio contraria nimis esset ardua vel inhumana, nec posset moraliter observari. *Tertia.* In extrema necessitate licet etiam aliena surripere, ut alibi videbimus, ubi de furto : quidni et retinere, vel etiam absumere, prout necessitas exposcit? Limitant multi conclusionem cum C. de Lugo, suprà, n. 4, nisi creditor sit in pari necessitate : tunc enim aiunt meliorem esse conditionem innocentis. Verùm hæc ratio non habet locum in debitis absque delicto contractis. Alii cum Azor putant, universim esse meliorem conditionem possidentis : sed hæc ratio non parùm difficilis est in debitis ex delicto; nam fur ante suam necessitatem semper fuit malus possessor, et hoc ipsum est in quæstione, num incipiat fieri bonus possessor propter extremam necessitatem, quando creditor est in simili necessitate. Complures existimant in pari utriusque necessitate meliorem esse conditionem domini; quia prævalet et fortior est duplex titulus dominii simul et necessitatis, ubi alter tantùm habet titulum necessitatis. Alii cum Dicastillo suprà n. 27, censent universim, in extrema necessitate omnia fieri communia quoad usum; et, ut P. Illsung, n. 244, nimiùm difficilis et moraliter inobservabilis esset obligatio, si quis in extremo vitæ periculo sponte suâ vel ex proprio motu deberet alteri tradere vel restituere quod sibi summè necessarium est ad vitam. Addit tamen, non esse licitum ut quis alterum versantem in pari necessitate spoliet, aut detrudat à possessione boni summè necessarii.

466. *Dico* 2°: Non solùm necessitas extrema propria, sed et parentum, uxoris aut liberorum excusat à restitutione, quando non potest aliter ei succurri. C. de Lugo n. 5. *Ratio.* Quia ferè non minùs teneris necessitati parentum, uxoris aut liberorum quàm propriæ consulere. Dein, si parentes tui possunt in extrema necessitate rem alienam accipere, non est quare non iis licitè possis cooperari. Unde C. de Lugo conclusionem extendit ad quamlibet necessitatem tertii, sed cum limitatione; si nempe necessitas sit talis, ut non solùm patiens necessitatem possit rem accipere, sed et dominus aut creditor teneatur in ea ultrò subvenire. Quippe si custodires rem alienam valde pretiosam, quam quidem accipere clanculum posset patiens necessitatem, dominus autem non teneretur ultrò dare, putat cardinalis, D. 16, n. 175, te non posse succurrere.

467. *Dico* 4°: Qui rem alienam consumit in extrema necessitate, quando re simul et spe pauper est, ordinariè, transacta necessitate, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur eam restituere. C. de Lugo, D. 16, n. 171, Dicastillo et alii communiter. *Ratio;* quia, nisi præcesserit delictum aut contractus, nullus est titulus vi cujus alienæ rei consumptor obligetur ad restitutionem : non rei acceptæ, cùm res ponatur absumpta sine lucro; non acceptionis injustæ; quia debitor licitè consumpsit. Dein esto res habita fuerit ex contractu vel delicto, tamen in ejusmodi necessitate, nisi res sit valde pretiosa, dominus ultrò teneretur succurrere. Quamvis autem fortasse posset adjicere conditionem et debitum restituendi, casu quo debitor pervenerit ad pinguiorem fortunam, tamen quando patiens necessitatem est pauper in re et spe, vel quando valde modica spes est futuræ pinguioris fortunæ, dominus hanc spem pro nihilo reputat, et non solet ullam adjicere conditionem vel onus restituendi, nisi res sit valde pretiosa. Quocirca potest ordinariè præsumi donatio pro tali casu. Tres tamen exceptiones apponit C. de Lugo, D. 16, n. 172 : nempe 1° si debitor esset actu pauper, sed spe dives; tunc enim non esset necessitas accipiendi simpliciter, sed potiùs emendi vel mutuum petendi : 2° si debitor consumeret rem suam quam debet ex contractu; quia tunc necessitati suæ non subveniret ex alienis, sed ex propriis, ac creditor in eo casu nihil donaret debitori : 3° si debitor ad extremam necessitatem proveniret ratione delicti; quia tunc potiùs delicto quàm necessitati fortuitæ deberet adscribi consumptio rei alienæ.

468. *Dico* 4°: Necessitas gravis sæpissimè sufficiens est ut licitè differas restitutionem, positis tamen certis conditionibus : 1° si creditor non sit in pari necessitate; 2° si propinqua spes affulgeat futuræ fortunæ melioris, in qua paulatim aut simul possis satisfacere : secus enim creditor non concederet dilationem, nisi necessitas esset valde gravis aut extremæ proximæ; 3° si creditor interea non patiatur lucrum grave cessans aut grave damnum emergens, aut si saltem in hoc

casu paratus sis compensare, ac sit propinqua spes perveniendi ad statum in quo possis compensare : nam, nisi creditor sit valde misericors, non consentiet aliter dilationi, quàm sub hac conditione, præsertim si debitum sit ex delicto ; nam de debitis ex contractu mitiùs loquitur C. de Lugo, D. 21, n. 18. Cæterùm ratio conclusionis sic explicatæ est ; quia, positis istis conditionibus, inhumanum videtur exigere statim restitutionem, et in Evangelio creditor qui conservo nullas inducias concessit, condemnatus est tanquam nimis rigidus et irrationabilis exactor.

469. *Dico* 5° : Impotentia moralis excusat à restitutione, quando non potes restituere sine gravi dispendio bonorum altioris ordinis, puta, si non potes restituere rem furtivam sine gravi tua infamia. Ita omnes ferè DD. apud Dicast., D. 7, n. 191 ; D. 10, 34 ; D. 12, n. 207. *Ratio prima :* Innocentius III, *in cap. officii* 9, *de pœnit. et remiss.* respondet, non esse negandam absolutionem feminæ, si partum alienum sibi supposuit, vel proprium ex adulterio suscepit, et postea marito non vult detegere crimen, esto maritus aut aliæ proles patiantur detrimentum in bonis fortunæ. Quamvis autem Innocentius præcipuè feminam excusare videatur propter impendens periculum vitæ, tamen indefinitè loquitur, et auctores communiter eum explicant de periculo grandis infamiæ. Secus tamen esset sentiendum, si mulier non foret honestæ famæ, vel si maritus esset admodum clemens et prudens, qui crimen silentio supprimeret. Potest etiam subinde damnum in bonis fortunæ, quod impendet toti reipublicæ, tam magnum esse, ut præponderet bono privato famæ. Secunda : Justitia respicit æqualitatem : ergo non cogit ut damnum minus resarciatur cum damno notabiliter majori : foret autem ordinariè longè majus, si resarcirentur bona fortunæ cum gravi detrimento famæ ; nam, ut *Eccl.* 41, 15 dicitur : Fama melior est *quàm mille thesauri pretiosi et magni ;* et *Prov.* 22, 1 : *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ.* Tertia : Si bonum inferioris ordinis restitui debet cum dispendio notabili bonorum ordinis superioris, debet etiam restitui fama cum detrimento vitæ vel membrorum : sed hæc obligatio nimis esset inhumana. Quarta : Addunt complures apud Dicast., D. 10, n. 31, non debere rem alienam restitui, quando morale periculum est ne filiæ vel uxor ex egestate prostituant pudicitiam, vel ne filii latrocinium exerceant, aut debitor ipse ruat in desperationem. Verùm hæc excusatio sufficere quidem sæpiùs potest ad differendam restitutionem, non ad omittendam simpliciter ; quia malum sequitur tantùm per accidens et ex prava voluntate sustinentis inopiam : creditor verò non debet omninò fraudari debito propter malitiam alterius.

470. *Dico* 6° : Impotentia moralis excusat etiam à restitutione, quando non potes restituere sine detrimento valde notabiliter majori in bonis ejusdem ordinis. C. de Lugo, D. 21, n. 10 ; Dicast., D. 10, n. 39, et alii communiter. *Ratio prima :* Aliàs, etiamsi debitor restituere non posset 100, quin perderet 100,000, teneretur ad restitutionem ; quod est incredibile, nec congruit cum justitia, quæ, cùm sit virtus moralis discreta, prudenter tantùm præcipit, et non imponit obligationes intolerabiles. Secunda : Non teneris restituere cum notabili dispendio bonorum altioris ordinis : ergo nec cum dispendio valde excessivo bonorum ejusdem ordinis ; nam utrinque pugnat eadem ratio. Tertia : Juxta communem DD. apud Dicast., D. 12, n. 222, non tenetur princeps restituere famam privato, si non potest eam aliter restituere, nisi cum detrimento gravissimo propriæ famæ ; quia fama principis ordinariè est incomparabiliter majus bonum quàm fama privati : ergo etiam à pari. Quarta : Ut dictum est, n. 415, quando dominus est absens, et non potest ei res mitti sine tuis expensis, expensæ possunt esse tam graves, ut non tenearis ei rem mittere. Quidnì possit detrimentum tuum esse tam enorme, ut non tenearis ad restitutionem ? Porro quantus debeat hic excessus esse, difficillimè determinatur, et dijudicari debet inspecta non solùm debiti quantitate, sed et utriusque tam creditoris quàm debitoris conditione, necessitate vel indigentiâ. C. de Lugo, D. 21, n. 22, putat etiam observandum num debitum sit ex delicto, vel ex contractu ; plus enim ait requiri ad omittendam solutionem debiti ex delicto quàm debiti ex contractu : unde si, v. g., sufficeret ad omittendam solutionem debiti ex contractu detrimentum duplo excedens valorem debiti, requireretur ad omittendam solutionem debiti ex delicto detrimentum quadruplo excedens. Addit, rarissimò contingere casum, in quo non saltem aliqua pars debiti possit ac debeat restitui.

471. *Dico* 7° : Impotentia moralis excusat saltem à restitutione statim facienda, quando non potes restituere quin decidas à statu quem obtinuisti justis mediis. Ita contra Cajet. et Molin., alii DD. communiter, ut S. Antonin. Scotus, Navarrus, Silv. Angelus, Tolet. Less. quos sequitur Dicast. D. 10, n. 55, et C. de Lugo, D. 21, n. 12. *Ratio prima.* Quia contraria sententia nimis inhumana videtur, et plurimos debitores conjiceret in barathrum desperationis. *Secunda.* Aliàs honestus opifex, qui par solvendo non est, teneretur vendere domum, officinam et artis instrumenta, quò posset satisfacere, et cogendus esset vitam mendicatò transigere. *Tertia.* Qui non posset statim solvere, nec posset domum constantem 100,000 aliter vendere quàm 10,000 teneretur hanc jacturam facere : quod nimis est rigidum. *Quarta.* Ut ipse Molina concedit, quando quis non potest alteri mittere rem suam, nisi cum extraordinariis expensis quæ valde notabiliter excederent rei valorem, potest restitutionem differre, donec redeat dominus, vel rem largiri pauperibus : ergo etiam à pari. Cavendum tamen, ut bene Tambur. observat, ne qua committatur æquivocatio, quia nobiles quamplurimi deciduntur. Scilicet aliud est amittere statum, et aliud est moderari statum : ita nobilis, qui impar est solvendo, debet vivere parciùs, alere pauciores famulos, minuere vel tollere convivia non necessaria, nec debet filiabus constituere dotes amplissimas. Imò Dicastillo, D. 12, n. 39, censet, nobilem obligatum ut

filiam tradat artifici, quando non potest aliter debita solvere : quod ergo quidem de nobili communi, non verò de nobili primæ classis intelligo. Denique complures volunt, non posse restitutionem differri, quando nulla spes affulget fortunæ melioris. Sed Navarra contrarius est, cujus sententiam Dicastillo putat esse probabilem.

472. *Dico.* 8° : Qui per statum suum aliena detinet, sive qui rapuit aliena bona quæ nobilem statum efficiunt, tenetur statum dimittere, nec potest idcirco restitutionem differre, nisi fortè periculum gravis infamiæ concurrat. Ita communiter omnes DD. quos sequitur Dicast. D. 10, n. 59, et C. de Lugo, D. 21, n. 7. *Ratio.* Nam hoc propriè non est statu suo cadere, sed ex statu non suo in statum suum descendere. 2° Nullus excusatur à restitutione statim facienda propter detrimentum quod præcisè patitur ex jactura rei non suæ, vel boni alieni, sed præcisè potest excusari quis propter detrimentum quod quis pateretur in rebus suis ; aliàs quò plura vel pretiosiora quis furaretur, eò melioris per se foret conditionis ; quia per se majus pateretur detrimentum restituendo quàm alius, qui pauciora vel minùs pretiosa furatus est. 3° Nota est vulgaris historia de nobili Belga, qui pauperculo trituratori restituere debuit arcem illegitimè possessam, ne parem cum majoribus pateretur salutis jacturam.

473. *Dico* 9° : Qui per statum suum non possidet quidem aliena, sed tamen ad statum emersit injustis mediis, v. g., qui per pecunias furtivas, usurarias aut latrociniis extortas emit sibi latifundia, vel arces nobilium, differre non potest restitutionem, nisi iterum excuset fortassis infamiæ gravis periculum. Ita Dicastillo suprà. *Et ratio ;* quia DD. non faciunt discrimen inter hunc et priorem casum. 2° Sicut res aliena quam quis injustè possidet, debet statim restitui, sic etiam statim restitui debet pretium aut lucrum injustè comparatum, nisi fortè sit fructus solius industriæ ; tunc enim restitui tantùm debet id quod æquivalet rebus injustè ablatis. 3° Aliàs furibus et latronibus concederetur illicium nimis grande furandi.

474. *Dico* 10° : Probabiliter etiam differre non potest restitutionem, qui tantùm suâ culpâ, v. g., ludis, scortationibus, comessationibus, etc., pervenit ad eas angustias, ut non possit restituere sine notabili detrimento sui statûs. Ita Navarrus, Less. Medina, Dicast., quibus non omnes consentire videntur. *Ratio prima.* Quia planè decoctores ejusmodi non merentur ex ullo capite dilationem à creditore. *Secunda.* Aliàs etiam non tenerentur statim ad restitutionem, qui toti sunt in accumulandis debitis, ut conviviis, ludis, pompis et ædificiis superfluis ea dilapident. *Tertia.* Ut testis est Tertullianus, l. 4 Apolog. lege veteri Romana nebulones hujusmodi secabantur frustatim, et partes abscissæ dividebantur inter creditores ; tantum quippe conceperunt odium gentiles ex lumine naturali contra decoctores. Secus tamen esset dicendum, si quis haberet quidem debita ex delicto, sed per casus minimè prævisos pervenisset ad angustias, ut ea solvere non posset sine jactura statûs. Item aliud esset, si creditor misericors contentus foret solutione dilata. Fortassis etiam excusat subinde necessitas quam incurreret innocens uxor cum liberis.

475. *Dico* 11° : Debitor per se non potest differre restitutionem præcisè propter detrimentum lucri cessantis. Ita communis apud Dicast. D. 10, n. 48, et C. de Lugo, D. 21, n. 15. *Ratio ;* quia nemo tenetur, quod suum est aut quod sibi debetur, concedere, ut inde lucreris ac ditescas. Aliud tamen esset, si restitutione dilata potes obtinere lucrum quo cæteris etiam aut pluribus debitis satisfaceres. Tunc enim creditor ordinariè præsumitur esse contentus dilatione, nisi patiatur ex ea singulare damnum. Aliud etiam esset, si res alteri debita pareret ingens apud te lucrum restitutione aliquandiu dilatâ, creditori verò vel nullum vel exiguum afferret lucrum restitutio statim facta ; tunc enim creditor sæpissimè foret contentus dilata solutione, siquidem paratus esses compensare lucrum cessans.

*OBJECTIONES.*

476. *Obj.* 1° *contra quintam conclus.* : Etiamsi pontifex *in Cap. offic.* 9, *de pœnit. et remiss.*, asserat non esse negandam pœnitentiam feminæ nolenti manifestare suum crimen, tamen inde non sequitur bona fortunæ non esse restituenda cum detrimento notabili famæ ; nam 1° pontifex ideo dare potuit hoc responsum, quia confessio solius feminæ communiter nihil prodest ad cavenda fortunarum damna, cùm feminæ suam turpitudinem alleganti non debeatur fides. 2° In casu quem decidit pontifex, non erat metus solius infamiæ, sed etiam mortis. 3° Ut vult glossa, pontifex ibi non respondet feminam tacendo non peccare, sed præcisè dicit ei negandam non esse pœnitentiam.

*R. N. A. Ad primum.* Esto pontifex fortasse potuerit excusare feminam etiam ob hanc rationem, tamen, ut ex contextu vel interpretatione communi DD. colligitur, eam excusavit principaliter ob metum gravis mali. Dein pontifex agit in casu quo illa poterat impedire ne possessio viri devolveretur ad alios. *Ad secundum.* Pontifex in textu nihil dicit de metu mortis, sed de metu in genere, sive de metu mali quod communiter oritur ex ejusmodi manifestatione : sed hoc est gravis infamia. Dein loquitur pontifex de femina quæ supposuit sibi partum aut filium alienum, ne devolveretur hæreditas ad alienos : at propter hoc delictum mariti non solent uxores occidere, sicut propter adulterium. *Ad tertium.* Glossa manifestè decipitur ; quomodo enim potest absolvi femina quæ perseverare vult in peccato gravi? Vide C. de Lugo, D. 15, n. 47.

477. *Obj.* 2° : Non licet surripere gravem summam alienam, quando necessarium id est ad vitandam gravem infamiam : ergo etiam ex simili causa non licet differre vel omittere restitutionem gravis summæ *Consequentia videtur certa ;* quia moraliter idem sun accipere rem alienam, et retinere vel non restituere rem alienam, si dominus æquale patiatur damnum, sive primò rem ipsius accipias, sive postea retineas

aut non restituas ipsi rem suam; et hinc theologi retentionem alieni vocant furtum continuatum. *Antec. prob.* Inter propositiones ab Innoc. XI damnatas sexagesima tertia sic habet : *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi :* at, si liceret surripere gravem summam alienam, quando necessarium id est ad vitandam gravem infamiam, permissum esset furari in gravi necessitate : ergo.

*R. N. C.* Ut bene Molina, tom. 4, D. 102, n. 14, major necessitas et gravior causa requiritur ut licitè rem alienam accipias, quàm ut acceptam non restituas. *Ratio prima.* Est communissimus sensus DD., adeò ut Molina dicat id omnibus esse clarum ex lumine naturali, quanquam ipse non afferat aliam rationem. *Secunda.* Si posset accipi res aliena propter metum aut periculum cujuslibet gravis mali, panderetur janua nimiis surreptionibus, et sequerentur enormia furta. Cùm enim, ut observat S. Th. q. 66, a. 7, in qualibet communitate paulò majori, sint ordinariè multi qui patiantur gravem necessitatem, et illam non aliter possint depellere quàm per magnam pecuniæ quantitatem, quilibet dominorum subjaceret plurimis et valde gravibus direptionibus. Contrà verò non sequuntur adeò frequentia damna, quamvis propter gravem necessitatem licitum sit differre, vel etiam aliquando penitus omittere restitutionem. *Tertia.* Ut specialiter discurramus de periculo gravis infamiæ, periculum hoc apud ora fræni impatientia frequentissimum est, imò quotidianum, et nihil facilius quàm obstruere calumniantibus ora per massam argenteam; unde, si liceret ad vitandam infamiam aliis surripere magnam pecuniæ quantitatem, nimiùm increbrescerent furta; imò calumniatoribus porrigeretur ansa minitandi gravem infamiam, nisi vexatio redimatur pecuniis. Contrà verò rarissimus est casus ut omissio restitutionis sit medium omnino necessarium ad evitandam gravem infamiam, cùm sexcentæ sint viæ restituendi clanculùm per confessarios et alios. *Quarta.* Domini communiter magis sunt inviti, quando surripitur res cum animo nunquam reddendi, quàm si tantùm retineatur res cum animo tamen reddendi, quamprimùm per vires licuerit. Sic etiam minùs inviti forent domini si res surriperetur cum animo reddendi proximis diebus. Imò si gravis esset necessitas utendi re quadam aliena, et domino non decederet inde lucrum, non posset semper dominus esse rationabiliter invitus. *Quinta.* Per se difficilius est restituere quàm non accipere; quia, dum restituis, positivè bonum aliquod exerces, et positivè spolias te bono quod justè vel injustè possides; dum verò tantùm non accipis, positivè non exerces aliquod bonum, et præcisè non spolias alterum : atqui natura faciliùs admittit excusationem in iis quæ per se difficiliora sunt. *Sexta.* Fur, quando furatur, influit in damnum positivè; quando verò non restituit, tantùm influit negativè : natura verò rigidiùs obligat ut non influas positivè quàm ut non influas negativè. Sic majus detrimentum apud te requiritur ut segetes alienas accendas, quàm ut accensas segetes iterum restinguas. Item majus detrimentum requiritur ut gubernator positivè concurrat ad damnum reipublicæ vel urbis, quàm ut negativè tantùm concurrat. *Septima.* Præceptum non furandi negativum est; præceptum verò restituendi vel est affirmativum, vel imitatur affirmativa : sed negativa præcepta communiter severiùs obligant quàm affirmativa. Vide C. de Lugo, D. 13 à n. 49, subtiliter disputantem.

478. *Obj.* 3° : Dominus rei, quando non potest aliter vindicare rem suam, nisi prodendo furem in judicio, potest rem suam vindicare, non obstante gravissima furis infamia : ergo potest dominus esse rationabiliter invitus, quando fur propter grave detrimentum famæ non restituit.

*R. N. C.* Aliud est quòd fur subire teneatur infamiam, quando defertur ad judicium; et aliud est quòd ultrò sibi debeat hanc pœnam imponere. Posterius enim foret nimis difficile, cujus executio sperari vix potest ab hominibus in tanta fragilitate constitutis. 2° Læsus agere potest contra lædentem in judicio, quamvis inde sequatur certò mors lædentis, non tamen idcircò læsus cum simili detrimento tenetur se prodere. 3° Omnes fatentur saltem differri posse restitutionem ob metum gravis infamiæ, et tamen, hoc non obstante, quando dominus sciret furem, nec posset aliter vindicare rem suam, licitè deferret eum ad judicium, non obstante gravi detrimento famæ.

479. *Obj.* 4° : Si detrimentum in bonis superioribus excusat à restitutione bonorum inferioris ordinis, sequitur 1° quòd nunquam debeas restituere rem alienam, utut gravissimam, cum detrimento valetudinis : potest enim accidere frequenter ut res aliena tibi valde necessaria sit ad meliorem statum valetudinis : v. g., si res aliena sit nobile vinum tibi valde conducens; 2° quòd nunquam debeas restituere bona fortunæ cum detrimento vel imminutione quadam tui statûs honorifici; 3° quòd nemo debeat restituere pecunias cum modico detrimento famæ vel honoris : sequelas autem nemo concesserit.

*R.* Si detrimentum quodlibet excusat, *C.*; si tantùm notabile detrimentum excusat, *N.* Detrimentum in bonis superioribus debet esse tantum ut, si restituens teneretur illud subire, pateretur valde notabiliter majus damnum quàm ille cui non fieret restitutio bonorum inferioris ordinis. Et hinc 1° si mulier non sit honestæ famæ, et detegendo suum adulterium moraliter possit impedire ne bona valde magna sui mariti devolvantur ad spurium, non semper excusatur ob suam infamiam. 2° Debet etiam adultera detegere crimen cum periculo propriæ vitæ, quando nascereretur aliàs maxima pernicies reipublicæ, cujus bonum utique notabiliter bono privato vitæ præponderat. Imò Sotus existimat adulteram debere suum crimen manifestare non obstante periculo vitæ, quando non sequeretur aliud malum, nisi quòd legitimus hæres privaretur regno vel pinguissimo majoratu. Sed hoc ut nimis arduum rejicit Molina, tom 4, D. 102, n. 6, aiens esse contra communem. 3° Si spurius esset ita facilis et timoratus, ut, intellectis à matre suis natali-

hus, lubentissimè cessurus foret bonis, et sacram religionem ingressurus, ac rem pressurus silentio, mater deberet illi manisfestare natales, etiamsi dispendium aliquod sui nominis adiret apud filium. Verùm hic casus rarò contingit. 4° Sæpè fit ut proles legitima propter adulterium matris non tantùm patiatur grave detrimentum in bonis fortunæ, sed etiam in honore, ut si tanquam secundò genitus excidat principatu, quo casu non excusat matrem periculum qualiscumque solùm infamiæ. 5° Ut Molina suprà n. 14, homo plebeius et vilis, qui falso testimonio conjecit integram et nobilissimam familiam in gravissimam infamiam, et causavit illi confiscationem omnium bonorum, tenetur retractare falsum testimonium, si quidem utilis sit hæc retractatio ad restituendam familiam, non obstante periculo vitæ; quia mors mali et plebeii testis in æstimatione morali non valde notabiliter excedit infamiam et paupertatem maximam alicujus integræ et nobilissimæ familiæ. Videatur C. de Lugo, D. 13, à n. 53.

480. *Obj.* 5°: Scriptura, Prov. 22, 1, dicit non solùm *melius esse nomen bonum quàm divitias*, sed notanter ait esse *melius quàm divitias multas*: ergo divitiæ nunquam ita crescere possunt, ut eas notabiliter non excedat bonum honoris vel famæ: ergo nemo debet unquam restituere bona fortunæ cum detrimento famæ. 2° Nos ipsi suprà negavimus pro bono superiori restitui debere bonum inferioris ordinis; quia bonum inferius nunquam adæquare potest bonum superius. 3° Nisi concedatur universim bona generis inferioris restitui debere cum detrimento boni superioris, nunquam accuratè poterit decidi quàm notabile debeat esse detrimentum boni superioris, ut excuseris à restitutione.

*R. ad primum. N. C.* Sicut actus theologicæ charitatis ex genere nobilior quidem est actu virtutis moralis, non tamen ex toto genere; sic etiam fama majus est bonum quàm divitiæ, non tamen ex toto genere: quocirca licèt maxima fama valde notabiliter præponderet maximis divitiis, et magna fama magnis, modica tamen fama non præponderat magnis aut maximis divitiis. *Ad secundum.* Ratio nostra fuit hæc; quia bona generis inferioris non æquivalent ad compensandum damnum in bonis altioribus illatum, sive quia per inferiora bona non potest recuperari res ablata, vel in se, vel in simili. *Ad tertium.* Opus est ad prudentes arbitros recurrere.

481. *Obj.* 6° *contra septimam conclus.*: In foro externo debitor cogitur restituere, quamvis idcirco debeat amittere statum justissimè comparatum, et relinquuntur ei solùm tenues vestes quibus se tegat, et alimenta necessaria non pretiosa: ergo etiam in foro interno.

*R. N. C.* Multa debent fieri post sententiam judicis, quorum executio spontanea nimis foret ardua ante sententiam judicis. 2° Judices debitorem justissimè condemnant ob bonum publicum, scilicet, ut vitentur innumeræ fraudes, quibus morosi debitores se palliant; ut terreantur debitores alii, qui sæpiùs debita minimè necessaria sine fine contrahunt; ut alii debitores evadant accuratiores in solvendo. 3° Jura sæpiùs etiam indulgent personis nobilibus ut non debeant statim restituere cum gravissimo detrimento statûs, proût infra videbimus, ubi de privilegiis in cessione bonorum; hoc autem non fieret si non licita foret dilatio restitutionis ob hanc causam.

482. *Obj.* 7°: Superior status per se non magis uni debetur quàm aliis, et, sicut fortuna multos evehit ad superiorem, ita multos deprimit ad inferiorem statum: ergo creditor ex hac causa non debet consentire dilationi vel omissioni restitutionis.

*R. D. A.* Non debetur antecedenter ad possessionem, aut collationem, *C. A.*; consequenter, *N. A.* et *C.* Etiam divitiæ per se, et spectata naturali hominum conditione, vel antecedenter ad omnem possessionem aut contractum, non debentur uni potiùs quàm alteri; et tamen, si non possim restituere tibi decem aureos quin amittam ex meis centum aut mille, non eris, opinor, ita rigidus, ut in tali casu exigas restitutionem.

483. *Obj.* 8°: Esto creditor ex charitate teneatur consentire, quando debitor aliàs excideret statu, non tamen consentire debet ex justitia: ergo, si non consentiat, tenebitur debitor restituere, non obstante jactura vel detrimento gravissimo sui statûs. *C. prob.* Licèt dominus ex charitate teneatur aureum, v. g., dare misello patienti gravem necessitatem, tamen, si nolit eum dare, misellus ex justitia tenetur omittere surreptionem aurei. Dein creditor etiam ex charitate non tenetur consentire; nam aliàs contra debitorem agere non posset in judicio citra grave peccatum aut magnam violationem charitatis, quod tamen est difficile et contra praxim præcipuè mercatorum, qui sæpiùs agunt ut subhastentur aliorum bona.

*R. O. A. N. C.* Aliud est quòd creditor non teneatur ex justitia consentire, et aliud quòd titulo justitiæ possit alterum obligare ne differat aut omittat restitutionem. Sic etiam dominus ex justitia non tenetur succurrere misero, qui patitur extremam necessitatem; secùs enim teneretur ad restitutionem si miser moreretur: obligare tamen non potest miserum ex justitia ne surripiat necessaria. Quod additur de mercatoribus agentibus in foro externo, non habet speciale difficultatem; quia multa licent in tribunalibus, et fieri debent post sententiam judicis, quæ non licent privatim aut quæ fieri non debent ante sententiam judicis.

## QUÆSTIO XXXI.

### QUANDO BONUM CREDITORIS EXCUSET A RESTITUTIONE?

484. Status quæstionis est, an possis vel debeas differre, aut omittere restitutionem, cùm prævides restitutionem obfuturam creditori, vel creditorem abusurum re sibi restituta in suam aut alterius perniciem. Exemplo sit: dominus petit à te gladium, tibi commodatum, quo vel se vel alterum vult occidere. Postulat solutionem pecuniæ, mutuò tibi concessæ, quia vult eam dare meretricibus ad peccandum.

485. *Dico* 1° : Si restitutio creditori tantùm affert detrimentum temporale, quod licitè potest subire, non potes, creditore graviter invito, differre restitutionem. Ita, si dominus petat solutionem pecuniæ, mutuò concessæ, quam vult applicare convivio minimè necessario, non potes differre solutionem. C. de Lugo, D. 21, n. 27. *Ratio;* quia non potes cogere dominum aut creditorem, graviter invitum, ne sua bona expendat in iis in quibus licitè potest expendere.

486. *Dico* 2° : Si restitutio creditori spirituale damnum affert, v. g., quia graviter est peccaturus per abusum rei sibi debitæ, non solùm potes, sed etiam debes differre solutionem, si quidem id fieri commodè possit, vel absque notabili tuo detrimento. Ita Sotus, Navarr. Molin. Less. Sporer, C. de Lugo n. 25, et Illsung n. 256, contra P. Navar. Azor, Th. Sanch. Palaum et Dicast., qui præcisè dicunt, sufficere ad licentiam restitutionis, si creditor ægrè ferat restitutionem differri. *Ratio* sententiæ communis est; quia charitas obligat ad impediendum grave proximi damnum, quoties absque notabili detrimento possum. Undè, sicut ex AA. sententiâ teneor præmittere correctionem, ne proximus labatur, ita teneor etiam differre restitutionem si verbalis correctio non sufficiat. Excipiendi tamen sunt aliqui casus, in quibus differri non debet restitutio : 1° si dilatio restitutionis parum prosit ad impediendum peccatum, ut si creditor aliàs te cogeret auctoritate judicis, vel ab alio pecunias statim obtineret ad malum finem; 2° si creditor, post factam hodie dilationem, cras iterum eodem animo petiturus est solutionem, et à petitione nunquam destiturus; nam in hoc casu, si differas restitutionem, non impedis peccata, sed occasionem præbes multiplicandi peccata; 3° si periculum peccandi graviter, quod times in creditore, sit remotum; 4° si peccatum quod creditor committeret, esset tantùm leve; nam in hoc casu, licèt fortassis aliquando possis, vix tamen debes differre restitutionem; 5° si grave detrimentum aliàs tibi propter dilatam solutionem imminet, ut si perderes creditoris amicitiam, tibi valde necessariam. Unde putant aliqui rarò contingere casum, in quo debitor seriò petenti rem suam, qua non est abusurus in alterius damnum, debeat illam denegare; quia rarum est ut non aliqua ex memoratis causis excuset.

487. *Dico* 3° : Si creditor aut dominus abusurus est re sibi restituta in gravem alterius injuriam, puta, si proximum est occisurus, non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia debes differre restitutionem, si quidem justa causa non excuset. Ita Sotus, Salon, P. Nav. Th. Sanch. Valent. Less. Bonac. Palaus, Sporer, Tambur. Herincx, Laym. c. 9 de Rest. et C. de Lugo suprà, n. 29, contra Molin. Dicast. et Mojam. *Ratio;* quia, qui domino petenti reddit gladium in iis circumstantiis in quibus vult alterum occidere, positivè cooperatur ad injustam alterius necem : hoc autem, nisi fiat ex gravissima vel certè proportionata causa, semper est contra justitiam, ut n. 318 est ostensum. 1° Esto titulo urbanitatis aut amicitiæ deberes commodare tuum gladium petenti Plauto, si tamen petat in iis circumstantiis in quibus injustè vult occidere Terentium, non potes ei commodare gladium citra peccatum apertum injustitiæ; quia commodatio nimis propinquè concurrit, et determinat ad injustam necem Terentii, neque minùs deservit ad maleficium quàm applicatio scalarum, porrectio clavium, etc., quibus adjuvatur fur ad suum propositum : ergo etiam in nostro casu. Nam quòd gladius in hoc casu sit alterius, nihil facit ad rem; cùm dominus aut creditor non habeat jus repetendi gladium in his circumstantiis, neque possit vi sui juris obligare te ad reddendum gladium. 3° Proximus quem creditor tuus è medio tollere vult, habet jus ne gladium ullum absque necessitate gravissima des; et in tribunalibus dans gladium haud dubiè puniretur ut particeps homicidii, vel ut ille qui positivè dedit consilium homicidii. Huc facere videtur *L. si pignore* 54, *ff. de furtis : Qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium; vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licèt nullum ejus consilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur.* Porro conclusio procedit à fortiori, si gladius reddatur amenti, furioso vel ebrio, à quo cædes injusta non procedit liberè, sed ex necessitate per instrumentum à te porrectum.

468. *Dico* 4°: Ad cavendum grave domini detrimentum in bonis animæ, licitum est quandoque surripere domino rem suam ad tempus. Ita S. Antonin. Sotus, Molina, Navarrus et C. de Lugo, n. 33. Ratio est eadem quæ supra; quia charitas obligat aut saltem suadet ut impedias proximi grave damnum in bonis animæ, quantum commodè fieri potest. Hinc aiunt fas esse mulieri surripere fucos ad tempus, si fucis allicit alios ad peccandum; item lusori chartas et instrumenta quibus abutitur ad peccatum. Tria tamen velim observes : 1° Major causa requiritur ut licitè surripias alteri rem suam etiam ad tempus tantùm, quàm ut licitè non restituas vel differas restitutionem ad idem tempus. Nam, ut suprà, n. 477, fuit ostensum, universim plus requiritur ad licitam surreptionem quàm ad licitam dilationem restitutionis. 2° Si persona sis privata, nec aliunde tenearis ex officio vel contractu, nunquam ex justitia debes alteri rem suam surripere; secus enim semper peccaret contra justitiam qui, cùm commodè potest, non impedit alterius peccata contra justitiam. 3° Rarus etiam est casus ut privatus obligetur ex charitate rem alienam surripere; quia per ejusmodi surreptionem communiter non impediuntur, sed potiùs multiplicantur peccata, vel committuntur alterius generis peccata, v. g., blasphemiæ, odia, rancores. Item, qui surripit rem alienam, exponit se periculo ne traducatur aut puniatur tanquam fur.

489. *Dico* 5°: In casibus in quibus ob detrimentum creditoris debet aut potest differri restitutio, debitor non tenetur postea sarcire damnum interim emergens aut lucrum cessans, esto sit debitor ex delicto. C. de Lugo, n. 31. *Ratio;* quia debitor in his casibus non in suum, sed in creditoris commodum differt solutio-

nem et gerit utiliter ejus negotium : ergo, si quod interea damnum emergat, non debet id pati debitor, sed creditor, cujus unius commodum spectatur.

*Objectiones.*

490. *Obj.* 1° : Esto creditor velit abuti pecuniis suis ad graviter peccandum, tamen habet jus petendi pecunias suas : ergo si petenti non restituo pecunias suas, ago contra jus ipsius.

*R. D.* Habet jus etiam pro iis circumstantiis in quibus proximè vult peccare, *N.*; in quibus proximè non vult peccare, *C.* Creditor non habet jus obligandi me petitione sua ne faciam id quod ex charitate debeo facere. Sic etiam creditor habet jus ad famam; non tamen potest efficaciter petere vel obligare me petitione sua ne coram testibus eum fraternè corrigam, quando non possum aliter ejus peccatum impedire, licet ex præsentia testium patiatur aliquam ignominiam.

491. *Obj.* 2° : Uxor tenetur reddere debitum conjugale petenti marito, quamvis iste voto simplici castitatis obstringatur et illicitè petat : ergo etiam reddere debes pecunias creditori, quamvis illicitè petat, et abusurus sit pecuniis ad peccatum.

*R. D. A.* Si commodè non possit impedire peccatum futurum mariti, *C.*; secus, *N.* Ordinariè parùm utilitatis est si non obediat uxor ; quia maritus urgebit, et alias fortasse causas in uxore suspicabitur, ac passione pressus crebriùs insistet. 2° Si tamen maritus esset destiturus à proposito, vel aliis vicibus non petiturus, nec idcirco conciperet suspicionem malam adversus conjugem, conjux ex charitate teneretur maritum à peccatis avertere. 3° Cùm uxor non sit voto castitatis obstricta, potest ipsa prævertere maritum ac petere debitum conjugale, quo casu maritus illud licitè reddet, utut voto castitatis sit obstrictus.

492. *Obj.* 3° : Parochus occulto peccatori non potest eucharistiam negare ; quia nimirum peccator habet jus petendi SS. eucharistiam in publico, quo jure privari non potest à parocho : ergo etiam à pari.

*R. N. A.* Parochus non ideò ministrare debet eucharistiam, quia peccator habet jus eam petendi in publico, sed quia jus habet retinendi famam in publico. Quocirca, si peccator occultè petat eucharistiam, non potest eam ministrare parochus, qui conscius est peccati.

493. *Obj.* 4° : Sicut peccator occultus habet jus ad famam, ita dominus habet jus ad suum gladium : ergo sicut parochus ad impediendum peccatum non potest lædere jus ad famam, sic etiam tu non potes ad impediendum peccatum lædere jus ad gladium : ergo, sicut non potest parochus occulto peccatori negare SS. eucharistiam, ita tu gladium non potes negare, esto dominus illo malè sit usurus ad perniciem alterius.

*R. N. ultimam C.* Disparitas est : 1° Si domino furenti das gladium, sequitur irreparabile damnum tertii, quod facilè potes impedire ; contrà non sequitur simile damnum si parochus occulto peccatori palàm ministrat eucharistiam : communiter autem est major obligatio vitandi vel impediendi peccata quæ vergunt in damnum tertii quàm alia ; quia Deus ut prudentissimus legislator attendere solet ad pacem, tranquillitatem et quietem generis humani. 2° Parochus qui negat eucharistiam peccatori palàm petenti, communiter non impedit ejus peccatum : non enim impedit peccatum antecedens quo petit eucharistiam. Dein, licet impediat opus externum sacrilegii, communiter tamen occasionem dat perseverantiæ longioris in affectu pravo sacrilegii. Præterea dat occasionem odii, rancoris, vindictæ vel aliorum pessimorum affectuum. 5° Christus Dominus, ad vitanda majora mala quæ sequerentur, non vult ut minister publicus eucharistiæ procedat palàm ex scientia privata ; nam, si liceret peccatoribus occultis, publicè petentibus, negare SS eucharistiam, absterrerentur innumeri qui peccatores non sunt, à divina mensa propter metum publicæ confusionis, quam facillimè crearet sacerdos affectu pravo commotus ; cùm non omnes sacerdotes semper sint angeli.

494. *Obj.* 5° : Si licet ad impediendum domini peccatum surripere rem ipsius ad tempus, licebit etiam surripere vi : sed hoc est falsum : ergo.

*R. D. M.* Semper, *N.*; subinde, *C.* Privato non licet adhibere vim, nisi dum opus est vim repellere vi. Sic, quando dominus œstro percitus occidere vult alterum, haud dubiè potes eripere furenti gladium. Contrà verò, si dominus præcisè velit abuti pecuniis ad ebrietatem aut fornicationem, non potes eripere pecunias vi, nisi jurisdictione polleas in dominum ; quia vis ista pertinet ad potestatem publicam et gubernativam, quæ non censetur permittere cuilibet privato facultatem adhibendi vim, ob pericula gravissimorum abusuum ; et aliàs etiam, si non posses aliter impedire peccatum alterius, posses eum domi vinculis adstringere, quod nemo dicit. Aliud tamen esset, si quis te vellet seducere, v. g. dominus turpia legens ex libro ; tunc enim haud dubiè posses ei librum eripere. Similiter adhibere vim licet, quando qui vim affert est auctoritatis magnæ, qui verò patitur est parvæ ; ut si major natu surriperet puero librum suum è quo seduceretur.

495. *Obj.* 6° : Si scires ex revelatione damnatum iri Titium, nisi spolietur suis bonis, et redigatur ad incitas, non posses eum spoliare, vel ad incitas redigere : ergo non potes ad impediendum grave detrimentum in bonis animæ surripere domino pecunias.

*R. D. C.* Ad longum tempus, *C.*; ad breve tempus, *N.* Extra casum extremæ vel gravissimæ necessitatis, non licet alteri surripere magnam quantitatem ad longum tempus ob scientiam aliquam privatam ; nam hæc surreptio communi doctorum judicio foret furtum : atqui furtum non licet ad impediendam alterius damnationem, sicut etiam non licet occisio proximi, quando per revelationem divinam certò scitur eum iri damnatum si diutius vivat.

## QUÆSTIO XXXII.

QUANDONAM EXCUSET INTERITUS REI.

496. *Dico* 1° : Si debitum sit tantùm ex re accepta, et res pereat sine tuâ culpâ vel injustitiâ, non teneris

ampliùs ad restitutionem, nisi fortè ditior sis factus. Ita omnes. *Et ratio;* quia cessat omnis titulus restitutionis: non enim teneris ampliùs ob rem acceptam; cùm ista ponatur desinere: non ob injustam acceptionem aut contractum, *ut patet.* Et nemo dicit bonæ fidei possessorem ad restitutionem obligari, quando rem alienam bonâ fide consumit et ex illâ non fit ditior.

497. *Dico* 2°: Si debitum sit ex contractu, videndum an res quam debes, sit creditoris vel tua. In posteriori casu non eximeris ab obligatione restitutionis; eximeris tamen communiter in priori casu, si res pereat sine tuâ culpâ vel injustitiâ. Ita rursùm omnes. *Et ratio;* quia, quando res perit sine culpâ, communiter domino perit, ut dictum est n. 141. Excipe 1°: nisi specialiter conventum sit de præstando casu fortuito; 2° nisi res alteri determinatè sit vendita: tunc enim, si fortuitò pereat ante traditionem, non venditori, sed emptori perit; quia, licet emptor nondum sit dominus absolutè, censetur tamen dominus fictione juris, quoad commoda vel pericula, meliorationem et deteriorationem rei, ut n. 146 est dictum; 3° nisi res alteri qui nondum est dominus, sit determinatè debita per promissionem, donationem, etc., absque traditione: tunc enim iterùm alteri res per casum fortuitum perit; quia non habet alter jus nisi ad rem, sibi determinatè promissam aut donatam, et ex nullo capite debitor tenetur sarcire casum fortuitò vel sine suâ culpâ exortum; 4° nisi creditor rem oblatam congruo loco et tempore noluerit accipere; tunc enim casus fortuitus imputari debet creditori, nisi fortè debitor ultrò voluerit suscipere periculum. Optimè verò monet Laymannus, c. 10, de Rest. n. 6, si creditor congruo loco ac tempore nolit accipere debitum integrum, valde consultum esse ut illud obsignatum coràm testibus apud judicem vel alium auctoritate judicis deponat; talis enim depositio in utroque foro vim habet plenæ liberationis, juxta *L. acceptam*, 19 *Cod. de usur.** Vide Cod. civ., art. 1257, et quoad conditiones spectat, articulos ejusdem 1238, 1244, 1258. *

498. *Dico* 3°: Si debitum ex delicto sit, et res casu pereat apud furem, non paritura similiter apud dominum, fur obligatur ad restitutionem. *Et ratio*, quia totum damnum moraliter oritur ex injustâ acceptione; nam, si non fuisset res injustè surrepta, non periisset. Similis est casus, quando res apud furem casu fortuito deterior evasit, non evasura deterior apud dominum; tunc enim fur tenetur restituere rem, et præstare totam æstimationem detrimenti. Imò P. Molina censet in arbitrio domini positum, ut vel exigat rem addito valore detrimenti, vel exigat integrum valorem quem res habuisset si non evasisset deterior; quia cogendus determinatè non est ut omninò careat re suâ, nec ut accipiat rem deterioratam. Verùm C. de Lugo, D. 18, n. 139, est contrarius, existimans non esse determinatè peti valorem integrum rei, sed satis esse si restituatur res cum integro valore detrimenti; quia sic ponitur sufficiens æqualitas quam solam intendit justitia. Monent autem DD. furem à restitutione liberari si, priusquàm res interiret, eam obtulisset domino facilè potenti accipere, dominus autem voluisset rem diutiùs apud furem servari; tunc enim casus fortuitus imputari debet domino, ut dictum est num. præced.

499. *Dico* 4°: Si res casu fortuito pereat apud furem, et periisset etiam apud dominum, eò quòd alius fur superveniens eam consumpsisset, fur primus obligatur ad restitutionem. Ita omnes. *Et ratio;* quia sic fur primus suscipit totam obligationem restitutionis quam posterior aliàs subiisset, ut patet ex dictis n. 261.

500. *Dico* 5°: Si fur destruat aut absumat rem, quando nondùm prævidetur imminens periculum, de rigore juris tenetur restituere totum valorem rei, quamvis res apud dominum manens certissimò periisset casu purè fortuito. C. de Lugo, D. 18, n. 143, quem sequitur Haunold. tr. 2, n. 367. *Ratio;* quia res, antequàm prævideatur periculum interitûs, retinet totum suum valorem. Unde, si rem consumas aut destruas, subis obligationem præstandi totum valorem, et voluntariè commutas jus in re, quod habebat dominus, in jus ad rem vel in jus ad pretium: hoc autem jus manet salvum, etiamsi res aliunde postmodùm certissimò periisset: perinde enim est ac si rem emisses cum obligatione solvendi, nam hæc obligatio manet, etsi res postmodùm casu sit peritura: et si pretium statim solvisses, non teneretur venditor refundere pretium.

501. *Dico* 6°: Si res fortuitò pereat apud furem, et eodem vel simili casu fortuito periisset apud dominum, puta, propter naufragium, incendium aut diluvium, fur non tenetur ad restitutionem. Ita contra Paludanum, Bartolum, Alexandrum et alios juristas, Covarruv., Molina, Medin., Navarra, Less., Vasq., Haun. et C. de Lugo supra n. 143. *Ratio:* quia fur in hoc casu rei damnum non infert effectivè, sed tantùm affectivè, nec absolutè privat efficaciter dominum re suâ, sed tantùm usu rei ad tempus, nec est causa cur pereat aut destruatur res; cùm hujus destructionis adæquata causa sit casus fortuitus, qui non fuisset impeditus etiamsi fur abstinuisset furto, vel rem furto surreptam restituisset. Sed neque fur commutat in hoc casu jus in re quod habuit dominus, in jus ad rem, vel in jus ad pretium: non enim commutat voluntariè, prout accidit in casu quintæ conclusionis; quia rem voluntariè non destruit aut consumit: neque commutat involuntariè, prout accidit in casu tertiæ conclusionis; nam in casu tertiæ conclusionis casus fortuitus non est adæquata causa destructionis, sed unà cum furto, vel cum voluntate rem alienam non restituendi; si enim fur abstinuisset furto, vel rem furto surreptam domino reddidisset, res non interiisset.

Juristæ tamen aliqui putant, in foro saltem externo furem in præsenti casu cogendum ut domino restituat integrum rei valorem. Sed etiam hoc negant Covarruv., Less. et C. de Lugo supra n. 150, qui volunt id colligi ex *L. item si cum exceptione* 14, § *quòd si homo, ff. quod metûs causâ*, *L. si plures* 14, § *sicut autem, ff. depositi*, *L. fin.* § *si eâ, ff. de Lege Rhodiâ.** Articulus 1302 codicis civilis statuit rem perire domino etiamsi debitor esset in morâ, quando in manibus creditoris

idem periculum offendisset; sic, ego debitor in morâ constituor ut domum tuam actu possidentis ingrediar, et recalcitrante me fulmen ædes disjicit, probationem casûs fortuiti affero, et ab obligatione liberor, contra regulam, *res perit domino*. Cùm verò de re furtivâ agitur, quocumque modo perierit res furto subrepta, nunquàm, quidquid Duranton contendat, ille qui subrepit de pretio solvendo teneri desinet, quia semper in morâ furatum objectum restituendi permansit. Quàm pœnaliter hìc Cod. civilis statuere voluerit, timoris causâ incutiendi, facilè dignoscitur et approbatur, sed ultrà furis personam non continuatur ultio legalis, hujusque hæres, patrii non consors sceleris, nullæ pœnæ submittitur. His sententiis accedunt Pothier, Pigeau, Toullier, D. Gousset, qui ex illis concludit non nisi latâ judicis sententiâ vim habere in conscientiâ dispositionem legis [1].

Solùm addo, sæpissimè domino restituendum in hoc casu valorem usûs quo dominus efficaciter ante fortuitum rei interitum fuit privatus, aut compensanda lucra cessantia vel damna emergentia quæ dominus ante casum fortuitum ex absentia rei suæ est passus.

502. *Dico.* 7°: Si rem alienam consumas, quando prævidetur inevitabile periculum interitûs apud dominum, opus est multiplici distinctione. Vel enim 1° res ob circumstantias suas nullo modo servari potest ac restitui domino; tunc enim, si periculum imminet ex causis naturalibus et non liberis, potes eam consumere citra obligationem restitutionis; quia res in tali casu domino parum aut nihil valet, et ipse non potest rationabiliter invitus esse propter consumptionem. Mevitò tamen observat C. de Lugo, n. 146, casum esse rarissimum; quia semper aderunt aliqui qui rem essent empturi, saltem pretio quodam minore. Vel 2° rem eripuisti periculo, et collocâsti simpliciter in tuto, ut non subjaceat ampliùs ulli periculo, et tunc non potest eam absumere sine obligatione restitutionis; quia status melior rei pertinet ad dominum: potes tamen compensationem petere tanquam utilis negotii gestor, si liberâsti rem ut eam domino restitueres. Vel 3° prævides rem certissimò postea perituram, si domino restituas, et tunc, ut cum Vasquio et Lessio putat C. de Lugo, n. 145, consumendo rem, probabiliter peccas tantùm contra charitatem, et non contra justitiam, esto posses interim diutiùs servare rem, et postea restituere citra periculum. *Ratio verò est;* quia justitia vult tantùm ut rem restituas; restitutio verò parum aut nihil in hoc casu prodest domino, neque magis evitatur damnum, sive restituas, sive consumas rem ipsius. Atque hæc servient ad elucidandas nonnullas difficultates quæ moveri possunt circa emptionem rei furtivæ.

*Objectiones.*

503. *Obj.* 1°. Ex assertionibus nostris sequitur, eum qui rem indeterminatè debitam ex contractu, v. g. pecuniam, triticum, vinum, oleum mittit creditori suo per tertium, puta, nuntium, amicum aut alium fidum hominem, non satisfacere suo debito, nec esse liberum à restitutione, si res fortuito casu pereat in via, vel nuntius eam ex negligentia perdat aut ex malitia consumat: consequens est valde durum; quia nemo per contractum obligari vult ad iteratam solutionem rei. Et quid si res ad absentem creditorem iterum, tertiò, vel pluries missa semper ita periret?

*R.* Si tertius non sit designatus à creditore, *C.*; si sit ab illo designatus et in procuratorem electus, *N.* Si creditor pati debet casum fortuitum, quando res ipsi determinatè debita perit in via, non est nimis durum, si debitor pati debeat casum fortuitum, quando res indeterminatè tantùm debita, quæ subjacet dominio debitoris, perit in via; cùm in contractibus necessaria sit æqualitas, et par debeat esse utriusque conditio, ac quælibet res per casum fortuitum pereat domino suo, vel illi cui determinatè debetur. Quòd si tamen sæpiùs ita res interiret, qui tamen est casus rarissimus, debitor est excusatus ex alio capite; quia nemo tenetur ad restitutionem cum detrimento proprio valde notabiliter majori.

504. *Obj.* 2°: Ergo etiam si pœnitens rem furto surreptam tradit confessario, cùm aliter sine gravi nota restituere non possit, non absolvitur à restitutione, si confessarius eam fortuito casu perdat, vel in via spolietur ab hostibus aut eam malitiosè consumat: consequens est falsum; quia pœnitens qui non potest aliter sine gravi nota restituere, si rem consignet confessario, facit quantum potest et debet. 2° Si creditor expressè consentiret ut restitutio fieret per confessarium, consignans rem confessario, foret liber ab ulteriori restitutione; ergo etiam est liber si tacitè consentiat: atqui sic consentire videtur; nam hic modus restituendi frequens est et usu receptus, cui nemo contradicit. 3° Si pœnitens non satisfaceret obligationi suæ, mittendo rem per confessarium, pœnitens esset simpliciter excusatus à restitutione; quia non potest aliter restituere sine gravi dispendio famæ, vel detrimento valde notabili in bonis superioris ordinis.

*R. N. M.* Quamvis Diana propositam sententiam existimet in praxi tutam, et Lessius cum Filliucio dicat non omnino improbabilem, ac Palaus fateatur in eam se propendere, tamen, ut testis est C. de Lugo, D. 21, n. 59, omnes ferè DD. sentiunt pœnitentem in hoc casu non fieri liberum à restitutione: fas autem non est in re tanti momenti deserere communissimam DD. in grave præjudicium tertii, præsertim cùm argumenta contraria vel nihil vel nimiùm probent. 2° Si debitor innocens juxta communem omnium sententiam non liberatur à restitutione quando per amicum fidelem mittit centum florenos ex contractu mutui debitos, et isti pereunt in via; non est ratio cur debitor nocens liberari debeat in simili infortunio. 3° Pœnitens quidem facit in hoc casu quantum potest et debet ad evitandum novum peccatum, non tamen facit quantum potest et debet ad dissolvendam obligationem restitutionis. Sic etiam, si debitor ex delicto non possit rem furtivam restituere nunc, statuat tamen restituere occasione proxima, et interim sollicitè custodiat

in arca, facit quantum potest et debet ad evitandum novum peccatum, non tamen se liberat à restitutione, nec etiam fit liber si res interim pereat casu per incendium, fulmen aut depopulationes hostium. 4° Etiamsi creditor tacitè consentiat ut debitum consignetur confessario, non tamen idcirco vult istum esse suum procuratorem; ità ut æquivaleat rem tradere confessario, et tradere ipsi domino vel creditori. Sic etiam, licet creditor sit tacitè contentus ut res indeterminatè debita mittatur per nuntium aut fidum hominem, non tamen hunc destinat in suum procuratorem, neque vult debitorem absolvi debito si res ad se nequaquam perveniat. 5° Pecunia quam mittis, dum adhuc est apud confessarium, est tua, non autem domini vel creditoris, nec est ei determinatè debita: igitur non domino, vel creditori, sed tibi perit. Et esto foret determinatè etiam debita domino vel creditori, tamen debitor ex delicto tenetur etiam ad casus fortuitos quibus res interiit, et ipse debet comedere quod intrivit.

505. *Obj.* 3°: Ergo etiam tenetur pœnitens ad iteratam solutionem, si pecuniam aliamve rem quam Titio surripuit, ex consilio simplicis ac minùs docti confessarii distribuat in pauperes, ac dein ex alio meliori confessario resciat incautum fuisse consilium, ac rem Titio, non pauperibus, restituendam.

*R. C. sequel.* cùm, ut observat Patrit. Sporer, tr. 4, c. 4, n. 20, videantur eædem rationes hìc pugnare quæ suprà; nisi fortè Titius ita sit benignus, ut meritò præsumatur contentus, vel nolle toto rigore juris uti adversus debitorem pauperem à confessario deceptum. Alii fortassis obtendent aliam excusationem; quia, sicut non tenetur ad restitutionem qui rem alterius assumpsit bona fide, rationabiliter credens domino nequaquam id displicere, sic etiam urgendus non videtur ad restitutionem qui bona fide vel ex præsumpta domini voluntate dedit pauperibus absumendam. Verùm, utut hæc excusatio sæpiùs locum inveniat in debitis absque delicto, et iis quæ determinatè domino vel creditori debentur, non tamen ea procedit in debitis ex delicto.

506. *Obj.* 4°: Ergo etiam teneris ad iteratam solutionem, quando debitum quod interiit erat ex voto vel juramento: v. g., vovisti calicem argenteum aut pecunias in honorem Virginis Œttinganæ: nuntius, quem existimâsti fidelem, in via spoliatur, aut cum calice vel pecuniis affugit.

*R.* multos apud Dianam, p. 10, tr. 16, resol. 97, admittere sequelam; et C. de Lugo, suprà n. 59, affert exemplum illius qui, dum voti causâ tenderet Lauretum, à tempestate coactus appulit in Siciliam: hìc enim minimè videtur liberatus ab obligatione voti; quia tempestas et impedimentum computari debet inter infortunia, non tamen dissolvit votum. Alii tamen existimabunt, Deum, qui cor et affectum potiùs intuetur quàm res, non exigere cum tanto rigore debita realia votorum, sicut homines qui, cùm bonis fortunarum indigeant, ad res potiùs quàm affectus hominum attendunt. Et hinc etiam summi pontifices facilè dant potestatem commutandi vota, non item promissa jurata, quorum neglectus cedit in præjudicium et damnum tertii. Dein vovens calicem aut pecunias, communiter tantùm promittit se missurum ac proin facturum quod ex sua parte requiritur ad hoc ut calix et pecunia veniat in locum sacrum, non autem promittit se suppleturum etiam nuntii defectus. Ex quo capite P. Suar. l. 4, de voto, c. 10, voventem, qui promisit sacra deditque sacerdotibus sufficiens stipendium, absolvit ab iterato stipendio vel eleemosyna, si fors injustè missas omittant incurii sacerdotes, et non reddant stipendium. Idem asserit in casu quo quis promisisset se missurum alium ad peregrinandum, ac subministraturum ei necessarios sumptus: unde, si pecuniis acceptis iste non obiret peregrinationem, nec compelli posset ad reddendas pecunias, vovens esset exemptus ab ulteriori obligatione.

507. *Obj.* 5°: Si debitor bonâ fide creditoris famulo vel domestico consignet rem, etiam indeterminatè tantùm debitam, censetur obligationi satisfacere, quamvis famulus aut domesticus malà fide rem supprimat, alienet aut consumat.

*R. D.* Si famulus sit procurator domini, *C.*; secus, *N.* Si famulus à domino specialiter est constitutus aut missus, ut ipsius nomine debitum recipiat, excusatur à restitutione debitor, si debitum exsolvat famulo; quia, dum res traditur ejusmodi famulo, jam censetur solutio domino facta, juxta *L.* 180, *quoa jussu*, *ff. de R. J.* 2° Si famulus est œconomus, cui communiter afferri solent debita quæ dominus exigit, iterum liber est à restitutione debitor œconomo rem consignans; quia communiter œconomus est delegatus ut in recipiendis debitis fungatur officio domini. 3° Si verò res est pretiosa, non est liber à restitutione debitor, si rem cuique famulo vel domestico consignet; quia sunt frequentissimæ famulorum fraudes, et dominus non vult ut cuique res promiscuè tradatur. Hinc etiam, si quis clam veniens ad debitorem se fingeret famulum, non fieret liber à restitutione debitor si rem ei simplici fide consignaret.

## QUÆSTIO XXXIII.

### AN EXCUSET INGRESSUS IN RELIGIONEM?

508. Tres sunt sententiæ. Prima vult non posse debitorem ingredi religionem, et ingredientem non liberari debito restitutionis. Ita Gerson Alphab. 39, litt. X et Y; Valent. Medina, Carbon, Angles. Secunda contendit debitorem ingredi posse religionem et per hoc liberari debito restitutionis. Ita S. Thom hìc q. 189, a. 6 ad 3; Paludanus, Silv. S. Antoninus, Angelus, Cajet. Rosella, Armilla, Tabiena, Pedrazza, Viguerius, Aragon. Tertia media docet differendum ingressum religionis, si debitor in seculo manens probabiliter speret debita sua vel integrè vel ex magnâ parte solvi posse intra breve tempus; secus autem, si necesse foret expectare per longum tempus, puta, per duos aut tres annos. Ita Lud. Lopez, Azor, Less. Palaus, Haun., Illsung; C. de Lugo, D. 21, n.

65, et Th. Sanch. l. 4 in Decal. c. 19, ubi materiam istam fusissimè ac doctissimè expendit.

509. *Dico* 1° : Debitor ex contractu purè gratuito, propter debita solvenda, communiter differre non tenetur ingressum religionis, esto postea non possit ampliùs illa solvere. *Ratio;* quia, qui per contractum purè gratuitum, puta, per promissionem liberalem se obligat, communiter se non intendit obligare, nisi quatenùs commodè potest, neque communiter habet intentionem explicitam aut implicitam obligandi se ad statum secularem, casu quo non posset aliter extinguere debita. Quin communiter habet contrariam intentionem implicitam, ut patet in promissione etiam juratâ matrimonii, cui regulariter inest hæc conditio tacita : *nisi fuero religionem ingressus.* Dixi *communiter*, nam si debitor expressè se obliget ad manendum in seculo, donec solutum fuerit debitum, manere debet in seculo, præsertim si juramento promissionem firmâsset; nam promissio, præsertim jurata quæ cedit in commodum et utilitatem alterius, servari debet, quoties servari potest absque peccato. Dein, ut cum Th. Sanch. optimè notat C. de Lugo, n. 68, si debitor absque magno incommodo posset aliquandiu differre religionis ingressum, puta, per unum aut alterum mensem, imo per sex, et interea posset solvere debitum, teneretur ingressum differre; quia, qui promisit aliquid, etiam purè liberaliter tantùm, debet adhibere media necessaria solutionis quæ commodè potest.

510. *Dico* 2° : Debitor ex contractu oneroso communiter ob debita solvenda non debet differre religionis ingressum ad longum tempus, puta, ultra duos vel tres annos. *Ratio.* Nam obligatio quæ nascitur ex contractu, pendet ex voluntate vel intentione contrahentis : atqui contrahens onerosè, licet communiter se rigidiùs obliget quàm contrahens tantùm gratuitò, tamen ordinariè se non obligat ut velit etiam stare contractu cum maximo suo detrimento, quale foret, si non posset unquàm mutare statum suum in melius, ac vivere cum incomparabiliter majore securitate salutis. Adde, quòd sponsalia vel promissio mutua matrimonii sint onerosi contractus, et tamen in iis implicitè semper includitur tacita conditio : *nisi fuero religionem ingressus.*

511. Dico 3° : Spectato jure naturali probabiliter neque debitor ex delicto tenetur ob solvenda debita differre religionis ingressum ad longum tempus. *Ratio prima.* Debitor ex delicto restituere non tenetur debita in re, quando damnum quod pateretur esset incomparabiliter majus, præsertim in bonis altioris ordinis, quàm foret commodum quod ex restitutione perciperet creditor, prout superiùs, q. 30, fuit uberiùs ostensum : ergo multò minùs cum simili damno restituere tenetur bona quæ tantùm habet in spe : atqui perpetua vel valdè diuturna exclusio à statu regulari quam pateretur debitor, communiter est damnum incomparabiliter majus, et quidem in bonis altioris, imò supremi ordinis quàm sit commodum quod ex restitutione perciperet creditor. Secunda. Vir honoratus, juxta communiorem et veram sententiam, non tenetur procurare lucrum moraliter incompossibile cum suo statu vel labore statum suum omninò dedecente, ut dictum n. 461 : ergo multò minùs tenetur procurare lucrum moraliter incompossibile cum statu perfectissimo religionis, ad quem aliunde habet jus, et cujus jactura longè gravius est damnum quàm jactura statûs honorati. Tertia. Nemo facilè dixerit aliquem ob debita persolvenda teneri semper abstinere statu conjugali, præsertim si propter tentationes gravissimas aut familiæ bonum hæc abstinentia foret molestissima : atqui abstinentia à statu incomparabiliter præstantiore, scilicet religioso, longè magis est difficilis et molesta homini qui seriò desiderat salutem. Videri potest Illsung, optimè quæstionem hanc discutiens.

512. *Dico* 4° : Attento tamen jure novo positivo, non potest debitor ex delicto religiosum statum amplecti, quando non potest aliter solvere debita. *Ratio;* quia Sixtus V, anno 1587, motu proprio per specialem bullam exclusit ab ordinibus regularibus eos qui sunt ære alieno gravati, et ipsos inhabiles reddidit ad professionem. Et quamvis Clemens VIII, anno 1602, temperaverit Sixti bullam, ac statuerit professionem esse validam, tamen declaravit eam illicitam, ac superiores ordinum qui recipiunt ejusmodi debitores subjecit gravissimis pœnis. Advertunt tamen DD. cum Th. Sanchez et C. de Lugo, n. 87, prohibitionibus istis non comprehendi 1° moniales; 2° nec equites ordinum militarium, quia non veniunt in odiosis sub nomine regularium; 3° nec debitores quorum debita sunt parvi momenti, vel quorum debita non superant vires facultatum; has enim post ingressum religionis possunt creditoribus relinquere; 4° neque debitores qui sine gravi culpâ contraxerunt debita; nam pontifices videntur loqui tantùm de decoctoribus, qui bona sua dilapidârunt comessationibus, luxuriis, etc.; 5° neque illos qui quidem ex gravi culpâ contraxerunt debita, sed nullam habent spem quòd manentes in seculo possint creditoribus satisfacere; nam horum ingressus non præjudicat creditoribus; 6° neque illos qui tantùm oppressi sunt debitis incertis, etiamsi debita sint ex delicto; cùm enim isti saltem jure positivo debeant bona quæ restitutioni sunt obnoxia distribuere pauperibus, et ipsi restituendo non sint, potest eis confessarius tanquàm verè pauperibus applicare summam debitam ad finem ingrediendæ religionis.

513. *Dico* 5° : Qui rationibus reddendis obstricti sunt, non possunt ingredi religionem ante rationes redditas. Ita colligitur ex *C. legem, dist.* 53; *C. un. de obligatis ad ratiocinia*, et ex *L. Officiales* 4, *Cod. de episc. et cler.* Notant autem auctores, professionem editam ante datas rationes, utut illicita sit, semper tamen esse validam; quia nuspiam exstat lex irritans ejusmodi professionem. An verò, quando rationes non possunt reddi, nisi longissimo tempore, teneantur isti differre semper ingressum religionis ex jure positivo, disputandum aliis relinquo.

514. *Dico* 6° : Debitor ex contractu vel delicto, si potest intra breve tempus, id est, unum aut alterum annum gravia debita solvere, communiter ex justitia tenetur ingressum differre, si quidem illa non possint aliter solvi, nisi dilato religionis ingressu. *Ratio.* Nam hæc dilatio non est tam grave detrimentum, ut propterea debeat omitti solutio debitorum quæ contracta fuerunt ex oneroso pacto vel delicto, et aliàs innumeris creditoribus gignerentur nimia detrimenta. Sapiente etiam advertit C. de Lugo, n. 70, perpendendum esse fructum quem debitor sperat ex ingressu religionis. Unde si vellet ingredi religionem laxam, præsertim ob motiva temporalia, vel posset æqualem ferè profectum in beneficio quodam ecclesiastico seculari sperare, ubi simul lucraretur media necessaria solutionis, certè non excusaretur à solvendis debitis, etiamsi religionis ingressum vel penitus omittere, vel differre deberet ad longissimum tempus.

515. *Dico.* 7° : Religio vel monasterium non tenetur ex suis bonis solvere debita quæ religiosus contraxit ante licitum religionis ingressum. Ita cum communi C. de Lugo, D. 3, n. 215, et D. 21, n. 79. *Ratio;* quia creditor in bona religionis aut cœnobii nullum habet jus. Unde si religiosus etiam in ipsa religione, imò prælatus sine consensu conventûs contraheret debitum ex delicto, vel injustè consumeret bona cujusdam domini secularis, non teneretur conventus sarcire damnum; quia personæ delictum non debet in damnum Ecclesiæ converti, juxta *Regulam* 76, *in* 6. Hinc etiam conventus non tenetur, quando res ab externo deposita apud privatum vel etiam prælatum, periit solùm ipsius culpâ. Secus est sentiendum quoad debita quæ prælatus aut procurator contrahit, non excedendo limites administrationis suæ.

516. *Dico* 8° : Tenetur tamen religio vel monasterium solvere debita religiosi ex bonis quæ religiosus habuit ante religionis ingressum, vel etiam ex bonis quæ religioso postea per hæreditatem, legata, donationem aut operam suam obveniunt. Ita rursus cum communi C. de Lugo suprà. *Ratio.* Nam creditor habet jus ad hæc bona, nec aliter hæc bona transeunt ad religionem, nisi cum obligatione quam haberent, si religiosus non esset ingressus religionem. Porrò, cùm dicitur solutionem esse faciendam ex bonis quæ religioso per operam suam obveniunt, opus est distinctione. Nam si religiosus operâ suâ serviat immediatè religioni, v. g., si coquat ei panem, pingat imagines aut ædificet monasterium, religio non tenetur ex his bonis satisfacere creditori, sicut etiam satisfacere non deberet alius dominus cui debitor ære gravatus præstaret ejusmodi servitia. Secus est dicendum de laboribus quos immediatè non impendit religioni, v. g., si concionatur aut dirigit scholas, et accipit inde salarium.

517. *Dico* 9° : Religiosus, quando non potest aliter solvere debita, tenetur ex justitia procurare media necessaria solutionis per suum laborem, modò labor non sit nimiùm difficilis aut contra decentiam sui status, ac prælatus det licentiam quam tamen hic ex justitia dare non tenetur. Ita cum pluribus C. de Lugo, D. 21, n. 81. *Ratio primæ partis*, quòd religiosus laborando debeat procurare media solutionis, *est;* quia status religiosus non aliter excusat religiosum à solutione debitorum, nisi quatenus impedit potentiam solvendi : ergo si religiosus laborando potest acquirere media necessaria solutionis, non est cur excusetur à solutione. *Ratio secundæ partis*, quòd labor non debeat esse nimiùm difficilis et dedecens statum, *est;* quia secularis etiam dominus, quando non potest aliter solvere debita, descendere non tenetur ad media nimis exotica, vel dedecentia statum; nec gubernator urbis addiscere debet aut exercere sutoris artificium, ut creditoribus satisfaciat. Porro multa dedecent in religione sacerdotem quæ non dedecent laicum, et multa dedecent ecclesiasten aut theologum qui sublimioribus curis adstringitur, quæ non dedecent simplicem patremfamilias. *Ratio tertiæ partis*, quòd labor institui debeat ex licentia superioris, *est;* quia statum religiosi nihil magis dedecet quàm laborare contra voluntatem superioris, et aliàs posset quis etiam laborare extra conventum et in habitu seculari. *Ratio quartæ partis*, quòd prælatus non teneatur ex justitia concedere licentiam, *est;* quia prælatus ipse nil debet creditoribus, et aliunde jus habet gubernandi vel occupandi subditos pro libitu : jus autem hoc, ratione traditionis per professionem factæ, fortius est quàm jus creditoris. Non tamen inficior, charitatem exposcere sæpiùs ut prælatus non deneget licentiam, quando potest eam concedere sine notabili detrimento cœnobii.

*Objectiones.*

518. *Obj. contra secundam et tertiam conclus.* 1° Obligatio naturalis præcedit ea quæ sunt puri consilii : sed obligatio solvendi debitum est naturalis, ingressus verò religionis est puri consilii.

*R. D. M.* Obligatio solvendi debitum in casu quo potest debitum solvi sine maximo solventis damno, vel non adsunt aliæ causæ solutionem excusantes, *C.;* in contrario casu, *N.* Præceptum naturale restitutionis non obligat in casu quo quis moraliter est impotens ad restitutionem : at, qui non potest restituere sine maximo suo detrimento, censetur moraliter impotens.

519. *Obj.* 2° : Filius non potest ingredi religionem, quando non potest aliter quàm in seculo subvenire necessitati maximæ parentum : ergo etiam debitor non potest ingredi religionem, quando solùm in seculo potest extinguere debita. *C. prob.* Ideò filius non potest ingredi religionem, quia de jure naturali debet succurrere parentibus, et ingressus religionis est puri consilii : sed hæc ratio pugnat etiam in altero casu.

*R. N. C.* Disparitas est, quia propter arctissimum vinculum naturæ, longè major est obligatio pietatis in parentes quàm sit obligatio justitiæ; nam propter necessitatem maximam parentum quæ filium arcet ab ingressu religionis, potest etiam filius omittere debita justitiæ.

520. *Obj.* 3°: Qui solo brachio posset comparare lucrum unde solveret debita, peccaret contra justitiam abscindendo brachium: ergo etiam qui permanens in seculo, potest comparare lucrum quod requiritur ad solvenda debita, peccat contra justitiam ingrediendo religionem. *C. prob.* Ideò peccat prior contra justitiam, quia se reddit inhabilem ad solvenda debita: sed hoc etiam facit posterior.

*R. N. C. Ad prob. D. M.* Ideò solùm, *N.*; quia se reddit inhabilem modo prorsus illicito ad quem nullum habet jus, *C.* Si sectio brachii necessaria foret ad longiorem vitæ conservationem, non peccaret contra justitiam abscindens sibi brachium.

521. *Obj.* 4°: Non licet inferre proximo grave detrimentum ob lucrum proprium spirituale vel temporale; non enim facienda sunt mala ut eveniant bona: ergo non licet creditores privare debito propter spirituale lucrum statûs religiosi.

*R. D. A.* Non licet inferre damnum per actionem positivam quâ res aufertur domino, *C.*; non licet inferre per omissionem actionis, aut restitutionis ob detrimentum proprium valde notabiliter gravius, *N.* Vide quæ dicta sunt n. 475. Dein, ut advertit C. de Lugo, D. 21, n. 77, debitor in nostro casu non tantùm privaretur lucro, sed etiam efficeretur maximo damno; quia privaretur libertate quam alii habent ad eligendum statum perfectum.

522. *Obj.* 5°: Mancipium sine consensu domini recipi non potest in religionem; et, si recipiatur, intra triennium extrahi potest: ergo etiam debitor sine consensu creditoris recipi non potest. *C. prob.* Creditor ordinariè patitur non minus damnum, quando recipitur debitor, qui nunquam expunget gravissima debita, quàm patiatur dominus ex jactura mancipii.

*R. N. C.* Mancipium non solùm domino debet sua, sed etiam seipsum. Unde, si tradat se religioni, perinde facit ac si personam suam alteri vendat, aut ex domini potestate fugiat, quod est furtum. Unde Th. Sanch. l. 5 Dec. c. 4, n. 49, meritò pronuntiat, irritam esse professionem mancipii. Contrà creditori debitor non debet seipsum, sed tantùm sua, nec sua debet pro quovis casu, vel quando non potest ea dare nisi cum incomparabiliter majore damno.

523. *Obj.* 6°: Qui sub spe promissi matrimonii vitiavit virginem, non potest absque virginis consensu licitè religionem ingredi: ergo etiam absque creditoris consensu religionem ingredi non potest, qui gravia debita cumulavit ex contractu.

*R. N. C.* Qui sub spe matrimonii copulam extorquet, implicitè promittit virgini se non ingressurum ordinem; nisi enim hoc promitteret, puella non daret usum corporis. At, qui debita contrahit, nec tacitè nec expressè promittit se non ingressurum ordinem, antequam solvat debita.

524. *Obj.* 7°: Qui defloravit virginem, etiam matrimonio non promisso, sed tamen injustè per vim aut fraudem, et non potest ei per augmentum dotis aut alios modos procurare decentes nuptias, absolutè tenetur volentem ducere, neque potest ingredi religionem sub melioris vitæ prætextu: ergo etiam, qui debita contraxit ex delicto, nec aliter ea potest solvere quàm si perseveret in seculo, non potest ingredi religionem: modus enim contrahendi debitum est idem utrinque.

*R. N. C.* Ut bene P. Illsung, n. 297, injusta defloratio virginis, ex consuetudine vel dispositione juris, æquivalet tacitæ promissioni qua deflorans disjunctivè promittit vel dotationem, vel nuptias. Dein, ut subtiliter advertit C. de Lugo, n. 78, nisi deflorator puellam ducat aut ei dotem augeat, ut æquè bene possit nubere sicut priùs, femina patitur idem ferè detrimentum quod patitur deflorator; quia non habet libertatem assumendi statum quem voluerit: at, quando par aut idem est detrimentum illius cui debet fieri restitutio, non excusatur à restitutione qui per vim aut fraudem injustè læsit. Aliud tamen est in nostro casu, ubi damnum in bonis fortunæ quod patiuntur creditores ex omissa restitutione, non est tantum quantum est damnum illius qui privatur libertate religiosam familiam intrandi.

525. *Obj.* 8°: Si vera nostra sententia, discipulus quem artifex instruit et alit, nullâ petitâ pecuniâ, sed cum pacto ut postea, v. g., per sex annos maneat apud magistrum et ei laboret, discipulus, inquam, iste non peccabit contra justitiam, si nondum expleto tempore transeat ad religionem. Idem casus formari potest in pueris qui subinde gratis accipiuntur et eruditur, cum pacto ut in templo canant usque ad quintum-decimum ætatis annum.

*R.* C. de Lugo, D. 21, n. 74, et Illsung concedunt sequelam. Unde secundùm istos DD. discipulus in hoc casu magistro solvere tantùm debet alimenta accepta et valorem instructionis, deducto valore sui laboris et obsequii, casu quo conditionatè pactum esset initum; non verò debet resarcire damnum magistri qui probabiliter alium alumnum suscepisset diutiùs serviturum. Verùm hoc alii discutiant.

526. *Obj.* 9°: Debitor qui non potest aliter solvere debita, nisi donationem, hæreditatem aut legatum acceptet, non potest illa repudiare citra vitium injustitiæ, ut communiùs ac longè veriùs apud Palaum, D. 1, de Just. p. 17, § 11, docent TT. contra non paucos juristas; et aliàs neque peccaret contra pietatem, qui parentibus, gravi necessitate pressis, non succurreret, cùm tamen facilè posset acceptando hæreditatem aut legatum: ergo etiam, qui non potest solvere debita, nisi perseveret in seculo, non potest deserere seculum citra vitium injustitiæ; ratio enim utriusque est quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

*R. N. C.* Qui tenetur ad finem, tenetur quidem ad media facilia vel ordinaria, non tamen ad difficillima vel molestissima. Aliàs, ut bene P. Illsung, n. 277, si debitor esset valde lubricus, et contraxisset magnam consuetudinem peccandi graviter, sæpissimè teneretur abstinere statu conjugali, et loco illius assumere beneficium pingue ecclesiasticum, ut posset expungere debita, non obstante gravissimo animæ suæ periculo; sæpiùs enim contingit ut in ecclesiastico statu

comparentur media solutionis quæ tamen comparari non possunt in statu conjugali, ubi lucrum officii vel artis vix satis est ad quotidianas familiæ necessitates.

## QUÆSTIO XXXIV.

AN EXCUSET COMPOSITIO CUM SUMMO PONTIFICE (1)?

527. Dico 1° Summus pontifex potest facere compositionem in debitis incertis, ita ut debitor vel minus vel nihil restituere teneatur. Ita communis cum C. de Lugo, D. 21, n. 92. *Ratio prima* est praxis usitatissima pontificum, qui per bullam *Cruciatæ*, qua fideles invitant ad bellum contra infideles, concedunt ejusmodi compositionem, sic, ut in Hispania et Sicilia, ubi solùm est usus *Cruciatæ*, commissarii pontificis exigere soleant, v. g., duos julios aut regales pro quatuordecim vel quindecim scutis, aut pro 5000 dipondiorum solùm 68, reliqua verò debita incerta remittant. Non est autem credibile, sanctissimos et doctissimos pontifices tamdiu semper hactenus errâsse, vel ignorâsse quid exigerent commissarii. *Secunda:* Esto nulla sit proportio inter duos, v. g., julios aut regales et 14 vel 15 scuta secundùm se, cùm julius Romanus aut regalis Hispanicus æquivaleat nostris 12 circiter crucigeris, et scutum 2 florenis, tamen attendi debet finis bullæ vel bonum maximum quod resultat ex coacervatione pecuniarum in subsidium belli, si tantâ clementiâ cum debitoribus procedatur. Sic etiam ad comparandas maximas indulgentias, opera quandoque parva in jubilæo præscribuntur, ut alliciantur omnes fideles ad tantum thesaurum. Tertia : Pontifex ex præsumpta testatoris voluntate, vel etiam ex suprema sua potestate, legata pia commutare potest in alium usum æquè vel magis bonum : ergo etiam ex simili titulo commutare potest obligationem solvendi debita incerta. *Quarta:* Quod potest dominus bonorum absque causa, potest etiam supremus administrator bonorum ex justa et sufficienti causa : pontifex autem est supremus administrator bonorum quæ debent erogari pauperibus, et habet sæpissimè sufficientes causas, v. g., maximam utilitatem reipublicæ christianæ, fructus uberrimos spirituales privatorum, ut debitoribus incertis condonet obligationem. *Quinta:* Obligatio distribuendi bona incerta in pauperes est tantùm juris positivi : pontifex autem dispensare potest in iis quæ sunt juris positivi. Sic etiam, quia jure tantùm positivo præcipitur ut canonici non faciant fructus suos ante professionem fidei, tamen si canonici fructus illos accipiant, procul dubio potest pontifex illis obligationem restitutionis remittere. Sic etiam pontifices non rarò dispensant cum iis qui deberent restituere fructus ob neglectum breviarium. Porro disputant DD. an debitor qui facta compositione solvit partem designatam pro debitis incertis, in conscientia maneat ita liber, ut etiam comparente postea vero domino vel creditore, nihil ampliùs restituere teneatur : in quo negativam sustinent Corduba, Covarr. Turrian. Molin. Villalobos, Rodriguez. Sed affirmativam tuentur Bannez, Sotus, Henriquez à Costa, quibus cum certa limitatione consentit C. de Lugo, n. 98.

528. *Dico* 2° : Etiam circa debita certa potest subinde pontifex ex gravissimis causis facere compositionem, quamvis hac potestate nunquam utatur. Ita Dicast. D. 10, de Rest. n. 175; C. de Lugo, n. 96. *Ratio prima.* Licet pontifex non sit dominus, neque supremus administrator omnium bonorum temporalium, habet tamen indirectè potestatem disponendi de bonis temporalibus christianorum, quatenùs id necessarium est ad rectam Ecclesiæ gubernationem : ergo, si summa necessitas Ecclesiæ posceret et non sequerentur scandala vel alia graviora mala, posset summus pontifex auferre domino vel creditori suum jus, et obligationem debitoris extinguere. *Secunda.* Si lex civilis propter commune et temporale bonum adimit dominium veris dominis, et transfert illud ad possessores bonæ fidei post legitimam præscriptionem, non est ratio quare non etiam ob bonum commune spirituale lex ecclesiastiça possit adimere jus creditoribus, et absolvere debitores onere restitutionis. *Tertia.* Cessante scandalo, posset pontifex id facere circa debita certa, quæ solvi deberent iis quorum bona secundùm leges ecclesiasticas applicanda sunt fisco. Nam si pontifex statuere potest ut eorum bona rapiantur ad fiscum, etiam statuere potest ut debitores iis non reddant bona quæ deberent alias reddere.

529. *Dico* 3° : Episcopi non possunt facere compositionem in bonis certis aut etiam incertis. Ita Silvester, Corduba, Manuel, Molina, Turrian. et C. de Lugo, n. 106, contra Trullenck. Villalobum. Henriquez et Dianam. *Ratio prima* est stylus omnium episcoporum. *Secunda.* Pontifex eatenùs facere potest ejusmodi compositionem, quia potest indirectè de bonis temporalibus christianorum disponere propter bonum commune spirituale : sed hæc ratio non concernit episcopum. *Tertia.* Debita incerta ex delicto, saltem de jure humano et canonico, debent erogari pauperibus : at episcopus dispensare non potest in jure canonico, præterquam in casibus à summo pontifice concessis.

## QUÆSTIO XXXV.

QUÆNAM ALIÆ CAUSÆ DEBITOREM EXCUSENT?

530. Præter memoratas, variæ solent ab auctoribus adduci : 1° excommunicatio debitoris aut creditoris; 2° condonatio vel remissio creditoris; 3° donatio vel legatio rei æquivalentis; 4° absolutoria sententia judicis; 5° juramentum decisorium; 6° transactio; 7° novatio; 8° delegatio; 9° compensatio; 10° solutio facta creditori creditoris; 11° cessio bonorum; 12° præscriptio. De postremâ dicitur alibi. De cæteris hìc breviter inquiremus.

531. *Dub.* 1° an excommunicatio debitoris aut creditoris excuset à restitutione, vel saltem suspendat obligationem restitutionis?

*R.* Si solus debitor est excommunicatus, differre

(1) "Gallicis theologis non approbantur omnes hujus quæstionis assertiones : sed hìc disputandi non locus et opportunitas dantur".

non potest propterea restitutionem, quidquid contra doceant Ugolinus et Sairus. *Ratio* 1° quia passim debitores excommunicantur, ut debita solvant, nec absolvuntur donec restituant. Et aliàs excommunicati commodum reportarent ex iniquitate vel malitiâ suâ, prout notavit Innoc. III *in C. si verè* 34, *de sent. excommunic.* 2° Si creditor propter excommunicationem non est vitandus, debitor non potest differre solutionem. Nam ideo non deberet statim solvere, quia cum creditore non posset communicare : sed hæc ratio cessat si creditor non est vitandus. 3° Etiamsi creditor sit vitandus ob excommunicationem, tamen communior, imò, teste Palao, D. 1, p. 17, § 4, certa sententia vult non idcirco differri posse solutionem privatam; quia licet excommunicatus vitandus arceatur à judicio, nec ei concedatur actio propter honorem et reverentiam tribunalis, ut patet ex C. *pia de except. in* 6, non tamen continuò privatur suis bonis et juribus proprietatis, neque per excommunicationem prohibetur illi quodvis commercium si cedat in magnam utilitatem, seu temporalem, seu spiritualem excommunicati; secus enim nec famuli persistere possent in ejus servitio, neque posset debitor privatim vel brevi colloquio causam dilationis illi proponere, quod nec ipsimet AA. volunt. Præterea C. *quoniam multos*, 11, *q.* 3, permittitur communio cum excommunicatis ob necessitatem; et C. *inter alia* 31, *de sententiâ excommunicationis*, dicitur non prohiberi quominùs excommunicatis aliquid detur humanitatis causâ. Nec obstant *C. ult. ae excess. prælat. et C. nos sanctorum* 15, *q.* 6, ubi vassalli vel sacerdotes eximuntur à debito fidelitatis debitæ principi vel episcopo excommunicato : nam ex his capitulis tantùm infertur, principes et episcopos, nominatim excommunicatos, privari jurisdictione vel usu illius; non autem sequitur creditores spoliari jure privatim exigendi debita.

532. *Dub.* 2° an excuset condonatio vel remissio creditoris?

*R.* Excusat; nam condonatio vel remissio creditoris æquivalet solutioni, et nolenti vel certè non exigenti solutionem non fit injuria per omissionem solutionis. Duplex tamen conditio requiritur : prima, ut condona tio vel remissio sit valida, nec irritetur à jure; secunda, ut fiat liberè, nec extorqueatur illegitimâ vi vel fraude. Et hinc 1° nulla est condonatio vel remissio debiti quæ fit ab eo qui condonare vel remittere non potest, v. g., à filiofamilias, pupillo, prodigo, furioso, religioso particulari, procuratore rerum alienarum, exactore vectigalium aut mulctarum, qui dominium rerum aut liberam administrationem non habent, vel non agunt ex voluntate domini. 2° Juxta C. *exigit et seq. de censibus, et exactionibus in* 6, episcopus aut archiepiscopus ecclesias visitans, et accipiens aliquid ultra sumptus necessarios ad victum, tenetur ad restitutionem in duplum intra mensem, neque valet remissio dantium. 2° Ex C. *statutum de rescript. in* 6, judex delegatus accipiens aliquid præter esculenta et poculenta liberaliter oblata, quæ paucis diebus possunt consumi, tenetur ad restitutionem, non obstante qualibet remissione. 4° Ex *Clement. nolentes*, *de hæret.* inquisitores qui prætextu officii pecunias extorquent, subjacent restitutioni, et remissio non valet. 5° Ex *Trid. sess.* 24, *c.* 12, *de reform.* canonicus absens retinere non potest distributiones, etiamsi prælatus ecclesiæ particularis aut Ecclesia remittat obligationem. 6° Securi non sunt in conscientia debitores qui se fingunt impotentes ad solvendum, aut pauperiores quàm reipsà sint, vel solutionem tamdiu procrastinant, ut creditor ex metu totum admittendi remittat partem debiti. Sicetiam gravissimè peccant magnates, qui mercatoribus, opificibus aut officialibus inferioribus nolunt solvere debita, nisi remissâ dimidiâ parte debiti. 7° Uti existimat C. de Lugo, D. 21, n. 49, etiam tuti non sunt qui per inopiam non possunt solvere totum, possunt tamen partem, at illam partem non aliter offerunt, nisi cum pacto ut remittatur residuum; quia creditores tunc tantùm consentiunt ex metu, ne totum amittant. Posset tamen hæc pactio fortassis locum habere, quando debitores in gratiam creditorum offerrent de præsenti majorem solutionis partem quàm reipsà teneantur ob inopiam. Hoc enim excessu venderent creditoribus spem dubiam incertæ solutionis futuræ. 8° Juxta eumdem auctorem, n. 49, à restitutione non eximuntur debitores, quando remissio debiti, non quidem ab ipsis, sed tamen ab aliis injustè fuit extorta per metum aut fraudem; quia remissio perinde est involuntaria, sive debitor, sive tertius cogat aut decipiat. Et quamvis in contractibus onerosis fortè debeat hìc fieri discrimen, tamen in purè lucrativis videtur aliter discurrendum, ut pronuntiat C. Pallav. apud Haunold. tr. 8, n. 120. Verùm hoc alibi discutiam ex professo. 9° Non pauci docent, condonationem aut remissionem debiti nullam esse, quando precibus importunis extorquetur; quod ego non crediderim, nisi fortassis preces supra modum importunæ sint, ut creditor absolutè mallet re suâ privari quàm illis assiduò vexari; et aliàs etiam Evangelicus ille mendicus egisset injustè, quando per importunitatem extorsit panes. Disputant etiam hìc DD. an si debitor inopiâ suâ creditorem movit ad remissionem, teneatur restituere debitum, ubi pervenit ad pinguiorem fortunam. Affirmant aliqui : sed Th. Sanch. l. 4, de Matr. D. 9, n. 17; Dicast. D. 10, n. 112; C. de Lugo, d. 21, n. 49; Silv. Navarrus uterque, Saa, Bonac. et alii negant; quia remissio fit absolutè, et est solutio quædam virtualis, juxta *L. si fundum* 81, § *Titio fundum, ff. de legatis* 1. Imò, juxta communem, procedit etiam hæc resolutio pro casu quo facta est remissio debitori, qui nunquam habuit animum solvendi, modò non intervenerit fraus aut legitima vis; nam internus hic animus nullo modo vitiat condonationem aut remissionem liberam.

533. *Dub.* 3° an sufficiat ad omissionem restitutionis voluntas creditoris rationabiliter præsumpta?

*R.* Sufficit, quia voluntas, rationabiliter præsumpta, sufficit etiam ad excusationem furti, prout communiter concedunt DD. ut Armilla, Ros. Tabien. Silvest. Cajet. Angles, Aragon. Sairus, Lessius, Th. Sanch. et C. de Lugo, D. 21, n. 54, et colligitur ex

*L. inter omnes* 46, § *rectè*, *et L. qui cas.* 48, § *qui ex*, *ff. de furtis.* Imò communiter DD. hoc extendunt ad casum quo domino quidem displicet modus accipiendi sine licentiâ, non tamen displicet substantia. 2° Acceptio, retentio vel omissio restitutionis non est injusta, nisi fiat invito domino vel creditore : non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex voluntate rationabiliter præsumptâ. 3° Quamvis ex hoc capite complures excusentur, ut filiifamilias, quando furantur patri non valde notabilem summam, domestici, quando consumunt esculenta communia, tamen summopere cavendus est abusus. Unde non puto sufficere quamcumque vero similem aut probabilem præsumptionem; quia fores nimiùm panderentur furtis et injustitiis, ut bene ponderat Molina; sed existimo requiri præsumptionem moraliter certam aut longè magis probabilem, præsertim in rebus gravis momenti.

534. *Dub.* 4° an excuset donatio vel legatio rei æquivalentis ?

*R.* Si debitor est memor debiti, sed tamen habet animum verè donandi vel legandi, certum est non extingui debitum; quia pendet ex arbitrio debitoris an actu suo velit novum transferre jus in creditorem, vel an malit extinguere debitum, ut colligitur ex *L. creditorem* 87, *ff. de leg.* 2; *L. credit.* 16, *C. de legat. L. si compensandi* 6, *C. de hæred. instit.* Nec obstat quod aliis præceptis satisfieri possit, etiamsi desit satisfaciendi voluntas. Nam obligatio cæterorum præceptorum non dependet ex voluntate nostrâ, sicut obligatio contrahendi vel solvendi debitum justitiæ. 2° Si debitor est memor debiti et dat animo solvendi, satisfacit debito, quamvis exteriùs simulet donationem, aut det in iis circumstantiis in quibus creditor existimat rem sibi donari; quia non requiritur ad veram solutionem ut debitor externè fateatur se solvere, modò non habeat animum solutioni contrarium. Et hinc, si Titius non possit aliter sine notâ solvere Caio 100 florenos quos ei furto surripuit, ac illi restitueret tempore nuptiarum, ubi Caius crederet offerri donum nuptiale, non esset urgendus ad aliam solutionem. Sed quid si Caius esset vir honestus, ac donatione simulatâ deceptus, postea simile donum offerret? Tamburinus, l. 8, tr. 4, c. 1, § 5, n. 2, existimat antidorum licitè recipi, nec consurgere novam obligationem restitutionis; quia Titius est usus jure suo, nec ipsius simulata donatio fuit causa, sed tantùm occasio antidori. Verùm hanc responsionem discutiant alii. Certum est non posse simulatam ejusmodi donationem institui, quando non timetur notabile detrimentum. 3° Si debitor donans aut legans est immemor debiti, non satisfacit debito, esto non donaret aut legaret si sciret suum debitum. Ita communis ferè omnium apud Covarruv. et Menoch. quos sequitur Palaus, D. 1, de Just. p. 17, § 8, n. 3. *Ratio.* Nam in contractibus non attenditur quid quis faceret sub hac aut illa conditione, sed quid absolutè faciat. Et hinc in externo foro debitor iste cogeretur ad solutionem antiqui debiti nisi fors manifestæ forent conjecturæ quòd debitor non intenderit gratis donare vel legare. 2° Plures tamen DD. cum Covarr. *C. offic. de rest. n.* 2, excipiunt debitum legale, v. g., si pater relinquit filiæ legatum quod computatur pro dote debita, *L. si cùm dotem* 22, § *si pater*, *ff. soluto matrimonio*; si maritus fecit uxori legatum quod computatur in partem illius quod aliàs uxori debetur. *In authent. præterea*, *C. unde vir et uxor.* 3° P. Layman. c. 12, de rest. n. 9, putat etiam excipi posse debita quæ propter legem ecclesiasticam expendi debent in pauperes vel causas pias. Unde si, v. g., canonicus restituere deberet 300 aureos ob neglectum officium divinum, ac immemor debiti procuraret argenteam statuam templo, non esset urgendus ad ulteriorem restitutionem. *Et ratio;* quia lex positiva, dum obligat ecclesiasticos ad restitutionem ob neglectum officii divini, tantùm vult ut in pias causas expendantur fructus malè percepti, nequc pauperibus aut templis confert ullum jus ad fructus; vel si conferat, intendit hoc tantùm sub conditione, si nimirum ecclesiasticus non tantumdem ad causas pias gratis expendat; melius enim est ejusmodi leges ecclesiasticas benigniùs explicare. Præterea, qui erogat aliquid in causas pias, semper vult satisfacere pro suis delictis : igitur implicitè vult satisfacere debito quod contraxit ex officii divini neglectu. Sic etiam aliqui excusant mercatores qui, cùm habeant plurima debita incerta ex delicto, plura tamen expendunt in causas pias, quanquam sæpè non sint memores debitorum. Atque hanc sententiam etiam approbare videtur C. de Lugo, D. 4, n. 46, et placere sibi ait Th. Sanch. l. 2 Consil. c. 3, dub. 121, n. 3, quanquàm in Decal. l. 1, c. 13, n. 11, contrarium sustineat.

535. *Dub.* 5° an excuset absolutoria sententia judicis ?

***R.*** Si restitutionis obligatio tantùm est dubia, tutò statur auctoritate judicis, ad quem pertinet decisio dubiorum. 2° Si restitutionis obligatio est certa, non tutò statur auctoritate judicis; quia sententia vel est iniqua, vel nititur falsâ præsumptione. 3° Secus esset dicendum, si judex in pœnam creditoris absolveret debitorem ab obligatione certa restitutionis. 4° Quando quis per sententiam, ordine juris latam, privatus est officio, beneficio vel hæreditate, Lessius, l. 2, c. 16, n. 68, putat, eum qui bona hæc postea obtinuit, non teneri ad restitutionem, etiamsi privatim sciat condemnatum esse innocentem, modò causa falsæ sententiæ non extiterit; quia potest respublica propter gravissimas causas, et ne perturbentur judicia, transferre dominia rerum. Verùm hoc est alterius loci.

536. *Dub.* 6° an quid valeat juramentum decisorium ?

*R.* Sæpè fit ut creditor, in supplementum suæ probationis, quæ per se non sufficit, exigat deferri juramentum debitori. Quare si debitor juratò neget debitum, et iniquitas juramenti non possit ostendi, debitor est tutus quoad forum externum. 2° Imò, si juramento simul accedat absolutoria sententia judicis, extinguitur omnis obligatio civilis, neque creditor ampliùs actionem intentare potest. Cod. civ. Juramen-

tum in quolibet statu causæ deferri potest, dummodò merè personale sit factum quo approbando expetitur. Decretorium est, litemque dijudicat etsi posteà falsum fuisse deprehendatur; omnia quæ ex juramenti præstatione pendebant juranti tribuuntur, salvâ tamen publici ministerii vindictâ, si posteà turpitudo jurantis pateat, proditâ per titulos ejus infamiâ. Art. 1358 et seq. Cod. civ. et 366 Cod. pœnalis*. 3° In foro tamen interno manet obligatio debitoris, si sciat iniquitatem juramenti, vel postea comperiat certitudinem debiti. Creditor autem sciens justitiam suæ causæ, prospicere sibi potest per compensationem occultam.

537. *Dub.* 7° quid sit transactio?

*R.* Juxta Molinam et alios, est onerosa pactio de re dubiâ, post litem aut controversiam in judicio, vel etiam extra, motam. 2° Transactio liberat à restitutione, non quidem totaliter, sed quoad partem æquivalentem æstimabilitati justæ defensionis adversùs actorem. 3° Debet tamen tempore transactionis res esse dubia; secus enim, si nôsset actor jus alteri favere, irrita foret ejus actio. *L. si summa* 65, *ff. de condictione indebiti.* Si verò notitiam pro se haberet ille contra quem instituitur actio, posset alterum convenire per actionem doli. *L. sub prætextu* 19, *C. de trans.* * Jure nostro transactio est contractus scriptus litem exortam dirimens, vel exoriendam præveniens. Art. 2044. De ejus vi lex Romana cum Gallicâ concordans statuit: *Non minorem auctoritatem transactionum quàm rerum judicatarum esse, rectâ ratione placuit,* dummodò tamen falsis titulis non innitatur; art. 2054, 2055, nec dolo malo ut re jam judicatâ, provocetur, 2056; excepto casu quo de testamenti vani, vel rupti nullitatibus etiam rescissoriis transigatur. Art. 1338 *.

538. *Dub.* 8° quid sit novatio?

*R.* Est prioris debiti vel obligationis in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem translatio, ita ut prior perimatur. *L.* 1, *ff. de novat.* Fieri potest tripliciter: 1° si debitum mutetur quoad formam, ut si pretium quod ex emptione debetur, convertatur in mutuum; 2° si mutetur quoad materiam, ut si loco pretii quod debetur, subrogetur debitum mercis; 3° si mutetur ratione personæ, ut si debitor aut creditor substituat alium qui solvat aut cui solvatur.* Codex noster de novatione satis cum veteri concordat, sed alio modo novationem explicat et dividit. Eo duce, novatio est substitutio novi debiti veteri debito, quod tum omnino extinguitur. Tribus modis fit: Quùm debitor novum debitum contrahit quod veteri substituitur quod perimitur; quùm novus debitor prisco debitori jam libero, substituitur; quum ex novo pacto, novus creditor prisco substituitur, cui nihil tunc debitor obligatur *.

539. *Dub.* 9° quid sit delegatio?

*R.* Est species novationis; nam, ut ex Ulpiano colligitur *L. delegare* 11, *ff. de novat.* nihil est aliud quàm substitutio novi creditoris aut debitoris. Huic delegationi similis est solutio facta creditori creditoris, de quâ mox.

540. *Dub.* 10° qui l sit compensatio ?

*R.* Est debiti et crediti inter se contributio. *L.* 1, *ff. de compens.* Quando enim duo sibi mutuò sunt æqualiter debitores, utrumque debitum extinguitur, extra casus jure specialiter exceptos. Sic enim compensari non possunt debita regi vel reipublicæ, quæ vergunt in communem et publicam utilitatem, debita titulo depositi vel commodati. 2° Ad compensationem requiritur ut debitum sit certum vel ejusdem rationis, ac functionem recipiat. Unde, si non sunt ejusdem speciei, non est propriè compensatio, quanquàm debitor titulo retorsionis possit omittere restitutionem, donec alter vicissim restituat; ut ex *L. si non sortem* 26, § *si centum*, *ff. de condictione indebiti*, ostendit Molina D. 560.* Compensatio, jure nostro, est reciproca et fictiva solutio, quæ inter duas personas debito mutuo sibi invicem obligatas, intervenit. Præter excepta à Voglero proposita, notantur in art. 1293 res injuriâ ablatæ, depositum, mutuum, res in quibus lex vetat injici manum, quæ omnes compensationi locum non admittunt. Vide Cod. civ. libro III. De acquirendo dominio, titulo 3, sectione 4*. 3° Hæc compensatio differt ab illâ quam theologi communiter occultam compensationem vocitant, et quæ potiùs est recuperatio debiti per occultam invasionem.

541. *Dub.* 11° an solvens creditori sui creditoris, liberetur à debito? v. g., debes Titio centum, Titius etiam Caio debet centum: Caius qui non potest obtinere centum à Titio, petit illos à te.

*R.* Si Titius est contentus, utique satisfacis et es liber ab ulteriori debito. 2° Si Caius uti potest occultâ compensatione, non peccas graviter contra justitiam, dando centum Caio; quia Titius est irrationabiliter invitus, et tu cooperaris ad justam et licitam compensationem. Dein hâc ratione Caius transfert jus suum in te: ergo, sicut Caius uti potest occultâ compensatione, sic et tu. Aliud foret, si Titius haberet alios creditores anteriores, quibus priùs satisfacere deberet quàm Caio; tunc enim non posses Caio solvere centum, in hypothesi quòd Titius non posset omnibus creditoribus satisfacere. 3° Quamvis aliqui cum Molina discrimen faciant inter forum internùm et externum, tamen C. de Lugo D. 21, n. 146, putat nullum esse faciendum, nisi fortè debitum sit occultum, quod in exteriori foro probari non potest, vel sit ex eorum genere pro quorum repetitione non conceditur actio civilis.

542. *Dub.* 12° quid sit cessio bonorum, et an excuset à restitutione?

R.* Cessionem bonorum non satis distinguunt theologi ab illâ debitoris inopiâ quæ defectus, decoctiove æris vocatur, Gallicè, *faillite, banqueroute,* cùm de commercium agente sermo est, et *déconfiture,* dissolutio bonorum, cùm de alio quovis. Ut lucidiùs de hâc materiâ sentire detur, Codicis civilis instituta cum Codicis commercii dispositionibus conferre utile judicavimus.

Cùm negotiator æri alieno solvendo imparem se suspensis solutionibus declarârit, deficere dicitur, bonorumque administrationem à die defectûs vel

decoctionis amittit; art. 437 et 442 Cod. com. Actuum et stipulationum fit incapax; art. 444 et seq., sigillis appositis, nominatis agentibus et procuratoribus et syndicis, debitorum status evolvitur; præcavetur venundatione mobilium actibus servatoriis et titulorum investigatione ne aliquid in fraudem creditorum agi queat; art. 449-514. Convocato creditorum cœtu, pactum et compositio intervenire possunt inter eos et debitorem, quod Galli vocant *concordat* : quæ facultas in suspectum æris decocti non cadit. Hìc duo accidere possunt : accipitur vel respuitur propositio concordatûs. 1° Si utrinque adoptatur, tertiâ saltem parte creditorum assentiente, cessioni voluntariæ bonorum locus est; plerùmque autem interest etiam creditorum, ut afflicto debitori ærumnis immeritis, assumptis cautionibus bonorum reddatur dispositio, quorum ope fidem in commercio et auctoritatem nominis sui redintegrando, posteà debita exsolvere possit. Sæpiùs etiam fit ut remissione partim factâ debiti, dieque quo cedebat prolatato, omnia in melius vertantur tum in creditorum gratiam, qui semper conscientiæ in foro jus pristinum asservant, tum in debitoris gratiam, qui non jam sibi vel bonis timet. Quamvis autem liberatus lege humanâ, debitor conscientiæ suæ rationes impendere debet; scit enim componentes non alio modo potuisse rem tractare, damnumque perpessos, ne omnia simul amitterentur; proindèque omnis damni auctorem de restitutione integrâ teneri. 2° Vel non admittitur compositio; tunc contractus unionis creditorum constituitur miseriore debitoris fortunâ; omnium enim bonorum possessionem amittit quæ in syndicorum manus administranda venundandaque incidunt : aliquid tantùm pecuniæ vel mobilium linquitur, ut suis suorumque necessitudinibus interdùm subveniat; art. 529 Cod. com. quamvis de eâ quæstione fuerit disputatum, nullum jus aliud habet, nisi quod præfectus gerendis rebus, Gallicè, *commissaire de la faillite*, ipsi concedit, nec applicando locus est art. 592 simul cum art. 529 in debitoris gratiam, ut Rhotomagensi curiâ judicatum est, 4 februarii 1828. Etiamsi adsit decoctionis præsumptio, ex primis verbis articuli 529 patet his victûs habitûsque providendum esse necessitatibus. Ampliori etiam gratiæ locus est ex articulo 530 Cod. com. si absit suspicio fraudis vel decoctionis; siquidem tunc permittitur pecuniam exposcere adjumenti ratione et opis, prout bona fides debitoris, familiæ ejus necessitudines et numerus, ipsum benevolentiâ dignum efficiunt; quidquid autem statuatur, dicendum est, ad conscientiam, non liberari à restitutione deficientem, nec decoquentem æs alienum, nec etiam illum qui negotiatoris titulo caret, et æs suum dissolvit, quod Gallicè *déconfiture* vocatur, sed dilationis causam habere, donec locupletior rursùs fiat.

Nunc verò quantùm à decoctione cæterisque æris alieni disperditionibus distet cessio videndum est.

Cessio bonorum est derelictio à debitore facta bonorum omnium suorum, in gratiam creditorum, cùm æs alienum solvendo est impar; art. 1265 Cod. civ. liberat debitorem pro rato tantùm fortunarum quas dereliquit. Non ex se dominium bonorum cedenti eripit, publicandis solummodò creditores consulere possunt, fructibusque percipiendis, art. 129; nec nisi priùs omnes Cod. proced. civ. formalitates impleverint, art. 904, et beneficiarii hæredis vicibus functi sint; art. 803-806 Cod. civ.

Duplex autem cessio, *voluntaria* et *judiciaria* seu in jure. Voluntaria, seu propriè *derelictio*, initis inter debitorem et creditores stat pactis; utrinquè assensus unanimus exigitur, absentibus enim creditoribus aut repugnantibus, jura in res et personam debitoris intacta forent, ex eo quòd bona debitoris sint commune pignus debitorum ejus, ex art. 2093 Cod. civ. Ex quo sequitur venundationem bonorum in fraudem ipsorum factam intelligerent, si non assensu confirmarent. In materiâ tamen commercii adoptatur art. 519 et seqq. sententia, numeroque præstantiores legem cæteris imponunt. Ex articulo 1265 patet *omnia*, sine exceptione, bona cedentis esse declaranda, nisi fraudulenti silentii reus esse velit. Ex arbitrio creditorum pendet ut detrahatur in cedentis ejusque familiæ gratiam quædam pecunia ipsis subsidiaria. Cessio cùm ex conventionibus solis vim suam mutuetur, ad creditorum arbitrium potest haberi ut solutio liberans ab ære alieno, quo casu optima fit in foro externo conditio cedentis; aliundè, ut diximus, non est debitis eximendi ratio capax, præsertim quoad conscientiæ forum internum in testimonium vocatur, quia nunquàm voluntaria est condonatio debiti, quanquàm sit voluntariò cessio à debente facta. Differt ergò cessio etiam voluntaria à compositione seu concordatu, 1° per tempus : compositio prævias formas Cod. proc. exigit; cessio nullas exposcit. 2° Per effectus : Illa quoad forum externum debitum extinguit : hæc jura creditorum integra servat; illa bonis debitorem non spoliat; hæc creditores in possessionem mittit, cum jure venundandi. 3° Per formas : hæc creditorum majorem partem pro judicibus accipit; cessio autem unanimi judicio accipi debet, excepto casu jam allato, quo cessio fiat una è conditionibus concordatûs seu compositionis, quo casu in hujus normas incidit. Ex his etiam colligitur rarissimam esse voluntariam bonorum cessionem, siquidem compositio longè meliorem fortunam debitoris efficit, asperiùsque cedentes Codex noster tractat, quàm ut se spontè spolient, nec derelictionis suæ mercedem in securitate bonorum futurorum inveniant, quod contrà in compositione venit; speique illecebris ab eâ semper deterretur homo, nec melioris sortis instrumenta libenter abjicit *.

Cessio judiciaria seu in jure, est ultimum remedium debitorum, quod leges meritò miserabile ac flebile appellant, et nihil est aliud quàm abdicatio juridica bonorum et jurium omnium in materiâ fortunarum, ut, quoniam creditoribus omnibus integrè satisfieri non potest, restitutio fiat à judice secundùm vires bonorum. Quibusdam in locis adjunguntur cæremoniæ, scilicet, cessor bonorum cogitur comparere nudus in publico.

* Cessio judiciaria, art. 1268 Cod. civ. descripta, est beneficium à lege concessum debitori infelici et bonæ fidei, quo ei licet, ut liberum corpus habeat, in jure omnem substantiam suam derelinquere quamvis aliud in pactis scriptum fuerit. Illud autem beneficium intra parvos limites coarctatur; siquidem, etsi lex statuat, art. 2063 non nisi præcisis casibus carceri civem exponi subeundo, quod propria laus est et commodum speciale cessionis, excluduntur benè multi, scilicet tutores, administratores, depositum habentes, fisci, publicorum ædium, hospitiorum bona gerentes, alienigenæ, qui fraudulenter alienum æs decoquunt, qui liberum esse hypothecis immobile mentiuntur, quamvis istis sit gravatum *.

Sunt autem duo privilegia cessionis, nimirum, ut cessor bonorum ulteriùs molestari vel incarcerari non possit (art. 1270 Cod civ. et 568 Cod. comm.). Unde qui propter bona debita civilia non possunt incarcerari, nunquàm faciunt cessionem juridicam. Alterum est ut, si post cessionem aliqua bona fortè comparat, restituere plus non debeat quàm commodè possit, relicta parca et congrua sustentatione. * Severius jure Romano in cedentem se præstitit jus Gallicum : beneficium enim quod vocabatur *competentiæ*, de quo hìc auctor verba habet, omninò explodit, ut supra diximus *.

Quamvis leges civiles positivè non permittant ut à cessore bona quædam occultentur, proùt contra Lessium contendit C. de Lugo, D. 21, n. 37, TT. tamen communiter docent, posse clam retineri quantum sufficit ut debitor tenuiter vivat secundùm conditionem statûs, quod maximè locum habet in debitis sine delicto, nam si debita sint ex notoriis delictis, debitor obligabitur ad humiliorem statum. Et facultas Lovaniensis theologica censuravit hanc propositionem : *Qui cessit foro, potest sibi retinere bona quibus indiget ad sustentationem familiæ, licèt debita, quibus cedit, sint ex injustitiâ vel notorio delicto contracta :* quam censuram approbavit synodus Namurcensis anno 1659. Addit tamen C. de Lugo, cessorem bonorum qui bona quædam occultavit, non posse tam liberè privilegiis uti sicut alter qui nihil occultavit. Unde, si posterior ex acquisitis postea bonis tantum restituere debet quantum commodè potest, prior debet restituere plus.

* Ut innotescant nostri Codicis dispositiones quæ ad penultimi ultimique paragraphi asserta spectant, remittimus ad omnia nuperrimè dicta de jure et officiis quæ cessionem obtinenti competunt, et ad art. 1270, Cod. civ. et 529 et 530, Cod. com. cum art. 592, Cod. Proc. collatis (1)*.

Si cessor bonorum postea perveniat ad pinguiorem fortunam, non excusatur ab ampliori restitutione, quia creditores juri suo propter cessionem absolutè non renuntiârunt.

(1) Quo tempore opera Lessii (*a*,) Lyonnet et Voglerî prelo mandabamus, audivimus mox edendum esse curâ et impensis ter meritò à nobis laudati bibliopolæ Mequignon Junioris, tractatum *de Justitiâ*, auctore D. Carrières, S. Sulpitii professore emerito. Ex opere nondùm vulgato aliquid excerpere pro specimine non licuit, et dolemus. Si autem de futuro per jam nota ominari fas est, diuturno successu honestabitur liber adeò faustis prodiens auspiciis. Præter enim solitam quâ eminet scriptor diligentiam, peculiaria studia in evolvendâ parte theologiæ quæ ad *Justitiam Contractusque* spectat, D. Carrières diutissimè contulit, adeò perspicuè, ut seminarii fines fama ejus longè excesserit, nuncque temporis inter præcipuos tum moralis tum civilis jurisconsultores Europæanos emineat, siscitantibusque doctoribus sæpiùs respondeat, momentosâ semper auctoritate utriusque juris ambages illustrans. Quàm meritò tali laude inclaruerit æstimandi causam ministrant codices quos annuò dictavit theologiæ tironibus Sulpitianis, pro quibus magnum nomen est adeptus. Nec tamen ideò lectores nostri operis medullâ se destitutos esse querantur, siquidem in supradicti locum, luculentissimum edidimus tractatum D. Lyonnet, *de Justitiâ* versatum. Non humilis ille theologus pristinæ disciplinæ fidelem se præstitit, ita ut in Lugdunensi scriptore, Parisini et Sulpitiani præceptoris principia dignoscantur; auctoris verò nostri hæc laus est propria, ut non tritis gressibus servilem in modum insistat; idearum autem quas mutuavit orbem effodiendo, quidquid suspicatus est illustret, quidquid tangat legitimè suo dominio vindicet.

Tribus voluminibus constabit tractatus D. Carrières : cujus etiam exstant apud Mequignon Juniorem tractatus *de Matrimonio* et *Annotationes ad Voglerum;* omnia laudatissima. Tum Gallorum, tum externorum quos habemus lectorum plurimi interest, ut eminentis viri scriptis sese instruant. Si quis autem ex subscriptoribus nostris, horum operum etsi cupidus, nolit directâ viâ cum eximio bibliopolâ conferre, justo pretio demandata opera immitti curabit administratio nostra. (Editores.)

(*a*) Lessium appellare omisimus, supra, cùm ad ipsius opus de Justitiâ et Jure deventum est. Celeberrimi hujus auctoris vitam reperire est in nostro Theologiæ volumine tertio, col. 785-786.

# INDEX RERUM.


HERMANN GOLDHAGEN VITA. 9-10
APPENDICES AD DECALOGUM, NECNON PRÆAMBULA AD JUS ET JUSTITIAM. *Ibid.*
MELETEMA BIBLICO-PHILOLOGICUM DE RELIGIONE HEBRÆORUM SUB LEGE NATURALI. *Ibid.*
Prænotio chronologica. *Ibid.*
EROTEMATA PHILOLOGICA. — Prænotio. 11
Erotema primum. Lex naturalis quid pro fundamento statuit vel requirit? *Ibid.*
— II. Quæ generatim sunt illa quorum lex naturalis homines admonuit? 15
— III. Quibus potissimùm rebus homines ante diluvium lege naturali viventes suam erga Deum religionem definiebant? 17
— IV. Quibus modis homines post diluvium, ante legem Mosaicam viventes, religiosi erga Deum fuerunt? 21
— V. Utrùm ante legem Moysis data fuit hominibus lex aliqua positiva divina? 23
— VI. Quid de Noachidarum præceptis sentiendum est? 26
— VII. Quibus modis homines ab avitâ religione ad idololatriam desciverunt? 27
— VIII. Quam in ætatem idololatriæ initium est referendum? 28
— IX. Quibus rebus vel personis divini honores præ cæteris sunt primò attributi? 30
— X. Quâ ratione factum est ne religio vera penitùs exstirparetur? *Ibid.*
Tabula traditionis hæreditariæ et domesticæ ab Adamo usque ad Moysen. 31
DISSERTATIO DE NOACHIDARUM PRÆCEPTIS. (Auctore Natali Alexandro.) 31-32
— DE PRÆCEPTIS MORALIBUS LEGIS MOSAICÆ. (Auct. eod.) 39-40
De extensione et ordine præceptorum Decalogi. *Ibid.*
Propositio. Omnia præcepta legis naturæ, necnon omnia præcepta moralia veteris legis in Decalogo continentur, vel ad illum revocantur. Sic autem ordinata sunt Decalogi præcepta, ut tria ad primam tabulam, septem ad alteram pertineant. *Ibid.*
— DE CÆREMONIALIBUS PRÆCEPTIS LEGIS MOSAICÆ. (Auct. eod.) 45-46
Articulus primus. De rituum Mosaicorum divisione et rationibus. *Ibid.*
Propositio prima. Veteris legis cæremoniæ convenienter dividuntur in sacrificia, sacramenta, sacra et observantias. *Ibid.*
Prop. II. Cæremonias Mosaicæ legis ratione destitutas qui dixerit, seipsum ratione destitutum probat. 47
Prop. III. Cæremonialia præcepta ob eam præcipuè causam Hebræis Deus tradidit, ut eos ab idololatriâ averteret; eaque vel ipsorum rituum ratio est, quos è gentium moribus in legem transcriptos nonnulli perperàm ac falsò asserunt. 50
Art. II. De legibus cæremonialibus sacrificiorum. 74
§ 1. De sacrificiorum ratione. *Ibid.*
Propositio. Sacrificia Israelitis non solùm permisit Deus, sed præcepit; illa tamen non expetivit, tanquàm iis indigens, aut quasi per se ei grata ac jucunda essent, sed aliarum rerum gratiâ, scilicet ad idololatriam abolendam, ad Christi sacrificium adumbrandum, ad spiritualia sacrificia, quæ exigebat ab hominibus, significanda. 74
§ 2. De sacrificiorum materiâ. 90
§ 3. De sacrificiorum fine variisque speciebus. 98
Art. III. De legibus cæremonialibus sacrorum. 107
§ 1. De rationibus hujusmodi legum. *Ibid.*
Propositio prima generalis. Ad reverentiam singularem Deo ejusque sacris ac ministris conciliandam, necnon ad mysteria Christi significanda, latæ sunt leges cæremoniales sacrorum. *Ibid.*
§ 2. De tabernaculi origine. 111
Prop. II. Tabernaculum ex profanâ gentium religione originem non duxit, sed ex Dei sapientiâ et voluntate. *Ibid.*
§ 3. De structurâ tabernaculi, seu præcipuis illius partibus, arcâ, Cherubim, altaribus. 117
§ 4. De vestibus sacerdotalibus, ac de Urim et Thummim. 133
§ 5. De solemnitatibus veteris legis. 159
Art. IV. De Legibus cæremonialibus sacramentorum veteris legis. 174
§ 1. De circumcisione. 175
§ 2. De consecratione sacerdotum veteris legis. 177
§ 3. De paschalis agni manducatione. 180
§ 4. De panum propositionis et aliorum consecratorum esu. 181
§ 5. De purificationibus ac lustrationibus, variisque legalium pollutionum speciebus. 182
§ 6. De expiatione generali Israelitarum, et de hirco emissario. 200
Art. V. De legibus cæremonialibus veteris legis observantias spectantibus. 211
§ 1. De legalibus observantiis sacerdotes spectantibus, quoad matrimonia præsertim et funera. *Ibid.*
§ 2. De observantiis populum universum spectantibus, et primò de ciborum discrimine. 216
§ 3. Lex de sexûs utriusque apparatu et vestitu non confundendo. 228
§ 4. Lex vestem ex lino et lanâ mixtam prohibens. 231
§ 5. Lex de fimbriis et philacteriis. 232
§ 6. Lex diversorum seminum commixtionem prohibens. 234
§ 7. Lex de primis agrorum incultorum fructibus per tres annos non comedendis. 235
§ 8. Lex de solutione decimarum. 237
§ 9. Lex animalium diversi generis conjunctionem prohibens. 239
§ 10. De aliis quibusdam circa animalia observantiis Mosaicâ lege præscripis: scilicet de ore bovi trituranti non alligando; de aviculâ matre cum pullis non tenendâ; de hædo in lacte matris non coquendo. 240
— DE JUDICIALIBUS, SEU FORENSIBUS LEGIS MOSAICÆ PRÆCEPTIS. (Auct. eod.) 247-248
Articulus primus. De præceptis judicialibus spectantibus principes; et de theocratico Israelitici populi regimine. *Ibid.*
Art. II. De præceptis judicialibus spectantibus populares et concives ad invicem comparatos. 255
Art. III. De præceptis judicialibus extraneos spectantibus. 267
Art. IV. De præceptis judicialibus conversationem domesticam spectantibus. 271
— DE CANONIBUS APOSTOLICIS. (Auct. eod.) 279-280
Propositio prima. Canones Apostolici octoginta quinque ab Orientalibus Ecclesiis recepti sunt, sexto ineunte seculo, ante quinti seculi suprema in Oriente non probati. *Ibid.*
Prop. II. Initio sexti seculi quinquaginta canones

Apostolorum in Ecclesiæ Latinæ codicem relati sunt, non tamen inter ecclesiasticas regulas ab omnibus Ecclesiis statim admissi. Attamen obtinuêre auctoritatem 50 illi canones per Occidentalem Ecclesiam universam 35 posterioribus rejectis. 283
Prop. III. Canones apostolici inscripti, nedùm 35 posteriores, verùm et priores 50 sunt Apostolis supposititi et pseudopigraphi. 286
Quæst. quo tempore et à quo conficti sint canones Apostolici? 306
— De constitutionibus apostolicis. (Auctore eodem.) 309-310
Propositio prima. Constitutiones Apostolorum sunt apocryphæ, ab Apostolorum et Ecclesiæ doctrinâ alienæ; ipsis adeò Apostolis et Clementi Romano supposititiæ. *Ibid.*
Scholion. 319
— De novem canonibus concilii antiocheni apostolorum. (Auct. eod.) 321-322
Propositio. Novem canones Antiochenæ Apostolorum synodo adscripti, sunt apocryphi et planè supposititii. *Ibid.*
— De epistolis decretalibus veterum pontificum romanorum, usque ad Siricium. (Auctore eodem.) 323-324
Articulus primus. Utrùm Epistolæ decretales Romanorum pontificum genuinæ sint. *Ibid.*
Propositio. Veterum pontificum Romanorum, ad Siricium usque, Epistolæ supposititiæ sunt. 325
Scholia. 336-337
Art. II. Quis Epistolas illas fabricaverit, ac priscis pontificibus supposuerit? 338
Appendix ad præcedentem dissertationem, de variis juris canonici collectionibus. 340
De præcipuorum ecclesiæ festorum numero et institutione. (Auctore Bouvier.) 347-348
§ 1. De præcipuis festis in honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi institutis. *Ibid.*
§ 2. De festis in honorem beatæ Mariæ Virginis. 357
§ 3. De præcipuis festis sanctorum. 366
1° De angelis. *Ibid.*
2° De sanctis veteris Testamenti. 367
3° De sanctis novi Testamenti. 368
De ritu celebrandi festa. 371
De festis suppressis. *Ibid.*
De festis translatis. 372
De festis patroni et titularis. 374
JURIS NATURÆ ET GENTIUM PRINCIPIA ET OFFICIA, ad christianæ doctrinæ regulam exacta et explicata. (Auctore Suarez, cum notis Guarini Panormitani.) 375-376
Dissertatio præliminaris. *Ibid.*
§ 1. De philosophis Græcis. 377
§ 2. De Romanis. 378
§ 3. De Christianis et SS. Patribus. 379
§ 4. De acatholicis eorumque in catholicos scriptores calumniis. 380
§ 5. De acatholicorum in sanctos Patres conviciis. 381
§ 6. De recto juris naturæ usu. 384
§ 7. De rectâ addiscendi juris naturæ ratione. 388
Operis totius idea et series. 389
Pars prior. De juris naturæ et gentium principiis. — De lege in genere. 395
Quomodò lex differat à præcepto. *Ibid.*
Puffendorfiana legis definitio excluditur. 396
Grotiana legis definitio non planè probatur, sed malè à Puffendorfio rejicitur. *Ibid.*
Barbeyraciana legis definitio rejicitur. 397
Quæ potestas requiritur in ferente legem? *Ibid.*
Quæ requiruntur ex parte legislatoris et ex parte legis? 398
In quem ferri potest lex? *Ibid.*
De vi obligandi in quâlibet lege. 399
Quid sit lex æterna? *Ibid.*
Quos respicit lex æterna? 400
Quomodò lex æterna obliget? *Ibid.*
Quomodò promulgetur? 400
De lege naturali. 401
Quomodò insinuetur lex naturalis? *Ibid.*
De repugnantiâ peccati merè philosophici cùm in Suarezii, tùm in aliorum Catholicorum sententiâ. 402
Hobbesii de lege naturali errores. 403
Acatholicorum de lege naturali sententiæ. 404
De legis naturalis definitione sine ullâ ad Deum relatione. *Ibid.*
De perpetuitate legis naturalis. 406
Legis naturalis immutabilitas. *Ibid.*
De honestate mutabili vel immutabili rei. 407
Quid alii opinentur de hâc legis immutabilitate. *Ibid.*
De legis naturalis firmitate. 408
De multiplici præceptorum juris naturæ genere. *Ibid.*
De multiplici in divinis attributis ratione. 409
An Deus unquàm in lege naturæ dispensaverit? *Ibid.*
De Puffendorfii in suis principiis inconstantiâ. *Ibid.*
De principiis cognoscitivis legis naturalis. 411
De variâ acceptione principii cognoscitivi juris naturæ. 412
De principio proximè cognoscitivo. *Ibid.*
De Grotii et Puffendorfii principiis cognoscitivis juris naturalis. 414
Improbatur socialitatis prædictæ systema. *Ibid.*
De Cumberlandi principio juris naturæ cognoscitivo. 415
De Heineccii principio juris naturæ cognoscitivo. 416
De Wolfii principio cognoscitivo juris naturalis. *Ibid.*
Rejicitur illud Wolfii principium. *Ibid.*
Confirmatur nostrum juris naturæ principium cognoscitivum. 417
De proprietatibus principii juris naturæ proximè cognoscitivi. 418
De jure gentium. 420
De primâ juris gentium constitutione. 421
Juris gentium existentia contra Puffendorfium et Barbeyracium asseritur. *Ibid.*
Idem jus gentium ab Heineccii objectionibus vindicatur. 422
Grotii in jure gentium cum Catholicis consensio, et mala Barbeyracii censura. 423
De convenientiâ et disconvenientiâ inter jus naturæ et jus gentium. 425
De jure gentium apud jurisconsultos. *Ibid.*
De proprietatibus juris gentium. 426
Causa juris gentium constituendi. *Ibid.*
Finis juris gentium. *Ibid.*
Discrimen juris gentium à jure naturali. 427
Exempla mutationis factæ in jure gentium. 428
Facilior juris gentium quàm juris naturalis ignorantia. 429
De differentiâ inter jus gentium et civile. *Ibid.*
De verâ juris gentium notione. 430
Exempla juris gentium ab hominibus constituti. *Ibid.*
Satisfit Heineccii oppositionibus. 431
Suarezii ratio pro jure gentium admittendo. 432
Pars posterior. — De officiis juris naturæ et gentium. *Ibid.*
De officiis erga Deum. 433
De Fide. *Ibid.*
De Spe. *Ibid.*
De Charitate. 434
De Pœnitentiâ *Ibid.*
De Religione. 435
De officiis erga seipsum. 436
De officiis erga proximum. 437
De hominum societatibus. *Ibid.*
De hominum dominio in homines. 438
De hominum dominio in bona. 440
De mutuâ hominum charitate. *Ibid.*
De officiorum concursu et mutuâ collisione. 442
Epilogus. 445
TRACTATUS DE JUSTITIA. (Auct. Lessio.) 445-446
Sectio prima. De justitia, jure et speciebus juris in genere. *Ibid.*
Caput primum. De justitiâ generatim. (Habet 4 dubi-

tationes., 445-446
Dubitatio prima. Quid sit justitia. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm justitia tantùm versetur circa actiones, an etiam circa passiones. 448
Dub. III. Utrùm præter justitiam particularem sit aliqua justitia generalis, quæ legalis dicatur, et quid illa sit. 450
Dub. IV. Utrùm justitia particularis rectè dividatur in distributivam et commutativam. 453
Cap. II. De ipso Jure in genere. (Habet 2 dubitationes.) 455
Dubitatio prima. Quid sit jus, et quodnam sit justitiæ objectum. *Ibid.*
Dub. II. Quomodò Jus secundùm varias acceptiones dividatur. 458
Cap. III. De speciebus juris realis: ut sunt dominium, ususfructus, possessio, et alia quædam. (Habet 13 dubitationes.) 459
Dubitatio prima. Quid sit dominium in genere, et quænam ejus species. *Ibid.*
Dub. II. Quid sit dominium perfectum, seu plenum. 461
Dub. III. Quænam requirantur ad dominii acquisitionem. 462
Dub. IV. Quidnam sit ususfructus. 464
Dub. V. Quomodò ususfructus amittatur. 466
Dub. VI. Quid sit usus. 467
Dub. VII. Quid sit servitus apud jurisperitos. *Ibid.*
Dub. VIII. Utrùm distinguatur usus à dominio, in rebus quæ ipso usu consumuntur. 468
Dub. IX. Quid sit possessio. 471
Dub. X. Quomodò dividatur possessio. 472
Dub. XI. Quibus modis acquiratur possessio. 473
Dub. XII. Quomodò amittatur possessio tum mobilium tum immobilium. 474
Dub. XIII. Quid privilegii conferat possessio. 475
Cap. IV. Quibus et in quæ dominium competat. (Constat 11 dubitationibus.) 476
Dubitatio prima. Utrùm soli naturæ rationali dominium competat. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm parvuli ante usum rationis habeant verum dominium. 478
Dub. III. Utrùm filiifamiliàs sub patriâ potestate constituti habeant dominium, et quarum rerum. *Ibid.*
Dub. IV. Utrùm servi habeant dominium aliquarum rerum. 480
Dub. V. Utrùm religiosi habeant aliquarum rerum dominium. 482
Dub. VI. Utrùm clerici non religiosi habeant aliquorum bonorum dominium; et quorum. 488
Dub. VII. Utrùm clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ et supellectilis sacræ. 498
Dub. VIII. Utrùm omnia homine inferiora cadant sub ejus dominium. *Ibid.*
Dub. IX. Utrùm homo cadat sub dominium alterius hominis. *Ibid.*
Dub. X. Utrùm homo sit dominus vitæ suæ et membrorum. 499
Dub. XI. Utrùm homo sit dominus suæ famæ et honoris. 500
Cap. V. De modo acquirendi dominii in res quæ vel nullius vel communes sunt; ubi de mancipiis, venatione, piscatione, aucupio, thesauris. (Constat 18 dubitationibus.) 501
Dubitatio prima. Quomodò facta sit prima rerum divisio, seu distinctio dominiorum. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm hæc divisio dominiorum licita fuerit, et commoda humano generi. 502
Dub. III. Quo jure facta sit hæc divisio. 504
Dub. IV. Quibus modis acquiratur dominium in homines, seu mancipia. 505
Dub. V. Utrùm servi ita transeant in dominorum potestatem, ut non possint fugere. 507
Dub. VI. Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione, aucupio. 510
Dub. VII. Utrùm principes possint jure prohibere venationem, piscationem et aucupium in locis publici juris. 512
Dub. VIII. Utrùm quis possit venari in prædio vel saltu alieno. 514
Dub. IX. Quomodò peccet, et an teneatur ad restitutionem is qui contra justam prohibitionem venatur, aucupatur, piscatur. 516
Dub. X. Utrùm fera à me vulnerata, et postea ab alio capta, sit mea, an capientis. 519
Dub. XI. Utrùm fera meo laqueo capta sit mea, an ejus qui fortè superveniens laqueo exemit et abstulit. 520
Dub. XII. Utrùm venæ metallicæ auri et argenti censeri debeant in nullius dominio, sicut feræ, et fiant primò occupantis. 521
Dub. XIII. Utrùm justè prohiberi possit pastio et ligatio in pascuo vel silvâ reipublicæ. 522
Dub. XIV. Quale peccatum sit, contra justam prohibitionem pascere vel ligna cædere. *Ibid.*
Dub. XV. Quomodò acquiratur dominium in thesauros. 523
Dub. XVI. Cui cedat, si in loco publico vel sacro inveniatur. 525
Dub. XVII. Quid si per magiam repertus sit. 526
Dub. XVIII. Quænam dicantur haberi pro derelicto, ita ut dominium eorum concedatur primò occupanti. *Ibid.*
Cap. VI. De modo acquirendi dominii in rem alterius absque ejus consensu, quod fit præscriptione. (Habet 18 dubitationes.) 528
Dubitatio prima. Quid sit præscriptio et usucapio. *Ibid.*
Dub. II. Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem seu usucapionem. 529
Dub. III. Utrùm dubitans an res sit sua, censeatur bonâ fide eam possidere. 532
Dub. IV. Si quis dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, et tamen retineat, utrùm bonâ fide continuet possessionem, an malâ. 533
Dub. V. Utrùm si quis ex ignorantiâ juris rem usurpet ut suam, suamque esse existimet, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum. 534
Dub. VI. Utrùm aliquando cum malâ fide procedat præscriptio. 539
Dub. VII. Quantùm temporis requiratur ad usucapionem rerum mobilium. 541
Dub. VIII. Quantùm temporis requiratur ad immobilium præscriptionem, sive contra privatum, sive contra Ecclesiam, vel piam causam. 544
Dub. IX. Quanto tempore præscribantur servitutes, et quanto amittantur. 546
Dub. X. Quanto tempore præscribatur jus patronatûs (id est, jus præsentandi ad beneficium), et beneficium ipsum. 548
Dub. XI. Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypothecæ, legata, fideicommissa et majoratus. 550
Dub. XII. Quanto tempore possit præscribi adversùs principem. 553
Dub. XIII. Quanto tempore præscribat qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel eo qui malâ fide tradidit. 555
Dub. XIV. Quantum temporis requiratur ut consuetudo præscribat contra legem. 559
Dub. XV. Quæ res non possint præscribi. 564
Dub. XVI. Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi. 565
Dub. XVII. Utrùm qui legitimè præscripsit rem aliquam, si termino præscriptionis elapso, constet fuisse alienam, teneatur eam restituere. 566
Dub. XVIII. Quibusnam adversùs præscriptionem restitutio in integrum concedatur. 568
SECTIO SECUNDA. DE INJURIIS ET DAMNIS IN OMNIBUS HUMANORUM BONORUM GENERIBUS, ET NECESSARIA RESTITUTIONE. 567-568
Cap. VII. De injuriâ et restitutione in genere. (Habet 10 dubitationes.) 569
Dubitatio prima. Quid sit injustitia et injuria. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm aliquis dicatur injustus, eo ipso quòd faciat aliquid injustum. 570

Dub. III. Utrùm aliquis possit pati injustum volens. 571
Dub. IV. Quid sit restitutio, et cujus virtutis actus. 574
Dub. V. Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis. 575
Dub. VI. Utrùm nascatur obligatio restiuendi ex damno dato absque culpâ vel per culpam levem extra officium et contractum. 576
Dub. VII. Utrùm nascatur obligatio restituendi ex damno, culpâ levi vel levissimâ in officio vel consilio dando, commisso. 580
Dub. VIII. Utrùm nascatur obligatio restitutionis damni ex culpâ levi vel levissimâ, quando intercessit contractus commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius similis. 581
Dub. IX. Utrùm oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantiâ comitante. 585
Dub. X. Utrùm restitutio sit necessaria ad salutem. 586
Cap. VIII. De injuriis et damnis in rebus spiritualibus, et necessariâ restitutione. (Complectitur 3 dubitationes.) 587
Dubitatio prima. Utrùm is qui privat aliquem per injuriam aliquo sensu, vel usu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm is qui alterum graviter læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem. 588
Dub. III. Utrùm is qui avertit aliquem à religione quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad aliquam restitutionem. 590
Cap. IX. De injuriis in corpus proximi per homicidium vel mutilationem, et de necessaria restitutione. (Habet dubitationes 26.) 594
Dubitatio prima. Utrùm liceat occidere aliquid vivens. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm liceat occidere peccatores. 595
Dub. III. Utrùm privatâ auctoritate liceat interficere maleficos. *Ibid.*
Dub. IV. Utrùm homini privato liceat interficere tyrannum. 596
Dub. V. Utrùm licitum sit occidere filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum. 598
Dub. VI. Utrùm liceat seipsum interficere. 600
Dub. VII. Utrùm in aliquo eventu liceat interficere innocentem. 605
Dub. VIII. Utrùm liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem. 607
Dub. IX. Si is qui invaditur non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo invasor se protegit, utrùm ei liceat se cum illo periculo defendere. 612
Dub. X. Utrùm ad conservationem vitæ matris liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura. 613
Dub. XI. Utrùm liceat occidere furem, in defensionem suarum facultatum. 616
Dub. XII. Utrùm pro defensione pudicitiæ et honoris licet occidere eum qui tentat violare. 619
Dub. XIII. Utrùm pro defensione alterius liceat occidere invasorem, et an ad hoc teneamur. 623
Dub. XIV. Utrùm aliquando licitum sit se mutilare, et quibus eventis. 625
Dub. XV. Quando homicidium casuale sit peccatum, et quando non. 628
Dub. XVI. Utrùm mors vel aliud damnum alicui tertio ex tuo maleficio obveniens, tibi imputetur. 631
Dub. XVII. Utrum homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputetur, et quid si per filium. 633
Dub. XVIII. Utrùm homicidia et damna quæ inferuntur per triremes Turcarum imputentur remigibus Christianis ibi captis, ita ut peccent contra justitiam, vel saltem contra charitatem. 635
De restitutione ad quam tenetur homicida. 636
Dub. XIX. Quantum teneatur homicida vel mutilator restituere. *Ibid.*
Dub. XX. Quomodò æstimatio lucri futuri facienda est, cùm ignoretur quamdiù fuisset victurus. 637
Dub. XXI. Quantum teneatur restituere, qui modum justæ defensionis excessit. 639
Dub. XXII. Utrùm quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio. 640
Dub. XXIII. Utrùm sit aliquid restituendum pro vitâ, membro vel cicatrice. 641
Dub. XXIV. Utrùm aliquid restituendum pro expensis funeris. 643
Dub. XXV. Utrùm animæ occisi aliquid restituendum ex justitiâ. 644
Dub. XXVI. Utrùm tantummodò uxori et liberis, an etiam aliis restituere teneatur, ut creditoribus et iis quos occisus alebat. *Ibid.*
Cap. X. De injuriis in corpus proximi per stuprum et adulterium, deque congruâ restitutione. (Constat 7 dubitationibus.) 647
Dubitatio prima. Utrùm stuprum, si fiat consentiente puellâ, contineat specialem deformitatem vel injuriam supra simplicem fornicationem. *Ibid.*
Dub. II. Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit ei conjugium. 649
Dub. III. Ad quid teneatur corruptor, si eam decepit promissione conjugii. 651
Dub. IV. Utrùm is qui ante voverat ingredi Religionem, si postea puellam sub promissione verâ vel fictâ matrimonii deceperit, possit ingredi. 654
Dub. V. Utrùm adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ pro injuriâ, si partus non sit secutus. 656
Dub. VI. Utrùm si secutus sit partus, teneatur adulter ad restauranda damna quæ consequuntur marito vel hæredibus legitimis, ex sustentatione ejus et hæreditatis partitione. *Ibid.*
Dub. VII. Ad quid teneatur adulter si secutus sit partus. 659
Cap. XI. De injuris famæ et honoris per detractionem et contumeliam, deque necessariâ restitutione. (Complectitur dubitationes 27.) 662
Dubitatio prima. Quid sit fama et honor, et quomodò distinguantur. *Ibid.*
Dub. II. Quid sit detractio. 663
Dub. III. Quale peccatum sit detractio. 664
Dub. IV. Utrùm auditor detractoris peccet mortaliter. 666
Dub. V. Utrùm audita vel alia quælibet referens absque asseveratione et dubitanter, peccet mortaliter, et teneatur restituere. 667
Dub. VI. Utrùm sit peccatum mortale infamare seipsum. 668
Dub. VII. Utrùm possit quis sibi falsò crimen imponere, ad vitanda tormenta, præsertim si ob id esset extremo supplicio afficiendus. 669
Dub. VIII. Utrùm ad vitanda gravia tormenta, possis alterius peccatum occultum vel aliud secretum pandere, præsertim si ipsi inde mors immineat. 673
Dub. IX. Utrùm possim manifestare alterius crimen occultum, ad impediendum damnum proximo impendens. 675
Dub. X. Utrùm liceat infamare eum qui fictis virtutibus sibi famam paravit, vel qui crimen commisit cui jure infamia est annexa. 676
Dub. XI. Utrùm revelare crimen proximi uni vel duobus, quibus dicere perinde sit ac si nulli diceretur, sit peccatum mortiferum. 677
Dub. XII. Utrùm injuriam sibi ab aliquo factam referens amico, peccet. 678
Dub. XIII. Utrùm crimen proximi, quod publicum est in aliquâ civitate, liceat alibi patefacere, ubi ignoratur. *Ibid.*
Dub. XIV. Utrùm eum qui uno aut altero crimine infamis est, liceat de aliis infamare. 681
Sequitur altera pars hujus capitis. — De famæ restitutione, quomodò, quibus et à quibus faciendâ. 682
Dub. XV. Utrùm fama cum periculo vitæ sit restituenda. *Ibid.*
Dub. XVI. Utrùm, si fama restitui nequeat, debeat pe-

cuniâ compensari. 685
Dub. XVII. Utrùm, si fama aliâ viâ sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere; v. g., si virorum gravium testimonio vel probitate vitæ penitùs absterserit infamiam. 685
Dub. XVIII. Utrùm si infamia jam penitùs abierit in oblivionem, sit restituenda; v. g., infamavit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitùs obliviscuntur. 686
Dub. XIX. Utrùm totum damnum, quod sequitur ex infamiâ, sit compensandum. *Ibid.*
Dub. XX. Quomodò fama est restituenda. 687
Dub. XXI. Utrùm hæredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionem, si ipse eam non restituit. 689
Dub. XXII. Utrùm is teneatur ad restitutionem famæ qui bonâ fide existimans esse verum et publicum, narravit et infamavit proximum; item quid si auditores de alio intellexerunt. *Ibid.*
Dub. XXIII. Utrùm prælatus non impediens infamatorem teneatur ad restitutionem. 692
Dub. XXIV. Utrùm restitutio famæ possit condonari, præsertim à prælato. 693
Dub. XXV. Utrùm in restitutione famæ fieri possit compensatio. 694
Dub. XXVI. Quænam excusant famæ restitutionem. 696
Dub. XXVII. Utrùm honor sit restituendus, et quo modo. 697
Cap. XII. De injuriis fortunarum per furtum, rapinam, damnumve illatum; et de necessariâ restitutione ob hanc causam. (Constat dubitationibus 20.) 699
Dubitatio prima. Quid sit furtum. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm furtum et rapina differant specie. 701
Dub. III. Utrùm fur et raptor continuè peccent donec restituant. *Ibid.*
Dub. IV. Quibus modis istud peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpatur. 704
Dub. V. Utrùm, dùm quis utitur re alienâ quam detinet invito domino, peccet novo peccato, quotiescumque id facit. 705
Dub. VI. Quale peccatum sit furtum. *Ibid.*
Dub. VII. Utrùm is qui minutis furtis intendit surripere quantitatem notabilis pretii, peccet mortiferè. 708
Dub. VIII. Utrùm is qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, peccet mortiferè. 709
Dub. IX. Quando plures uni per minuta furta grave damnum inferunt, ut cùm multi vineam prætereuntes botrum unum vel duos carpunt, utrùm singuli peccent mortiferè, et teneantur ad restitutionem. 712
Dub. X. Utrùm occultè vindicare rem suam vel sibi debitam, surripiendo eam alteri, sit peccatum mortiferum. 713
Dub. XI. Utrùm aliquando liceat vim adferre debitori, si aliter nequeas rem tuam obtinere. 716
Dub. XII. Utrùm in extremâ vel etiam in gravi necessitate, licitum sit aliena surripere. *Ibid.*
Dub. XIII. Quando filius peccet mortiferè, accipiendo vel expendendo bona paterna, et quando non. 719
Dub. XIV. Quando uxor peccet mortiferè, capiendo et donando ex bonis mariti, vel quorum ille habet administrationem, et quando non. 721
Dub. XV. Utrùm, si res furtiva pereat, fur teneatur ad restitutionem. 723
Dub. XVI. Utrùm fur et quivis alius iniquus possessor teneatur restitutionem facere juxta summam æstimationem quam tempore detentionis habuit. 727
Dub. XVII. Utrùm fur et quivis alius malæ fidei possessor, fructus perceptos, et eos qui percipi poterant, teneantur restituere. 731
Dub. XVIII. Utrùm is qui alteri est causa damni, sive impediendo ab aliquo bono, sive aliquâ aliâ ratione, teneatur ad restitutionem. 734
Dub. XIX. Utrùm, si quis damnum intulerit in re adhuc in dies crescente teneatur integrè, perinde ac si adulta esset, rependere. 743
Dub. XX. Utrùm qui in tempestate ejicit merces alienas teneatur ad sarciendum damnum. *Ibid.*
Cap. XIII. De cooperantibus ad damnum vel furtum. (Complectitur dubitationes 11.) 744
Dubitatio prima. Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm ii qui positivè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem; an solùm quando sunt causa sine quâ damnum non fieret. 745
Dub. III. Quomodò oporteat positivè cooperari, nempe jussione, consilio, consensu, palpatione, receptione et participatione, ut censearis causa damni. 747
Dub. IV. Utrùm is qui aliquo horum sex modorum cooperatur, teneatur in solidum. 754
Dub. V. Quo ordine teneantur isti in solidum restitutionem facere. 756
Dub. VI. Utrùm inter causas secundarias quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem, consentientem, animantem, receptatorem et subministrantem, sit aliquis ordo in restituendo. 759
Dub. VII. Quando plures sunt causæ damni æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videantur æquè contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ teneantur? 760
Dub. VIII. Utrùm, si is qui damnum accepit, uni sociorum obligationem restituendi condonet, reliqui maneant liberi. 761
Dub. IX. Quomodò censeatur quis causa damni negativè. 762
Dub. X. Utrùm qui hoc modo causa damni fuêre, semper teneantur ad restitutionem. *Ibid.*
Dub. XI. Utrùm hi teneantur in solidum, et quo ordine. 766
Cap. XIV. De restitutione ratione rei acceptæ, et cui facienda restitutio. (Habet dubitationes 9.) 767
Dubitatio prima. Utrùm is qui bonâ fide rem consumpsit, vel alienavit, teneatur postea ad restitutionem. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere. 768
Dub. III. Utrùm, si emeris rem furtivam bonâ fide, tenearis eam domino reddere; an verò possis dissolvere contractum, recepto pretio. 770
Dub. IV. Utrùm, si dubites an res sit aliena, possis eam accipere, retinere, alienare. 772
Dub. V. Utrùm qui bonâ fide rem alienam, quam ab alio emerat, vendidit, domino comparente, teneatur contractum venditionis rescindere, reddito pretio emptori cui vendidit, an sufficiat cedere ei suâ actione. 773
Dub. VI. Utrùm bona et debita incerta, id est, quorum ignotus est dominus vel creditor, sint pauperibus restituenda. 775
Dub. VII. Cui facienda restitutio inventorum, habentium dominum, sed incertum, et an inventor possit ea sibi retinere. 779
Dub. VIII. Utrùm acceptum ob turpem causam sit necessariò restituendum, et cui. 780
Dub. IX. Utrùm acceptum ob causam honestam, ad quam tamen obligabaris (v. g., ut facias vel omittas quod tenebaris facere vel omittere), debeat restitui. 783
Cap. XV. De ordine in restitutione servando, deque loco et expensis. (Complectitur dubitationes 8.) 786
Dubitatio prima. Utrùm debita certa sint priùs solvenda quàm incerta. *Ibid.*
Dub. II. Utrùm inter debitores certos priùs solvendum sit venditori, cui pretium nondùm est solutum re venditâ exstante. 788
Dub. III. Utrùm debita ex delicto præferenda sint debitis ex justo contractu. 790
Dub. IV. Quis ordo sit servandus in solutione certo-

rum debitorum. 792
Dub. v. Utrùm prius petenti liceat priùs solvere. 796
Dub. vi. Utrùm regula illa juris : *Qui prior est tempore potior est jure*, possit extendi ad creditores personales. 597
Dub. vii. Utrùm inter chirographarios carentes privilegio prælationis possit satisfieri pauperi omissis ditioribus. 798
Dub. viii. Quo loco et cujus expensis facienda sit restitutio. *Ibid.*
Cap. XVI. De causis excusantibus à restitutione, vel omninò, vel ad tempus. (Constat dubitationibus 12.) 801
Dubitatio prima. Quæ inopia vel impotentia excuset debitorem à restitutione. *Ibid.*
Dub. ii. Utrùm remissio debitoris excuset. 809
Dub. iii. Utrùm cessio bonorum excuset à restitutione. 810
Dub. iv. Utrùm, si restitutio putetur creditori vel alteri nocitura, possit differri. 812
Dub. v. Utrùm, si id quod tibi debeo solvam tuo creditori, liberer à restitutione tibi faciendâ. 814
Dub. vi. Utrùm rei debitæ interitus excuset. *Ibid.*
Dub. vii. Utrùm juris vel judicis auctoritas excuset à restitutione. 816
Dub. viii. Utrùm ingressus in religionem liberet à restitutione. *Ibid.*
Dub. ix. Utrùm excommunicatio creditoris liberet à restitutione. 818
Dub. x. Utrùm creditorum incertitudo excuset à restitutione. 819
Dub. xi. Utrùm dispensatio vel compositio cum prælato excuset. *Ibid.*
Dub. xii. Utrùm compensatio excuset. 820
APPENDIX PRIMA AD TRACTATUM DE JUSTITIA ET JURE. (Auctore D. Lyonnet.) 821-822
Præfatio. *Ibid.*
Caput prævium. 823
Pars prima. De jure et principiis generalibus juris. 825
Caput primum. De dominio pleno seu perfecto. 827
Articulus primus. De origine dominii. *Ibid.*
Art. II. De subjecto dominii. 828
§ 1. De infantibus et amentibus. *Ibid.*
Propositio. Parvuli et amentes sunt dominii capaces. *Ibid.*
§ 2. De filiisfamiliàs. 829
§ 3. De uxoribus. 833
I. De dominio uxorum sub regimine communitatis. *Ibid.*
II. De dominio uxorum sub regimine communitatis exclusivo. 834
III. De dominio uxorum sub regimine dotali. *Ibid.*
§ 4. De Clericis. 836
§ 5. De Religiosis. 839
I. De dominio communitatum religiosarum. *Ibid.*
II. De dominio religiosorum impropriè dictorum. 840
III. De dominio religiosorum propriè dictorum. *Ibid.*
Art. III. De objecto dominii. 841
Art. IV. De variis modis acquirendi dominium. 845
§ 1. De occupatione. *Ibid.*
Propositio. Occupatio, servatis quibusdam conditionibus, est modus legitimus acquirendi primò occupanti dominium rerum quæ nullius sunt. *Ibid.*
Num. 1. De rebus mobilibus occupationis capacibus. 846
I. De animalibus. *Ibid.*
II. De rebus in mari vel in fluminibus inventis. 848
III. De spoliis. 849
Propositio unica. Princeps et solus princeps tantùm potest, in bello justo, de bonis hostium sumere, quantùm necesse est, tùm ad compensationem damni et impensarum quæ fieri debuerunt, tùm ad justam injuriæ vindictam, tùm ad pacem et tranquillitatem obtinendam. *Ibid.*
Num. 2. De rebus occupationi affinibus. 851
I. De fodinis. *Ibid.*
II. De lignatione. *Ibid.*
III. De pastione. 852
§ 2. De inventione. *Ibid.*
Num. 1. De thesauro. *Ibid.*
Num. 2. De rebus nuper amissis. 855
Num. 3. De bonis derelictis. 859
Num. 4. De bonis vacantibus. 860
§ 3. De accessione. *Ibid.*
Num. 1. De jure accessionis in fructus rei. *Ibid.*
Num. 2. De jure accessionis ad res rei unitas. *Ibid.*
Punctum primum. De jure accessionis ad res immobiles. *Ibid.*
Punct. ii. De jure accessionis ad res mobiles. 861
§ 4. De præscriptione. 862
Propositio. Præscriptio est modus in conscientiâ legitimus acquirendi dominium, vel se liberandi ab aliquâ obligatione sub conditionibus à lege præfixis. 863
Num. 1. De rebus præscriptibilibus. 864
Num. 2. De possessione. 865
Num. 3. De titulo. 866
Num. 4. De bonâ fide. 867
Punctum primum. De naturâ bonæ fidei. *Ibid.*
Punct. ii. De necessitate bonæ fidei 868
Punct. iii. De rebus quæ bonæ fidei obstare possunt. *Ibid.*
Num. 5. De tempore ad præscribendum statuto. 871
Punctum primum. De tempore requisito in præscriptionibus ad acquirendum. *Ibid.*
Punct ii. De tempore requisito in præscriptionibus ad se liberandum ab aliquâ obligatione. 872
Cap. II. De præcipuis speciebus dominii semipleni. 874
Articulus primus. De modificatione dominii quoad jus possidendi. *Ibid.*
I. De necessitate alienandi. *Ibid.*
II. De prohibitione alienandi. *Ibid.*
Art. II. De modificatione dominii quoad jus fruendi. 875
I. De usufructu. *Ibid.*
II. De usu. 876
III. De habitatione. 877
Art. III. De modificatione Dominii quoad jus excludendi. *Ibid.*
Pars secunda. De injuria et restitutione in genere. 879
Caput primum. De necessitate restitutionis. 880
Propositio. Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad salutem. *Ibid.*
Cap. II. De radicibus restitutionis. 882
Propositio. Ex violatione justitiæ commutativæ et quidem solius, per se oritur obligatio restituendi. *Ibid.*
Articulus primus. De primâ radice restitutionis, seu injustâ acceptione. 885
§ 1. De possessore bonæ fidei. *Ibid.*
Num. 1. De obligationibus possessoris bonæ fidei, ratione ipsius rei. 884
Num. 2. De obligationibus possessoris bonæ fidei, ratione fructuum. 888
Num 3. De obligationibus possessoris bonæ fidei, ratione impensarum. 890
Regula prima pro impensis ordinariis. *Ibid.*
Reg. ii. Pro impensis extraordinariis. *Ibid.*
§ 2. De possessore malæ fidei. 891
Num. 1. De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione rei. *Ibid.*
Propositio. Possessor malæ fidei non tenetur, attento jure naturali, ad restitutionem rei quæ apud ipsum fortuito casu periit, si eodem modo et eodem tempore apud dominum certò periisset. 893
Num 2. De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione fructuum. 895
Num. 3. De obligationibus possessoris malæ fidei, ratione impensarum. 896
§ 3. De possessore dubiæ fidei. *Ibid.*
I. De dubio præcedente possessionem. *Ibid.*
II. De dubio possessioni bonæ fidei superve-

niente. 897
Art. II. De secundâ radice restitutionis seu injustâ damnificatione. *Ibid.*
§ 1. De damnificatore simpliciter dicto. 898
Num. 1. De conditionibus actionem damnificativam spectantibus. *Ibid.*
Conclusio generalis. 900
Num. 2. De quibusdam difficultatibus actionem damnificativam spectantibus. 901
§ 2. De injusto cooperatore. 905
Num. 1. De cooperatoribus positivis. *Ibid.*
Punctum primum. De jubente. 906
Punct. 2. De consulente. 909
Punct. 3. De consentiente. 913
Punct. 4. De palpone. 915
Punct. 5. De recursu seu receptore. *Ibid.*
Punct. 6. De participante. 916
Sectio prima. De cooperatione immediatâ. *Ibid.*
Propositio prima. Nunquàm licet, etiam ad mortem vitandam, immediatè concurrere ad actionem alteri damnificativam in bonis vitæ. *Ibid.*
Prop. II. Nunquàm licet, etiam ad vitandam mortem, immediatè concurrere ad actionem alteri damnificativam in bonis fortunæ. 917
Sect. II. De cooperatione mediatâ. 919
Propositio unica. Licet mediatè cooperari ad actionem alteri damnificativam in bonis sive corporis, sive fortunæ ob vitandam mortem, aut mutilationem, aut aliud damnum proportionatè grave. *Ibid.*
Num. 2. De cooperatoribus negativis. 920
§ 3. De iis qui alterum impediunt à consecutione alicujus boni. 927
Cap. III. De variis restitutionis circumstantiis. 929
Articulus primus. De solidaritate et ordine eorum qui restituere tenentur. *Ibid.*
I. De solidaritate. *Ibid.*
II. De ordine. 932
Corollaria. 934
Art. II. Cuinam personæ facienda sit restitutio. *Ibid.*
§ 1. Cui restituenda sint bona certa. *Ibid.*
§ 2. Cui bona incerta restituenda sint. 935
§ 3. Cuinam facienda sit restitutio, quando debitor est impar ad omnia sua debita solvenda. 936
Art. III. De loco, tempore et modo quo restituendum est. 941
§ 1. De loco ubi restitutio fieri debet. *Ibid.*
§ 2. Quo tempore restitutio fieri debeat. 942
§ 3. Quonam modo restitutio facienda sit. 943
Cap. IV. De causis à restitutione excusantibus 944
Articulus primus. De causis quæ restitutionis obligationem suspendunt. *Ibid.*
§ 1. De impotentiâ debitoris. *Ibid.*
Num. 1. De necessitate extremâ. 945
Num. 2. De necessitate gravi. 948
§ 2. De damno creditoris vel alterius personæ. 950
§ 3. De cessione bonorum. 951
Complementum articuli. 953
Art. II. De causis à restitutione omninò excusantibus. *Ibid.*
PARS TERTIA. DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN SPECIE. 958
Caput primum. De injuriâ et restitutione ob damnum in bonis animi illatum. *Ibid.*
Cap. II. De restitutione ob damnum in bonis corporis illatum. 961
Articulus primus. De restitutione propter homicidium, mutilationem, persecutionem, etc. *Ibid.*
§ 1. De obligatione restituendi ratione homicidii. *Ibid.*
§ 2. De objecto restituendo ab injusto homicidâ. 961
I. De damno naturali. 962
II. De damno temporali. 963
III. De iis quibus injustus homicida restituere tenetur. 964
Art. II. De stupro. 968
Art. III. De adulterio. 971
Cap. III. De injuriâ et restitutione ob damnum illatum in bonis famæ. 975
Articulus primus. De detractione. *Ibid.*
§ 1. De naturâ detractionis. 976
§ 2. De peccato detrahentium. 977
Propositio. Detractio est peccatum mortale ex genere suo. *Ibid.*
§ 3. De peccato detractionem audientium. 982
§ 4. De obligatione famam restituendi. 983
Art. II. De contumeliâ. 986
Art. III. De judiciis et suspicionibus temerariis. 987
Cap. IV. De injuriâ et restitutione ob damnum in bonis fortunæ illatum. 990
Articulus primus. De furto in genere. *Ibid.*
Art. De quibusdam facultatibus circa furtum. 994
VOGLERI VITA. 1007-1008
APPENDIX SECUNDA. JURIS-CULTOR THEOLOGUS CIRCA OBLIGATIONES RESTITUTIONIS IN GENERE THEORICO-PRACTICÈ INSTRUCTUS. *Ibid.*
QUÆSTIO PRIMA. Quid sit jus. *Ibid.*
QUÆST. II. Quid sit injuria, num fiat consentienti. 1016
QUÆST. III. Quid sit restitutio, quænam ejus necessitas. 1021
QUÆST. IV. Ex quibus titulis oriatur obligatio restitutionis. 1026
De culpâ juridicâ, ad sequentes quæstiones proœmium. 1032
Caput primum. De præstatione juridicæ culpæ in contractibus. 1033
Cap. II. De præstandâ culpâ juridicâ in quasi-contractibus et officiis. 1037
Cap. III. De præstatione culpæ juridicæ extra contractum et quasi contractum, seu de quasi delictis et eorum obligationibus. 1039
Articulus primus. De damno illato per factum personale. *Ibid.*
Art. II. De damno illato per personas nobis commissas. 1040
Art. III. De damno illato per res nostras. 1041
QUÆST. V. An et quando debeatur restitutio propter damnum ab animali, servo vel domestico datum. 1042
QUÆST. VI. An oriatur obligatio restitutionis ex culpâ merè juridicâ. 1050
QUÆST. VII. Qualis obligatio nascatur ex culpâ theologicè solùm veniali. 1058
QUÆST. VIII. An ex culpis venialibus, deliberatè commissis, vel etiam ex unâ nasci possit obligatio gravis restituendi. 1065
QUÆST. IX. Ex quâ culpâ nascatur obligatio restitutionis in contractu. 1066
QUÆST. X. Ex quâ culpâ nascatur obligatio restitutionis in quasi-contractu. 1081
QUÆST. XI. An sarciri debeat damnum per accidens et ex ignorantiâ datum. 1084
QUÆST. XII. An compensari debeat excessus damni invincibiliter ignoratus. 1093
QUÆST. XIII. An errans in personâ læsi teneatur ad restitutionem. 1100
QUÆST. XIV. An oriatur obligatio restitutionis ex violatione justitiæ distributivæ. 1105
QUÆST. XV. Quomodò peccent eligentes indignum aut minùs dignum ad beneficium vel officium, et an teneantur ad restitutionem Ecclesiæ vel reipublicæ. 1111
QUÆST. XVI. An restituere debeant cooperantes ad injustum damnum. 1128
QUÆST. XVII. Quando mandans teneatur ad restitutionem. 1133
QUÆST. XVIII. Quando consulens teneatur ad restitutionem. 1137
QUÆST. XIX. Quando teneatur ad restitutionem consentiens, palpo et dans recursum. 1145
QUÆST. XX. Quando participans teneatur ad restitutionem. 1149
QUÆST. XXI. Quando teneatur mutus, non obstans,

non manifestans. 1159
Quæst. XXII. An omnes et singuli cooperantes teneantur ad restitutionem in solidum. 1167
Quæst. XXIII. Quo ordine teneantur cooperantes ad restitutionem. 1173
Quæst. XXIV. An impediens alterum à consecutione boni teneatur ad restitutionem. 1181
Quæst. XXV. An odium aut intentio prava nocendi variet obligationem restitutionis. 1191
Quæst. XXVI. Quo loco et cujus expensis facienda sit restitutio. 1196
Quæst. XXVII. Quando sit facienda restitutio. 1199
Quæst. XXVIII. Quis ordo servandus inter creditores. 1202
§ 1. Ex jure civili. 1203
§ 2. Ex jure civili gallico. 1212
Articulus primus. Codicis civilis dispositiones. *Ibid.*
Art. II. Codicis commercii dispositiones. 1214
§ 3. De theologicis statutis pro ordine servando inter creditores. 1217
Quæst. XXIX. An excuset à restitutione impotentia restituendi in eodem genere. 1220
Quæst. XXX. An excuset à restitutione necessitas propria vel aliena. 1227
Quæst. XXXI. Quando bonum creditoris excuset à restitutione. 1236
Quæst. XXXII. Quandonam excuset interitus rei. 1240
Quæst. XXXIII. An excuset ingressus in religionem. *Ibid.*
Quæst. XXXIV. An excuset compositio cum summo pontifice. 1253
Quæst. XXXV. Quænam aliæ causæ debitorem excusent. 1254
Index rerum. 1265-1266

FINIS TOMI DECIMI-QUINTI THEOLOGIÆ.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

DATE DUE

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |

BR60 .T44 1837 v.15 c.2
Theologiae cursus completus, extractatibus omnium perfectissimis

Property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105



SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0007 7148 3